IN

PRIOREM D. PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM HOMILIAE.

AVTHORE

RODOLPHO GVALTHERO TIGVRINO.

ACCESSIT *operi Præfatio de dignitate & vnitate Ecclesiæ, qua docetur, ab eius societate propter aliquorum, qui in ea versantur, vitia, non temere esse discedendum. Index item rerum & locorum Scripturæ, quæ hoc libro explicantur.*



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS

ANNO M. D. LXXII.

REVERENDISSIMIS ET OBSERVANDIS IN CHRISTO PATRIBVS ET DOMINIS, D. EDMVNDO GRYNDALLO EBORACENSI ARCHIEPISCOpo: D. Eduino Sando, Londinensi: D. Roberto Horno, Vintoniensi: D. Richardo Coxo, Eliensi: D. Ioanni Parkhursto, Nordouicensi: & D. Iacobo Pilkinthono, Dunelmensi, Episcopis & Pastoribus vigilantissimis: RODOLPHVS GVALTHERVS TIGVRINVS *Gratiam & pacem à Deo Patre per* IESVM CHRISTVM, *Dominum nostrum, &c.*



VOD post expositam Diui Pauli ad Romanos epistolam eas quoque quas idem Apostolus ad Corinthios dedit, aggressus sum, & meas in priorem Homilias sub felici Amplitudinis & Pietatis vestræ auspicio, Patres in Christo reuerendiss. & Domini mihi haud vulgariter obseruandi, in lucem dare volui, nemo (opinor) me absque certa ratione fecisse dicet, qui rem propius inspexerit. Huius enim argumentum ad illius illustrationem plurimùm facit, & vt eiusdem tractatio nostri sæculi hominibus imprimis conuenit: ita mihi quoque digna visa est, quæ vestro iudicio atque censuræ subijceretur, quos non solùm eruditione & multiplici rerum vsu, verumetiam authoritate singulari Deus donauit, vt illam non modò cognoscere, sed (si ita opus sit) aduersus improbos zoilorum dentes defendere possitis. In ea enim, quam ad Romanos scripsit Apostolus, potissimùm de fide in æternum Dei Filium IESVM CHRISTVM, disputatur, ex qua tota hominis iustificatio & vniuersa salutis nostræ ratio dependet: In his verò, quas modò damus, vera Ecclesiæ forma & legitima eiusdem œconomia siue administratio traditur: quæ nisi probè cognita & rectè instituta sit, inutilis planè atque superuacanea est fidei Christianæ professio. Hic enim præcipuus, quoad nos, fidei effectus est, quòd per hanc iustificati & adoptionis Spiritu donati, in vnum eiusdem Ecclesiæ corpus coalescimus, cuius caput est IESVS CHRISTVS Dominus noster, ex quo spiritus vitæ atque salus in omnia membra eius, id est, in omnes credentes deriuatur. Quamobrem Apostoli in Symbolo suo, quo suæ doctrinæ summam, siue (vt Tertulliani verbo vtar) regulam fidei Christianæ complexi sunt, hunc ordinem nobis præscripserunt, vt post vnius æterni Dei (Patris nimirum, Filij & Spiritus sancti) & eorum quæ propter nos in assumpta hominis carne fecit Dei Filius, confessionem, fateamur quoque Ecclesiam Catholicam, id est, vniuersalem, quæ sanctorum, quotquot vnquam fuerunt, & sunt, & in posterum nascentur, omnium communio siue societas dicitur: apud quam inæstimabiles illos suæ gratiæ thesauros Deus deposuit, Remissionem nimirum peccatorum gratuitam, lætam certamque futuræ resurrectionis spem, & vitam æternam, quæ veram atque perfectam hominis beatitatem in se continet. Quorum consideratio vt ineffabilem & plus quàm paternam Dei bonitatem nobis commendat, qui ex misera & infelici, imò deplorata humani generis massa sibiipsi Ecclesiam certam deligere dignatus est, quam pro suo peculio, pro suo grege, suo aruo & vinea agnosceret: quam denique sanguinis sui lauacro ablutam & coniugij indissolubilis vinculo sibi desponsatam, bonorum suorum omnium consortem haberet: Ita nos quoque excitare debet, vt de conseruanda vera Ecclesiæ forma & œconomia seriò cogitemus, neque nos ab eius societate patiamur diuelli, extra quam nulla salutis spes nobis reliqua esse potest. Est enim incredibilis in illa turbanda communis nostri hostis diaboli astutia, & irrequieta improbitas, hominum verò plus

quàm belluina stupiditas & oscitantia, qua decepti illius insidias vel non vident, vel etiam visas atque deprahensas contemnunt & negligunt. Vtrumque periculum hoc Christus eleganti parabola depinxit, qua Ecclesiam agro confert, in quo post factam sementem inimicus dormientibus hominibus zizania superspargit, quæ mox cum tritico germinant atque succrescunt. Quod quàm verè ab illo dictum sit, omnium sæculorum historiæ infinitis exemplis docent: ex quibus constat, verbi Dei segetes nunquam tam feliciter germinauisse, quin inter eas hæresum quoq; infelix lolium emerserit cum malè vrentibus pessimarum opinionum vrticis & nocentissimis scandalorum vepribus, quibus Euangelicæ doctrinæ veritas adulterata, & Ecclesiæ vnitas non sine publico offendiculo scissa atque distracta sit.

Nam vt ab Apostolis exordiamur, quis nescit illis adhuc viuentibus & sedulò docentibus, exortos fuisse impostores nequissimos, quorum alij Legis Mosaicę doctrinam cum Euangelio, & illius opera cum iustitia fidei commiscere, & vniuersum IESV CHRISTI meritum euacuare: alij verò mortuorum resurrectionem, sine cuius spe religio non consistit, in dubium vocare, imò apertè negare ausi sunt. Taceo nunc horribiles Simonis Magi furores, belluinas Nicolaitarum libidines religionis fuco velatas, impia & execrationibus æternis digna Cerinthi, Hebionis & similium figmenta, quibus æternam IESV CHRISTI Deitatē & salutiferæ Incarnationis eius mysteriū vellicauerunt. Quæ zizania non multò post innumerabilia hęreticorū agmina pepererunt, Valentinianos nimirū, Marciones, Cerdones, Apellianos, Apollinarios, Arios, Photinos, Artemones, Nestorios, Eutychetes, Manichæos: quorum alij personam Christi distraxerunt, alij eiusdem naturas confuderunt, alij diuinam, alij humanam negarunt, omnium verò hoc studium commune fuit, vt dum sua figmenta quisque propagare & tueri satagit, Ecclesiam in partes siue sectas distraherent: quod fieri non poterat, quin simul fidei Christianæ & salutis nostræ fundamenta, quantum in illis fuit, cum multorum exitio conuellerentur.

Quia tamen istorum impietas manifestior fuit, quàm vt diu latere posset, atrocior item quàm vt eam Christianæ aures admittere vellent, non potuit tunc prorsus effectum dare Satan quod cupiebat, vt neque hodie potest, quàmuis easdem hæreses postliminio reducere sedulò conetur. Itaque ad nouas artes conuersus, vt Ecclesiæ vnitatem scinderet, alios excitauit, qui falsa absolutę sanctimoniæ & perfectionis Christianæ persuasione fascinati, vel potius inflati, eos omnes ab Ecclesiæ societate arcendos esse docuerunt, in quibus vitium aliquod appareret, quo aliqui possent offendi. Author huius opinionis primus sub annum nati in carne Filij Dei CCLIII fuisse perhibetur Nouatus quidam, Romanæ Ecclesiæ presbyter: qui cùm natura gloriæ cupidus ad altiorem gradum aspiraret, sibiq; de seipso nihil non polliceretur, tandem eo vsq; confidentiæ progressus est, vt ijs spem omnem salutis adimeret, qui inter dura persecutionum certamina & immanes tormentorū, quæ tunc Christianis adhibebantur, cruciatus lapsi essent, etiamsi seriā pœnitentiam postea agerent. Quod cum pijs omnibus durum & intolerabile (vt reuera est) videretur, qui lapsos ad pœnitentiam inuitandos potius quàm ab ea absterrendos esse, ex scripturis didicerant, ille ab Ecclesia secessionem faciens multos post se traxit, quos insolenti & superbo nomine καθαρὺς, id est mundos dicebat: ita nimirum Ecclesias omnes, quæ secus sentiebant, immundas & impuras esse innuens. Damnata tunc fuit publica Concilij Romæ coacti authoritate eius sententia, nunquam tamen prorsus tolli potuit ex ea enata hæresis, quò minus episcopos proprios haberent qui eam sectabantur, idq; Constantinopoli imprimis, vbi in illud vsque tempus durauit, quando vrbe capta Græciæ imperium ad Tur-

ad Turcas translatum est. Et vt vulgò fieri solet, error iste multos alios ex se peperit. Alij enim eos, qui post acceptum baptismum peccassent, per pœnitentiam instaurari & seruari posse negauerunt: alij à remissionis spe eos excluserunt, qui delicto aliquo voluntario legem Dei violauissent: multi inter peccata discrimina noua finxerunt, quibus Dei gratuita misericordia, quam ille omnibus eam seriò expetentibus liberaliter offert, ad paucos restringebatur. Secuti sunt posteris temporibus Donatistæ, quorum furor vlterius processit, adeò vt damnata maiori orbis Christiani parte, Ecclesiam Christi angusto Aphricæ angulo concluderent, neque contenti essent Ecclesias alias pro impuris damnauisse, insuper colloquia quoque omnium fugerent, ne aliorum peccatis pollueren tur. Fuerunt hi nocentissimi scismatis authores, quod vix multis laboribus & seueris Imperatorum edictis, neque absque sanguine curari potuit, cùm violentam mortem (vt Theodoretus de illis narrat) martyrium nominarent, & ad hāc pecudum instar saginati, quosuis obuios ipsis manum inferre cogerent. At ne sic quidem istorum insania potuit extingui, quò minus ea nostro sæculo in Anabaptistis reuixerit, qui cùm inter se vagis libidinibus indulgeant, & cædibus mutuis grassentur, & pios principes ad arma cogant, se tamen in religionis causa plus alijs profecisse sibi persuadent, & præ se omnes alios contemnunt, in quibus aliquid vitij hærere conspicantur: denique ipsi quoque ab Ecclesijs secessionem faciunt, ne (vt ipsorum verbis vtar) cum aliorum sceleribus communicent. Damnant hos plerique qui puriorem Euangelij doctrinam paulò diligentius inspexerunt: multos tamen ex ijs quoque inconsideratus iustitiæ zelus atque nimius seueritatis rigor æquo morosiores facit, vt quàmuis in doctrinæ summa nobiscum consentiant, vndique tamen occasiones venentur, vt aliquem inueniant à nobis discedendi prætextum. Fit ergo, vt aliqui doctrinam causentur, si vel minimam in ea diuersitatis speciem apud nos se videre putent. Qui verò nihil in ea reprehendere possunt, hi ministrorum aut doctorum vitijs se offendi aiunt, & se iustam suæ ab Ecclesia discessionis causam reperisse arbitrantur, si doctrinæ, quæ traditur, doctorum vita & mores minus respondeant. Sunt qui de rituum diuersitate queruntur, si non eundem docendi ordinem, aut easdem in Sacramentorum administratione ceremonias vbique ab omnibus obseruari, vel non eodem temporis momento apud omnes nostræ professionis Ecclesias cœtus sacros haberi, vel preces publicas alijs atque alijs verbis concipi videant: vt iam de eorum morositate nihil dicam, qui de ministrorum habitu, de sacris vasis & alijs rebus medijs atque indifferentibus quæstiones intempestiuas mouent, quæ lites pariunt non necessarias, & quibus totæ Ecclesię cum magno multorum scandalo turbantur. Sunt præterea, qui cùm & doctrina & tota rituum externorum œconomia ipsis probetur, in morum tamen censura plus æquo curiosi, Christi Ecclesiam apud eos esse negant, qui vitia non pro ipsorum libito disciplina seueriori coercent: & hi ferè nihil non sibi contra nos licere putant, si quos manifestis sceleribus pollutos, & Christiani nominis professioni minus respondentes, ad sacrosanctam Domini Cœnam cum pijs accedere cernunt. Tunc enim margaritas porcis, & sanctum canibus proijci, eos verò omnes, qui cum eiusmodi hominibus Symbolis ijsdem fruuntur, peccatis alienis communicare, & proinde Ecclesiam totam impuram atque immundam esse clamant. Ex istis ergo causis aperta scismata nascuntur, & horribilis oritur non Ecclesiarum modò, verumetiam totius religionis dissipatio: qua fit, vt qui alieni delicti communicationem inconsiderato & præcipiti zelo fugiunt, eo scelere sese polluant, quo nullum grauius, nullum atrocius, nullum denique à Christianæ fidei professione magis alienum designari poterat. Nam Ecclesiæ desertores fiunt, & dum in hanc sibiipsis temere iudicium sumunt, quæ IESV CHRISTI sponsa est, non

hanc modò, sed ipsum æternum Dei Filium in partes distrahunt, sub quo cum aliis credentibus in vnum idemq; corpus coalescere debebant: imò à Christo transfugæ fiunt, dum ab eorum societate sese sponte segregant, apud quos illius vox sonat, & quos ipse, quantumuis morbidos, pro suis tamen ouibus agnoscit. Falluntur hi omnes sua vel superbia & confidentia, quæ falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione ipsos dementat: vel morositate, dum neminem ferre possunt, in quo aliquam labem Christiana professione indignam deprehendunt. Vtriusque autem mali ipsis præcipua causa est Ignorantia: quòd nimirum quid sit Ecclesia, quę eius in terris conditio sit, & ex quibus notis dignosci debeat, non intelligũt. Non ergo me rem vobis Patres in Christo reuerendiss. molestam aut iniucundam facturum puto, si de tota hac causa aliquantò diligentius dixero apud vos, ad quos (vt initio monuimus) eius cognitio imprimis pertinet. Nam licet illa vobis iampridem perspecta sit, & vobis non paruam molestiam præbuerit eiusmodi hominum difficilis morositas, vtile tamen fuerit, si suas sententias frequenter & libere inter se conferant omnes ij, quibus hoc nouissimo sæculo Ecclesiæ suæ gubernacula Deus commisit.

Ecclesia, quam in Symbolo Apostolico profitemur, propriè est omnium sanctorum (vt supra diximus) communio siue societas. In ea soli electi censentur, qui per fidem in Christum filij Dei facti & eiusdẽ spiritu reuera sanctificati sunt, ideóque soli etiam Deo nota est, qui solus nouit qui sint sui, & solus corda atq; renes hominum scrutatur. Eadem vt omnium sæculorum credentes, tam eos qui ab ipsa rerum origine fuerunt, quàm eos qui hodie viuunt, & vsque ad mundi huius consummationem futuri sunt, comprǽhendit: ita nulli certo loco aut genti alligata per totum orbem terrarum ad omnes gentes extenditur. In præsenti tamẽ non de illa inuisibili (vt sic loquar) Ecclesia, sed de externa & visibili nobis sermo est, quam in vniuersalem & particulares possumus distinguere. Vniuersalis vel (si cui Græca vox magis arridet) Catholica dicitur tota illa Christianorum multitudo, quæ etsi regionum atque locorum spatijs hinc inde dispersa habitet, in vnam tamen eandemq; verbi Dei doctrinam consentit & eiusdem fidei sacramentis colligatur. Hæc in se particulares omnes complectitur, quæ vt in diuersis nationibus & oppidis habitant: ita ex ijsdem nomina quoq; diuersa sortiuntur, vt alia Germanica, alia Gallica, alia Anglica, Polonica, Hungarica, vel quæ in eadem gente sunt, ab vrbibus Londinensis, Eboracensis, Tigurina &c. dicantur. Quapropter quoad nostri argumenti tractationem, Ecclesiam definimus esse societatem siue cõmunionem eorum, qui per Dei verbum ad IESVM CHRISTVM vocati, fidem in hunc eiusdem verbi studio & legitimo Sacramentorum vsu profitentur. Itaq; notæ Ecclesiæ visibilis sunt, verbi Dei prædicatio siue doctrina, & Sacramentorum vsus. Differt autem Ecclesia externa ab inuisibili, quòd vt hæc solos electos & adoptionis Spiritu donatos habet: ita in illa hypocritis quoq;, imò interdum flagitiosis etiam locus est, qui cùm à fide alieni sint, simulata tamen eius professione & Sacramentorum obseruatione in illius societatem sese insinuant. Ideo eam Dominus areæ confert, in qua grana quidem frumẽti reposita sunt, sed sub magnis palearum aceruis delitescunt, quæ suo demum tempore ipse sui iudicij vanno repurgata in regni sui æterni atq; cœlestis horreum transferet. Adhæc reti aut euerriculo eam similem dicit, quo omne genus piscium, viuorum & mortuorum vel semiputrium, trahuntur, non autem seliguntur, donec simul omnes in littus extracti fuerint: Agro deniq;, in quo cum bona tritici segete zizania & lolium simul succrescunt, quæ & ipsa non ante messem segregantur, id est, ante extremam mundi huius consummationem. Non tamen obstat hoc, quò minus Christi Ecclesia sit illic, vbi veræ fidei exercitia sunt, vtcunq; multi ea fraudulenter obeant,

eant, multi etiam apertè contemnant. Nec enim fallere nos potest Christus, qui dixit: Vbicunque duo aut tres congregati fuerint in meo nomine, ibi sum in medio eorum. Quis verò Christi cœtum siue Ecclesiam esse eos negabit, qui & in eius nomine conueniunt, & salutari eiusdem præsentia fruuntur? Vel num istis fraudi erit aliorum improbitas, qui professioni suæ minus respondent? Aut num ex electorum numero delebuntur ij, quorum gregi aut cœtibus sese aliqui dolo malo immiscent, dum illi Dominum vocantem animo syncero & fide non simulata sequuntur? Hæc certè, si paulò attentius considerentur, nimis temerarios esse patebit eos, qui propter eas, quas supra commemorauimus, causas ab Ecclesijs discedunt, in quibus purior verbi Dei doctrina sonat, & fidei Christianæ symbola secundùm Christi institutionem ritè dispensantur.

Nam vt à doctrina exordiamur, cuius diuersitas, vel potius species diuersitatis, multos offendit, fatemur equidem huius rationem præcipuam haberi debere, ne falsam pro vera admittamus. Quia enim per hanc ad Ecclesiæ societatem homines vocantur, & in eadẽ retinentur, Ecclesia vera esse nõ poterit, à qua vel doctrina verbi Dei exulat, vel in qua huius loco hominum traditiones prædicantur. Nec enim temere dixit Christus. Oues meæ vocem MEAM audiunt, & ego cognosco eas, & sequentur ME, alienum verò non sequentur, sed fugient ab eo. Et Apostoli præceptum est, ne cuiuis spiritui credamus, sed probemus spiritus num ex Deo sint. At hic meminisse oportet, distinguendum esse inter dogmata siue axiomata fidei Christianæ, sine quibus ea consistere non potest, & priuatas quorundam sententias siue opiniones de rebus medijs aut indifferentibus, in quibus absque salutis periculo dissensiones oriri possunt. Axiomata fidei sunt certa & firma, Deum esse vnum, mundi huius & omnium quæ in eo sunt creatorem atque gubernatorem, qui solus à nobis coli, solus item in omni necessitate inuocari debeat: Homines omnes in peccato concipi & nasci, ideóque natura peccatores esse, neque ex suis operibus quenquam seruari posse: Iustificari autem nos ex gratuita Dei misericordia per IESVM CHRISTVM, si hunc fide vera amplectamur, qui nobis à Patre factus est satisfactio, iustitia & redemptionis nostræ pretium: Christum esse verum æternúmque Dei filium, qui præfinito tempore homo factus, próque nobis in ara crucis semel immolatus, nobis perfectam & omnibus numeris absolutam peccatorum expiationem atque salutem meruerit: Huius item merito redemptos decere, vt tanto pretio partam libertatem seriò tueantur, charitati & sanctimoniæ studeant, & si quando ex innata vitiositate peccent, per pœnitentiam ad Deum reuertantur: Animas item esse immortales, & eorum qui credunt animas ex morte in vitam æternam, impiorum verò & infidelium in loca æternis supplicijs destinata transire: Fore denique corporum, quæ nunc gestamus, resurrectionem, post quam omnes homines ad Christi tribunal sistentur, vt vel promissa vitæ æternæ præmia recipiant, vel cum malis Angelis ad æternos inferorum cruciatus relegentur. Debent his addi Symboli Apostolici articuli, & à Christo nobis tradita precandi formula, quibus vera fidei & inuocationis ratio siue regula continetur: Decalogi item præcepta, quæ vt vitam & mores nostros formant, ita priuatim quidem œconomias & rerum proprietatem, publicè verò magistratus quoque authoritatem stabiliunt. Hæc (inquam) certa & immutabilia sunt doctrinæ Christianæ capita, quæ in sacris literis ita traduntur, vt nemini de illis aliter sentire aut loqui liceat. Quare si de his in Ecclesia aliqua ex Dei verbo rectè disseratur, nullam discessionis causam iustam aliquis habebit, licet in alijs nonnullis, sine quibus salus nobis constare potest, alij aliter sentiant. Idem de scripturarum interpretatione dici potest, cuius regulam Paulus esse iubet Analogiam fidei, ne videlicet aliquid

huic contrarium statuatur. Etenim constat, esse quidem vniuscuiusque loci sensum aliquem proprium atque germanum, in cuius inuestigatione doctores diligentes esse conuenit: fit tamen frequenter, vt locus aliquis salua fidei Analogia diuersos sensus admittat, qui simul omnes ad fidelium ædificationem & vitæ Christianæ institutionem faciunt. Quòd si tunc aliqui ex ea diuersitate calumniandi & ab Ecclesia discedendi occasionem arripiant, quis illos plus æquo morosiores, imò à charitate Christiana alienos esse negauerit? Aliter certè Apostolus iubet, qui in Ecclesia liberam sententiarum collationem fieri & iudicium penes sedentes esse voluit. Eius enim verba sunt: Spiritum ne extinguatis, prophetias ne pro nihilo ducatis: omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete.

At hîc nobis corruptos ministrorum Ecclesiæ mores aliqui obijciunt, in quo argumento Anabaptistæ præ alijs mirificè exultant. Nam cùm ex æquo Ecclesiæ ministerium & magistratum politicum oderint, vtriusque ordinis abolendi plausibilem occasionem & causam iustissimã se adeptos esse arbitrantur, si vel Ecclesiæ pastores vel Reipub. præfectos dissolutius viuere animaduertant. Nec enim contenti eo nomine doctores accusauisse, quòd mores ipsorum doctrinæ non respondeant, insuper illos ipsi etiam doctrinæ, imò toti Ecclesiæ fraudi esse volunt, quasi neque illius veritas, neque huius puritas amplius consistere, aut quisquam in Ecclesia eiusmodi saluus fieri possit. Adhæc Sacramentis quoque apud tales suam efficaciam perire clamant. Vbi non inficiabimur, plures hodie, proh dolor, inter Ecclesię ministros inueniri, quorum vita & mores acerrimã correptionem merentur, & quos præstaret secundùm IESV CHRISTI dictum, suspensa ex collo ipsorum mola asinaria in maris abyssum præcipites dari, quàm tanti scandali authores esse. Quòd verò alteri illi propter improbos hosce sacri ministerij prophanatores, ipsam Veritatis doctrinam vnà cum Ecclesijs damnant, id nimis insolenter & nulla cum ratione ab eis fieri, Christi verba docent, qui de Iudæorum doctoribus sic ait: In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque iusserint vos seruare, seruate: secundùm opera autem eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. En docere illos testatur, quæ ipsi non faciant: imò ibidem (vt multis etiam alijs in locis) multa illos improbè, multa iniustè & impiè facere, adhæc superstitiosis patrum traditionibus populum infelicem grauare queritur. Attamen quia ordinarium in Ecclesia ministerium habeant, illos audiri vult, quando in Mosis cathedra sedent, id est, quando non hominum traditiones, sed per Mosem olim tradita Dei præcepta prædicant. Ergo mores quidem doctoris improbos, fastum item, libidinem, intemperantiam, auaritiam detestari licet: at propter ista doctrinã Veritatis contemnere, ipsum ministerium proscindere, & in Ecclesia scisma facere, id verò ab hominis Christiani officio alienissimum est. Iubet quidem alibi quoque Dominus, vt nobis caueamus à pseudoprophetis, & seductoribus. At non semper seductores sunt, quicunque malè viuunt, sed qui falsa docent: & in doctore probando maior doctrinæ quàm vitæ aut morum ratio haberi debet. Nam si illa vera & integra fuerit, nihil ex moribus doctoris periculi erit auditoribus, nisi qui fortè proprio vitio ad nequitiam procliues malè agendi exempla auidè arripiunt. Similiter Sacramentorum dignitas atque virtus, non ex ministri dignitate, sed ex Dei institutione dependet: Qua de re olim Diuus Augustinus multa præclarè contra Donatistas disputauit, apud quem in Epist. 166. hæc quoque verba ex Imperatorio contra illos edicto citantur: Si in eis, qui primò initiati sunt, idcirco religio baptismatis iudicatur infirma, quòd hi à quibus accipitur, peccatores putentur, toties renouari necesse erit traditum Sacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptismatis administrator, & fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque

ex diuini

ex diuini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum & clericorum qualitate pendebit. Quibus non multò post Augustinus subijcit: Semper Dei est illa gratia, & Dei Sacramentum, hominis autem solum ministerium: qui si bonus est, adhæret Deo, & operatur cum Deo: si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse autem donat inuisibilem gratiam. Hoc sapiamus omnes, & non sint in nobis scismata, &c.

Sed illos quoque audiamus, qui de rituum diuersitate queruntur, & propter hanc ab Ecclesijs nostris sibi discedendum esse putant. Offendit eos, aut saltem se offendi simulant, quòd non eadem apud omnes obseruetur baptizandi formula, dum alij paruulos totos in aquam intingunt, alij sola aspersione vtuntur: alij item dum istud agitur, preces breuiores, alij prolixiores fundunt. In Cœna quoque Dominica hoc illis indignissimè fieri videtur, quòd in plerisque Ecclesijs ad mensam Domini accedunt tam viri quàm mulieres, vt ex ministrorum manibus symbola sacra accipiant: in aliquibus verò eadem per sedentium subsellia circumferantur: qui illa inter sese distribuunt: Quòd item apud aliquos epulum istud sacrum in vsu frequentiori est, cum alijs ter aut quater in anno illud vsurpauisse sufficiat. Sunt etiam, quibus hoc quoque repræhensione dignum putatur, quòd non eadem sit apud omnes Ecclesias vasorum sacrorum forma atque materia, & alij quidem ligneis, alij vitreis, multi argenteis & aureis vtantur. Sunt rursus qui de ministrorum habitu lites non necessarias mouent, & eò vsque progrediuntur, vt propter illum viros graues & de Ecclesia atque communi Religionis causa optimè meritos damnare audeant. At isti omnes non obscurè suam ignorantiam (ne quid durius de illis pronuntiem) produnt: quando non intelligunt, diuersitatem istam libertati Christianæ imprimis seruire, & simul superstitionibus viam obstruere, quę facilè in vulgi animis locum inueniunt, si eosdem ritus ab omnibus solicitè obseruari videant, adeò vt piaculum esse putetur, si quis à recepto apud aliquos more vel latum vnguem discesserit. Ita enim inter homines natura comparatum est, vt plerique externis ceremonijs addicti, quæ sub his adumbrantur mysteria eorumque vsum proprium minus obseruent. Prodest ergo nos illarum diuersitate admoneri, vt longe aliud hîc agi cogitemus, quàm primo intuitu appareat. Et cur diuersitas ista hodie aliquem offendat, quando olim ex Christianæ libertatis iure Ecclesijs singulis licuit ijs ritibus vti, quos suæ gentis hominibus vtiliss. esse, & pro locorum atque temporum ratione ad ædificationem plurimorum imprimis facere videbant? Multa de hac re Socrates in Ecclesiastica historia libro quinto Cap. 22. scribit, vbi inter alia Victorem, Romanæ Ecclesiæ antistitem, repræhendit, quòd propter Paschatis solennitatem, quæ vsque ad illius tempora non eodem tempore, neque eodem ritu absque omni dissensionis scandalo in Ecclesijs peracta fuerat, ipse ἄμετρα θερμανθεὶς, id est, immodico feruore & zelo accensus Asiæ Ecclesias communione Christianorum priuare ausus esset. Constat item in ieiunijs & Cœnæ Dominicæ vsu, in precibus denique publicis, non eandem rituum externorum formam in omnibus Ecclesijs obseruatam fuisse. Etenim D. Hieronymus Exuperium Tholosatem episcopum laudat, quòd corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem in vitro gestaret. At quid ista de illo commemorare opus erat, si hoc ipsum alij quoque episcopi fecissent, atque eadem aut similia vasa illo seculo apud omnes in vsu fuissent? Num verò hoc Exuperio aliquis vitio vertit, quod Hieronymus laude dignum putauit? Aut num ille Ecclesias alias damnauit, quæ alijs vasis vtebantur? Idem de ministrorum vestibus rectissimè dixeris, de quibus olim nulla vnquam controuersia fuit, eò quòd liberum esset omnibus, vt pro more gentis suæ eo habitu vterentur, qui honestissimus habebatur. Vualafridus certè: qui vixit circa annum nati Christi DCC. in suo Ration. Cap. 25.

affirmat,

affirmat, veteres olim vsos fuisse veste vulgari, sed munda. Tandem inter sacra vẽste candida vti cœperunt, absq; superstitione tamen: Vnde D. Hierony. aduersus Pelagianos, qui vestitum ornatiorem, vt Deo contrarium, damnabant, scripsit: Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si episcopus, presbyter & diaconus, & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint? Veruntamen creuit posteris temporibus cum superstitione luxus & fastus, vt sicuti immodico templorum ornatu peccatum fuit: ita habitu quoq; nõ minus molli & sumptuoso quàm superstitioso & ad simulatam sanctitatis speciem composito sese Episcopi ostentarint, & quicunque alij Ecclesiæ ministrauerunt. Quod vt meritò pij omnes damnant: ita eorum morositatem nemo qui sanæ mentis & pacis amans est, probare poterit, qui dum nihil ferre volunt, quod à vulgari alicuius gentis habitu vel modicum differt, litibus minimè necessarijs omnia turbant, & Ecclesias non sine periculosissimo scandalo in partes distrahunt. Hi dum nihil non timent, interim seipsos & Ecclesias in discrimen omnium maximum nocentissimumq; adducunt, & fit plerunq; (quod Socrates de Nouatianis, Eunomianis & alijs similibus scribit) vt qui semel ab Ecclesia secessionem fecerunt, postea ipsi quoq; inter se scindantur, neq; vllus sectarum & dissidiorum finis sit. Rectè ergo Diuus Augustinus ad Ianuarium scribens, cùm diuersos, qui suo tempore obseruabantur, Ecclesiarum ritus exposuisset, hanc regulam Christianis hominibus tutissimam fore putauit, si in ijs quæ salua fide & pietate fieri possunt, sese Ecclesijs, ad quas venerint accommodent. Eius verba sunt hæc: Nulla disciplina in his est melior graui prudẽtiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunq; fortè deuenerit. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate, seruandum. Et ibidem Diui Ambrosij, de diuersitate ieiuniorum abs se interrogati, respõsum adducit, quod sibi postea semper cœlestis oraculò loco fuisse scribit: Cùm Romam venio, ieiuno sabbato: cùm hîc sum (Mediolani scilicet) non ieiuno: Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi. Qua moderatione si hodie omnes vterentur, minus contẽtionum esset in Ecclesia, neq; superstitiosis hominum traditionibus libertas Christiana circumscriberetur. Cur verò totas Ecclesias damnant propter res indifferentes & medias, qui (si Paulo obedire velint) singulorum infirmitati sese accommodare debent?

Venio nunc ad illos, qui cùm & doctrinam & vniuersam alicuius Ecclesiæ œconomiam probent, in eadem tamen se seruari non posse sibiipsis persuadent, quod plerosq; in illa vitam Christiana professione indignam viuere, & malos bonis permixtos esse videant. At debebant isti nunquam non meminisse parabolarum, quibus Christus Dominus Ecclesiæ suæ in terris hisce militantis conditionem describit: quando illam (vt supra annotauimus) agro, areæ & reti siue sagenæ confert: quibus si tam veteris quàm noui Testamenti exempla coniungerent, mox viderent, ne hîc quidem ipsis iustam scismatis causam offerri. Quando enim vnquam ea fuit populi Dei facies siue conditio, vt nulli in illo scelerati & apertis flagitijs infames fuerint? Num Abrahami domum ab omni vitio puram fuisse dicent? Atqui tum falsi eos arguent pastorum iurgia, Saræ vxoris abnegatio, Ismaelis proteruia, vt iam de Lothi & filiarum incestu nihil dicam. Vel num sub Isaaco & Iacobo Ecclesiam fuisse negare poterunt? Non equidem tam audaces dixero. At ille Esauum filium habuit, hominem improbè contumacem, diuini fœderis & promissionum omnium contemptorem: hic verò Rubenum incestu infamem, Leui & Simeonem sanguinarios circumcisionis prophanatores, Iudam impuden-

pudentissimum scortatorem, decem deniq; filios plagiarios & fraterni sanguinis reos. Quid verò de Israelitis in deserto peregrinantibus dicent? Num Aaronem, Eleazarum, Phineen, Iosuam, Chalebum & horum similes damnabunt, qui vt gemmæ quædam in fœdissimo illo turbæ murmuratricis & omni genere scelerum pollutę cœno fulserunt? Quòd si ad Prophetarum tempora veniamus, illos clamantes audimus: Omne caput languet, & omne cor mœret: à planta pedis ad verticem vsq; nihil est integrum: vulnus, tumor, purulentaq; plaga. Item: Macilentia mea mihi, macilentia mea mihi. Et rursus: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, miraculum & portentum sumus in Israele. Nisi Dominus exercituum reliquas nobis fecisset reliquias aliquas, sicuti Sodoma essemus. Quis verò dubitet reliquias istas, etsi paucæ & tenues fuerint, vera tamen & germana Ecclesiæ Catholicæ, quam in symbolo profitemur, membra fuisse? Et cur obsecro de eo dubitaremus, quando sub impio Achabo, imperium inter Israelitas tenentibus pseudoprophetis & impuri Baalis sacerdotibus, Deus sibi septem millia piorum seruauit, quos ne Elias quidem nouerat, ipse autem de illorum fide & integritate testatur? Potest idem de omnium sæculorum Ecclesijs dici, ijs etiam, quæ ab Apostolis collectæ & institutæ fuerunt: à quibus tamen nemo piorum secessionem fecisse legitur, ne aliorum malitia ipse pollueretur. Nimiùm ergo morosi & æquo audaciores sunt, quibus non satis est scelera & sceleratos damnauisse, nisi Ecclesias quoq;, in quibus illi viuunt, immundas atq; prophanas dicant, & ita eos simul damnent, quos æternus Dei filius pro suis agnoscit.

At cùm ista dicimus, fatentur aliqui, nimium esse istorum hominum rigorem, ijsdem tamen hoc intolerabile prorsus & nulla venia dignum esse videtur, quòd qui hucusq; sceleribus siue flagitijs manifestis polluti fuerunt, non modò in Ecclesiæ cœtibus locum habeant, verumetiam ad publicam Baptismi & Cœnæ Dominicæ communionem admittantur. Hoc illis non iniquum modò & absurdum facinus, sed sacrilegium quoq; esse videtur, quo simul omnes inquinentur, quotquot cum talibus in eundem cœtum conueniunt, & ad eandem Domini Cœnam accedentes, se eiusdem corporis membra cum illis esse profitentur. Et ne absque ratione ista in nos detonare videantur, illud Pauli nobis obijciunt: Si quis cùm frater nominatur, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne edatis quidem. Ex quibus verbis ita colligunt: Si cum palàm flagitiosis ad mensam vulgarem accedere non licet homini Christiano, multò minus illi ad Domini mensam debent admitti, vt qui verè pij & credentes sunt cum ipsis communicent. At debebant isti cogitare, aliud esse ab hominum improborum contubernio aut consuetudine non necessaria abstinere: aliud eosdem, si pœnitentiam profiteantur, & cum Ecclesia mortem Domini prædicare cupiant, ab eo officio arcere, aut propter illos ab Ecclesię societate discedere. Etenim inter duo hæc Paulus ipse non obscurè distinguit. Qui enim cum sceleratis aut flagitio aliquo pollutis cibum vulgarem sumere prohibet, vt eosdem à mensa Domini reijciamus nusquam iubet, sed quoad huius vsum, vt quisq; seipsum examinet præcipit, non vt nos in aliorum conscientias nobis ius aut iudicium sumamus. Enimuerò grauiter monet Apostolus, ne quis indignè accedens sibijpsi iudicium edat & bibat: at nos in tota hac causa, quoad nostram salutem, non vult de aliorum vel hypocrisi vel apertis flagitijs solicitos esse, quasi eorum impuritate ipsi pollui possimus. Charitatis quidem hoc officium esse fatemur, vt quisque amicè & grauiter eos admoneat, quos in re tanti momenti videt esse proteruiores, & de quibus periculum est, ne temere cum salutis æternæ iactura sese ingerant: At quia nos latet, qualis quisque tunc sit, quando ad mysticum hoc epulum accedit, nihil pro imperio facere, sed suo vnumquenque iudicio

cum eiusmodi ne edatis quidem

relinquere debemus. Et quia hîc non de vitæ & morum, sed de sacrorum communione agitur, friuola & superuacanea est solicitudo illa, quæ aliquos discruciat, ne cum improborum peccatis communicent, aut cum ijsdem in vnum idemque corpus coalescant. Si enim qui post vitam hucusque petulanter actam ad mensam Domini accedunt, iam verè & ex animo resipuerunt, dignè etiam cum pijs corporis & sanguinis Christi communione fruuntur, & Ecclesiæ germana membra sunt. Sin verò hypocritæ sint improbi, Ecclesiam quidem fallere, & eius symbolis abuti possunt, ad eius verò communionem minimè pertinent, & proinde nullum quoque est fidelibus cum illorum improbitate commercium: sed sibiipsis, non alijs, tales iudicium manducant. Nec absq; ratione Apostolum hoc ita constituisse putabimus. Sciebat enim quid Christus fecisset, qui discipulos multis adhuc vitijs, superbia nimirum & ambitione & inuidia & æmulatione praua infectos, confidentia item inflatos, non solùm epulo paschali, verumetiam mensæ suæ mysticæ adhibuit: qui denique ne Petrum quidem exclusit, qui ipsum paulò post turpiter abnegaturus erat: vt iam de Iuda nihil dicamus, quem furem & proditorem nequissimum esse non ignorabat. Noluit ergo Paulus hero & magistro suo rigidior haberi, ne fortè eos repelleret, quos ille ad suam communionem liberalissimè inuitat: aut ijs externa symbola negaret, quos idem ille proprio corpore & sanguine ad vitam æternã pascere dignatur. At scio aliquos Iudam ideo non exclusum dicere, quòd eius scelus adhuc lateret, neque scandalum publicum dedisset. Sed qua ratione illi hoc latuisse dicunt, cùm illud æternus Dei filius, verus ille cordium scrutator, verbis non minus grauibus quàm disertis detexerit? At nesciebant (inquiunt) discipuli, de quo nam ille loqueretur. Quid tum postea? Certè eò grauius erat periculum, si eius scelere ipsi contaminari potuissent, cùm proditorem audirent in mensa esse, eiusdem verò communionem, quoad cœnæ externum vsum, non possent cauere: & quàmuis quis nam esset nescirent, non poterant tamen ignorare, quàm horribile hoc scandalum esset futurum, si Christus à discipulo domestico proderetur. Vt verò sinamus infelicem illum, quid de alijs discipulis dicemus? Num occulta latuit eorum ambitio, quæ post tam multas tamq; graues admonitiones in apertam contentionem exarsit? Et quæ obsecro ratio potest adduci, quæ nos à cœnæ vsu eos arcere iubeat, qui prius quidem enormiter peccauerunt, nunc autem vnà cum seria peccati confessione seruatoris sui IESV CHRISTI studium atque fidem profitentur: quando ipse Dominus eos admisit, qui inter media sacra peccabant, & ideo redargutionem & correptionem duriorem merebantur?

Sed esto fuerit occultior quędam ratio, quam tunc secutus sit Christus, & liceurit ei quod nobis non itidem licet: nemo tamen negauerit opinor, nobis hoc licere, quod Paulo ad Corinthios licuit, quando eos ad primam cœnæ Dominicæ institutionem reuocauit, & quid in huius vsu publicè à tota Ecclesia, & à singulis priuatim obseruari debeat, monuit. Scimus autem Ecclesiæ illius statum corruptissimum fuisse, neq; in paucis solummodò hærebat absurdissimorum errorum & grauissimorũ scelerum culpa, sed totum corpus à summo capitis vertice ad imos pedes vsq; erat miserrimè affectum. Doctrinam certè Logodædali quidam humanæ sapientiæ figmentis adulterauerant: ijdem Ecclesiæ corpus in partes distraxerant: gliscebant inter illos æmulationes, dissidia, rixæ, ex quibus iurgia & omnis generis iniuriæ nascebantur: litigabant multi pro rebus non magni momenti apud infidelium tribunalia, quod euidens erat charitatis frigentis & auaritiæ inexplebilis argumentũ: regnabat ibidem scortandi libido, & quis stupra & adulteriorũ licentiam cessauisse putet apud eos, vbi cum nouerca priuignus consuetudinẽ impunè habuit, à quo scelere plerosq; ex gentibus abhorruisse scimus?

Et ne quid vitij deesset, Paulum multi scurriliter ridebant, eiusdem epistolas mordaciter vellicabant, cum gentium sacris, vel potius idololatria, communicabant, & dæmoniorum conuiuæ erant, qui cum germanis Christi cultoribus ad huius mensam accedebant: cuius vsum legitimum publicè ita corruperant, vt Cœna illa, qua Christianis hominibus nihil antiquius esse debet, à conuiuio luxurioso nihil differret. Adde his habitum siue cultum gentilitium quo viri & mulieres in sacris cœtibus vtebantur, ambitiosam donorum spiritus sancti ostentationem, scurriles de mortuorum resurrectione disputationes, cum sexcentis alijs, quæ in tanta doctrinæ & sacrorum exercitiorum corruptione fieri oportuit. Inter illos tamen Ecclesiam Christi esse Paulus agnouit, nec alicui discessionē ab ea suasit, & quando legitimum cœnæ vsum apud eos instaurare volebat, non curiosum scrutiniū instituit, quo vel Doctores vel Seniores in aliorum conscientias penetrare, & satisfactionibus nescio quibus eos qui peccassent fatigare deberent: sed hoc ipsi sufficere visum est, si vnusquisque seipsum examinaret, ne indignè accedendo ad epulum hoc sacrosanctum, seipsum corporis & sanguinis Dominici reum faceret. Poterat his Galatarum quoque exemplum coniungi, quos insuper extremę dementię accusat Paulus, quòd in aliud Euangelium sese passi essent transferri, & legis iustitiam cum fide in IESVM CHRISTVM miscendo hunc sibijpsis inutilem reddidissent. Quis verò ab omni morum vitio immunes fuisse credat eos, qui quā Christo dederant fidē, magna ex parte violarant, quæ sola homines in officio continet? Istos certè morosi illi censores, qui hodie nobis negotiū faciunt, à fidelium cōmunione procul arcendos esse dixissent. At Paulus, qui se ad colligendum, non ad dissipandum missum esse sciebat, illos honorifico Ecclesię Christi titulo dignatur, neque eos, qui inter illos rectius sapiebant, ideò accusat, quòd cœtibus ipsorum interessent, aut quòd ad eandem cum illis mensam Domini accederent. Cur ergo nobis vitio vertitur, si hanc Apostoli lenitatem ipsi quoque imitamur, vt melius in eiusdem fidei confessione coalescant Ecclesiæ, ne qui nimia quorundam morositate offensi, vel apertam secessionem faciant, vel odijs mutuis ringantur, & Ecclesiam contra Christi præceptum in partes distrahant?

Neque ideò disciplinam abolitam aut eiectam volumus, imò vt ea solicitè seruetur, optamus: quādo sine hoc sale neque publica Ecclesię salus, neque inter eius membra priuatim pax consistere potest. Eos autem non possumus probare, qui non aliam disciplinę formam constituunt, quàm quæ pœnitentiam acturos non necessaria conscientiæ carnificina excruciat, quę item olim satisfactionibus Papisticis fenestram aperuit, & magistratus legitimi authoritatem labefactauit, Episcoporum autem potentiam eò vsque euexit, vt potentissimis quoque regibus intolerabilis sit facta. Sunt, equidē disciplinę conseruandę rationes varię, sed inter has tutissima est, cuius forma ex Dei verbo sumitur, & quæ cuiusque gentis moribus atque ingenio accōmodata magistratus authoritate confirmatur, eodemque executore vtitur: cuius denique hic finis est, vt in Ecclesiæ societate retineantur, quos vel opinionum diuersitas, vel morum licentia, aut etiam immoderatus nimiæ seueritatis rigor aliò abripere poterat. Quapropter non tam rigore, quàm seuera lenitate opus est, ne vel temere resecetur aliquis à corpore Ecclesię, vel ipsi incōsiderato zelo ab Ecclesijs discedamus propter eos, quos perpetuò incurabiles fore nobis nondum constat: aut si tales sint, tutius tamen ferri quàm excindi possunt, sicuti in zizaniorum parabola Dominus admonet. Quam rationem olim sanctissimis patribus probatam fuisse, tum multorū aliorum testimonijs, tum ex Diuo Cypriano colligi potest, cuius hæc verba extant in libro Epistolarū tertio, epist. tertia: Si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.

Nobis imò laborandum, vt frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentū dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: In domo aūt magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed et lignea & fictilia, & quędam quidē honorata, quędam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum vel argenteū simus. Cæterùm fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest maior domino suo seruus: nec quisquam sibi quod soli filio Pater tribuit, vendicare se putet, vt ad aream ventilandam & purgandam iam ferre se posse, aut à frumento vniuersa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega pręsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum dominiū sibi semper quidā plus quàm mitis iustitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt. Et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore excæcati, veritatis lumē amittūt. Hæc Cypriani sunt, quæ si nostris temporibus accōmodentur, facilè patebit, qui nam sint, quos hæc dicēdo pater iste perstringat.

Hæc autem vobiscum cōmentari libuit, Patres in Christo reuerendiss. partim quòd meam de hac re sententiā vobis non iniucundā cognitu fore putarem, quibus aliquandò cum eiusmodi hominibus res fuit, qui dum nimio rigore atq; zelo Ecclesias Angliæ ad eam, quam ipsi animo conceperant ideā siue formam, adducere conati sunt, earum pacē aliquantisper turbarunt, quam vobis ex Dei beneficio restitutā esse, ex animo gaudemus: partim quòd ista Epist. huius argumento nō malè cōuenire videbantur. In cuius enarratione quid præstiterim, ipsi iudicabitis, & vt id liberè atq; ingenuè faciatis, rogo. Nec enim mihi ipsi tantū tribuere ausim, vt in opere tam vario et multis in locis obscuro, me vbiq; rem acu attigisse affirmem. De diligentia autem & fide mea verè testari possum. Cùm enim mihi studiorum meorum scopus sit propositus, vt sacrarum literarum studiosis & muneris Ecclesiastici candidatis ad hoc viam aliquo modo sternam, à quæstionibus acutis potius & scrupulosis quàm Ecclesiæ necessarijs consultò abstinui: in ijs autem inuestigandis, quæ ad Pauli sensum eruendum & illustrandum facere videbantur, nulli labori me pepercisse scio. Legi cōmentarios Græcorum & Latinorum, tam veteres quàm recentiores, quos habere potui omnes, & illorum lectione me vehementer adiutum esse fateor: imprimis tamen eorum, qui nostro hoc sæculo in ista epistola exponenda laborarunt: ex quorum numero mihi præ alijs probantur, qui scripturas sacras nostrorum temporum moribus accommodant, vt quid in his desideretur, vtq; quę hodie pullulant in Ecclesijs vitia emendari possint, omnes intelligant. Versati sunt quidem in eo argumento alij alijs felicius, omnes tamen meo iudicio laudē merentur, cum quòd potuerunt pro viri præstiterint, & nullius illorum labor tam sit sterilis, qui non aliquam vtilitatē ad Ecclesię ædificationē conferat ęquis & candidis lectoribus. Quòd si meus quoq; conatus non omnino irritus fuerit, illud omne CHRISTI IESV beneficium esse fatebor, qui vt solus lux illa mundi, & sol iustitiæ est, in cuius radijs (vt Propheta ait) salus habetur: ita idem suo etiam spiritu seruorum suorum linguas & calamum dirigit.

Porrò meas hasce lucubrationes vestræ pietati & amplitudini dedicare volui Patres in Christo reuerendissimi & Domini mihi plurimùm obseruandi, vt meæ apud vos obseruantiæ pignus essent, non quòd vos illis opus habere existimem. Est enim mihi satis perspecta eruditio vestra, & diligens exactaq; scripturarum sacrarum notitia: quam longus & multiplex rerum vsus ita confirmauit, vt quæ alij circa solam θεωρίαν aut otiosam contemplationem occupati, vix obiter & quasi per transennam inspexerunt, eorum veritatem iampridem reipsa experti sitis, adeoq; omnium quæ toto hoc opere traduntur veram atq; vtilissimam πρᾶξιν in Ecclesia rebus tam secundis quàm aduersis didiceritis. Nam quod de Philippensibus

sibus suis Paulus scribit, illis datum fuisse in Christi causa, non solùm in eum credere, verumetiam pro eo affligi, hoc ipsum de vobis verissimè dici potest. Enimuerò manet adhuc in recenti piorum hominũ memoria, quàm læta Ecclesię Christi lux affulserit sub serenissimo Angliæ rege EDVARDO VI, eo principe nimirum, cuius similem orbis terrarum multis sæculis neminem vidit. Erat enim in bonis literis & linguarum cognitione iam inde à pueris egregiè institutus, & pro ætate ita profecerat, vt nihil in eo amplius desiderari posset. In moribus eius placidissimis regia grauitas apparebat, quæ vt toti Angliæ visu iucunda, sic exteris quoque omnibus admirationi erat, qui in iuuene senilem prudentiam, in tam sublimi honorum & potentiæ fastigio modestiam incredibilem exosculabantur. Et quod omnem huius sæculi dignitatem superat, coniunxerat istis virtutibus æterni filij Dei IESV CHRISTI cognitionem, quem cùm fide vera & constanti appræhendisset, eiusdem amore accensus, non Anglos solùm suos, sed exteros simul omnes ex animo complectebatur, quoscunque vel sua eruditione communem Ecclesiæ & religionis causam iuuare posse, vel è suis sedibus eiectos alieno patrocinio opus habere videbat. Florebant ergo tunc Patres reuerẽdiss. in Anglia vestra bonæ literæ, feruebat veræ pietatis studiũ, & ad vos ceu in asylum & portũ tutissimum sub sanctiss. regis alas confluebant Germani, Galli, Hispani, Itali, Poloni, Scoti, vt illic Deo suo in fidei libertate seruirent, quam ipsis patria ingrata negabat. Tunc quoque Eduardo regi operas suas magno studio & bona fide conferebant sanctissimi Præsules, D. THOMAS CRAMMERVS Cant. Archiepisc. NICOLAVS RIDLAEVS Londinensis, D. HOPPERVS Glocestriæ, Episcopi: HVGO item ille LATIMERVS, quem non tam senecta grauis quàm eruditio & pietas hostibus quoque venerabilem fecerat, & infiniti alij, quorum nomina recensere longum foret, inter quos vestrum quoque omnium studium atque zelus eluxit. Videbatur ergo tunc orbi terrarum redire aurei sæculi felicitas, & piorum omnium animi in magnam spem erecti sibiipsis pacem stabilem & læta omnia pollicebantur, frementibus è contra aduersarijs, quos detectæ fraudis Pontificiæ & amissæ existimationis dolor in rabiem accendebat. Nec dubitò, quin perpetuũ nobis fecisset gaudium istud Deus Opt. Max. nisi propter ingratitudinem & contumaciam suam indignus fuisset mundus, qui illo diutius frueretur. Itaque quod de Augusti Cęsaris nepote Poeta olim dixit: Ostendent terris hunc tantum fata, nec vltra Esse sinent: id tunc quoque nõ sine publico totius Ecclesię luctu accidit. Nam optimum pijssimumque regem in ipso adolescentiæ flore Deus terris ingratis eripuit, vt regni sui cœlestis hæredem faceret: eius verò obitum perinde vt Solis occasum nox tristissima secuta est, quæ exitialibus tenebris Ecclesiam ferè totam inuoluit, & tantumnon oppressit. Tunc in tetris carceribus infelicẽ piorum sortẽ gemere cœperunt, quorum concionibus saluberrimis templa omnia prius resonuerant: tunc diris securibus multorum ceruices subiectę sunt, qui paulò ante totius regni pondus non minus piè quàm feliciter sustinuerant: imò in crudelibus rogis arserunt, qui eruditione & pietate, cõmuni patrię ceu lumina quædam præfulserant. Multos verò alios infelix illa & sęua tempestas in exilium eiecit, & hinc inde apud exteros sedes quęrere coegit eos, qui prius omnium gentium exulibus amicum domi suæ hospitium præbuerant. Tunc vos quoque Patres reuerendiss. vidit Germania, & Tigurum nostrum adhuc sibi gratulatur felicitatem istam, quòd tantos hospites ex vobis habuit, quorum fides & constantia nostris hominibus tunc admirationi fuit, memoria autem adhuc celebris atque iucũda est. Meum certè animum mirifica cum voluptate recreat dulcissimæ illius consuetudinis recordatio, ad labores autem & molestias omnis generis me alacriorem fieri sentio, quoties vestram in ferendis aduersis patientiam, raram in moribus modestiam,

assiduum in sacris scripturis studium, indesinentem in precibus ardorem, intrepidam denicq ad omnem euentum fiduciam animo repeto. Hæc certè ita Deo placuerunt, vt vestri, imò Angliæ vestræ misertus, huic libertatem, vobis patriam, & vos Ecclesijs miserè afflictis restituerit, quando discussis & sublatis tenebris nouum iubar affulsit, ad regni gubernacula euecta serenissima regina ELIZABETHA, de cuius pietate, prudentia, fortitudine & constantia nolo dicere, ne in immensum crescat oratio, & onus humeris meis impar subijsse dicar. Hoc tamen tacere non possum, illam pijssimæ matris instar filios extorres & longè latecp dispersos collegisse, Ecclesijs iam lõga fame laborantibus fidos pastores reddidisse, leges bonas restituisse, patriam denique communem pace donauisse, quam inter omnis generis pericula, inter audacissimos hostiũ veritatis conatus, & multorum insidias, in hunc vsq diem non sine totius orbis admiratione conseruauit. Quàm læta verò tunc vobis Patres reuerendiss. spes exorta sit, & quàm alacri animo ad opem patriæ ferendam concurreritis, probè memini: nec me latet, quàm multi varijcp labores vos domum reuersos exceperint, quàm graues molestiæ vobis deuorandæ, & noua indies subeunda fuerint certamina, vt Ecclesias instauraretis, quę prioris temporis iniuria collapsę fuerant, & quarum instaurationem multi adhuc hostiliter, multi astutè & quasi aliud agentes, multi etiam consilijs intempestiuis, & zelo fortassis non malo, inconsulto tamen & plus satis moroso impediebant. Præclara sanè tunc vestræ virtutis & industriæ specimina apparuerunt, constantia nimirum in excipiendis hostium conatibus, sagax in depræhendendis insidijs industria, Christiana in ferenda fratrum quorundam morositate indulgentia. Rursus ergo per vos sub sereniss. reginæ tutela & fida protectione Anglicana Ecclesia floret, & nouis quotidie incrementis surgit ad æterni Dei gloriam & multorum in vera fide ædificationem.

Quapropter (vt ad institutum redeam) meas Homilias non ideo ad vos mitto, vt me magistro aut monitore vtamini, sed præter eam, quam supra adduxi, longè alias habeo mei consilij rationes, quæ me vt id facerem impulerunt. Primò enim operi propter argumẽti varietatem laborioso, tutoribus & patronis opus fore videbam, quorum authoritate pijs commendaretur. At hîc vos Patres reuerendiss. primi occurrebatis, quos hoc officium præstare posse, & mihi quantumuis nihil huius de vobis merito etiam libenter præstare velle nequaquam dubito. Etenim vt de vobis mihi nihil non pollicear, non confidentia propria, sed vestræ humanitatis fidutia adducor. Multos, sat scio, nominis vestri celebritas mouebit, vt meos labores cognitu dignos iudicent, qui si omni præsidio destituti prodirent, à plerisque contemnerentur. Mouit me etiam argumenti, quod toto hoc opere tractatur, ratio. Quia enim hîc de Ecclesiæ constitutione & œconomia agitur, illius cognitio nemini iustius & melius mandari potuit, quàm vobis, qui in hac causa iam multis annis magna cum laude & nõ sine felici successu estis versati. Adhæc operæpretium me facturum putaui, si nostræ in fidei doctrina & tota religionis causa consensionis publicum testimonium extaret, quo Euangelicæ doctrinæ virtus illustraretur: qua factum est, vt Helueticæ Ecclesiæ, nihil obstantibus tantis terrarum atcp Oceani interuallis, cum toto diuisis orbe Britannis in vnius eiusdemcp fidei confessione consentiant, adeocp vtrincp vno spiritu, vna mente, & vno ore Deum Patrem per vnum mediatorem IESVM CHRISTVM inuocent. Et ne quid dissimulem, me de his diligentius cogitantem & alijs de causis cunctabundum vehementer impulit amicitiæ nostrę & acceptorum beneficiorum recordatio: quæ iampridem monebat, vt si gratias dignas vobis referre non possem, mei tamen animi erga vos voluntatem aliquo officio siue argumento testarer. Nec enim mihi adhuc excidit, quàm benignè me ante annos triginta

ginta quinque Anglia vestra exceperit: imò iam nunc mihi adhuc ab oculos versatur incredibilis illa humanitas, qua non solum studiosi iuuenes & professores doctissimi, qui tunc in Oxoniensi Academia florebant, verumetiam illustres aliquot in aula Regia viri, interque hos immortale Angliæ decus & gloriosissimus Christi martyr, D. THOMAS CRAMMERVS, Cantuariensis Archiepiscopus, me iuuenem, peregrinum, & nullo vel rerum vsu vel splendore commendabilem, prosecuti sunt. Accesit his postea familiaritas & diuturnior consuetudo, quæ mihi cum aliquibus vestrûm apud nos (vt supra dixi) agentibus intercessit, cuius memoria tam mihi quàm collegis, imò ciuibus nostris nunquam non cum voluptate singulari recurrit. Vtinam verò hanc non aliqua amaritudine aspersisset inspe- ratus D. IOANNIS IVELLI, Sarisberiensis Episcopi, obitus: qui vt vobis omnibus procul dubio tristitiam attulit, ita eius nuntium nostros quoque animos dolore acutissimo penetrauit: eò quòd vulnus hoc non ad Angliam solam, sed ad totam Christi Ecclesiam pertinere putamus, cuius ille lumen erat singulare. Sed viuit nunc spiritus eius beatus cum Christo Domino, cuius seruitio se totum consecrauerat, in terris verò sui desiderium & nominis gloriam immortalem reliquit. Apud vos autem Patres reuerendissimi, Gualtheri quoque vestri memoriam non intercidisse, cùm amicæ literæ tum alia argumenta testantur, imprimis verò singularis illa planéque paterna bonitas, qua nuper filium meum, quem patris exemplum visendæ Angliæ desiderio accenderat, sic à vobis exceptum esse intellexi, vt me omni, quam de illo gerebam, solicitudine liberatum sentiam, & ille sibi videatur non foris inter paternos amicos, sed patres proprios viuere. Quod beneficium ego tanti facio, quanti apud parentem non immitem & ἄστοργον filius vnicus & dilectus, ex vxore charissima, cuius defunctæ recordatio mihi propter eximias virtutes semper pretiosa erit, natus esse debet. Ideoque me vobis & Angliæ vestræ non hasce modò lucubrationes, sed meipsum debere libenter fateor. Accipietis ergo Patres in Christo reuerendissimi, hanc qualemcunque mei erga vos studij significationem eo animo, quo me iampridem complexi estis, & quo filium meum apud vos nunc agentem complectimini. Deus Opt. Max. studijs vestris sanctissimis benedicat, vosque seruet ad nominis sui gloriam. Idem Reginam serenissimam, fidelem Ecclesiæ suæ nutricem, spiritu sapientiæ, prudentiæ & fortitudinis regat atque confirmet, & florentissimum Angliæ regnum hisce difficillimis temporibus aduersus diras Antichristi insidias omnemque vim hostilem tueatur: Omnibus autem, qui CHRISTI IESV nomen profitentur, det idem sentire & loqui: vt & ipse in nobis glorificetur, & regni sui pomœria indies longè latèque propagentur. Amen. Datæ Tiguro, primaria Heluetiorum vrbe. Calend. Augusti. Anno à nato in carne æterno Dei filio M. D. LXXII. Quando ante annos bis mille noningentos Debora, prophetico spiritu instructa Heroina, Ecclesiam immani Chananæorum tyrannide pressam in libertatem asseruit, & militiæ Chananaicæ Imperator Sisera itidem à muliere Iahele cæsus, singulari exemplo dignas suæ crudelitatis pœnas dedit.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVAE IN PRIORI EPISTOLA CONTINENTVR.

A.



Augustini

Dæmo-

F.

G.

Gratum

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVI IN PRIORIS HVIVS EPISTOLAE HOMILIIS EXPLICANTVR.

28 Ne dello-

& te-

MARCVS.

LVCAS.

IOANNIS.

ACTORVM.

ROMANOS.

FINIS.

IN PRIOREM D. PAVLI EPISTOLAM AD CORINTHIOS HOMILIAE RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI.

CAPVT I.

HOMILIA I.

PAulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in quouis loco; Domini inquam tum ipsorum tum nostri. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

INTER Diui Pauli epistolas non postremus locus priori ad Corinthios debetur, & eadem meritò cum illa coniungi debet, quam ad Romanos dedit; in cuius interpretatione hucusq; occupati fuimus. Vt enim ea vniuersam Euangelij doctrinam atq; totam humanæ salutis rationem perfectè tradit: ita hæc veram ecclesiæ formam describit, & qua ratione vitia atq; errores, qui in illam cadunt, corrigi debeant, docet. Magna igitur semper illius apud veteres authoritas fuit, & eadem nostris temporibus optimè conuenit, quando ijsdem vitijs, quibus olim laboratum fuit, & multis insuper grauioribus passim laboratur. Priusquam tamen ad Apostoli verba accedamus, quædam de Corintho & ecclesiæ, quæ illic fuit conditione, deindè etiam epistolæ huius occasione & argumento dicenda erunt. Epistolæ huius dignitas.

Corinthus Achaiæ ciuitas fuit celeberrima, & in Isthmo Peloponesi inter mare Ionium & Ægeum sita emporium habuit totius orbis nobilissimum, ad quod nationum propè omnium mercatores confluere solebant. Itaq; diuitijs & potentia eò vsq; excreuit, vt Cicero eam totius Græciæ lumen, Philippus autem Macedo vnà cum Chalcide pedicas Græciæ dicere non veritus fuerit. Verumtamen vt vulgo fieri consueuit, cum opibus peregrinorum quoq; mores in eam irrepserunt, vnde factum est, vt intemperantia, libidine & luxu immodico diffluens prouerbio locum fecerit, Non cuiuis contingit adire Corinthum. Etenim Strabo memoriæ prodidit, Veneris templum illic adeò locupletatum fuisse, vt supra mille puellas Deæ prostitutas caperet, quæ corpore quæstum faciebant. Puniuit tantam petulantiam Deus, & annis ante natum Christum circiter centum & quadraginta quatuor, Romanos illis immisit, qui Mummio Cos. vrbem cœperunt & incendio vastarunt, quo Corinthium æs ex diuersorum metallorum vasis conflatum in pretio haberi cœpit: eandem tamen Augustus propter loci commoditatem instaurauit, ideoq; breui ad pristinam dignitatem simul & mores redijt, quàmuis Romano Imperio pareret. Venit eò Paulus, cùm prius Macedoniam totam perlustrasset, & per menses octodecim illic Euangelium IESV CHRISTI magna cum difficultate prædicauit. Opponebant enim sese illi pro suo more Iudæi acerrimè, & publicè etiam tumultuabantur, adeò vt de vrbe relinquenda cogitaret, sed oraculo admonitus mansit. Itaq; post multos labores illic constituta est Christi ecclesia, quæ viros habuit non paucos, fide & pietate singulari illustres, inter quos Gaius & Erastus fuère, quorum mentionem in postremo Cap. ad Romanos fieri audiuimus. Est autem hoc præclarum bonitatis simul & potentiæ Dei exemplum, qui vrbi tot modis corruptæ Euangelij sui lucem offerre dignatus est, & Ecclesiæ suæ illic hospitium parare potuit, vbi fœdum & horrendum erat diaboli prostibulum. Soletur id nos, ne in peccatis facilè desperemus. Confirmet item animos nostros huius exempli consideratio;

De Corintho & eius vrbis Ecclesia.

Lib. 8.

Acto. 18.

si quando Christi regno multa obstare, adeoq; mundum totum cum suo principe aduersus illud coniurauisse videmus. Nullæ enim tam densæ nebulæ, nulla tam horribilis caligo, nullæ tam tetræ tenebræ sunt, quas non penetret lux illa cœlestis, quam in Filio suo Deus accendit. Spirat etiam ventus ille vbicunq; ipse voluerit, neq; hominum legibus astringitur: & vt turbine deijciuntur subitò, quæ inuicta videri poterant, sic Verbi sui prædicationẽ ea vincit & loco mouet Christus, quæ toti mundo terrorem prius incutiebant.

Occasio & argumentum epistolæ. *Cæterùm Paulo à Corinthiorum vrbe in Asiam digresso, in ecclesiam recens collectam & teneram adhuc noui doctores irrepserunt, qui non tam Euangelij doctrinam corrumpere, quàm sibi ipsis gloriã parare & soli præ alijs eminere conati sunt. Quod vt facilius consequerentur, sermonibus inter docendũ blandis & ad ostentationẽ compositis vtebantur, quiduis itẽ cuiuis indulgebant, Paulum verò, quẽ nullus splendor externus cõmendabat, nunc nimij rigoris & seueritatis intolerabilis, nunc inscitiæ & ignorantiæ insimulabant. Et hos facilè admittebant Corinthij, quorum maior pars ex mercatoribus constabat, quod hominum genus peregrinis delectari, imposturis gaudere, mollitiem sequi, disciplinæ verò seueritatem detestari solet. Itaq; mox in factiones scissa est Corinthiorum ecclesia, vt alij Paulini, alij Cephistæ, alij Apolloniani dicerentur: deinde morum quoque licentia regnare cœpit, adeò vt intermoriente paulatim omni disciplina vagis libidinibus promiscuè indulgerent, incestus nimis indulgenter ferrent, lites forenses apud infidelium tribunalia aduersus se mutuò instituerent, adhæc ad sacra quoq; gentilium accederent, & idolothytis non absq; multorum scandalo vescerẽtur. Accessit his malis ordinis ecclesiastici confusio, vt multa in cœtibus sacris indecenter, multa irreligiose fierent, Cœnæ dominicæ vsus peruerteretur, & præcipui doctrinæ Christianæ articuli, & imprimis quidem qui de mortuorum resurrectionẽ habetur, in dubium veniret, adeoq; vix aliqua ex veris ecclesiæ notis reliqua esset. De his ergo Paulus per Chloes, piæ & religiosæ matronæ, domesticos admonitus, hanc ad illos epistolam dedit, vt tantis vitijs in tempore remedium adhibeat. Quapropter ab ipso capite exorsus factiones tollit, & vt in Christo vnum sint, hortatur. Et quia præcipui illarum authores erant, qui relicta simplici & expedita docendi ratione, sapientiam carnis & eloquentiam suam ambitiosè ostentabant, primis quatuor Capitibus de ijs diligenter eos admonet.* Cap. 5. 6. 7. *Inde disciplinam ecclesiæ restituit, vbi hominem incestum ab ecclesiæ societate excludere iubet, lites forenses coercet, scortationem & quæ huic coniuncta sunt vitia grauiter prohibet, adhæc de coniugio, virginitate & cœlibatu disserit.* Cap. 8. 9. 10. *Mox à moribus ad religionem transit, & primo eos reprehendit, qui sacris alienis communicabant, & ad epulas idololatricas accedebant. Deinde ad cœtus publicos ecclesiæ accedens, eorum insolentiam arguit, qui vestitu indecoro vtebantur: Cœnæ item Dominicæ abusum corrigit, & primam illius institutionem reuocat.* Cap. 11. 12. 13. 14. *Postea de sacris cœtibus tractationem diligentiorem instituit, in qua donorum spiritualium vsum & legitimum docendi ordinem exactè tradit.* Cap. 15. *His doctrinam de corporum resurrectione subijcit, quam argumentis multis & validissimis asserit, atq; totam eius historiam eleganter describit.* Cap. 16. *Postremò de pauperum subuentione agit, & eleemosynæ colligendæ rationem veram tradit. Ex quibus apparet quod initio diximus, epistolam hac perfectam ecclesiæ formam contineri, & proinde eius lectionem atq; considerationem nostro seculo imprimis necessariam esse, quando de abusibus tollendis & reformatione facienda passim disputatur.*

Admonet autem nos Corinthiorum exemplum, quàm vigilanti cura atq; studio opus sit in gubernandis & seruandis ecclesijs. Matth. 13. *Nam quod in zizaniorum parabola Christus docuit, ferè passim accidere videmus, vt dormientibus nobis Satan infelix lolium & zizania illis aspergat, qui bonum illud & salutiferum Verbi semen prius exceperunt. Et quàmuis nõ semper doctrinam Veritatis apertè oppugnet, astutè tamen sese insinuat, & quasi per cuniculos irrepit, vt abolita paulatim disciplina, purioris doctrinæ fastidium nobis pariat, & superstitionibus nouis, aut etiam Epicureismo viam sternat. Et profectò mirum videri poterat, illo tempore, quando ecclesiæ ab externis hostibus vndiq; premebantur, potuisse intestinis dissidijs in factiones scindi, & in tuenda Veritatis doctrina tam negligentes esse eos, quibus animorum coniunctione & vigilantia quàm maximè opus erat, nisi hodie idem fieri videremus. Excubent ergo omnes pro publica & propria salute: Imprimis autem ecclesiarum ministri Paulum imitentur, quem neq; veterum iniuriarum memoria, neq;*

ria, neq; noui labores qui indies ipsum premebant, reuocare potuerunt, quò minus ecclesiæ, à qua longius aberat, cura tangatur, & illi in tempore remedium adhibeat. Quàm enim turpe fuerit, si illi ecclesias, quarum cura ipsis peculiari vocatione demandata est, sua ignauia dißipari patiantur? Singuli ergo sibi dictum putent, quod Apostolus in Miletana Synodo Asiaticarum ecclesiarum ministris ait: Attendite vobisipsis & toti gregi, in quo vos spiritus sanctus constituit episcopos ad pascendam ecclesiam Dei, quam acquisiuit suo sanguine, &c. Neq; eos audiant, qui nescio quam simplicem & generalem docendi rationem sufficere putant: quando res ipsa docet, nihil profici, nisi doctrina singulis applicetur, & admonitionibus atque correptionibus vrgeantur, qui suæ salutis negligentiores sunt. Acto. 20.

His præmißis ad primam epistolæ partem accedamus, quæ Inscriptionem habet his verbis cõprehensam: Paulus vocatus Apostolus IESV CHRISTI per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in CHRISTO IESV, vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri IESV CHRISTI in quouis loco, Domini (inquam) tum ipsorum tum nostri. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino IESV CHRISTO. Continentur his verbis tria, quæ ex ordine videbimus. Inscriptio.

Primùm epistolæ author indicatur, Paulus Apostolus, qui Sosthenem sibi collegam adsciscit. Vocationis autem suæ meminit, & hanc per Dei voluntatem factam esse disertè testatur, idq; propter æmulos, qui ipsum Apostolum verum aut legitimè vocatum esse negabant, quò facilius doctrinam eius in contemptum adducerent. Deinde Sosthenem sibi coniungit, quem Synagogæ præfectum apud Corinthios fuisse Lucas in Actis scribit, vbi eundem ad Gallionis Proconsulis tribunal à Græcis peßimè tractatum & verberibus mulctatum fuisse legimus. Consultò igitur hunc nominat Paulus, qui & Corinthius erat, & ab illis non poterat facilè contemni, cùm sub initium istius ecclesiæ tam luculentum fidei & constantiæ suæ specimen dedisset. Estq; hoc magnum modestiæ Pauli argumentum, qui hominem se longè inferiorem sibi collegam assumit: quod ab illo alibi quoq; factum audiuimus. Sosthenes autem præclarum suæ constantiæ præmium recipit, quem tanto honore dignatur Deus, vt Pauli socium faciat, eiusq; nomen in ecclesia sua æternæ memoriæ consecret. Debet huius exemplum nos quoq; excitare, quando vniuersalis promißio extat, Honorantes me honorabo. Imprimis autem curent Ecclesiarum ministri, vt suæ vocationis certi sint, neq; priuato affectu sese ad istam functionem intrudant. Nam vocatio legitima & animum illis addit in periculis grauioribus, & eosdem quò minus efferantur continet. Hodie quia vocationem Dei pauci expectant, ferè aut fuci ignaui ad ecclesiarum gubernacula sedent, aut superbi fidei dominatores omnia pro sua libidine versant & ecclesias dißipant. Author epistolæ.

Secundò, quibus epistola hæc inscripta sit, docetur. Ecclesiæ Dei nimirum, quæ tunc temporis Corinthi erat. Vt verò constaret, qui nam ad Ecclesiæ societatem pertineant, quædam subijcit, quæ Christianorum hominum descriptionem continent. Dicit enim, Sanctificatos in IESV CHRISTO & vocatos sanctos: & priori quidem membro Dei beneficium prædicat, qui nos natura impuros & peccatores sanctificauit in Filio suo, quem (vt infra dicet) nobis iustitiam & sanctificationem fecit: altero autem finem nostræ vocationis indicat, qui est, vt Deo consecrati vitam viuamus sanctam & à mundi carnisq; studijs alienam. Et hæc causa veteres mouit, vt se mutuò Sanctos dicerent: non vt sibi gloriam quandam ambitiosè vendicarent, sed vt de Dei beneficio sibi in Christo exhibito, deq; officio suo frequentius cogitandi occasionem haberent. Sanctitatis verò huius assequendæ medium nullum illi sciebant, præter fidem, quæ nos Christo inserit, & bonorum ipsius omnium participes reddit. At postquam posteris temporibus vera sanctitas inter Christiani nominis professores deficere cœpit, Romani Pontifices nouam artem excogitarunt, & Canonizationibus suis in cœlitum consortium retulerunt atq; Sanctos dixerunt, quos de ipsis bene meritos esse videbant. Sed de hoc alibi plura, nunc quod Paulus in Christianorum descriptione subijcit, videamus: Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri IESV CHRISTI in quouis loco, Domini (inquam) tum ipsorum tum nostri. Ita nos locum hunc cum Chrysostomo & alijs Græcis interpretibus legendũ & intelligendum esse sentimus. Nam quòd pleriq; de loco exponunt, absurdißimum est, cùm Iudæi iam tunc per totum ferè orbem dispersi fuerint, neq; Iudæa ipsa ma- Quibus inscripta epistola.

gis illorum quàm Romanorum tunc fuisse dici possit, qui eam suis præsidijs sub ditione tenebant. Sed & Paulus, qui in Cilicia natus erat, Iudæam suum locum dicere non posset. Rectius ergo ad Iudæos & gentes hoc retuleris, quibus Christum communem facit, vt obiter initiò statim admoneat, nimis indignè facere eos, qui inter se factionibus scindantur, cùm vnũ & eundem Dominum IESVM CHRISTVM, ex fide inuocent.

Ecclesiæ definitio.

Continet autem locus iste germanam Ecclesiæ definitionem, quæ eiusmodi est: Ecclesia est cœtus seu communio electorum Dei, quos hic in Filio suo IESV CHRISTO sanctificauit, & quos per Euangelium vocat, vt sanctè & piè viuant, atq; nomen Filij sui inuocent. Fundamẽtum ergo Ecclesiæ in electione est, quam priusquam hic mundus conderetur factam fuisse, Paulus ad Ephesios docet. Et de hoc Sanctificatorum quoq; vocabulum nos admonet: quia nisi Deus ex corrupta & infelici atq; perdita humani generis massa nos seligat & sibi consecret, sanctificationem nostris viribus nunquam assequemur. Medium verò, quo ad Ecclesiam pertrahimur, vocatio est; quæ extrinsecus per Verbi prædicationem, intus verò per spiritus sancti tractum fit. Nam de vocatione efficaci hîc loquimur, quæ nulla erit, nisi animi trahantur, secundùm illud Christi: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Ad vitæ verò sanctitatem (quem vocationis nostræ finẽ esse diximus) inuocatio nominis IESV CHRISTI accedere debet, quæ fidei confessionem continet. Quomodo enim inuocabunt eum, in quem non credunt? Fidei autem confessionem nobis necessariam esse, passim in Scripturis docemur. At quàmuis ea variè fiat, certissimũ tamen eius argumentum est inuocatio, vt in Martyribus est videre, qui fidem suam non alio experimento euidentius declararunt, quàm quod vno Deo patre per Christum contenti, neq; Deos alienos inuocare, neq; per eorũ nomina iurare (quæ ipsa quoq; inuocationis species est) voluerunt. Vnde apparet, Christianos germanos non esse, qui Christum quidem ore profitentur, non autem huic viuunt, neq; hunc solũ inuocant, sed honorem, qui ipsi debetur, in Diuos cœlites transferunt. Est ergo hæc Ecclesiæ definitio probe tenenda, ne nobisipsis inani nominis Christiani persuasione imponamus, & vt illorum tyrannidem vitemus, qui Ecclesiæ titulum ad paucos restringunt, adeoq; sibi solis vendicant, quod hodie Pontificij præsules non sine atroci omnium Christianorum iniuria facere consueuerunt.

Ioan. 6.

Rom. 10.

Ecclesia Dei dicuntur qui infinitis vitijs laborabant.

Porrò præ alijs hîc obseruatu dignum est, quòd Ecclesiam Dei Paulus eos dicit, qui tot tamq; grauibus (vt paulò ante dictum est) vitijs laborabant. Atqui cùm admonendi & corripiendi libertas, qua erga illos vsus est, ipsum ab omni adulationis suspicione satis liberet, non temere ita locucutum putabimus. Etenim etsi maior pars erroribus infecta esset, reliqui tamen erant boni & pij multi, qui vitia emendari & omnia in melius restitui cupiebant, & ideo Paulum de sua conditione certiorem fecerant. Deinde locum inter illos habebant Verbi Dei prædicatio & Sacramentorum vsus, quo à gentibus prophanis palàm discernebantur. Et quàmuis multa nimis licenter facerent, aliqua tamen seruabatur forma disciplinæ, vt non possent eorum similes censeri, quos Scriptura filios Belial dicere solet, eò quòd iugum omne effreni contumacia excutiunt. Quibus adde Dei oraculum, qui illi de fuga cogitanti dixerat: Ne timeas, sed loquere, & ne taceas: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Qui ergo sciebat Christum oues dixisse eos, qui adhuc per superstitionem & idololatriæ auia vagabantur, non temere eos à Christi grege excludere aut Ecclesiæ titulo spoliare voluit, qui Christum profitebantur, & Euangelio eius locum dabant. Vtinam verò hoc Pauli exemplum propius inspicerent arrogantes illi Rhadamanti & Minoës, qui excommunicationis telum perpetuò vibrant in omnes, qui Christiani nominis professioni non per omnia respondent: neque eo contenti, Ecclesias totas damnant, in quibus næuos aut vitia quædam conspicantur. Meminerint illi, nos de colligendis potius Ecclesijs quàm dissipandis solicitos esse debere, neque eos medicos probari, qui membra morbida resecant, priusquam extremo corporis totius periculo cogantur.

Ioan. 10.

Ecclesia vnica & catholica

Obseruari præterea debet, Ecclesiam Christi vnicam esse, & eandem rectè Catholicam aut vniuersalem dici, eò quòd per totum orbem terrarum extenditur, & ad eius societatẽ omnes pertinent, quotquot nomen Domini nostri IESV CHRISTI inuocant, id est, quicunq; Christũ talem agnoscunt, qualis in scripturis prædicatur. Ergo locorum diuersitas Ecclesiæ vnitatẽ minimè scindit, & vt in amplo regno vnius & eiusdem Regis subditi sunt, qui longissimis locorum interuallis distincti

distincti sedes diuersas habitant: ita cùm Christi regnum ad fines vsq; orbis terrarum extendatur, nihil obstabit gentium aut nationum distantia, quò minus omnes credentes in illius grege censeri debeant. Ideo D. Irenaus, cùm fide Christianæ summam, quæ Symbolo aut traditione (vt ipse loquitur) apostolica continetur, recensuisset, mox subdit: Hanc fidem, qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum Barbari sunt (loquitur enim de gentibus procul remotis, & quæ literarum quoq; vsu carebant) quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conuersationē, propter fidē perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia & castitate & sapientia, &c. Huius autem vt olim Corinthios admoneri oportuit, ne in partes scinderentur: ita hodie frequenter de hoc omnes cogitare decebat, quò minus præcipites essent in ijs damnandis, quos eiusdem fidei professio ipsis coniungit. At quæ nostri seculi infelicitas est, hodie ferè Catholici, non minus inepto quàm falso nomine dicuntur, qui in hominum verba iurarunt, & à veteri illa atq; verè catholica fidei & doctrinæ apostolicæ regula iampridem discesserunt. Lib.3.cap.4.

Sequitur tertium primæ partis membrum, imprecatio aut salutatio apostolica, quæ talis est: Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino IESV CHRISTO. *Gratiæ vocabulo Dei fauorem denotari alibi diximus. Hunc ergo ipsis propitium Paulus optat. Inde pax sequitur, quæ non solùm prosperum vitæ & rerum huius seculi successum, sed imprimis conscientiæ tranquillitatem significat, quæ vt omnes animi terrores, qui ex peccati sensu enascuntur, procul repellit, ita in aduersis constantes facit, & patientia Christiana nos armat, in qua animas nostras (vt Christus ait) possidemus. Pertinet huc, quod ad Roman. cap. 5. scribitur: Iustificati ex fide pacem habemus apud Deum, &c. Et hæc illa pax est, quæ omnem huius mundi intellectum superat, eò quòd in afflictionibus quoq; salua nobis maneat. Ista verò à Deo Patre illis precatur, qui bonorum omnium fons est: & eidem Christum coniungit, quo mediatore nos gratiæ & salutis participes redimur. At quia hæc ex ipsius Christi mandato Apostoli omnibus publicè & priuatim precantur, eadem nobis quoq; omnium votorū summa esse debet. Nisi enim Deo propitio vtamur, & nobis cū propria conscientia rectè conueniat, nullam ex opibus, honoribus, voluptatibus aut amicitijs huius seculi vtilitatem consequemur. Imò hæc omnia nobis veneni instar sunt, eò quòd illis in proprium exitium abutimur, E contra, si Deus pro nobis, quis contra nos? Quapropter, quæ vnica est salutis consequendæ ratio, agnoscamus nos gratia & misericordia Dei opus habere, fide autem constanti amplectamur* IESVM CHRISTVM, *in quo vno Pater nobis reconciliatus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Salutatio apostolica. Luc.21.

HOMILIA II.

Gratias ago Deo meo semper de vobis ob gratiam Dei quæ data est vobis in CHRISTO IESV: Quòd in omnibus ditati sitis in ipso, in omni sermone & omni cognitione, prout testimoniū Christi confirmatum fuit in vobis: adeò vt nullo dono deficiamini, expectantes dum reueletur Dominus noster IESVS CHRITVS. Qui etiā confirmabit vos vsq; ad finem inculpatos, in diem Domini nostri IESV CHRISTI. Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem filij ipsius, IESV CHRISTI Domini nostri.

CHRISTVS IESVS *Dominus noster, Ecclesiæ suæ ministrum sub Oeconomi parabola describens, in illo non fidem modò & integritatem, sed prudentiam quoq; requirit, qua Verbum Dei, quo animarum cibus continetur, ita depromat atq; distribuat, ne inscitia aut importunitate eos absterreat, qui prudenti & commoda institutione lucrifieri poterant. Obseruauit hanc Christi admonitionem diligenter Paulus, tum alibi tum in huius Epistolæ proæmio siue exordio, quod modò recitauimus. Quia enim in Corinthijs multa repræhensurus, multa correpturus, multa etiam damnaturus erat, in præsenti sic captat beneuolentiam, vt sese omni suspicione odij & maleuolentiæ liberet. Itaq; duo agit. Primùm virtutes eorum & dona, quibus à Deo ornati erant, ma-* Matth.24.

gnificè commendat. Deinde se de illis in posterum quoq; bene sperare testatur. Estq; exemplum hoc imitandum omnibus, qui Ecclesiæ seruiunt, ne dissimulando ea quæ laudem merentur, odium sibi-ipsis conflent, aut vitia tanquam incurabilia & deplorata prorsus exagitando, eos in desperationẽ adducant, qui emendatione simul & consolatione opus habent. Vt verò Paulus duo hæc prudenter præmittit, sic in vtroq; prudentia singulari vtitur.

Laudat Corinthios à donorũ Dei excellẽtia.

Et primò quidem sic laudat Corinthios, vt neq; turpiter illis aduletur, neq; etiam sese efferendi aut insolentius gloriandi occasionem præbeat. Nam à gratiarum actione orditur, qua donorum omnium, quibus excellebant, authorem facit Deum, partim ne ipsi illis tanquam proprijs superbiant: partim vt eorum temeritatem obiter perstringat, qui illis abutebantur, vt suo loco audiemus. Gratias ago (inquit) Deo meo semper de vobis, ob gratiam Dei, quæ data est vobis in CHRISTO IESV. Per gratiam Dei hoc loco non fauorem modò eius, vt nuper, sed simul omnia illius effecta intelligit, qualia sunt, Remissio peccatorum, adoptio in filio Dei, salus æterna, dona item spiritus peculiaria, quibus olim Ecclesiam floruisse scimus, vtpote prophetia, linguarum cognitione & miraculorum virtute. In quibus cum aliqui sibijpsis placerent, hæc illis à Deo obtigisse docet, idq; nõ aliquo ipsorum merito, sed in CHRISTO IESV, qui nobis hanc gratiam apud patrem meruerit.

Gratitudo erga Deum commendatur.

Continet autem Pauli exemplum generalem doctrinam, vt nimirum Dei dona nunquam non nobis in mentem reuocemus, eorum verò authorem agnoscamus Deum, qui gratuita liberalitate in nos vtatur, & proinde illi ex animo gratias agamus. Admonet de hoc naturæ Lex, quæ non barbaris modò gentibus & à religione alienis, verumetiam brutis animantibus hunc sensum indidit, vt benefactores suos agnoscant, & quam possunt gratiam illis referant. Et gratiarum actione Deum quàm maximè delectari constat. Nam in Psal. 50. cultum suum duabus hisce partibus cõstare docet, vt in aduersis constituti ipsum inuocemus, liberati autem ipsi gloriam omnem tribuamus, quod absq; gratiarum actione fieri non potest. Et Dauid cùm in Psal. 69. amplissima Dei beneficia commemorauisset, tandem addit: Laudabo nomen Dei cum cantico, & extollã illud celebri laude. Gratius id erit Domino, quàm si bouem offeram aut vitulum cornibus & vngulis eximium. Neq; temere id Dauid pronuntiat. Gratiarum enim actio non solùm Deo suum honorem transcribit, verumetiam nos in officio continet, ne illius donis aut beneficijs pro nostra libidine abutamur. Debet ergo hoc in omnibus eius donis tam corporeis & externis quàm spiritualibus obseruari. Nam etsi quæ corpori seruiunt, interdum nostro labore aut industria parari videntur, reuera tamen ex Dei benedictione dependent, qui nisi ipse domũ ædificarit, & agri prouentus dederit, nihil nostra cura aut labore proficitur. Quoad autem ea, quæ ad salutem æternam faciunt, ne ad cogitandum quidẽ idonei sumus, & si suo in nos iure Deus vtatur, sempiterno exitio mulctabimur. Quicquid ergo habemus boni, id omne gratuitum diuinæ liberalitatis donum est, & pro eo gratiæ Deo agendæ sunt, simulq; cauere nos decet, ne quæ ille dedit turpi abusu in nostram pernitiem conuertamus.

Enumerat dona Dei ipsis data.

Cæterùm quod generalius dixerat Paulus, nunc in suas quasi species diducit, sic dicens: Quòd in omnibus ditati sitis in ipso, in omni sermone & omni cognitione, prout testimonium Christi confirmatum fuit in vobis: adeò vt nullo dono deficiamini, expectantes dum reueletur Dominus noster IESVS CHRISTVS. Sermone autem & cognitione ipsam Verbi Dei doctrinam cõprehendit, qua homines instituti cognoscunt atque intelligunt, quæcunq; ad salutem consequendam necessaria sunt. Eandemq; mox testimonium Christi dicit, vt eius certitudinem melius exprimat, & illam ab incertis hominum commentis distinguat. Sensus ergo est, Verbum Dei ita inter eos annuntiatum esse, vt vera & solida rerum cœlestium cognitione instructi, & intra animos suos plenè confirmati nullis præterea traditionibus aut donis opus habeant, sed certa atq; infallibili spe expectare possint tempus illud præfinitum, quo Christum in gloria Patris sui toti mundo reuelari oporteat. At hoc dicendo pseudoapostolos perstringit, qui hoc potissimùm argumento sese apud Corinthios insinuauerant, quòd Pauli doctrinam nimis ieiunam & sterilem esse, & proinde in ipsorum ecclesia adhuc multa deesse dicerent. Est enim hoc proprium impostorum strategema, quòd cùm Veritatis doctrinam neq; negare possint, neque illam apertè oppugnare audeant, ad hoc effugium conuertantur, & multa adhuc desiderari dicant. Quod si semel hominibus persuaserint, mox ea as-

ſuunt, quibus veritas obſcuratur, & verus Dei cultus in ſuperſtitionem conuertitur. Vtuntur hac arte, qui Papatum vel retinere, vel reducere ſatagunt. Quibus non melius occurreris, quàm ſi apoſtolos omnia plenè tradidiſſe, & olim Eccleſijs nihil defuiſſe demonſtres, priuſquã concilia & patres illi extiterint, quorum authoritate ſeſe venditant. Debent autem Pauli verba de donis neceſſarijs intelligi, ne literam pertinacius vrgendo ex hominibus Angelos fingamus, aut Paulum ſibijpſi contrarium faciamus, qui poſtea Corinthios ob multa vitia reprahendet, & carnales eſſe dicet, quibus non potuerit vt ſpiritualibus loqui. Etenim quoad in hac carne viuimus, non licebit nobis ad eam perfectionem venire, vt nullum prorſus donum cœleſte nobis deſit. At Deus pro noſtro captu dona ſua diſtribuit, & quãuis non omnibus det omnia, ſingulis tamen ea dat, quæ ipſis ad fidem fouendam ſufficere poſſunt vſq; in eum diem, quo corporis huius vinculis ſoluti ad Chriſtum colliguntur. Habet autem hic l cus multa obſeruatũ digniſſima.

Primò enim Paulus ea Corinthiorum dona prædicat, quibus pleriq; turpiter & pernitioſè abutebantur. Nam in veritatis cognitione curioſi potius quàm pij voluntatis diuinæ inueſtigatores erant. Dicendi autem facultatem oſtentabant, & verborum phaleris ſimplicem doctrinam reddebant intricatiorem. Idem de linguarum dono & infinitis alijs dici poteſt. At non quid illi facerent nunc ſpectat Apoſtolus, ſed Dei bonitatem prædicat, vt huius conſideratione excitati donis iſtis rectè vtantur. Neq; minorem laudem merentur quæ per ſe bona & ſancta ſunt, quòd multi illa turpi & impio abuſu ſibi exicialia reddant. Imò cauendum eſt, ne quod hominum vitio fit, nos in Dei contumeliam rapiamus. Seruit ergo Apoſtoli exemplum aduerſus inuidos, qui non contenti homines accuſauiſſe, ipſa quoq; Dei dona audacter damnant: quod vitium hodie vulgo regnat. Hinc eſt, quòd pauperes dum ſuas opes diuitibus inuident, ita de illis pronuntiant, vt ſimul omnes exitio dignos iudicent, qui alijs opulentiores ſunt. Ad eundem lapidem homines obſcuri & inglorij offendunt, dum honores, qui virtuti debentur, conculcant, eò quòd his multos inſolentius ſuperbire vident. Atqui vtinam in temporarijs & terrenis bonis carpendis hæc hominum malignorũ licentia gradum ſuum ſiſteret, & non vlterius progreſſa, ea quoq; dente plus quàm Theonino roderet, quæ nulla cũm ratione reprehendi poſſunt. Quàm multos enim hodie audimus, qui in ipſum IESV CHRISTI Euangelium virulentas linguas acuunt, & ſibi quiduis licere putant, eò quòd multos ſub huius prætextu licenter viuere vident? Atqui idem olim Corinthi fiebat, nihilominus tamen Paulus Deo gratias agit, quòd illos omni ſermone & cognitione ditare dignatus eſſet. Nam etſi meritò accuſetur eorum proteruia, qui Euangelio abutuntur, nihil tamen huic ex eo decedit, quò minus verbum reconciliationis ſit, & Dei potentia ad ſalutem omni credenti. Quòd ſi mihi obijcias. Et quid me aut alijs meliores ſunt, qui illud audiunt, cùm ipſorum vita doctrinæ iſti minus reſpondeat? in promptu eſt reſponſio: Eo ipſo meliores ſunt te, quòd verbo Dei locum dant, quòd per ipſos licet, vt alij illud cũm fructu audiant, Deum purè colant & ſanctè viuant: cùm tu non contentus propria impietate, inſuper cum Deo bellum ſuſcipias, verbum eius hoſtiliter perſequaris, & ne hoc alij audiant obſtes. Diſcant ergo ſinguli Deum pro donis ſuis prædicare, ſimulq; orent, vt iiſdem omnes dignè vtantur, ne nomen eius ſanctum propter nos malè audiat. *Dei dona non debent reprehendi propter abuſum.*

Deinde obſeruabis non alias pretioſiores & magis neceſſarias Eccleſiæ opes eſſe, quàm verbum Dei & veram huius cognitionem, quæ in nobis naſcitur, ſi illud cum fide apprehendamus. Illud enim organum eſt, quo Deus ſuam nobis voluntatem reuelat, regnum ſuum inter homines inſtaurat, nos in filios ſuos regenerat, & æternæ ſalutis theſauros nobis offert. Quo nomine illud Chriſtus margaritæ & theſauro confert, cuius ergò omnia noſtra diſtrahere debeamus, vt illo potiri liceat. Hæc aũt fide animata tantorũ bonorũ capaces atq; participes facit. Ideo Chriſtus Mariã, quæ ad pedes ipſius ſedens docentem audiebat, meliorem partem elegiſſe ait, Martham autem reprehendit, quòd circa multa alia occupata id negligeret, quod vnum ad ſalutem conſequendam neceſſarium eſt. Idem nos de illis dicere poſſumus, qui ceremonias ceremonijs accumulant, & harum obſeruatione cœlos mereri conantur, verbum autem Dei ſecurè negligunt. Quid verò de illis dicemus, qui vt Eccleſiæ decimis ditentur & annuos redditus in immenſum augeant, ſoliciti ſunt, cùm interim ſcholarum diſciplinam intercidere patiantur, & in eorundem templis Euangelij prædicatio ſileat? *Opes eccleſiæ præſtantiſſ.* *Matth. 13.*

Finis omnium, quæ in ecclesia fiunt.

Præterea finem omnium, quæ in Ecclesia fiunt, hunc indicat Paulus, vt testimonium Christi in nobis confirmetur, cuius fructus & effectus est, quòd inter huius vitæ certamina constantes manemus, quoad gloria Christi in nobis reueletur. Dicitur autem testimonium Christi ipsum Euangelium, eò quòd quis nam is sit testatur: quo nomine Apostolos ille suos testes vocat. Confirmatur verò in nobis testimonium illud, quando Euangelio firmiter credimus, & locum in nobis inuenit πληροφορία illa, quæ nos de Dei gratia & salute certos facit, quamq́ Apostoli passim nobis commendant. Estq́ testimonij huius eò certior veritas, quòd ipsius Dei authoritate confirmatur, neq́ aliud continet, quàm quod is cœlitus pronuntiauit, dicens: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Et huc facit, quod Baptista ait: Qui recipit eius testimonium, is obsignauit, quòd Deus verax sit, id est, is suo testimonio Dei promißionibus subscribit, adeoq́ suo quasi sigillo confirmat quod ille de filio suo nobis pollicetur. E contra Ioannes in epistola sua Catholica dicit: Qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo. At quæ iniuria Deo atrocior fieri potest, quàm si ipsum mendacij insimulemus, qui ipsa est veritas? Quis rursus cultus illi gratior erit, quàm si eius promißis firmiter credamus? Non igitur de re leuicula agitur, quando fidem in Christum à nobis Scripturæ exigunt: hîc enim simul & Dei gloria & salus nostra in periculum veniunt, si Euangelio credere detrectemus. Hic ergo nobis studiorum omnium scopus esto, vt testimonium illud Christi in nobis confirmetur, vtq́ indies proficiamus in salutis fiducia, quæ ex Euangelij prædicatione hauritur. Et docent ista, quid de ijs iudices, qui de omnibus dubitant, & (vt alibi Paulus ait) quouis vento doctrinæ circumferuntur. At quales obsecro doctores sunt, qui dubitare docent, & aliquem de gratia Dei atq́ propria salute certum fieri posse negant? Sunt hi non fidei, sed diffidentiæ, imò desperationis magistri, & proinde indigni, qui inter apostolicos numerentur.

Ioan. 3.

1. Ioan. 5.

Dignitas doctrinæ apostolicæ.

Postremò commendatur nobis hoc loco apostolicæ doctrinæ dignitas, quæ in eo maximè apparet, quòd nos intra animos nostros confirmare, & perfectos facere potest, ne quid nobis eorum desit, quæ salutem nobis certam afferunt, & in magnum illum dominici aduentus diem intrepidos & spe infallibili plenos reddunt. Scimus enim natura sic comparatum esse, vt ad mortis mentionem homines exhorrescant, iudicij verò extremi metus planè intolerabilis sit ijs, qui nihil præter huius sæculi bona nouerunt. Hinc furiæ illæ poetarum, quibus impios exagitari docent: hinc item scurrilia dicta, quibus ijdem iudicij diuini sensum eludere conantur, vt sibijpsis contra propriæ conscientiæ testimonium delitias faciant. Neq́ vnquam inuentus est aliquis sapientum huius sæculi, qui sua facundia aut arte terrores illos hominum mentibus eximere potuerit. Magna igitur & incredibilis sit oportet doctrinæ euangelicæ virtus, quæ sola nos confirmare potest, vt diem illum reuelationis Christi constanti animo expectemus, & ad eius mentionem læti capita attollamus, sicuti ille iubet. Quod vnum vt huius studium nobis magnificè commendat: ita eorum audaciam & impudentiam arguit, qui doctrinæ illi multa deesse aiunt, vt suis figmentis in Ecclesia locum inueniant.

Confirmat eos in spe salutis.

Quia tamen infirmioribus in fide nouißimi diei mentio aliquem metum parit, alteram huius proœmij partem subijcit Paulus, qua & se de illis in posterum quoq́ bene sperare testatur, & illorum etiam spem argumento validißimo confirmat. Qui Deus (inquit) confirmabit vos vsq́ ad finem inculpatos in diem Domini nostri IESV CHRISTI. Id verò probat: Fidelis enim est Deus, per quem vocati estis in communionem filij ipsius, Domini nostri IESV CHRISTI. Fidelem verò dicit Deum pro verace, quia illius fides est dictorum atq́ promissorum constantia, vt è contra nostra fides erga illum assensus est animi firmus, quem ipsius verbo atq́ promißis adhibemus. Argumentum Pauli eiusmodi est: Quicunq́ à Deo semel vocantur in communionem Filij ipsius, ij non vnquam excidunt, sed eius spiritu confirmantur, vt in finem vsq́ perseuerent: At vos vocati estis in Filij eius communionem: Ergo ab eodem confirmabimini. Ad Maioris confirmationem facit, quòd Deus fidelis & promissorum constans, & dona eius atq́ vocatio (vt ad Romanos dicitur) eiusmodi sint, vt ipsum eorum non poßit pœnitere. In Minori autem de illorum vocatione, interna nimirum & efficaci, eò liberius pronuntiat, quòd Deum sibi dicentem audiuisset: Est mihi in ciuitate ista populus multus. Et quia eosdem in Christo verè diligebat, non potuit

Rom. 11.

non de illis bene sperare, in quibus externa electionis atq; vocationis veræ signa apparebant. At quomodo Corinthijs porrò suspectus esse poterat Paulus, quem de ipsis optima quæq; sperare, & ipsorum dona tam ingenuè prædicare audiebant?

Admonet autem nos locus iste, pios quoq; & in fide institutos iugi confirmatione opus habere, ne deficiant. Etsi enim Deus ipse in promissis constans & eiusdem dona ἀμεταμέλητα sint, vt modò diximus, manent tamen in ipsis carnis & peccati reliquiæ, quibus ita infestantur, vt sibi diuino auxilio semper opus esse sentiant, sicuti proprio exemplo Paulus ad Romanos docet. Instat præterea Satan, qui nouas subinde pugnas instaurat, & tentationes tam externas quàm internas mouet. Hic ergo assiduâ verbi doctrina nos in officio contineri necesse est, & preces simul adhibere oportet, vt & fidem in nobis Deus augeat, & ne nos in tentationes ducat, quarum pondere oppressi succumbamus. Imprimis autem proderit, si ipsi quoq; ex anteactis cum Paulo argumentemur, & simul cogitemus nos vocatos esse in communionem filij Dei. Docet hoc ipse, quando ait: Qui credit in me, in me manet, & ego in illo. Et iam mortem aditurus orat, vt in ipso vnum simus. Potest ex hoc certa & inuicta finalis perseuerantiæ spes concipi. Nam fieri non potest, vt excidant qui Christo per fidem sunt insiti. Iidem enim spiritum adoptionis iam conceperunt, qui salutis arrhabo est infallibilis, & fundamentum salutis in Christo habent, qui petra illa inuicta est, aduersus quam ne portæ quidem inferorum præualent, & ex cuius manibus oues nemo potest rapere. Horum consideratione Paulus alibi confirmatus clamabat: Quis nos separabit à dilectione Dei, &c? Et debent duo ista semper coniungi, vt primò quidem cogitemus nos confirmatione opus habere, & proinde in verbi studio frequentes inque precibus assidui simus: deinde verò bona spe pleni non dubitemus de Dei bonitate, qui eos nunquam deseret, quos Filij sui sanguine redimere dignatus est.

Pij confirmatione opus habent.

Ioan.6.& 17.

Rom.8.

Simul verò nostræ vocationis, adeoq; totius Christianismi finem Paulus hoc loco indicat, qui est, vt inculpati perseueremus vsq; ad finem, & tales quoq; appareamus in magno illo die, quando Dei filius in gloria Patris veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Conuenit hoc cum eo, quod ad Ephes.1.cap. dicit: Elegit nos Deus in Christo priusquam mundi fundamenta iacerentur, vt essemus sancti & inculpati coram ipso per charitatem. At si nos spectes, nunquam tales inuenies, qui ab omni culpa liberi reprehensionem nullam mereamur? Nam in multis labimur omnes, inquit Iacobus, & in electis quoq; peccati reliquias superesse suprà ostendimus. Inculpatos autem nos facit Christus, qui si fide apprehendatur, peccata nostra tegit (vt Psalmi verbo vtar) imò delet, ne apud Deum in rationem veniant, neq; nobis imputari possint. Idem verò nobis ex verbi sui semine renatis spiritum suum impertit, quo duce in vijs Domini ambulamus, & quam ille nobis acquisiuit sanctitatem tuemur, quatenus id humana infirmitas patitur. Hæc vt nobis iustitiam & sanctitatem omnem in vno Christo monstrant: ita officij quoq; nos admonent, vt vocantem nos Deum sequamur, & relictis mundi & carnis nostræ studijs illi nos sistamus viuentem hostiam. Nemo igitur eos audiat, qui Euangelij prædicatione & ipsius Dei gratia ad peccandi licentiam abutuntur, quin potius meminerimus, Filium Dei venisse in mundum, vt opera diaboli destruat, & fore aliquando diem, quo ad eius tribunal sistentur omnes, vt in corporibus suis recipiant digna vitæ & operum suorum præmia. Interim firmiter teneamus, salutis nostræ initium & complementum esse à Deo, qui vt nos in filio suo IESV CHRISTO elegit & eius merito nos redemit: ita in eodem nos confirmat & seruat in finem vsq;, vt æterni & beati regni ipsius ciues reddamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Finis Christianismi.

Iac.3.

Psal.32.

HOMILIA III.

Precor autem vos fratres, per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia. Declaratum est enim mihi de vobis fratres mei, à domesticis Chloes, quòd lites sint inter vos. Hoc autem dico, quòd vnusquisq; vestrum dicit. Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Christi.

Quoniam

QVoniam Corinthij, insidiosis pseudoapostolorum sermonibus decepti, in Paulum animo iniquiori erant, vt qui nimio rigore ecclesias grauaret, prudenter præfatione vsus est, qua illos sibi beneuolos redderet. Nam & dona, quibus ecclesiam eorum Deus ornauerat, magnificè laudat, & se de illis spem bonam iampridē concepisse scribit, quòd in finem vsq; perseueraturi sint. Suo autem exemplo doctores omnes admonet, ne temere de illis quoq; desperent, qui propter vitia non vulgaria repræhensionem acriorem merentur: sed potius erga illos officium faciant, & (vt in posteriori ad Timoth. monet) malos tolerent, cumq; lenitate erudiant eos qui contrariè sunt animo affecti, experiantur deniq; ecquando Deus illis det, vt conuersi agnoscant veritatem. (2.Tim.2.) *Postquam verò Corinthios sibi æquiores reddidit, nunc ad primum epistolæ caput accedit, quo factiones, quæ inter illos ortæ erant, grauiter accusat, eosq; hortatur, vt procul abiectis omnibus causis dissidiorum, vnum sint in Christo atq; mutuam in ecclesia concordiam foueant. Ordine autem vtitur commodissimo. Primò enim rē ipsam proponit, & summatim complectitur id, de quo dicturus erat. Deinde cur de isto eos admoneat docet, & mox malum, quo laborabant, disertis verbis accusat. Tandem rationes grauissimas adhibet, vt illi medeatur.*

(Vnitatē & concordiam præcipit.) *Propositionem his verbis comprehendit: Precor autem vos fratres, per nomen Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia. Paucis multa dicit & grauiter, vt in breuitate ista facilè spiritus apostolici maiestatem agnoscas cum mira lenitate coniunctam. Cùm enim simpliciter monere, vel etiam iubere & mandare posset, vt concordiæ studerent, obsecratione & obtestatione vtitur, qua illis quasi supplex fit, qui potius culpam deprecari debebant. Vtq; illa plus ponderis habeat, ipsius Christi nomen interponit, vt se non propriam, sed huius causam agere ostendat. Est hoc Apostolis admodū frequens: Nā vt in posteriori epistola scribet, sciebant se Christi nomine legatione fungi, & veluti Deo per ipsos precante, orare Christi nomine, vt Deo homines reconcilientur. Non vult ergo hîc etiam aliquid priuata authoritate præcipere, imò ne quidem audiri se vult, nisi quatenus Christi minister sit. Et est hoc dignissimum obseruatu, quod in causa non minus perspicua quàm bona, & quam improbare nemo nisi impudentissimus poterat, Christi authoritate Paulus vtitur. Parum ergo apostolici sunt arrogantes illi fidei dominatores, qui cùm aliena à fidei orthodoxæ principijs, & scripturis contraria proferunt, sibi tamen volunt simpliciter credi, moxq; extremæ impietatis eos damnant, qui aduersus ipsos vel mutire audent.*

(Christianis nihil tam necessarium est quam concordia.) *Quid verò illud est, quod tam graui obtestatione Paulus effectum cupit? Vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia. His verbis primò concordiam suadet, deinde quæ hanc turbare solent dissidia prohibet, postremò veræ & germanæ concordiæ rationem tradit. Non temere autem ab hoc articulo orditur. Vt enim frustra de alijs vitijs corrigendis Corinthios admonuisset, nisi illi inter se prius vniti eius admonitiones putassent ad se pertinere: ita omnibus, qui Christiani dici aut haberi volunt, non alia re magis quàm concordia opus est. Nam totius Christianismi hunc finem esse Christus ipse testatur, vt omnes vnum simus. Sic enim iam mortem aditurus orat: Pater sancte, serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* (Ioan.17.) *Et ne quis hoc de solis discipulis, quos tunc habebat, intelligendum putaret, paulò post subijcit. Non pro eis tantum rogo, sed & pro illis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me: Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Quò etiam pertinet, quòd Ioannes scribit, Filium Dei mori debuisse non solùm pro Iudæorum gente, sed vt filios Dei omnes, qui prius dispersi erant, cogeret in vnum.* (Ioan.11.) *Quæ causa est, quòd quæcunq; vel religionis Christianæ exercitia, vel ad salutem consequendam adminicula sunt, Christianis omnibus eadem atq; communia sunt. Nam vt ad Ephesios Paulus scribit, vnum est corpus omnium vnus spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deniq; Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis.* (Ephes.4.) *Ex quo sequitur à religione Christiana nihil tam esse alienum, quàm dissidia serere & scismata fouere in ecclesia. Imò qui hoc incessanter faciunt, pro Christi discipulis haberi non possunt, qui omnes vnius gregis oues sunt sub vno pastore. Etenim cùm Christus inimicos etiam diligere iubeat, qua ratione eius discipuli erunt, qui ab ijs dissident, quos pro fratribus agnoscere debebant?*

Deinde

Deinde vt corporis incolumitas in eo consistit, vt membra omnia probè inter se cohæreant, & vnumquodq; opem suam pro sui officij ratione ad corporis salutem tuendam conferat: ita ecclesiarum quoq; salus imprimis ab hoc credentium consensu dependet. Quia vbi dissidia regnant, ibi friget charitas, & dum quisq; suas res agit, publicā ecclesiæ salutem interea negligit: neq; in fide multum adhuc profecerunt, qui charitatem non colunt, per quam illa potissimùm agit. Et si historias consideremus, facilè patebit, ecclesias omnibus sæculis plus damni accepisse ex intestinis dissidijs quàm ex persecutionibus apertis, quibus crudelissimi hostes fidei illas euertere conati sunt. At veteribus exemplis minimè opus est, quando non sine acerbo piorum omnium dolore experimur, Euangelij cursum nostris dissensionibus maximè impediri, & has ferè in causa esse, vt qui coniunctis animis publicam fidei communis causam tueri debebant, fratres in periculis turpiter negligant, imò interdum ex eorum interitu voluptatem capiant, à quibus ipsi in rebus non multum ad salutem facientibus dissentiunt. Ergo grauissimis de causis Paulus hanc epistolam ab hoc capite orditur, & idem apud alias quoq; ecclesias frequenter inculcauit. Huc enim pertinet, quod Philippensibus dicit: Tantùm vt dignum est Euangelio Christi vos gerite, vt siue venero & videro vos, siue absens fuero, audiā de rebus vestris, quòd stetis in vno spiritu, vno pariter animo decertantes per fidem Euangelij. Et ad Romanos hoc eiusdem Apostoli pijssimum votum habetur: Deus patientiæ & consolationis det vobis, vt eodem animo inter vos mutuo affecti sitis secundùm CHRISTVM IESVM, vt concorditer vno ore glorificetis Deum ac Patrem Domini nostri IESV CHRISTI.

Galat. 5.
Philip. 1.
Rom. 15.

Cæterùm quod de Ecclesia dicitur ad rempub. quoq; transferri debet. Nam ipso Christo teste, omne regnum, quod in seipso diuisum fuerit, consistere non potest. Quia enim reipub. salus quoad homines maximè ex bonorum consensu dependet, qui patriam & leges parias saluas volunt, pereant oportet regna & ciuitates, in quibus dissident, qui rebus præsunt. Est hoc omnium sæculorum exemplis confirmatum. Atheniensium rempub. factiones perdiderunt, & eadem Græciam totam non solum bellis ciuilibus commiserunt, sed his attritam Persis propinarunt dilacerandam. Romanum verò imperium, cum iam toto orbe longè lateq; propagatum esset, paucorum ambitio euertit, qui factionum & bellorum ciuiliam fuerunt authores: hi certè reipub. formam in Monarchiam mutarunt, quæ posteris temporibus cum vrbe imperium totum euertit. Et vt ad Græcos redeamus, quis nescit, intestinis illorum dissidijs totam illam nationem corruisse, vt iam sub dura Turcarum tyrannide seruiat, quæ aliquando totius ferè orbis imperium tenuit? Et vtinam non extarent nostrorum temporum exempla, quæ his fidem facere possunt. Quotquot ergo vel Ecclesiam vel Rempub. saluam volunt, ij sibi dictum putent, quod Corinthijs suis Paulus scribit, & procul relictis omnibus dissidijs, concordiam inter se mutuò colant atq; foueant.

Qualis concordia ecclesiæ esse debeat.

At videamus, qualem concordiā Paulus in ecclesia seruari velit. Rationē eius omnem tribus verbis comprehendit, & retrogrado ordine ab vltimo ad ipsum initium aut fontem concordiæ ascendit. Primò, vt omnes idem loquantur, requirit. Id verò de doctrina dicit, aut de fidei confessione cū publica tum priuata. Nam vt in cæteris eadem omnes dicant, neq; fieri potest, neq; etiam vtile esset, quando non omniū ea conditio aut rerū peritia est, vt de rebus grauioribus differere debeant. Ergo ad doctrinæ formā & fidei confessionem hoc restringi debet, vbi vt ijsdē locutionibus omnes vtantur imprimis necesse est, ne diuersitas rudibus & imperitis aliquam dissensionis suspicionem pariat. Fuerunt huius æqualitatis studiosissimi Apostoli, vt eorū scripta testantur, & ijdem (vt veteres tradiderunt) publicā & omnibus communē voluerunt extare confessionis formulā, quam vulgo Symbolū Apostolicū dicunt, vt illiterati quoq; homines cuiuscunq; sexus & ordinis fidem in vnū Deū per IESVM CHRISTVM ijsdē verbis profiterentur. Quem morē Sancti etiā Patres in primis Concilijs obseruarunt, & extant adhuc Symbola Nicenæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ & Chalcedonensis, Synodorū, in quibus videre est, quàm diligētes illi fuerint in seruāda eadē confessionis fidei formula inter homines Christianos. Vbi plurimùm profuerit, si ipsius spiritus sancti verbis vtamur, quæ ille in scripturis prodidit. Nam vt hæc propria, plana & minimè ambigua sunt: ita à nemine eludi possunt facilè, reijci autem & contemni non possunt, nisi ab ijs, qui cum audacia impietatem quoque extremam coniunxerunt. Et satis constat, omnium sæculorum contentiones hinc suam originem duxisse, quòd aliqui Zelo non malo ducti phrases nouas excogitarunt, quibus ea interpretarentur, quæ ipsis in Scriptura sacra obscurius tradita esse videbantur.

Vt enim de Symbolis illis antiquis iterum dicamus, de eo, quod Apostolorum dicitur, non magna vnquam fuit contentio, neq; illius verbis hæretici abusi sunt, cùm ea omnia ex scripturis desumpta sint, & ambiguitatem in se nullam habeant. At cùm in Niceno Symbolo pij patres Arianorum importunitate impulsi Christum Dei filium patri ὁμοούσιον, verè quidem & rectè, vocabulo autem nouo & nusquam in scripturis vsitato, dixissent, quàm multas quamq; graues hæc vna vocula concertationes peperit, & quàm multis Synodis nouis atq; Antisynodis occasionem dedit? Quòd si nostri temporis de Cœna dominica contentiones propius inspiciamus, non tam de reipsa, quàm de vocabulis, Realiter, Substantialiter, Essentialiter, Oraliter, Corporaliter, Quantitatiuè, Qualitatiuè, In, Sub & cum pane, litigari videbimus. At quo nam istorum Christus vsus est, cùm Cœnam institueret? Aut num ita locuti sunt Apostoli, cùm ecclesias illi docerent? Quin ergo abiectis locutionibus non minus barbaris & ineptis quàm contentiosis, phrasibus Christi & Apostolorum vtimur? Itaq; in actione de pane & vino cum Christo dicamus. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hoc poculum est testamentum nouum in meo sanguine. Quod si quis de materia vel mutata vel transubstantiata interroget, rursus Symbola hæc cum Paulo Panem & vinum, vel (vt Christus loquitur) fructum vitis dicamus. Vsum verò totius actionis tradituri, rursus Christi verba retineamus: Hoc facite in mei commemorationem. Vel vt Paulus hoc fusius exposuit: Quotiescunq; de hoc pane comederitis, aut poculum hoc biberitis, prædicate & celebrate mortem Domini, donec venerit. Hæc si omnes loquerentur, iam & contentionũ finis esset, & infelix populus re intellecta superstitione liberaretur, quam phrases illæ nouæ & ad excitandam nescio quàm admirationem in hominum animis confictæ pariunt.

Coagmentati eadem mente & sententia.

At frequenter fit, vt quoad verba idem aliqui loquantur, quorum tamen voluntates & animi minimè consentiunt, & vt in alijs rebus vitium hoc nimis vulgare est, ita imprimis circa religionem & doctrinam in hoc peccari solet ab ijs, qui sub fidei prætextu rebus suis student, & priuatum commodum quærunt. Quapropter Paulus vlterius progreditur, & coagmentatos esse iubet eadem mente. Sub mentis vocabulo ipsam animi affectionem seu voluntatem intelligit, & vt ipsa voluntate inter se consentiant, monet. Et mox tertium addit, vt τῇ γνώμῃ αὐτῇ conueniant, qua locutione certam & definitã in animo sententiam comprehendit. Itaq; gradatione ista concordiã veram & minimè fucatam describit, cuius partes sunt, vt primò quidem eadem omnes loquamur, deinde verò vt eadem omnium sit voluntas, ad quam postremò animi sententia aut definitio certa accedat oportet: quia sine illa neq; voluntas nostra sibi diu constabit, & huius mutationem verbis quoq; & factis mutatis testabimur. Eos ergo omnes hac parte reprehendit Apostolus, qui cùm eadem loquantur cum alijs, non tamen eadem cum illis volunt & sentiunt: ideoq; consultò eiusmodi locutiones fingunt, quæ in sensus varios & diuersos trahi possunt, & proinde à nonnullis propriè & verè cothurni dicuntur. Ludunt illi verbis, & dum idem loquuntur, occultè tamen aliud sentiunt, imò dum cum omnibus volunt conuenire, ab omnibus dissentiunt, & ne cum propria quidem mente ipsis conuenit. Est hoc hominum genus ecclesijs periculosissimum, quia dissidiorum quidem compositionem pollicentur, sed hoc prætextu nouam indies materiam illis præbent. Nam vtrinq; magis exasperantur animi, quando se locutionibus eiusmodi illusos esse, & ab aduersa parte aliam sententiam occultè foueri cernunt. Exemplum huius rei memorabile in Synodo Syrmiensi accidit, quando fuêre, qui controuersiæ, quæ inter orthodoxos & Arianos agitabatur, humano consilio mederi volentes, vocem ὁμοούσιον silentio obruendam, & eius loco ὅμοιον reponendam esse censuerunt. Putabant illi controuersiæ illi hac ratione finem imponi posse, quia vtraq; pars IESVM CHRISTVM Dei filium esse fateretur, & quidem similem Patri. At mox senserunt orthodoxi ambiguitatem nouæ istius vocis insidiosam sibi esse, cùm ipsi quidem eam de essentiæ similitudine intelligerent, Ariani verò solius voluntatis similitudinem assererent. Mox igitur noua & prioribus grauiora certamina exorta sunt, & (vt Theodoretus scribit) περὶ τοιαύτας ἀσχολούμενοι λέξεις, τὴν ἐκκλησίαν διέσπασαν, id est, circa eiusmodi occupati locutiones ecclesiam distraxerunt. Quod autem illis temporibus factum fuit, hodie etiam fieri constat, quando aliqui vt concertationes de Cœna Dominica semel abrumpant, locutiones fingunt nouas, quas vtraq; pars suo sensui applicare possit. At insidiosæ sunt compositiones istæ, & dissidia non tollunt, sed potius causa sunt, vt

ad breue

ad breue temporis momentum sopitum incendium, postea maiori impetu erumpat. Rectè ergo Paulus eam concordiæ rationem præscribit, quæ consensum habeat syncerum & omnis doli siue fraudis expertem. Si enim meritò reprehenduntur, qui in fœderibus & pactis ludunt (vt olim Pœni solebant) quantò scelestius fuerit hoc facere in religionis causa, ex qua si veritatem sustuleris, religio simul omnis extinguetur? Ideo κατηρτισμένους, id est, coagmentatos nos esse iubet Apostolus, & Metaphora vtitur, quam ab humani corporis fabrica desumpsit, monens vt non aliter quàm corporis eiusdem membra inter nos cohæreamus. Atqui in membrorum constructione opus aut artificium naturæ videmus, quod admirari potius quàm verbis dignis explicare possis. Nam eiusmodi illa est, vt si vnicum membrum vel sustuleris & loco moueris, vel etiam aliud adieceris, corpus totum deformetur. Deinde est coagmentatio illa firma & solida, vt non facilè dissolui queat. Luxatio autem eius dolorem toti corpori acutissimum parit, & simul vsum membrorum tollit. Quæ omnia ecclesiæ proprijssimè conueniunt, ex qua si consensionem animorum in vera fide sustuleris, mox συμπάθεια quoq; quæ ex charitate nascitur, cessabit, & nihil præter inane & inutile nomen ecclesiæ reliquum erit. Scisma verò illud siue dissidium pijs omnibus qui ecclesiæ vnitatem constanter seruant, dolorem affert intolerabilem, quem ex infelici fratrum distractione concipiunt, quando & horum salutem & Dei gloriam in periculum venire vident.

Cæterùm ne Paulus tam seria tamq; graui obtestatione temere vsus esse putetur, docet se non sine causa de illis solicitum esse, & ita seipsum suspicione sinistra liberat, quam de illo concipere poterant. Declaratum est enim mihi (inquit) de vobis fratres mei, à domesticis Chloes, quòd lites sint inter vos. Subinde fratres suos dicit, ne se ab illo vel contemni vel odio haberi arbitrentur. Testes autem producit idoneos & procul dubio fide dignos, ne quis ipsum rumoribus temere sparsis credidisse, aut suspicionibus incertis indulgere dicat. Suo autem exemplo docet, ne qem temerè accusemus, neq; suspicionibus facilè locũ demus, quando de proximi fama aut salute agitur. Est enim vtrumq; alienissimũ à charitatis ingenio, quæ vt omnibus bene vult, ita bene etiã sperat de omnibus. At qui suspicionibus prauis indulgent, ij & concordiam turbant, & propriam authoritatẽ labefactant, quando ipsa rei veritate conuincuntur: quò fit, vt pudore suffundantur, dũ aliorũ famæ insidias struunt. Cùm autem prius scismatum aut dissidiorum meminisset, nunc lites inter illos esse ait, qua voce scismatis effectum exprimit. Quàm primùm enim voluntatibus & sententijs dissidemus, ex eo lites apertæ & contentiones oriri consueuerunt, idq; imprimis circa religionem. Nã vt ad animorum coniunctionem nullum vinculum efficacius & fortius est, quàm consensio in religione: ita si in hac dissentiant homines, mox animi litibus nunquam finiendis accensi inimicitias graues & pertinaces concipiunt. Quò magis oportet principijs obstare, & leuissimam quoq; dissensionis speciẽ illico extinguere, ne ex paruis scintillis temere neglectis incendium horribile nascatur. Causam istius admonitionis subijcit.

At consideratione etiam digni sunt domestici Chloes. Fuit hæc procul dubio matrona religiosa, honesta & diues, quæ familiam numerosam & sanctè institutam habuit. Nam nisi hoc demus, ridiculus fuerit Paulus, qui istorum testimonium aduersus totam ecclesiam adduxerit. Et sanè non contemnenda veræ pietatis argumenta hîc elucent. Displicuit illis, ecclesiam Christi in partes scindi, & ipsi haud dubiè à partium studijs alienissimi fuerunt. Deinde malo huic remedium adhiberi cupiunt, quod cùm non esset in ipsorum manu, Paulum de illo faciunt certiorem; vt ipse rebus afflictis opem ferat. Et rectè quidem ad hunc causam hanc referunt, qui & authoritate instructus erat, & ius aliquod habebat in Corinthios, cùm illos Christo primus genuisset. Adhæc ingenui & fortes sunt, eaq; fide agunt, vt suæ relationis ipsos non pudeat, imò se nominari à Paulo non indignè ferunt. Non ergo falsa crimina suis Corinthijs affinxerunt, neq; aliquid scripserunt, cuius ipsos posset pœnitere. Quo exemplo docemur, non peccare eos, qui vel publica vel priuata crimina aliorũ ad aliquos deferunt: quando vt id fiat, sæpe necessitas & publica salus exigit. At ne carnis affectus & innatæ philautiæ malo decipiamur, diligẽti cautione opus est: primò quidẽ ne quiduis temere diuulgemus, sed ea quæ taceri nõ possunt neq; debent: deinde ne omnibus fratrũ vitia declaremus, sed ijs solum, qui illa corrigere possunt, & de quorum amica erga illos voluntate non possumus dubitare: neq; id fieri debet, priusquam ipsi monendo & hortando erga illos charitatis officio defuncti sumus, sicuti Christus apud Matthæum docet. Ante omnia verò in eum finem nos in- Domestici Chloes. Matth. 18.

rentos esse conuenit, vt fratrũ honori simul & saluti consulatur. Qui ista obseruant, ij dilectionis Christianæ leges adeò non violant, vt potius præcipuũ illius officiũ faciant. At quæ nostri sæculi infelicitas est, hodie ferè in omnibus peccatur. Nã ij ferè rebus alienis sese immiscent, ad quas illæ minimè pertinent, & qui salua conscientia quiescere poterant. Et ijdem plerunq; res nõ magni momenti mirificè amplificant, & ex næuis vlcera aut vulnera lætalia fingunt. Præterea quibusuis obuijs ea diuulgant, quæ potius celare oportebat. Quòd si finem spectes, odiosè omnia faciunt, vt nimirum infames aut exosi fiant, de quorum emendatione & salute ipsos solicitos esse conueniebat. Et cùm ex eo voluptatem summam capiant, quòd fratrum vitia cum eorum ignominia diuulgant, interim etiam atque etiam edicunt, ne à quoquam ipsi nominentur: & si quis ipsos famæ de fratribus sparsæ authores esse dicat, id impudenter negare audent. Hinc fit vt calumnijs, dissensionibus, litibus & turbis referta sint omnia, vtq; suspicionibus sinistris fides simul & charitas omnis extinguantur.

Scismata Corinthiorum.

Porro ad rem ipsam propius accedit Paulus, & scisma illud definit his verbis: Hoc autem dico, quòd vnusquisq; vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ vel Petri (nam hunc à Christo lingua Syriaca Cepham, quod lapidẽ sonat, denominatum, & nomen istud postea inter fratres siue discipulos in vsu fuisse, ex ijs patet, quæ Ioan. 1. cap. & ad Galat. 2. scribuntur) ego verò Christi: Non autẽ hoc vult Apostolus, singulos in Corinthiorum ecclesia ab omnibus istis denominatos fuisse, sed quòd alius quidẽ Pauli, alius Apollo, alius Petri, alius Christi discipulus haberi vellet. Sensus ergo est, in factiões scissos esse, & huius mali causã esse, quòd nõ vni Christo omne magisteriũ ecclesiæ transcribant, sed ministris nimiùm addicti sint. Hinc enim fieri, vt qui Christiani aut Christi discipuli dici deberent, factiosa hæc nomina ex illis suscipiant, quos sibi doctores & fidei magistros delegerint. Putant aliqui, Paulum translatione vti, neq; Corinthi aliquos fuisse, qui ab ipso, aut Apollo aut Petro denominarentur, ipsum verò ista in se & Apollo transtulisse vitãdæ inuidiæ causa. At mihi hoc nõ per omnia verisimile videtur. Non negauerim quidẽ plures fuisse pseudoapostolorum discipulos, sed procul dubio qui meliores erant, purioris doctrinæ Zelo abrepti, Pauli & Apollo nomen prætexebant, qui primi Corinthijs Euangelium prædicarant. Consultò tamen aliorum nomina tacuit, ne æmulos suos absq; causa grauiori prouocaret, aut aliquibus suspectus fieret, vt qui honoris priuati causa factiones repræhenderet, nihil huius facturus, si suum quoq; nomen aliqui susciperent. Neq; opus erat aliorum mentionem facere, cùm ex istis facilè sit colligere, quàm errent, qui nouos illos doctores sibi accersunt, cùm ne à veris quidem Apostolis quisquam nomen sibi imponere debeat. Simul autem eorum quoq; meminit, qui se Christi esse profitebantur: non quòd hoc per se malum sit aut impium, sed partim docet, ipsum Christum in partes venire, adeoq; scindi aut diuidi, vt mox sequetur: partim eos perstringere videtur, qui Christo sic gloriabantur, vt doctores simul omnes contemnerent. Peccabant enim isti in alteram partem, & Christum vnum profitendo in Christum iniurij erant, cuius ministros superbè & confidenter nimiùm abijciebant. Adeò difficile est medium tenere, vbi semel contendendi libidine exarsimus.

Vni Christo debetur ecclesiæ magisterium.

Est autem locus iste multa & diligenti consideratione dignissimus. Docet enim qui dissipationis in ecclesia authores sint: ij nimirum, qui discipulos post se trahunt, & hos abs se volunt denominari. Item quicunq; ab hominibus pendent, & non vno Christo doctore & magistro contenti sunt. Hi (inquam) ecclesiam in partes distrahunt, & pro germanis Christi discipulis non possunt censeri. Huius enim præceptum est: Ne vocemini doctores: vnius enim est doctor vester, nempe Christus. Et huic consentit, quòd Moses illum Prophetam esse dicit, cuius vocem omnes audire debeant. Et in Isaia, à Deo vnctus dicitur, vt pauperibus euangelizet. Nunquam ergo ad ipsum pertinere dicentur, qui ipsi sibi nomina aliena accersunt, neq; eo nomine contenti sunt, quo nullum vnquam in orbe terrarum augustius & salutarius extitit. Eo enim & regiæ maiestatis & sacerdotalis dignitatis gloria compræhenditur, vt alibi diximus. In repub. meritò damnantur, qui exterorum regum aut principum serui fiunt, & ab his potius quàm patria denominari volunt. Cur ergo in Christi ecclesia locum habeant, quibus Christianorum nomen sordet, quiq; ab hominibus quibuscunq; denominari malunt? At quid hodie dicturum putes Paulum, si viueret? Inter Pontificios non Pauli, non Petri, non Apollo nomina audiuntur, sed alius quidem Benedictinus,

Matth. 23.
Deut. 18.
Isa. 16.

nus, alius Bernhardinus, alius Augustinianus, alius Franciscanus, multi Dominicani, Thomistæ, aut nescio qui dici volunt. Inter nos verò Lutheranorum, Zuinglianorum, Caluinistarum factiosa nomina sonant. Et multorum ea est pertinacia in defendenda suorum præceptorum authoritate, vt cum Luthero errare malint, idq; disertis verbis protestentur, quàm cum quoquam alio rectè sentire. Sunt hæc horrenda dictu, sed ita Deus nostri sæculi ingratitudinem vlciscitur; & periculum est, ne grauiora sequantur, nisi in tempore malis istis remedium adhibeatur. At nullum præsentius erit, quàm vt vni IESV CHRISTO magisterium vniuersum ecclesiæ transcribamus. Ab hoc enim pendet ecclesiæ vnitas, neq; errare poterunt, qui in hunc vnum respiciunt. Ipse enim est veritas, via & vita, Filius item ille dilectus, quem vnum Pater audire & sequi iussit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA IIII.

Num dispertitus est Christus? Num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati fuistis? Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizauerim, nisi Crispum & Gaium, vt ne quis dicat me in meum nomen baptizauisse. Baptizaui autem & Stephanæ familiã: cæterùm haud scio num quẽ aliũ baptizauerim. Nõ enim misit me Christus vt baptizarẽ, sed vt euangelizarẽ.

Sicuti regna huius mundi concordia seruantur, bellis autem intestinis & ciuilibus intereunt: ita ad ecclesiæ conseruationem nihil tam vtile aut necessarium est, quàm mutua credentium cõsensio, nihil autem dissensionibus & rixis nocentius: quia his & charitas extinguitur & vnitatis fidei vinculũ abrumpitur, quibus ceu neruis totum ecclesiæ corpus constringi & seruari solet. Quapropter Paulus, cum Corinthiorum ecclesiæ, quæ vitijs aut morbis quàm plurimis laborabat, mederi vellet, hinc orditur, vt factiones & dissidia, quæ inter illos exarserant, è medio tollat. Sciebat enim nullum admonitionibus locum reliquum esse apud eos, qui animis & voluntatibus dissident. Itaque medicos peritos & fidos imitatus, primò morbum arguit, & dissidia atque lites inter ipsos esse demonstrat, eò quòd in factiones siue sectas scissi sint. Nunc verò remedium adhibet, quod tribus argumentis grauissimis continetur: eadem tamen per interrogationis figuram enuntiat, vt rei indignitatem magis amplificet, & ipsos proprio testimonio conuincat.

Primum ex ipsius Christi natura & religionis Christianæ fundamento sumitur, vt ostendat, rem à Christo & religione alienissimam ipsos facere, dum factionibus aut sectis locum dant. Num (inquit) dispertitus aut diuisus est Christus? Quasi diceret: scitis opinor, IESVM, CHRISTVM *vnum esse, & eundẽ absq; manifesta impietate in partes scindi nõ posse, qui enim hoc faciunt, ij ipsa fidei & religionis fundamenta conuellant oportet. Quæ ergo audacia est, hoc à vobis fieri, qui & Christiani dici vultis, & illo seruatore gloriamini? Diuidebant autem illi Christum duplici ratione. Primùm, quòd ecclesiam in partes scindendo, Christum corporum inter se dissidentium caput constituebant. Gloriabantur enim illo Paulini, eundem in ore habebant Apolloniani, nec minus Cephistæ aut Petrini hunc suum Dominum & seruatorem esse iactabant, vt iam de alijs sectis nihil dicamus. At quid hoc aliud erat, quàm Christum, qui vnicus est, corporibus diuersis imponere, & proinde eundem in partes discerpere? Deinde Christũ scindebant, quòd inter doctores discrimen eiusmodi facerent, vt ab hoc aut illo denominari vellent, quasi videlicet alium Christum Paulus prædicaret, alium Apollo, alium Cephas. Erat vtrumq; à religione Christiana alienissimum, & ideo hoc illis Paulus tam grauiter exprobrat, vt intelligant, non de ministris solis hic agi, sed ipsum Christum & omnem fidei Christianæ dignitatem istis dissensionibus in periculum adduci.*

Scismata Christum in partes distrahunt.

At hic meminisse oportet, eodem argumento omnes etiam eos damnari, qui honorem & gloriam, quæ vni Christo debetur, in quoscunq; alios siue cœlites siue adhuc in terris superstites transferunt, & aliquos præ alijs sibi patronos aut magistros faciunt. Sunt igitur hodie primi in hoc nu-

Cõtra eos, qui Christi honorẽ in alios transferunt.

mero, qui Diuos inuocant, & inter hos delectum habent diligentem, quasi alius alio præstantior sit, & ad opem ferendam paratior. Vnde enim hic error prodijt, nisi quod nō vident, illos simul omnes vnius & eiusdem Christi seruos fuisse, qui in omnibus ea egit & locutus est, quæ ad regnum suum inter homines propagandum faciebant? Imò Christum partialem fingunt, qui in cœlesti regno huius potius quàm illius Diui intercessione placetur. Proximi hos sequuntur Romani Pontifices, qui se CHRISTI IESV vicarios in terris constituunt, & omnem in Ecclesia potestatem sibi vendicant, eò quòd Petri Apostoli successores sint, & huius cathedrā (vt ipsi loquuntur) occupent. Quos ego lubens interrogauero, num alium Christum Petrus prædicarit, quàm Apostoli reliqui? Si enim hoc negarint (vt certè negabunt, nisi cum pietate pudorem quoq; omnem exuerint) qua ratione id fieri probabunt, vt Christi vicarius dici debeat, qui Petro in Romana ecclesia successit, & non idem honos etiam illis debeatur, qui alijs apostolis in alijs ecclesijs successerunt? Quid hîc respondebunt? Annon Christi minister fuit Andreas, qui (vt veteres tradunt) Scythis & Sogdianis prædicauit, & inter illos ecclesias constituit? An Christi Apostolus non fuit Philippus, qui Phryges ad illius fidem adduxit? Vel num Christi legatos fuisse negabunt Bartholomæum & Thomā, quorum ille apud Indos, hic verò inter Parthos & Medos & Persas, inter Carmanos item & Hircanos Christi Euangelium docuit? Idem de omnibus alijs rogare possumus. Quî fit ergo, vt qui Petro succedit in Romana ecclesia, CHRISTI IESV vicarius & ecclesiæ totius in terra adhuc militantis caput sit, non aūt eundem titulum mereantur, qui in ecclesijs aliorum apostolorum opera & labore primùm constitutis Christum prædicant? Quòd si honorem istum Petri successoribus deberi dicent, quia hunc Apostolorum principem Christus constituerit, ego illos & Christo & Petro iniuriam facere respondeo. Nam ille primatum inter discipulos nullum esse voluit, sed eadē dignitate, eodem spiritu, eodem docendi munere omnes donauit: hic verò adeò nihil iuris in collegas suos sibi vsurpauit, vt Paulum grauissimè se repræhendentem patienter & modestè tulerit. Restat ergo, quòd Pontifices Christum, quantum in ipsis est, scindant, & eodem figmento eius quoq; ecclesiam impiè in partes distrahant. Et vtinam vno scelere contenti, non etiam Monachorum ordines sua authoritate confirmauissent, quibus infelix ecclesia in sectas propè infinitas lacerata est, dum alius quidem Benedicti, alius Bernhardi, hic Francisci aut alterius cuiusdam nomen profitetur. Quos omnes ipsi quoque cum Paulo interrogare possumus: Num dispertitus est Christus? Num alium Christum Benedictus, alium Bernhardus, alium Basilius, alium Augustinus, alium Franciscus, Dominicus, Antonius prædicarunt? Si eundem, & quidem verum illum, qui ex Virgine matre hominem assumpsit, & nobis à Patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est, quin procul relictis nominibus illis factiosis, illum vnum auditis, & ab eo pendetis, in cuius nomine omnia genua flecti, & quem omnes gentes adorare debent? Quòd si qui diuersum tradiderunt, qui nimirum Diuis auxiliatoribus & nostrorum meritorum subsidio opus habeat, ij vtique nouum & scripturis omnibus ignotum Christum fingunt, & indigni sunt qui audiantur. Ergo istud Pauli argumentum omnibus confutandis sufficit, qui etiam hodie sectas aut inducunt aut fouent, siue illi Pontificiæ siue euangelicæ aut reformatæ (vt aiunt) religionis sectatores sint. Nam quod illis dicitur, hoc ipsum nostris quoque dici debet, qui Lutheranorum & Zuinglianorum factiosa nomina non sine atroci authorum iniuria atque ignominia tuentur. Num enim alius Lutheri, alius Zuinglij Christus est? Minime gentium. Legantur vtriusque scripta, inspiciantur ad populum habitæ conciones, & patebit vtrumque non aliud nouisse & docuisse, quàm IESVM CHRISTVM, & hunc quidem crucifixum & mortuum pro mundi vita. Quin ergo hunc in illis loquentem audimus & in illo vno coalescimus? neque ecclesiæ vnitatem scindamus propter paucula quædam, in quibus magni illi viri & præclara Christi organa dissenserunt. Quæ enim dementia fuerit, huic quidem docenti fidem habere, illi non item, cum idem Christus ab vtroque prædicetur. Et quid hoc aliud est, quam & Christum ipsum discerpere, & fidem Christi habere cum personarum respectu, quod Iacobus Apostolus magna cum grauitate prohibet? Sit ergo hæc nobis regula, ad quam doctrinas omnes examinemus, neque nos alicuius hominis authoritate ab illis diuelli patiamur, qui CHRISTVM IESVM purè

Luc. 22. Ioan. 13. Galat. 2.

Iacob. 2.

purè docent, & in hoc omnes æternæ salutis thesauros nobis monstrant. Quia enim hic non aliter in nobis regnat, quàm cùm in ipso vnum sumus, ab illo se alienos faciunt, quicunq; partium studijs distrahuntur.

Porro alterum Apostoli argumentum audiamus, quod ex redemptionis nostræ merito deducit. Num (inquit) Paulus crucifixus est pro vobis? Suum nomen omnium aliorum loco substituit, & hoc vnum vrget, ne videatur priuatam gloriam quærere, aut alios inuidiosè grauare, vt ipse solus emineat. Latet autem sub ista breuitate argumentum grauissimum, quod ita formari poterit: Quicunq; ex morte redimuntur, eius qui ipsos redemit peculium fiunt. Atqui vos redemit vnus & solus Christus. Id verò probatur, quia hic solus pro vobis crucifixus est, non Paulus, non Apollo, non Cephas, aut quisquam alius hominum. Ergo Christi peculium facti estis, & proinde non potestis vos alicui alteri mancipare, & eius nomen in vos transferre absq; manifesto sacrilegij crimine. Facit ad huius argumenti amplificationem, quod Petrus scribit, nos non caducis rebus, vtpote auro & argento redemptos esse, sed pretioso sanguine Christi, agni illius immaculati, qui solus mundi peccatum expiauit. Apertius autem hoc Christi in nos ius atq; imperium noster Apostolus ad Roman. explicat his verbis: Siue viuamus siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt & mortuis ac viuentibus dominetur. Item in posteriori ad Corinth. cap. 5. sic scribit: Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, post hac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Et in hac epistola ex eo argumento docebit, non debere hominum seruos fieri, qui tanto pretio empti, & proinde non sui iuris sint. In præsenti autem non sine stomacho quærens, Num Paulus aut quisquam alius hominum pro vobis crucifixus est? extremæ ingratitudinis & sacrilegij Corinthios accusat, qui seipsos Christi imperio temere subducant, quem suum redemptorem & vindicem esse non possint negare.

Scismata redemptioni nostræ aduersantur.

1. Pet. 1.

Rom. 14.

1. Cor. 7.

At debet ex his generalis doctrina peti, ea conditione nos per Christum redemptos esse, vt non sit in nostra potestate nos alteri cuipiam in seruitutem addicere, aut aliquos nobis fingere patronos atq; vindices. Vidit hoc Polycarpus ille pius & sanctus senex, qui cùm iam supplicio proximus iuberetur per fortunam Cæsaris iurare & Christo contumeliosè renuntiare, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam, quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit: Erat ergo graue illorum scelus, qui cùm Christiani doctores haberi vellent, Corinthios distrahebant, vt Christi nomen abijcerent, & ab ipsis denominarentur. At multò atrocius hodie peccant, qui salutem quoq; alibi quærere docent, & homines Christo prius initiatos nouis votis astringunt, & apertè hominum seruos faciunt. Venit mihi in mentem memorabile exemplum, quo illorum impietas & impudentia proditur, & quod ex viro fide dignissimo audiui, qui rei gestæ interfuit. Cùm in Germania Euangelij lux primum luceret, & multi in Monachorum claustris singulari Dei beneficio passim illuminarentur, accidit vt inter Carthusianos aliquos & familiæ eius loci patrem (vt illi vocant) disputatio de ceremonijs quibusdam oriretur, quæ eò vsq; processit, vt quidam illorum diceret, se hominum traditionibus posthac obstrictum teneri nolle, eò quòd Christi esset, qui ipsum mortis suæ merito redemerit. Tum pater ille quasi graui iniuria affectus exclamauit: Tu non es Christi, sed Ordinis. O vocem nō fustuario, sed mortis supplicio, imò inferorum cruciatibus æternis mulctandam. Quid enim est Christum negare, abijcere, conculcare, imò spoliare & è regni solio deijcere, si hoc non est? Et tamen isti suos ordines sub perfectionis Christianæ titulo venditant, cùm à Christo sint alienissimi. Quòd si dicas, non omnium eam esse sententiam, quæ istius Patris Carthusiani fuit, ego alios quidem astutiores esse dico, & magis circumspectos, quàm vt hoc effutiant, omnibus tamen eundem animum esse, res ipsa probat. Si enim Christi adhuc sunt, cur huius decreta & mandata ordinum suorum traditionibus post ponunt? cur Christi præcepta violant, ne quid patrum suorum statutis contrarium faciant? cur relicto Christi nomine, quo (vt nuper quoq; diximus) nullum sanctius & salutarius excogitari potest, alia sibi imponunt ab ordinis sui Patriarchis desumpta? Vides ergo, quid de omnibus istis iudices, qui miseros & imperitos rerum homines aliò quàm ad vnum Christum remittunt. At quàm miseri & stulti sunt, qui spontè seipsos alijs mancipant, & abiecto Christi iugo, quo nihil dulcius, suauius & magis salutare est, in hominum verba iurant? Faciunt hoc, quicunq; vel ignaui otij & ventris stu-

Christiani non possunt se alicui addicere discipulos.

dio abrepti vota monastica in se recipiunt, vel desperatione (quam Monachorum causam efficientem veteres quoq; dixerunt) impulsi claustra ingrediuntur? Meminerint omnes illi, neminem mortalium pro ipsis crucifixum esse, præter vnum IESVM CHRISTVM, *& proinde hunc vnum pro vindice & redemptore atq; domino nostro agnosci debere.*

Contra indulgentiarũ nundinatores. *Hoc si non oscitanter expendamus, patebit huius dicti authoritate etiam confutari indulgentiarum nundinatores. Hi enim in illis non solius Christi, sed Martyrum quoq; sanguinem & merita distribui atq; nobis applicari docent, & eo commento quæstum vberrimum faciunt. At Paulus se pro nobis crucifixum esse negat. Quod ipsum de Martyribus omnibus dici potest. Nam mortui sunt illi, non vt nobis cælos mererentur, aut iustitiæ authores essent, sed vt quam verbis professi erant fidem atque doctrinam sanguine suo obsignarent, & posteris simul omnibus constantiæ exempla fierent. Quod ergo est illorum meritum, cuius tanta vis sit, vt in nos vsq; redundet? Aut num sui sanguinis merito nos seruabunt, qui ne seipsos quidem seruare potuerunt, quiq; se non aliter quam per Christi crucem seruari palàm professi sunt?* Galat. 6. *Absit à me (inquit Paulus) vt glorier, præterquam in cruce* IESV CHRISTI. Ioan. 6. *Et notum est illud Petri: Domine, quò ibimus, tu verba vitæ æternæ habes.* Actor. 4. *Item: Non est aliud nomen sub cælo hominibus datum, in quo nos seruari oporteat, præter* IESVM CHRISTVM. *Est ergo chananæorum aut nundinatorum istorum duplex scelus. Nam Christi honorem in alios transferunt, nequicquam illo clamante, Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meã alteri non dabo.* Isa. 42. *Deinde fumos vendunt, & mercibus ementitis simplicẽ & rudẽ plebeculã, imò ipsos quoq; magnates, decipiunt. Semper igitur animis nostris insideat, vnum Christum pro nobis crucifixum esse, & eius sanguine nos ab omni peccato mundari, & proinde in hoc vno spem salutis collocatam habeamus.*

Scismata professionem fidei violant. *Sequitur tertium argumentum, quod à publica fidei professione, quæ in baptismo fit, desumitur, & quo manifestæ perfidiæ reos agit omnes, qui alios sibi fidei magistros aut salutis authores fingunt, & non ab vno Christo pendent. Num in nomen Pauli (inquit) baptizati fuistis? id est, num mihi, aut Apollo, aut cuiquam alij Apostolorum nomen dedistis, cùm baptizaremini? Sensus ergo est, cùm in Christi nomen sitis baptizati, non debebatis vobis aliorum nomina accersere, sed illi datam fidem constanter tueri. Euidentior tamen erit Apostoli sententia, si argumentum sic formes: Perfidiæ scelus est ab eo discedere, cui quis nomen dedit, Atqui vos in baptismo non mihi aut alicui Apostolorum, sed vni Christo nomen dedistis: Ergo perfidi adeoq; periuri estis, si hoc relicto alijs vos addicatis. Argumenti vis ex eo dependet, quòd in Christi nomen baptizantur, quicunq; in ecclesiæ albũ adscribi solent. Itaq; fidem Christo datã & ipsum baptismi Sacramentũ nostri quoq; illi violant, quicunq; sibijpsis nouos fidei & salutis magistros fingunt, à quibus denominentur.*

Vsus baptismi & Sacramentorum. *Continet locus hic vtilem doctrinam de vsu baptismi, adeoq; omnium Sacramentorum. Sunt hæc nobis bifariàm consideranda, vt nimirum quid in illis Deus agat videamus, deinde quæ nostræ partes sint, quando illis vtimur. Nec enim eorum sententiam probamus, qui illa nudas Christianæ societatis tesseras esse dicunt, Deum aũt quicquam per illa in nobis agere negant. At quis nobis vel verbi vel Sacramentorum vsus esse potest, si Deum ab illis excludamus, qui solus nobis bonorum omnium author est? Aut num illum aliquid in ecclesia sua instituisse dicemus, quod non idem ille moderetur atq; ad finem sum dirigat? Itaq; primùm obseruemus, Deum Sacramenta verbo suo iam inde à prima rerum origine (vt alibi docuimus) coniunxisse, vt illis doctrinam & promißiones suas obsignet, & sensus simul omnes in fidei contemplationem excitet, Deinde meminerimus, nos vicißim illi nostram fidem obstringere, dum Sacramentis vtimur, & eorum vsu nos ad sui populi societatem pertinere profitemur. Ita circumcisionem sigillum iustitiæ fidei dicit Apostolus, eo quòd* Rom. 4. *per hanc Deus testaretur, se pro iustis habiturũ eos, qui benedictũ illud Abrahami semen,* CHRISTVM IESVM, *cum fide appræhenderent. At è contra qui circumcidebantur, ij fidem Deo dabant, quòd ipsius peculium esse, & in fœdere eius præscriptas conditiones sanctè seruare vellent. Eadem planè est ratio baptismi. Per hunc enim Deus regenerationis, ablutionis peccatorum, adoptionis & sanctificationis beneficium nobis in Filio suo præstitum obsignat, & vicißim nos sibi obstringit, & vt ipsi nomina demus præcipit. Et huc formula baptismi à Christo tradita pertinet, secundùm quam baptizamur in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti. Ea*

enim testatur Deus, quòd nobis patris loco esse velit, quòd in Filio suo nos elegerit atq; adoptarit, quodq; Spiritu suo nos sanctificet. Nos autem dum ita tingimur, illi nomen damus, & nos eius cultores esse publicè testamur. Neq; hîc aliquem moueat, quòd alicubi in solius Christi nomen Apostoli baptizauisse leguntur. Illic enim non de forma, sed fine & scopo baptismi agitur, ex quo omnis eius virtus siue effectus dependet, qui est; vt in CHRISTO IESV renati adoptionis ius & spiritus sanctificationem consequamur. Et huc vetus ille mos ecclesiæ pertinet, quo inter baptizandum nomina imponi solent, quod olim in Circumcisione etiam obseruatum fuisse ex Christi & Ioannis Baptistæ historia constat: eo enim admonemur, nos Christo Regi & Imperatori nostro nomina dare ad militiam illam spiritualem, de qua ad Ephes. 6. cap. scribitur. Qui ista probè considerant, ij Sacramentorũ prophanatores minimè haberi debent, etiamsi crassam illã & corporalem Christi præsentiam in illis non agnoscant: imò soli illi Sacramentis rectè vtuntur, & dignum ex illis fructum percipiunt. Ex his autem apparet, quàm turpiter tum doctores Corinthij tum auditores peccarint. Illi enim (vt in ijs, quæ mox sequentur, patebit) in sua nomina baptizabant, id est, ea conditione baptismum dabant, vt sibi discipulos facerent, qui ab ipsis denominarentur: hi verò se ita baptizari patiebantur, imò in eo laudem quærebant, quòd ab hoc aut illo baptizati essent. Quid autem hoc aliud erat, quàm aperta fidei Christo datæ violatio? At eodem reatu tenentur, qui votis monasticis aliquos obstringunt, & hominum discipulos faciunt eos, qui vnũ Christum in ministris suis quibuscunq; loquentem audire, & illo vno gloriari debebant. Hi certè germanum baptismi vsum, quantum in ipsis est, abolent, & in eius locum substituunt vota illa, quæ manifestæ secessionis à Christo sunt argumentum. Porro alius etiam loci huius vsus est, nimirum vt memores nos Christo nomen dedisse, huic viuamus atque militemus aduersus mundum atq; principem eius. Turpe enim fuerit in diaboli castris inter impuri mundi studia eos conspici, qui Christianæ militiæ tesseram susceperunt. Deinde consolationi etiam nostræ hæc plurimùm seruiunt, si quando aduersis & tentationibus premimur. Nec enim eos vnquam deseret Christus, qui ipsi nomen dederunt, & in quorum gratiam ipse prior cum hoste nostro congressus est, vt nobis quoque eius vincendi copiam faceret. Nouit enim oues suas, neq; eas sibi eripi sinit. Si enim Cyrus, quem Christi typum fuisse ex Isaia constat, omnium suorum militum nomina tenuit, num ipsum tam obliuiosum aut negligentem esse putabimus, vt quenquam suorum ignoret?

Pergamus nunc in verbis Apostoli, qui tanta rei indignitate motus tantumnon exclamat: Gratias ago Deo meo, quòd neminem vestrûm baptizauerim, nisi Crispum (fuit is apud Corinthios Synagogæ præfectus, vt in Actis Lucas annotauit) & Gaium: vt ne quis dicat me in meum nomen baptizauisse. Faciunt ista ad sceleris amplificationem, quia singulari diuinæ prouidentiæ beneficio hoc factum fuisse agnoscit, quòd paucissimos ipse baptizarit: ita enim cauisse Deum, ne quam erroris occasionem alicui daret, & ne quid commune haberet cum pseudoapostolis, qui quàm plurimis baptizandis intenti erant, quo plures sibi discipulos facerent. Per correctionem verò interserit: Baptizaui autem & Stephanæ familiam, cæterùm haud scio num quem alium baptizauerim. Quibus verbis, se adeò parum solicitum fuisse docet de baptizandis hominibus, vt vix iam meminerit, qui nam abs se tincti sint. At ne quis obijceret: Ergo tuo defuisti officio, cùm constet Christum Apostolis mandasse, vt & Euangelium prædicent, & baptizent: Respondet per Præoccupationem: Non enim misit me Christus vt baptizarem, sed vt euangelizarem. Quæ omnia non ita accipi debent, quasi baptismus inutilis sit, aut quod simpliciter neget se ad baptizandum missum esse: sed muneris apostolici partes inter se conferens, amplificatione hyperbolica vtitur, qua Euangelij prædicationem baptismo ita præfert, vt circa hunc vix minimùm occupari debeant, quibus prædicandi copia & locus datur. Obseruarũt hoc ipsum alij quoq; Apostoli, qui in docẽdo quidem assidui fuerunt, baptismum verò alijs ferè mandarunt, qui ad prædicationem fortassis minus idonei erant. Exemplum huius rei in Cornelij historia habemus. Id verò non temere, sed ad Christi imitationem fecerunt, quem Ioannes scribit neminem baptizauisse, cùm interim quosuis doceret, & in habendis concionibus publicis esset diligentissimus. Nihil ergo in toto ecclesiæ ministerio præstantius est Verbo Dei & huius prædicatione. Per hanc enim de bona Dei voluntate certiores efficimur, hæc promissis dulcissimis mentes exhilarat, hæc in via salutis pedes nostros dirigit, ad-

Paulus paucos baptizauit.
Act. 18.
Matth. 28.
Acto. 10.
Ioan. 4.

hæc non hortatur modò & consolationibus veris confirmat, sed regenerationis nostræ organum est, dum semen Verbi animis inserit, vbi spiritus virtute viuificatum nos totos immutat & in Dei filios transformat. Quid, quòd totus ille cultus externus vnà cum precibus per Dei Verbum ad suum finem diriguntur, vt ex illis fructum dignum consequamur. Rectè igitur hoc Sacramentis anteposuerunt Apostoli, qui prius opum quoq; ecclesiasticarum curam in diaconos reiecerant, vt liberius prædicationi vacare possent. Intellexerunt hoc quondam maiores nostri inter tenebras papisticas adhuc demersi, quibus indignum visum fuit, si qui relictis concionibus ad Sacramenti eleuationem conuerterentur, & vulgo inter illos iactatum fuit, Euangelium Sacramentis omnibus præstare. At hodie qui ecclesiarum antistites sunt, plerunq; neglecto Verbo Dei circa ceremonias frigidas occupantur. Qui verò in euangelica doctrina probè instituti videri volunt, ferè de Sacramentis lites mouent ijs, qui eundem Christum cum ipsis prædicant, & in quorum doctrina, quoad fidei Christianæ & salutis nostræ capita nihil repræhendere possunt.

Apostoli baptizarũt infantes

Cæterum priusquam sermoni huic finem imponamus, duo adhuc in Pauli verbis consideranda restant. Primum, quòd Stephanæ domum se baptizauisse scribit. Hinc non ineptè quidam colligunt, infantes quoq; ab Apostolis fuisse baptizatos, cùm illi non minima domus aut familiæ pars sint. Reclamant huic sententiæ Anabaptistæ, quibus hoc factu indignißimum esse videtur, & vt argumentum hoc eludant, non constare certò aiunt, an in illis familijs aliqui paruuli fuerint, quas ab Apostolis baptizatas esse legimus. Sed hoc causæ nostræ nihil officit, cùm baptismus infantum multis alijs argumentis grauißimis asseri, simulq; ijsdem probari poßit, Apostolos nunquam tam temerarios fuisse, vt illos excluderent. Cur enim hoc auderent, qui se à Christo grauiter correptos aliquãdo fuisse meminerant, quòd eos prohibuissent, qui infantes suos ad ipsum deferebant. Vel cur rem se indignam putarent paruulos baptismi aqua tingere, qui Christum illis manus imponentem & vlnis suis eos amplexantem viderant? Aut num illos ab ecclesiæ consortio reijcerent, de quibus ille pronuntiauerat: Sinite eos ad me venire, nam illorum est regnum Dei? Item, Non est voluntas patris, vt aliquis istorum pereat? At non sunt mysteriorum fidei adhuc capaces, & proinde baptizari non debent. Quis verò vos ô boni tam nasutos & sagaces fecit, vt de infantium captu tam audacter pronuntietis? [illegible]ationis vsu destituuntur, dicis. Fateor. Quid verò hoc ad fidei & regni Dei mysteria, quæ ratione adeò non percipiuntur, vt si illam audias, nunquam crediturus sis? Sufficiebat Apostolis, quòd infantes ad ecclesiam pertinere, spiritus sancti capaces esse, à Christo in credentium numero censeri & sanctos esse intelligerent. Eadem ergo nobis quoq; sufficiant, neq; deteriorem fingamus Noui testamenti conditionem, quàm Veteris olim fuerit, in quo infantes octauo à natiuitate die circumcisos fuisse constat.

Matth. 19.

Matth. 18.

Anabaptismus prohibetur.

Deinde hoc etiam obseruemus, quòd etsi in baptismo grauiter aberratum esset à plerisq; Corinthiorum, Paulus tamen illos nequaquam rebaptizare iubet. Confutantur hoc exemplo, qui baptismum in ijs repetendum esse censent, qui ab hæreticis baptizati sunt: quem errorem nostro seculo Anabaptistæ instaurarunt. Atqui dignitas Sacramentorum neq; ab eo qui hoc administrat, neq; ab accipiente dependet. Et quàmuis error aliquis admittatur, non tamen ille vsum à Christo institutum abolet, dummodo retineatur formula quam Christus nobis tradidit. Sed de hoc plura alibi. Agnoscamus nunc beneficium Dei, qui Filium suum vnigenitum pro nobis tradidit, sub hoc in eiusdem ecclesiæ societatem collegit, & æternæ salutis dona per Verbum suum & symbola aut sigilla externa in nobis confirmat. Horum consideratio nos excitet, vt dignitatem nostram constanter tueamur, & studeamus vnum esse in CHRISTO IESV, ne in partes scißi, & illum & eius dona nobis inutilia vel etiam noxia faciamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA V.

Non quidem cum dicendi peritia, ne inanis reddatur crux Christi. Nam sermo ille crucis ijs quidem qui pereunt, stultitia est: nobis autem qui seruamur, potentia Dei est. Scriptum est enim: Abolebo sapien-

bo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor seculi istius? Nonne infatuauit Deus sapientiã mundi huius? Nam postquam in Dei sapientia mundus non cognouit Deũ per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes.

INter argumenta, quibus eos Paulus oppugnat, qui in factiones scissi alios extra Christum fidei doctores atq; magistros sibi delegerant, à quibus denominabantur, postremum fuit, quòd qui hoc faciunt, fidei professionẽ violent, quam in baptismo fecerunt. Baptizamur enim omnes in IESVM CHRISTVM, *id est, ea conditione baptizamur, vt vni Christo obstricti, hunc vnum nostrum seruatorem atq; doctorem agnoscamus, ex quo vno vita & salus in nos deriuetur, quiq; solus verba vitæ æternæ habeat. Sequitur ergo perfidos & fœdifragos esse, quicunq; hoc relicto factiones sequuntur, quibus Ecclesiæ vnitas scinditur. Erat autem hoc malum eò intolerabilius apud Corinthios, quòd pseudoapostoli ipso baptismo ad sectas fouendas abuterentur. Nam ea conditione suos discipulos baptizabant, vt se ipsorũ discipulos fore profiterentur. Ideo Paulus tanti sceleris indignitate abreptus, Deo gratias agit, quòd ipse paucissimos baptizauerit, & in eo singulare Dei beneficium agnoscit, cuius prouidentia sit factum, ne quis ex ipso possit erroris occasionem arripere. Et facti sui causam affert, quòd ipsum Christus non ad baptizandum, sed ad euangelizandum miserit.*

His præmissis commodè & prudenter hunc locum subijcit, quo transitum facit ad eius confutationem, quod totius mali caput atq; origo erat. Duo enim habebant ipsius æmuli, quibus sese apud Corinthios insinuabant. Eloquentiam nimirum aut artificiosam dicendi facultatem, & sapientiæ non vulgaris speciem. Itaq; de sublimibus mysterijs gloriari solebant, quæ Paulus nunquam tradidisset, aut fortassis ne comperta quidem haberet, & eadem illa magnifico dicendi apparatu commendabant. Itaq; horum præstigijs Corinthij fascinati, in stupidam quandam admirationem rapiebantur, quæ causa fuit, vt circa speculationes inutiles occupati simplicem Euangelij doctrinam fastidirent. Paulatim ergo apud illos euanescebat vis spiritus sancti, & crucis prædicatio inutilis reddebatur. Tantis igitur malis vt remedium afferat Paulus, fatetur quidem se, quoad verborum ornatum & humanæ sapientiæ ostentationem Logodædalis illis minimè esse conferendum, at eam docendi rationem se tenuisse testatur, quam Deus ipse Apostolis tradiderit, & quam in Ecclesia perpetuò retineri oporteat. Et cum ijs, quæ nuper dicta sunt, locum istum connectens, sic ait: Misit me Christus ad euangelizandum, non quidem cum dicendi peritia, vt nimirum phaleris verborum & artificio rhetorico Euangelij doctrinam commendem, sed vt simplici & humiliori dicendi genere eam hominibus prædicem. Et mox huius mandati aut consilij rationem subijcit: Ne crux Christi inanis reddatur. At crucis vocabulo totum nostræ redemptionis mysterium siue beneficium complectitur, quod ex Christo pro nobis in cruce mortuo dependet, & cuius vis in humili illa dicendi simplicitate imprimis elucet.

Aduersus sapientiæ & eloquentiæ ostentatores.

Hoc igitur dicendo, non solùm se excusat Paulus, sed ostendit simul, Euangelij prædicationem neq; eruditione neq; eloquentia humana opus habere. Est enim illud æternæ Veritatis verbum, quam veteres nudam finxerunt, quòd nihil habeat, cuius ipsam pudere possit, & quòd natiuo splendore seipsam satis commendet. Imò pugnant illa cum crucis Christi virtute, quæ tunc omnium euidentissimè se prodit, quando nuda & nullo ascititio fuco vestita proponitur. Adhæc Euangelium omnem salutem nobis in Christi cruce monstrat, quæ vt doctrinæ illius argumentum est, ita nihil illa humano iudicio contemptibilius & abiectius habetur, ideoq; huius prædicationem huic humilitati conuenientem aut conformem esse oportet. Nam si eloquentia (vt D. Augustinus rectissimè definiuit) est facultas exprimendi congruenter quod sentimus, inepti & loquaces potius ostentatores quàm eloquentes sunt, qui res humiles magnificis verborum ampullis extollere & dilatare conantur. Vidit hoc olim sapientissimus ille Lacedæmoniorum Rex Agesilaus, qui cùm oratorem quendam hoc nomine commendari audiret, quòd res exiguas verbis mirificè amplificaret, respondit: Ego verò ne sutorem quidem probauerim, qui paruo pedi magnum calceum inducat. At

Euangelium neq; eruditione neq; eloquentia humanũ opus habet.

quid aliud faciunt, qui cùm Christi humilis & contempti atq; crucis eius precones dici velint, mirifico humanæ philosophiæ apparatu & verborum splendore sese venditant? Quòd non ita accipi velim, quòd aliquem esse existimem, qui crucis illius victricis & triumphantis maiestatem dicendo æquare, nedum superare poßit: sed quia hominibus verba fiunt, horum captui sese concionatores accommodent, vt sub humili & simplici genere dicendi, Dei virtus melius cognoscatur. Quòd si rem probè examines, rudes & artis dicendi imperitos mitti oportuit Apostolos, vt ita omnium iudicio constaret opus hoc Dei esse, & vt Euangelij doctrina ab omni fraudis & deceptionis suspicione liberaretur. Nam si Apostoli humana authoritate, regum potentia, artium cognitione, dicendi peritia præ alijs excelluissent, diceret aliquis, non difficile fuisse homines tot tantisq; donis instructos in suam sententiam pertrahere alios, qui præter ingenij simplicitatem nihil contra ipsos in medium afferre poterant. At cùm missi sint piscatores illiterati, qui ex inuisa Iudæorum gente oriundi præsidio simul omni destituebantur, ijdem verò & Iudæorum scribis & gentium philosophis, imò magistratibus vrbium & ipsis Romanorum Imperatoribus superiores facti sint, quis non videat illud omne virtutis diuinæ opus fuisse, & in crucis prædicatione singularem se exeruisse Christi potentiam, de qua ipse iam pridem dixerat: Ego vbi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum? Cùm ergo crucis trophæum tale sit, vt propria virtute sese commendet, & ipsa iam pridem de mundo & eius principe triumphauerit, stultum fuerit ad eius commendationem humani eloquij vires & philosophiæ arma in medium afferre. Hoc enim perinde fuerit, ac si quis facula accensa Solis splendorem illustriorem reddere, aut Oceanum vna atq; altera aquæ situla infusa augere conetur.

Ioan. 12.

Non damnantur artes & bonæ literæ. 1. Tim. 3.

Nemo tamen existimet velim, nos bonarum artium & literarum studia damnare, aut omnes illos ab ecclesiæ ministerio eiectos velle, quos eruditio & eloquentiæ vis commendant. Scimus enim in Verbi administris hoc quàm maximè requiri vt docendi facultate instructi sint, quam artium studio plurimùm adiuuari nemo nisi insanus negauerit. Scimus item, quòd qui initio Apostolos rudes & artium imperitos emisit ad euangelizandum, postea plures ex rhetorum & philosophorum scholis vocauit, qui egregiam in propagando Christi regno & fide defendenda operam nauarunt: quales Cyprianus, Iustinus martyr, Lactantius & plures alij fuerunt, vt iam de Augustino, Ieronymo & similibus nihil dicam. Hoc autem dicimus, quòd Deus nostra eruditione, doctrina & eloquentia minime opus habeat. Si cui verò ista ille dederit, ita ijs vtatur, vt priores semper partes Euangelio dentur, vtq; artes omnes illi seruiant: ita tamen, vt qui huic ex illis accedit ornatus, non meretricius sit, qui externos solum hominis sensus demulceat, sed sanctus & diuinus, & qui ipsius Verbi virtute animatus in cordium recessus penetret. Quod nisi obseruetur, artium ostentatio & dicendi peritia crucem Christi euacuant.

Euangelium opibus & externo apparatu nō opus habet.

At quod de istis dicitur, non minus de omnibus alijs intelligi debet, quæ hominibus magnifica videntur. Idem enim fiet, si vel opum vel honorum huius seculi studium cum religione & Euangelij doctrina coniungere instituas. Nam si conatus iste succedat, ferè (vt veteri prouerbio dicitur) religio parit diuitias, sed filia matrem deuorat. Maximè tamen aduersus eos nobis locus iste seruit, qui Euangelij doctrinam & religionis Christianæ mysteria hominum traditionibus exornare, aut externo splendore ceremoniarum, vel etiam supellectilis ecclesiasticæ nitore commendabiliora reddere student. Est quidem mos ille iam multorum seculorum consuetudine confirmatus, & nimiùm rustici multis nos videmur, apud quos in Sacramentorum vsu neq; vestes pretiosæ, neque auri & argenti vel gemmarum splendor inueniuntur. At nos apud Danielem hoc Antichristo tribui scimus, quòd Deum suum Mayzim auro & argento colat. De Christi autem ecclesia nihil huius legimus. Ideo nos rusticitatis istius pudere non debet, quæ & Christi & veteris ecclesiæ exemplo probatur. Olim certè Hieronymus Exuperium Tholosanæ ecclesiæ episcopum laudauit, quòd mysticam Domini Cœnam canistris vimineis & poculis vitreis administraret. Et commendantur illius seculi mores, quo episcopi aurei, vasa autem templorum lignea erant. Hodie nimis infelici metamorphosi hæc quidem aurea, episcopi verò vix lignei aut plumbei visuntur. Clamant illi, reuerentiam hanc Christi Sacramentis deberi. Fateor, hæc reuerenter omnino tractanda esse, & quouis supplicio dignos esse, qui illa contempserint. At nos cum D. Ambrosio dicimus: Aurum Sacramenta

cramenta non quærunt, neq; auro placent quæ auro non emuntur. Et quæ illis debetur reuerentia, non in externo apparatu, sed in vero atq; legitimo eorum vsu consistit, qui ex fide non fucata dependet. Quòd si Paulo nefas visum fuit, Euangelij virtutem non artificioso docendi genere exinanire; quando minus ferendum est, vt auro, argento, gemmis & vestibus Tragicis Sacramentorum virtus quasi obruatur, & rude vulgus ab illorum contemplatione per externi apparatus splendorem auocetur? Sed sordet fortaßis Pauli exemplum illorum oculis, quos aulicus splendor iam pridem perstrinxit. Satyricum ergo clamantem audiant:

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ, &c.

Continet præterea locus iste dulcißimam consolationem, quam sibi applicare debent, qui se ad ecclesiæ ministerium vocari sentiunt, non autem vllis artibus aut facultatibus ad tantum munus necessarijs sese instructos esse vident. Clamant hi sæpe cum Mose & Ieremia: Mi Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius. Item, Ah puer ego sum. Sed ijdem sibi quoq; à Deo dici cogitent: Quis dedit homini os? aut quis facit mutum & surdum? videntem aut cæcum? annon ego Dominus? Vade ergo, & ego adero ori tuo, docebo'q; te quæ loquaris. Item, Ego posui verba mea in os tuum, &c. Quibus addant, quod Paulus docet, non opus esse Deo, vt Euangelium Filij sui humana arte cōmendetur. Neq; cum Apostolis natiuam illam virtutem doctrinæ crucis vel extinctā esse, vel cessauisse putent. Extant enim multorum exempla, qui posteris temporibus doctißimos philosophos & acutißimos sophistas ipsi artis rudes & indocti superarunt, vt Christi iugo colla sua submitterent. Et memorabile est, quod de philosopho quodam Eusebius scribit, qui cùm episcopos arte & dicendi peritia instructos diu fatigauisset, tandem à sene simplicißimo, qui nihil præter IESVM CHRISTVM, & hunc quidem crucifixum, nouerat, ita victus est, vt publicè diceret: Dum verbis mecum actum est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte confutaui: postquam verò pro verbis virtus proceßit ex ore docentis, non potuerunt verba resistere virtuti, nec homo aduersari potuit Deo, &c. Possent huius generis nonnulla recenseri, quæ nostro seculo facta sunt. Non est ergo, vt sibi metuant, si qui legitimè ad docendi munus vocantur. Pertinet autem consolatio ista etiam ad eos, quibus fidei suæ ratio reddenda est apud principes potentißimos & Inquisitores, qui crudeli sophistica laqueos & retia texere norunt, quibus doctißimos quosq; capiant. Sed nullis mendaciorum strophis capitur Veritas, & nequicquam Dei sapientiam venatur carnis astutia. Et tunc in mentem nobis veniat Christi promißio: Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes, qui aduersabuntur vobis. Et dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Non enim estis illi loquentes, sed spiritus patris vestri, qui in vobis loquitur. Vide Luc. 21. Matth. 10. cap.

Consolatio indoctorum.

Lib. 10. hist. eccles. cap. 3.

Cæterùm vt ad Paulum redeamus, obijceret aliquis: Atqui ita vilescit Euangelium, & apud plerosq; in contemptum venit, si nullo prorsus splendore commendetur. Præuenit ergo istam obiectionem, & ait: Nam sermo ille Crucis, id est, doctrina de Christo pro nobis crucifixo, ijs quidem qui pereunt, stultitia est: nobis autem qui seruamur, potentia Dei est. Habent ista non obscuram Concesßionis speciem, & ita dicere videtur: Scio equidem quid pleriq; de Euangelio iudicent. Etenim qui carnis rationem audiunt, ijs nihil stultius, nihil absurdius putatur, quam quòd docemus, Dei Filium hominem factum esse, in terris egestatem, nuditatem, famem & alia vitæ huius incommoda sustinuisse, mortem in cruce infamem paßum esse, tertio autem die à mortuis in vitam redijsse, atq; illius merito nos seruari. Videntur (inquam) hæc carni absurdißima, & ideo quæstiones mouet varias. Quomodo nimirum qui pauperrimus fuit, alios diuitijs beare: qui nudus in cruce pependit, nos vestire: qui quò caput reclinaret non habuit, nobis in cælis sedes æternas parare queat? quomodo item ex morte ad vitam resurgere potuerit, qui se quò minus occideretur, non defendit? Quærunt præterea, quæ ratio nos iubeat in Christi morte vitam, & in eiusdem cruce cælestem gloriam sperare? At meminisse oportet, hæc illis modò stulta videri, qui pereunt: ideoque illorum iudicia neminem offendere debent. Eadem enim prædicatio nobis, qui seruamur, est potentia Dei: quia & saluificam illam Dei virtutem nobis offert, quam in Filio suo ille exeruit: & præterea inuictam Dei potentiam mirificè illustrat. Nec enim hæc tam conspicua fuisset hominibus, si nihil

Euangelium non nisi ijs qui pereunt stultitia est.

huius passus esset Christus, quo seruatore gloriamur. Vtq; olim illustriora suæ potentiæ specimina Deus ædidit, quando Ionam in cæti ventre seruauit, & Danielis socios inter medias flammas defendit, quàm si illos mox eripuisset, ne quid huius illis accideret: ita maior multo Dei virtus est, quòd & filium ex morte restituit, & nos eiusdem morte viuificauit, quàm si & illum & nos à morte prorsus custodiuisset: Hæc quia credentes obseruant, Euangelium illis Dei potentia est ad salutem, quod alteris illis stultitia apparet, sed quæ iisdem exitium sempiternum afferat.

Pœna eorum, qui suam ratio nem sequũtur. At ne hoc aliquis nouum aut insolens esse existimet, ostendit idem olim quoq; factum fuisse, & Deum has pœnas iampridem omnibus decreuisse, qui ipsum audire nolunt, & propriæ rationis ductum sequuntur. Scriptum est enim: Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Extat locus apud Isaiam Cap. 29. Accusat illic Deus populi Iudaici contumaciam, imprimis autem quòd humanis traditionibus ipsum colerent, & ore quidem fidem in ipsum & cultum eius profiterentur, cùm cordibus ab eo quàm longißimè abessent. Minatur autem fore, vt qui ipsum disertè loquentem audire nolunt, tandem prorsus excæcati nihil intelligant, adeò vt Verbum eius ipsis sit instar libri obsignati in manibus hominis indocti, & ab omni literarum cognitione alieni. Quibus tandem subijcit: Eo quòd populus iste ore suo ad me accedit, & labijs suis me honorat, cor autem eius longè à me abest, & timor eorum erga me præcepto hominum doctus est, ideo en ipse quoq; addam, vt mirificè agam cum populo isto, mira scilicet & portentosa: nempe peribit sapientia sapientum eius, & intelligentia prudentum eius sese abscondet. Hæc suo instituto Paulus accommodat, & quidem illi propriißimè omnia conueniunt, siue Iudæorum scribas siue gentium philosophos consideres. Noluerunt illi Christum in Euangelio loquentem audire, & suis commentis atq; traditionibus siue placitis indiuulse adhæserunt. Factum ergo est, vt amisso rationis iudicio, extremam stultitiam putarint esse saluificam illam Dei sapientiam atq; potentiam, quæ in Filio eius ipsis proponebatur. Et quod illis tunc accidit, hodie plurimi patiuntur, qui cùm superstitionibus assueuerint, & propriæ iustitiæ fiducia efferantur, simili proteruia Euangelium rident. Causa verò erroris tam noxij est, quòd regni Dei mysteria ad humanæ rationis calculum reuocant, & sui ingenij acumine ea examinare & inuestigare volunt, quæ omnem nostræ mentis captum excedunt. Quàm verò stultum est hoc conari, cùm ne eorum quidem omnium ratio reddi poßit, quæ naturæ imprimis consentanea & in vsu quotidiano sunt? Dicant enim illi nobis, si possunt, cur oculis potius quàm auribus videamus, & his potius quàm illis audiamus? In capite certè & cerebro vtriusq; sensus organa habentur, effectus verò eorum diuersus est. Ostendant item nobis, quo vinculo anima corpori cohæreat, qua ratione per omnia membra extendatur, vnde quæ inter membra totius corporis est condolentia procedat? Nónne in his & infinitis alijs suam infantiam fateri cogentur? Et tamen ista nemo stulta aut absurda iudicat, nisi qui omni rationis vsu destituitur. Cur ergo stulta putamus æternæ salutis mysteria, eò quòd nostro intellectui minus pateant? Annon certißimi interitus & exitij argumentum censeri debet ista audatia, quæ sibi in ipsum Deum iudicium sumere non veretur? Imò, annon illi ipsi extremæ stultitiæ seipsos damnat, dum se tam stupidos rerumq; dubios præbent in illis, sine quibus salus nostra non potest consistere?

Insultat humanæ sapientiæ. Isa. 33. Rectè igitur Paulus nunc quasi triumphans de humana sapientia illis insultat, & eiusdem prophetæ verbis aliquantò detortis exclamat: Vbi sapiens? vbi scriba? vbi cõquisitor seculi istius? Quasi diceret: Agedum in medium prodi quisquis vel inter gentes philosophiæ studium, vel inter Iudæos scripturæ sacræ cognitionem profiteris? Prodi etiam tu, qui totus circa huius mũdi arcana occuparis, & disputationibus atq; quæstionibus acutißimis omnia inuoluis. Defendite causam vestram, si potestis, & quam ipsi vobis aspersistis extremæ stultitiæ notam eluite. Nónne infatuauit Deus sapientiam mundi huius? Comprehendit autem sapientiæ vocabulo omne id, quod homo intelligit & nouit, siue naturali acumine, siue rerum vsu inuestigatum. Infatuatum verò dicit, quia illud omne nihil quàm vanitas est, imò noxium est, nisi Christi cognitione regatur, quem nobis sapientiam à Patre factum esse, mox dicet. Non debet autem hoc ita accipi (vt nuper monuimus) quasi artes & harum studia in vniuersum damnentur. Sunt enim illæ etiam spiritus sancti donũ, & magnus earundem vsus est in ijs, quæ vitæ huic mortali seruiunt. At ne in æternæ salutis negotio aliquid illis tribuamus, monet Apostolus. Quid enim illic proficiat carnis sapientia, cui cælestis

lestis regni mysteria (vt modò dictum est) stultitia videntur? Arguitur his ergo ingens error, qui in Christianorum scholis nimium diu regnauit: quo factum est, vt ad theologiæ studium non admissi fuerint, nisi prius philosophiæ prophanæ traditionibus imbuti & ebrij. Huic certè debemus superstitiones omnes, quæ in ecclesiam irrepserunt, & totius doctrinæ adulterationem quæ infinitas animas à recto salutis tramite abduxit. Idem enim inter Christianos, quod olim inter Iudæos sub Iasone Pontifice factum fuit. Vt enim is Hierosolymis gymnasium instituit, in quo Iudæa iuuentus Græcorum artibus imbueretur, & ex quo intra annos circiter quadraginta Pharisæi, Sadducæi & Esseni prodierunt: ita in Christianorum scholis philosophi gentium auditi sunt, qui liberum hominis arbitrium, operum merita, satisfactiones pro peccatis, ignem purgatorium & sexcenta alia nobis pepererũt, quibus Christiana religio partim obscurata, partim extincta est. Arguitur præterea hîc illorum quoque error, qui doctrinam fidei Christianæ hominum censuræ & iudicio subijciunt, qui præ alijs seculi huius sapientia & rerum vsu instructi esse videntur. Quid verò isti hîc faciant, quorum sapientiam Deus ipse iam pridem stultitiæ damnauit? Num cæci de coloribus, surdi de vocum differentijs iudicabunt? Hoc ergo nobis persuasum esto, nunquam nos aliquem in regno Dei profectum facturos esse, nisi rationem & sensus omnes Dei Verbo subijciamus per fidei obedientiam. 1. Mach. 1. 2. Mach. 4.

Ne quis autem Deum iniquiorem & æquo duriorem esse putet, ostendit Paulus, mundum, id est, homines huic seculo & mundanæ sapientiæ deditos, dignos fuisse, quos ille ita tractaret. Nam postquam (inquit) in Dei sapientia mundus non cognouit Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes. Sapientiam Dei dicit eam, quæ in mundi fabrica, ceu in speculo limpidissimo elucet, & in qua Deus suam sapientiam cum omnipotentia coniunctam nobis contemplandam proponit. Sensus ergo loci huius est: Quia sapientes huius seculi sapientia sua & ingenij acumine non rectè vsi sunt, vt Deum ex mundi fabrica cognoscerent, & cognitum obseruarent, colerent atq; in illo vno omnem salutis fiduciam repositam haberent: sed potius ad sua figmenta conuersi Deum illum vnum quasi in partes distraxerunt, & illius maiestatem cum simulachris non solùm hominum, sed brutorum quoque animantium commutarunt: digni sanè fuerunt, quorum sapientiam omnem ille infatuaret. Veruntamen ne genus humanum prorsus periret, placuit Deo alia via rem aggredi, & credentes seruare per stultitiam prædicationis, id est, per doctrinam crucis, quæ mundo stulta & absurda videtur. Et hæc dicendo Apostolus non modò iustitiam Dei asserit, sed eiusdem quoq; bonitatem commendat, qui cùm nos totos nostro exitio relinquere & pro vt merueramus perdere posset, se tamen nobis accommodare, & ad nostrum captum demittere dignatus est, vt boni præceptoris instar nobiscum balbutiret, & salutis nostræ rationem, quam in sublimioribus regni sui mysterijs non poteramus percipere, in humili prædicatione Filij sui pro nobis crucifixi proponeret. Neminem ergo huius prædicationis pudere debet, quin volupe nobis sit apud mundum stultitiæ crimen sustinere, dummodo illi sapiamus. Continet autem locus hic præclarum encomium prædicationis euangelicæ, adeoq; omnium concionum, quæ ex illa deducuntur. Seruantur per illam credentes. Hoc ergo organum est, quo Deus in nobis seruandis vtitur. Ideo Angelus Cornelio dicebat: Accerse Simonem, is tibi loquetur verba, per quæ serueris & tu & tota domus tua, &c. At non seruantur, nisi qui credunt, sicuti idem Apostolus alibi prolixè docet, imprimis ad Rom. 10. cap. vbi ordinem, quem Deus obseruat, pulchre describit, & tandem ait: Fides ex auditu est, auditus verò per Verbum Dei. Agnoscamus ergo tam ingens Dei beneficium, & ordini ab illo nobis tradito nos accommodemus, vt ex Euangelij prædicatione fidem discamus veram, qua seruemur in IESV CHRISTO *Filio eius: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.* Mũdus dignus qui infatuetur.

HOMILIA VI.

Quandoquidem & Iudæi signum petunt, & Græci sapientiã quærũt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: ipsis autem vocatis, tum Iudæis tum Græcis, Christum Dei potentiã ac Dei sapientiam. Nam

stultitia Dei sapientior est quàm homines, & infirmitas Dei validior est quàm homines.

QVoniam Corinthij in pseudoapostolis humanæ sapientiæ & eruditionis laruam, adhæc dicendi ornatum atq; splendorem nimis admirabantur, & Pauli doctrinam eo potißimùm nomine contemnebant, quòd vnum IESVM CHRISTVM *simplici & humili dicendi genere prædicaret: diligenter admodum huic errori medetur, & grauiter docet, eruditionem & eloquentiam, qua mundus hic sese ostentat, nihil prodesse ad veram æternæ salutis cognitionẽ, imò illa iam olim à Deo stultitiæ esse damnata. At ne quis idcirco Deum vel iniustitiæ vel crudelitatis aut nimij rigoris accusaret, ostendit, non iustum modò & nobis salutare, verumetiam necessarium fuisse, vt sic fieret. Quia enim mundus hic sapientia, quam habebat, in Deo cognoscendo rectè vti noluit, cùm is seipsum & sapientiam atq; potentiam suam immensam in tota hac orbis cùm cœlestis tum terrestris machina euidentißimè spectandam proposuisset, æquum fuit, vt Deus vniuersum humani ingenij acumen atq; eruditionem in posterum à salutis causa omnino excluderet. Eundem verò simul bonitatis suæ erga homines non immemorem fuisse demonstrat, quando ne omnes æternùm perirent, malo huic remedium adhibuit per Euangelij prædicationem, quæ etsi in speciem stulta & absurda sit, credentibus tamen salutem veram & certam affert. Porro ne quis Paulum Euangelij doctrinam seriò stultam dixisse putaret, nunc dicti huius declarationem subijcit, qua & Euanlicæ prædicationis dignitatem magnificè prædicat, & consilij diuini rationem diligentius exponit.*

Quo sensu Euangelium stultitia dicatur.

Et primò quidem ex hominum iudicio & moribus se locutum esse testatur, quos simul omnes in duo genera, Iudæos & gentes, distinguit, vt dictum illud vtrisq; conuenire ostendat. Sic autem ait: Quandoquidem & Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, &c. Sensus verborum istorum hic est: Stultam dixi prædicationem siue doctrinam de CHRISTO IESV; *non quòd reuera stulta sit, sed quòd talis esse videatur omnibus, quos Dei gratia nõdum illuminauit, vt sub illa latentem Dei sapientiam atq; potentiam deprehendere poßint. Nam si Iudæos spectes, minimè in hanc illi intenti sunt, sed signa & miracula sibi exhiberi volunt, quibus saluifica Christi potentia oculis spectanda proponatur. Quòd si ad Græcos te conuertas, & eos maximè, qui ingenium philosophia & artium cognitione excoluerunt, hi quoq; Christi prædicationem non admittunt, eò quòd in ea humanæ sapientiæ laruam desiderent, quam solam admirari consueuerunt. At nos neq; his neq; illis satisfacere possumus. Nam nihil prædicamus, præter* IESVM CHRISTVM *crucifixum, qui Iudæis offendiculum est, cùm illi Meßiam regni terreni magnificentia, victoriarum successu & admirabili potentia illustrem iampridem animo conceperint: at Græcis idem ille stultitia videtur. Quia enim isti sapientiæ & artium huius seculi ostentationi assueuerunt, fabulam contemptu & risu dignam esse putant, quicquid de Filio Dei in crucem pro nobis suspenso prædicatur. Cæterùm qualemcunq; mundus hic æstimet, idem tamen vocatis, siue illi Iudæi siue Græci fuerint, est Dei potentia & sapientia. Vocatorum autem nomine credentes intelligit, ideoq; de efficaci vocatione loquitur, sub qua*

Rom. 8.

gratuitam Dei bonitatem comprehendit, qui (vt alibi scribit) quos elegit & prædestinauit, eosdem suo tempore vocare etiam & trahere solet, vt in Christo iustificentur, & gloriæ cœlestis hæredes fiant. Insunt autem his verbis nonnulla, quæ diligentiorem considerationem merentur.

Remoræ & impedimenta fidei.

Inter quæ primum occurrit, quibus remoris homines maximè impediantur, quò minus Christo credant, & seruentur. Primam sibijpsis obijciunt, qui Iudæorum more non in vnum Dei Verbum intenti sunt, sed signa aut miracula postulant, quibus illius doctrina confirmetur. Solet quidem Deus frequenter signa ædere, & olim erga Iudæorum gentem illis subinde vsus est, quia his opus erat illos excitare, vt relicta mundi totius consuetudine ipsum audirent & solum colerent. Neque semper nefas aut impium est, signa postulare. Hoc enim olim Gedeon fecit, & ei morem geßit Deus, eò quòd non eo animo petebat, quòd aut Deo diffideret, aut huic contradicendi causas quæreret, vt impij solent, sed vt in fide confirmatus eius vocationi obediret, & populum quoque in re plena periculi atq; laboris haberet obsequentiorem. Sed & Achaz rex hoc nomine à propheta corripitur acerrimè, quòd à Deo iussus signum nollet petere. Nam incredulitatis obstinatæ

homo,

homo, neq; promißionibus Dei, neq; signis fidem habebat, & ex eorum numero erat, qui cum Deo prorsus nihil negotij sibi esse volunt. Quod non obscurè innuit propheta his verbis: An parum est, quòd hominibus molesti estis, nisi & Deo meo molestiam exhibeatis? Imò illi inuito & reluctanti signum obtrudit, vt inexcusabilis fiat illius pertinacia. Itaq; non statim impietatis damnari debent, qui signa sibi exhiberi cupiunt. At si quis ea Iudæorum more petat, hoc certè scelus est nulla venia dignum. Videamus ergo, vt illi signa aut miracula postularint. Primò causa petitionis istius fuit incredulitas, quæ fecit vt Deum tentarent. Nam non contenti ijs argumentis, quibus se illis fruendum dabat, eius potentiam atq; voluntatem nouo & peculiari aliquo exemplo declarari cupiebant. Exemplum huius audaciæ in Psalmo habetur, vbi sic scribit Asaph: Tentauerũt Deum in corde suo, cùm poscerent cibum pro animarum suarum desiderio. Et contra Deum locuti sunt, dicentes: Nũm potest Deus mensam instruere in deserto? En petram percußit, & effluxerunt aquæ & fluuij inundarunt: num panem quoq; dare poterit? num carnes poterit parare populo suo? Eius generis fuit, quòd cùm Christus diuinam suam potentiam infinitis miraculis quotidie declararet, ipsi tamen illis contemptis sibi signum aliquod è cœlo exhiberi cupiebant. Deinde non is postulationum eiusmodi finis ipsis propositus erat, vt in fide confirmarentur, & Deo obedirent, sed potius nouas aduersus illum murmurandi occasiones venabantur. Ideo quæ negari non poterant in Christo negligunt, miraculum verò petunt è cœlo, quod sensu minus percipi posset, & proinde facilius posset in dubium vocari. Adhæc insatiabilis erat hæc illorum malitia, qua fiebat, vt signa nulla illis sufficerent, sicuti apud Mosem & in Euangelica historia est videre. Acceßit his abusus nefarius, qui res sanctißimas prophanare solet. Et horum similes sunt, quicunq; etiam hodie à nobis signa & miracula edi volunt, neq; se antea credituros aiunt, quàm nos apostolorum exemplo opera prodigiosa facere viderint. At quid aliud isti volunt, quàm vt aliquem prætextum inueniant, quo suam incredulitatem atq; pertinaciam excusent. Non ergo digni sunt, quorum impio desiderio Deus indulgeat. Si enim Christiani sunt, quos se esse profitentur, ijs vtiq; credant necesse est, quæ Euangelistæ iam olim ex spiritus sancti suggestione tradiderunt. Atqui copia signorum illic maxima nobis proponitur, vt nouis minimè sit opus. Quòd si illis nõ credunt, iam neq; Christiani sunt. Desinant ergo tam sibijpsis quàm alijs inani & fucata fidei profeßione imponere. Et quoad signa, meminerimus, olim illorum vsum fuisse, cùm totius orbis facies subitò mutãda erat, & doctrinæ genus cùm Iudæis tum gentibus inauditum prædicaretur: at hodie non eadem neceßitas nobis incumbit, qui non aliam doctrinam prædicamus, quàm quæ Symbolo apostolico, quod in omniũ ore est, continetur, & quam olim Apostoli miraculis innumeris cõfirmarunt. Imò vt alibi ex Augustino annotauimus, vtile fuit posteris temporibus miracula cessare, ne animi nostri semper visibilia quærerẽt, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Quòd quàm verè & prudenter ille dixerit, ex hoc Pauli testimonio apparet, qui Iudæos signorum postulatione quàm maximè impeditos fuisse scribit, quò minus in Christum crederent.

Quomodo Iudæi signa postularint? — Psal. 78. — Matt. 12. & 16 Ioan. 6.

Altera fidei remora est, si regnum Christi & æternæ salutis negotium ad humanæ rationis talculũ reuocemus, & nostris nos imaginationibus duci patiamur. Id verò bifariàm fit. Primò, cùm in Christo regnum terrenũ quæritur. Offenderunt hic etiam Iudæi, quòd promißiones & vaticinia prophetarũ non rectè intelligerent, vt sæpe diximus. Et hodie multis idem contingit, qui sibi ex Euangelio opes, honores, magnatum amicitias & pacem perpetuam pollicentur. Fit ergo, vt spe sua frustrati turpiter ab incæpto resiliant, & fidem nondum rectè cognitam abnegent. Deinde erratur hic ab ijs, qui nihil credere volunt, quòd non certis & inter homines receptis rationibus probetur. Hoc est cum Græcis sapientiã quærere, aut potius sapientiam in Deo desiderare, qui ipsißima sapientia est. Sunt ergo isti eorum similes, qui in Sole meridiano faculã sibi accendi petunt, vt per eam de Solis splendore poßint certiores fieri. Nuspiã enim clarius & perfectius fulget diuinæ sapientiæ splendor, quàm in CHRISTO IESV *& in humani generis redemptione, quæ per hũc facta est. Quis enim alius præter vnum Deum eam nostræ salutis rationem inuenire potuisset, qua & iustitiæ Dei satisfieret, & eiusdem bonitatem atq; misericordiam ipsi nobis viuificã sentiremus? Fatemur tamen humanæ rationi in tanti mysterij consideratione non semper satisfieri posse: sed hoc nostro vitio fit, qui ad cœlestium sublimitatem vsq; penetrare non possumus: quapropter nos tunc*

Humana ratio fidei remora est bifariam.

non dubitare aut Euangelio contradicere debemus, sed potius admirari Dei consilium & aeternum sapientiae eius inexhaustae decretum. Cogitemus item impoßibile eße, vt nobis, dum in hac carne viuimus, certa omnium consiliorum Dei ratio constet: quando ne in ijs quidem, quae ex naturae legibus quotidie fiunt, certa & sufficiens ratio semper afferri potest. Consultißimum ergo fuerit Verbo Dei simpliciter credere, & nostrae rationis captu omniq; sensu nostro per fidei obedientiam subacto, tunc quoq; spem atq; fidem firmam animo concipere, quando neq; spes neq; ratio aliqua apparet, quae nos credere iubeat. Commendatur hoc nomine Abraham, quòd praeter spem sperauerit, cùm ex vetula & sterili Sara sibi centenario filium nasciturum esse audiret. Debet etiam semper nobis in animo versari, quòd Christus regnũ suum negat esse de hoc mundo. Quae ergo stultitia est, illud huius mundi legibus astringere, nec in illo quicquam credere, quod humanis rationibus nõ poßit probari? Quòd si interim signis aliquibus fidem nostram Deus fulciat, aut exemplis praeter omnem expectationem aeditis confirmet, in ijs nos illius bonitatem agnoscere, ea piè obseruare atq; omnibus religiose vti conuenit ad nominis sui gloriam.

Rom. 4.

Praedicatio Christi non mutatur propter hominum iudicia.

Obseruari quoq; debet hoc loco, quòd Iudaeorum & gentium peruersis de Christo iudicijs nudam & simplicem Christi praedicationem opponit. Nos (inquit) praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem offendiculum, Graecis autem stultitiam, &c. Loquitur autem non in sua solùm, sed in omnium Apostolorum, imò prophetarum quoq; veterum persona, qui simul omnes nihil aliud quàm Christum crucifixum nouerunt atq; praedicarunt, vt Cap. 2. fusius demonstrabitur. Ita verò innuit, Deum propter corrupta & peruersa hominum iudicia nequaquam mutare salutis nostrae rationem, quae aeterno eius decreto nititur. Offenderunt ad Christum Iudaei & gentes: at manet ille nihilominus humani generis redemptor vnicus, neq; propter temerarios illos critones Apostoli praedicationis suae argumentũ aut formulam mutauerunt. Sic olim cùm totus orbis sub tenebrarũ potestate esset, & gentes quidem promißiones de venturo Meßia prorsus ignorarent, Iudaei verò illas non rectè intelligerent, nunquam tamen illae mutatae sunt, sed eandem doctrinam prophetae omnes perpetuò omnibus inculcarunt. Fiet idem omnibus seculis, & hoc non obscurè Christus docet, qui cùm nouissimis temporibus pseudoprophetas & seductores plurimos orituros esse dixisset, & simul de incurabili hominum contumacia discipulos diligenter admonuisset, fore tamen ait, vt Euangelium per totum orbem praedicetur. Sunt haec propter eos obseruanda paulò attentius, qui propter aliquos, qui obstinata malitia Veritatis doctrinae resistunt, multa concedi, multa reticeri aut dißimulari, multa item in doctrinae capitibus mutari oportere clamant. Quasi verò in nostro arbitrio sit salutis rationem constituere, aut regni Dei oeconomiam mutare. Quin Apostoli exemplum potius sequimur, qui & alibi ait: Christus heri & hodie, idem est etiam in secula, neq; est in quoquam alio salus. Huius item postremum mandatum est: Ite in orbem vniuersum, & praedicate Euangelium omni creaturae. Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Est ergo haec vnica, certa & semper sibi constans salutis doctrina, quam Paulus (vt in posteriori ad Timotheum habetur) constanter vrgeri vult in ecclesia, idq; eò magis fieri iubet, quòd sciret quàm plurimos fore, qui sanam doctrinam non recipiunt, & qui blandiloquentia fallaci aures sibi demulceri volunt. Quod autem de salutis ratione dicitur, hoc ipsum ad omnia Dei decreta & praecepta debet transferri. Manet enim Verbum Domini in aeternum, & illo aliquid constituente, quis illud facit irritum? Illius ergo praecepta nobis vitae totius atq; actionum nostrarum omniũ regulam constituamus, neq; putemus voluntatẽ eius propter corruptißimos nouißimi seculi mores atq; quiduis audendi licentiam, mutatam esse, aut illum indulgentiorem fore in puniendis illis, qui leges ab ipso latas transgrediuntur. Non minus autem nos promißiones eius consolari debet aduersus mundi & principis eius minas: quando constat, illas quoq; perpetuò ratas fore. Regnabit enim Christus, vtut mundus hic tumultuetur, neq; oues eius quisquam illi ex manibus eripiet.

Marc. 13.

Hebr. 13.

2. Tim. 4.

Isa. 40. & 14.

Christus Dei potentia & sapientia.

Habet praeterea locus hic egregiã & plenam consolationis IESV CHRISTI descriptionẽ. Nam Dei potentiam & sapientiam illum dicit Apostolus. Non loquitur autẽ de personae essentia, neq; aliquid à Deo Patre abstractum imaginatur, vt neq; illius humanitatem in dubium vocat. Scimus enim illum, quoad personae essentiam, Deum verum & hominem verum esse: Deũ quidem aeternũ, & (vt ipse loquitur) vnum cum Patre: hominem verò factum non diuinitatis abnegatione aut muta-

aut mutatione, sed carnis assumptione, quam præfinito tempore ex matre Virgine assumptam sibi sociauit. Itaq; locus iste de illius effectis, & fructu, qui ex illo ad nos redit, debet intelligi. Est igitur Christus Dei potentia, quia per illum saluificam suam potentiam iste exeruit, & hodie etiam efficaciter exerit, quando per illius prædicationem homines mutantur, trahuntur, regenerantur, & in eodem fortes scandala & salutis impedimenta omnia superant, in illo deniq; omnia possunt. Est idem etiam sapientia Dei, quia in eo reconditi sunt omnes scientiæ & cognitionis thesauri, neque aliquid nos sine illo in rebus diuinis intelligere aut sapere possumus. Nam vt Ioannes ait, Deum nemo vidit vnquam, sed vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis enarrauit. Ioan. 1. Christus deniq; est vera illa sapientia, per quam orbis totus conditus est, & cuius lux in animis nostris accensa humanæ sapientiæ laruam detrahit, vt appareat nihil quàm vanitatem & extremam stultitiam esse, quicquid inter homines sapientiæ titulo venditatur. In horum consideratione crebrò nos versari conuenit. Vsus autem considerationis istius hic nobis esto, vt illi constanter fidamus in omni tentationum genere, neque mundi huius terriculamentis nos superari patiamur. Quem enim timeant, qui Dei potentia nituntur, & supra illam petram ædificati sunt, aduersus quam ne portæ quidem inferorum præualent? Vt verò illi fidere possimus, eum solum audire oportet, vt ex eius Verbo renati in filiorum Dei numero censeamur. Sed ô infelices, qui in Euangelio nobis loquentem Dei sapientiam fastidiunt, & incertis hominum traditionibus sese circumduci patiuntur?

At quia caro nostra videre non potest, quomodo Christus, quo nihil in mundo contemptibilius & imbecillius esse putatur, Dei potentia & sapientia sit, argumentum ex ipsius Dei natura subijcit Apostolus, quo illud probet. Nam stultitia Dei (inquit) sapientior est quàm homines, & infirmitas Dei validior est quàm homines. Dei stultitia et infirmitas. Quæ verba non eo sensu accipi debent, quasi in Deo aliquid vel stultum vel infirmum sit, sed hominum iudicia respicit, quibus prædicatio de cruce Christi stulta & infirma, adeoq; fabulosa & res nullius momenti aut pretij esse videtur. Et stultitiæ atque infirmitatis vocabulis vtitur, vt magis amplificet quod dicere instituit. Putat autem mundus totum illud Christianæ fidei atq; religionis negotium meram stultitiam esse, eò quòd rationibus humanis non potest probari, & quòd homines ipsos quodammodo ad stultitiam, vel ad insaniam potius adigere putatur, vt abiecta rerum omnium cura, ne vitæ quidem propriæ rationem habeant, dummodo Christum apprehendere & cum illo vniri possint. Adhæc infirmitas maxima videtur, quòd fides ista & doctrina nulla hominum authoritate & potentia fulcitur, & quòd omnium odijs exposita persecutiones grauissimas sustinet. Sed hæc (inquit) stultitia omnem hominum sapientiam superat, & hæc infirmitas omnem totius mundi potentiam atq; vires longe vincit. Et quod Paulus dicit, facilè demonstrari potest, si ea quæ Christus ipse fecit, & quæ illius spiritu ducti Apostoli fecerunt, non oscitanter consideremus. Nam vt ab eius infantia exordiamur, qui Bethlehem in stabulo natus in presepio iacuit, is ad sui adorationem Magos ab extremo Oriente adduxit, angelos suæ natiuitatis precones habuit, vrbem Romam (vt Orosius scribit) prodigijs magnis & inusitatis terruit, & Domini nomen abdicare coëgit Augustum Imperatorem, qui prius bellis ciuilibus totum orbem terrarum turbauerat, vt solus regnare posset: adhæc proditoria Herodis consilia elusit, qui vitæ ipsius crudeles insidias struebat. Postea cùm vix duodecimum ætatis annum attigisset, in templo Hierosolymitano publicè docuit, & inter gentis illius eruditissimos doctores diuinæ suæ sapientiæ specimen cum summa omnium admiratione dedit. Postquam verò iam baptizatus ea obire cœpit: quorum ergò in mundum venerat, potentiam simul & sapientiam Dei exemplis tot tantisq; declarauit, vt dies totus illis commemorandis non suffecerit. Nam diabolum in deserto vicit, & qui nullo hominum testimonio cõmendabatur multa discipulorum millia post se traxit: suos quàmuis nihil proprium possideret, mirificè aluit: & eosdem inter insidias & hostiles potentissimorum conatus seruauit: adhæc mari, ventis, morbis & immundis spiritibus cum imperio mandauit, sacerdotum & scribarum quæstionibus insidiosis ita respondit, vt eius quidem sapientiam omnes admirarentur, illi verò suam ignorantiam cum ignominia proderent: sed & consilia & manus hostium non semel cum miraculo euasit, cùm iam ab illis comprehensus esse putaretur. Ast vbi hora illa fatalis adfuit, qua eum propter peccata nostra mori oportebat, ne tunc quidem virtutem di-

ninam dißimulauit. Nam vno verbo cohortem totam eorum, qui ad ipsum capiendum mißi erant, deiecit, innocentiam suam aduersus hostium versutißimorum criminationes atque calumnias ita asseruit & defendit, vt Pilatum quoq; eius testem haberet: deinde cùm nudus & omnium ludibrijs expositus in cruce penderet, Solis radios extinxit, terram totam immani motu concußit, petras dissecuit, velum templi discidit, monumenta aperuit, Centurionem & multos ex militum aliorumque spectatorum numero ad sui confeßionem adegit, & tandem neque Romani Imperatoris, cuius nomine sepulchri ostium obsignatum erat, authoritatem, neque militum excubantium arma moratus, à mortuis resurrexit, & resurrectione sua peccatum, mortem, diabolum atque inferos deuicit, & tandem illustri cum triumpho super nubila vectus ad Patris dextram consedit, vnde spiritum sanctum misit discipulis, qui illius prædicatione totum orbem terrarum mirifico successu intra paucos annos illustrauerunt. Et hoc quidem Christi auspicijs fecere, qui numero pauci, & ob gentem suam omnibus inuisi, adhæc indocti & illiterati atque omni humano præsidio destituti erant: ij (inquam) multùm reluctantibus illis, qui tunc in orbe potentißimi erant & supremam doctrinæ atque sapientiæ existimationem sustinebant, mutationem totius orbis inuexerunt, quod nemo alius vnquam perficere potuit. Plato certè, quem philosophorum sapientißimum non immeritò dixeris, rempublicam quidem imaginatus est nouam, sed adeò illam constituere non potuit, vt potius cum sua republica ex Sicilia eiectus vitæ periculum adierit. Quid verò de Diagora, Protagora & Theodoro philosophis dicemus, qui quòd Deos negarent, inter amicos grauiter periclitati sunt? Et Socratem, cùm omnium optimus haberetur, eadem de causa cicutam bibere coactum fuisse legimus. Neque quisquam horum suis, quod cupiebat, persuadere potuit. Quis ergo non videat Christi virtutem omni humana potentia atque sapientia maiorem esse, qui per Apostolos in toto orbe terrarum religionem simul atque rempublicam mutauit, & quàmuis illi ab impijs occisi sint, mansit tamen doctrinæ ipsorum fructus, sicuti ille euenturum promiserat. Neq; minor Christi virtus postea in Martyribus eluxit, inter quos pleriq; cum illiterati & nullo rerum vsu instructi essent, tamen & fidei rationem publicè reddiderunt non sine omnium admiratione, qui illos audiebant, & diros immanißimorum suppliciorum cruciatus tanta fidei constantia & animi patientia sustinuerunt, vt carnificum quidem manus fatigarent, tyrannos rerum dubios facerent, ipsi autem inuicti & immobiles ad grauiora quoque ferenda se paratos esse ostenderent. Et hæc quidem omnia Christus non inter amicos & discipulos, sed inter medios hostes fecit: vt planè constet ipsum esse, quem Dauid in medio inimicorum suorum regnaturum esse prædixerat. Verißimè ergo ab Apostolo dictum est, stultitiam Dei sapientiorem esse hominibus, & eiusdem infirmitatem vires hominum longè superare. Neque hoc in solo Christo cernitur, sed in alijs quoque Dei operibus, quando pleraque ex ijs perficit, quæ aut nulla, aut ijs, quæ fiunt, contraria videntur. Sic totam hanc mundi machinam ex nihilo produxit, maris fluctus arena conclusit, terram aquis imposuit, & posteris temporibus ecclesiam suam tunc maximè auxit, & euexit, quando iamiam prorsus peritura videbatur. Hæc vt nobis admirabilem Dei sapientiam atq; potentiam commendant, ita consolationem in aduersis & periculis dulcißimam afferunt. Terremur sæpe hostium Euangelij potentia & astutia, sed tunc cogitemus, nihil his aduersus Deum profici. Qui enim per Filium suum mortali carne vestitum nos redemit, & omnibus hominum atque ipsius diaboli viribus & consilijs superior fuit, eidem facile fuerit nos tueri & seruare, vt in illo viuamus atque regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Platonis & philosophorũ comparatio cũ Christo.

Ioan. 15.

Psal. 110.

HOMILIA VII.

Videtis enim vocationem vestram, fratres, quòd non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Verùm quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma in mundo, elegit Deus, vt pudefaciat robusta: & quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus,

git Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt aboleat: Vt ne glorietur vlla caro coram eo. Sed ex ipso vos estis in CHRISTO IESV: qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque, & sanctificatio, & redemptio: Vt sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

ETsi Deus omnem superbiam odio habeat, eam tamen imprimis detestari & horrendis exemplis deijcere aut prosternere solet, qua in ijs priuatam gloriam quærunt homines, quæ ad æternam salutem faciunt, & quæ ille omnibus pijs communia esse vult. Nam qui hoc facere consueuerunt, ij & gratiam illius non rectè agnoscunt, & ab illo datis bonis ferè ad aliorum simul atque propriam pernitiem abutuntur. Fiebat hoc apud Corinthios, idque pseudoapostolorum vitio, qui post Pauli discessum in illam ecclesiam irrepserant. Hi enim, vt apud omnes in honore & pretio essent, sapientiæ cuiusdam sublimioris existimationem venabantur, & eandem magnifico verborum apparatu ostentabant. [Quæ causa erat], vt Corinthij quoque inani persuasione delusi sibiipsis mirificè placerent, quasi alijs ecclesijs longè præstarent: imò tantum suis illis doctoribus tribuebant, vt illorum quoque nominibus gauderent, & ita propter illos in diuersas sectas scinderentur. Peccabatur itaque superbia & ambitione tam à doctoribus, quàm ab ecclesia & periculum erat, ne malum hoc indies latius serpendo tandem immedicabile fieret. Ideo Paulus magna diligentia illi remedium adhibet. Docet enim redemptionis & salutis humanæ negotium non in sapientia huius mundi & eloquentiæ ostentatione consistere, neque Christum hisce præsidijs aut adminiculis ad regnum suum propagandum opus habere: sed longè aliam instituisse cœlestis illius philosophiæ rationem: Nimirum vt prædicatione in speciem stulta & absurda ad ipsum adducantur, qui ipsius sapientiam in huius mundi speculo elucentem agnoscere noluerunt: & ideo Apostolos misisse, qui non humanæ philosophiæ titulo, non dicendi peritia, non vllo artium præsidio instructi, sed spiritus virtute armati, Euangelium de Christo crucifixo quàm simplicissimè prædicauerint. His modò aliud argumentum ab ipsorum fidelium persona subijcit, quo ostendit, non solùm precones Euangelij illiteratos & obscuros homines missos esse, sed maiorem quoque credentium partem ex eodem hominum genere constare. Eratque hoc argumentum ad deprimendam illorum confidentiam efficacissimum: quia si in seipsos descendebant, non poterant porrò contemnere simplicem illam Euangelij prædicandi rationem, nisi suam quoque vocationem irritam facere vellent, aut saltem in dubium vocare. Ideo in huius argumenti tractatione multis ijsque grauissimis verbis vtitur.

Videtis (inquit) vocationem vestram, fratres, quòd non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, &c. Vocationis nomine tam ipsos vocatos, quàm rationem intelligit, quam in illis vocandis Deus obseruauerat. Orationem verò sic instituit, vt ipsos quasi in rem præsentem adducat, & ipsorum testimonio probet quod dicturus erat, quæ omnium certissima est demonstrandi ratio. Itaque verborum istorum sensus est: Si cui mirum aut absurdum videtur, quod de doctoribus & docendi ratione diximus, is agedum in seipsum, adeoque ad totum qui apud vos est credentium cœtum oculos conuertat, & videat diligenter, quid Deus in vobis vocandis obseruauerit, & quales ad Christi & ecclesiæ eius consortium vocarit. Quid enim illic inueniet? Nimirum, quòd non multi sapientes secundùm carnem, id est, non multi ea sapientia donati, quæ sola carnis iudicio probatur: non multi item potentia & dignitatibus politicis illustres, nõ etiam nobiles multi, qui generis sui originem ad veteres illos heroes, aut etiam Deos (vt inter gentes fieri consueuit) referre possint. Ita verò simul excludit merita & dignitatem omnem, quem vel ex generis splendore, aut quacunque alia re hominibus accedere consueuerunt. Vnde iam colligitur nimiùm stultè eos facere, qui humanæ sapientiæ existimationem aut dignitates huius sæculi in religionis & æternæ salutis negotio aliquid momenti habere arbitrantur. Nam si rem propius inspicere libeat, adeò illa non prosunt, vt potius nobis ad salutem tendentibus impedimento sint, nisi singulari gratia Deus nos subleuet atque in officio contineat. Qui enim sapientia Deus ferè contemptos & ignobiles vocat.

huius sæculi in rebus cognoscendis aut dijudicandis vtuntur, ijs (vt nuper diximus) stultissima videtur Euangelij prædicatio. Exemplum huius imprimis memorabile in Atheniensibus Lucas proponit, qui cùm in vrbe sua philosophos haberent innumeros, & ibidem schola totius orbis celeberrima floreret, adeò tamen ista illis nihil profuerunt, vt vix vllos alios in religione stultiores & ad fidem Christi admittendam magis ineptos fuisse constet. Nam & Deo ignoto aram consecrauerant, & Paulum de Christi regno & mortuorum resurrectione disserentem ita riserunt, vt eum nusquam terrarum scurrilius habitum fuisse constet. Et posteris temporibus cum philosophis plurimum semper negotij fuit Christianis doctoribus, atq; ex illorum scholis ferè hæretici prodierunt, quorum curiositate & portentosis opinionibus res Christiana periculosissimè turbata fuit. At qui in repub. excellunt, ij cùm Euangelium annunciari audiunt, mox doctrinam hanc reipublicæ inimicam & legibus aduersam esse putant, & quia suo honori aut famæ metuunt, illam quàm longissimè arcere conantur. Et habent illi flabella sua aulica, quæ inde seditiones & turbas enasci ipsis persuadent, &c. Et quàmuis interdum diuinæ istius lucis radij in animos illorum penetrent, obstat tamen metus ille cum politica prudentia coniunctus, ne aliquos progressus faciant. Tales olim Iudæorum principes fuisse constat, quorum aliqui rempub. nisi Christus è medio tolleretur, saluam fore negabant: alij verò etsi intra animos suos conuicti crederent, illum tamen non audebant profiteri, ne ex Synagoga eijcerentur. Quòd si generis nobilitate & opum abundantia superbientes inspicias, ij quoq; aut Euangelium magno cum fastidio contemnunt, eò quòd iam nunc se beatos esse, neq; alia felicitatis consequendæ ratione opus habere arbitrantur: aut si quando ad illud audiendum veniunt, ferè cum diuite illo, quem Matthæus describit, tristes discedunt, vbi quid ab ipsis requiratur, intelligunt, & semen verbi intra animos suos à spinis suffocari patiuntur. Et hæ causæ sunt, quòd omnibus istis plerunq; Euangelium absq; fructu prædicatur.

Actor. 17.

Ioan. 11. & 12.

Non damnantur omnes sapientes & nobiles.

Verumtamen nemo ista sic accipiat, vt neminem putet posse saluum fieri, qui aut ciuili prudentia & rerum vsu instructus, aut in magistratu constitutus, aut etiam generis nobilitate illustris est. Hanc enim opinionem Paulus ipse confutat, quando pro magistratibus iubet preces publicas facere, & hanc sui præcepti rationem affert, quòd Deus omnis loci & ordinis homines velit saluos facere. Et Christus, qui piscatores discipulos vocauit, minimè aspernatus est Nicodemum legisperitum, Iosephum Senatorem, Lazarum Bethaniensem cum sororibus, Magdalenam Ioannam, Chuzæ regij procuratoris vxorem, & plures alios, qui diuitijs & huius sæculi honoribus eximij fuerunt. Similiter prædicatione Pauli Sergium Paulum Cypri Procos. & Dionysium Areopagitam ad Christum conuersos fuisse legimus. Et inter Corinthiorum fideles numerantur Crispus Synagogæ præfectus, Gaius vir diues & totius ecclesiæ hospes, & Erastus Quæstor. Quòd si ad veteris testamenti libros accedamus, veri Dei germanos cultores inueniemus Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, Mosem, Dauidem, & innumeros prophetas, quorum alij ex regijs, alij ex sacerdotalibus familijs oriundi fuerunt. Posteris item temporibus ad Christi fidem & ecclesiam clarissimi philosophi, eloquentissimi Oratores & viri politici innumeri accesserunt, vt iam nihil dicamus de Imperatoribus, quorum authoritate (vt olim Isaias prædixerat) ecclesia defensa & sedulò propagata est. Neq; desunt nostro sæculo quantùmuis infelici & omnibus modis corruptissimo viri egregiè docti, & multi ex prima nobilitate, qui rem Christianam & amplexi sunt ipsi, & studio singulari promouent. Nimis ergo odiosè hoc loco phanatici quidam abutuntur, qui omnes damnationi obnoxios esse iudicant, qui vel non stupidi prorsus, aut errores atq; mendici fuerint. Et debebant isti verba Apostoli propius inspicere, qui non omnino neminem, sed non multos secundum carnem sapientes, non multos potentes, non multos nobiles vocatos esse scribit. Et ita tunc fieri oportebat, vt illustrior esset crucis Christi virtus & efficacia, de qua nuper diximus. Interim non minus ea in alteris quoq; illis elucet, quando per tot obstacula penetrat, & eos quoq; ad Christi obedientiam trahit, qui humanæ sapientiæ, potentiæ, nobilitatis, diuitiarum atq; honorum huius sæculi illecebris detinentur. Itaq; illi minimè de salute sua desperare debent, simul tamen eosdem meminisse conuenit, quam diligenti cura ipsis opus sit, ne salutis suæ iacturam faciant.

1. Tim. 2.

Quales Deus eligat.

Facit autem ad huius doctrinæ declarationem alterum huius comparationis membrum, quod multis exponit atq; illustrat Apostolus. Verùm (inquit) quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat

pudefaciat sapientes, & quæ sint infirma in mundo elegit Deus, vt pudefaciat robusta: & quæ igno bilia sunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, aboleat, etc. Poterat stultos, infirmos et ignobiles nominare, sed stulta, infirma et ignobilia quæ in mūdo sunt nominat, vt se de illis loqui testetur, in quibus nihil quam stultitia, infirmitas & ignobilitas siue ob scuritas apparebat, vel qui potius ipsissima stultitia & infirmitas atq; ignobilitas videri poterant. Ea (inquit) elegit Deus, vt pudefaciat sapientes & eos, qui potentia & viribus pollent. Et ne quid omittat eorum, quæ ad diuini consilij illustrationem faciunt, eorum quoque meminit, quæ non sunt: ea nimirum intelligens, quæ non magis curantur ab hominibus, quàm si non essent in rerum natura: & hæc quoq; Deū elegisse dicit, vt quæ in honore & pretio habentur aboleat. Ista verò tam diligenti enumeratione omnia remouet & excludit, quibus homines fidere aut gloriari solent: vt his procul è medio sublatis, in sola Dei gratia atq; misericordia sperandum esse intelligamus. Quid enim apud Deum mereantur, qui diuina ne intelligunt quidem, & in regni cœlorū mysterijs plus quàm stulti, cæci et stupidi sunt? Quid item suis viribus effectū dabunt, qui ne ad cogitandum quidē sunt idonei, neq; aliquid possunt in ijs, quæ ad corpus pertinent? Quis enim pilum vnū potest album aut nigrū facere? Quis corporis staturæ cubitum aut palmum vnum addere aut detrahere potest? Quæ autē poterit eorum dignitas esse apud Deum, qui inter homines quoq; nullam habebunt, si ad primam eorum conditionem descendamus? Gentes certè olim non populus dicebantur (vt Paulus ex Hosea annotauit) eò quòd à repub. Israelis exclusi, in Dei populo nō magis censebantur, quàm si nusquā extarent. Iudæorum autem conditio deterior fuit, eò quòd maiori cum ingratitudine Dei iram contra se prouocauerunt: ideoq; non vno loco apud Prophetas gentibus incircumcisis accensentur. Quia tamen ex his omnibus ecclesiam suam Deus elegit, & vtrinq; eos ferè elegit, qui mundo stultissimi & nullius pretij esse videbantur, quiq; neq; potentia neq; authoritate publica pollebant, quis non dicat eum elegisse quæ non erant, & proinde electionis suæ causam non posse aliam constitui quàm gratuitam eius bonitatem atq; misericordiam? Rom. 10.

At quæ causa fuit Deo (inquis) vt rem ita institueret? Respondet Paulus: Vt ne glorietur vlla caro coram eo. Carnis nomine vtitur scriptura, quando de homine per extremum contemptum loquitur, vt eius naturam nō minus vitiosam & corruptā quàm infirmā denotet. Sic enim hac voce apud Mosem Deus vsus est: Nō contendet spiritus meus perpetuò cum homine, eò quòd caro est. Et notum est illud propheticum: Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Sensus ergo istius loci est: Voluit hanc in vocandis hominibus rationem obseruare Deus, vt omnes videant atq; intelligant, se nihil aliud quàm carnem esse, neq; aliquid habere, cuius nomine in ipsius conspectu efferantur atq; superbiant. Disertè autem dicit, CORAM EO. Nam non ignorabat Paulus, homines multa habere quibus in hoc mundo apud sui similes gloriantur, vtpote opes, honores, victorias, triumphos & alia huius generis: sed quia nihil in his omnibus solidum & stabile est, leuis quoq; & momentanea est, quæ in his quæritur gloria, neq; Deo probatur, qui superbis resistere, humilibus autem gratiam largiri consueuit.

Ratio electionis & vocationis Dei. Gen. 6. Isa. 40.

Porro cùm insipientes secundùm carnem, infirmos & ignobiles ideo vocatos esse Paulus scribat, ne quis coram Deo glorietur, non obscurè innuit, illis ipsis etiam quos hîc nominat, gloriandi materiam esse ereptam. Meminerint ergo illi, se non propter conditionem suam mundi iudicio vilem & contemptam saluos fieri, sed suam quoq; salutem ex mera & gratuita Dei misericordia pendere. Quod propter eos annotamus, qui ex sua egestate, infirmitate, ignobilitate & contemptissimo statu meritum fabricare consueuerunt, quasi his sibi Deum debitorem fecerint. Est horum ingens numerus hodie, qui vt sibijpsis in sua illa cōditione satis misera mirificè placent: ita nimiùm præcipiti iudicio omnes damnare & Orco deuouere audent, quicunq; lautiori fortuna fruuntur. At meminisse eos oportebat, opes (de iustis & legitimè partis loquor) honores, dignitates, generis splendorem, inter Dei dona numerari: paupertatem verò, labores, famem, seruitutem & quæ his coniuncta sunt mala, ex peccato originem duxisse. Quòd si ergo, quoad æternæ salutis causam, non licet illis gloriari, quæ præclara & eximia Dei dona sunt, quæ stultitia est in alteris istis meritum salutis constituere, quibus peccata & carnem nostram in peccatis lasciuientem Deus castigare solet.

Nemo etiā paupertati & infirmitati suæ aliquid tribuat

Vsus totius loci.

Debet ergo totus iste locus bifariam considerari. Primò, vt diuites & qui in mundo alijs honoratiores sunt, discant nihil sibijpsis aut propriæ dignitati tribuere, sed potius humiliari sub potenti manu Dei, qui hac gratia ipsos dignatus est. Id verò ab illis facilè impetrabitur, si cogitent, quàm lubrica & periculosa sit ipsorum conditio, non quidem quod Dei dona per se noxia & periculosa sint, sed quòd illis caro in propriam pernitiem abuti consueuit, dum pessimis suis desiderijs indulget. Vigilent ergo diligenter, & rectè omnibus vtantur, neq; vnquam animis eorum excidat, de pluribus rationem Deo reddituros esse eos, qui plura quàm alij acceperunt. Deinde pauperum, infirmorum, obscurorum & contemptorum consolationi ista seruiant, ne se propter suam illam conditionem à Deo derelictos esse & perpetuò negligi existiment. Quin potius cogitent se maximis impedimentis liberatos, ad capessendum regnum Dei expeditiores atq; magis idoneos esse factos. Quia enim in fortuna lautiori ferè spiritus maiores æquo concipimus, & elatis cristis aduersus Deum quoq; proteruire audemus, neq; de futuris & cælestibus bonis vnquam seriò cogitamus, necesse est omnino nos humiliari, vt vel inuiti confidentiam istam deponamus, & verè pauperes spiritu efficiamur, quibus regnum cælorum Christus pollicetur. Vidit hoc Dauid, qui post multas & graues afflictiones clamabat. Bonum mihi, quòd humiliatus sum, vt discerem decreta tua. Item: Antequam affligerer, errabam: nunc autem eloquium tuum custodio. Et imprimis memorabile est, quod ad Romanianum, qui ex summis honoribus & lautißima fortuna in extremas miserias deiectus erat, scribit D. Augustinus: An verò si tu viueres in ædificiorum exquisitißimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris quas honestas non respuit, in venatibus, in conuiuijs, in ore clientum, in ore ciuium, in ore deniq; populorum humanißimus, liberalißimus, mundißimus, fortunatißimus iactareris, quisquam tibi Romaniane, beatæ alterius vitæ, quæ sola beata est, quisquam quæso mentionem facere auderet? Quisquam tibi persuadere posset, non solùm te felicem non esse, sed eo maximè miserum, quo tibi minimè videreris? Quod ab Augustino verißimè dictum esse omnes fatebuntur, qui in seipsos paulò altius descenderint. Et qui hæc diligentius expendunt, ij non facilè aduersis offenduntur, & efficacißimam ex eo consolationem sentiunt quòd hæc ipsis in bonum cessura esse non dubitant. Facit præterea locus iste aduersus eos, qui hodie Euangelium hoc potißimum nomine damnant, quòd ab ijs ferè recipiatur, qui hominum contemptißimi sunt, eos autem hostes habeat, qui summam sapientiæ existimationẽ sustinent, & penes quos est omnis rerum potestas. Atq; hoc olim quoq; factum audimus, & Christus idem testatur, dicens: Gratias ago tibi pater, quòd absconderis hoc à sapientibus & prudentibus, reuelaris autem ea paruulis, &c. Vide Matth. 11. cap.

Matth. 25.

Matth. 5.
Psal. 119.

Christianorũ dignitatem cõmendat.

Facit ad huius consolationis confirmationem altera huius loci pars, qua doctrinam hanc propius applicat Corinthijs, ne propter ista, quæ dixerat, salutis spem omnem abijcerent. Sed ex ipso vos estis in CHRISTO IESV, &c. Quasi diceret. Hæc quidem de vobis dico, adeoq; omnibus, qui Christo nomen dederunt. Sed non propterea animum deijcere debetis, aut putare, quòd hæc in vestrum contemptum dicta sint. Nam licet aliquando tales fueritis, vt mortalium stultißimi, infirmißimi, abiectißimi, imò nulli prorsus videri potueritis, tamen ex Deo estis. Loquitur autem non de creatione, secundùm quam omnes homines, imò etiam animantia bruta atq; res inanimatæ omnes ex Deo sunt: sed de regeneratione & creatione spirituali, qua ex peccatoribus iusti, ex filijs iræ filij gratiæ & regni cælorum hæredes facti sumus: Quo nomine ad Ephesios quoq; cap. 2. nos ποίημα τοῦ θεοῦ id est, opus Dei dicit, conditos nimirùm in CHRISTO IESV ad opera bona, &c. Itaq; quos paulò ante eò vsq; deiecerat, vt vix hominum loco habuerit, nunc supra omnes cælos euehit, quando illos ex Deo id est, Dei filios esse dicit. Hæc enim vera adeoq; vnica est hominum nobilitas, quæ vt non ex carne originem ducit, ita nullis etiam fortunæ casibus obnoxia est, neq; vllis hominum malitiosorum iniurijs dehonestatur. Ea deniq; nos fratres germanos efficit præstantißimorum hominum, quorum virtutem hodie omnes admirantur & eorundem memoriam colunt: Patriarcharũ nimirum, Prophetarũ, Herοum atq; Regũ sanctißimorũ, quotquot vnquàm ecclesiam Dei sua prudentia & fortitudine defenderunt, Apostolorum item & Martyrum, adeoq; omnium, qui nunc cum CHRISTO IESV in cælesti gloria viuunt & triumphant. Ne quis tamen inde nouam superbiendi causam arriperet, rursus tantæ dignitatis causam siue originem

nobis

nobis in CHRISTO IESV monstrat, extra quem nihil quàm stultitia, infirmitas, infamia, miseria & maledictio est omne id, circa quod homines occupantur. At quotquot illum recipiunt (inquit Ioannes) eis hanc dignitatem dat, vt filij Dei fiant, ijs nimirum qui credunt in nomen eius. Ioan.1. Ita verò Paulus omnes quasi cogit, vt ad Christum recurrant & hunc fide vera apprehendant, siquidem cum Deo conciliari, & eius filij atq; hæredes fieri cupiant. Et vt fortius illos vrgeat, ostendit simul quis nam sit Christus, & quanta nobis bona in illo Pater offerat. Qui (inquit) factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaq;, & sanctificatio, & redemptio. Est hæc vna ex præcipuis sententijs noui testamenti, & paucis omnia comprehendit, quæ de humanæ redemptionis atque salutis negotio dici possunt, & proinde digna est, cuius singulas partes ex ordine consideremus.

Primò, cùm Christum nobis sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem factum dicit, non obscurè innuit, qui nam & quales nos simus, si ille à nobis auferatur: Stulti nimirum in omnibus ijs, quæ ad regnum Dei faciunt. Nam vt infra docebit, animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Imò quid hîc ex semetipsis statuere volunt qui hominum sapientissimi habentur, stultitiam suam ita produnt, vt nihil illis stultius & ineptius fingi possit: sicuti philosophorum exemplo demonstratur. Roman.1. At non stulti modò sumus, verumetiam iniusti & peccatores, & quidem natura. Quia enim in sua imagine filios suos Adam genuit, peccatum ex illo in nos omnes propagatum est, adeò, vt in peccato concipiantur & nascantur quicunque ex Adamo descendunt. Itaque latet in illis lex peccati & naturæ vitiositas, qua fit, vt figmenta cordis ipsorum praua sint ab ineunte ætate. Fieri ergo non potest (vt in Iobo scribitur) vt homo sceleris purus, & qui ex muliere natus est, mundus sit. Sequitur ex eo, quòd prophani & à Deo alieni sumus. Quia enim peccata inter hunc & nos instar maceriæ sunt, ab illo exclusi & separati sint oportet, quicunque peccatis obnoxij sunt: vt rectè Paulus alibi nos sine Deo fuisse scribat. Accedit his mali omnis colophon, quod Satanæ captiui & mancipia sumus. Nam à quo quis superatur (vt Petrus ait) ei in seruitutem addicitur. Atqui vt primos parentes tentatione fraudulenta diabolus vicit: ita quotidie nos quoque vincit, dum prauis cupiditatibus, quas ille in nobis accendit, cedimus atque indulgemus. Quid ergo aliud restat, quàm quòd æterno exitio deuoti sumus; nisi aliunde nobis auxilium & redemptor sese offerat?

Conditio hominum quæ sit extra Christum?

Gen.5.

Iob.15.

2.Pet.2.

Vbi verò ista inueniri poterunt? Paulus Christum nobis à Deo sapientiam, &c. factum esse dicit. Salus ergo nostra omnis ex vno Deo promanat, & proinde nõ minus turpiter quàm perniciose errant, quicunq; hanc vel in semetipsis, vel apud alios siue illi cœlites siue in vita superstites sint, quærunt. At quia paulò ante disertis verbis testatus est, Deum neque meriti neque dignitatis alicuius, quæ in nobis sit, respectum habuisse, sed potius ea elegisse, quæ in mundo stulta, infirma, obscura & contempta sunt, reliquum est, vt totum salutis nostræ beneficium gratuitæ eius misericordiæ acceptum feramus, & in hac quæramus fontes redemptionis atque vitæ æternæ. Quid enim in nobis est, quo Deus opus habeat? aut quid habemus boni, quod non ille nobis prior dederit? Et huc facit celebre illud Christi dictum: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum pro illo daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Cuius expositionem Ioannes afferens, in epistola sua Catholica sic scribit: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. Item: Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Vide 1. Ioan.4.

Salutis causa in vna Dei gratia.

At quia nobis ob conditionem nostram miseram atq; omnibus modis corruptam Mediatore apud Deum opus erat, hunc quoq; ostendit Paulus, IESVM CHRISTVM videlicet, cui ipse Pater hoc testimonium cœlitus perhibet, quod Filius ille dilectus sit, in quo ipse nobis placatus est. Ne quem verò species eius vilis atq; humilis offendat, talem esse docet, qui morbis nostris omnibus fideliter & perfectè medeatur. Quia enim nos stultos dixit, illum nobis Sapientiam factum esse admonet. Causa huius dicti est, quod in illo Pater seipsum & voluntatem suam nobis reuelauit. Deum (inquit Ioannes) nemo vidit vnquam: sed Filius ille vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis annuntiauit. Et Paulus ad Colossenses, in illo reconditos esse scribit omnes thesauros

Salutis Mediator Christus.

Sapientia.

scientiæ & cognitionis Dei. Sed & ipse apud Ioannem ait: Qui me videt, Patrem videt. Item: Vos amicos dixi, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota vobis feci. Neq; ista temere dici res ipsa docet, quando videmus admirabili rerum cœlestium cognitione omnes eos illuminari & confirmari, qui in Christum credunt, etiamsi mundo indocti & illiterati sint. At si Christus nobis à Patre Sapientia factus est, quid obsecro sapient aut decernent, qui cùm Christum prorsus ignorent, sibi tamen iudicium omne sumunt in causa religionis & ecclesiæ?

Ioan. 14. & 15.

Deinde iustitia quoq; nobis factus est Christus, quia & pro peccatis nostris satisfecit, & suam nobis obedientiam communicat, quæ nobis propter fidem in ipsum imputatur. Vtrumq; Paulus in epistola ad Romanos fusius explicat. Sicut per contumaciam vnius hominis, Adami nimirum, peccatores facti sunt multi: ita per obedientiam vnius Christi, iusti constituentur multi. Et in eadem epistola subinde inculcat, nos fide iustificari, eò quòd fide Christum appræhendimus, qui nobis à Patre iustitia factus est.

Iustitia. Rom. 5.

Accedit his tertium Sanctificatio, qua omnino opus est, vt toti Deo coniungamur. Ergo non modò nos iustificat Christus, verumetiam regenerat ex verbi semine per spiritus sancti virtutem, & (vt discipulis dicebat) ex mundo hoc selectos Patri consecrat, vt posthac non nobisipsis, multò minus aut diabolo & peccato, sed illi soli viuamus. Et hic, quoad huius vitæ curriculum, proprius iustificationis fructus est, de quo ipse Christus sub vitis & palmitum parabola diligenter admodum disserit. Est ergo intolerabilis eorum licentia, qui sub fidei Christianæ prætextu impiè & sceleratè viuunt: calumniatores item virulenti sunt, qui doctrinam fidei bonis operibus inimicam esse clamant. Etsi enim his quenquam iustificari meritò negemus, cùm neq; proprijs viribus ea faciamus, neq; illa in nobis perfecta sint: ijsdem tamen pro virili student quicunq; per Christum ex peccati seruitio erepti & Deo sanctificati sunt. Quod autem multi libertate Christiana ad carnis licentiam abutuntur, & hanc fucata fidei professione palliant, minimè nobis fraudi esse debet, quibus cum illis & vita ipsorum nequaquam conuenit. Et habebunt illi suum iudiciũ, quod ipsis Christus iampridem denuntiauit, vt Matth. 7. cap. est videre.

Sanctificatio.

Postremò illum nobis redemptionem factum esse ait. Nam seipsum pro nobis tradidit, & proinde sanguinis sui pretio nos ex peccati & diaboli seruitio redemit, ne quid iuris iste porrò in nos habeat. Et quia peccati noxam expiauit, simul pœnis quoq; omnibus liberat, quibus Deus humanum genus propter peccatum mulctauit. At hic meminisse oportet, redemptionis huius fructum in hoc sæculo tantum inchoari, dum carnis desideria spiritu suo coercet, ne peccatum in nobis dominetur: dum item aduersa omnia & afflictiones, quæ impijs peccatorum pœnæ sunt, nobis auspicatas reddit, & ita moderatur, vt nobis in bonum cedant, & salutis sint adminicula: dum deniq; in ipsa morte tuetur, & eam, quæ peccati pœna omnibus fuit, credentibus transitum fecit ad vitam æternam. Olim verò cùm dies ille restitutionis omnium aduenerit, quo tota hæc mundi machina liberabitur, nostra quoq; redemptio perficietur: quia tunc corpora quoq; ad beatam immortalitatem & cœlestis regni gaudia resurgent. Ideo Christus cùm infelicem nouissimi sæculi statũ exposuisset vnà cum signis, quæ ipsius aduentum præcedent, addit: Cùm hæc fieri incipient suspicite, & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

Redemptio.

Luc. 21.

Et hæc quidem omnia nobis in Christo largitur Deus, quæ vniuersam hominis beatitudinem in se continent. Solus ergo nobis sufficere debet, neq; aliquis admittendus est in huius gloriæ consortium. Quod enim de Christo hîc dicitur, hæc de nullo vel Angelorũ vel hominũ vspiã dictũ inuenies. Vt ergo ingratitudo magna est, si suum Christo honorem eripere, & in alios transferre audeamus: ita non minor est stultitia per cisternas siccas atq; pertusas ea quærere, quæ apud vnum Christum, vitæ & salutis fontem perennem atq; inexhaustum inueniuntur. Hæc ergo nos in omni tentationis genere consolentur, & hinc petamus argumenta, quibus Satanam profligemus, dum nos propriæ conscientiæ testimonio conuincere & ad desperationem adigere conatur. Obijcit ille, nos stultos esse, & nequicquam occupari circa æternæ salutis rationem, cùm non percipiamus ea, quæ sunt spiritus Dei. Hic responde. At Christus mihi factus est sapientia, & cùm idem ille via & lux & veritas sit, ego si hunc sequar, aberrare non potero. Regerit quadruplator ille: Atqui peccator, imò nihil nisi peccatum es: Responde, Fateor: sed Christus mea est iustitia, quæ per fidem

Vnus Christus nobis sufficiat.

fidem apprahensa me ad Dei tribunal omni reatu liberat. Obstrepit ille rursus: Quomodo autem in Dei conspectum vnquam venies, qui natura prophanus & à Deo alienus es? Annon scriptura ait, sine sanctimonia nemo videbit Deum? Hîc istud quoque fatere, sed adde: Christus mihi factus est sanctificatio. Quòd si iam clamet satan: At iampridem Dei sententia damnatus & exitio sempiterno deuotus es, neque sententiam illam suam Deus vnquam reuocabit, Maledictus omnis qui non fecerit quæcunque scripta sunt in libro legis, & dicet omnis populus, Amen. Vbi respondebis: Sum equidem damnatus & filius iræ, quantum in me est, sed redemptio mea est Christus, qui dilexit me, & semetipsum pro me tradidit. Et tu quis es, qui crimina intentes aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Hæc si animis nostris probè inscripta, & in conscientiæ tentationibus semper in promptu habeamus, facile victoriam reportabimus.

Porrò finem istorum omnium videamus, quem Paulus his verbis indicat: Vt sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Extat locus Ieremiæ 9. cap. vbi sic loquitur Dominus: Ne glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur robustus in robore suo, nec glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligat & cognoscat me: quoniam ego sum Dominus, qui misericordiam, iustitiam & iudicium facio in terra, &c. Pulchre ergo ista Pauli instituto conueniunt, qui paulò ante omnem gloriandi materiam illis eripuit, qui extra Christum, & proinde nil nisi caro sunt: nunc autem hominibus Christianis, qui per Christum renati, iustificati, sanctificati & redempti sunt, vt glorientur permittit quidem, sed in Domino. Et hic finis proprius est omnium, quæ Christus fecit, vt nimirum & nos seruemur, & in nobis Deus glorificetur. Et hoc quidem vult ille, non quòd ipsius gloriæ, quæ immensa & æterna est, aliquid per nos accedere possit: sed in eo quoque saluti nostræ consulit, ne donis & beneficijs eius gratuitis in propriam pernitiem abutamur. Admonet autem locus iste, Christiani hominis officium esse, ne quid sibijpsi, sed omnem gloriam soli Deo per Christum transcribat. Quare in finem religionis Christianæ peccant, quicunq; suis viribus, operibus item suis aut meritis aliqua ex parte confidunt. Quin potius nos peccatores & omnibus modis miseros esse agnoscamus, deinde Dei misericordiam & gratuitæ salutis beneficium toto corde & ore prædicemus: & quia huius Mediator est solus IESVS CHRISTVS, Filius ille Dei, & agnus immaculatus, qui nobis ab illo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est, illum fide constanti amplectamur, & cum tota creatura ex animo dicamus: Sedenti in throno & agno debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Finis omnium, vt glorificetur Deus.

CAPVT II.

HOMILIA VIII.

ET ego cùm venirem ad vos, fratres, non veni cum eminentia orationis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. Non enim decreui quicquam scire inter vos, nisi IESVM CHRISTVM, eúmq; crucifixum. Et ego cum infirmitate, & timore ac tremore multo fui apud vos. Et oratio mea & prædicatio mea non fuit in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus & potentiæ: vt fides vestra non esset in sapientia hominum, sed in potentia Dei.

DIXIT nuper Paulus Apostolus, se non missum esse ad baptizandum, sed ad euangelizandum, non quidem cum sapientiæ & eloquentiæ ostentatione, sed simplici & inaffectato dicendi genere, vt in ea simplicitate virtus crucis Christi illustrior reddatur. Inde verò occasione sumpta in generalē doctrinā digressus est, qua docuit, hoc esse Dei consiliū, vt electi & credentes per Euangelij prædicationem seruentur, quæ mundi iudicio stulta & in-

Paulus, quæ dixit, sibi applicat.

firma esse putatur: & huius consilij rationes grauissimas adduxit. His absolutis, redit ad suum exemplum, & sibi ista omnia accommodat, & multis exponit, se eam docendi rationem secutum esse inter eos, quam Deus instituerit, & proinde doctrinam eius minimè contemni debere. Ita verò suam simplicitatem excusat, vt simul grauiter perstringat atq; confutet ostentatores illos, qui vt præ alijs omnibus eminerent, sapientiam quandam sublimiorem & alijs nondum cognita mysteria iactabant, & dicendi genere fastuoso & à communi vsu alieno vtebantur.

Fatetur dicendi genus rude & simplex.

Principiò per concessionem hoc ingenuè fatetur, cuius nomine pseudoapostoli illum accusabant, & pleriq; ipsum contemnebant: quòd nimirum nihil sublimius saperet aut loqueretur: simul autem ostendit, se propterea non contemptu dignum esse, neq; ipsius doctrinam ideo debere viliorem putari, cùm non aliud fecerit, quàm quod cũ Euangelij natura & argumento probè conueniat. Ego (inquit) cùm ad vos venire, fratres, nõ veni cũ eminentia orationis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. Eminentiã orationis vocat artificiũ rhetoricũ & magnificũ dicendi apparatũ. At sapientiæ sublimioris nomine intelligit omne id, quod carnis ratio tanquã eximiũ & supra communem hominũ intellectum elatũ admirari, solet. Hæc autem duo ita sibi adfuisse negat, vt simul diserte testetur, se testimoniũ Dei ipsis annuntiauisse: in quo membri huius primi vis potissimùm latet. Nã sensus est hic: Fateor me ad vos venisse nõ instructũ ambitioso humanæ sapientiæ aut eloquentiæ apparatu, neq; me mysteria alijs incognita et hucusq; inaudita iactasse: sed qualiscunq; venerim, & qualiscunq; fuerit, qua vsus sum, docendi ratio, tamen Dei testimonium vobis annuntiaui.

Euangeliũ est Dei testimoniũ

Dicit autẽ testimonium Dei ipsum Euangelium, eò quòd non aliud eo continetur, quàm quòd Deus iam inde à prima rerũ origine de Christo testatus est, & quod tandẽ publico testimonio confirmauit, cœlitus clamans: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum, &c. Quibus verbis totius Euangelij & doctrinæ apostolicæ summã contineri, Petrus in epistola sua posteriori diligenter docet. Et est hoc dignissimũ obseruatu: quia in eo maximè elucet doctrinæ istius dignitas. In humanis & ciuilibus negotijs magnam esse testimoniorum authoritatem, nemo ignorat. Confirmatur ea legibus diuinis, quæ causas controuersas ex ore duorum aut trium testium decidere iubent.

Deut. 19.

Et vt scelus quouis supplicio dignum est, aliquem falso testimonio grauare: ita non minus periculosum est, testibus iuratis contradicere, & quod illi affirmarunt negare. Quantò igitur plus fidei meretur Euangeliũ, cuius precones sunt Apostoli, quos æternus Dei Filius testes suos fecit, & qui nõ aliud testati sunt, quam quod proprijs auribus ex illius ore hauserunt, proprijs oculis spectarunt, & manibus suis contrectauerunt? Quorũ item verba cũ ijs per omnia conueniunt, quæ Deus olim Patribus promisit, quæ Prophetæ ex spiritus sancti suggestione prædixerunt, et quæ cœlesti oraculo tandẽ (vt modò diximus) sunt confirmata, qui deniq; testimoniũ suũ non nudis verbis aut iureiurando solenni, sed proprio sanguine confirmarũt? Rectè ergo Ioannes in sua epistola, eos Deũ mendacij arguere scribit, qui Christo credere dedignantur, & Euangelij doctrinæ contradicunt. Vnde colligimus, illos in ipsam Dei maiestatem peccare, & dignos esse, quos vltio diuina in finem vsq; persequatur. At quid hodie vulgarius est, quàm ea negare, quæ Euangelij prædicatione de Christo traduntur? Docet ea, hũc esse nobis à Deo doctorẽ datũ, quẽ omnes audire debeant: eundẽ Regẽ, Sacerdotẽ & caput ecclesiæ vnicum esse tradit, qui suũ honorẽ nemini alteri cedat: in illo deniq; vno omnẽ salutẽ repositã esse testatur, neq; aliud nomen sub cœlo extare, per quod seruari possimus. At qui ista docent aut fatentur, ij nõ modò mendaces, sed impostores, scismatici, hæretici, sacrilegi & digni dicuntur, quorũ memoria quoq; ferro & igne excindatur. Quod vnũ si probè expendamus, nõ mirabimur Dei iudicia, quib. mũdũ totũ hodie exercet & punit. Quid enim nõ merentur, quorũ impietas in eã vsq; rabiẽ exarsit, vt Dei testimoniũ publicè negare, imò conuitijs tã atrocibus proscindere audeãt?

Ioan. 15. Actor. 1.

1. Ioan. 5.

Paulus eo argumento se defendit, quòd officio suo functus sit.

Sed quia de hoc sæpe aliâs dictũ est, nunc Pauli exemplũ obseruemus, qui hoc potissimùm argumẽto sese cõtra æmulos suos defendit, quòd testimoniũ Dei annuntiauerit, & proinde officio suo functus sit, ad quod ipsum Deus destinauerat. Itaque bene sibi conscius facilè contempsit aduersariorum ludibria, calumnias atq; criminationes. Debent hoc ad se transferre omnis loci & ordinis homines, & eodem argumento sese tueri atque consolari aduersus iniqua & peruersa hostium suorum de ipsis iudicia. Rident & damnant nos quoque multi, quòd ecclesiæ ritus & dogmata multorum sæculorum vsu confirmata aboleamus, religionis formam nouam & nullo

splendore

splendore commendabilem introducamus, ecclesiastici ministerij maiestatem labefactemus, deniq; quòd gratiæ Dei & gratuitæ redemptionis prædicatione multis licentiæ & securitatis simus authores. At non debent nos ista offendere. Sufficiet enim ad defendendam nostram innocentiam, si testimonium Dei fideliter annuntiemus, & secundùm huius præscriptum sacra omnia administremus. Ita frequenter pijs magistratibus negotium faciunt homines seditiosi & turbulenti, qui vt omnis disciplinæ iugum excutiant, illos rempub. nouis legibus grauare, rigore & seueritate nimia vti, & apertam tyrannidem exercere vociferantur. Sed non est, quòd ista eos moueant, qui se Dei iudicia enuntiare, & non alium gubernationis suæ finem sibi propositum esse sciunt, quàm vt populus in Dei cultu verò contineatur, innocentiæ & honestati studeat, & pacem atq; concordiam colat. Denique quisquis officium suum fecerit pro sua virili, eum propriæ conscientiæ testimonium excusat, & proinde non multùm morari debet maleuolorum & Zoilorum dentes, qui vndique quærunt calumniandi occasiones, vt ipsum vel contemptum vel exosum reddant.

Porro ad Paulum redeamus, qui causam reddit, cur sapientiæ & eloquentiæ sublimioris ostentationi minus studuerit. Non enim decreui, aut eximium siue etiam necessarium duxi, quicquam scire inter vos, nisi IESVM CHRISTVM, eumq; crucifixum. Quod non ita accipi debet, quasi Paulus artium & scientiarum aliarum omnino rudis fuerit, aut reuera nihil præter Christum nouerit. Fuit enim in lege & Iudæorum traditionibus optimè instructus, vt qui sub Gamalielis, doctoris celeberrimi, disciplina supra omnes suos coætaneos profecerat. Adhæc in cœlum tertium raptus mysteria viderat & audierat, quæ captum humani ingenij superant. Sed neq; exteros scriptores ignorauit, cum apud Athenienses Arati authoritate vsus sit, & in hac ipsa epistola Menandri locum adducat, Cretensium verò mores proprij & gentilitij ipsorum Poetæ Epimenidis verbis describat. Quantum autem dicendo potuerit, ex eo colligi potest, quòd Lystrenses illum putarunt Mercurium esse, quem gentes Deorum interpretem & eloquentiæ omnis authorem esse credebant. At quæcunq; mundus eximia putat, ille pro stercoribus, imò pro rebus noxijs habuit, vt Christum lucrifaceret, cuius cognitionem veram ad salutem sufficere sciebat. Noluit ergo Corinthios traditionibus vllis grauare, quas minime necessarias esse iampridem didicerat: multò minus autem in rebus superuacaneis & ad solam ostentationem facientibus laudem vel gloriam quærere. Emphasim verò habet, quòd Christi non simpliciter meminit in præsenti, sed crucifixum quoque dicit. Sciebat enim sub cruce vniuersum illius meritum & totum humanæ salutis rationem contineri: simul autem æmulos suos perstringit, qui circa inanes speculationes & ambitiosam sapientiæ atque eloquentiæ ostentationem sic occupabantur, vt ipsis crux Christi tantum non sorderet. Solet enim hoc sciolis & humanæ philosophiæ addictis accidere: neque nostro sæculo desunt exempla eorum, qui cùm à Pontificijs superstitionibus abhorreant, & nobis minimè sint inimici, tamen Euangelij doctrina minus afficiuntur, quòd non nisi Christum & eius meritum perpetuò audiant inculcari. Pudet enim eos, si aut nihil præterea discant, aut ipsi quoque non aliud prædicent, cùm se maioris cuiusdam & non vulgaris eruditionis existimationem sustinere sciant. Suum ergo exemplum omnibus istis Paulus opponit, & habet locus iste non obscuram speciem protestationis, qualis ea est, qua ad Romanos vtitur: Non me pudet Euangelij IESV CHRISTI, quia potentia Dei est ad salutem omni credenti. Nam perinde est, ac si diceret: Glorientur illi sapientia plus quàm humana, & mysteriorum cognitionem verbis magnificis iactent, mihi tamen IESV CHRISTI cognitio sufficit, neque me meæ ignorantiæ in reliquis pudet, cùm sciam salutem omnem in solius crucis Christi merito contineri, & hunc solum habere verba vitæ æternæ, &c.

Paulus nihil nouit præter Christum crucifixum.

Actor. 22. Galat. 1. 2. Cor. 12. Actor. 14. Actor. 17. Tit. 1.

Rom. 1.

Est autem locus hic dignissimus multa consideratione. Docet enim quis prædicationis euangelicæ finis aut scopus esse debeat, ad quem tam doctores quàm auditores colliment. Is nimirum, vt in Christi cognitionem homines adducantur, & in ea quotidie proficiant, adeoq; illius discipuli fiant. Admonet de hoc ipse Christus, quando Apostolis dicit: Profecti docete omnes gentes baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ mandaui

Euangelicæ doctrinæ argumentum & scopus.

Matth. 28.

vobis. Et hæc causa est, quòd initiò quotquot crediderunt, Discipuli dicti sint, vt qui Christum solum præceptorem & seruatorem suum agnoscerent. Et hac illa sapientia est, per quam Patres & Prophetæ omnes seruati sunt. De Abrahamo Christus ipse testatur, quòd diem ipsius videre gestiuerit, & in eius cognitione exultarit. Moses verò cum legis præcepta prolixè tradidisset, tandem ad magnum illum Prophetam Israelitas remittit, Christum scilicet: quòd sciret, inanem fore omnem suam doctrinã, nisi illum audirent, & reciperent. De prophetis autem omnibus Petrus scribit, quod duce spiritu Christi, ipsius mysteria scrutati sint. De Apostolis & Martyribus quid attinet dicere, quando constat, eam omnium mentem & sententiam fuisse, quam hîc Paulus profitetur. Hanc ergo sapientiam hodie etiã omnes quærere & venari debent. Laudatur in historijs laboriosa quorundam industria, qui regiones longinquas inuiserunt, vt doctiores & sapientiores fierent. Hoc nomine Pythagoras in Ægyptum profectus est, vt vates Memphiticos audiret. Plato relictis Athenis, vbi cum laude docebat, in Italiam ad Architam Tarentinum contendit, vt à Pythagoricæ sectæ philosopho aliquid disceret. Apollonius autem non minori cum periculo quàm labore & sumptu, extremis Indiæ finibus superatis, ad Brachmanas vsque profectus est, vt Hierarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte bibentem inter paucos discipulos (vt D. Hieronymus scribit) de natura, de moribus, & de dierum atq; siderum cursu disserentem audiret. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palestinos reuersus, Alexandriam perexit, & inde in Æthiopiam penetrauit, vt Gymnosophistas & toto orbe celebratam Solis mensam videret. At quid illi omnes suo studio, labore, sumptibus & peregrinationibus periculosissimis profecerunt? Magnam quidem inter homines sapientiæ & doctrinæ laudẽ consecuti sunt: at quoad æternã salutem, ea omnium fuit ignorantia, vt cum Socrate (siquidem verum fateri voluerunt) omnibus illis dicendum fuerit: Hoc vnum scio, quòd nihil scio. Sapientia enim vnica & vera est Christum nouisse, in quo omnes scientiæ & cognitionis Dei thesauri reconditi sunt. Huius cognitio totum humanæ salutis negotium compræhendit, neque circa illam eos aberrare sinit, qui illa illuminati sunt. Eadem nos de omnibus admonet, quæ ad vitæ huius consuetudinem & mores faciunt. Est enim Christus omnis virtutis doctor simul & exemplar perfectissimum, in quo humilitatem, modestiam, obedientiam erga Deum, dilectionem proximi synceram, patientiam inuictam, fidem constantem, temperantiam, fortitudinem, denique omnia ea discere possumus, quæ virtutis nomine compræhenduntur. In eodem quoque omnium clarissimè cernitur iustitia Dei omnibus numeris absoluta, bonitas & misericordia plus quàm paterna, veritas infallibilis, Sapientia infinita, omnipotentia inuicta, & quæcunque alia de illo prædicantur. Vt verò huius cognitionem consequamur, neque ad Indos aut Brachmanas, neque ad Æthiopes excurrere, non etiam maria traijcere, aut in cœlos (vt Mosis verbis vtar) ascendere opus est. Ipse enim Christus seipsum nobis offert, ipse nobiscum in Euangelio loquitur, ipse quid credere, sentire, loqui, facere debeamus docet, & doctrinam hanc suo exemplo illustrat atq; confirmat. Est ergo inexcusabilis illorum ignauia, qui illam sapientiam negligunt: execrabilis autem eorum impietas, quibus illa sordet, eò quòd nullo humanæ versutiæ fuco coloretur. Quid autem de illorum perfidia dicemus, qui cùm ecclesiarum antistites haberi velint, tamen Christo prætérito simplicem plebeculam inanibus verbis & ad augendas superstitiones compositis fabulis pascunt, et ceremonijs frigidissimis fatigant? Quàm verò intolerabilis eorũ audacia est, qui vel imperitis rerũ, vel etiã inuitis & reluctantibus, Patres nescio quos, Concilia itẽ & quorũcunq; aliorũ decreta obtrudunt. Paulus, electũ illud organũ Dei, cùm (vt ante diximus) à pueris vitæ innocentiã cum legis & traditionum patriarum studio coniunxisset, & cœlorum quoq; arcana audisset, nihil tamen in ecclesia præter IESVM CHRISTVM, eumq; crucifixum, scire voluit, & idem anathema pronuntiat tam homines quàm angelos, qui Euangelium aliud prædicare audeant, quàm quod Apostoli prædicarunt. Num ergo nostri illi noui Aristarchi, se plus quiddam scire, aut sibi in ecclesia Christi plus permissum esse arbitrantur? Discant potius omnes homines vnum Christum audire, vnum illum sequi, & hunc nouisse ipsis sufficiat, qui solus nobis à Patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est.

Deut. 30.

Galat. 1.

Impedimenta enumerat, quæ sibi apud Cor. obiecta fuerũt.

Vt verò omnibus constet, sibi nil eorum defuisse, quæ ad fidei & salutis doctrinam faciunt,

impedimenta quoq; enumerat Paulus, quæ omnem Euangelij profectum facilè impedire potuissent apud Corinthios, nisi diuinæ virtutis esset opus hoc totum. Sic autem scribit: Et ego cum infirmitate, & timore ac tremore multo fui apud vos. Infirmitatis nomine docet, se nihil prorsus habuisse, quod ipsi apud Corinthios versanti præsidio esse, aut ipsum illis commendare potuerit. Quod verè ab illo dici, Lucas in Actis prolixè docet. Corinthum enim venit cùm paulò ante in Macedonia virgis cæsus & eiectus, Athenis autem à philosophis publicè derisus esset. Nihil ergo secum eò attulit præter publicæ infamiæ notas, & credibile est, in vrbe mercatorum vndiq; confluentium negotijs celebri, non omnino ignotum fuisse, quid illi in vicinis Græciæ locis accidisset. Corinthi verò hospitium sibi delegit apud Aquilam, Ponticum genere, hominem peregrinum, qui & ipse non multò ante cum Iudæis Roma discedere iussus erat Claudij Cæsaris mandato. Quale ergo patrocinium, quam commendationem ab hospite hoc suo sperare potuit? Quòd si vitæ genus, aut artis professionem spectes, cum Aquila tentorijs texendis occupatus fuit, & manuum labore victum sibi quæsiuit. Quid in his omnibus præter infirmitatem, contemptum, ignominiam cernitur? Aut quis hominem eiusmodi in vrbe opulenta, inter ciues & aduenas negotiationibus deditos, & luxu atq; libidine diffluentes aliquid effecturum putaret? Accesserunt huic impedimento pericula, quæ illi non timoris modò, verumetiam trepidationis & tremoris causa fuerunt. Cùm enim diebus sabbati Synagogam ingredi & de salutis negotio disputare inciperet, mox se illi hostiliter opposuerunt Iudæi, qui & gentiles erant, & propter veteres promissiones à Christo minus abhorrere debuissent. Et eò vsq; illorum rabies processit, vt (quod rarissimè factum legimus) puluerem vestimentorum in illos excuteret Paulus, & non sine publica protestatione ad gentes sese conferret, qua illi magis exasperati sunt. Itaq; cùm aliquos ex suis credidisse, & Crispum Synagogæ præfectum iam Christo nomen dedisse viderent, coniuratione facta Paulum comprehensum ad Gallionis Proconsulis tribunal rapiunt, & impietatis manifestæ accusant: à Gallione autem reiecti, Sosthenem ante tribunal verberibus mulctant. Quæ omnia Pauli mentem ita commouerunt, vt de vrbe relinquenda cogitaret, & consolatione peculiari opus haberet, quam nocte illi apparens Dominus his verbis adhibuit: Ne timeas, sed loquere, & ne taceas: nam ego sum tecum, & nemo adijciet vt tibi malefaciat: quoniam populus est mihi multus in hac vrbe. Magnus ergo timor Pauli fuerit oportet, quem in præsenti ingenuè fatetur, vt Dei gratiam & virtutem illustret, qua adiutus per tot obstacula Euangelij doctrinam inter illos propagauit. Simul autem pseudoapostolos rursus perstringit, qui ecclesiam tot tantisq; laboribus plantatam dolosè subingressi, inani grandiloquentia sese venditabant, cùm potius cogitare deberent, quantò maiori laude digni essent, qui hoc otium ipsis suo labore parauerant. Similes horum sunt hodie, qui primos euangelicæ doctrinæ instauratores, quos Deus nobis excitauit, præ illis contemnunt, qui nunc nimium delicatuli inter concionandum aulicam quandam atq; forensem eloquentiam ostentant, & in suis antecessoribus nescio quam ciuilem prudentiam & facilitatem desiderant, qua se magnatum & vulgi moribus accommodare debuerint. Atqui longè alia fuit ô fratres rerum conditio, cùm Antichristi Camerina primùm mouenda esset, neque tantum otij fuit præceptoribus nostris, vt circa verborum lenocinia occuparentur, quando feruenti spiritus virtute opus erat, qua negotium istud perficeretur. Vos modò videritis, vt illorum laboribus plantatas ecclesias conseruetis, & non sine sanguine partam libertatem, qua decet fide atque industria tueamini.

Obseruabis interea in Paulo, quæ plerunq; piorum in hoc sæculo sors sit. Destituuntur ferè omni humano præsidio, & simul omnium iniurijs obnoxij in horas de vita periclitantur. Prædixit hoc Christus, quando forè ait, vt qui vos occiderit, se Deo cultum gratissimum præstitisse putet. Inter pericula autem illa pij neque lapides neque trunci sunt, qui nullo illorum sensu moueantur, qualem Stoici suum illum virum bonum & sapientem fingunt. Locum enim in illis habent affectiones, quas nobis natura indidit, & quæ per se vitiosæ non sunt, nisi aut causa illarum mala sit, aut modum excedant. Quod igitur Paulo apud Corinthios accidit, hoc etiam Mosi, & ante hunc Abrahamo, postea Iosuæ, Dauidi & prophetis ferè omnibus accidisse scimus: vt iam nihil de Christo dicamus, qui animi sui mœrorem non minus ingenuè, quàm Paulus, apud discipu-

Sors piorum in hoc sæculo.

los profitetur, & in eas angustias deuenit, vt sanguineo sudore totus madeat, & Angelo consolatore habeat opus. Et vt hoc nobis accidat necesse est: primò quidem, vt sentiamus nos sine Deo nihil posse, & proinde nihil nobisipsis aut nostris viribus tribuamus: deinde vt maiori studio carnem mortificemus, quæ tunc quoq; nobis negotium facit, quando spiritum solum in nobis dominari quàm maximè opus erat. Interea discamus non mox damnari debere eos, qui interdum meticulosiores sunt, neq; etiam nobis desperandum esse, si quid huius patiamur. Tunc enim non deerit nobis Deus, cuius virtus in nostra infirmitate perficitur, & hîc imprimis locum habet, quod veteri prouerbio dicitur: Vir fugiens denuo pugnarit.

Quibus præsidijs Paulus adiutus sit?

At pergit Paulus, & quibus armis siue præsidijs confirmatus vicerit, docet. Vbi rursus repetit quod initiò dixerat, verbis paulò mutatis. Et oratio mea (inquit) & prædicatio mea non fuit in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, id est, nihil habui, quod homines, qui mundi authoritate ducuntur, & carnis rationem in consilium adhibent, persuadere posset. Nam qui tales sunt, ijs (vt supra audiuimus) Christus cum omnibus quæ fecit, stultitia esse videtur. Itaq; mea prædicatio (ait Paulus) fuit in demonstratione spiritus & potentiæ, id est: Quicquid feci, id spiritus virtute feci, qui mihi affuit, & prædicationi meæ vires addidit, vt hominum mentes penetraret, atq; illis persuaderet me vera dicere. Ita factum est, vt quemadmodum ego simplici dicendi ratione effeci, quod hominum viribus fieri non poterat: ita illi quoq; per omnia obstacula eluctarentur, & ecclesiæ apud vos initiũ darent. Id verò omne ideo sic factum fuit, vt fides vestra non esset, aut consisteret, in hominum sapientia, sed in potentia Dei. Id est, vt omnibus constaret, fidem Christianam non ab hominum sapientia, eloquentia, virtute, authoritate pendere, sed solius Dei virtute propagari, & proinde nemini mortalium quicquam hic esse tribuendum. Et hæc dicendo argumentum, quo æmuli ipsum grauabant, in illos retorquet, & suam authoritatem eò illustriorem reddit, dum quicquid est humanorum præsidiorum quàm longissimè abs se remouet. Quia enim neq; sapientia huius mundi, neq; eloquentia, neq; viribus aut armis, neq; aliqua authoritate publica hanc causam egit Paulus, & tamen in tali vrbe fidei semina tanto cum fructu iecit, quàm plurimos ad fidem Christianam conuertit, ecclesiam illic constituit, vbi publicum diaboli prostibulum erat, certè diuina virtute illum armatum fuisse oportuit. Omnium verò istorum hic finis & scopus est, vt horum consideratione confirmati eam fidem constanter tueantur, quam Dei authoritate suffultam esse constet, neq; eorum grandiloquentia sese circumduci sinant, qui nihil præter verborum ampullas iactent, quibus crux Christi eneruetur.

Deus fere ministros contemptos elgiit.

Est autem hic mos Dei, quo in propaganda ecclesia & vera religione à primo rerum exordio vsus est: vt nimirum eos sibi ministros delegerit, qui hominum contemptissimi & infirmissimi videri poterant. Nã vt ab Abelo initium faciamus, qui primus verũ Dei cultum exercuit, illi à vanitate nomen imposuerant parentes, nimirum quòd in Caino se iam virum illum acquisiuisse putarent, qui salutem amissam ipsis debebat instaurare. Quo præludio adumbratum fuit, quàm contempti apud omnem posteritatem futuri essent, qui fidem in promissum illud mulieris semen profitentur, & ex ea Deum colunt. Quòd si verò Abrahamum videamus, quem patrem credentium Paulus vocat, fuit is quidem non vulgaris authoritatis inter Chaldæos suos: at ne quis huic aliquid daret, cùm eius opera in fœdere salutis (quod in diluuio abolitum videbatur) instaurando vti vellet Deus, illum ex natali solo discedere, extorrem & peregrinum fieri, casibus diuersis iactari, & omni humana dignitate priuari voluit, vt quæ semine benedicto niti debebat fides, in sola ipsius gratia fundaretur. Simile quid in Ægypto factum est, cùm aliquam eius regni reformationem facere, & ibidem ecclesiæ suæ hospitium præparare instituisset. Ad eam enim rem Iosephum delegit, qui prius à fratribus infidis venditus non modò seruitutis iugum subijt, sed impudicæ etiam heræ calumnijs in extremum vitæ periculum adductus est. Idem de Mose dicere possumus, qui priusquam Dei dux & ecclesiæ, quæ in Ægypto multis modis deformata fuerat, instaurator fieret, aula eiectus ad Madianitas profugit. Extant huius generis multa in prophetis, quæ omnia recensere longum foret. Et quod de seipso Paulus dicit, id ad omnes Apostolos extendi debet, quorum omnium eadem fuit conditio. Quòd si ad nostra tempora descendamus, non alia ratione Deum in luce ex Papisticis tenebris eruenda vsum esse patebit:

Nam

Nam eos excitauit Verbi sui ministros, qui cùm antea obscuri essent & ignobiles, neq; etiam huius mundi authoritate vel armis defenderentur, simplici tamen Euangelij prædicatione regnum Antichristi ex ipsis fundamentis labefactarunt, & multùm reluctantibus potentissimis Regibus reformationis fuerunt authores, qualem ne illi ipsi quidem initiò sperare fuissent ausi. Docent ista, regnum Christi non esse de hoc mundo, & proinde mundi armis non propagari, neq; etiam ijsdem euerti posse. Nemo igitur sibi in hominum authoritate præsidium quærat, neq; aduersariorum potentia vel authoritate terreatur. Nunquam enim suis deerit Dominus, & eidem facile est res maximas per instrumenta vilissima conficere.

Admonet præterea locus iste, fidem Christianam nulla hominum sapientia siue authoritate niti, sed in vno Deo acquiescere. Nam vt alibi ait Paulus, fides ex auditu est, auditus verò per Verbum Dei. Est hoc obseruatu cumprimis necessarium. Quia, si aliud fidei fundamentum collocetur, illam consistere impossibile est. Cùm enim incerta sint hominum consilia, & eorundem voluntates in diem mutentur, nihil in fide sua certum aut stabile habebunt, quotquot ab hominum authoritate pendere volent. Adhæc inter pericula nunquam firmi & constantes erimus in fidei confessione, nisi certò nobis persuasum sit, Deum velle vt sic sentiamus, credamus & loquamur. Credidi (inquit propheta) & propterea locutus sum. Et Apostoli: Non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Quid ergo loquentur, aut quid facient, qui non simili fidei certitudine confirmantur, quæ extra Deum haberi non potest? Quòd si verò in nostris viribus aut operum nostrorum meritis salutis fiduciam collocare libeat, perpetuò illa fluctuabit, cùm vires nostræ nullæ, opera autem nostra omnia aut mala, aut saltem vitiosa atq; imperfecta sint. Et si fides nostra non consistit in hominum sapientia, quomodo in operibus consistet, quæ multò inferiora & maioris pretij sunt? Simul ergo locus hic omnes eos arguit, qui hominum authoritate pugnant, & nobis hodie Patres, Concilia, Scholas, deniq; mundi huius eruditionem, sapientiam, potentiam, opes, fœdera & quæ alia sunt huius generis, obijciunt. Atqui fides nostra nequaquam in his consistit, sed solius Dei virtute & authoritate nititur. Is autem æterno decreto Filium suum vnigenitum, IESVM CHRISTVM, *nobis magistrum atq; seruatorem constituit. Huic ergo nos fidere, hunc audire, colere & obseruare decet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Fides Christiana in vno Deo acquiescit.

Psal. 116.
Acto. 4.

HOMILIA IX.

Sapientiam verò loquimur inter perfectos: sapientiam autem non seculi huius, neq; principum seculi huius, qui abolentur. Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quam præfiniuit Deus ante secula in gloriam nostram. Quam nemo principum seculi huius cognouit. Nam si cognouissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis venerunt, quæ parauit Deus ijs qui ipsum diligunt.

MVltis hucusq; Paulus Dei decretum siue consilium exposuit, qui electos suos per Euangelij prædicationem, quæ carnis iudicio stulta & absurda esse videtur, seruare, aut ad salutis per Christum acquisitæ possessionem vocare soleat. Et ideo ad doctrinæ huius diuulgationem ordinatos esse ostendit Apostolos, qui neq; authoritate neq; huius seculi sapientia instructi sint, sed simplici & minimè fucato dicendi genere vnum Christum, & hunc quidem pro nobis crucifixum prædicent. Finis horum omnium est, vt Corinthijs medeatur, qui pseudoapostolorum grandiloquentia & orationibus ad ostentationem compositis fascinati, ipsum simul atq; totam Euangelij doctrinam fastidiebant, quòd nullis verborum phaleris aut dicendi artificio commendaretur. Excusat ergo suam & aliorum Apostolorum simplicitatem, & ostendit se non aliter potuisse prædicare, neq; etiam debuisse, quando hic Dei mos sit, cui se debuerit accommodare. Simul autem in genere docet, hanc docendi rationem nobis vtilissimam, adeoq; necessariam esse: vt nimirum ex ea discamus, sa-

lutis nostræ negotium, quod in Euangelio traditur, non in hominum sapientia, sed Dei solius virtute consistere. Quod si probè consideretur, iam & huic omnem gloriam tribuemus, qui ipsi gratissimus cultus est, & in tentationibus fortes atq; constantes erimus. Quia verò ista occasione multa dicenda fuerunt aduersus huius seculi sapientiam atq; dicendi artes, poterat apud nonnullos Apostolus in suspicionem venire, quasi barbarorum more liberaliores artes & omnem prudentiam ciuilem contemneret atq; damnaret: Ideo locum, quem modò recitauimus subijcit, quo & omni suspicione sinistra se liberat, & Euangelij doctrinam magnificè commendat, docens ea veram & solidam sapientiam contineri, quæ omnem humani ingenij captum excedat.

Euangelium sapientiam verā continet.

Et primò quidem Euangelium grauiter & diligenter ab omni contemptu vindicat, dicens: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non seculi huius, neq; principum seculi huius, qui abolentur, &c. Sensus verborum hic est: Dixi nos Apostolos inter prædicandum non vti persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, & fidem Christianam non in hominum sapientia, sed Dei virtute seu potentia consistere. Id verò nemo sic accipiat, quasi aut sapientiam humanam (quæ & ipsa Dei donum est, & in rebus huius seculi suum vsum habet, adeoq; necessaria est) simpliciter damnem, aut ab Euangelij doctrina sapientiam omnem excludam. Nam si de re ipsa exactius loqui oporteat, dico in Euangelio veram sapientiam contineri: non quidem sapientiam huius seculi, aut eorum, qui in hoc seculo vana & caduca eminentia reliquis excellunt: sed sapientiam Dei, quæ diu quidem occultata latuit, simul tamen æterno Dei decreto præfinita est, vt inter perfectos prædicetur in nostram gloriam. Et hæc quidem non circa res huius seculi occupatur, sed ea sublimitate supra omnes cœlos attollitur, vt nemo principum huius seculi eam cognouerit.

Euangelij definitio.

Continetur his verbis pulcherrima & plena consolationis Euangelij definitio, siue descriptio, quam sic ex illis colligemus: Euangelium est prædicatio sapientiæ Dei, quam is æterno suo decreto compræhensam apud se diu occultauit, suo autem tempore reuelauit perfectis suis, vt gloriam veram & æternam assequantur. Habes in ista definitione quæcunque de Euangelio dici possunt, & nobis cognitu necessaria sunt: quapropter non pigeat nos singulos illius partes aliquantò diligentius inspicere.

Euangelij prædicatio sapientiæ Dei.

Primò prædicationem Sapientiæ Dei esse diximus. Nam IESVM CHRISTVM prædicat, quam Dei Sapientiam esse Scriptura passim docet, per quam ille omnia condidit; & quem nobis quoq; ab illo sapientiam factum esse, nuper audiuimus. Potest etiam sic dici Euangelium, quia veram sapientiam nobis tradit, qui ex nobis ipsis nihil sapimus aut videmus in illis, quæ saluti & vitæ æternæ seruiunt. Si enim sapientia (vt à veteribus Philosophis eam definitam fuisse Cicero scribit) est rerum humanarum atq; diuinarum, causarumq; quibus hæ res continentur, scientia siue cognitio, nulli rectius & meliori iure quàm Euangelio, titulus iste debetur. Ex eo enim vera Dei cognitio discitur, quam nemo sapientum huius seculi vnquam inuenire potuit. Simonides certè ab Hierone interrogatus quid esset Deus, diem vnum sibi ad meditandum dari petijt. Quo elapso, cùm rursus interrogaretur, biduum postulauit. Et hoc etiam concesso, rursus requisitus, triduum adhuc sibi voluit dari: & tandem ingenuè confessus est, se quò magis inquirat & cogitet, eò magis perplexum & incertum fieri. Quod ipsum alijs quoq; philosophis accidisse, ex ipsorum libris apparet, sed non omnium eadem, quæ Simonidis, fuit ingenuitas, vt ignorantiam suam & inscrutabilem diuinæ Maiestatis abyssum fateri voluerint. At Euangelij prædicatione docemur, Deum æternum & summum bonum esse, vnum essentia, personis trinum, qui Verbo suo omnia crearit & creata seruet, Filij sui merito nos redemerit, & Spiritu suo sanctificatos in filios adoptauerit. Discimus præterea, hanc Dei voluntatem esse, vt credamus in nomen Filij sui IESV CHRISTI, & vt nos mutuò diligamus. Causas item creationis & omnium quæ in mundo fiunt, in Dei prouidentia sic nobis monstrat Euangelij doctrina, vt qui in illam respiciunt, rerum certi & securi nihil præterea requirant. Adhæc æternæ salutis rationem certam & simplicem tradit, quam illiterati quoque & opifices aut rustici, imò mulieres, pueri & puellæ percipere possunt. Quoad mores autem & vitæ consuetudinem præcepta tradit numero pauca, intellectu facilia, & quorum vsus per rempub. & domesticam, adeoq; per omnia ea longè lateq; extenditur, quæ homini vel publicè vel priuatim agenda sunt. Et quem non postremum sapientiæ fructum esse, gentium philosophi

philosophi agnouerunt, sola Euangelij prædicatio nos de aduersis omnibus & ipsa etiam morte recte iudicare docet, & in omni casu nos inuictos & constantes reddit. Quis ergo illa sapientiam verum & solidam contineri neget? Quotquot ergo Euangelium audiunt, & huius cognitioni student, ij vere philosophi, id est, sapientiæ studiosi sunt, siue illi docti siue indocti, opifices, agricolæ, nautæ, viri, pueri, mulieres fuerint. At qui illo relicto circa veterum philosophorum scripta occupantur, & nescio quas rerum causas sui ingenij acumine scrutantur, ij philomori aut morosophi, id est, stultitiæ amatores atq; studiosi sunt. Quid enim hi aliud agunt, quàm quòd ipsi sibi tenebras offundũt, ne æternæ illius sapientiæ lucem intueantur, adeoq; in hoc sunt, vt cum ratione insaniant?

Secundò Sapientiæ huius Euangelicæ author indicatur, Deus, qui hanc æterno suo decreto comprehensam præfiniuit. Confirmatur hoc per illud, quòd quæ in illo nobis prædicatur nostræ salutis ratio, Dei electione nititur, quam priusquam mundus hic conderetur factam esse Scriptura sacra non vno loco testatur. Sed & ipsum Christum nobis redemptorem præordinatum esse Petrus docet, priusquam orbis fieret. Ideo quàm primùm Adam in peccatum lapsus & mortis reus factus fuit, remedium in promptu habuit Deus, & infelicem atq; trepidantem prædestinati illius redemptoris promissione confirmauit, qui præfinito tempore ex muliere nasci & serpentis caput conterere debeat. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui Euangelij doctrinã vel nouitatis accusant, vel humanis figmentis constare aiunt. Non errant hi modò turpiter, sed in Deum quoq; ingratissimi sunt, cuius plus quàm paternam curam atq; prouidentiam agnoscere debebant. Vt enim is herbas & quæcunq; alia sunt morborum remedia creauit, priusquam morbi essent, & instar optimi patrisfamiliâs suis in futurum prospexit: ita cùm nos lapsuros esse sciret, priusquam laberemur, eam rationem penes se decreuit, per quam miseris nobis subueniretur. Et cùm Christo teste, olim omnes iusti & prophetæ ea videre & audire ardentissimè desiderauerint, quæ nostris auribus atq; oculis per Euangelij prædicationem ingeruntur, nulla venia digna eorum ingratitudo est, qui ista nunc videre & audire dedignantur. Sed solet illis fieri, quod ijs qui ex oculis laborant. Vt enim hi tenebris assueti lucem ferre non possunt: ita illi cùm errorum & superstitionum diuturna consuetudine irretiti sint, ex Euangelio dolorem concipiunt, & quiduis faciunt, quo illud vel obscurari vel explodi posse existimant. At quia ijsdem cum Dei sapientia res est, nunquam quod volunt perficiẽt, sed in suis illis tenebris miserè peribunt.

Author Euangelij Deus.

Tertiò, ad quos sapientiæ istius cognitio pertineat, docetur. Est autem in hoc admodum diligens Paulus. Nam primùm principes seculi huius excludit, & ne quid temere dixisse putetur, bis illorum mentionem facit. Eo autem nomine omnes eos comprehendit, qui authoritate, potentia, sapientia, rerum vsu & quibuscunq; alijs donis in hoc seculo præ alijs hominibus excellunt, vt eorum principes censeri possint. Rursus ergo ad illud alludit, quod Cap. primo dixerat: Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles aut genere illustres, &c. Deinde his opponit Perfectos. Sapientiam Dei loquimur (inquit) inter perfectos. At quis (inquis) inter homines perfectus est? Nemo vtiq; cùm omnium nostrûm conceptio, natiuitas, vita, polluta sit, & in multis quotidie labamur. Sed perfectos dicit Paulus eos, qui Euangelium audiunt, & IESVM CHRISTVM amplexi eius doctrinæ student, quæ sola ad eam perfectionem nos deducit, quæ in hac quidem vita in nobis inchoatur, olim autem perficietur, quando corpus hoc mortale & corruptibile immortalitatem atq; incorruptibilitatem induerit, & Deus ipse erit omnia in omnibus. Respexit eòdem Paulus, quando ad Scripturæ sacræ lectionem assiduam Timotheum suum exhortans, illam hoc nomine commendat, quòd vtilis sit ad id, vt homo Dei perfectus sit, & ad omne opus bonum instructus. Itaq; Euangelium veram illam & salutarem Dei sapientiam illis solis cum fructu offert, qui illius beneficium agnoscunt & ad metam veræ perfectionis tendunt, quam ille nobis in Christo præfixit. Nihil ergo ista ad porcos & canes, qui huius seculi luto immersi aduersus Deum impudenter latrant & grunniunt, neq; magis cœlestia curant, quàm gallus ille Æsopicus gemmam in sterquilinio inuentam, quæ ipsi hordei grano vilior erat. Et ideo Christus, ne doctrina hæc talibus temere proponatur, prohibet Matth. 7.

Euangelium ad quos pertineat

Cæterùm miretur aliquis, qui fiat, cur in aperta & clara Euangelij prædicatione hanc Dei sapientiam non agnoscant aut intelligant, qui præ alijs ingenio valent, & multo rerum vsu exer-

Euangeliũ prædicatur in mysterio.

titati sunt? Sed occurrit huic quæstioni Paulus, dum illam in mysterio prædicari ait. Id verò non de doctrinæ huius obscuritate, quæ reuera nulla est, sed eorum potius morositate & stoliditate exponi debet, qui (vt ante diximus) sibijpsis tenebras offundunt, dum humanam rationem in consilium adhibent. Horum vitio fit, vt latentia sub simplici Euangelij doctrina regni cælorum mysteria uon videant, eò quòd in sola externa intenti, nihil porrò videre aut intelligere volunt. Quæ ergo fidei oculis meridiana luce clariora sunt, ea humanæ rationi profunda & inscrutabilia mysteria esse putantur, quia longè alia sunt, quàm appareant. Itaq; illorũ prædicatione & contemplatione aliter fidelis, aliter infidelis afficitur. Audit hic Dei filium in cruce mortem infamem obijsse: & quia hoc infirmitati illius tribuit, & in nudo crucis spectaculo hæret, offenditur. At dum idem illud fidelis audit, mox Dei ineffabilem bonitatem & dilectionem agnoscit, & in fide confirmatus cum Paulo exclamat: Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum in mortem, quî non omnia nobis cum eo gratificetur? Sic huic dulcissimæ consolationis plenum & ipsi etiam rationi humanæ manifestum mysterium est, quod alteri illi scandalum & quasi sub vndis delitescens scopulus est, ad quem cum fidei & salutis æternæ iactura naufragiũ faciat. Idem enim, si Christum à mortuis resurrexisse audiat, fabulam putabit. Qui verò fide præditus est, resurrectionis prædicatione magis confirmatur, & in ea simul mortem deuictam, diabolum prostratum & effractas inferorum portas intuetur. Eadem est Sacramentorum nostrorum ratio. Si enim aliquem baptismo tingi, aut mysticam Domini Cœnam in publico cœtu distribui homo prophanus videat, baptismi quidem actionem ridiculam esse, Cœnam verò nihil à conuiuio aliquo vulgari differre putabit, imò intemperantium & delicatulorum mensas atq; epulas illi longè præferet. Fidelis autem in baptismo ablutionem peccatorum, veteris Adami mortificationem, resurrectionem item ad vitæ nouitatem & adoptionis nostræ per Christum factæ beneficium contemplatur: in Cœna autem animo per fidem supra cælos omnes euecto Christi carne & sanguine ad vitam æternam pascitur. Poterant hæc prolixius tractari, sed iam omnibus patere puto, cur Paulus sapientiam illam Dei in mysterio prædicari dicat. Nos autem his admonemur, nihil in toto hoc negotio carnis rationi tribuendum esse, sed fidei oculis hæc omnia spectari debere, quæ sola nos mysteriorum istorum capaces reddit.

(Rom. 8.)

Euangelij finis nostra gloria. Postremò finem prædicationis euangelicæ Paulus indicat, quando totum negotium hoc ante secula in nostram gloriam præfinitum esse scribit. At gloriæ nomine tota hominis felicitas comprehenditur. Nam opponit illam Apostolus conditioni, in qua nascimur, & in qua sumus, si nos extra Christum consideres, vbi (vt supra diximus) nihil inuenitur præter infamiam & ignominiam cum omni miseriarum genere coniunctam. Vt enim quoad corpus nudi cum vagitu & eiulatu in hanc lucem ex matris vtero prodimus: ita quoad animam quoque plus quàm nudi sumus, eò quòd nulla in nobis iustitia est, quæ peccati & mortis reos tegat. Et si qui aliquid hîc conantur, non plus tamen proficiunt, quàm primi parentes, qui suam nuditatem ficus folijs nequicquam velare studuerunt. Ergo miseri & infames stamus in Dei conspectu, & nisi omnem religionis sensum exuimus, nostri ipsorum nos pudet, quando nos magno nostro merito à Dei conspectu reiectos & æternæ damnationis ignominia dignos esse cogitamus. At hîc nobis opẽ fert vnigenitus ille Dei filius, IESVS CHRISTVS, qui (vt nuper docuit Paulus) nobis à Patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est. Is enim intellectum nostrum illuminat, Patris voluntatem exponit, salutis rationem monstrat, sua obedientia & iustitia nuditatem nostram tegit, ex verbi sui semine renatos Deo Patri consecrat, denique proprij sanguinis pretio redimit, & spiritum adoptionis largitur, vt filij Dei facti ipsius cohæredes simus, & cum ipso in cælesti gloria viuamus atq; regnemus. Eius enim promissio est: Vbi ego sum, illic erit etiam minister meus. Et iam moriturus dicebat: Gloriam, quam dedisti mihi ô Pater, ego dedi eis. Item: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi, &c. Iam ergo gloriæ istius gustum percipimus, quando spiritu adoptionis confirmati, nos Dei filios esse sentimus, & multùm licet reclamãte mundo ad Deum clamamus: Abba pater noster qui es in cælis, &c. Olim autẽ perficietur gloria ista, quãdo in totius mundi conspectu nos pro suis Christus agnoscet, & ad sui regni cõsortium inuitabit, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis

(Ioan. 12. & 17.)

(1. Ioan. 3.)

damentis mundi. Et tanta est huius gloriæ maiestas, vt (quod alibi annotauit Paulus) huius seculi afflictiones illi nequaquam respondeant. Nam & corpora nostra mortalia glorioso Christi corpori conformia fient, & tam animæ quam corpora nostra cœlestis regni gaudijs fruentur, quæ vt omnem humani ingenij captum excedunt, ita æterna sunt, neq; vllis fortunæ vicibus (vt in hoc seculo fieri solet) turbantur. Et de istis quidem nos certiores facit Euangelij doctrina, imò tanta bona per illam nobis Deus offert, & nos hoc medio aut instrumento ad gloriæ istius possessionem perducit. Rom. 8.

Hæc vt Euangelij prædicationem nobis plurimùm commendant: ita nos ad eius studium excitare debent, vt posthabitis & relictis huius seculi rebus omnibus in gloria ista quærenda aßidui simus: quam facilè inuenient, qui & conciones sacras frequenter audiunt, & quod audiuerunt diligenti meditatione & lectione priuata in animis suis confirmare student. Neque nos terreant suo vel exemplo vel authoritate, qui in hoc seculo reliquis præstare solent, siue illi publica potestate armati sint, siue eruditione aut alijs rebus excellant. Ignorant tales ferè hanc sapientiam, neq; sua ignorantia contenti, alios quoque impedire satagunt, quò minus ad illius cognitionem perueniant. Itaque fidis Euangelij ministris silentium indicunt, & ne quis conciones sacras accedat prohibent: adhæc cum libris quoque sacris bellum gerunt, quos aut flammis impijs tradunt, Ioakimum & Antiochum imitati, aut ex manibus laicorum temerarijs suis edictis excutiunt, ne à quoquam legantur. Est horum audacia intolerabilis, cùm gigantum similes Deum ipsum, ne inter homines regnet, prohiberi posse putant: quin in ipsos cœlos sibi ius sumunt & imperium, quando obstare conantur, ne qui ad eius gloriæ possessionem veniant, quam nobis Deus in Filio suo IESV CHRISTO per Euangelium offerre solet. At neminem terrere debet Cyclopum istorum ferocia. Nam qualescunq; illi sint, abolentur tamen (vt in præsenti Paulus loquitur) & vt ipsi mortales sunt, sic caduca & momentanea est potentia, qua modò ferociunt. Omnis caro fœnum (clamat Propheta) & omnis gloria carnis flos agri. Exaruit fœnum, decidit flos, Verbum autem Dei nostri manet in æternum. Debebant ista attentius considerare Reges & principes, & veterum Regum exempla sibi frequenter ob oculos ponere, quibus infelicißimè cessit audacia sua, qua Dei ecclesiam oppugnare ausi sunt. At cùm illi neq; alienis neq; proprijs exemplis corrigantur, sed adulatorum blanditijs fascinati sibi vt Semideis quibusdam nihil non licere putent: piorum tamen est, fidem Christo datam fortiter tueri, neq; ad momentaneum secularis potentiæ splendorem ita obstupescere, vt cœlesti & æternæ gloriæ renuntient, ad cuius hæreditatem nobis in Christo aditus patet, si Euangelij doctrinam sequamur.

Commendatur doctrinæ euangelicæ studium

Isa. 40.

Cæterùm duplici argumento probat Paulus, huius seculi principes sapientiam istã Dei ignorare. Primùm proprio ipsorum facto eos conuincit. Nam si cognouissent (inquit) nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ita verò Christum vocat, vt huius maiestatem huius seculi principibus opponat, quos cum sua authoritate aboleri dixit. Meritò autẽ sic dicitur Christus, qui & Deus verus & vnum cum Patre est, & cui Pater omnem potestatem dedit in cœlo & in terra. Hunc (inquit Paulus) si verè cognouissent, procul dubio eundem noluissent in crucem suffigere. Atqui Christum ipsum Iudæis dixisse legimus: Qui sim scitis, & vnde sim scitis. Sed obseruabis duplicem esse Christi notitiam. Alteram vulgarem, qua illum multi Iudæorum ex operibus agnoscebant, vt vel inuiti ipsum homine maiorẽ esse faterentur. Et hanc illis non sine Sarcasmo tribuit apud Ioannem, vt ostendat illos plus scire quàm ipsis conducat, si contumaces & increduli esse pergant. Altera specialis est, quæ ad solos electos restringitur, qui illum Dei Filium, humani generis Seruatorem, Dominum cœli & terræ, victorem mortis & diaboli, adhæc vnicum vitæ authorem esse intelligunt. Quæ cognitio cum fide coniuncta est, & obedientiam parit, adeoque totum hominem Deo vendicat. Istam in præsenti principibus huius seculi Paulus negat, vt & ipse Christus, cum Pharisæis dicit: Neque me nostis, neque Patrem meum. Quod ab illo verißimè dictum fuisse, tota paßionis Dominicæ historia abunde probat, imprimis autem precatio illa Christi: Pater remitte illis, quia nesciunt quid faciant. Et Petrus Apostolus Hierosolymitanos ciues hoc argumento consolatur, ne ob indignam filij Dei necem desperent, quia hoc omne per ignorantiam fecerint. Admonent ista, persecutiones omnes ex Christi & diuinæ illius sapientiæ ignorantia

Probat principes huius seculi Christum ignorare.

Ioan. 7.

Ioan. 8.

Acto. 9.

nasci. Videntur quidem sibijpsis sapientißimi mortalium esse, quicunq; aduersus Euangelij doctrinam conspirant, & ferè cum Caiapha alijs omnibus suam inscitiam exprobrant, quos hîc minus audere vident. Et Daniel Antichristo oculos hominis tribuit, ea locutione astutiam singularem in rebus agendis denotans. Sed reuera, si aliquem diuinæ & veræ sapientiæ gustum haberent, eam minimè odissent, multò minus hostiliter persequerentur. Ideo Dauid, cùm Psal. 2. hostium Christi improbos conatus descripsisset, & ijsdem denuntiauisset, fore, vt ferreo ipsius sceptro comminuantur, mox grauem adhortationem subijcit: Sapite ergo ô reges, erudimini iudices terræ. Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore. Osculamini Filium, ne irascatur, & ne pereatis à via, &c. Debet autem horum consideratio nos excitare, ne vicißim hostes nostros odio prosequamur, sed potius eorum tangamur commiseratione, qui infelici illa ignorantia laborant, & pro illis preces ad Deum fundamus, vt & hanc audaciam illis condonet, & eorundem mentes Veritatis cognitione illuminet. Studeant præterea cognitioni Christi omnes homines, neq; oblatas sibi huius cognoscendi occasiones temere negligant. Nam etsi eorum nos misereri deceat, qui in salutis causa cæcutiunt, non tamen nos semper excusat ignorantia, si suum iudicium Deus exerat. Quin per se nulla venia dignum scelus est, si ea ignoremus, quæ omnino scire nos oportebat. Grauior autem eorum culpa est, qui cognitionem Veritatis odio habent, & oblatam ipsis Euangelij lucem extinctam cupiunt. Fecerunt illud olim Iudæi, & vtinam non idem hodie multi facerent, qui easdem cum Iudæis pœnas dabunt, nisi resipiscant.

Ioan. 11.

Christi mysteria captum humanum superant.

Alterum argumentum ex Isaiæ cap. 64. adducit. Sed sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis venerunt, quæ parauit Deus ijs, qui ipsum diligunt. Leguntur hæc paulò aliter apud Prophetam, sed nulla in sensu differentia est, & quædam Paulus interserit, quæ ad pleniorem loci huius explicationem faciunt. Loquitur autem illic Isaias de veteribus Dei beneficijs, & imprimis Maiestatem eius prædicat, quam toti populo in monte Sinai spectandam exhibuit, cùm Legem promulgaret. Quod beneficium etiam Moses præ omnibus alijs commendat. At quia quæcunq; cum veteribus gesta sunt, Christum & in hoc nobis collata æternæ salutis beneficia adumbrarunt, rectè Paulus locum istum de Christo & Euangelio eius exponit, vt ostendat huius mysteria omnem humani ingenij captum superare, & proinde non mirum esse si ista ignorent, qui præter huius seculi eminentiam nihil sapiunt. Et sanè, si ineffabilis est Dei bonitas, quam in ijs, quæ ad corpus spectant, quotidie experimur, multò minus ea scrutari poterimus, quæ ad regnum cœlorum & salutis æternæ negotium faciunt. Et debet locus iste à nobis bifariàm considerari. Primò quoad religionis & fidei Christianæ causam. Quis enim tam acutus & sapiens est, vt huius mysteria humani ingenij acumine inuestiget siue excutiat? Falluntur ergo multùm, qui humanam sapientiam hic in consilium adhibent, & nescio quas Scholas, Patres, Concilia nobis obijciunt, quorum authoritati in ijs etiam cedere debeamus, quæ nos ex Scripturis didicimus. Deinde, quoad æterna bona, quæ nobis in cœlo parata sunt, loci huius nos meminisse conuenit. Sunt enim hæc quoq; eiusmodi, vt illis dignè considerandis aut exponendis nullæ hominis facultates sufficiat. Nam in cœlis nobis repositi sunt thesauri illi, quos neq; tinea arrodit, neq; vermes exedunt, neque fures aut prædones eripiunt: qui deniq; nulla vetustate deficiunt, neq; diutino & perpetuo vsu aut consuetudine nobis sui fastidium pariunt. Et cùm mundum hunc vniuersum Deus Verbo suo crearit, beatam illam immortalitatem filij sui vnigeniti & æterni sanguine acquiri nobis oportuit. Quod vnum satis admonet, eam omnibus quæ in mundo sunt, sublimiorem & pretiosiorem esse. Rectè ergo horum consideratione abreptus Dauid exclamat: Quàm ampla sunt quæ metuentibus te bona reposuisti? Quod si rectè expendamus, mox patebit, quàm inanis & stulta sit eorum confidentia, qui salutem illam æternam nostris viribus acquiri, aut nos operum nostrorũ iustitia & propria sanctitate bona illa æterna mereri posse docent. Si enim illa neq; sensu neq; ratione humana percipi possunt, multò minus ea nostris viribus assequi licebit. Procul ergo hæc fiducia facessat. Interim excitet nos tantæ felicitatis consideratio, vt Euangelij doctrinæ credamus, & in ea nobis loquentem IESVM CHRISTVM fide vera & constanti amplexemur, qui nos & in huius vitæ curriculo laborantes tuebitur, & olim regni sui cælestis participes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Deut. 4.

Psal. 31.

HOMI-

HOMILIA X.

Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? Ita etiam ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei. Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quæ etiam loquimur non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia coaptantes.

VT homo propter innatam sibi naturæ vitiositatem Dei donis ferè omnibus in propriam perniciem abutitur: ita hoc imprimis facit quoad rationem & mentem, qua illum Deus alijs animantibus præstare voluit. Homo rationis dono abutitur. *Nam ardet quidem discendi & sciendi cupiditate mens nostra, in eo autem plerique errant, quòd vel circa rerum inutilium cognitionem occupantur, vel quæ diuina & cælestia sunt, ad sua rationis calculum reuocant. Quia enim hæc non capit ea, quæ sunt spiritus Dei, fieri non potest, quin opiniones absurdissimas pariat, quæ aut superstitionum ineptissimarum causa sunt, vel omnem religionis sensum in nobis extinguunt. Est ergo diligenti consideratione digna hæc Pauli tractatio, qua primò docet, Veram & salutarem sapientiam esse eam, quæ Euangelij doctrina continetur: Deinde illam non posse humanæ rationis captu comprahendi, & proinde ab ijs plerunque ignorari, qui propter eximia dona & summam authoritatem in hoc mundo principes sunt. Vsus istorum nobis hic esse debet, vt relictis inutilibus & vanis huius mundi studijs, ad sapientiam hanc cælestem aspiremus, quæ nos de Dei voluntate certos facit, & non solùm huius vitæ mortalis tutissimam regulam præscribit, verumetiam ad beatam immortalitatem nos deducit, in qua ineffabilibus regni cælorum bonis fruemur, quæ nobis Christus acquisiuit. In illius tamen studio etiam atque etiã nobis cauendum est, ne quid nostri ingenij viribus aut industriæ tribuamus, sed in [illegible] Dei Verbum intenti simus, quod nos à Veritate aberrare non sinet. Et huc plurimùm facit locus iste, quem modò recitauimus. Docet enim Apostolus, quæ vnica ratio sit, per quam homines infelici illa & pernitiosa rerum cælestium ignorantia liberentur, & ad salutis veræ cognitionem perueniant.*

Poterat enim ex ijs, quæ proximè dicta sunt, eiusmodi quæstio inferri: Si quæ vos Apostoli prædicatis, omnem sensum simul atque humanæ rationis captum superant, vnde ergo vobis istorum cognitio contigit, aut quomodo illa ipsa à vobis tradi & doceri possunt? Hanc quæstionem Paulus sua responsione præueniens, sic ait: Nobis Deus ea reuelauit per spiritum suũ. Quibus verbis doctrinæ apostolicæ certitudinem fortiter asserit, & illam omni sinistra suspicione liberat, quasi diceret: Etsi tam sublimis & abstrusa sit hæc sapientia, nemo tamen eam aut negligere debet vt cognitu impossibilem, aut de eius doctrina dubitare. Nam quæ homines sui ingenij acumine aut sagacitate inuestigare non possunt, ea nobis Deus ipse per spiritum suum reuelat, vt eorum cognitio facilis & quasi oculis nostris sit exposita. Nec temere aut confidenter hoc dicit Paulus. Nouerat enim IESV CHRISTI *promissionem, qua Spiritum sanctum discipulis suis pollicetur, qui ipsis omnia, quæ ex illo audiuerant, in memoriam reuocare, & in omnem veritatem inducere debuit. Imò per prophetas hoc ipsum olim promiserat Deus, quòd ipse Legem suam in credentium corda inscribere, & sui cognitione omnes illuminare velit. Quo nomine Isaias eos: qui Christo credunt, θεοδιδάκτους, id est, discipulos Dei vocat.* Apostolis diuinorum cognitio vnde obuenerit? Ioan. 14. Ierem. 31. Isa. 54.

Admonent nos ista de bonitate & indulgentia Dei plus quàm paterna: qui eò vsque se demittit, vt non per Verbum modò suum nobiscum colloqui dignetur, verumetiam spiritum suum nobis communicet, vt huius radijs ignorantiæ tenebræ, quæ animos hominum obnubilant, dissipentur. Nec enim ad solos Apostolos promissiones illæ, quarum modò meminimus, restringi debent, sed ad Christianos omnes extendi, qui (vt in epistola ad Romanos Paulus ait) Christi non erunt, nisi eius spiritu donati sint. Et hoc negare non possunt, quicunque bonas animi suggestiones obseruant, & cor- Dei bonitas & indulgentia. Rom. 8.

da sua ad Euangelij prædicationem aperiri & subitò mutari sentiunt, vt ijs quàm diligentißimè attendant, à quibus prius totis animis abhorrebant. Similiter inter legendum spiritus iste cordibus piorum sese insinuat, vt sæpe nouam lucem subitò exoriri sentiant, quæ ipsis expedita & intellectu facillima reddit, quæ paulò ante Cimmerijs tenebris obscuriora videbantur. Exempla huius rei multa ex historijs adduci poterant, nisi quæ quotidie fiunt sufficerent. Nos potius illa in eum finem obseruemus, vt Deo nos erudiendos præbeamus, neq; extinguamus in animis nostris agentem Spiritus sancti lucem, sed Verbi studio diligenti atq; precibus aßiduis nos illi accommodemus, & si quem sentimus profectum, hunc omnem Deo feramus acceptum.

Euangelica sapientia solo spiritu doctore discitur.

At ne quis quod Paulus dixit, difficile vel etiam impoßibile putaret, hoc ipsum rationibus aut argumentis certis confirmat. Nam ad ipsa spiritus effecta nos remittens ait: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Non debent autem hæc verba eo sensu intelligi, quasi Spiritus ille sanctus studio & inuestigatione opus habeat ad discendum aliqua, quæ prius ignorauerit. Sed scrutandi verbo vtitur, vt eam Spiritus vim esse ostendat, quæ omnia penetret, vbique præsens sit, & quam nihil quantùmuis arcanum & profundum poßit latere. Et quod breui sententia dixit, mox per similitudinem elegantem illustrat, quam ex nostra mente aut ratione desumit, sic dicens: Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? Ita etiam ea quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei. Interrogatione vtitur, vt ad horum considerationem diligentiorem magis excitet, & vno hoc simili duo comprehendit, quæ ad hanc causam faciunt. Primum, Vt hominum arcana nemo nouit, nisi spiritus, id est, mens hominis aut suprema illa rationis facultas, quæ cogitationes cordium inspicit & moderatur: Ita quæ Deus penes se statuit & decernit, nemo videre aut nouisse potest, præter Spiritum, qui Deo proprius, & eiusdem cum illo essentiæ est. Alterum, Vt mentem nostram non possunt ea latere, quæ in intimo cordis recessu cogitamus & intra animum nostrum voluimus: Ita neq; Spiritus Dei ignorare potest, quæ is iam inde ab æterno de humani generis reparatione & salute decreuit. Sunt hæc satis manifesta, neq; ampliori declaratione opus habent, quia cum communi hominum sensu conueniunt. At ex ijs nos colligere oportet, Euangelij doctrinam à nobis comprehendi & intelligi non posse, nisi Spiritus sanctus animis nostris affulgeat, mentes nostras aperiat, & in eorum fide confirmet, quæ in illo prædicantur. Exemplo nobis sint Apostoli, qui etsi Christo præceptore domestico (vt sic dicam) vterentur, hunc quotidie audirent, & doctrinam eius nouis & stupendis signis itidem confirmari viderent, adeò tamen rudes & mysteriorum Christi imperiti manserunt, vt ne crassam illam & carnalem de regno eius terreno opinionem deponere possent, & non semel acerrimam correptionem meruerint. At vbi Spiritus Christi animis illorum infusus est, repentè dictorum eius omnium recordati sunt, & scripturas veteres intellexerunt, & illius merito nobis partam salutē non minori cum perspicuitate quàm animi constantia prædicarunt.

Fides non stabilitur authoritate humana

Sunt hæc propter eos diligenter obseruanda, qui nos de mysterijs istis certam & solidam cognitionem habere posse negant, nisi Patrum & Conciliorum (quibus illi Ecclesiæ titulum magna cum cōfidentia & audacia vendicant) authoritate confirmemur. Id verò nunquam dicturi essent, si rem ipsam, & quæ quotidie inter homines fiunt rectius inspicerent. Etenim in Christi & salutis æternæ negotio nequaquam sufficit temere concepta opinio aut etiam coniecturis & humanis testimonijs suffulta animi persuasio: sed certo, firmo & indubitato assensu opus est, qui nos totos Christo vindicet ad fidei obedientiam. Quis vero hominū tanta aut sapientia & eruditione instructus est, aut tanta authoritate pollet, vt illū in animis nostris excitare, vel in eo nos confirmare & retinere poßit? In ijs, quæ ad hoc seculum spectant, aliorum sermonibus & authoritate seduci possumus: sed vt aliquid, quod nō sensibus nostris ingeritur, verè cognoscamus, nullius hominis authoritate effici potest. Quæ ergo dementia est, hoc in illis statuere, quæ humanæ rationis captum longè superant? Adde, quod vt credamus quæ cum ratione & natura pugnant, nemo nos adducere potest, nisi qui in animum nostrū ius habet, & voluntatem quoq; potest mutare. Ideo infra Paulus de seipso & alijs Euangelij preconibus loquens ait: Ministri Dei sumus, per quos credidistis, prout cuiq; Dominus dedit. Quare frustra Patrū, Conciliorum, Pontificum, Regum, vel etiam totius mundi authoritatem in vnum congesseris, nisi animus intra seipsum πληροφορίαν illam aut certitudinem fidei concipiat, quam solus Dei Spiritus in nobis gignit.

Porrò

Porrò vt à Pauli instituto nonnihil digrediamur, de duobus nos hæc verba admonent. Primò, quanta conscientiæ vis sit docent. Solent pleriq; in sceleribus suis ex eo consolationem petere, quòd illa occulta esse, nec aliquem hominũ ea nouisse putant. Est autem hæc consolatio vanissima, quando ad turbandum animum plus quàm satis est, si tu ea noueris, quæ aduersus Deum designauisti. Nam vt veteres dixere, conscientia mille testium loco est. Et tanta illius vis est, vt non ea modò nobis exprobret, quæ alioqui ob oculos nostros versantur, & dissimulari nullo modo possunt, sed profundissimos mentis recessus scrutatur, & ea nobis in memoriam reuocat, quorum ipsimet prius obliti eramus. Et quò minus id fiat, nulla arte aut consilio prohibere, aut illius exprobrationes effugere possumus. Intra nos enim illa latet, & quocunq; nos vertamus comitem agit indiuulsum, & inuitis quoq; obrepit, dum gaudia animo concipere volumus, & tam dormientes infestat, quàm vigilantes. Neq; modò in mentem reuocat, quæ præter officium à nobis facta sunt, verumetiam accusat, imò sceleris nos conuincit, vt quàmuis natura simulatores simus, & nobisipsis turpiter blandiamur, tamen nos sceleratos esse & Dei iram atq; pœnas horribiles meruisse, negare non possimus. Magna ergo huius mali vis sit oportet, & ideo illud Poëtæ per furias infernales adumbrarunt, quæ colubris armatæ miseros flagellent, & omnia illis infesta reddat. Huius mali vim Cainus sensit, cùm clamaret: Maior est iniquitas mea, quàm vt remittatur. Eadem Iudam coëgit, vt & scelus admissum cum publica infamia fateretur, & pecuniam, qua nihil charius habebat, redderet, & sibijpsi laqueum aptaret, quo præfocatus vitam infelicem infelicius finiuit. Et hodie multos à propria conscientia vinci & in desperationis præcipitium abduci videmus, qui paulò ante neq; Dei neq; hominum metu tenebantur. Neq; à conscientiæ stimulis immunes sunt pij, quos non minus propria mens accusat, & terroribus grauissimis exagitat, vt in Dauidis, Petri & similiũ exemplis videmus. Melior tamen illorum sors est, quia de gratia Dei bene sperant, & adoptionis spiritu confirmantur. Nobis autem doctrina ista ad hoc seruire debet, ne impunitatis spe nos decipi patiamur: quin potius semper nobis ob oculos versetur, quod Ioannes scribit: Si condemnet nos cor nostrum, potentior est Deus corde nostro, & nouit omnia. 1. Ioan. 3. — *Conscientiæ vis magna.*

Deinde continetur his verbis euidens argumentũ, quo spiritus sancti diuinitas vera & æterna probatur. Nam quæ Dei sunt, nemo præter vnum Deũ nouit absq; peculiari reuelatione. Quis enim (inquit alibi Apostolus) cognouit mentẽ Domini? At spiritus omnia scrutatur, & ipsas quoq; arcanorũ Dei profunditates cognitas habet. Ergo Deus sit oportet. Adde huic argumẽto, quòd Paulus in epist. ad Rom. eadem loquendi formula de Deo vtitur. Qui corda scrutatur Deus (inquit) nouit quis sit sensus spiritus. Et passim in scripturis hoc solius Dei proprium esse docetur, quòd corda & renes, id est, occulta omnium hominum consilia atq; desideria norit, & omnia penetret. At si diuinæ virtutis est hominũ arcana nouisse, quanto maius erit ad ipsius Dei profunditates propria virtute penetrare? Atqui ea est Spiritus conditio, vt eũ à Deo separare nefas sit. Vt enim homo esse desinit, quãdo spiritum ipsi eripit Deus: ita hic quoq; nullus erit, si spiritum ab eo abstuleris. Quod ipsum de Verbo etiam Dei vero & æterno sentiendum esse alibi diximus. Constat ergo nos rectè & orthodoxè in Deo vnitatem essentiæ, & in ea vnitate personas tres suis proprietatibus distinctas agnoscere & fateri. Et sunt testimonia eiusmodi diligenter obseruanda propter eos, qui hodie Arij, Sabellij, Samosateni & Macedonij hæreses postliminio reducere conantur, & sacrosanctæ atq; adorandæ Trinitatis articulum oppugnantes ipsa Christianæ fidei fundamenta labefactant. — *Diuinitas Spiritus sancti probatur.*

Redeamus nunc ad Paulũ, qui quod dixit, nouo argumento à natura contrariorũ desumpto confirmat, sic dicens: Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritũ qui est ex Deo, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Spiritũ mundi hîc dicit, non malum illum & impurũ, per quem diabolus in impijs agit, sed mentẽ siue rationem, qua homines naturaliter intelligunt, sapiunt, cogitant, ea deniq; faciunt, quæ naturali illa animæ facultate perfici possunt. At Dei spiritus dicitur noua illa vis, qua renatos in Christo donat Deus, & qua illi animantur & ducuntur, vt ea quoq; sapiant, cogitent & velint, quæ naturæ vires & omnẽ humanæ rationis captũ excedunt. Hunc nos accepisse ait, vt ostendat non mirũ cuiquam videri debere, si ea norint credentes, quæ nemo principũ huius seculi intelligere potest. Et mox finẽ istius cognitionis indicat. Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Loquitur autẽ de ijs, quæ nobis Deus per Christũ & in Christo gratuita liberalitate aut miseri- — *Apostoli spiritum Dei acceperunt.*

cordia donauit. Sũt hæc peccatorũ remißio, reconciliatio, regeneratio, adoptio, beatæ resurrectionis spes, & vita æterna: quæ omnia nuper paucis membris complexus est, quando Iesum Christũ nobis à Patre Sapientiam, Iustitiam, Sanctificationem & Redemptionem factũ esse dixit. De his omnibus certos nos reddit Spiritus ille Dei, quem similiter Christus suis paracletum siue aduocatũ promisit. Quia enim Veritatis spiritus est, neminem fallit, & tam certa sunt atq; infallibilia, quæ illo doctore & teste cognoscimus, vt magis certa esse non possint, quæ sensibus externis apprehendũtur, vel etiam manibus contrectantur. Imò cùm oculi & aures sæpe falli soleant, & in ijs quoq; nõ rarò decipiamur, quæ digitis proprijs tangimus, impoßibile tamen est mentẽ falli, quam Spiritus Christi illuminauit. Ea enim lucem illam veram respicit, quã quisquis sequitur, is non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. Nec temere ergo Apostoli Spiritum illum arrhabonem salutis dicunt, eò quòd Christi merito partam salutem eiusq; fiduciam intra animos nostros obsignet.

Ioan. 8.

Dignitas Euangelicæ doctrinæ.

Commendatur his plurimum Euangelicæ doctrinæ dignitas. Si enim scientiæ omnes suam dignitatem ex argumento aut materia habent, circa quam versantur, deinde ex demonstrationibus, quæ illarum certitudinem asserunt: nulla certè Euangelij doctrinæ conferri meretur. Reliquæ enim scientiæ ad res huius seculi spectant, in quibus etsi multa vtilia, multa honorifica, multa etiã ad rem pub. aut rem domesticam, vel etiam corporis valetudinem conseruandam necessaria sint, omnia tamen illa caduca, fluxa & momẽtanea sunt, neq; stabilis & perpetua est, quæ ex illis petitur vtilitas siue voluptas. At Euangelij doctrina cœlestium atq; æternorum bonorũ thesauros nobis proponit, sine quibus felicitas hominis consistere non potest, & quæ sola nos beatos faciũt. Adhæc certa & infallibilis est illorũ promißio, & quæ ex promißionibus Euangelicis dependet eorundẽ fiducia. Fundantur enim illæ omnes in Dei gratia siue misericordia, quam inexhaustam & æternã esse constat. Mediator autẽ est æternus ille & dilectus Dei filius, quem Pater aspernari non potest, cũ ipse eum nobis ad hoc officiũ æterno suo decreto prædestinauerit. Accedũt his testes fide dignißimi, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Angeli deniq; qui Christo nascituro, morituro, resuscitato itẽ & in cœlos subuecto testimoniũ tulerunt. Quorum fidem in dubiũ vocare summæ audaciæ & extremæ impudentiæ fuerit. Superat tamen hæc omnia Spiritus sancti testimoniũ, qui non solùm promissiones Dei nobis in mentẽ reuocat, sed nos intra animos nostros salutis certos reddit, nostrumq; intellectũ sic illustrat, vt sciamus quæ nobis à Deo donata sunt. Ideo Petrus quoq; cum fide scientiã coniungens dicebat: Et nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, Filius ille Dei viuẽtis. Inculcamus hæc diligentius, ne quis impium & desperationis plenum Sophistarum figmentum admittat, qui neminem dum in hoc seculo viuit, salutis suæ certum fieri posse docent, adhæc piorũ quoq; & credentium perseuerantiam dubiam & incertam faciunt. At quid hoc aliud est, quàm Euangelij promissiones in dubium vocare, Spiritus sancti testimonium negare, & ipsi Christo contradicere, qui se bonum & fortem illũ pastorem esse profitetur, qui oues suas omnes probè nouerit, & ex cuius manibus illas nemo poßit rapere? Procul ergo facessant à Christianis hominibus dubitationes illæ, quæ cum manifesta impietate coniunctæ sunt. Quin potius cum Paulo dicant: Nos spiritũ, qui ex Deo est accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Item: Certus & fidelis est hic sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, Quòd Christus Iesus in mundum venit, vt peccatores saluos faceret. Interim ne fiducia in confidentiam, & tandem in securitatem & carnis licentiam degeneret, meminerimus semper nos non mundi huius, sed Dei spiritum accepisse, & ideo nobis annitendum esse, ne mundo & carni, sed Deo viuamus, ne (vt alibi Apostolus monet) spiritum illum Dei sanctum tristitia afficiamus. Vide Ephes. 4.

Ioan. 6.

1. Tim. 1.

Paulus ad prædicationem Euangelij remittit.

Cæterùm applicat tandem hæc omnia Paulus instituto suo, & sic ait: Quæ etiam loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, &c. Rectè autem & non sine necessaria causa iterum de prædicatione Euangelij loquitur. Ita enim fanaticis occurrit, qui inspirationes & reuelationes nouas fingunt extra Dei Verbum, quod certißimum breuißimumq; est ad omnis generis errores atq; superstitiones compendium. Nam qui nouis inspirationibus sibi opus esse existimant, ij diabolo sese illudendos propinant, qui in Angelum lucis se transformare, & absurdißimarum opinionum portenta Spiritus sancti authoritate palliare solet. Factum hoc olim in hæreticis, quos ista ratione ille decepit. Et Mahometum hoc artificio imprimis

2. Cor. 11.

vsum

vsum fuisse constat, quando apud Arabes suos sibi fidem conciliare voluit. In Papatu autem hanc superstitionum ferè omnium primam causam esse scimus. Nostro autem tempore Anabaptistarum Coryphæi suis inspirationibus quàm plurimos seduxerunt, vt relicta Christi ecclesia illos secuti sint, qui renascentem Euangelij doctrinam quàm maximè impediuerunt. Debet ergo Spiritus cum Verbi prædicatione coniungi, neq; credendum est spiritui quantùmuis specioso, nisi quæ dictat cum Verbo Dei in scripturis reuelato per omnia conueniant. Iubet hoc Paulus, quando ne Angelo quidem cœlitus delapso credendum esse monet, si quid prædicet diuersum ab ijs, quæ Euangelio traduntur. Hoc autem non solùm fanaticos illos arguit, verumetiam Conciliorum patronos, qui Patres & Episcopos in Spiritu sancto conuenisse clamant, & proinde pro diuinis agnosci debere, quæcunq; illi decreuerunt. At probandum erat in Spiritu sancto conuenire omnes, qui hoc nomine sua venditant, & suis Sessionibus Missam de Spiritu sancto præmittunt. Probent etiam oportet, Spiritum Dei contraria docere, & sibijpsi contradicere: quando satis constat non pauca extare Conciliorum decreta, in quibus manifesta contradictio neq; negari, neq; dissimulari potest: vt iam de ijs nihil dicamus, quæ cum disertis Dei Verbis pugnant.

Quoad verò Pauli institutum, rursus excusat dicendi genus rude & simplex, quod ipse cum alijs Apostolis commune habebat. Nos (inquit) sermonibus vtimur, non quos humana sapientia docet, quæ elocutionis ornatum & figuras, amplificationum species, strophas, elenchos & paralogismos excogitauit: sed ijs potius, quos Spiritus sanctus suggerit, qui cum Veritatis spiritus sit, oratione etiam perspicua & simplici gaudet. Deniq; toti in hoc sumus, vt rebus spiritualibus verba quoq; spiritualia accommodemus, & ita rebus verba respondeant. Vocat autem spiritualia verba, in quibus nullus fucus vel Rhetoricus vel Sophisticus auditorum animos perstringit, sed in quorũ simplicitate Spiritus sancti vis atq; energia elucet: quæ aut nulla, aut cordatis omnibus suspecta est, quãdo aliquos curioso & exquisito dicendi artificio vti vident. Eiusmodi verbis Christus vsus est, quando populus illum cum singulari autoritate docere animaduertit: quando item discipuli, qui Emauntem cum illo profecti fuerant, corda sua ex eius colloquio arsisse testantur. Spiritualia item verba Petrus locutus est, quando ad eius concionem multi totis animis compuncti salutis consilium sibi dari postulauerunt. Et huc pertinent quæcunq; de Apostolorum concionibus traduntur, quæ etsi verbis constarent minimè artificiosis aut magnificis, spiritus tamen sancti virtutem admirabilem habuerũt coniunctam, quæ auditorum animos penetrauit, & totos immutauit. Ita verò rursus eos perstringit, qui simplicem Euangelij doctrinã ascititio & inani verborum fuco corrumpunt. Et debemus nos suspectos habere eos, qui hoc faciunt: imprimis autem Dei facilitatem & bonitatem agnoscamus, qui nostro captui sese tam studiose accommodat. Vicissim autem nosipsos doctrinæ huic accõmodemus, & procul relictis humanæ sapientiæ ornamentis, vno IESV CHRISTO contenti simus, qui solus nobis ad salutem sufficit. Ei debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Excusat rude dicendi genus.

HOMILIA XI.

Animalis autem homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, neq; potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse verò à nemine dijudicatur. Quis enim nouit mentẽ Domini, qui instructurus sit eum? Nos autem mentem Christi habemus.

INter alia hominis vitia, quæ nobis ex hæreditaria naturæ nostræ prauitate inhærent, non postremum est philautiæ malum. Hæc enim causa est, quòd omnia nostra admiramur, & contempta Dei gratia nos ad omnia proprijs facultatibus abunde instructos esse putamus. Hîc autem imprimis nos decipit sapientiæ fiducia, quæ ita ferè nos inflat, vt non contenti in ijs, quæ quotidiana sunt & secundùm naturæ ordinem fiunt, ingenij nostri acumen ostentauisse, ea quoq; scrutari conemur, quæ ad arcana Dei de humani generis salute consilia spectant. Est hæc pestis grauissima, & quæ saluti plurimùm officit. Vt enim in istis carnis ratio turpissimè fallitur, ita grauiter

Philautiæ malum.

etiam plerique offenduntur, si quid occurrat, quod carnis iudicio absurdum aut iniquum videtur. Hinc ergo omnis generis superstitiones prodeunt, & tandem ex eadem radice omnis religionis & doctrinæ syncerioris contemptus nascitur, dum omnia ad nostræ rationis calculum reuocamus. Exemplo hîc nobis sunt Corinthij, quos humanæ sapientiæ admiratio atq; fiducia eò adduxit, vt simplicem & synceram prædicationem de Christo fastidirent, & circa inanes speculationes occupati, veram atq; vnicam salutis assequendæ rationem negligerent. Necessariò igitur Paulus istam tractationem instituit, qua docet, huius mundi sapientiam & nostri ingenij acumen nihil facere ad eorum cognitionem, quæ nostræ saluti seruiunt. Et quàmuis in eam sententiam multa dixerit hucusq;, ijs tamen hæc quoque subijcit, quæ modò recitauimus, quibus summam totius negotij non minus perspicuè quàm grauiter comprehendit. Nobis autem doctrinæ istius omnis vsus hic esse debet. Primùm, ne nostro acumini in ijs, quæ ad Deum spectant, aliquid tribuamus, sed nos totos subijciamus spiritus magisterio, & ita germani simus Dei discipuli, quales Christianos fore olim Isaias prædixit. Deinde ne offendamur, si Euangelicæ Veritatis doctrina illis sordeat, qui in hoc mundo præ alijs sapere videntur.

Homo animalis non est capax spiritus Dei.

Propositio & summa huius loci est: Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei. Animalem verò hominem vocat eum, qui solis naturæ facultatibus instructus suæ animæ, quam cum prophanis quoque & à veri Dei cognitione alienis communem habet, placitis regitur, nondum autem Dei spiritu regeneratus aut instauratus est. Ita illum Iudas Apostolus definit, quando de illis loquens, qui Euangelij doctrina & gratia Dei ad carnis licentiam abutuntur, inter alia dicit: Hi sunt qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes. Sensus ergo huius dicti apostolici est: Hominem, si sibijpsi & suis facultatibus naturalibus relinquatur, non esse capacem mysteriorum spiritus Dei, neq; ea intelligere posse, quæ ad regni cœlorum & salutis æternæ negotium pertinent. Quod vt melius exprimat, Metaphora vtitur à vasis sumpta, quæ ob angustiam non capiunt, quæ in illa infunduntur. Neq; temerarius est Paulus, qui cæco & præcipiti iudicio totam hominis naturam ignorantiæ & impotentiæ damnet: sed idem cum Christo dicit, qui cùm discipulis suis paracletum illum verum polliceretur, nempe Spiritum Veritatis, addit: Quem mundus non potest recipere, quia non videt eum, neq; nouit eum. Vbi similiter mundi nomine homines nondum renatos intelligit, qui sola naturali ratione ducuntur: & plus quiddam dicit quàm Apostolus, nimirum, quòd ne Spiritus quidem illius capaces sint, qui facit, vt diuina intelligamus. Ex eo autem vtrumque sequitur, quæ hîc obseruanda esse antea diximus. Quòd nimirum neq; nostræ industriæ in diuinis quicquam tribuere, neq; etiam multùm moueri aut offendi debeamus, si pauciores sint, qui doctrinam Euangelij admittunt. Sunt quidem ratio & intellectus præclara & eximia Dei dona, quibus nos à brutis animantibus ille distinxit, vt his ducti & excitati, nō in præsentia modò & terrena intenti simus, sed futura & cœlestia bona sectemur: sed in primi parentis lapsu ita debilitatæ sunt rationis & mentis nostræ vires, vt in ijs, quæ ad Deum spectant, nihil videamus aut intelligamus, nisi noua Spiritus diuini luce illuminemur, quæ mentem humi defixam & circa huius vitæ negotia occupatam ad cœlestium considerationem attollat. Tam præclaros & egregios Deos nos fecit diabolus, & hæc illa tam eximia boni maliq; scientia est, quam primis parentibus ille promisit, vt Deo inobedientes faceret. Vt ergo oculi naturalem habent videndi facultatem, ea autem sine luce vti non possunt: ita hominis quoq; anima intellectu & ratione quidem prædita est, his autem diuina & cœlestia videre aut intelligere non potest, nisi Spiritus sancti radijs illustretur. Itaq; si qui sine illo de diuinis aliquid statuere volunt, ij perinde faciunt, ac si quis acie oculorum fretus in medijs tenebris sine luce cernere, aut de coloribus iudicare vellet.

Ioan. 14.

Euangelium ingenij humani captū superat.

Commendatur his vehementer Euangelicæ doctrinæ dignitas, de qua etsi alibi dictum sit, prodest tamen nos ad eius considerationem crebrò excitari, vt maiori eius studio attendamur. Magnum & præclarum est, quòd salutem veram & perfectam nobis offert, quam nulla alia scientia verè polliceri, nulla præstare potest. At eadem sapientiam quoq; continet, quæ omnem hominis captum excedit, & circa quam sese stultissimos præbent, qui in mundo artium & sapientiæ principes videntur. Apparet hoc in eo, quòd qui illam rectè animo conceperunt, ij soli ad eā perfectionis metam perueniunt, quæ in hac carne viuentibus obtingere potest, & ad quam philosophi omnes frustra aspi-

stra aspirauerunt. Nam Dei veri cognitione donantur, in Christo peccatorum remißionem inueniunt, cum Deo se in gratiã rediisse sentiunt, & ita in hoc acquiescunt, vt ad omnem fortunæ euentum instructi & parati sint, & neq; aduersis neq; secundis à Dei dilectione diuelli queant, qua is nos in Filio suo complexus est. Sunt ergo in secundis modesti, in aduersis fortes & intrepidi, in medio hostium mites & placidi: deniq; (vt de suis discipulis Isaias pronuntiat) toti mundo portenti instar sunt, dum ea faciunt & ferunt, quæ rationi intolerabilia esse videntur. Ad hanc ergo sapientiam omnes aspirare conuenit, neque eorum iudiciis offendi, quibus illa vel stulta & absurda, vel etiam reipub. inimica esse videtur. Sic enim ex ignorantia illi iudicant, cùm eorum non capaces sint quæ sunt Spiritus Dei, longè aliud dicturi, si aliquem cœlestis illius philosophiæ gustum percepissent. Hîc ergo imprimis locum habet, quod prouerbio dicitur: Ars non habet contemptorem, nisi ignorantem. At stultum est, eorum iudicio offendi, quos rei, de qua agitur, ignaros & imperitos esse scias. Isa. 8.

Porrò quod dixit Apostolus, iam duobus argumentis probat, quibus simul huius ignorantiæ causam omnem in hominibus hærere docet, ne quis Deum accuset, qui ea nobis ingerere conetur, quorum nos minimè capaces esse non ignoret. Primùm, Quia stultitia sunt ei, inquit. Non ipsam Euangelii doctrinam per se stultam, sed homini animali stultitiam esse dicit, idem hîc repetens, quod supra dixit, Christi crucifixi prædicationem Iudæis quidem scandalum, Græcis verò & humanæ sapientiæ persuasione turgidis stultitiam esse. Etenim carnis iudicio nihil tam stultum & delirum videtur, quàm in eo salutis fiduciam ponere, qui in cruce mortis infamis supplicium sustinuit. Atqui eadem est omnium aliorum ratio, quæ in Euangelio traduntur. Nam stultum videtur humanæ rationi docere, Quòd Dei Filius in mundũ venerit, ex virgine pura & intemerata homo verus natus sit, in terris esurierit, sitierit, alserit, à discipulo proditus & in crucẽ suffixus sit: quòd item cùm ista omnia palàm sint facta, resurrectionis & ascensionis suæ testes paucißimos esse voluerit. Cur enim hæc facta sint, caro non videt, quæ nihil admiratur, quàm quod mundo huic præclarum & eximium esse videtur. Quòd si verò addas, salutis spem omnem ita in vno Christo debere collocari, vt propter eum nosipsos abnegare, charißimis & coniunctißimis quibusq; renuntiare, bona præsentia spe futurorũ relinquere, & ad omnis generis cruciatus atq; tormenta nunquam non paratos esse oporteat: iam non stulti solùm, sed insani, sed dementes, sed à communi sensu alieni & furiosi habentur mundo, qui sic docent atque sentiunt. At quæ causa est, quòd tam præposterè & iniquè homo animalis iudicat? Hæc nimirum, quòd in externam modò rerum speciem intentus, quæ sub hac latent salutis mysteria non videt, neque etiam videre vult: imò nihil credendum & admittendum esse putat, cuius non certa ratio reddi poßit iis, qui præter huius mundi eruditionem atque doctrinam nihil sapiunt. Præcipua ergo huius mali radix est superbia, quæ vt in aliis quoque rebus homines cæcos & stolidos reddit, ita in hac causa eos prorsus dementat, vt aduersus Deum ipsum confidentißimè insurgant, neq; eius verbo rationem suam subiicere velint, ne prius errauisse videantur. Hinc illæ voces aduersariorum hodie paßim audiuntur: An ergo, si verum dicunt noui isti doctores, tot seculis totus terrarum orbis errauit? An à salutis via tam turpiter deflexerunt tot Pontifices, Episcopi, Reges, principes, nobiles, docti, sapientes? An verò soli isti nunc sapiunt? Nulla ne tot sæculis fuit Christi ecclesia? nullus veri Dei cultus? nulla fides? religio nulla? Num tot viros prudentia, morum probitate, virtute & pietate eximios, & cum his patres, auos, proauos, atauos, maiores denique nostros omnes damnabimus? At dum ista magnis clamoribus omnium auribus ingerunt, vt nobis odium atque inuidiam conflent, hoc vnum efficiunt, quòd se homines animales & Spiritus Dei omnino vacuos esse testantur. Quid enim hic audis, quod non olim Iudæi pro sua Circumcisione, sacrificiis, imò patrum suorum traditionibus adduxerint? Annon iisdem argumentis olim gentes, vt suos Deos & Idola sua tuerentur, aduersus Christianos vsi sunt? Annon hodie iisdem, si quæ esset eorum authoritas, Turcæ suas superstitiones excusare poterant? Non aliud ergo ista, quàm animalem hominem, sapiunt, & quia suam modò rationem isti audiunt, non mirum est, stultitiam ipsis videri eam doctrinam, quam Dei Spiritus dictauit, & quæ sola veram salutem continet. 1. Euangelium carnis rationi stultitia est.

2. Ratio carnis Euangelij mysteria non potest cognoscere.

Sed alterum adhuc argumentum Paulus subijcit. Neq; potest ea cognoscere quia spiritualiter dijudicantur. Sensus est: Magna quidē humani intellectus & rationis nostræ vis est in ijs, quæ nostro acumine inuestigari possunt: at quæ in Euangelio traduntur, ea ad Dei regnū spectant, quod cùm non terrenum aut mundanum, sed cæleste sit, in eius mysterijs cognoscendis, nō ratione, sed Spiritu & fide opus est, quæ sola nos dirigit, vt ea internoscere, & sub his latentem veritatem atq; salutis nostræ rationem videre possimus. Cùm autem Spiritu Dei destituantur qui adhuc toti animales sunt, impossibile est, vt in his aliquid intelligant. Est hoc argumentum euidens, & eodē rursus nobis commendatur doctrinæ & fidei nostræ dignitas, de qua paulò ante diximus. At quoties in tota ista tractatione Spiritus mentionem facit Apostolus, quo nos illuminari & duci oporteat, semper nos in mentē reuocare oportet, quod nuper cum Spiritu prædicationem verbi coniunxit. Nunquam ergo duo ista diuelli debent, neq; nobis Spiritum quendam fingere debemus, qui nos sine verbo doceat, aut etiam ea suggerat, quæ verbo Dei, quod in Scripturis continetur, contraria sint. Scimus equidem in rebus agendis sæpe consilia noua à Spiritu suggeri, quæ in Scripturis non exprimuntur: at hîc nobis de salutis ratione sermo est, cuius dogmata certa & in sacris literis perfectè compræhensa sunt: quorū vt interpres fidißimus est Spiritus sanctus, ita à verbo illo Dei, quod ipsius inspiratione ad nos delatum est, nunquam dissentit. Quod qui non obseruant, ijdem inspirationes expectant nouas, satanæ se illudendos propinant, & nouis quotidie erroribus implicantur, vt nuper prolixè docuimus.

Contra liberū arbitrium & merita operū.

Cæterùm obseruabis hoc loco validißimè confutari, quæcunq; in Papatu de hominis viribus, de libero arbitrio, & operum nostrorū meritis traduntur. Fingunt illi nobis hominem, qui propriæ naturæ facultatibus adiutus velit & poßit ea præstare, quæ Deo placent, & ex his fontibus doctrinam suam de hominis iustitia atq; eius merito deriuant. Atqui omnes actiones nostræ ex animæ facultatibus oriuntur, inter quas facilè primatum tenet mens siue intellectus. Ex hoc iudicium de rebus propositis procedit, quod deinceps in nobis voluntatem parit, & animum ad ea inclinat, quæ nobis vtilia & salutaria videntur. At Paulus intellectum illum animalem, nisi Spiritus lux accedat, minimè capacem esse ait eorum, quæ sunt Spiritus Dei. Ergo eadem illa non intelligit, non videt, neq; etiam de illis iudicare potest. Ex quo sequitur, quod eadem quoq; non volet, neq; illis delectetur. Quis enim volet quod nescit? quis ex eo voluptatem capiat, quod ignorat? At cùm superiores illæ animæ facultates opera atq; actiones nostras longè vincant, nunquam certè his ea exprimemus, quæ Deus vult & iubet. Itaq; vanißimum commentum est, quicquid illi de nostrorum operum iustitia & meritis garriunt. Quoad enim sibijpsi relinquitur homo, nihil boni vnquam volet, multò minus autem faciet? Non contendet porrò Spiritus meus (inquit Deus) cum homine, quia Caro est. Item, Figmenta hominis mala sunt ab ineunte ætate. Et in posteriori ad Corinth. epistola Paulus nos ne ad cogitandum quidem idoneos esse ait. In ea autem, quam ad Romanos scripsit, in ijs etiam, qui renati sunt, adhuc legem peccati hærere testatur, quæ eos præter noui hominis voluntatem transuersos abripiat. Quapropter licet ex regeneratione noua intellectus sanioris lux in nobis accendatur, noua item voluntas sese proferat, & nouis viribus instructi fructum multum & minimè pænitendum feramus, tamen ne tunc quidem de aliquo merito nostro gloriari possumus. Nihil enim nostris viribus facimus, & proinde semper nobis Apostolicum illud obijci potest: Quid habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Adhæc, quia (vt modò diximus) semper in nobis manent aliquæ peccati reliquiæ, vitiosa & imperfecta sunt, quæcunq; secundùm diuinæ voluntatis præscriptum facimus, ideoq; nihil per ea mereri possumus apud Deum, qui vt nostris minimè opus habet, ita gratuita bonitate erga nos vtitur, dū infirmitatibus nostris indulget. Quid ergo aliud restat, quàm vt procul relicta nostrorum operum fiducia, in solius Dei gratia acquiescamus, nosq; totos subijciamus Spiritus sancti magisterio, qui & mentem nostram illuminat, & ad omne opus bonum idoneos reddit.

Gen. 6. & 8. 2. Cor. 3. Rom. 7.

Spiritualis homo dijudicat omnia.

Facit ad horum confirmationem, quod in Apostoli verbis sequitur: At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse verò à nemine dijudicatur. Spiritualem hominem animali opponit, & eum intelligit, qui in Christo renatus Dei Spiritu regitur. Is (inquit) omnia dijudicat, id est, intelligit quæcunq; cognitu necessaria sunt, & ea facultate instructus est, vt verum à falso atq; Christi vocem

cem ab aliena discernere possit. Et vicissim idē ille à nemine dijudicatur id est, nullius præterquā solius Dei iudicio subiectus est. Ex eo autem sequitur, credentes non debere eorum iudicijs offendi aut moueri, qui de Christi doctrina audacius pronuntiant, cùm eo ipso (vt supra diximus) se animales esse testentur.

Continent hæc præclaram hominis Christiani commendationem, quæ simul officij nos admonet. Primò spirituales nos dicit, eò quòd Christi Spiritum accepimus, qui in nobis agit. Et pertinet titulus iste ad omnes, qui Christo nomen dederunt: quod propter eos obseruari debet, qui illum sibi solis vendicant, idq; propter rasuram & vnctionem, quas ecclesiasticorum notas siue characteres esse volunt. At alibi Paulus clamat: Qui Spiritum Christi non habet, is non est Christi, id est, is ne Christianus quidem est. Dum verò nos spirituales dicit, non obscurè ab illis discernit, qui in scripturis Caro dicuntur, eò quòd toti à carnis ratione atq; desiderijs pendeant. Est hæc non vulgaris dignitas, quæ simul ad asserendam nostræ salutis certitudinem plurimùm facit, quando nos non amplius in eorum numero censeri constat, quibus perpetua cum Deo lis est. Deinde Christianus omnia dijudicat. Quod non ita accipi debet, quòd plenam & perfectam omnium cognitionem habeamus. Ita enim sequeretur, Christianum non esse, quisquis in aliqua re suo iudicio fallitur. Atqui dum in carne viuimus, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus (vt infra dicetur) & multa quasi per speculum in ænigmate cernimus: olim autem in patria Deum facie ad faciem intuebimur, & in eodem omnia plenè & perfectè cognoscemus. Quin constat, electos sæpe falli in ijs, quæ ad huius vitæ consilia & actiones pertinent, dum præcipiti nimis iudicio secundùm rationis suæ placitum de re proposita pronuntiant, priusquam Spiritus dictata audiuerunt. Exemplum huius rei in Nathano propheta habetur, qui de templo ædificando à Dauide interrogatus consilium eius probauit: idem verò mox Spiritus responso accepto ad Dauidem reuerti & sententiam temere prolatam retractare coactus est. Et Petrum post acceptum Spiritum sanctum in nonnullis hæsitauisse adhuc legimus: nimirum, quòd carnis & suæ rationis iudicio aliquid tribueret. Ideo quod in præsenti Paulus dicit, ad ea modò restringi debet, quorum cognitio ad salutem consequendam nobis necessaria est. In his enim nos non perpetuò neq; perniciosè falli sinit Spiritus sanctus, licet non semper rei veritas nobis primo intuitu pateat, est enim hic discretionis Spiritus, qui quid à nobis eligi, quid repudiari debeat nos docet. Vnde colligimus, Christianos homines non plumbeos aut stipites esse debere, qui nihil pensi habeant: neq; rerum incertos, qui quouis vento doctrinæ, instar arundinis agitentur. Quia enim Spiritum iudicij acceperunt, eo vti debent, vt veram doctrinam à falsa, religionem veram à superstitionibus discernant, & relictis auijs in recta salutis via pergant. Admonet de hoc Christus, quando ouibus suis hoc tribuit, quòd vocem suam agnoscant atq; sequantur, alienos autem fugiant. Et Ioannes Apostolus omnibus, qui Christi nomen profitentur, scribit: Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, num ex Deo sint. Multum ergo à Christianorum (quos hîc spirituales Paulus nominat) ingenio absunt, qui quosuis temere sequuntur, & se excusatos arbitrantur, si simpliciter credant, id est, si absq; iudicio quæuis dogmata recipiant. Frustra ergo Apostolus ait, Spiritualē omnia dijudicare. Non frustra etiam Christus nos monuit, ne cæcos duces sequamur: fore enim nisi ab illis discedamus, vt eadem perditionis fouea & nos & illos excipiat. Tertiò immunitate donantur Christiani, quando illos à nemine dijudicari dicit, & proinde non timendos esse eos, qui de illis temere pronuntiant. Etenim fides, quæ sola Christianos facit, non ab hominum authoritate pendet, sed Dei verbo nititur, quod æternum est, & sibijpsi semper constat, vtut ab eo diuersum sentiant, qui in hoc mundo principes esse videntur. Et hæc illa immunitas est, quæ sola verè nobiles facit, & nullam repræhensionem meretur, quia & Christianum hominem in officio continet, & nemini alij grauis & molesta est.

[Margin: Christiani hominis dignitas. — Rom. 8. — 1. Cor. 13. — 2. Sam. 7. — Actor. 10. — Galat. 2. — Ioan. 10. — 1. Ioan. 4. — Matth. 15.]

Quia verò durius & insolentius dictum alicui videri poterat, Christianos à nemine dijudicari, probat hoc ipsum testimonio prophetico, dicens: Quis enim nouit mentem Domini, qui instructurus sit eum? Desumpta sunt hæc ex Isaiæ cap. 40. & per Allusionem, vel potius Comparationem adducta videntur. Illic enim redemptionem ex Babylone Propheta pollicetur, quæ quia humanæ rationi impossibilis videbatur, eam non hominum viribus, sed Dei virtute perficiendam fore docet: vtq; certior & efficatior sit promissionis istius consolatio, Dei veritatem,

[Margin: Christianum à nemine dijudicari probat.]

potentiam, sapientiam atq; maiestatem, quae in omnibus huius mundi partibus cernitur, magnificè describit, vbi inter alia sic ait: Quis direxit Spiritum Domini? Quis à consilijs ei fuit, & eum docuit? Cum quo inijt consilium, qui eum erudiret? Quis docuit eum in semita iudicij? Quis docuit eum scientiam, & iter intelligentiæ quis declarauit ei? Ex istis quædam mutatis nonnihil verbis, nullo tamen sensus germani periculo, Paulus suo instituto accommodat, & mox subijcit: Nos autem mentem, siue Spiritum Christi habemus. Omnium ergo istorum hæc mihi sententia simplicissima esse videtur: Dei spiritus à nemine dijudicari aut argui potest. Notum est enim illud Isaiæ, quo patres nostros olim consolatus est: Quis direxit aut nouit Spiritum Domini, &c? At nos CHRISTI IESV (qui verus & æternus Dei Filius, adeoq; ille ipse est, quem Prophetæ passim ferè Domini nomine ornant) spiritum aut mentem habemus: Ergo neq; nos à quoquam dijudicari aut argui possumus. Maior non solùm authoritate prophetica probatur, sed sensus communis iudicio nititur, imò ipsa religionis fundamenta conuellere tentabit, qui illam negare velit. Nã ipso Deo sapientior sit oportet, qui eius Spiritum arguere, docere aut corrigere instituat. Quod cùm cogitatu, nedum dictu, graue & horrendum sit, nemo in animum inducet, qui aliquo pietatis sensu tangitur. Minor probatione non opus habet, quia (vt paulò ante diximus) nisi Christi mentem aut Spiritum teneamus, Christiani non sumus. Ex istis autẽ certa & infallibili consequentia concluditur, nullius hominis iudicio subiecta esse, quæcunq; Spiritu sancto doctore didicimus, & quorum fides scripturæ diuinitus inspiratæ testimonijs nititur. Nam qui nos propter illa repræhendere aut damnare volet, huic non nobiscum, sed cum Deo ipso lis erit, qui nos ita sentire & credere docuit.

Fides nostra quibus argumẽtis fortiß. defendatur. Vides igitur hoc loco, quibus argumentis fides atq; doctrina nostra fortißimè defendi poßit aduersus eos, qui nos hodie accusant. Hæretici dicimur, quòd vnum Deum inuocandum, & vno Mediatore apud hunc vtendum esse docemus: quòd item CHRISTVM IESVM vnicum pro peccatis nostris sacrificium, vnicam iustitiam & sanctificationem esse, nosq; sola fide in illum iustificari, sanctificari atq; seruari credimus. Adhæc impios & sacrilegos, in Diuos cœlites quoq; nos iniurios esse multi vociferantur, quòd hos inuocandos esse negemus, quòd illorũ imagines & in ipsorum honorem facta altaria ex templis eiecerimus. Deniq; alijs licentiæ & impiæ securitatis magistri esse putamur, quòd neminem suorum operum meritis iustificari, & nullum ignem lustralem seu purgatorium (vt illi loquuntur) esse dicamus, in quo defunctorum animæ pro delictis in hac vita commißis satisfaciant. Atqui meritò nos propter ista damnarent aduersarij, si nos ea ex nostro cerebro finxissemus, & primi ista essemus locuti. Sed hæc à nobis conficta, & nos primos horum authores esse constanter negamus. Dei enim præceptum est: Non habebis Deos alienos coram facie mea.

Exod. 20. Psal. 50. Ioa. 14. 1. et 19. Heb. 9.

In die tribulationis tuæ inuoca me & liberabo te. Christi item vox est: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioannes Baptista clamat: Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Et Christus iam moriturus dicebat, Consummatum est. Vnde Apostolus concludit, illum semel oblatum peccata multorum expiauisse, neq; opus esse, vt iterum vel moriatur vel immoletur. Item Deus Pater cœlitus concionatur: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Et eundem nobis à Patre iustitiam, sapientiam & sanctificationem factum esse, nuper Paulus disertè pronuntiauit. Sola autem fide in illum nos iustificari & seruari toties ipsemet docet, quoties illud Euangelicum axioma repetit: Qui credit in me, habet vitam æternam. Item: Qui crediderit et baptizatus fuerit, seruabitur. Quoad Diuos cœlites, illi ipsi, ne quem præter vnum Deum inuocemus, nos docuerunt.

1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. Deut. 4. 1. Ioan. 5.

Neq; nostra, sed Apostolorum hæc dicta sunt: Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo IESVS CHRISTVS. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, IESVM CHRISTVM, &c. Deus ipse præterea non sine graui comminatione præcipit, ne quas imagines ad cultum prostare patiamur. Et Ioannis hæc sententia est: Filioli, cauete vobis à simulachris. Altarium verò quis in nouo testamento vsus est, vbi sacrificia cessant, preces autem & gratiarumactio in Christi nomine offerri debent, qui solus ara illa aurea est, quæ preces nostras Deo acceptas facit? Neq; nos, sed Christus iam moriens velum templi discidit, quo templum cum altaribus & toto illo cultu Leuitico abolendum esse significabatur, vt vero cultui locus fieret, qui in spiritu & veritate consistit. Lustralem quoq; ignem non nos, sed Christus, negauit, dicens: Qui credit

Ioan. 5. Luc. 23.

in me, in iudicium non veniet, sed à morte transiuit in vitam. Et cùm latroni dixit: Hodie mecum

erit

tris in paradiso. Licentiæ verò & impiæ securitatis nos magistros dicunt, qui quid fides sit, & quæ regenerationis effecta sint nesciunt, neq; scire volunt. Atqui eadem est omnium aliorum ratio, de quibus litem nobis mouent aduersarij. Quapropter cùm ista nos ex Christi ore & spiritu hauserimus, & proinde Christi mentem habeamus, non est quòd in nos sibi iudicium sumant Pontifices cum sua vnctorum & rasorum cohorte. Quis enim ex illis nouit Spiritum Domini? Quis huic à consilijs fuit, cùm totum nostræ salutis negotium æterno suo decreto compræhenderet? Vel ostendant illi prius, vnde hæc ipsis authoritas obtigerit, vt erroris aut falsi arguant eos, quos Spiritu Domini donatos fuisse, nemo pius vnquam negauit? Sed quicquid illi proferant, nobis vnus hic locus sufficit, quo nos aduersus illorum condemnationes tueamur.

At quia indomita est illorum hominum insolentia, proderit huius loci occasione amplius demonstrare, quàm atrocem toti Christianorum ecclesiæ iniuriam faciant. Primò, cùm spirituales dicat Paulus omnes, qui Christo per fidem insiti, huius verbo & Spiritu se duci patiuntur, illi (vt supra diximus) nomen illud sibi solis vendicant, eò quòd vncti & rasi sint, reliquos verò omnes ignominioso Laicorum titulo à spiritualibus discernunt. Qua in re Iudæos imitantur, qui dum se solos Dei populum esse sibi persuaserunt, alios omnes Goym appellant, quibus nihil sit cum Deo negotij. Neq; hic mihi fucum faciant calua sua excusatione, qua honorem istum ordini ecclesiastico deberi respondent, alios verò nihilominus ab ipsis pro Christianis agnosci, & proinde non habere quod de ipsis conquerantur. Audio quidem ista iampridem à vobis dici, sed verba hæc sunt, quorum fucus vestris factis & moribus proditur. Si enim pro Christianis agnoscitis omnes, qui in Christi nomen baptizati & hunc fide amplexi sunt, cur iisdem spiritualium nomen negatis, quod solis Christianis conuenit? Cur vos solos Clerum Domini dicendo, reliquos omnes à sorte ecclesiæ & regni Christi excluditis? Cur à librorum sacrorum lectione eosdem reijcitis vt canes & porcos, ad quos margarita illa spiritus sancti minimè pertineant? Cur calicem Domini ex Cœna mystica surripuistis, ne illo Laici illi, quos vos ita dicitis, vtantur? Cur in templo locum vobis peculiarem delegistis ne cum reliquis misceamini? Hæc certè cùm iam sæculis aliquot à vobis factitata sint, & adhuc fiant, satis nota est omnibus tyrannis vestra, qua in Christi gregrem debacchamini. Cur verò spiritualium nomen sibi vendicant isti? Non aliam ob causam, quàm vt hoc Pauli loco abutantur, & se à nemine mortalium iudicari debere euincant. Ita verò immunitatem sibi acquisiuerunt, quæ illos Regibus & Imperatoribus superiores fecit, adeoq; à totius ecclesiæ censura exemit, vt nemo mortalium sit, cuius authoritate in ordinem cogi queant. Nec enim illos Canonis illius adhuc pudet, quo Romanum Pontificem à nemine iudicari debere clamant, etiamsi animarum myriades vnà secum in gehennā abripiat. Interea verò illi sibi nō modò in omnes homines, imò Reges & Imperatores, iudicium sumunt, verumetiam in Dei verbum, in Scripturas sacras, in fidei dogmata, quæ omnia suæ libidini subijciunt, pro suo arbitrio interpretantur, & quæcunque ipsi illis contraria statuunt, non minus valere volunt, quàm ea, quæ scripturis traduntur. Quædam ergo mutant, multa item addunt, & noua quotidie fingunt, multa etiam falsi & hæreseos damnant, quæ Apostolorum literis defendi possunt. Sed ita suo indicio sese produnt sorices isti, quòd à Christi spiritu alieni sint, & proinde indigni, quorum iudicijs quisquam moueatur. Nos verò fratres charissimi, Dei bonitatem agnoscamus, qui non contentus nos redemisse per Filij sui indignam mortem, insuper Spiritu suo nos dignatur, qui nos in Dei filios regenerat, mentes nostras illuminat, docet, dirigit, & cœlestium mysteriorū (quoad necesse est nobis) capaces reddit. Excitet nos horum consideratio, vt dignitatem nostram tueamur, & procul relicta carnis sapientia atq; desiderijs, nos illi vni consecremus, & Spiritum ducem atq; verbi eius lucernā constanter sequamur. Ita & germani Dei filij erimus, & regni cœlorum hæreditate fruemur cum Filio eius vnigemito, IESV CHRISTO Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Aduersariorū iniuriæ contra Christianos.

Dist. 4. cap. Si Papa.

CAPVT III.

HOMILIA XII.

EGo porrò, fratres, non potui vobis loqui vt spiritualibus, sed locutus sum vt carnalibus, vt infantibus in Christo. Lactis potu vos alui, & non esca: nondum enim poteratis hanc ferre: imò ne nunc quidem adhuc potestis. Nam adhuc carnales estis. Cùm enim in vobis sint æmulatio, & cõtentio, & dissidia, nonne carnales estis, & secundùm hominẽ inceditis? Etenim cùm dicat quidam, Ego quidem sum Pauli: alter verò, Ego sum Apollo: nonne carnales estis?

DILIGENTER hucusq; Paulus de Euangelicæ doctrinæ excellentia disseruit, & de modo docendi, quo ipse apud Corinthios vsus erat. Scopus & finis omnium hic est, quòd primò confidentes & delicatulos quosdam corrigere vult, qui pseudoapostolorum blanditijs & magnificis sermonibus delusi, Euangelium propter humile & simplex dicendi genus fastidiose nimis contemnebant. Deinde seipsum excusat, qui non tam verborum elegantiæ & argumentandi artificio studuerit, quàm vt veritatis doctrinam Spiritus sancti virtute animatam proponeret, & reipsa doceret, se nihil absq; Spiritus suggestione proferre. Didicimus nos in ea tractatione, quæ vera illa sapientia sit, quam omnes quærere & venari debent. Non ea nimirum, quæ in philosophorum libris habetur, sed quam Euangelij doctrina nobis tradit. In hac enim ipse Dei Filius proponitur, in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri reconditi sunt, quiq; nobis etiã à Patre sapientia factus est. Neq; nos inani cognitione pascit, sed in Christo simul omnia exhibet, quæ tam ad præsentis vitæ felicitatem quàm ad salutis æternæ possessionem cognitu necessaria sunt. Docuit præterea Paulus, qua ratione illam nobis reuelet Deus, & vt eadem à nobis addisci aut obtineri possint. Nimirum, si abnegata carnis ratione atq; desiderijs, nos totos spiritus magisterio subijciamus, qui solus mentes nostras illuminat, vt cælestium mysteriorum capaces sint. Et huc faciunt, quæ nuper de homine animali & spirituali sunt dicta. At quia non satis est doctrinam aliquam in genere proposuisse, nunc ista omnia Corinthijs applicat, & suæ doctrinæ aut prædicationis rationẽ sic reddit, vt quod in ipso desiderabant in illos retorqueat, tales & prius fuisse & adhuc esse demonstrans, quibus docendi genus sublimius minimè conueniat. Qui locus vt apostolicæ industriæ & mansuetudinis egregium exemplum continet: ita verbi administros monet, quanta cum circumspectione & cura Euangelij prædicationem mundo debeant proponere.

Culpam in Corinthios reijcit

Et initiò quidem, cùm se à multis suspicione grauari sciret, quasi aut ignoraret, aut inuidiosè cælaret, quæ pseudoapostoli plenis buccis iactabant mysteria, per Concessionis speciem pulchre culpam omnẽ in illos regerit, dum ad hunc modũ orditur: Ego porrò, fratres, non potui vobis loqui vt spiritualibus, sed locutus sum vt carnalibus, vel potius vt infantibus in Christo, &c. Fratrũ nomine eos sæpissimè compellat, vt correptionẽ leniat aut mitiget, quæ per se grauis & duriuscula futura erat, et qua infirmiores plus æquo poterant terreri & offendi. Et debent hoc exemplũ doctores omnes imitari, vt tunc quoq; confirmandis atq; lucrifaciendis infirmioribus studeant, quando corripiendi causas habent iustissimas. Porrò hic verborũ Pauli sensus est: Scio fratres, vos in me sapientiã quandã altiorem desiderare, multos itẽ me suspectũ habere, quasi consultò, vel potius prauo aliquo affectu motus quædã vos cælare voluerim. At cùm CHRISTVM IESVM vobis fideliter prædicauerim, probè mihi sum conscius, neq; maleuolorũ sinistris iudicijs multùm moueor. Nã Christi cognitio sapientiã verè cælestẽ cõtinet, qua nulla sublimior aut perfectior excogitari potest. Sed esto culpâ aut repræhẽsiõe dignus videar, quòd in argumẽti tã sublimis tractatione dicẽdi genere vsus sim humiliori et (vt multis videtur) abiecto nimis et sordido. Nõ tamẽ ego repræhẽsionẽ mereor (siqui dẽ causa hæc tota rectius examinetur) sed vos potius, qui vt aliter vobiscũ agere nõ fuistis idonei, adeoq; inuitũ me humi repere coegistis, qui vnà vobiscũ maluissem ad sublimiorẽ mysteriorum salutis considerationẽ ascendere. Quia enim vos nõ spirituales, sed prorsus carnales esse vidi, minimè vobiscum

vobiscum vt cum spiritualibus loqui potui, sed vt vestro captui me accommodarem necesse fuit. Carnales autem dicit Corinthios, non quòd spiritu Dei prorsus destitutos putaret (initiò enim vocatos sanctos dixit, & in Christo omni sermone & cognitione abunde ditatos esse testatus est: quæ dona absque spiritus virtute efficaci in nobis locum habere non possunt) sed quòd carnis sapientiæ adhuc nimium dediti, Spiritum in se regnare non paterentur. Itaque hyperbolem sapit oratio, & carnales dici merebantur, quia tales videri poterant, si ad perfectionis Christianæ regulam examinarentur: ijdem tamen gentium respectu spirituales erant, cùm Christo nomen dedissent, & non in vniuersum ab Euangelij doctrina abhorrerent. Ideo per expositionem subijcit: Vt infantibus in Christo: Eos nimirum intelligens, qui nondum progressus aliquos multa laude dignos in fide Christi fecissent, sed infantum instar ea adhuc ignorarent, sine quibus Christiana religio non consistit. Voluit autem istis locutionibus apud illos vti Apostolus, vt confidentiæ cristas illis deprimeret, quibus sese aduersus simplicem atque synceram Christi crucifixi prædicationem efferebant. Itaque verba hæc repræhensionem grauem continent, neque dubium est aculeos istos perquam molestos & vix tolerabiles visos fuisse illis, qui iam se supra nubes euectos esse & ipsum cœlum digito contingere sibi persuaserant.

Mox verò modum exponit, quem in ipsis docendis secutus sit. Lactis potu vos alui (inquit) & non esca. Ita verò loquitur, vt in Metaphora perstet, qua illos infantes in Christo esse dixerat, & sensus est: Vt infantes edentulos non esca aut cibo solidiori, qui manducationem requirit, sed lacte alere atque nutrire oportet: ita vos quoque propter infantiam & imperitiam mysteriorum fidei mollius & tenerius adhuc tractandi fuistis, donec cibi solidioris capaces efficiamini. At hîc diligenter obseruari debet, Paulum non de ipsis doctrinæ Euangelicæ capitibus & proprijs fidei dogmatibus loqui, quasi alia apud Corinthios, alia apud alios prædicarit. Est enim prædicationis Euangelicæ argumentum CHRISTVS IESVS, qui vt vnus & idem est heri & hodie & in secula: sic eadem semper manet fidei doctrina, quam certis capitibus ipse comprehendit, quando in suo nomine prædicare iussit pœnitentiam & remissionem peccatorum. Neque vnquam permissum fuit Apostolis, vt pro suo aut aliorum arbitrio doctrinam mutarent, articulos ex suo cerebro nouos conderent, aut quicquam eorum dissimularent, quæ à Christo acceperant. Eius enim præceptum est: Docete eos seruare, quæcunq; ego tradidi vobis. Ergo de modo & forma doctrinæ Paulus istud dicit, vt pseudoapostolos perstringat, qui cùm Christi & Euangelij eius præcones haberi vellent, minimè tamen in eo erant, vt propria & germana fidei Christianæ capita perspicuè traderent, sed inani verborum ostentatione sublimia quædam & mirifica eorum auribus instillabant, qui vix prima religionis rudimēta adhuc degustauerant. Et cùm idem Christus atque eadem Euangelij doctrina infantibus aut infirmis in fide lac, adultis verò & longius progressis esca aut cibus solidior sit, Paulus in præsenti lactis nomine genus docendi rude & simplex intelligit, quale in Catechismis continetur, qui breuiter & perspicuè summa religionis & salutis capita tradunt, ex quibus multa alia deriuantur, quæ ad illorum illustrationem atque confirmationem facere possunt ijs, qui in primis illis non infeliciter sunt instituti. Escam verò dicit doctrinam illam solidiorem & seueriorem, qua totus homo Deo vendicatur ad fidei obedientiam, adeoq; ipsa praxis fidei & religionis Christianæ exigitur, omnesq; vrgentur, vt relictis terrenis ad sola cælestia aspirent. In qua parte multa de legis vsu & abrogatione, de hominis viribus, de electione, prædestinatione, futuri seculi statu, & similibus alijs præclarè & non sine fructu dici possunt apud eos, qui in fide sunt confirmatiores, modò illa sobriè & modestè tractentur: at vt ijsdem obtundantur rudes & qui minus ingenio valent, minimè opus est, cùm vera & simplex CHRISTI IESV cognitio illis ad salutem abundè sufficiat. Itaque vt paulò ante diximus, etsi vtrinque idem Christus, eadem salutis humanæ ratio, eademq; fidei dogmata tradantur, in modo tamen & forma tradendi aliqua differentia est, neque idem modus omnibus conuenit. Quòd ergo (inquit Paulus) ego hucusq; depressum illud & humile dicendi genus secutus sum, id non mea vel ignauia vel malitia factum est, sed vestro vitio hoc omne acceptum ferri debet, siquidem in eo aliquid peccatum esse arbitramini. Nam vt aliter vobiscum agerem, non poteratis ferre, imò ne nunc quidem potestis, vt vt præ alijs omnibus sapere vobis videamini, &c.

Ratio docendi, qua Paulus est vsus.

Luc. 24.

Matth. 28.

F

Corinthij adhuc infantes post tam diuturnam institutionem.

Cæterùm vt ista magis nostræ institutioni seruiant, præstat tam Corinthios quàm Paulum propius inspicere. Corinthi enim hunc sesquianno docuisse alibi diximus, neque eum in aliquo loco tam diu constitisse legimus, eò quòd per spiritum subinde ad alias gentes & vrbes vocaretur. Nihil autem illum celauisse eorum, quæ ad fidei institutionem faciunt, ex Dei mandato facilè colligi potest, qui eum loqui & non tacere iusserat. Sed & signa Apostoli inter illos non vulgaria ædita fuerant cum multa patientia, miraculis & prodigijs. Successerat illi mox Apollo, vir scripturarum peritissimus & dicendi facultate præ alijs instructus, qui in confutandis Iudæis (vt Lucas scribit) diligentissimus erat, & fidelis agricolæ instar à Paulo plantatam doctrinam sedula admonitionum, correptionum & consolationum irrigatione fouebat. Quid verò omnibus hisce tanti viri profecerunt? Ecce adhuc in Christi cognitione infantes sunt, imò adhuc carnales dici merentur, eò quòd carnis sapientiæ atq; affectibus plus nimio dediti, synceram de Christo crucifixo doctrinam ferre non possent. Est hoc memorabile exemplum, quo admonemur, quàm fœda & horribilis sit nostræ naturæ corruptio, & quàm turpiter fallantur, qui iam se satis instructos putant, & doctrinam de Christo & fidei nostræ fundamentis diligentiorem fastidiunt. Solet his ferè idem quod pueris confidentioribus accidere, qui in scholis ad classes altiores aspirant, cùm Grammatices præcepta nondum calleant. Hi ferè quæ ignorant, tanquam ijs minimè opus sit, superbè fastidiunt, & cùm coætaneis suis doctiores videri velint, suam ignorantiam tandem turpissimè produnt. Hoc ipsum Corinthijs nostris accidisse videmus. Voluerunt hi præ alijs ecclesijs eminere, & Paulum nimis insolenter contempserunt, quasi eius doctrinam iam pridem deuorassent atq; concoxissent. Sed quid audiunt? Se nimirum infantes in Christo & carnales adhuc esse, qui eorum nondum capaces sint, quæ ad pleniorem salutis cognitionem imprimis sunt necessaria. Est hæc communis omnium sors, qui in fidei & salutis negotio superbiunt. Exempla hodie quotidiana occurrunt in doctoribus Seraphicis & illuminatis, qui cùm clauem scientiæ penes se solos esse putent, sæpe à mulierculis, pueris, agricolis, & opificibus vilissimis vincuntur, si cum illis de fide & religione disputationem suscipiant. Idem in pharisæis etiam nostri seculi cernitur, qui ferè se mortalium miserrimos esse sentiunt, si quæ grauior tentatio ipsorum conscientias exagitat, cùm interim inuicta fidei constantia aduersus omnes terrores peccati & mortis insurgant atque triumphent, quos illi vix hominum loco habere consueuerunt. Debent ista nos ad humilitatis & modestiæ studium excitare, vt Christo verè insiti malitia quidem pueri simus, fide autem quotidie crescamus & proficiamus.

2.Corinth.12.

Pauli diligentia & sedulitas.

At non minori diligentia Pauli quoque exemplum considerari debet, qui Euangelij doctrinam non obiter & quasi aliud agens proposuit, sed diligenti auditorũ quos habuit ratione habita, singulorum captui & ingenio, quoad hoc salua pietate fieri poterat, sese accõmodauit. Et hoc illud est, quod in ecclesiæ suæ ministro siue Oeconomo Christus requirit, vt nimirum non fidelis modò, verumetiam prudens atq; circumspectus sit, vt familiæ sibi creditæ cibum aut dimensum suum opportuno tempore depromat. Quò etiam pertinet, quòd Apostolus Timotheum suum eiusmodi ministrum esse vult, qui verbum Dei ita secet, vt omnium institutioni & ædificationi seruiat. Neq; temere hoc loco infantium in Christo mentionem fieri putabimus. Nam si fidelium conditionem diligentius inspicias, eandem quæ infantiũ est, esse videbis. Vt hominis principium à generatione incipit: ita vt veri homines, id est, filij Dei simus, nos in Christo renasci oportet. Nisi enim (vt ille inquit) homo renatus fuerit, non potest videre regnum Dei. Deinde vt infantes recens nati non statim cibum solidiorem capiunt, sed aliquandiu lacte aluntur, donec cum ætate vires naturales augeantur, quæ cibos quoq; alios requirunt: Ita non omnes, qui iam Christiani & ecclesiæ membra facti sunt, ideo mox perfecti sunt, & plenam omnium eorum cognitionem habent, quæ ad Christianismum pertinent, imò multa illis quoq; adhuc absurda, multa impoßibilia videntur, aut etiam superuacanea: cuius rei exemplum in Apostolis habemus, qui circa veram Christi & regni eius cognitionem tam diu hallucinati sunt, vt mirum videri poßit, illos sub tanto præceptore & inter tot tamq; luculenta regni eius specimina tam parum profecisse. Ideo diligenti institutione à primis fundamentis opus est. Vt enim ædificium nunquam solidum & durabile erit, quod fundamento arenoso aut alias ob causas labili superstruitur: ita neq; eorum fides atq; religio diu consistet, qui

2.Timoth.2.

Infantium Allegoria.

Ioan.3.

ſtet, qui in principijs fidei Chriſtianæ non probè inſtituti fuerint. Vtiliſſimum ergo & imprimis neceſſarium eccleſiæ eſt catechizandi exercitium, neq; in eo miniſtros quantùmuis eximios & ad maiora idoneos alicuius induſtriæ aut laboris pigere debet. Nam vt nemo architectũ quantumuis ingenioſum & artis ſuæ peritum probauerit, qui circa parietum, feneſtrarum, pinnarũ & tecti ornatum totus occupetur, nihil interim de fundamento ædificij ſolicitus: ſic parum vtiles eccleſiæ ſunt doctores illi, qui apud eos ſolos, qui in fide maiores progreſſus fecerunt, de rebus ſublimioribus diſputant, & de eccleſia ſua præ alijs exornanda cogitant, non autem eorum rationem habent aliquam, quos ab ipſis fundamentis inſtituere oportebat. Fuerunt in eo admodum diligentes olim Epiſcopi, & magna eorum authoritas fuit, qui in hac re fidelem eccleſiæ operam nauarunt.

Poſteris temporibus vniuerſus catechizandi mos abolitus eſt, & in eius locum fabula hiſtrionica ſucceſsit, quam hodie Suffraganei non ſine totius religionis Chriſtianæ ludibrio agunt. Siſtitur enim puer Suffraganeo, interrogatur an baptizatus ſit, & quo nomine vocetur: & ſi bene res cedat, fortaſsis orationem dominicam & Symbolum, quod Apoſtolicum dicunt, recitare iubetur. Quo facto, chariſmate frons pueri inungitur, vincitur faſcia, & alapa in maxillam accepta dimittitur. Hæc fabulæ illius ſumma eſt, quam tamen illi inter Sacramenta numerant, & plauſibili confirmationis titulo venditant, quaſi hac ratione cõfirmatiores in fide fiant, qui prius infantes erant in Chriſto, nec idonei adhuc, qui ad Chriſtianæ eccleſiæ myſteria admitterentur. Debemus ineptijs iſtis communem illam ignorantiam, quæ omnes ordines ita peruaſit, vt inter ipſos ſacerdotes vix aliquis inuentus fuerit, qui prima fidei & religionis Chriſtianæ rudimenta teneret. Sed vt propoſita infantũ parabola progrediamur, vt hi non omnes quoad corporis ſtaturã atq; vires eoſdem progreſſus faciunt; etiamſi eadem cura & diligentia omnes alantur atq; educentur: Ita non eadem menſura fideles omnes proficiunt, ſed magna inter eos donorum ſpiritus diuerſitas eſt, & alij alijs longè ſuperiores eſſe conſueuerunt. At hîc manſuetudine & longanimitate doctores inſtructos eſſe oportet, ne de illis facilè deſperent, quos ab alijs longius à tergo relictos eſſe vident. Vt enim parentes & fidæ nutrices maiori cura atq; diligentia eos pueros educant, quos natura imbecilliores fecit: ita illi quoq; quorundam tarditatem ſua induſtria, & interdum pia indulgentia vincere debent, ne in deſperationem eos conijciant, qui aliquando non pœnitenda eccleſiæ Chriſti membra fieri poſſunt, ſi cõmodè tractentur. Obſeruauit hoc in Apoſtolis ſuis erudiendis Dominus, & multa lenitate eos tulit, quos ineptè nimis ad eundem lapidem ſubinde offendere videbat. Et iam moriturus, cùm illos præ mœſtitia ijs, quæ dicebantur, minus attendere videret, dicebat: Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, ſed non poteſtis portare modò. Quæ verba Pontificij extra illius inſtitutum detorquent, quaſi multa illos cælarit, quæ poſteris demum temporibus per Patres & Concilia reuelari oportuerit. At nihil huius voluit Chriſtus, ſed infirmitatis & triſtitiæ, qua tunc grauabantur rationem habuit, ſimul verò Spiritum ſanctum promiſit, qui omnia ipſis in mentem reuocare debuit, quorum tunc non meminerant. Nihil ergo nouum & prius inauditum, ſed plenam & perfectam eorum, quæ ſæpe nequicquam audiuerant, declarationem expectare debuerunt. Et quod Chriſtus fecit, hoc ipſum Apoſtoli omnes non minori diligentia fecerunt, imprimis autem Paulus apud Corinthios ſuos obſeruauit. Nam etſi non tardiores modò eſſent in percipiendis fidei dogmatibus, ſed inſuper immani propriæ ſapientiæ fiducia turgerent, quæ ipſos ſanioris doctrinæ contemptores faciebat, non tamen omnem de illis ſpem abijcit, ſed fratres ſuos agnoſcit, infantes in Chriſto dicit, qui in eodem adoleſcere poſsint, & nouo ſtudio in illis educandis & cõfirmandis vtitur. Quam rationem ſi omnes teneant, qui eccleſijs ſeruiunt, haud dubiè plus interdum proficient, quàm ſperare poſsint: quod olim Eliæ Prophetæ accidiſſe ſcimus, qui cùm ſe in docendo operam omnem luſiſſe putaret, audit ſeptem millia virorũ in Iſraele ſupereſſe, qui Deum verè colant, neq; vllis ſuperſtitionibus ſeſe polluerint. Frequenter etiam fit, vt in medijs perſecutionibus præter omnem expectationem Euangelij fructus ſeſe proferat, qui prius ita in hominum mentibus latuit, vt omnino nullus videri potuerit: & ſubitò viros fortes ſe præbeant, qui paulò ante vix infantes adhuc eſſe putabantur. Exemplo nobis ſunt Nicodemus & Ioſephus Arimathæus, qui cùm occulti diſcipuli, & fortaſſe Apoſtolis ipſis ignoti fuiſſent prius, poſtea omnibus alijs ceſſantibus gloriæ Chriſti fortiſsimi vindices fuerunt, & eum honori-

Cõfirmationis ritus apud Papiſtas.

Ioan. 16.

fice curarunt sepeliri, qui ab intimis negligebatur. Et huius generis multa nostro tempore non vno in loco facta esse constat. Habet enim incrementa sua semen Verbi, & tandem ad maiora idonei sunt, qui antea infantum instar indulgentius fuerunt tractandi.

Pauli exemplũ non patrocinatur ignauis dissimulatoribus.

At hic meminisse oportet, Pauli exemplum & quæcunq; de hoc dicta sunt hucusque, nequaquam illorum ignauiæ patrocinari, qui hoc prætextu veritatẽ dissimulant, & quàmuis nonnulla non malè doceant, multa tamen admiscent, quibus religio vera adulteratur, cultus Dei verus impeditur, & in superstitionibus detinentur, qui ex illis emergere cupiunt. Est horum magnus numerus hodie inter Papistas, qui cùm veritatem probè norint, eam tamen apertè profiteri nolunt, ne à sacerdotijs pinguioribus deijciantur: interim tamen ne omnino nihil agere videantur, ad multa conniuent, quædam etiam rectè docent, de quibus non adeò magna est controuersia. At si illos vrgeas, vt manum seriò aratro admoueant, veritatis doctrinam liberè prædicent, & manifestos abusus atq; superstitiones è medio tollant, ecclesias deniq; fidei suæ commissas à sordibus Papisticis repurgent, tunc ad istam responsionem recurrunt, quòd lactis potu suos adhuc opus habere dicunt, neq; eam nunc esse temporum & locorum in quibus degunt, conditionem, vt maius quid moueri aut tentari possit. Ita verò sibijpsis delitias faciunt, dum non vno scelere sese inuoluunt. Nam primò magnam ferè iniuriam faciunt suis hominibus & infantes manere cogunt vel inuitos, qui per quæuis pericula eluctari mallent, & progressus quotidie maiores facere. Imò infantes esse dicunt eos, qui se procul dubio viros præberent, modò ipsi non pueris & mulierculis essent meticulosiores. Deinde lactis nomine humanas traditiones, superstitiones manifestas & turpes abusus palliant, quæ omnia venenum & toxica potius dici merebantur, cùm multorum animæ his à Deo auocentur, & in erroribus detineantur, qui ipsis tandem exitij causa sunt. Vt ergo laudem merentur, qui prudenter & modestè panem vitæ in domo Domini dispensant: ita diligenter cauendum est, ne ignauiæ & perfidiæ patrocinium quæramus, & ne qui letalia pharmaca rerum imperitis propinent, dum lacte illos alere volunt.

Corinthij adhuc carnales.

Porrò cùm eò iam processisset Corinthiorum confidentia, vt non satis esset ipsis in mentem reuocauisse quales aliquando fuissent, propius illos ferit Apostolus, & quales etiam nunc sint indicat. Adhuc (inquit) carnales estis. Quasi diceret: Ferri poterat, vos olim carni plus satis deditos fuisse, quando aut nulla aut perquam exigua in vobis Christi cognitio fuit. At quòd nunc quoq; tales sitis, postquam Euangelium vobis prædicatum est, & vos præ alijs eminere vultis, id demum nulla ratione potest excusari. Ne quid verò ex priuato affectu durius loqui videretur, argumentum ab effectis aut proprijs ipsorum operibus subijcit, quæ omnium efficacissima est aliquem conuincendi ratio. Sic enim ait: Cùm enim in vobis sint æmulatio, & contentio, & dissidia, nonne carnales estis, & secundùm hominem inceditis? Id est, ea facitis, quæ ij facere solent, qui nihil quàm homines sunt, neq; adhuc Dei Spiritu ducuntur, qui bullientes carnis affectus in ipsis restinguat. Est argumentum hoc euidentissimum. Nam vt ad Galat. scribit Paulus, carnis opera sunt, adulterium, scortatio, impuritas, proteruia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, lites, æmulationes, iræ, contentiones, dissidia, hæreses, inuidia, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia. Et cùm multa istorum, vel etiam omnia Corinthijs exprobrare posset, eorum tamẽ solùm meminit, quibus ecclesiæ vnitas scindebatur. Etenim vehementes in illis esse oportebat carnis affectus, cùm his abrepti ecclesiam turbarent, cuius vnitas Christo maximè probatur, & à qua omnium salus maiori ex parte dependet. Ne quid tamen negarent, apertius adhuc eos arguit & conuincit, addens: Etenim cùm quidam dicat, Ego quidem sum Pauli: alter verò, Ego sum Apollo: nonne carnales estis? Factiones (inquit) & dissidia inter vos esse manifestum est, cùm diuersos doctores atq; magistros profiteamini. Atqui hæc absque contentionibus & rixis esse non possunt. Vnde autem hæ procedunt? Nimirum ex æmulatione, cuius causa est ambitio & inanis gloriæ cupiditas, quam proprijssimum carnis opus, adeoq; peccati omnis principium esse constat. Ita verò proprijs suorum operum indicijs eorum cristas reprimit, qui se omnes alios procul à tergo reliquisse sibijpsis persuadebant.

Galat. 5.

Carnis desideria sapientiæ cœlesti obstant

At nos hinc generalem doctrinam petere debemus, Carnis desideria & opera obstare nobis, quò minus in cælestis sapientiæ cognitione & toto salutis æternæ negotio progressus dignos faciamus,

mus. Pugnant enim inter se caro & Spiritus, neque fieri potest, vt hic nos verè illuminet atque regeneret, quoad illam in nobis patimur dominari. Docet hoc ipsum Christus, quando semen verbi iam animis conceptum per huius seculi curas & opum studium suffocari dicit. Et idem Iudæorum scribas non posse credere testatur, eò quòd posthabita Dei gloria priuatam quærant. Et est hìc multa obseruatione dignum, quòd ea nominat Apostolus, quæ plerisque leuicula & nullius momenti esse videntur. Nam si hæc Corinthios carnales & ad audiendam Euangelij doctrinam ineptos fecerunt, quid de illis sentiendum est, qui longè atrocioribus flagitijs toti occupantur? Habes igitur hoc loco quid illis respondeas, qui Euangelij prædicationem hodie suspectam habent, quòd ex ea pauci in melius proficiant. Atqui hoc non Euangelij vitio fit, sed eorum, qui aures & animos carnalibus desiderijs occupatos afferunt. Quòd si verò qui his laborant, Verbum nullo cum fructu audiunt, quantò minus ad prædicandum idonei erunt, qui carni student, & toti apertis flagitijs atq; sceleribus seruiunt. Quid ergo de toto Papatu iudicabimus, in quo caput simul & membra hoc vnum agere constat, vt contentionibus, dissidijs, sectis, imò bellis apertis totus orbis turbetur? Ita enim illi crescunt, & principum discordia ad regnum suum stabiliendum abutuntur. Imò si in Monachorum claustra penetres, qui spiritualissimi haberi volunt, illic æmulatione, inuidia, odio, contentionibus omnes inter se scindi & contabescere videbis.

Luc. 8.
Ioan. 5.

Admonet præterea locus iste, quibus gradibus ad summam ecclesiæ turbationem perueniatur. Primus est æmulatio, quam ex ambitione nasci diximus. Est is dolor animi, quem ex alterius commodis concipimus. Pugnat ergo cum charitatis ingenio, quæ vt omnibus bene esse cupit, ita aliorum commodis gaudet. Grauius tamen æmulatione peccant, qui huic locum dant in ijs, quæ ad Dei cultum & ecclesiæ conseruationem pertinent. Nam & Deum intra animos suos iniustitiæ accusant, & ecclesiam turbant atque scindunt, quo scelere Deus maximè offenditur. Nam ab æmulatione ad contentiones proceditur, quas de rebus leuissimis maximas excitant, quorum animi inuidia ringuntur. Sequuntur hinc factiones, quibus inter se apertè scinduntur, qui vnum in Christo esse debebant. Discant ergo primum gradum cauere, qui vlterius progredi nolunt. Et ministri quidem ecclesiarum vni Christo discipulos colligant: huic autem indiuulsè adhæreant quicunq; Euangelij doctrinam profitentur, vt in illo tandem in viros perfectos adolescant, & in cœlis ad illius mensam diuino illo nectare & ambrosia æternum fruantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Gradus dissidiorum in ecclesia.

HOMILIA XIII.

Quis igitur est Paulus? quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat, est aliquid, neque is qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum. Is verò qui plantat, & is qui rigat, vnum sunt: Vnusquisque verò suam mercedem accipiet secundum suum laborem. Etenim Dei sumus cooperarij, Dei aruum, Dei ædificatio estis.

QVoniam ad ecclesiæ, & fidei aut religionis conseruationem nihil vtilius & magis necessarium est, quàm credentium consensio atque concordia, Paulus non temere tam multis hoc agit, vt quæ inter Corinthios gliscebant dissidia & factiones componat. Causæ istarum erant, partim doctorum quorundam ambitio, qui suæ potius gloriæ quàm credentium saluti studebant: partim eorum stoliditas, qui in ostentatoribus illis humanæ sapientiæ & eloquentiæ splendorem sic admirabantur, vt ab illis solis penderent, imò propter illos in sectas scinderentur. Ideo vtrosque grauiter corripuit, & nuper ostendit, ipsos factionibus illis hucusq; impeditos fuisse, vt in Euangelij doctrina non potuerint dignos progressus facere, neque habere eos quo glorientur aut superbiant, cùm hoc vno argumento satis constet, ipsos adhuc carni nimium addictos esse.

His commodè subijcit, quæ modò recitauimus, quibus de ministerio ecclesiastico apertius disserit, & docet, quo loco habendi sint ministri, ne ipsis plus aut minus, quàm par est, tribuamus: in quem finem item à Deo sint ordinati, & quis tam ipsis quàm auditoribus studij & laboris sui vniuersi scopus esse debeat.

Verbi præcones ministri sunt, per quos creditur.

Et primò quidem summam huius doctrinæ proponit, quæ est, Verbi præcones esse ministros Dei, quorum labore & prædicatione homines ad fidem Christi adducantur. Id verò non simplici & nuda dicendi forma enuntiat: sed cùm nuper factionum studia illis iterum exprobrauisset, nunc non sine indignationis specie subijcit: Quis igitur est Paulus? quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis? Ita verò docet, id quod ab ipsis fiebat, nullo modo posse aut debere ferri in ecclesia. Prudenter verò non doctorum illorum, qui omnis mali authores erant, nomina exagitat, ne horum admiratores magis irritet, sed seipsum & Apollo producit, quos inter se coniunctissimos esse omnes sciebant, & quorum authoritatem alteri illi labefactare conabantur. Et vt aliâs diximus, credibile est non defuisse pios aliquos, qui contendendi studio & zelo non malo abrepti, contra ostentatores illos & ardeliones Pauli & Apollos authoritatem iactarent. Vt ergo simul omnes vno quasi verbo compescat, sic loquitur quasi diceret: Quid opus est vel meum vel Apollos nomen contra quenquam producere, & his abuti ad fouenda partium studia? Nec enim nostra nobis gloria curæ est, nisi quatenus ea Christo & ecclesiæ commodare potest. Et quis ego sum, qui hoc merear, vt mei potius quàm Christi discipuli dicamini? Quis item Apollos, vt qui Christo debetur honor, in illum transferatur? Certè non alij, quàm ministri sumus, quorum opera & ministerio Deus vti dignatus est, vt vos à superstitionibus & impietate ad fidem Filij sui IESV CHRISTI conuerteret. Itaque cùm ministri modò simus, minimè conuenit, vt nobis addicti sitis, quin potius in Deum respicere debetis, cuius nomine & mandato Euangelium passim prædicamus. Veruntamen ne quis ex eo, quòd Corinthios ipsorum ministerio in fide institutos esse dixit, nouam sese efferendi aut de doctoribus suis gloriandi occasionem arriperet, mox addit: Et vt cuique Dominus dedit. Quod perinde est ac si diceret: Non nos fidei vestræ sumus authores, neque in nostro arbitrio fuit hanc vobis dare, sed Dei opus istud omne est, qui fidei mensuram, prout ipsi visum est, inter vos distribuit. Et videtur Paulus diuersitatis & graduum, qui inter credentes sunt, consultò meminisse, vt vel ex his colligant, nihil hîc humana industria aut labore factum esse, sed negotium hoc omne vni Deo debere transcribi, qui vt in alijs donis, sic etiam in fide & Filij sui cognitione certo iudicio atque mensura vtitur. Conuenit cum Paulinis istis, quod Ioannes Baptista fecit. Cùm enim hunc per Legatos suos Hierosolymitani præsules interrogarent, num ipse esset Propheta ille magnus & promissus populi Seruator, constantissimè id negauit, & se vocem illam clamantis in deserto esse testatus est, quæ (vt olim à prophetis prædictum fuit) populum per pœnitentiæ prædicationem ad Messiam excipiendum præparare debeat. Idem cùm discipulos non sine acerba æmulatione de populi ad Christum confluentis concursu querentes audiret, simili cum stomacho illis respondit: Vos ipsi mihi testes estis, quòd dixerim: Non sum ego ille Christus, sed missus sum ante eum. Qui habet sponsam sponsus est, &c. Item: Illum oportet crescere, me autem minui. Ioan. 3. cap.

Ioan. 1.

Quid de omnibus doctoribus sentire debeamus?

Continet autem locus iste generalem doctrinam, quid de omnibus sentire debeamus, qui vnquam Deo seruierunt in tradenda veritatis doctrina & hominibus ad fidem conuertendis. Habeantur illi ministrorum loco, neque putemus, nos illis aliquam iniuriam facere, si eos non altius in gradum aliquem sublimiorem euehamus. Est enim hæc maxima hominis gloria, qua maior aut præstantior nulla illi obtingere potest. Præclarum multis videtur, si princeps aliquis aut Rex ipsos in aulam suam recipiat, vbi aut inter milites & corporis regij custodes numerentur, aut in canes & accipitres imperium habeant, aut in consiliariorum ordinem admissi & aureis (vt aiunt) compedibus vincti seruitutem miserrimam seruiant. At quantò maior dignitas censeri debet, CHRISTI IESV seruum censeri, qui Rex regum est & Dominus dominantium? & qui nostra opera in illis seruandis vtitur, quos sanguinis sui pretio acquisiuit? Qui ergo tales olim fuisse fatentur Diuos cœlites, ij sanè perquam magnificè de illis sentiunt. Interea autem etiam atque etiam caueri debet, ne ipsis acceptum feramus, si quid eximium in mul-

in multorum aliorum salutem fecerunt: sed tunc illud omne Deo transcribi debet, secundùm illud Christi: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Vehementer ergo errant praeposteri & nimij Diuorum cælitum cultores, qui illos salutis suæ authores, aut saltem Mediatores & aduocatos suos apud Deum esse sibi persuadent, ideoque illos in periculis inuocant, ijsdem vota faciunt, templa & aras ædificant. Isti enim, dum Diuos altius euehunt, & apud eos quærere docent quæ solius Dei sunt, eosdem gloria præcipua spoliant. Nam ex Dei seruis, quantum in ipsis est, Dei æmulos & aduersarios faciunt, perinde ac si quis de Rege bene meritum & ob id præ alijs aulicis honoribus & dignitatibus ornatum, præpostero & inconsulto studio in regium thronum collocare instituat. Viderunt hoc illi, cùm adhuc in terris vitam degerent, & ideo indignißimè tulerunt, si qui de ipsis plus æquo senserunt, vt ex ministris Dei nouos (vt ita dicam) Deos facerent. Exempla huius rei admodum memorabilia in Petro & Ioanne, in Paulo item & Barnaba Apostolis Actorum liber continet. Et quis obsecro cogitet, eos nunc in cælis diuinos honores affectare, qui olim vitam & sanguinem proprium non alia de causa profuderunt, quàm vt vni Deo & Filio suo IESV CHRISTO gloriam suam vendicarent? At quid de Diuis dicere opus est, quando Angelos quoque nihil huius quærere constat, quorum natura integrior & vires multò præstantiores sunt? Ioannes certè visionum magnificentia abreptus ad Angeli, qui Christi personam sustinebat, pedes prolapsus eum adorare voluit. Sed quid audit? Vide ne feceris (ait Angelus) conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium IESV, Deum adora. Rectè ergo olim D. Augustinus in libro de vera Religione scripsit: Hoc etiam ipsos optimos Angelos, & excellentißima Dei ministeria, velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo Veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Et mox: Honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos cùm boni sumus, templa summi Dei esse nouerũt. Rectè itaque scribitur, hominem ab angelo prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus. Qui autem nos inuitant, vt SIBI seruiamus, & tanquam Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt, &c. Quibus adde, quod idem pater alibi scripsit: Sicut impia superbia, siue hominum siue dæmonum, sibi diuinos honores exhiberi vel iubet vel cupit: ita pia humilitas vel hominum vel Angelorum sanctorum, hæc sibi oblata recusauit, & cui deberetur ostendit. Hæc ex Augustino recitare libuit propter eos, qui nos noui & hæretici dogmatis authores esse clamant, quòd Diuos neque inuocandos neque diuinis honoribus colendos esse docemus. Quod si quis obijciat, aliam esse angelorum, aliam Diuorum conditionem, facilis erit responsio, vtrosque Dei ministros esse, neq; diuersas esse vtrorumq; voluntates, cùm tam hi quàm illi diuinæ voluntati sese accommodent, cuius expressum in sacris literis mandatum habemus, quod Deum vnum & solum inuocare & colere iubet. Quòd si illi negare velint, ipsa Dominicæ orationis formula eos conuincet, qua rogamus: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo sic etiam in terra. Idem ergo in cælo tam Angeli quàm Diui volunt, nisi eam illic quoq; studiorum dißimilitudinem & contentiones esse dicamus, quibus hæc nostra vita in terris turbatur. Quod cùm dictu absurdißimum sit, scripturas audiamus, quæ Diuos pro Dei ministris agnoscere docet, quibus ille vsus est olim, vt superstitionibus deditum mundum ad verum cultum & fidei obedientiam reuocaret.

Apoc. 19. 22. Cap. vlt.

Epistola 49.

Sed redeamus ad verba Pauli, qui quod in genere & paucis dixit, parabola illustrat. Et quàmuis de ministris omnibus loquatur, perstat tamen in eo quod cœpit, vt sub sua & Apollo persona rem istam tractet. Ego plantaui (inquit) Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum. Plantauisse se dicit, quia primus Corinthi Euangelium prædicauit, & fidei semina iecit. Apollo autem rigationem tribuit, quia hic ipsi successerat, & studio magno in hoc fuerat, vt Corinthiorum fidem foueret, vtque hi maiores quotidie progressus facerent. Et sub duabus hisce speciebus omnes agriculturæ partes comprehendit, quæ plantationem, vel præcedunt, vel sequuntur: & per consequens, ea quoque omnia complectitur, quæ ad ecclesiæ

Verbi ministerium agriculturæ confertur.

ministerium pertinent. Itaque sensus est, eandem esse ministerij ecclesiastici rationem, quæ agriculturæ est. Vt enim ad hanc agricolis omnino opus est, qui terram aratro scindant, plantent, sementem faciant, rigent, plantas & segetes educent, ijdem tamen illi nequicquam hæc omnia faciunt, nisi cœlitus detur incrementum: Ita vt ecclesiæ colligantur aut seruentur, ministros habere oportet, qui verbum prædicent, fidei semina in hominum cordibus iaciant, pietatem veram plantent, & eiusdem formam conseruent, & quod bene cœptum est ad finem suum perducant: at hi quoque omnes suo labore & industria nihil proficient, nisi Deus suo Spiritu in hominum animis agat, vt Verbum suum dignè audiant, cordibus suis recondant, vt viuificatum suo tempore fructum ferat. Est parabola hæc euidens, & vtraque eius pars quotidiana experientia probatur. Si enim ad fruges producendas agricolarum labor atque industria sufficeret, harum certè prouentus quotannis vberrimus esset. At diuersum fieri videmus, & non rarò tunc quoque agricolas spes anni fallit, quando illi in terra colenda plus solito seduli & assidui fuerunt. Hose. 2. *Oportet ergo vt ipse Dominus cœlos exaudiat (vt Prophetæ verbis vtamur) & ita cœli terram, hæc autem fruges, & istæ rursus suos cultores exaudient, ne spe sua frustrentur. Idem in animorum cultura fieri, nemo negauerit, nisi qui quod omnibus notum est negare ausit. Etenim si hîc quoque hominum in fide profectus à ministrorum aut præconum verbi diligentia penderet, omnes certè ad fidem conuerterentur, & omnes eundem in religione progressum facerent, qui Verbum audiunt. Sed longè aliud est videre, vt nimirum plerunque maior auditorum pars vel contumaciter verbo reluctetur, vel scelerata socordia illud ex animis effluere, aut pessimarum cupiditatum spinis suffocari sinat. Quod ergo de Lydia purpuraria dicitur, Deum cor eius* Acto. 16. *aperuisse, vt ijs attenderet, quæ à Paulo dicebantur, hoc ipsum omnibus fiat necesse est, qui Verbum cum aliquo fructu audire velint. Rectè ergo Paulus, neque eum qui plantat, neque eum qui rigat, aliquid esse ait: si nimirum per se consideretur absque Spiritus sancti virtute, qui solus Verbi semen in animis nostris viuificare & fœcundum reddere potest. Vsus autem istorum est, vt ne quid hominibus tribuamus in toto salutis negotio, sed nos Dei discipulos esse meminerimus, cui soli omnis gloria transcribi debeat. Quod vnum si probe obseruetur, facilè obstabit, ne in ministrorum gratiam ecclesiæ vnitatem scindamus, aut locum demus factionibus, quas homines ambitiosi pariunt. Deinde horum consideratio ad preces excitare solet, vt has cum Verbi studio coniungamus. Exempla harum in prophetis passim occurrunt, imprimis autem in illis diligens fuit Dauid, cuius hæ voces in Psalmis crebrò leguntur: Ostende mihi vias tuas Domine, assuefacito me semitis tuis. Retege oculos meos, vt videam admirabilem sapientiam, quæ recondita est in Lege tua. Da mihi, vt norim viam contestationum tuarum. Deduc me in viam decretorum tuorum Domine, & doceto me, vt retineam Legem tuam, &c. Sed & ipse Christus interdum noctes totas in precibus transegit, quando populi ad ipsum audiendum concursum maiorem fieri videbat. Et laudatissimus est mos ille ecclesiæ, quo conciones sacræ à precibus inchoantur, & cum precibus finiuntur: quas qui negligunt, ij hoc ipso satis testantur, quàm malè de Dei verbo & toto Ecclesiæ ministerio sentiant. Postremò gratitudinem in animis nostris consideratio ista accendit. Vt enim pro vbere terræ prouentu & frugibus non possunt non gratias agere Deo, qui ista ex eius benedictione sibi obtigisse sciunt, neque etiam illis facilè abutuntur, qui de hoc diligentius cogitant: Ita toti in gratiarum actionem effundi solent, quicunque Dei beneficium, quo is Verbum suum nobis reuelat, rectè expendunt, & ijdem procul dubio curabunt, ne hanc gratiam ad carnis licentiam transferant.*

Verbi prædicatio necessaria est.

Cæterum præter ista de alijs quoque nos parabola hæc admonet, quæ ad ministerij ecclesiastici considerationem faciunt. Inter quæ obseruatu dignissimum est, quòd verbi prædicationem ecclesiæ omnino necessariam esse docemur, vt agriculturam quoq. Posset quidem Deus, qui olim vno verbo plantas & omnis generis fructus produxit, etiam hodie nobis absque nostro labore, vel ex terra vel aliunde dare, quæ ad victum necessaria sunt. At quia Adamo dixit, In sudore vultus tui comedes panem tuum, & eidem vt terram quantumuis malignam colat mandauit, eius ordinationi & mandato nos accommodemus necesse est. Nec enim ad eius prouidentiam aut omnipotentiam

potentiam recurrere debemus, vt nostro otio consulatur, vbi quid fieri à nobis velit, satis constat. Idem ergo in animorum cultum nos obseruare conuenit. Vbi minimè negari debet, Deo nequaquam opus esse, vt in nobis instituendis vel verbi prædicatione, vel Sacramentis vtatur: Posset enim occulta Spiritus virtute & modo ineffabili nobisq; incognito animos nostros erudire & innouare. Quia autem maledictio non minus nos quàm terram premit, & proinde nos per verbi prædicationem & Sacramentorum vsum Deus ad vitam nouam & æternam coli vult, & nostrum ea in re studium requirit, temerarium & impium fuerit, ordinem ab illo institutum contemnere. Minimè ergo audiri debent, qui nobis nescio quem Spiritum & Verbum quoddam internum & non scriptum fingunt, quo nos institui oporteat. Clamant illi, nos nimium stupidos & malignos diuinæ potentiæ æstimatores esse, qui illam ad Verbum externum & Sacramenta astringamus. At viderint ipsi, ne nimis temerarij in domo Dei nouatores esse deprehendantur, dum quam ipse statuit Oeconomiam abolere conantur. Neq; nos Deum aliqua necessitate astringimus, sed homines necessariò hanc illi obedientiam debere dicimus, vt eam in salutis negotio rationem sequantur, quam ille præscripsit, & quam ab ipsa rerum origine secuti sunt, quotquot illius germani cultores fuerunt.

Præterea vt non sufficit terram à sentibus repurgauisse, arauisse, plantauisse, sementem fecisse, sed insuper perpetua cura & continuo labore opus est, vt quæ plantata sunt custodiantur, rigentur, æducentur, vt fructum maturũ & nobis vtilem ferant: Ita in ecclesia quoq; ista omnia fieri necesse est. Vt enim inter lætas segetes infelix lolium & steriles auenæ plerunq; emergunt, & ex imis arborum truncis syluestria germina frutescunt, quæ supernè insitos surculos excrescere non sinunt, nisi resecentur: Ita in Domini agro sua quoq; zizania Satan aspergit, & subinde ex carne nostra prodeunt cogitationes & cupiditates noxiæ, quæ Verbi Dei fructum impediunt. Imò ea est hostis nostri improbitas, vt totas quoq; ecclesias aggredi, & aut securitate & otij fiducia incautos circumuenire, aut bene iacta & non infeliciter germinantia fidei veræ semina impijs traditionibus corrumpere soleat. Exemplo nobis sunt Corinthij nostri, quos neque accurata Pauli plantatio, neq; per Apollo facta rigatio potuit in officio continere, quin illis locum darent, aduersus quos nouo studio & labore opus fuit. Idem Galatarum quoq; ecclesijs accidisse constat, & multis alijs, quæ illo tempore fuerunt. Et quid hodie multi patiantur, commemorare superuacaneum esset, cùm id pij omnes non sine dolore cernant. Vt ergo agricola bonus modò lolium euellit, modò spinas falce resecat, modò plantas arescentes hinc inde ductis riuis aquarum recreat, modò sepe noua hortos munit, modò aues fugat, sæpe talpas & mures plantarum radicibus insidiantes intercipit: Ita his omnibus in aducanda & custodienda Euangelij segete fidelem ecclesiæ ministrum intentum esse conuenit. Ideò Paulus ecclesias frequenter inuisere, collapsa instaurare, animos fluctuantes confirmare, & absentes scriptis suis monere, corrigere & in viam reducere solebat. Sunt hæc propter eos obseruanda, qui conciones sacras negligunt, & sumptus inanes fieri putant in alendis ministris, qui quotidianis sermonibus populum fatigent. Sed nesciunt illi, quanta sit satanæ astutia, quàm item irrequietus eiusdem labor in perdendis hominibus. Fit autem non rarò, vt illi ipsi grauioribus tentationibus obruti, magno suo cum periculo experiantur, nullam in hac re curam nimiam, nullum laborem superuacaneum esse.

Ecclesiæ ministerium curam assiduam requirit.

Porrò quia Paulus inter se & Apollo discrimen aliquod fecisse & vni plus quam alteri tribuisse videri poterat, occurrit huic suspicioni, & quæcunque hactenus dicta sunt, nunc propius ad suum institutum accommodat, sic dicens: Is verò qui plantat, & is qui rigat, vnum sunt, &c. Quibus verbis minimè negat gradus illos, quos inter ministros esse alibi fatetur, vt alij quidem sint Apostoli, alij Euangelistæ, alij Prophetæ, alij Pastores, &c: sed hos omnes ita inter se coniunctos esse docet, vt omnes vnum censeri possint: eò quòd omnes vnius Domini ministri sint, in vno item & eodem opere occupentur, ad vnum & eundem finem tendant, & se mutuò iuuent, imò quòd vnusquisque aliorum ope & auxilio opus habeat. Vt ergo corpus reuera vnum est, etiamsi ex multis & inter se diuersis membris constet, quæ tamen omnia per vnam animam viuificantur, & sub vno capite conueniunt: ita ministri ecclesiæ vnum sunt, cùm omnes eodem spiritu ad eundem finem moueantur, & ab vno capite Christo dependeant. Finis autem,

Omnes ministri vnum sunt.

Ephes.4. quem sibi omnes illi propositum habent, alibi definitur esse coagmentatio sanctorum & ædificatio corporis Christi, id est, ecclesiæ. Ex his autem rursus colligit Paulus, quòd nemo ministrorum sese ambitiose alteri præferre, nec quisquam propter illos ecclesiam in partes scindere debeat. Quia si hoc fiat, in ipsum ministerij finem peccabitur: & qui hoc fieri patiuntur ministri, vt suo honori priuatim consulant, ij non coagmentationi sanctorum, neque ædificationi corporis Christi student, sed dissipationis & destructionis authores sunt. Itaq; hoc dicendo non obscurè pseudoapostolos Corinthiorum Paulus perstringit, qui eo ipso, quo supra omnes volebant eminere, se indignos esse prodebant, qui ecclesiæ ministri dicerentur. Vidit hoc olim Gregorius Magnus, qui cum de primatu episcoporum lis orta esset, & hunc sibi Ioannes Constantinopolitanus vendicaret, ad Mauritium Imperat. scripsit, Antichristi præcursorem esse, quisquis vniuersalis Episcopus dici velit. At hodie, qui neq; plantant, neq; rigant, multis tamē ecclesijs simul dominari volunt. A quorū fastu non procul absunt quidā Euangelicæ doctrinæ professores, qui propter lautius stipendium sese supra eos extollunt, qui eundem cum illis Christum prædicant. At potius maiori laude digni sunt, qui frugali & tenui victu contenti, Euangelium inter mille pericula docent.

At quia apud Corinthios cumprimis ambitione & laudis cupiditate nimia peccabatur, pergit Paulus & ad Deum illos remittit, qui vnicuiq; mercedem redditurus sit secundùm laborem suum. Quasi diceret: Quid opus est auram popularem captare & ab hominū iudicijs pendere eos, qui suorum certaminū atq; laborum iudicem & fidelissimū Agonothetem habent Deum, qui cùm remunerator sit fidelissimus neminem sua mercede frustrabitur. Quin ergo hoc curant singuli, vt suum studium illi probent, & huic vni placeant? Nemo tamē quando mercedem promitti audit, ex eo operis sui meritum statuat. Nam si opera nostra spectes, nihil omnino illis meremur apud Deum: Primò, quia non ex nobis ipsis, neq; proprijs viribus ea facimus, vt qui ex nobisipsis ne ad cogitandū quidem sumus idonei, vt alibi Paulus docet. Deinde cùm ex debito fiat, quicquid boni facimus, meritum nullum statui potest. Quod ipsum Christus testatur, dicens: Cùm feceritis omnia, quæ iniuncta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Accedit

Luc.17. his, quòd vitiosa & imperfecta sunt opera nostra omnia propter insitam nobis naturæ vitiositatem, quæ prauis desiderijs atque cogitationibus ea quoque corrumpit & Deo ingrata reddit, quæ per se bona & sancta sunt. Mercedem ergo nostris operibus nullam meremur, si propriè loqui libeat: vtitur autem hoc vocabulo Deus ex paterna indulgentia, vt nos ad obsequium ipsi præstandum alacriores reddat.

Porrò sui dicti rationem reddit, dicens: Etenim Dei sumus cooperarij, Dei aruum, Dei ædificatio estis. Quo dicto & doctores & auditores officij admonet: vt nimirum illi quidem vni Deo laborent, huic omnes adducant: hi verò similiter in illum vnum respiciant, vt Dei ecclesia, non huius aut alterius factionis membra sint. Vt enim aruum domini est, non agricolæ, cui eius colendi cura committitur, & proinde in domini sui vsum colitur: ita ecclesia ad Christum pertinet, qui eam sanguinis sui pretio redemit, & ideo omnis qui in ea colenda impenditur labor in eum finem dirigi debet, vt omnis fructus ad Dominum redeat. Addit his aliam Metaphoram ab ædificio sumptam, vt ad ea quæ sequuntur sibi transitum faciat, cuius tamen in præsenti idem sensus & vsus est. Vt enim ædificium non fabrorum est, qui in eo extruendo laborant, sed eius, cui illi suam operam locauerunt: ita ecclesia Dei domus est ideoq; ne minimā quidem eius partem sibi vendicare debent doctores, sed in eo potius esse, vt Christo, cuius ministri sunt, domum idoneam & gratam ædificent. Ex quo sequitur perfidiæ reos esse omnes, qui secus agunt.

Deus hominibus cooperarijs vtitur. At est hîc obseruatu dignissima Dei bonitas, qui hominibus administris vel cooperarijs vti dignatur. Est hæc summa dignitas, quæ non in solos verbi precones cadit, verumetiam in multos alios, quorum ministerio in ijs perficiendis vtitur Deus, quæ propriè ad illum solū pertinent, & non nisi eius virtute confici possunt. Eadem enim ratione, qui magistratum gerunt, Dei administri sunt: quia per hos sua iudicia ille exequitur. Tueantur ergo hanc suam dignitatem, ne si suis cupiditatibus indulgeant, in potestatem tenebrarum degenerent, vt de illis

Luc.22. loquitur Christus, qui ad ipsum capiendum venerant. Sic Dei administri sunt coniuges in propagan-

propagando & conseruando humano genere. Curent ergo, vt huic liberos generent, & ex se natos ad illius honorem aducent: ne aliter agendo sese diaboli administros faciant. Ita Dei administri sunt agricolæ, cùm ipsorum opera ille vtatur in producendis terræ fructibus, quam ipsius benedictione sola fœcundari supra diximus. Ferant ergo patienter laborem omnem, & in opere suo fideles sint. Imò debet horum consideratio omnes excitare, ne ignaui torpeant. Nec enim suis administris vnquam deest Dominus, sed vt tu seruos tuos opus facientes spectare & iisdem consilio & opera tua adesse soles: ita Deus nos omnes videt, & simul viribus instruit, vt operi nobis per ipsum mandato sufficere possimus. Neminem ergo laboris difficultas aut operis magnitudo terreat: quia si quid per nos effectũ vult Deus, nihil quo minus id fiat obstare poterit. Deinde mercedem quoq; iam olim seruis suis destinauit, quam fideliter reddet iis, qui in opere suo in finem vsq; perseuerant: sicuti in operariorum & talentorum parabolis Christus ipse docet. Matth. 20. & 25.

Quoad verò Pauli institutum, finem omnium, quæ hucusq; dicta sunt, hunc esse meminerimus, vt vnitas & concordia in ecclesiis seruetur. Hanc nobis passim Christus cõmendat, & iam moriturus hoc præ aliis à Patre rogat, vt omnes in ipso vnum simus. Vt enim ædificium ruat oportet, cuius partes non rectè inter se cohærent: ita ecclesiam sine consensione fidei & charitatis mutuæ consistere impossibile est. Ideò quoties in scripturis de Christo & ecclesia sermo est, ferè similibus eiusmodi Spiritus sanctus vtitur, quæ concordiam nobis commendant. Christum enim pastorem, nos eius oues aut gregem esse docet: illum sponsum, nos sponsam: illum vitem, nos palmites: illum caput, nos membra: illum primogenitum, nos fratres eius esse dicit. Quòd si Decalogum inspicias, prima tabula nobis vnius Dei cultum & fidem vnam, in altera verò mutuam charitatem commendari videbis, quæ fidelissima concordiæ nutrix est. Debebant in horum consideratione omnes diligenter versari hodie, quando & ecclesiæ & respub. intestinis dissidiis passim collabuntur, quorum præcipua causa est eorum, qui rebus præsunt, insatiabilis ambitio. Sed quia hæc deplorare facilius est quàm emendare, Deus Opt. Max. assiduis precibus orandus erit, vt is sopitis dissidiorum flammis spiritu suo omnium mentes dirigat, vt vnanimi fide & charitate coalescamus in CHRISTO IESV, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Finis huius tractationis.

HOMILIA XIIII.

Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Porrò quisq; videat, quomodo superædificet. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS. Quòd si quis superædificet super fundamentũ hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: cuiusq; opus manifestum fiet: dies enim declarabit: quia per ignem reuelabitur, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus maneat, quod superædificauerit, mercedẽ accipiet. Si cuius opus exustum fuerit, damnum faciet, ipse verò seruabitur, ita tamẽ vt per ignem.

MVltis hucusq; Paulus Corinthios reprehendit, quòd ecclesiæ concordiam turbauissent, & nuper grauissimis rationibus docuit, perperam omnino facere eos, qui inter ministros eiusmodi discrimen faciant, vt propter illos in sectas & partes distrahantur: cùm ministri omnes vnum sint, vt qui eiusdem Domini administri ad vnum eundemq; finem tendant, ecclesia autem non illorum, sed Dei aruum sit atque ædificium. Sequitur nunc præsens hic locus, in quo ad causas tanti mali propius accedit, vt eas è medio tollat. Erant autem duæ præcipuæ. Prima, quòd Paulum multi fastidiebant, ideoque de eius quoque doctrina parum honorificè iudicabant, & contemptius loquebantur. Altera, nouorum doctorum ambitio & fastus, quos Corinthii inconsiderato suo applausu & stolida admiratione ad tantam insolentiam perduxerant, vt sibi

quiduis in ecclesia licere putarent. De vtroque sic disserit Apostolus, vt simul doctrinam atque admonitionem generalem proponat, quam aßiduè intra animos suos versare debent, quicunque in ecclesiæ ministerio sunt constituti.

Paulus sui ministerij fidem asserit.

Principiò de semetipso agit, & magna cum constantia fidem suam asserit, qua inter ipsos fuit vsus in iaciendo veræ fidei & Christianæ religionis fundamento: simul tamen prudenter & circumspectè loquitur, vt omnem confidentiæ & superbiæ suspicionem declinet. Sic enim ait: Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens siue peritus architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Ita de seipso & munere suo loquitur, vt authorem omnium prædicet Deum, qui sua gratia ipsum sit dignatus. Nam perinde hoc est, ac si dixisset: Scio me plerisque inter vos rudem & imperitum videri: sed qualiscunque sim, hoc sanctè affirmare possum, me per gratiam, quæ mihi diuinitus data est, boni & periti architecti officio functum esse. Vt enim is ante omnia de fundamento cogitat, vt hoc firmum sit & stabile: ita ego veræ fidei fundamentum apud vos ieci certum, stabile & solidum: adeò, vt ne æmuli quidem mei, quoad hanc mei muneris partem, quicquam in me desiderare poßint. Nam illi iam nunc mei laboris fructum non pœnitendum percipiunt, dum me ad alias ecclesias profecto ipsi apud vos irrepserunt, & rerum securi super fundamentum istud minimo cum labore ædificant, quod abs me non sine summo vitæ discrimine est positum, &c. Et licebat Paulo ista liberius dicere, cùm omnibus notum esset, quàm duris & grauibus certaminibus iactatus erat, cùm primùm in ea vrbe Euangelium prædicaret. Disertè autem gratiæ Dei omnem sui operis laudem transcribit, non solùm, vt (quod ante monuimus) nihil confidentius dicere putetur: sed vt simul suæ ingratitudinis Corinthios admoneat, qui eam doctrinam fastidiosè contemnant, quam ipsis Deus ex singulari gratia per ipsius ministerium reuelarat, & in qua nunc quoque non vulgaria eluceant diuinæ bonitatis argumenta.

Sors seruorum Christi.

Rursus autem in Pauli exemplo sors fidelium IESV CHRISTI seruorum spectanda proponitur. Sustinent illi duram admodum prouinciam, dum per infinitos labores & mille rerum discrimina Euangelij doctrinam propagare, & abolitis superstitionibus homines ad puriorem veri Dei cultum reducere student. Et tunc quidem facilè etiam ab illis negliguntur, qui eos adiuuare debebant. At postquam suo labore & periculo ecclesias constituerunt, & ijsdem otium atque pacem pepererunt, mox ambitiosuli & inquieti spiritus emergunt, qui vt omnem laudem ad se transferant, nouum doctrinæ genus sequuntur, ritus nouos inuehunt, nouam item disciplinæ formam fabricant, & sui capitis figmenta super fundamentum, quod aliorum labore & industria iactum est, extruere student. Neque eo contenti, multa etiam in illis cauillantur, vt eos apud rude & indoctum vulgus in contemptum & odium adducant. Accidit hoc Paulo apud Corinthios. Cùm enim Iudæi se ipsi hostiliter opponerent, cùm ad Gallionis tribunal eum accusarent, cùm Sosthenes à furiosis iniquißimè tractaretur, & ipsi omnia præsentem mortem minitarentur, nemo Rhetorum illorum apparuit, qui sua siue eruditione siue facundia Christi causam defenderet, & furentes placaret. At postquam Deus ecclesiæ per Paulum constitutæ otium dedit, vt Christianis hominibus in ea vrbe tutius quàm alibi agere liceret, tunc scioli illi & magni Oratores surrexerunt, qui Apostolo nouos labores exhiberent, & ecclesiam totam turbarent. Ita hodie multi solent, & præ alijs hîc magni artifices sunt Anabaptistæ. Quis enim aliquem horum vidit illic docentem, vbi Pontificum tyrannis dominatur & nefarij cultus publica authoritate defenduntur? Quàm primùm autem fideles Christi serui cum capitis sui periculo puriori doctrinæ locum parant, mox illi subrepunt, & nouitatis studio iam ante feruentes magis accendunt, & noua inusitatæ sanctitatis simulatione, promißis item & blanditijs artificiosis multorum animos à doctoribus veritatis alienant, & ea ratione ecclesias in partes distrahunt, quod multis nostro seculo exitium attulisse constat. Quid verò de istis dicere attinet, quando idem eos quoque facere videmus, qui Euangelicæ veritatis primi vindices haberi volunt? Quàm multos enim est videre, qui ecclesijs inter grauißima pericula emergentibus obrepunt, & suas illis Confeßiones obtrudere conantur, vt has super fundamentum aliorum sanguine iactum superædificent? Quàm autem infelici successu id fiat, multi proh dolor hactenus non sine libertatis suæ & fortunarum omnium iactura senserunt.

Cæterùm postquam de semetipso dixit Paulus, nunc ad doctores Corinthiorum sermonem conuertit, & ita cum illis agit, vt omnes ecclesiarum ministros sui officij admoneat. Verba eius hæc sunt: Porrò quisq; videat, quomodo superædificet. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. Quorum hic sensus est: Non equidem inuideo vestris illis doctoribus hanc felicitatem, & per me licet vobis ô boni, vt meorum laborum fructu fruamini: imò hoc imprimis fieri cupio, vt dum ego alicubi iacto fundamento Christianæ religionis, aliò me confero (quod proprium Apostolorum munus est) & in nouis ecclesijs colligendis aut plantandis occupatus sum, quàm plurimi huic operi manus admoueant, & abs me inchoatum ecclesiæ ædificium absoluant. At qui hoc conantur, hos ego admonitos velim, vt etiam atq; etiam videant, quomodo ædificent, & ne à vera docendi ratione deflectant. Quoad enim fundamentum, constanter & verè affirmo, aliud poni non posse, quàm quod abs me positum est. In eo igitur nouo labore aut mutatione aliqua minimè opus erit. De hoc igitur solicitos esse oportet, vt quod ipsi superstruere volunt ædificium, fundamento illi respondeat. Ergo de duobus hîc nos admonet Paulus, quæ obseruatu non minus necessaria quàm vtilia sunt. Doctores officij admonet.

Primum est, ne fundamentum fidei aut religionis nouum ponatur, præter id, quod iam olim Apostoli posuerunt. Causam huius præcepti aut admonitionis affert, quia aliud poni non possit, siquidem ecclesiam Dei extruere, & tam nosipsos quàm eos, qui nos audiunt, seruare velimus. Fingunt quidem fundamenta religionis & salutis multa, qui à Christiani nominis professione abhorrent, quales hodie sunt Turcæ, Iudæi & si qui alij horum similes inueniuntur. Sed si rem ipsam propius consideres, hæc non salutis fundamenta, sed impostorum falsissima commenta & infelicis populi ludibria sunt. Et cùm vna sit omnium, qui ad Dei populum & salutis hæreditatē pertinent, ecclesia, quæ ideo Catholica, id est, vniuersalis dicitur, vnum quoq; eius fundamentum sit oportet. Nam vt vna eademq; domus fundamentis pluribus & inter se diuersis imponatur, non absurdum modò, verumetiam impossibile est. Fundamentum verò illud disertè definit Paulus, & IESVM CHRISTVM esse dicit. Quod nemo temere ab eo dictum putare debet. Sciebat enim olim Deū per Prophetam dixisse: En ego fundo in Zion lapidem, lapidem probationis, angularem, pretiosum, solidissimum fundamentum: & quisquis credit in eum, non pudefiet. Et loci huius fidelissimum interpretem habebat ipsum Christum, qui Petro, qui ipsum Dei Filium & promissum humani generis seruatorem esse confessus erat, respondit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo meam ecclesiam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Petrū vocat Christus mutato nomine eum, qui prius Simon dictus fuerat: nimirum à petra, quam modò erat confessus. At quæ nam hæc erat? Ipse certe Christus, quem ab Isaia lapidem fundamenti dictum fuisse, iam ante ostendimus. Scio quidem Pontificios adulatores, vt suo Papæ rem gratam faciant, & huius in ecclesia primatum, siue tyrannidem potius stabiliant, Petrum cum petra confundere, quasi de illo dixerit Christus: Et super hanc Petram, id est, super te ædificabo meam ecclesiam, &c. Sed commentū hoc ipsius Petri authoritate confutatur, qui in Senatu Hierosolymitano ingenuè fatetur, Christum esse lapidem illum pretiosum, quem architecti quidem reprobauerint, factus tamen sit caput anguli, & quòd extra hūc nullū aliud nomē sub cœlo extet, in quo homines seruari oporteat. Et idē, cùm in epistola sua Isaiæ locū, quem paulò ante recitauimus, de Christo exponeret, mox oēs hortatur, vt super eū ædificentur veluti viui lapides, vt sint domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per IESVM CHRISTVM. Imprimis autem huc facit, quòd noster hic Apostolus, ad Ephesios scribens, Christum fundamentum prophetarum & apostolorum esse docet: eam nimirum ob causam, quòd tam hi quàm illi hunc vnicum salutis nostræ authorem prædicent, in quo eos coalescere oporteat, qui Dei ecclesia esse volunt.

Fundamentum fidei vnicum Christus. Isa.28. Matth.16. Actor.4. 1.Pet.2. Ephes.2.

At hîc diligenter tenere oportet, qua ratione Christus fundamentū ecclesiæ ponatur, & quando super illū ædificemur. Illo enim multos hodie gloriari audimus, qui tamen longè alia fundamenta iaciunt, neq; illo vno contenti sunt. Scias ergo eos solos super Christum ædificare, qui ad hunc solum omnes adducunt, hunc humani generis redemptorem vnicum monstrant, qui solus nobis à Patre factus sit sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Qui enim talem agnoscunt, ij lapides illi viui sunt, de quibus Petrus loquitur, ex quibus templum illud Dei spirituale constat. Itaq; periti ar

Quomodo super Christum ædificetur.

chitecti ecclesiæ sunt, qui cum Paulo non aliud scire cupiunt, præter IESVM CHRISTVM, & hunc quidem crucifixum. Nouum autem fundamentum iaciunt, quotquot cum Iudæorũ sacerdotibus lapidẽ illum pretiosum aut reprobant, aut alioqui negligunt, & extra Christũ nobis ea commonstrant, quæ ad salutẽ nostram faciunt. At quid aliud iã sæculis aliquot in Papatu factum est, vbi nihil tam ridiculũ & absurdũ excogitari potest, quod non inter ecclesiæ & salutis fundamenta numeretur? Etenim opus fuit, vt omnis generis materiã conquirerent ad regnũ suũ stabiliendũ, qui semel à Christo secessionẽ fecerant. Huc ergo magna cũ animorũ contentione congerunt Diuos & Diuorũ merita, Bullas pontificias, cucullas, rosaria, defunctorũ ossa et vestes, imagines, Missas, peregrinationes, cerea, suffitus, campanas, aquã benedictã, ignẽ lustralem, salẽ, oleũ, palmarũ ramos & sexcenta alia, in quibus homines superstitiosissimi salutis suæ fiduciã collocant. Et hæc quidem, quia ruinosa esse vident, nouis fulcris fulcire conantur, Conciliorũ scilicet decretis, Patrũ authoritate, Imperatorũ Regũq; edictis & longi temporis præscriptione. Sed omnia hæc Paulus vno verbo euertit, quando aliud fundamentum præter CHRISTVM IESVM poni posse negat.

Quid super fundamentum extrui debeat?

Videamus nunc alterũ, quod in ecclesiæ ædificio obseruandũ esse monet, Ne quid super fundamentũ hoc extruatur, quod illi minus conueniat. Quod vt rectius à nobis posset intelligi, veræ simul & fucatæ doctrinæ partes cõmemorat. Et illi quidẽ tribuit Aurũ, Argentũ, Lapides pretiosos vel gẽmas: quæ omnia nõ aliud quàm admonitiões, hortatiões, cõsolatiões, doctrinas deniq; ex Dei verbo desumptas significãt, et huic cõuenientẽ disciplinæ vel œconomiæ ecclesiasticæ rationẽ. Videtur enim ad Dauidis oracula alludere, qui eloquia Dei mũda & pura, adhæc argẽto atq; auro præstãtissimo nobilissimoq; pretiosiora dixit. Quicunq; ergo illis studẽt, neq; aliũde quicquã assuunt, ij ecclesiã Christo ædificãt, qualis apud Isaiã et in Apocalypsi describitur, cuius muri gẽmis, portæ et parietes auro radiant. Ex altera parte, quæ doctrinã alienã continet, ligna ponit, fœnũ & stipulã. Vbi obseruabis, nõ de illis agere nunc Apostolũ, quæ palàm impia & superstitiosa sunt, vel à Christo prorsus abducunt, sed de ijs, quæ Christo malè cohærent, & ad fidei veræ exercitiũ vel inutilia sunt & superuacanea, vel illud aliqua ex parte obscurant & remorantur. Inter quæ Paulus ipse alibi primũ locũ tribuit curiosis & inutilibus quæstionibus, quibus illo tempore multi studebant, vt eruditionẽ maiorẽ ostentarent. Et hodie inueniuntur, qui dũ scripturas interpretari volunt, passim scrupulos obijciunt, & ex ijs quoq; locis, qui per se plani sunt & faciles, quæstiones mirificas eliciũt, vt videri possint hoc vnũ agere, vt scripturarũ veritatẽ in dubiũ vocent, aut in ipsam lucẽ tenebras suas infestant. Qui oẽs non tã fœnũ & stipulã, quã spinas super Christũ congerunt. Proximi his erant, qui legẽ cũ Euangelio miscebant, & ita Christo superstruebant, quæ eius meritũ euacuant. Quorũ socij sunt hodie, qui operũ suorũ iustitiã cũ fidei iustitia coniungere conantur. His adde eos, qui Zelo quidẽ non malo, sed inconsulto & superstitioso, ritus & ceremonias ecclesiæ mutant, & vt Sacramentis aut doctrinæ authoritatẽ maiorẽ concilient, à veteri simplicitate recedunt. Quod etiã apud Corinthios factũ fuisse, suo loco videbimus: neq; nostro sæculo desunt, qui in ea re sibipsis ita indulgent, vt quotidie noui aliquid pariant, quo religionẽ Christianã ornari & in hominũ animis deuotionẽ maiorẽ excitari sibi persuadent. Sed & hic ornatus non aureus, sed stuppeus est, & plerunq; fit, vt huius splendore populus obstupescat, & ea minus curet, in quibus vera religio consistit. Istis adnumerari debent, qui ex bonis principijs falsum colligunt, & superstitionum occasiones præbent, quorum magnus etiam hodie numerus inuenitur. Sunt enim, qui cùm à Paulo dictum esse audiant: Bonum fuerit viro mulierem non attingere. Item, Qui cælebs est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino: At qui ducit vxorem, curat ea quæ sunt mundi, &c. mox in Virginitatis & cœlibatus commendationem digrediuntur, & hæc ita extollunt, vt coniugium tantumnon damnent, & multis voti pernitiosissimi authores sint, quo sese ad seruandam castitatem obstringunt. Qua in re olim Tertullianum & Hieronymum, viros alioqui de re Christiana bene meritos, turpiter errauisse, & suum fœnum atque stipulas supra fundamentum Christum ædificauisse legimus. Similis eorum error est, qui dum ieiunia in scripturis passim commendari vident, mox illis certos dies statuunt, vel etiam ad ciborum discrimina vsq; delabuntur. Quod ipsum in multis alijs fieri videmus. Deniq; ligna, fœnum, stipulam congerunt, quotquot Christum quidem salutis authorem & fundamentum esse profitentur, ea autem inter docendum admiscent, quæ vel

Psal. 12. & 19.

Isa. 60. Apoc. 21.

quæ vel minima ex parte ab eius institutis declinant, aut eius meritum aliquo modo obscurant. Hi plerunque ecclesiam constituunt, quæ in speciem præ alijs excellere videtur, sed durare non potest, si seuerius examen adhibeatur, vt paulò post audiemus. Non temere ergo doctores Paulus admonet, vt quámuis fundamentum rectè positum sit, curent tamen, ne super illud loco auri, gemmarum & argenti, ligna, fœnum & stipulam ædificent. Quo loco rursus docemur, quid de toto Papatu iudicari debeat. Nam vt Romani Pontifices à Christo, vnico salutis fundamento, iampridem recesserunt, & illum non nisi quoad nomen inane retinent: ita ecclesiam nobis extruxerunt, in qua siue doctrinam, siue œconomiam externam inspicies, nihil præter putrida ligna, fœnum & stipulam inuenies. Fateor quidem auro & argento omnia illic magnificè splendere, neque etiam nobilissimas gemmas in Pontificum tiaris desiderari. Sed non illud aurum & argentum Paulus requirit, cuius nullum in Dei cultu vsum esse alibi docuimus. In illos ergo verissimè olim Bonifacius V. dixit: Olim episcopi aurei vasis ligneis vtebantur, nunc episcopi lignei aurum in ecclesiam inuexerunt. Vtinam verò illi soli lignei essent, & non doctrinam quoq; nobis ligneam & vix stramineam inuexissent, cui cultum illum theatricum & stipulis inaniorem debemus. Et tamen isti se solos Apostolicos esse gloriantur.

Cæterùm quia Corinthiorum doctores vulgi applausus ita excæcauerat, vt sibi authoritatem & gloriam perpetuam pollicerentur, & proinde Pauli admonitionem facilè contemnerent, ad Dei tribunal eos citat, & tempus fore ostendit, quo vniuscuiusq; opus manifestum fiat. Dies enim (inquit) declarabit. Quasi diceret. Nunc quidem vestra hæc figmenta ignorantiæ communis tenebris, quasi atra nocte teguntur, & vobis pro vestro arbitrio omnia instituere licet, cùm censores quidem nullos, admiratores autem & assentatores plurimos habeatis, quos verborum ornatus & magnifica humanæ sapientiæ ostentatio non minus, quàm vos ambitio & inanis gloriæ cupiditas, excæcat: Sed nõ semper nox illa aut tenebræ durabunt: Orietur enim aliquando dies, & clarior emerget lux veritatis, quæ omnia in apertum protrahet. Et tunc quale cuiusq; opus sit reuelabitur. Neque reuelabitur modò, verumetiam per ignem probabitur, perinde vt aurum & argentum igne probari consueuerunt. Per ignem verò seuerius examen intelligit, quo Christum in purganda ecclesia & eius ministris corrigendis vti solere, olim Malachias prædixit: Subitò ad templum suum veniet Dominus, quem vos quæritis, & legatus fœderis quem vos desideratis. Ecce veniet, ait Dominus exercituum. Quis diem aduentus eius sustinebit? aut quis cùm apparuerit, consistet? Est enim veluti ignis excoquens, & vt herba fullonum. Et sedebit excoquens & repurgans argentum, & filios Leui emundabit, & conflabit eos vt aurum & argentum, &c. Quæ verba etsi de Iudæorũ sacerdotibus propriè dicantur, à quorũ sordibus Christus templũ semel & iterum repurgauit, & incurabiles malè perdidit, nihil tamen obstat, quo minus ea longius extendamus: quando constat, illum ecclesiæ suæ vindicem esse fidelem, quam falsis doctrinis & superstitionibus perpetuò obrui non sinit, etiam si illã ad tempus his obscurari & exerceri patiatur. Itaque generalem doctrinam atq; admonitionem hic locus continet, ne quem præsens felicitas & vulgi applausus inebrient, vt ex ijs sibi perpetuam impunitatem polliceatur. Possunt enim ad tempus homines falli, multi etiam terrore & metu contineri possunt, ne quod animo sentiunt palàm proferant. Sed ferè præter expectationem hominum lucem infert Deus, quæ occulta reuelat, & tunc eorum quoq; iudicia mutantur, qui prius nos supra cœlum euehebant. Exempla cùm politica tum ecclesiastica huius generis passim occurrunt. Deo igitur probari omnes studeant, quæ sola vera, stabilis & perpetua laus est.

Doctrinæ suũ examẽ habent.

Malach. 3.

Porrò si quæras quis nam ignis ille sit, quo examen illud Dei denotari diximus, illum non vna ratione hîc dici respondeo. Primùm igitur per ignem Dei verbum & Spiritus intelligi possunt, eò quòd ignis naturam referunt, cùm & animos hominum illustrent, & ignorantiæ tenebras discutiant, & mentes Dei amore accēdant, adhæc ea omnia deuorent & quasi in cineres redigant, quæ ardorem illum diuinum sustinere non possunt. Ideo carbone ignito Isaiæ labia tangebat Angelus, quando illum Deus ad docendi munus vocabat. Et Apostolis Spiritum sanctum in specie ignis datum fuisse legimus. Similiter in Apocalypsi dicitur ignis exire de ore testium Christi, quo deuorentur quicunq; illis nocere voluerint. Hoc igitur igne doctores & doctrinas Christus exami-

De quo igne Paulus loquatur.

nat, quando fidos verbi sui praecones excitat, qui Spiritus virtute armati, errores arguunt, superstitiones oppugnant, & veritatis lucem, quae sub traditionum & inutilium ceremoniarum tenebris aliquandiu delituit, rursus proferunt. Quod si fiat, mox apparet, quàm parum eum Dei voluntate & veteris ecclesiae puritate conueniant, quae superstitiosi & stulti homines prius admirati sunt. Itaq; etsi nulla maior vis accedit, corruit tamen totum illud aedificium, quod sub Christiani nominis praetextu inepti illi & parum fidi architecti construxerunt. Potest huc referri, quòd Antichristum spiritu oris Domini iugulandũ fore, Paulus alibi vaticinatur. Exemplis hîc minimè opus est, quando res ipsa loquitur. Vos appello, qui sub Papatu doctrinas hominum secuti estis, vosq; solos ecclesiã habere putauistis, quae Deo probetur. Vt primùm enim ignis ille verbi Dei accensus mentes vestras illuminauit, mox superstitiones fastidire & earum magistros odisse cepistis, quos prius solos sapere putabatis. Imò videmus ad hunc ignem paulatim in cineres subsidere totum illud Papisticum aedificium, nequicquam fulcra illi adhibentibus ijs, qui in mundo potentia & authoritate excellunt.

Deinde ignis nomine crucem & afflictiones intelligere possumus, quae perpetuae Euangelij comites sunt, & quibus fidem nostram perinde vt aurum igne probari Petrus scribit. Estq; hic ignis in examine doctrinarum efficacissimus. Nec enim illi resistere possunt, quaecunque ab Euangelij veritate vel latum vnguem dissident. Pollicentur quidem nobis magnificè salutem stabilem & inconcussam, qui suas stipulas & foenum cum Christi praedicatione commiscent: & qui hos audiunt atq; admirantur, se aduersus omnem fortunam egregiè munitos esse sibi persuadent. At vbi persecutionum venti & procellae exurgunt, & crux grauiori pondere periclitantium humeris incumbit, illico vt putrida ligna & stipulae in cineres & fauillas abeunt, quae paulò ante inuicta fidei fulcra videbantur. Possumus praeterea per ignem conscientiae examen intelligere, quod vt saepe aliâs, ita ferè sub mortis horam nobis Deus adhibet, & quo fides nostra peccatorũ admissorum & vitae anteactae recordatione vehementer tentari solet. Nã tunc quoq; sentiunt homines vanissima & stuppea planè esse salutis praesidia, quae prius aurea, argentea, vel etiam gemmea esse credebant. Exempla huius quoq; generis quotidie cernimus, quando multi iam morituri magna cum animi gratulatione erroribus liberantur, quibus diu ob vanam persuasionem detenti fuerunt. Nunquam ergo effugient doctores, quin cum sua doctrina examen Dei subeant, neq; semper ab ipsis pendebunt, quos iam sibi addictissimos habent. Quod vnum si diligentius omnes animo suo voluerent, haud dubiè in docendo & diligentiores & magis fidi essent.

1. Pet. 1. & 4.

Doctorum praemia & poenae.

At quia in his considerandis natura tardi sumus, pergit Paulus & quid vtrisq; sperandum sit, apertè docet. Si cuius opus maneat, quod superaedificauerit, mercedem accipiet: Si cuius opus exustum fuerit, damnum faciet, &c. Operis nomine doctrinam & eius effecta, adeòq; totam ecclesiae constitutionem atq; formam intelligit. Si illa (inquit) eiusmodi fuerit, vt ignem probationis sustinere queat, tunc doctor mercedem accipiet, id est, boni & fidelis architecti laudem ex suo labore reportabit, adeoq; ex eorum numero erit, quibus Dominus olim dicet: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredere in gaudium domini tui. Sin secus fiat, & alicuius opus in fumum euanescat, damnum faciet. Nam opus ipsum peribit, & prorsus collabentur quaecunq; praeter Dei verbum excogitata & instituta fuerunt, & idem illi eueniet, quod architecto, cuius aedificium subitò fathiscit & rimas agit, quando iam absolutum esse videbatur. Vt enim is non solùm laboris sui mercedem nullam refert, verumetiam damnum accipit, & in eius aere manet, cui operam suam locauit: Ita doctores quoque, qui non ab vno Dei verbo pendent, nullum ex suis laboribus fructum, sed potius iacturam non contemnendam faciunt. Quia vbi ecclesias abs se collectas turpiter dilabi, & nullos esse vident, qui in fide constantes perseuerent, fieri nequit, quin pudore suffundantur, & in conscientia quoque sua scrupulos sentiant, qui illos vehementer excrucient. Ne tamen spem salutis omnem talibus negare putetur, addit: Ipse verò seruabitur, ita tamen vt per ignem. Vbi semper meminisse oportet, de illis doctoribus hîc agi, qui etsi inutilia & aliena à simplicitate Euangelicae doctrinae doceant, fundamentum tamen salutis verum & vnicum, IESVM CHRISTVM, retinent, & non nisi per ignorantiam, aut Zelum immoderatum falluntur, vel etiam conscientiae scrupulis moti aliqua admiscent, quae Christo minus conueniunt.

Hi (inquit) sua quidem illa figmenta in nihilum redigi videbunt, ipsi verò in Christo seruabuntur, cùm eum nunquam omnino deseruerint. Sed tanquam per ignem, id est, vt qui ex incendio euadunt, ij aut nudi exiliunt, aut aliquo alio malo mulctantur: ita isti salutis quidem æternæ iacturam non facient, aliquod tamen discrimen subibunt, & non sine aliqua confusione discedent, qui præ alijs eminere voluerunt. Interim nemo ista ad eos extendat, qui relicto Christo doctrinas palàm impias & noxias spargunt, quibus infelices homines ad superstitiones manifestas & nefarios cultus abducunt. Quia enim extra Christum salus nulla habetur, ipsi quoque seruari non poterunt, nisi in vitam redeant: sed in illis locum habebit illud Christi: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadent in foueam.

Scio quosdã ex aduersarijs nostris locum hunc de igne Purgatorio exponere, sed tam ineptè id faciunt, vt responsionem non mereantur. Nec enim hìc de animarum lustratione sed doctrinis & ecclesiæ ædificio agitur: cuius examen in Purgatorium vsq; differri ridiculum foret. Quæ enim inde ad ecclesias & ad homines superstites vtilitas rediret, cum quid cum defunctis agatur, nos ignoremus? Sufficit tamen ad huius figmenti confutationem, quòd examen verbi Dei sustinere non potest. Nam Christum audimus loquentem: Amen amen dico vobis, qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, sed à morte transiuit in vitam. Et Ioannes clamat: Sanguis filij Dei nos emundat ab omni peccato. Taceo infinita alia huius generis, quæ si ad traditiones illorum de pœnis & lustrationibus Purgatorianis adhibeas, mox & illas & Purgatorium extingui & in fumum abire videbis. Vtinam verò ipsi diligentius cogitent, quàm grauis ratio aliquando Deo reddenda sit, cùm & Christum sui meriti gloria spolient, & sub religionis prætextu rude vulgus deprædentur. Sed de his alibi. Discant nunc omnes vnum IESVM CHRISTVM agnoscere, & super hunc ædificati ei seruiant in vera fide, sanctitate & dilectione non fucata. Ita fiet, vt examen verbi sustinere possint, & cum illo olim in cœlis viuent atq; regnabunt. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XV.

An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? Si quis templum Dei destruit, hunc destruet Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.

VT CHRISTVS IESVS, Dominus & Seruator noster, nos in ipso vnum esse cupit, neque alia re magis delectatur, quàm si vnanimi fidei consensu ipsi in spiritu & veritate seruiamus: Ita communis humani generis hostis, Satan, totus in hoc est, vt ecclesiam Christi in partes & sectas distrahat, & ab illius societate abstractos omni promissæ salutis hæreditate spoliet. Vtitur ad eam rem partim eorum ambitione, qui ecclesiæ docendo & prædicando seruire debebant: partim auditorũ simplicitate & ignorantia. Illos enim mouet, vt posthabita Dei gloria, vulgi applausum venentur, & non Christo, sed sibijpsis discipulos colligant: hos autẽ blandiloquentia & inanis sapientiæ ostentatione sic perstringit & excæcat, vt illos solos sapere putent, illos solos admirentur, ab illis solis pendeant, alios aũt omnes, qui eiusdẽ Christi ministri sunt, præ illis contemnant. Fiebat vtrumq; apud Corinthios, & ideo Paulus tam doctoribus quàm populo remedium adhibet. Et nuper quidem cum illis egit, quos sub architecturæ parabola diligenter & grauiter monuit, ne quod fundamentum alienum ponant, sed vni Christo constanter insistant: adhæc, vt contenti simplicitate euangelica, nihil illi admisceant, quod ei minus conueniat, aut illius merito vel minima ex parte deroget. Nunc ad auditores redit, quos similiter monet, ne vel ipsi in partes abeundo ecclesiæ vnitatem scindant, vel aliquibus locum dent, qui hanc scindere conantur. Vtq; res tota magis perspicua sit, pergit in parabola, quam nuper proposuit: & vt doctores architectos dixerat, ita nunc ecclesiam sub domus Dei aut templi typo describit.

Auditores monet, ne ecclesiã scindant aut destruant.

An nescitis (inquit) vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? &c. Orationem interrogatione figurat, vt magis penetret eorum animos, & proprio testimonio eos atrocißimi sceleris conuincat, qui hucusque nimiùm securi, de re leuicula agi putabant. Summa omniũ est: Deus vos suum templũ fecit, ideo vos etiam atq; etiã cauere debetis, ne templũ hoc destrui aut violari sinatis, sed dignitatem, in quam illius beneficio euecti estis, constanter tueamini. Rationem huius præcepti siue admonitionis subijcit: Nam templum Dei sanctum est. Sumitur hæc ratio à fine aut vsu proprio templorum, qui est, quòd Deo sacra & eius cultui destinata esse debent. Nam nisi talia sint, ne templa quidem esse poterunt. Argumentum ergo totum hac forma compræhendere poteris: Templa Dei sancta esse, neque vllis vsibus prophanis violari, multò minus destrui aut impiè euerti debent: At vos estis templum Dei: Curate ergo, ne ab hoc abalienemini, aut in sectas distracti corruatis. Et vt argumenti pondus sit grauius, Maiorem horribilis pœnæ comminatione confirmat, dicens: Si quis templum Dei destruit, hunc destruet Deus. Ipsos autem Dei templum esse probat, Quia Spiritus Dei in illis habitet. Id verò ex Christi ore sumit, qui spiritum suum credentibus pollicetur, vt iam sæpe diximus. At priusquam ea videamus, quæ ad Pauli institutum faciunt, duo nobis erunt obseruanda.

Spiritus S. diuinitas.

Primum asseritur hoc loco Spiritus Sancti diuinitas. Nec enim templum Dei erit alius, nisi is, in quo habitat Deus: Si autem Dei templum sunt ij, in quibus Spiritus Dei habitat: Spiritus iste Deus verus sit oportet. Vtitur huius loci authoritate D. Augustinus in libro contra Sermonem Arianorum, & ita argumentatur: Templa non alijs quàm vni Deo ædificari debent: At nos ipsi templum sumus Spiritus sancti: Ergo is Deus verus est, cui idem cultus cum Patre & Filio debetur. Verba Augustini sunt: Si aliquibus terræ molibus Spiritui sancto templum fabricaremus, quis dubitaret ei nos latria, id est, ista de qua nunc loquor, seruitute seruire? (Loquitur autem illic de cultu, qui soli Deo debetur, & quem creaturis impendere nefas est.) Quomodo ergo non ei seruitutem, quæ latria dicitur, exhibemus, cui templum non facimus, sed nos ipsi sumus? Et quomodo non ipse Deus noster est, de quo dicit Apostolus: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Et paulò post: Glorificate ergo Deum in corpore vestro? Corpora autem nostra templum in nobis dicit esse Spiritus sancti. Similia his sunt, quæ eodem libro cap. 20. leguntur: Si apertißimè legerent (de Arianis scribit) in sanctis scripturis, Solomonem regem lignis & lapidibus iussu Dei templum struxisse Spiritui Sancto, Deum esse Spiritum Sanctum dubitare non possent, cui tanta religionis seruitus, quæ latria dicitur, legitimè exhiberetur in populo Dei, vt illi etiã templũ fabricaretur: cùm Dominus dicat, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies (quod in Græco est λατρεύσεις.) Et eum negare Deum qui non ligna & lapides, sed membra Christi habet templum? Hæc recitare libuit, vt qui rudiores sunt videant, quæ veteris ecclesiæ & Patrum orthodoxorum sententia fuerit de Christianæ fidei principijs, quæ hodie à multis oppugnantur, qui veteres hæreses quasi ex inferis reuocant: & vt scripturæ testimonia obseruent, quibus tenebriones isti & impostores confutari possunt. Apparet præterea, quàm procul veteres Christiani à superstitionibus abfuerint, quæ posteris temporibus excreuerunt, quando Diuis cælitibus honores & cultus diuini instituti sunt, imò ijsdem templa & altaria extructa atque consecrata sunt. Nam si hoc licere olim credidissent, elumbe prorsus esset argumentum illud Augustini, quo fortißimè omnes iugulat, qui Spiritus Sancti Deitatem veram & æternam negare audebant. Sed non ea mens fuit veteris ecclesiæ, cuius filij non vt Diuis sacella aut templa extruerent curarunt, sed potius in eo toti fuerunt, vt ipsi viua Spiritus Sancti templa essent, in quibus glorificaretur Deus.

Vinculum communionis inter Deum & nos.

Alterum est, quod admonemur hoc loco, vt se nobis Deus communicet, & quod vinculum illud sit, quo illi cohæremus. Spiritus Sanctus nimirum, qui vt sua virtute nos in filios Dei regenerat: ita nos quoque totos Deo vendicat, vt huic vni viuamus, & in eodem cœlestis gloriæ efficiamur hæredes. Docet hoc ipsum Christus, quando discipulos ob suum discessum mœrentes consolaturus aduocatum pollicetur Spiritum sanctum, qui ipsius vices obeat, & eos regat atq;

gat atq; seruet, ne vnquam ab ipso rursus diuellantur. At hodie de corporis Christi reali præsentia & eiusdem orali (sic enim quidam illorum loquuntur) manducatione contenditur: quam si quis neget, mox ecclesiam Christi spoliare, & sanctissimum illud cōmunionis, quæ nobis cum Deo intercedit, vinculum abrumpere dicitur. At quod Paulus Corinthijs dicit, hoc ad omnes Christianos pertinere nemo sanus negauerit. An nescitis (inquit) vos esse templum Dei? Tales ergo agnouit, qui cum Deo communionem habeant, & qui bonorum omnium, quæ is nobis per Christum confert, adeoq; ipsius Christi participes sint. At quo argumento illud probat? An quòd Christi corpus in pyxide aut ædicula in eum vsum extructa asseruent? aut quòd illud in Cœna mystica essentialiter, realiter, corporaliter, sensualiter manibus contrectent, oraliter manducent & dentibus atterant? (sic enim Pontificum Canones loquuntur, quos illi probant) Nihil horum Paulus. Sed quòd Spiritus Dei in ipsis habitet. Sciebat enim hunc à Christo nobis promissum esse, & ex illo didicerat, expedire nobis vt ipse corpore è mundo discesserit, quia sic locum dederit Spiritui sancto, qui aliâs non erat venturus. Quod non ita accipi velim, quasi tam malè Christi corpori cum Spiritu sancto conueniat, vt vbi illud præsens est, hic subsistere aut manere non poßit: sed quòd ita æterno Dei decreto constitutum fuit, vt vberrima illa Spiritus dona tunc demum Filius inter homines distribueret, quando ipse in altum euectus, sua quoq; humanitate in cœlestibus (vt alibi Paulus loquitur) consedit. Ista ergo nobis sufficiant, neq; de corpore Christi è cœlis ad nos detrahendo soliciti simus, sed hoc potius agamus, vt ipsi animis per fidem supra cœlos euectis illum apprehendamus, & illius Spiritu armati vitam viuamus nostra profeßione dignam. His præmißis, accedamus ad eorum tractationem, quæ ad Pauli institutum faciunt.

Occurrit hîc primo loco consideranda Dei bonitas admirabilis & plus quàm paterna, qui in nobis sibi domicilium deligere & intra nos habitare dignatur. Est enim ille vis omnia penetrans, & (vt Propheta loquitur) ipse cœlum & terram implet. Imò Maiestas illa summa est, quam cœlis ipsis sublimiorem esse, Dauid testatur, & quam mirificus ille orbium cœlestium ornatus abunde prædicat. Et cùm ipsemet per Prophetam pronuntiet, Cœlum suum thronum, terram verò pedum suorum scabellum esse, facilè ex eo colligitur, quòd neq; domus aliqua ei per nos ædificari poßit, neque nostra opera ille opus habeat. At quæ eius bonitas est, eò vsq; demittit se, vt non solùm quæ in cœlo & terris sunt inspiciat, sed vt in nobis habitare velit, adeoq; ex nobis, qui quanti quanti sumus, mortales, miseri & quouis supplicio digni sumus, templum sibi facere dignetur. Magnificum videtur, si quem Rex aliquis potentißimus inter aulicos ministros adscribat, aut si ad ipsum diuertat eoq; familiarius vtatur. At quid illic fit, quod cordati & sapientes meritò admirari debeant? Nam & Rex homo est, atq; fortunæ casibus obnoxius: & ad hominem diuertit, qui ipsum aliquando vel consilio iuuare, vel etiam in vitæ discrimine seruare poterit. Imò si rem propius intueri libeat, magis hoc mirabimur, quenquam temporariæ & tot periculis obnoxiæ dignitatis fiducia ita efferri posse, vt eos fastidiat & contemnat, quos eiusdem secum naturæ consortes esse, negare non potest, nisi cum ratione insanire velit. Inter Deum autem & nos comparatio prorsus nulla est, neq; in nobis aliquid est, quo illum iuuare aut aliquo beneficio demereri poßimus. Est ergo hoc incomparabilis bonitatis argumentum, quòd non obiter modò ad nos diuertit Deus, verumetiam sedem & domicilium inter nos perpetuum sibi constituit. Quod quia carnis rationi absurdum videri potest, & nostri ingenij captum longè superat, iam inde ab exordio rerum nos de illo admoneri & innumeris promißionibus certos fieri voluit. Docet hoc prima promißio de semine mulieris, per quod serpentis caput conculcari, & nos ex eius tyrannide asseri oporteat. Quia enim Filium suum nostram carnem induere voluit, annón abunde testatus est, quòd nostro contubernio (vt sic loquar) velit vti? Idem de promißionibus Abrahamo & posteris eius factis dicere poßumus, quarum summa est: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Nec enim noster Deus esset, nisi se totum nobis exhiberet, & nobiscum esset perpetuò. In Lege autem per Mosem dixit: Ego ponam tabernaculum meum in medio vestri, & animus meus vos non fastidiet. Ego ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus. Apud Prophetas huius generis promißiones paßim occurrunt, quibus recitandis non totus dies sufficeret. Sufficiat nobis, quòd per Mosem taberna-

Dei bonitas, qui in nobis habitare dignatur.

Ierem. 23.
Psalm. 113.
Isa. 66.

Leuit. 26.

culum, postea verò per Solomonem templum extrui voluit, in quo arca fœderis, ignis cœlo demissus & tota illa sacrorum supellex asseruaretur: vt eo argumento constaret, ipsum inter homines sibi domum fecisse. Quòd si ad noui Testamenti libros accedas, ibi Christum dicentem audies: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Item: Ecce ego vobiscum sum vsq; in consummationem seculi. Quæ omnia vt ad singulos pertinent, qui in illum credunt: ita imprimis de tota credentium ecclesia debent exponi, quam Paulus in præsenti Templum Dei, in priori autem ad Timotheum domum Dei esse dicit. Et hæc illa Ecclesia est, quam in Symbolo profitemur, quam Catholicam, id est, vniuersalem & Sanctorum communionem dicimus, eò quòd ad eam omnes pertinent, qui credunt in vnum Deum, Patrem Filium & Spiritum sanctum, quiq; per fidem illam in Christo sanctificati sunt. Hæc item domus illa spiritualis est, quæ ex nobis tanquam viuis lapidibus (vt Petrus scribit) extruitur, & in qua nobiles illi & verè pretiosi thesauri repositi sunt, Remissio peccatorum nimirum, beatæ resurrectionis spes & vita æterna, quæ & ipsa in Symbolo nostræ religionis continentur.

Ioan. 14. Matth. 28. 1. Tim. 3. 1. Pet. 2.

Dignitas Christianorum. Commemoramus hæc eò diligentius, vt in ijs eximiam & planè incomparabilem dignitatem æstimare discamus, in quam nos Deus euexit. Nec enim nudus aut inops ad nos diuertit Deus, sed domum hanc suam donis varijs & præstantissimis exornat. Nam & peccata nostra remittit, & Filij sui Sapientiam, iustitiam & sanctitatem communicat: Spiritu item suo donat, qui omnis boni author est, & nos Dei amantes, veri rectiq; studiosos, temperantes, sobrios, in secundis modestos & humiles, in aduersis inuictos atq; constantes reddit. Et cùm ij, qui in Regum aulis vitam degunt, ornatu quidem & pompa magnifica strepant, interim verò aureis compedibus vincti (vt ille dicebat) seruitutem miserrimam seruiant: Christiani homines è contra mundo quidem miseri & infelices videntur, dum omnium iniurijs expositi sunt, at ijdem verè liberi sunt ex Christi beneficio, & excusso diabolicæ seruitutis iugo Deo in Spiritu & Veritate seruiunt: quæ seruitus cùm spontanea sit, etiam cum voluptate coniuncta est. Ideo Dauid ecclesiam sub reginæ persona describens, omnem eius gloriam internam esse dicit, vt quæ fide, spe, dilectione & omni virtutum genere in Dei conspectu splendeat, vtut mundo contemptissima videatur. Superat tamen hæc omnia, quòd quæ nunc Dei templum & Spiritus sancti domicilium in terris est, olim in cœlos transferetur, vt illic æternùm cum sponso suo regnet atq; gaudeat.

Psal. 45.

Officia hominis Christiani. Secundò nostri officij nos ista consideratio admonet. Est enim hic mos inter homines communis, apud omnes gentes receptus & seculorum omnium consuetudine confirmatus, vt vnicuique in sua domo ius sit & imperium. Si ergo nos Dei domus sumus, eum suo iure apud nos vti & nobis imperare patiamur. Idq; eò magis fieri debet, quòd non domus aliqua priuata aut vulgaris, sed templum Dei esse dicimur. Nam vt supra diximus, magna est & fuit semper templorum religio, vtpote quæ templa esse desinunt, si non vni Deo maneant consecrata. Christus certè cùm Hierosolymitanum templum à sordibus nundinatorum repurgasset, ita illud ab vsibus prophanis alienum esse voluit, vt ne vas quidem qualecunq; per illud deferre liceret. Quod cùm in eo templo obseruarit ille, quod non multò post vnà cum vrbe excindi & conflagrare debuit, quantò maior debet esse templi illius viui religio, quod Filij Dei sanguine consecrari oportuit, vt Spiritus sanctus in illo habitare posset? Quo loco duo imprimis obseruari debent. Alterum, vt templum Dei verum efficiamur atq; simus. Hic Christi regulam tenere oportet, quam supra commemorauimus, vt nimirum ipsum diligamus, & dilectionem hanc præceptorum eius obseruatione & sedulo obedientiæ studio testemur. Nam si quis diligit me (inquit) sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c. At quia de hoc sæpe dictum est, nolumus in eo explicando prolixiores esse. Alterum ergo obseruemus, quod est, ne templum istud Dei violari aut destrui patiamur. Nam vt non sufficit templum magnis impensis extruxisse, & religiosè consecrauisse, nisi & ædificium eius sartum tectum seruetur, & nullis vsibus prophanis polluatur: ita in nobis etiam vtrumq; fieri necesse est, ne de nobis perinde vt de Synagoga fornicatrice olim Deus conqueri possit: eoq; maiori cura & diligentia hic nobis opus est, quòd non vno modo Satan templo huic viuo Dei insidias struit, vt aut totum euertat, aut impiè prophanet.

Marc. 11.

Huius

Huius enim opus est, quòd aperti fidei hostes ferro & igne aduersus ecclesiam insurgunt, vt Christum ex sua possessione deijciant. Fuit horum magnus numerus semper, & hodie passim eorundem furor atq; crudelitas grassatur. Plus tamen nocent, qui falsam doctrinam inuehunt, & vt improbi lenones atq; lenæ solent, homines à Christo abducunt. Horum opera fit, vt loco Christi homines ambitiosi in ecclesia emineant, & per illos hæc in partes & sectas distracta, Dei templum esse desinat. Et de his imprimis Paulum in præsenti agere, totus epistolæ contextus docet. Neq; temere templi Dei violatores aut destructores illi dicuntur. Quia enim quotquot in Christum credunt, ecclesiam vnam & templum Dei vnum constituunt, imò vnũ corpus sunt sub capite CHRISTO IESV, ex quo vitæ spiritus in omnia membra deriuatur: certè neq; ecclesia neq; templum Dei amplius erunt, qui loco vnius Christi capita diuersa suspiciunt & in factiones sunt scissi. Quod vnum si rectè expendatur, mox constabit, quid de Romana ecclesia iudicari debeat. Quid enim illic reperias aliud, quàm prophanationem impiam & confusionem horribilem totius religionis, adeoq; omnium rerum, quæ in ecclesia seruari debebant? Nam etsi Christum in ore habeant, talem tamen fingunt, qui vicario Pontifice vtatur, ipse nimirum otiosus rerum, quæ aguntur, spectator. Et ne Pontifice quidem contenti, sub hoc quoq; diuersos monachorum ordines, fraternitates, sodalitia finxerunt, quæ singulos suos principes aut capita agnoscunt. Et hi omnes professione, vestitu, ritibus, & multi dogmatibus quoq; inter se differunt. Taceo sacrorum nundinationem, indulgentias, sacrificia noua, missas, simulachrorum cultũ, ignis purgatorij commenta, opera supererogationis & sexcenta alia, quæ omnia vt cum Euangelij doctrina palàm pugnant, ita meritum Christi euacuant. Desinant ergo illi nos ad sui Templi societatem reuocare, cuius neq; fundamentum vnum est, neque parietes inter se cohærent, & cuius tectum cum ipso fastigio ruinam iampridem minatur, quæ infelices Christi hostes & sui templi violatores malè perdet. Destruunt præterea & violant Dei templum, qui disciplinam ecclesiasticam conuellunt, & hac sublata peccandi licentiam publicam inuehunt. Per hos enim fit, vt qui singuli templum Spiritus sancti esse debebant, diaboli mancipia fiant, & ideo ex Dei templo omnis libidinis & nequitiæ prostibulum faciunt. Quàmuis ergo Paulus peculiariter de sectarum authoribus in præsenti loquatur, eadem tamen admonitio aduersus omnes illos seruire debet, qui templum illud Dei violant, & proinde cauendum est omnibus, qui Christiani dici & haberi volunt, ne talibus apud se locum dent aliquem. Qui nam templum Dei destruant?

Et hîc nos excitare debet postrema huius tractationis pars, qua pœnam grauem istis omnibus minatur, dicens: Si quis templum Dei destruit, hunc destruet Deus. Est hoc horrendum valde. Quem enim Deus perditum vult, quis seruabit? Aut quò nam fugient à facie Domini, quos hic persequitur, qui vbiq; præsens est, & creaturis omnibus pro suo arbitrio imperat? At non sine graui causa hanc tam duram sententiam Paulus pronuntiat. Constat enim omnibus seculis seuerissimè omnes eos punitos esse, qui externa Dei templa impiè prophanarunt. Tanti certè templum suum fecit Deus, vt illud à Dauide extrui noluerit, eò quòd is bella multa gessisset, & sanguinem multum effudisset. Postea verò eius excidium aduersus Chaldæos grauiter vltus est, & Babylonem vnà cum imperio suo toto excidit, eiusq; regem Baltazarem ab hostibus interfici voluit, cùm vasa templi, diu prius religiosè asseruata, in conuiuium luxuriosum iussisset inferri. Quid Alexandri successoribus, & imprimis Antiocho, acciderit, qui templum violauerat, notius est, quàm vt referri oporteat. Pompeius verò, cùm capta Hierosolyma in Sanctum sanctorum nefaria curiositate ingredi & prophano intuitu ea spectare ausus esset, quæ Deus abscondita voluit, mox vltricem illius manum sensit. Nam per quindecim annos varijs fortunæ vicibus per incerta consilia iactatus, & tandem bello ciuili implicitus, postremò in Ægypto, quasi in conspectu Hierosolymæ, ab eo rege occisus est, cuius patrem in regnum restituerat. Poterant hîc tristes quoq; Imperatorum aliorumq; tyrannorum exitus commemorari, qui Christianorum oratoria destruxerunt in nominis Christiani contumeliam. At si ædificij sacri prophanationem tanta seueritate Deus punit, quid obsecro merebuntur, qui viuum Dei templum violare audent? Et sunt hîc quoq; exempla plurima, quæ huic comminationi fidem faciant. Nam si veteris Testamenti historiam euoluas, nullum scelus in deserto atrocius punitum fuisse reperies, quàm Coritarum, qui ecclesiam sciderunt. Et Ierobeamum cum sua stirpe mox deletum esse legimus, quòd vt in regno, sic in cultu quoq; Dei scisma Pœna eorum, qui Dei templum destruũt.

fecisset. Posteris temporibus sciderunt Dei templum hæretici quoq́, inter quos primatum facilè Arius tenuit. Vt verò alij omnes nouis ferè iudiciorum Dei exemplis repressi sunt: ita Arij exitus non minus turpis & fœdus quàm exempli inexpectati nouitate horrendus fuit. Idem de disciplinæ ecclesiasticæ dissipatoribus & publicorum scandalorum authoribus dici potest: quibus iam olim Christus Væ illud horrendum denuntiauit. Et si damnatione æterna dignus est, qui vnum ex pusillis offendit, quos pro suis agnoscit Christus, quid de illis fiet, quorum consilijs & exemplo vniuersalis peccandi licentia inuehitur? Hæc vt vnitatis simul & sanctitatis studium nobis vehementer commendant: ita consolationem quoq́ dulcissimam continent, qua nos aduersus tyrannorum minas atq́ impios conatus armemus. Dissipant hi ecclesias & plus quàm gigantea audacia templum Dei destruunt. Ergo illos quoq́ destruit Deus, & cum infelici posteritate plerunq́ sic dissipat, vt nihil ex illis reliquum fiat, præter infamem & bonis omnibus abominabilem summæ eorum impietatis memoriam. Exempla sunt in veteribus historijs passim obuia, & nostro seculo multa vidimus, quæ satis docent, templum suum Deo curæ esse, neq́ vnquam impunè laturos esse, qui illi manus impias inferre audent. Ista ergo nos consolentur in periculis, & simul excitent, vt nostræ dignitatis memores eam sedulò tueamur, & Dei templum in nobis ipsis sanctum seruemus constanti fide in IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVI.

Nullus seipsum seducat. Si quis videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, vt fiat sapiens. Sapientia enim mundi huius, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Capit sapientes in versutia eorum. Et rursum: Dominus nouit cogitationes sapientum esse vanas. Itaq́ nullus glorietur in hominibus. Omnia nanq́ vestra sunt, siue Paulus siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia (inquam) vestra sunt, vos autem Christi: Christus verò Dei.

QVamuis Corinthij vitijs multis laborarent, & inter hæc grauissimum adeoq́ intolerabile erat, quòd in factiones scissi, concordiam & vnitatem Christianam fœdissimè turbarant, de eo tamen pro innata omnibus hominibus ingenij corruptione, leuiter admodum iudicabant, imò quasi re bene gesta singuli in sua factione superbiebant, earumq́ authoribus publicè gloriabantur. Ideo Paulus nuper tanti mali atrocitatem grauiter arguit, ostendens, eos templum Dei violare atq́ destruere, quo vix quicquam atrocius dici vel excogitari poterat. Adhæc horribile Dei iudicium ijsdem minatus est, qui ipse quoq́ tales malè perdere soleat. At quia non sufficit morbum indicauisse, nisi remedium eidem adhibeas, nunc consilium subijcit, quo docet, quid facere quidq́ cauere debeant, si pœnas iam sibi imminentes subterfugere velint. Partes loci huius tres sunt. Prima summam totius negotij proponit, & omnis mali huius fontem obturat. Secunda cõsilium suum rationibus & argumentis confirmat. Tertia hoc omne ad causam applicat, de qua agebatur.

Consilium Pauli.

Primam his verbis comprehendit: Nullus seipsum seducat: Si quis videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, vt fiat sapiens. Est hæc bipertita sententia, cuius prior pars quid cauendum sit, monet: altera, quid fieri debeat, docet. Alloquitur autem tam doctores Corinthiorum, quàm auditores, eò quòd vtrisq́ remedio siue consilio opus erat. Hi enim, vt ferè superbi & delicatuli solent, ne quid cum alijs ecclesijs cõmune habere viderentur, ostentatoribus delectabantur, qui ambitiosa sublimium mysteriorũ prædicatione animos leues pascebant. Illi verò cùm se in pretio esse viderent, se præ omnibus alijs sapere sibi persuadebãt, & neglecta euangelicæ doctrinæ simplicitate, quotidie noua quædam cõminiscebantur, vt maiorem indies eruditionis & sapientiæ existimationem sibi pararet. Vtrinq́ ergo inani persuasione peccabatur, quæ in alijs etiam rebus plurimum obesse & nocere solet: & ideo vtrosq́ monet Apostolus, vt ab illa sibi caueant, & ne sibijpsis nimium

tribuendo seipsos decipiant aut seducant, imò sese malè perdant, dum præ alijs volunt excellere.

Est hæc generalis admonitio, quam omnes sibijpsis accommodare debent. Nihil enim perniciosius confidentia, imò hæc ferè perditionis & exitij causa est præsentißima omnibus, qui eius spiritus admittunt. Ideo frequenter per illam diabolus eos tentat, quos diffidentia & incredulitate vinci non posse videt. Exemplum in Christo habemus perquàm memorabile: qui cùm diffidentiæ telum, quo hostis eum aggressus fuerat, fortißimè elusisset, mox super pinnas templi constitutum sollicitat Satan, vt inde se præcipitem det, & eo facto se Dei Filium esse palàm testetur. Et vt hoc ipsi persuadeat, promißiones ex scripturis adducit, nõ vt his illum fidere doceat, sed vt impia confidentia ebrius Deum tentet, & seipsum miserè perdat. Quod autem in eiusmodi casu conatur Satan, hoc ipsum in multis alijs accidere solet. In religione certè hæc præsentißima pestis est, quòd aut sui ingenij viribus freti homines de illa ex suo arbitrio statuunt, aut suæ authoritati tantum tribuunt, vt de illa leges ferant, quasi nimirum in ipsorum potestate sit Deo cultum, quem ipsi volunt, obtrudere. Offenderunt ad hunc lapidem Israëlitæ, quando contra expressum Dei mandatum, eius gloriam cum vituli aut bouis fœnum comedentis (vt Psalmi verbis vtar) imagine commutarũt. Iero boamum verò nimia suijpsius fiducia decepit, vt vnà cum regno summam quoq; religionis constituendæ potestatem ad se deuolutam putaret, & ideo Israëlitis suis idololatriæ author esset, quæ res tam ipsi quàm illis infelicißimè cessit. In vtroq; gentes etiam peccauisse constat. Nam qui inter has sapientia alijs præstare voluerunt, hi ipsam Dei maiestatem proprij ingenij acumine scrutari ausi sunt, id quod eos non solum stultißimos mortalium fecit, sed in errores horribiles adduxit, qui illis immanißimorum scelerum simul & exitij causa fuerunt, vt Paulus ad Romanos docet. Romani verò cum orbi terrarum imperarent, potentiæ tantæ fiducia inflati, in cœlos quoq; sibi ius & imperium vsurparunt, vt in Deos referrent pro suo arbitrio, quos ipsi tanto honore dignos iudicabant. Ita verò factum est, vt pro Dijs colerent homines nequißimos, scortatores, adulteros, incestos, sanguinarios, parricidas, Christum verò, æternum veri Dei Filium & vnicum humanæ salutis authorem, impiè reijcerent, eam imprimis ob causam, quòd Tyberius inconsulto Senatu illum pro Deo colendum esse censuisset, sicuti vetustißimus scriptor Tertullianus in suo Apologetico testatur. Et si ad nostra tempora accedamus, quæ alia superstitionum & idololatriæ iam vbique regnantis causa fingi potest, quàm quòd immani confidentia quidam eò vsq; efferuntur, vt in scripturas sacras & æternum Dei Verbum sibi censuram sumant, & in cœlitum numerum referant eos, quos sibi vtiles aliquando experti sunt. Hinc nouum illud Canonizandi artificiũ, de quo idem, quod de Romanorum audacia Tertullianus olim pronuntiauit, dicere possumus: Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Et homini iam Deus propitius esse debebit, ne rursus è cœlo deturbetur. At non minor in reliqua vita confidentiæ pestis est. Huic enim debetur, quòd multi maiora viribus tentant, & vt Milo ille Crotoniates, sibijpsis exitium accersunt, dum quiduis obuiũ per se confici posse sibi persuaserunt. Ex eodẽ fonte promanat, quòd alij de peccatis leuiter pronuntiant, & bonum malum, malum verò bonum dicunt, ideoq; pœnitere nescij in sceleribus pergunt, quòd se nunquam pœnas daturos esse sperant. Quia enim inter homines sua vel potentia vel authoritate eò vsq; progreßi sunt, vt impunè quiduis faciant, eadem impunitate se apud Deum quoq; fruituros arbitrantur. Et hæc ferè causa est, vt quasi sublato boni & mali discrimine, vitia virtutum nominibus pallientur, & è contra virtutes vitiorum titulis infames & exosæ fiant: quam reipub. pestem nocentißimam & rerum quotidie in peius ruentium certum indicium esse olim Cato ille intellexit, qui virtutis quidem & constantiæ suæ admiratores plurimos, paucos autem imitatores habuit. Adhæc admonitionum & correctionis impatientißimos reddit arrogantia: quia fieri non potest, vt aliquem æquo animo ferant, qui se sibijpsis ad omnia sufficere putant. Semper ergo in auribus & cordibus nostris sonet hoc Pauli dictum: Nullus seipsum seducat aut decipiat, &c.

Confidens persuasio cauenda

Psal. 106.

Cap. 5.

Quid verò facere debemus? Id altera huius admonitionis parte Apostolus sic docet: Si quis videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, id est, secundùm iudicium & rationem huius seculi, is stultus fiat, vt sit sapiens. Quæ verba non sic accipi debent, quasi nos quoad res huius seculi stultos rerumque inexpertos esse velit, aut vt prudentiæ omni, si quæ nobis ex Dei dono peculiari

Sapientia carnis cogenda sub obedientiã fidei.

& longo rerum vsu obtigit, in vniuersum renuntiemus. Sed quia de religione & salutis ratione sermo est, monet, ne in ijs quæ ad hanc spectant, nostræ sapientiæ iudicium audiamus, neque à nobisipsis, aut ab aliquo mortalium, sed ab vno Deo pendeamus, & (vt alibi loquitur) rationem, intellectum & sensum omnem sub Verbum Dei cogamus per fidei obedientiam. Qui hoc faciunt, ij mundi iudicio hominum stultissimi sunt. Nam neglectis illis, quæ ob oculos posita vident & quasi manibus suis tenent, ad futura aspirant: adhæc mundi huius amicitiam, fauorem, gloriam tantumnon pedibus calcant, in se autem quorumuis odia, inimicitias & infamiam recipiunt, vt & in hoc seculo Dei gloriam proueharit, & quam Christus nobis in cœlis acquisiuit, gloriam assequantur. Id verò extremam stultitiam, imò dementiam esse putant, qui nihil præter mundum sapiunt. Sed qui ita stultescunt mundi iudicio, ij reuera sapientissimi fiunt. Nam hac ratione ad Christum venitur, qui nobis à Deo sapientia factus est, & in quo (vt Cap. secundo vidimus) eam sapientiam nobis Pater reuelat, quam nemo sapientum huius seculi cognouit: & ijdem diaboli quantumuis astuti insidias & artes facilè eludunt, dum veram illam lucem sequuntur, quæ eos in tenebris aberrare non sinit. In Romana historia Iunius Brutus describitur, qui prudenti stultitiæ simulatione Tarquinij superbi insidias effugit, cùm is omnibus necē strueret, quos tyrannidi suæ obstare posse suspicabatur. Et in scholis iactatur versiculus ille, Stultitiā simulare loco sapientia summa est. At nulla hîc simulatione opus est. Verè & ex animo debemus mundi sapientiam excludere, vbi de æterna salute agitur, & quasi clausis oculis Deum sequi, quà ille nos ducit per Verbum suum, & ita verè seruabimur.

Oeconomia Dei admirabilis.

Venit autem hîc nobis obseruanda œconomia Dei admirabilis, qua ferè in omnibus suis operibus vtitur, & quæ à communi hominum more alienissima est, adeoq; cum sensu communi palàm pugnat. Vt enim immensam hanc mundi machinam ex nihilo, deinde verò ex luto vili hominem, creatorum omnium principem creauit (quod vtrumq; humanæ rationi absurdissimum est) ita ferè salutem nostram per ea prouehit & tuetur, quæ huic aduersa esse videri poterant. Nam thesauros regni sui nobis per Euangelium offert, & diuitias pollicetur, quæ omnem huius mundi æstimationem superant: vt verò his potiamur, pauperes spiritu nos fieri, & de nostris omnibus nos desperare iubet. Similiter victoriam de mundo & principe eius, adhæc gaudia æterna, vitam immortalem, gloriam immarcessibilem nobis promittit: Viam autem ad hæc nobis monstrat per crucem, lachrymas, mortem & infamiam. Ita sapientiam nobis prædicat per Euangelium: sed vt istud mundo, stultitia videtur, ita ad illam non peruenire nobis licet, nisi mundo stulti fiamus, & ea dediscamus, propter quæ nos ille admiratur. Ideo Paulus, cùm Legis & multorum aliorum cognitione æquales suos omnes longè post se reliquisset, omnia tamen illa pro stercoribus, imò pro rebus nocentissimis duxit, vt Christum lucrifaceret. Hîc ergo imprimis illud requiritur, quod in alijs artibus periti artifices obseruare solent. Qui cithara perperam ludunt, & chordas ineptè tangunt, nisi quod in vsu habuerunt dediscant, citharœdi boni nunquam fient. Ideo Timotheus quidam duplā mercedem ab illis exigebat, qui altero præceptore aut magistro prius vsi fuerant: quòd nimirum maiori cum labore dedisci videret ea, quæ malè didicimus, quàm vera & bona doceri soleant. Ita nisi in Dei & æternæ salutis cognitione totum illud ex animo eijciamus, quod ex nostra natura nobis adhæret, aut quod nostro studio aut industria nobis partū est, quodq; nobis & mundo magnificum putatur, & quo diu assueuimus, nihil vnquam proficiemus. Quæ causa est, quòd ad cœlestem hanc philosophiam ineptissimi mortalium sint, qui reliquis præstare videntur: & vt olim in Scribis & Pharisæis, gentium item philosophis plurimùm laborauerūt Christus & Apostoli: ita hodie plus negotij nobis exhibent, qui huius seculi sapientiam profitentur, quàm homines idiotæ & illiterati, quos sua simplicitas ad percipienda æternæ salutis mysteria magis idoneos reddit.

Phil. 3.

Sapientia mundi est stultitia apud Deum.

Cæterùm ne quid temere pronuntiauisse putetur Apostolus, hoc ipsum rationibus siue argumentis confirmat. Sapientia enim mundi huius (inquit) stultitia est apud Deum. Ex eo autem sequitur, non alios sapere Deo, quàm qui mundo stulti putantur. Rursus, si sapientia seculi huius apud Deum stultitia est, facilè apparet, illam non modò nihil nobis conferre ad regnum Dei & salutem æternam tendentibus, verumetiam nocere & impedimento esse. Sunt quidem (vt antea quoq; diximus) præclara Dei dona artes ingenuæ & rerum experientia cum sano iudicio coniuncta, ex quibus

quibus prudentia vera nascitur. Sed certis limitibus hæc omnia continentur, & vsum suum habet in rebus ad huius seculi vitam pertinentibus. Quoad verò regnum Dei & æternæ salutis mysteria, nihil vident aut norunt qui illis solis instructi sunt, imò talibus (vt iam sæpe dictum est) stultissima videntur ea, sine quibus salus nostra consistere non potest. Itaq; si quis in regni Dei cognitione arte aut sapientia humana proficere conatur, se his plurimùm impediri sentiet. Nam vt nebulæ oculorum aciem impediunt, quò minus quæ paulò longius distant, videre possint: ita humana ratio suis figmentis mentem nostram obscurat, vt ei dubia & incerta videantur, quæcunq; ad Dei & salutis notitiam faciunt. Imò plerunq; fit, vt hæc nobis nocentissima esse experiamur, eò quòd fidei vehementer obstant, quò minus ijs credamus, quæ Dei Verbo prædicantur. Et hunc inobedientiæ omnis fontem esse, Saulis atq; multorum aliorum exempla docent. Rectè ergo Paulus sapientiam huius mundi apud Deum stultitiam esse ait: sed & nobis extremæ stultitiæ causa est, dum quæ nostrum captum superant, ad nostræ rationis calculum reuocamus.

Id verò scripturæ sacræ testimonijs duobus nunc confirmat. Scriptum est enim, Capit sapientes in versutia ipsorum. Extat locus hic apud Iobum quinto Cap. & Eliphazi verba sunt, quibus vti voluit Apostolus, quia non sine Spiritus sancti suggestione dicta sunt, & præclarum sapientiæ Dei encomium continent, cuius hoc insigne argumentum est, quòd sapientissimos quosq; in ipsorum versutia, id est, proprijs quasi retibus aut laqueis capit & intricat: vt nimirum sibijpsis infamiam & exitium accersant, & præ alijs stultos se esse experiantur, dum omnium sapientissimi haberi volunt. Exempla huius generis passim in historijs habentur, inter quæ cumprimis memorabile est, quod de Achitophele scribitur. Et extant alia infinita, quæ docent, potentissima regna ferè eorũ consilijs perijsse, qui prius summam sapientiæ laudem sustinebant, & rempub. totam sua authoritate fulciebant. Isaias certè Babylonicæ Monarchiæ suum interitum denuntiaturus, subinde sapientes & & diuinos illis exprobrat, qui illum neq; nunc præuidere, neq; cùm præ foribus fuerit, auertere possint. Et vulgò iactatur, homines sapientissimos non leuiter errare, sed præ alijs maxima stultitiæ argumenta præbere: neminem item in propria causa satis esse prudentem aut prouidum. Quòd si hoc in externis fit, in quibus ciuilis prudentiæ magnus & necessarius vsus est, quid obsecro in religione & regno Dei fiat, vbi mens nostra nihil videre, nihil præsentire, nihil conijcere potest, nisi Spiritus virtute illuminetur? Enimuero, si Apostolorum tempora spectemus, constat Iudæorum Scribas atq; Sacerdotes non semel consilijs proprijs ita irretitos fuisse, vt quò se verteret, videre non possent. Quid? annon totum orbem terrarum, qui tunc philosophia & bonarum artium studijs quàm maximè florebat, per piscatores illiteratos Deus erudiri & reformari voluit, vt ea ratione mundi sapientiã confunderet, & de ea per suos illos seruos viles & obscuros triumpharet? His adde, quòd in proprijs consilijs Deus sapientes huius seculi tunc quoq; capit, quando Veritatis doctrinam & Christi regnum impedire conantur, & certam de illo sibijpsis victoriam persuadent. Typus huius rei euidentissimus olim in Balako & Balaamo præcessit. Postea hoc ipsum non semel accidit, quando Iudæorum Seniores & Scribæ insidiosis quæstionibus Christum aggressi sunt, vt nulla effugij via patère videretur, nihil autem inde reportarũt quàm publicam infamiam, & quòd ipsimet Christo summæ sapientiæ laudem detulerunt.

Deus capit sapientes in versutia ipsorum. Iob. 5.

Alterum testimonium ex Psalmo 94. producit Apostolus. Queritur illic Propheta de immani impiorum tyrannorum audacia & crudelitate, qui populum Dei atterant, viduas & aduenas occidant, & pupillos interficiant, idq; impunitatis spe, quòd Deum ista non videre neq; intelligere dicant. His verò ad hunc modum respondet: Intelligite stupidi in populo, & ô stulti quando tandem sapietis? Is qui aurem creauit, quomodo non audiret? qui oculum finxit, quomodo non videret? Qui gentes corripit, quiq; homines scientiam docet, is non argueret? Nouit Dominus cogitationes hominum, quòd vanæ sint. Quasi diceret: Tam abest, vt quæ vos palàm facitis Deus ignoret, vt ne cogitationes quidem hominum ipsum latere possint. Nam has quoq; videt & nouit, vtpote qui corda & renes scrutatur: neq; obiter modò videt, sed vanas & irritas esse videt, id quod vos tandem magno vestro malo experiemini. Est ergo hæc insignis sententia, vt quæ sola sufficit ad deprimendas humanæ confidentiæ cristas. Nec enim de verbis temere elapsis, aut de cogitationibus, quæ nobis quasi aliud agentibus leuiter obrepunt, loquitur propheta, sed περὶ τῶν διαλογισμῶν, id est,

Locus Psal. 94

de cogitationibus, vel potius consultationibus, quas de rebus magnis homines instituunt, & intra animos suos diligenter versant atq; deliberant: quod Paulus obseruans hominum loco, de quibus propheta loquitur, sapientes posuit. Et has vanas esse dicit. Atqui vanum dicitur nō vna ratione. Nam vanum est, quod aliâs inane aut vacuum dicimus. Deinde id quoq;, quod suo effectu caret, neq; ad finem suum pertingit. Adhæc, quod corruptioni obnoxium citò transit, aut perit: quo sensu totam hanc mundi machinam Paulus vanitati obnoxiam esse scribit. Porrò sensus isti omnes hominum cogitationibus & deliberationibus optimè conueniunt. Vanissimæ enim sunt, quia nihil solidi & veri continent, & rarissimè finem suum assequuntur, deniq; quasi in fumum abeunt & euanescunt, quando impij nihil non facturi videbantur. Et vanitatis huius causam rectè dixeris, quòd vt homo natura vanus est, sic Dei fræno regitur, qui illo etiam inuito consilia & conatus omnes pro suo arbitrio dirigit. Ideo Solomon dicebat: Homo proponit, Deus disponit. At Paulus ista ad suum institutum transfert, vt doceat nihil tribuendum esse nostræ sapientiæ aut industriæ, sed hanc omnem Dei verbo atq; Spiritus magisterio subijci debere.

Rom. 8.

Vsus huius loci multiplex.

Interim in alijs quoque multiplex sententiæ huius vsus est. Primò enim terret nos, ne vanis, malis, impuris aut illicitis cogitationibus indulgeamus. Puderet nos earum procul dubio, si eas homines viderent aut nossent. At quantò magis nos cauere decet, ne quid cogitemus, cuius nos apud Deum pudeat, quem nihil eorum celari potest, quæ facimus? Moueat præterea, quòd vanæ sunt & noxiæ. Nam aut finem suum non attingunt, & proinde inani labore nos fatigamus: aut si attingant, sceleris alicuius nobis causa sunt, & ita miseros atque infelices reddunt. Deinde multis molestijs & curis nos liberabit diligens & assidua huius sententiæ consideratio. Nam qui se nihil proficere sentiunt, ij positis & procul relictis curis huius seculi, se totos Dei prouidentiæ committunt, cui flores agri & auiculas cœli curæ esse norūt. Et sanè cur seipsum curis inutilibus exerceat, qui cogitat, se ne latum quidem digitum corporis suæ staturæ adijcere, aut capillos suos albos vel nigros facere posse? Postremò consolationem efficacissimam suggerit, qua nos aduersus impiorum hostium fidei & ecclesiæ consilia atq; minaces conatus confirmemus. Videt enim hos quoq; ex alto Dominus, & iampridem decreuit, vt ferreo Christi sceptro comminuantur, qui saluifico Euangelij pedo gubernari & defendi nolunt. Sed & in priuatis angustijs atq; periculis vehementer nos consolatur, si Deum nostras cogitationes, gemitus, suspiria nouisse credamus, quæ sæpe in nullius hominis sinum audemus deponere. Vides ergo quantum momenti ad veram huius vitæ felicitatem conferre possit vnica hæc sententia, si non oscitanter à nobis consideretur.

Nemo in quoquam hominū glorietur.

Sed ad Paulum redeamus, qui hæc omnia ad suum institutum applicat, dicens: Itaque nullus glorietur in hominibus: vt nimirum aliquem eorum pro fidei & salutis suæ authore agnoscat, & proinde ab eo denominari velit. Id verò prohibet, vt vni Christo omnem hanc gloriā deberi doceat, qui nobis à Patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est. Rationem verò sui dicti affert: Omnia nanq; vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, &c. Argumentū his verbis subest eiusmodi: Stultè & absurdè faciunt, qui seruis suis ita gloriantur, vt hos tanquam heros suos obseruent, seq; illis subijciant: At quotquot Euangelium vobis prædicant, ij vestri serui sunt, siue is ego Paulus sim, siue Apollos, siue Cephas: Ergo stultè & præter decorū facitis, quòd hic quidem huius, ille alterius nomine gloriatur, & propter illos in factiones scindimini. Prudenter autem cùm superbis illis ostentatoribus cristas humiliare velit, seipsum primo loco nominat, & rursus Apollo atq; Cepham siue Petrum sibi sociat, quos eodem secum animo præditos esse sciebat, ne quid ex inuidia & priuatæ gloriæ studio aduersus illos alteros dicere putetur. Est autem argumentū hoc satis euidens, & à fine ministerij ecclesiastici desumptū. Constat enim causam finalem efficienti & omnibus intermedijs præstantiorē esse. Atqui ministri propter ecclesias à Deo ordinati sunt, vt has colligant, regant, seruent: non autem ecclesiæ vocantur, vt sint, in quas illi imperium aut dominium exerceant. Ergo doctores quidem ecclesiarum serui & ministri sunt, non autē his seruiliter & cum Christi cōtemptu subesse debēt, qui ecclesia vera censeri volunt. Et conuenit cū hoc loco, quod alibi dicit Paulus, potestatē doctoribus datam esse ad ædificationem, nō autē ad destructionē. Imprimis autem huc facit, quod Petrus in sua epist. sic scribit: Presbyteros qui inter vos sunt, precor qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionū Christi, atq; idē gloriæ patefaciēdæ cōsors. Pascite gregē, qui penes vos est,

1. Pet. 5.

est, curam illius agentes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrũ, sed prompto animo: neq; vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis: Et cùm apparuerit ille pastorũ princeps, reportabitis immarcessibilem illã gloriæ coronam. Quid in hisce Petri verbis habetur, quod dominandi cupiditatem spiret? Tales certè describit qui in ecclesia præsunt, vt eminentiã illam omnem in ministerio consistere doceat, & ecclesiam singulaq; eius membra κλήρους, id est, sortẽ & hæreditatem dicit, Christi nimirũ, cui à Patre dictum fuit: Postula à me, daboq; gentes, vt sint hæreditas tua, &c. Ita verò ostendit, nõ tam in ecclesiam, quàm in ipsum Christum iniurios esse eos, qui in illam sibi dominiũ vendicant. Sufficiunt hæc confutandis Pontificibus, qui nobis nescio quod Petri patrimonium finxerunt, & eo prætextu ius & imperium in ecclesia omne ad se rapiunt, proq; suo arbitrio nouos fidei articulos condunt, cultus nouos instituunt, & de singulorum salute aut exitio dispensant. At quid huius vnquam Apostoli fecerũt? Vestri sunt (inquit) Paulus, Apollos, Cephas: ne ergo his tanquã dominatoribus fidei vestræ gloriemini. At nostri illi apostolici, omnes impiè damnant, quicunq; in ipsorum verba iurare nolunt, & Romanæ sedis maioritatem (vt illi loquuntur) aut supereminentiam agnoscere dedignantur. Notus est enim Bonifacij octaui Canon de Maioritate & obedientia, quem his verbis cõcludit. Porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.

At quia satis nota est horum impudentia, nos illis omissis in Pauli verbis progrediamur, qui vt argumentũ, quod proposuit plus ponderis habeat, non contentus dixisse: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas: insuper addit: Siue mũdus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia (inquam) vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei. Sunt hæc per Comparationem maioris ad minus adiecta, & sensus est: Cùm ita Deus res instituerit, vt quæ in toto mundo præstantissima sunt, ad Ecclesiæ suæ ministerium atq; defensionem destinarit, adeò vt huic vita, mors, præsentia & futura seruire debeant, illã verò nullius alterius, quã Filij sui IESV CHRISTI esse velit, cui hanc instar sponsæ iam inde ab æterno elegit: quantò magis ecclesiæ ministri, non domini, censeri debent, qui peculiari vocatione Dei ad hoc destinati sunt, vt sponsam hanc (sicuti Baptista de semetipso fatetur) Christo adducant? Vt verò illos Christi, ita hunc Dei esse dicit, vt de eius officio nos admoneat. Nam à Patre is ordinatus est, vt forma serui assumpta inter illũ & nos Mediatorem ageret, & nos ipsi reconciliatos eius peculiũ faceret. Vnde rursus apparet, quàm iniqui sint & ingrati tantæ gratiæ æstimatores, qui hominum discipulos sese faciunt, cùm ipse Dei Filius ideo in mundum venerit, vt nos Patri suo adduceret, & ab hoc vno pendere doceret. Quia enim ille vnicus & solus inter Deum & nos Mediator est, hunc vnum caput & magistrum nostrũ agnoscamus oportet, siquidem cũ Deo cõmunionem habere volumus, in qua omnis nostra salus consistit. Ita verò docet Paulus, factionibus & sectis non solùm ecclesiæ vnitatem scindi, verumetiam à Christo nos diuelli, imò ipsi Deo Patri iniuriam fieri, & proinde salutis iacturam facere eos omnes, qui illis student, vt homines in Christi locum euehant.

Omnia ad ecclesiæ ministerium destinata sunt.

Ioan. 3.

Continet autem locus hic præclaram doctrinam de hominis Christiani dignitate, quæ simul incomparabilem Dei bonitatem nobis mirificè commendat. Magnum videri poterat, quòd hominem creauit Deus, qui nisi ab eo crearetur, nunquam in rerum natura futurus erat. At maius multò est, quòd mundum totum illius seruitio destinauit, & in hoc omnes mundi partes occupatas esse vult. Nec enim temere mundum nostrum esse dicit Paulus. Nobis enim cœli pluuias & rorem destillant, nobis Sol oritur & occidit, nobis Luna fulget, nobis sydera lucent, nobis circumfusus aër omnia seruat & recreat, nobis perennes aquarum fontes scaturiunt, nobis fluuij decurrunt & terram irrigant, nobis hæc ex suo penu fruges & quæcunq; ad nostrum victum pertinent depromit, nobis ignis suo calore & natiuo lumine seruit, ad nostrum deniq; obsequium veniunt iumenta, feræ, pisces, volucres, & quæcunq; alia immensus hic orbis continet. Imò propter nos mundus hic seruatur, vt in eo Ecclesia domicilium habeat, donec dies ille fatalis illuxerit, quo terris hisce in nihilum redactis, illa tota in cælos transferatur, vt cùm sponso suo æternùm gaudeat. At quid minuta hæc commemoro? nostro ministerio intenti sunt cælestes illi spiritus, quos Angelos scriptura dicit, eò quòd propter nos emittantur à Domino, vt in nostram gratiam sua munera obeant. Et ne hîc quidem quieuit Dei bonitas, sed cùm miseris nobis & mortem æternam meritis Filio suo opus esse

Dignitas Christianorum.

videret, vt huius merito redimeremur, hunc quoq; nobis negare noluit. Venit ergo ille in mundum hunc, imò in egestatem, famem, sitim & lachrymarum vallem venit, vt nobis seruiret: seruiuit autem nobis non solùm docendo & miraculosis operibus, verumetiam morte sua, quam pro nobis diram & infamem sustinuit, vt nos quoq; Dei filios & regni sui æterni cohæredes faceret. Quin huic debemus, quòd vitam quoq; & mortem, præsentia & futura Paulus nostra esse ait. Vt enim Christo viuimus, idq; in nostrum bonum: ita eidem morimur, & mors nobis ad vitam eius beneficio transitus facta est. Similiter, vt præsentibus libere vtimur, eò quòd vsum eorum ille nobis sanctificauit: sic futura quoque bona iam spe certa & infallibili possidemus, & quò minus illis olim gaudeamus, nemo obstare poterit. Prodest in horum consideratione crebrò versari. Habent enim consolationem dulcissimam, & fidem nostram mirificè confirmant, ne de Dei auxilio vnquam desperemus. Arguunt præterea mundi ingratitudinem, qui ecclesiam Christi hostiliter persequitur, cui vni debet quicquid bonorum ex Dei manu quotidie accipit. Etenim cùm propter suos cultores terram ille conseruet, nulli tamen in ea difficilius locum inueniunt, nulli item mundo magis inuisi sunt. Rursus officij nostri nos ista admonent, vt magni faciamus fratres nostros, quos tantæ nobiscum dignitatis consortes Deus fecit. Imprimis autem nos hæc consideratio excitare debet, vt cùm omnia nostra sint, nos autem Christi simus, huic vni nos totos consecremus, huic viuamus & moriamur, qui pro nobis mortuus & ex morte resuscitatus est, vt viuentibus atq; mortuis dominetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT IIII.

HOMILIA XVII.

Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, vt quis fidelis reperiatur.

MVLTIS & grauiter hucusque Paulus aduersus eos egit, qui ministris ecclesiæ nimiùm addicti, eò vsque illos euehebant, vt pro fidei & salutis suæ authoribus agnoscerent, & Christo tantumnon postposito ab illis denominari vellent. Erat hæc causa grauissimorum malorum: quia & doctrinæ Euangelicæ simplicitas paulatim euanescebat, & ecclesiæ vnitas scindebatur, cùm in partes & sectas diuersas distraherentur. Docuit ergo Apostolus, illos omnes propter ecclesiam esse institutos, cuius caput & Dominus sit vnus IESVS CHRISTVS, qui nos sui sanguinis pretio redemptos suum peculium fecerit: ideoque omnem gloriam illi vni transcribi debere. At poterant ista à nonnullis sic accipi, quasi ministros simul & ministerium ecclesiæ deprimeret & omnibus contemnendum siue conculcandum propinaret. Quapropter omissa contentione nunc de re ipsa apertius disserit. Et quia vtrinque periculum est, siue contemnantur ministri, siue plus quàm par est illis tribuatur, ita rem tractat, vt inter duo hæc præcipitia viam mediam nobis monstret, quæ nos errare non sinet. Paucis enim verbis tria comprehendit. Primùm in genere docet, quo loco haberi debeant, qui in Ecclesia docent. Deinde horum officium definit, & in quo hoc versetur indicat. Postremò monet, quid potissimùm ab illis requiratur, quidq; imprimis spectare debeant.

Quo loco doctores haberi debeant? Num. 12. De primo his verbis disserit: Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi. Ministros autem vocat doctores pro veteri more scripturarum, in quibus passim Ministri aut serui dicũtur ij, quorum opera Deus vtitur. Sic ipse Mosem compellat, quando eius authoritatem aduersus Aaronẽ & Mariam tueri voluit. Et eundem hac vita defunctum isto potissimùm elogio Spiritus sanctus in principio libri Iosuæ commendat. Sacerdotes quoq; & Leuitas hoc titulo ornari videmus, quẽ Isaias de Christo & bonis eius, quæ is ecclesiæ suæ confert, vaticinans, Christianis omnibus cõmunem facit, Isa. 62. dicens: Vos autẽ Sacerdotes Domini vocabimini, & Ministri Dei nostri dicetur vobis. Nec multum ab

tam ab illo dissimile est, quòd Prophetæ olim viri Dei dicti fuerunt, vt qui Dei ministerio toti erant consecrati. Christus autem, quoties Apostolos de regno terreno & primatu contendentes reprimere voluit, semper suæ illos cōditionis admonet, quòd nimirum ad ministrandum destinati sint, & proinde eum alijs præstantiorem fore, qui plus alijs ministrauerit. Et Paulus frequenter in epistolarum inscriptionibus se atq; collegas suos IESV CHRISTI seruos dicere consueuit. Vnde colligimus hoc nomen omnibus ijs etiam deberi, qui iam illorum partes in Ecclesia obeunt. Et rectè ita dicuntur: Quia vt olim Sacerdotes, cùm Christi typum gererent, medij stabant inter Deum & populum: sic isti inter Christum & ecclesiam quasi locum medium tenent, & vtriq; seruiunt. Christi enim ministri sunt, eò quòd is illorum ministerio & opera vtitur in colligenda & seruanda ecclesia, vt ad Ephes. 4. cap. pluribus docetur. Rursus huius etiam ministri sunt, quia hāc Christo, ceu sponsam, adducunt, seq; totos illi impendunt. Vt ergo paranymphus tam sponso quàm sponsæ officiū præstat, dum hanc illi cōiungit: ita qui Euangelium prædicant, Christo simul & ecclesiæ seruiunt: quia verò officium hoc omne potissimum Christo impenditur, à quo vocationem quoq; suam habent, ferè huius ministri dicuntur.

Est autem vtilissima huius nominis aut tituli cōsideratio. Primò enim ambitionem doctorum reprimit, quod factu imprimis necessarium est. Vt enim omnes naturali & ex primis parentibus in nos deriuato gloriæ desiderio flagramus: ita facilè hoc in flammas surgit, si nos præ alijs eminere contingat. Et quàmuis in quouis vitæ genere ambitio multorum malorum causa sit, eadem tamen in ecclesiæ ministerio nocentissima est: quia contentiones gignit, & sectas atq; partium studia inuehit, quibus ecclesiæ vnitas atq; forma propria omnino dissipatur. Deinde ad asserendam illorū authoritatem plurimùm facit Ministrorū titulus. Quia enim IESV CHRISTI ministri sunt, non poterunt à quoquam contemni, quin quæ ipsis irrogatur ignominia in ipsum Christū redundet. Eius enim vox est: Qui vos audit, me audit: qui verò vos reijcit, me reijcit: qui autem me reijcit, reijcit eum qui misit me. Simul ergo titulus hic consolationem dulcissimā habet, qua Euangelij præcones sese aduersus iniqua impiorum iudicia munire possunt. Nec enim dubium est, quin in sua vocatione sedulò seruientes Christus tueatur. Itaq; cum Paulo aduersus contumaces magno animo insurgere & dicere possunt: An experimentum quæritis loquentis in nobis Christi? Præterea officij sui hoc titulo admonentur doctores. Nam si Christi serui sunt, non suas res, sed illius negotiū agere debent. Nec enim sui iuris est seruus, nec quisquam alius, qui suam operam alteri locauit. Ergo illi quoq; vnum Christum respicere, huius mandata obseruare, & vt huic omnes obtemperent curare debent: imprimis autem cauendum erit, ne quid ex suo arbitrio faciant, quod illius voluntati minus cōueniat. Docet item Serui aut Ministri vocabulum, ne sibijpsis vel in totam ecclesiam, vel in suos conseruos ius aut imperium vendicent. Et hoc maximè Christus obseruauit, quādo de primatu (vt paulò ante diximus) contendentes monuit, vt mutuis officijs se inuicem præuenire studeant. Grauiter autem de hoc Petrus in sua epistola disserit, cuius verba nuper adduximus. Itaq; Christo subesse discant, quicunq; in ecclesia docēdi munus sustinent: & hāc illius sponsam esse meminerint, cui non modò suas curas, labores, vigilias, verumetiam vitam & sanguinem debeant. Viderunt hoc Apostoli, quibus hæc summa & præcipua cura fuit, vt quàm plurimos Christo adducerent, & eos qui huic nomen dederant, in fidei puritate retinerent. Paulus certè de Corinthijs in posteriori epistola scribens, zelum Dei, quo is erga nos ardet, in se transferens ait: Ambio vos Dei zelotypia: præparaui enim vos, quos vni viro pro virgine pura sisterem, nempe Christo. Vt ergo qui alterius nomine procum agit, si fidelis sit, nullū officium subterfugit, quo virginem amico suo demereri se posse putat: Ita ministrorū ecclesiæ est omnem laborem subire, quo ecclesiam iuuari & promoueri posse arbitrantur, vt Christi sponsa maneat intemerata. At quæ nostri seculi infelicitas est, hodie passim peccatur. Nam qui Romanæ sedis prærogatiua, quam iactant, turgidi, se Apostolicos esse dicunt, ij quidem Serui seruorum dici volunt, at ijdem superbia intolerabili in omnes ecclesias simul atq; episcopos sibi ius atq; imperium sumunt. Quos enim pro officijs sibi factis aliquo præmio remunerare volunt, eos episcopos & ecclesiarum pastores creant, homines plerunq; ineptos, indoctos & ferè etiā moribus turpissimis infames: simul verò eosdem in sua verba iurare cogunt, & ita tam his quàm ecclesijs passim dominantur. Quòd si ad nostros transeas, multos quidem est videre, qui ecclesiæ mi-

Ministri vocabulum de multis admonet.

Luc. 10.

2. Cor. 13.

2. Cor. 11.

nisterium ambiunt, sed qui ministros Christi agant non ita multos inuenies. Plerosq; enim aut stipendij amplissimi cupido, aut otij ignaui spes allicit, vt munus hoc suscipiant. At vbi istud semel obtinuerunt, iam in docendo segnes & frigidi, in hortando ignaui, in consolando nimiùm desidiosi sunt: & aut Mammonæ seruiunt, deq; opibus colligendis cogitãt, aut Bacchi mystas agunt, & alijs studijs à suo munere alienissimis occupati, ecclesiam & huius curam nihil ad se pertinere putant. At omnibus hisce vitijs medebimur, si Ministri titulus nobis semper ob oculos versetur.

Definitio ministrorum ecclesiæ.

At quia ministeriorum & seruitiorum non vnum genus est, apertius definit Paulus, quales ministri sint qui in Ecclesia Euangelium prædicant: Oeconomi nimirum & dispensatores mysteriorum Dei. Quo loco ad parabolam, qua Christus vtitur, alludit. Is enim cùm de nouissimorũ temporum moribus atq; periculis disseruisset, tandem de ecclesiarum pastoribus aut ministris loquitur ad hunc modum: Quis nam est fidelis dispensator ac prudens, quem constituet Dominus super familitium suum, vt in tempore det demensum aut alimẽtum? Sumitur autem parabola hæc ex ipsa ecclesiæ conditione, quam Dei domum dici, alibi quoq; docuimus. Vt enim paterfamiliâs domum habet, in qua habitat, ad quam item suos colligit, & in qua opes suas recondit: Ita Deus inter homines sibi domicilium deligit, ad cuius contubernium aut societatem omnes suos vocat, quos ante iacta mundi huius fundamenta in Christo elegit, vt illic suæ gratiæ diuitias illis communicet. Est domus hæc Ecclesia, quam in Symbolo Apostolico profitemur Sanctorum omnium communionem esse, & cui ibidem testamur præparatam esse remissionem peccatorum, resurrectionem carnis huius gloriosam & vitam æternam. Comprehenduntur his omnes diuinæ gratiæ thesauri, inter homines autem dispensantur per Euangelij prædicationem: & ideo qui hanc administrant, mysteriorum Dei dispensatores à Paulo dicuntur.

Matth. 24. Luc. 12.

Euangeliũ mysteria Dei continet.

Quod ergo Christus suæ familiæ demensum aut alimentum siue cibum vocat, hoc Apostolus mysterium Dei dicit. At omnibus istis non aliud quàm Euangelium significatur, quo mysterium illud Dei nobis reuelatur, quod à temporibus æternis tacitum fuit (vt vlt. Cap. ad Rom. scribitur) nunc autem ex imperio æterni Dei manifestum fieri debet apud omnes gentes, vt ad fidei obedientiam adducantur, & in Christo salui fiant. Imprimis autem huc referri debet, quod ad Ephes. cap. 3. sic scribit: Audiuistis dispensationẽ gratiæ Dei, quæ data est mihi inter vos: Quòd scilicet Deus per reuelationem notum mihi fecerit mysterium: quod alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, vt tunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per Spiritum: Gentes scilicet esse hæredes, & concorpores consortesq; promissionis eius in Christo per Euangelium, &c. Itaq; mysteria Dei, quorum hìc meminit, non alia sunt, quàm quæ per Euangelium nobis prædicantur: eadem verò familiæ Christi demensum aut cibus seu alimentum sunt, quia IESVM CHRISTVM nobis offerunt, panem illum vitæ, qui per fidem apprehensus animas nostras satiat, recreat, confortat, totum deniq; hominem seruat ad vitam æternam. Ita seipsum ille exponit, Ioan. 6. cap. dicens: Ego sum panis ille viuus, qui è cælo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Et rursus: Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, nõ sitiet vnquam. Idem ergo Christus & panis & fons aquæ viuæ est, & solus ad hominem alendum atq; seruandũ sufficit. Hunc ergo ministri prædicare, & quæ nobis meruit bona per Euangelium omnibus offerre debent: & quia per illum nobis suam sapientiam Deus communicat, imò illum nobis sapientiam, iustitiã, sanctificationem atq; redemptionem fecit, meritò ipsius Dei mysteria dispensare dicuntur, quicunq; illum syncerè & verè prædicant. At Euangelij doctrinæ Sacramenta, ceu appendices, annexa esse scimus, quibus & promissiones suas Deus obsignat, & nos ad obedientiam ipsi præstandam obstringit. Illa ergo doctrinæ coniungi debent, vt ministerium omni ex parte absolutum sit. Scio Pontificios doctores per mysteria hæc sacrificium corporis & sanguinis Christi intelligere, quæ illi in Missa pro viuis & defunctis immolari fabulantur. Sed nihil huius Apostoli vnquam docuerunt, & Christus illos non ad sacrificandum, sed ad prædicandum misit. Missifices verò isti seipsos produnt, dum istud docent. Si enim corpus & sanguis Christi mysteria illa sunt, quæ toti ecclesiæ dispensari debent, cur ipsi ex illis epulum priuatum faciunt? cur non quoties Missam faciunt, cum tota ecclesia communicant? cur huic poculum sanguinis Christi subducunt? Sunt igitur hæc commenta non minus impia quàm inepta.

Nos potius videamus, quàm magnificè Euangelium & eius prædicationem Paulus commendet, quando per hanc mysteria Dei dispensari dicit. Nec id temere dici putemus. Continetur enim illo tota Christi doctrina, qui se discipulis omnia ea manifestauisse testatur, quæcunq; à Patre acceperit. Et alibi clamat: Doctrina mea non est mea, sed Patris qui misit me. Vnde colligimus, Euangelij doctrinam perfectam esse, & omnia ea continere, quæ ad regnum Dei nobis cognitu necessaria sunt. Neminem ergo eorum clamores moueant, qui nobis hodie Patres & Concilia obtrudunt, & quæ in his decreta sunt non minus fidei mereri aiunt, quàm quæ Euangelio traduntur. At quia de his sæpe diximus, nunc obseruemus, eos diuinæ sapientiæ & gratiæ contemptores esse, qui Euangelij prædicationem fastidiunt. Simul etiam curiositatem nostram frænare debet, quòd in illo mysteria tradi audimus. Nam vt in cap. 2. audiuimus, est hæc sapientia illa Dei, quæ omnem humani ingenij captum superat. Quid ergo mirum, si aliqua non primo statim intuitu intelligamus? Soletur nos potius, quòd ea ratione diligentiam nostram Deus excitare solet, & quòd idem fidei oculis quasi coràm spectanda exhibet, quæ nullo hominum acumine inuestigari possunt. Et quàmuis non omnia omnibus pateant, tantum tamen ex suis illis mysterijs Deus cuiq; reuelat, quantum ad salutem obtinendam potest sufficere.

Euangelij doctrina perfecta est. Ioan. 15. & 7.

Cæterùm ne qui nudo titulo contenti, otiosa & inani dignitate superbirent, plus quiddam exigi docet Apostolus. Quod superest (inquit) illud requiritur in dispensatoribus, vt quis fidelis reperiatur. Christus in sua parabola cum fide prudentiam coniungit, Paulus vtrumq; vno verbo complectitur: Quia qui fidus est, is in commisso sibi munere prouidus quoq; & circumspectus, nullam huius rectè obeundi occasionem negliget. In præsenti verò æmulos suos perstringit Paulus, qui in hoc vnum intenti erant, vt ipsi eminerent, ea autem facilè negligebant, quibus Christi gloria & ecclesiæ salus poterat promoueri. At multa compræhendit fides ista, quam in œconomo aut dispensatore ecclesiastico requirit. Primùm, ne quæ Domini sunt, ipse alienet & sibi vendicet. Id enim improbi dispensatores faciunt, quos dissipatores & fures rectius dixeris. Curet ergo minister, vt Christo suum in ecclesia ius integrum maneat, vt hunc omnes vnicum salutis suæ authorem agnoscant, & ne vel suos vel aliorum hominum seruos faciat eos, quos Christus sui sanguinis pretio sibi acquisiuit. Fuerunt in hoc Apostoli admodum diligentes, qui ne boni quidem Zeli prætextu eorum simplicitate abusi sunt vnquam, quos sibi plus æquo tribuere videbant. De Ioanne enim & Petro scribitur, quòd cùm ob paralyticum miraculosè sanatum omnes in illos intenti essent, illi hinc dicendi occasione arrepta concionem his verbis exorsi sint: Viri Israelitæ, quid miramini super hoc? aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi nostra virtute aut pietate effecerimus, vt hic ambularet? Deus ille Abrahami, Isaaci & Iacobi, Deus (inquam) patrum nostrorum, glorificauit Filium suum IESVM, &c. Simile quid Paulum & Barnabam apud Lystrenses fecisse legimus. Et postulat hoc imprimis ministerij ecclesiastici finis atq; scopus, quem esse diximus, vt ecclesia Christo sponso suo pura & intemerata virgo coniungatur. Si qui ergo honorem, qui Christo debetur, vel in se vel in alios transferunt, ij lenones potius sacrilegi, quàm fideles CHRISTI IESV paranymphi dici merentur. Quod vtinam expenderent, qui nobis Diuos eiusmodi fingunt, qui hodie inuocari & diuinis honoribus coli velint.

A ministris requiritur, vt fideles sint.

1. Minister, ne sibi vendicet, quæ sunt Domini.

Actor. 3.

Actor. 14.

Deinde fidelis erit noster hic dispensator, si nihil tradat ecclesiæ, quàm quod à Domino ipse accepit, vtq; fideliter ea omnia tradat, neque eorum aliquid cælet. Admonet de hoc Christus, quando discipulis dicit: Docete eos seruare, quæcunq; tradidi vobis. Et Ieremiæ olim dicebat Dominus: Ad omnia, ad quæ te mittam, ibis: & quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ecce ego posui verba mea in os tuum, &c. Quibus consentit, quod postea Ezechieli fuit dictum: Audies verbum ex ore meo, & disertè monebis eos ex me. Et huius quoq; obseruantissimi fuerunt, quotquot in suo ministerio commendantur. Moses certè cum Deo colloquebatur, & quæ ex illo audiebat, bona fide ad totum populum referebat, & ideo hoc testimonio ornatus fuit à Deo, quòd in tota domo eius fidelis fuerit. De prophetis nõ opus est dicere, cùm ipse rerũ euentus de illorũ fide testetur. Et Apostolos ab ijs, quæ ex Christo didicerant, ne latum vngnem discessisse constat. Paulus certè in

2. Tradat, quod accepit à Domino. Matth. 28. Ierem. 1. Ezech. 3. Num. 12.

casibus dubijs inter sua consilia & expressa Dei mandata diligenter distinguit, ne vel temerarius vel malè fidus in doctrina sua deprehendatur. Et cùm Cœnam Domini mysticam Corinthij turpiter prophanauissent, eos ad primam institutionem reuocat, nihil autem ex suo capite præscribit. Hæc igitur exempla tam in doctrina quàm in Sacramentorū administratione ministri omnes imitentur, & ita Christo simul atq; ecclesiæ eius fideles erunt. Peccant igitur, qui noua dogmata ecclesijs obtrudunt, quæ nulla Christi aut Scripturarum authoritate probari possunt. Quid enim paleæ cum tritico? inquit Ieremias. Et notum est illud Isaiæ, quod Christus suo testimonio confirmauit: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Peccant item, qui Sacramentorum ritus mutant, aut cultus nouos instituunt, qui ad Dei quidem gloriam nihil faciunt, multorum verò conscientias grauant. Parum etiam fidi sunt, qui vt apud homines bonam gratiam ineant, ad multa conniuent, multa dissimulant, vel etiam læta omnia pollicentur ijs, quos scelerum redargutione, & seueris pœnarum comminationibus terreri oportebat. Tales olim erant Achabi prophetæ, quos ipse in pretio habebat, & qui ipsi crudelis exitij authores fuerunt. Tales etiam fuerunt, qui Ieremiæ restiterunt, & infelicem populum falsis pollicitationibus detinuerunt, quò minus resipisceret. Et tales fore prædixit Paulus, qui nouissimis temporibus conciones suas eorum libidini accommodant, quorum aures pruritum blandiloquentiæ desiderant. Dicuntur hi omnes apud Isaiam canes muti, & eo titulo perfidiæ eos arguit Spiritus sanctus. Vt enim canis infidus est, qui offa obiecta, aut etiam baculo vel minis mouetur, vt furi in ædes heri sui ingressū tutū permittat: ita plus quàm perfidi sunt, qui cùm Christi & ecclesiæ eius ministri videri velint, tamen honorū, amicitiarū & lucri illecebris, aut minis atq; periculi alicuius metu adducuntur, vt eos perire sinant, quorum salutem ipsorum fidei Deus commendauit. Quod vtinam attentius obseruarent, qui hodie de quorundam ministrorum seueritate & nimio rigore (vt ipsorum verbis vtar) conqueruntur, & (vt olim Isaiæ temporibus nonnulli solebant) fidis Christi seruis dicere audent: Ne contemplemini nobis plana, loquimini nobis blanda, contemplamini illusiones, recedite à via, declinate à semita, facite quiescere à facie nostra Sanctum Israelis. Audiuntur huius generis multa hodie: sed qui ita loquuntur & sentiunt, eorum similes sunt, qui cùm morbis totum corpus fœdè depascentibus laborent, medico tamen præscribunt, ne aliqua acriori medēdi ratione vtatur, quæ sola malo indies serpenti obstare poterat.

Ierem.23.
Isa.29.
Matth.15.
1.Reg.22.
2. Tim.4.
Isa.56.
Isa.30.

Postremò, tunc demum Christi minister & œconomus verè fidelem sese præbebit, si omnia sua ad finem & scopum proprium ministerij dirigat. Est is gloria Christi & salus ecclesiæ. Quæ duo etsi diuersa videantur; reuera tamen vnum sunt: quia neq; Christus suam gloriam obtinebit, neq; ecclesia cum suis membris salua erit, nisi ille solus emineat, & sub hoc omnes in vnum corpus coalescant. Hîc ergo inuigilent ministri, ne doctrinis nouis locum dent, quibus suus Christo honor eripitur, & ecclesia in sectas diuersas scinditur. Non ergo vniuersalis quædam cura hîc sufficiet, sed singulos obseruare & inspicere necesse erit, ne qui exorbitent, aut lupis præda fiant. Quia enim toti familiæ suæ dispensatorem istū Christus præfecit, & idem totius gregis pastor est, nunquam fidus erit Christo, si quē sua incuria perire sinat. Hîc ergo ipsius Christi exemplū imitari oportet, qui ouiculam vnam ex centum amissam per montes & valles quærere satagit, & qui iam moriturus dicere potuit: Pater, quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditionis, vt Scriptura compleretur. Vt ergo neminem generis nobilitas, opes, honores aut quæcunq; alia sunt huius generis tuentur, quò minus verbo Dei & disciplinæ ecclesiasticæ subijci debeat, siquidem Christianus haberi & salutis in Christo particeps fieri velit: ita minister neminem negligere debet, siue is diues aut pauper, nobilis aut ignobilis, doctus aut indoctus, iuuenis aut senex, rusticus, nauta, opifex, vel etiam mendicus fuerit. Nam qualiscunq; sit, qui in ecclesia agit, Christi membrum, frater aut soror est: & proinde absq; Christi iniuria negligi non poterit.

3. Finis ministerij.
Luc.15.
Ioan.17.

At hîc imprimis prudentia opus est, vt (quod Dominus monuit) ἐν καιρῷ, id est, suo & opportuno tempore omnia agat minister: quod tunc fiet, si & personarum & locorum rationem habeat diligentem. Vt enim cibo quidem omnes ali & seruari oportet, sed non vnum cibi genus omnibus seruit: ita verbo Dei, quod vnum & idem est, omnes homines erudiri & institui necesse est, non tamen eadem docendi ratio omnibus conuenit, sed rudes & rerum imperitos docere, negligentes monere, cunctatores hortari, contumaces corripere, timidos & desperabundos consolari, deniq; cibum

Ministri cū fide prudentiā coniungant.
2.Tim.2.

niq; cibum illum (vt alibi Paulus monet) ita secare oportet, vt omnium institutioni, consolationi & ædificationi seruiat. Et huc maximè referri debet grauis illa Apostoli admonitio, qua Timotheum, & sub eius persona omnes ecclesiarum ministros excitat, dicens: Obtestor ego coram Deo & Domino IESV CHRISTO, qui iudicaturus est viuos & mortuos in illustri illo suo aduentu & regno suo: Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè, argue, obiurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Plurimum vero hîc proderit, si nunquam non cogitet minister, quanti suam ecclesiam & singula eius membra Christus faciat, & quòd olim rationem ipsi omnes reddituri sint: quod non vno loco ipse docet, imprimis autem in dispensatoris parabola, vbi sic loquitur: Beatus seruus ille, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Tardat dominus meus venire: cœperitq; verberare conseruos, quin etiã edere & bibere cum ebrijs: Veniet dominus serui illius in die, quo non expectat, & hora qua non nouit, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium. Sunt hæc auditu dura, multoq; duriora, si ab eo dici cogitemus, qui ipse iudex ille venturus est, deq; cuius fide dubitari nõ potest, & qui olim Ezechieli quoq; dixit: Sanguinem eorum, qui pereunt, de manu tua requiram. Sed vtinam in istorum meditatione frequentes hodie essent, qui ecclesiarum ministri, vel etiam antistites dici volunt. Sentirent procul dubio, tantũ esse hoc onus, vt nemo huic sufficiat, nisi quem suo spiritu & gratia Deus adiuuerit, & quòd hominem totum requirat, vt non possit alijs rebus vacare, quisquis in eo bona fide versari volet. Si enim, vt Paulus ait, nemo qui militat, implicatur vitæ negotijs, multò minus hoc facere debent, qui ad militiã illam spiritualẽ à Christo delecti sunt, in qua cũ diabolo bellũ geritur, aduersus cuius insidias ministri seipsos & ecclesiã tueri debent. At quàm parũ ista aliquos moueant, res ipsa loquitur. Episcopi certè circa huius sæculi res occupati, principũ more dominantur, equorũ & stipatorũ apparatu superbiunt, bella gerunt, venantur, epulantur: à docendi aũt munere ita abhorrent, vt grauẽ sibi iniuriã fieri arbitrentur, si quis ipsos ecclesiæ curã suscipere iubeat. Inter nostros aũt quàm plurimos inuenias, qui vel opibus colligendis intenti sunt, vel pocula sectãtur, aut quibuscunq; potius studijs vacant, quã ijs, quæ ad munus ecclesiasticũ necessaria sunt: vt interim de illis nihil dicã, qui vt mundo placeant, ad omnia conniuent, imò eorũ quoq; amicitiã sectãtur, quos CHRISTI IESV & ecclesiæ eius hostes iuratos esse norunt. Sunt hi mercenarij illi, de quibus dicitur, quòd viso lupo fugiant, & vtinã nõ ipsi lupis nocentiores essent, quando & negligentia sua & malo exemplo ecclesias fœdè dissipant. Sentient omnes isti aliquãdo Christi iudicis manũ, qui ecclesiæ suæ nunquam deest, quò minus huic factam iniuriam dignis supplicijs vlciscatur.

2. Tim. 4.

2. Tim. 2.

Magistratibus eadem doctrina seruit.

Video me in horum tractatione prolixiorem fuisse, sed vt fieret argumenti magnitudo postulauit. Et condonabitis mihi fratres, si huius doctrinæ vsum ad alios etiam extendero, quibus illa non minus seruit, quàm illis, quibus ecclesiæ cura commissa est. Nam eadem etiam illorum ratio est, qui rempub. administrant, et in magistratu constituti sunt. Sũt hi quoq; ministri Dei, & sic eos alibi vocat Apostolus. Et ex eo omnis eorum authoritas atq; gloria dependet. Ideo antiquitus ijdem & reges & sacerdotes erant, vt in Melchizedecho cernitur, & in Amo suo Vergilius annotauit, quẽ regem hominum & Phœbi sacerdotem fuisse scribit. Deinde ijdem dispensatores quoq; dici possunt: quia ipsis credita sunt Dei iudicia. Ergo ab illis etiam fides requiritur, ne à Deo latas leges priuata temeritate mutent, ne iudiciorum Dei loco sua placita proferant: vt item iustè iudicent, nullo personarum respectu ducantur, neminem negligant, & (quod in Psal. 72. annotatur) pretiosum ducant sanguinẽ subditorum suorum. Finem verò sibi propositum habeant, Dei gloriam & populi salutẽ: ad quem tunc demum pertingent, si religionem veram tueantur, doctrinæ puritatẽ seruari curent, impostores procul arceant, impios & blasphemos puniant, raptores, vsurarios & quoscunq; alios in ordinem redigant, quos ex aliorum incommodis suum commodum quærere vident.

Diuites.

Priuatim quoq; doctrinam hanc ad se transferant, qui diuitijs abundant. Curent vt Dei, non Mammonæ, ministri sint. Cogitent item se ex Dei liberalitate habere quicquid habent, neq; in illis aliquid esse, quod vel propriũ dicere, aut cuius possessionẽ perpetuã sibi polliceri possint. Omnia enim Dei sunt, at Meum & tuum (vt Chrysostomus monuit) vocabula sunt inania, quæ hominum cupiditas & auaritia excogitauit. Meminerint ergo diuites, se quoq; à Deo bonorum dispensatores

esse constitutos, & tales ab ipso Christo dici. Quapropter non sibi solis ea vsurpent, neque ad luxum & libidinem ijs abutantur, quæ vt necessitati nostræ seruiant à Deo dari solent. Deinde non ægre ferant, si eadem vel eripiat Deus, aut ex illis aliorum necessitati subuenire iubeat. Potest enim ille de suo statuere pro suo arbitrio, imò vel inuitis omnia eripere potest, neque tamen quisquam de iniuria sibi facta potest conqueri. Nostræ autem saluti ille consulit, dum monet, vt liberalitatem spontaneam in egenos exerceamus, & pro illa nobis præmia amplissima pollicetur. Nulla igitur opum possessio tutior & stabilior, nullus earundem vsus quæstuosior est, quàm si creditæ nobis despensationis memores, quàm plurimis subuenire, & ipsi Christo in suis membris laboranti opem ferre studeamus. Ita enim neq; abutemur ijs, quæ Dominus dedit: neq; aduersus eum murmurabimus, si quod dedit iterum eripiat, sed cum Iobo dicemus: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. In horum ergo consideratione assidui simus, imprimis autem Dei bonitatem nobis subinde ob oculos ponamus, qui non contentus nobis bonorum temporariorum dispensationem credidisse, cœlestia quoque & æterna communicat, & horum dispensatores dat Euangelij præcones. Discant ergo isti fideles esse in suo munere, eosdem verò alij pro ministris IESV CHRISTI agnoscant, & huius verbum sedulò audiant, vt cum eodem olim in cœlis viuant & regnent: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVIII.

Mihi verò pro minimo est, quòd à vobis dijudicer, aut ab humano die: imò nec meipsum dijudico. Nullius enim rei mihi conscius sum, sed nõ per hoc iustificatus sum: sed qui me dijudicat, Dominus est. Proinde ne ante tempus quicquam iudicate vsq; dum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc laus erit vnicuiq; à Deo.

VT de verbi Dei doctrina rectè iudicare non possunt, qui per Spiritum Christi nondum illuminati sunt: ita ijdem de administris quoque verbi perperam & iniquè pronuntiant. Nam aut stolida admiratione abrepti aliquos altius quàm par est euehunt, & tantumnon pro Dijs habent: aut prophana temeritate alios ita contemnunt, vt nullum illis in ecclesia & eius ministerio locum relinquant. Fiebat vtrumq; apud Corinthios, qui vanissimos ardeliones propter magnificum humanæ eloquentiæ apparatum & inanem sublimioris sapientiæ ostentationem in summo pretio habebant, è contra verò Paulum & alios germanos IESV CHRISTI Apostolos propter rude dicendi genus & simplicem atque synceram solius Christi prædicationem pro indoctis & ineptis nimiùm aspernabantur. Ideo diligenter hucusque docuit Paulus, quo loco ministri ecclesiæ habendi sint, & quid illis tribui, quid non tribui debeat. At cùm non ignoraret, plerosque illorum de se pessimè iudicare, & proinde hanc admonitionem illos pro ludibrio habituros esse, nunc vt suam authoritatem apud meliores tueatur, à peruersis illis & iniquis iudicibus ad Dei tribunal prouocat. Quo exemplo admonemur, quid facere debeant, quotquot sese iniquis hominum iudicijs premi sentiunt.

Paulus à Corinthijs ad Deum prouocat.

Propositionem huius loci his verbis comprehendit: Mihi pro minimo est, quòd à vobis dijudicer, aut ab humano die. Diem pro iudicio ponit, Romanorum more, apud quos frequens erat locutio, vt dies diceretur ijs, qui ad tribunal citabantur. Et credibile est, eiusmodi locutiones apud alios quoque in vsu fuisse, qui illorum imperio & legibus parebant. Humanum autem diem vocat iudicium, in quo non ex verbi Dei præscripto, sed ex hominum arbitrio iudicatur, qui vel prauis affectibus abrepti, vel ignorantia & causidicorum fallacijs decepti à recto & æquo aberrant. Opponitur ergo humanus dies diei Domini, cuius multa fit mentio in sacris literis, quoties hunc de hominibus certò iudicaturum & de impijs pœnas dignas sumpturum esse docent. Itaque verborum Apostoli sensus est: Scio quid de me plerique vestrûm sentiant, quibus contemptui sum, eò quòd

rò quòd nullo splendore magnifico aut fastu me ostentem, neque doctrinam meam verborum inanium phaleris commendabilem reddã. Epistolæ (inquiunt) graues sunt & vehementes, sed præsentia corporis infirma, & sermo nihili. Sed & Apostolatum meum in dubium vocare audent, quòd vltimus ad hunc vocatus, neque (vt reliqui) cùm Christo adhuc in terris agente versatus sim. Et huius generis infinita congerunt, quibus non tam me quàm doctrinam meam contemptibilem aut suspectam faciant. At non mouent ista me, qui neque vestrum, neque vllius hominis iudicium tanti facio, vt propter id animo frangar, aut mihi ab officio discedendum esse putem. Nam mihi satis superq́ est, si Dei iudicio prober, qui vt me filij sui Apostolum esse voluit, meque ad hoc munus ab vtero matris meæ segregauit: ita peculiari mandato iussit, vt vobis quoque prædicarem. Est hoc magnæ fiduciæ & fortitudinis verè apostolicæ argumentum, quo simul Corinthiorum arrogantiam corripit, & æmulorum suorum vanitatem perstringit, qui toti ab hominum iudicio pendebant, de diuino autem nihil aut parum erant soliciti. 2.Cor.10.

Veruntamen quærat aliquis, cur per Corinthios de se & doctrina sua iudicium fieri noluerit Paulus, cùm in hac ipsa epistola scribat, ecclesiam de doctoribus suis & ijs quæ ab illis proponuntur, iudicare debere. Et alibi, Omnia probate (inquit) quod bonum est tenete. Similiter Ioannes quoq́ spiritus probare iubet, num ex Deo sint. Quæ omnia Christus sua authoritate confirmat, quando ouibus suis spiritum discretionis tribuit, quo inter ipsius & mercenarij aut falsi pastoris vocem discernere possint. Neq́ contemni debere ecclesiæ iudicium, ex eo constat, quòd Christus suã præsentiam illis pollicetur, qui in suo nomine conueniunt, & eum pro Ethnico & prophano haberi iubet, qui ecclesiã audire dedignatur. Cæterùm hic meminisse oportet, Corinthiorũ plerosq́ inuidia & cæca æmulatione eò vsq́ iam progressos fuisse, vt amplius non possent de Paulo & eius doctrina iudicare. Nam vt sæpe iam diximus, ostentatores illos ita admirabantur, vt propter eos in sectas scinderentur, & Christi nomine tantum non abiecto, ab illis denominari vellent. Adde quòd & Paulum suo præiudicio iam pridem damnauerant, & synceram Euangelij prædicationem fastidiebant, adeò vt crux Christi iam illis sorderet præ humanæ sapientiæ saliua, quam ex pseudoapostolorum doctrina imbiberant. Non poterat ergo Paulus seipsum & doctrinam suam illorum iudicio subijcere, quin veritatem ipsam sciens volensq́ (vt dicitur) proderet, idq́ magno cum scandalo infirmorum, quos potius aduersus illos confirmari oportebat. De peruersis ergo illis & iniquis loquitur, neq́ propterea eorum iudicium contempsit, qui rectius sapiebant. De his enim infra cap. 10. dicet: Vt peritis loquor, iudicate vos quod dico. Et cap. 14. vtrumq́ hoc hominum genus ita inter se distinguit, vt alteri quidem iudicium de se permittat, alterum sancta veritatis & animi bene sibi conscij fiducia contemnat. Dicit enim. Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quòd Domini sint mandata. Qui verò ignarus est, ignarus esto.

Cur Corinthios iudices reijciat.
1.Thes.5.
1.Ioan.4.
Ioan.10.
Matth.18.

Est autem hoc Apostoli exemplum perquàm memorabile, & multa consideratione dignissimũ. Docet enim quid omnes ecclesiarum ministri in eiusmodi casibus facere debeant. Vbi primùm hoc statuatur, non debere illos lucem subterfugere, quò minus doctrina ipsorum cognoscatur, & de ea iudicium fiat. Si enim vnusquisq́ credentium quouis tempore instructus & paratus esse debet (vt Petrus scribit) ad reddendam fidei suæ rationem, multo magis hoc à verbi administris exigitur, qui publicum in ecclesia docendi munus sustinent. Nimiùm ergo superbi, imò tyrannici fidei alienæ dominatores sunt, qui sibi simpliciter credi volunt, neq́ permittunt, vt quis de ipsorum doctrina iudicet. At secundo loco ecclesiarum conditionem ministri probè obseruare debent. Nam vt Christus in parabola retis piscatorij docet, non pios modò ecclesia hæc in terris adhuc militans continet, sed malos quoq́ & impios illis intermixtos habet: & inter eos, qui ecclesiæ membra sunt, magnus plerunq́ est infirmorum numerus, qui aut carnales nimiùm, aut adhuc infantes in Christo sunt. Denique plerunque plures sunt eorum, qui aut malè sentiunt de veritatis doctrina, aut ineptiores sunt, quàm vt de illa rectè iudicare possint. Talibus ergo non tantùm tribuere debent ministri, vt eorum iudicio sese subijciant, aut pro illorum arbitrio doctrinam mutent. Quòd si illi temere sibi iudicium sumant, non ideo animo frangi oportet, sed ad Dei iudicium prouocent, cui illos rationem reddituros esse Christus non vno loco docet.

Ministrorũ ecclesiæ officiũ.
1.Pet.3.
Matth.13.

Concilia Pontificia meritò detrectantur.

Habes igitur hoc loco, quid illis respondeas, qui petunt, vt nos et doctrinã nostrã Romanæ sedi aut Concilijs ex Pontificum sententia vel voluntate congregatis subijciamus. Prætexunt hi ecclesiæ nomen, & huius potestatem omnem penes se esse clamant, de quo nunc disputare nolumus. Sed vt hoc illis demus, non tamen ex eo sequetur, quod illi volunt. Vt enim ecclesia ex Dei verbo generatur, sic hoc vnum obseruat, sponsi sui vocem audit & agnoscit, neq; aliquid eorum admittit, quæ illi contradicunt. Quod si illi præstiterint, libenter eos audiemus. At cùm constet plerosq; illorum, aut apertos verbi Dei hostes esse, aut illud prorsus ignorare, quis non diceret nos cum ratione insanire, si quæ ex Scripturarum fontibus nos hausisse constat, illis dijudicanda daremus? Licuit Paulo Corinthiorum iudicium detrectare, quos ipse primus Christo lucrifecerat, quos ecclesiæ titulo non poterat fraudare, imò quos alibi apostolatus sui sigillum, & epistolam suam vel potius Christi, dicit, quæ non atramento descripta sit, sed Spiritu Dei viui, &c. Cur ergo nobis non liceat ab eorum tribunali prouocare, qui veras germanæ ecclesiæ notas non habent, qui in sectas diuersas scissi in eo vno conueniunt, quòd veritatis doctrinam superstitionibus varijs obscurant, qui deniq; verbi Dei doctrinam palàm oderunt, & diris conuitijs proscindunt? Scimus equidem, illos plenis buccis Spiritum sanctum iactare, qui Concilijs ipsorum adsit, & singulorum sententias atq; suffragia regat: at nos non quid illi dicant, sed quid res ipsa loquatur, quid ue ab illis fiat, attendendum esse dicimus. Vbi mox patebit, illos non alio ordine aut progressu in Concilijs suis vti, quàm quo olim Caiaphas & alij Iudæorum Sacerdotes vsi sunt. Vt enim isti præiudicio Christum non auditum & priusquam captus esset damnarunt, & postea demum quasi iure acturi in causam eius inquisiuerunt, ita tamen, vt neq; à testibus falsis abhorruerint, neq; à vi manifesta sibi temperarint, tandem verò innocentem propter liberam & ingenuam veritatis confessionem damnauerunt: sic illi quoque dum Concilia indicunt, in bullis suis nos damnant, quando autẽ ad rem venitur, omnia insidiosè agunt, neque alia illis mortis & cuiusuis supplicij causa dignior videtur, quàm si quos in CHRISTI IESV confessione syncera fortes & constantes esse cernunt. Quis ergo sanæ mentis illorum iudicio sese committat? Quis nõ veritatis desertorem aut proditorem dixerit eum, qui hoc faciat? Vel quo iure cogi poterunt Euangelij præcones, vt pro iudicibus eos agnoscant, quos iam sæculis aliquot totus ferè orbis accusauit, & de quorum tyrannide pij omnes conquesti sunt? Damnent ergo illi nos, si ita libet, & hæreticos atq; excidio dignos pronuntient, eò quòd vnum IESVM CHRISTVM prædicamus, & vnum Deum in spiritu & veritate colendum esse docemus. At nos cum Paulo dicemus: Nobis pro minimo est, quòd à vobis dijudicemur, aut ab humano die.

1. Cor. 9.
2. Cor. 3.

Nemo iniquis hominum iudicijs frangatur.

Debet præterea hinc generalis doctrina peti, ne qui animo frangantur, & in suo munere turpiter succumbant, si quando homines de ipsis iniquè iudicare, aut etiam eos ingratissimos esse sentiunt, pro quorũ salute ipsi dies noctesq; vigilant. Sensit istam iniquitatẽ & ingratitudinem Paulus non modò apud Corinthios, verumetiam apud omnes ferè, quos Christo adducere & salutis æternæ hæredes facere studuit. Et vt reliquos omnes taceamus, quas non iniurias passus est à Iudæis gentilibus suis, pro quibus ipse perpetuò ad Deum precabatur? Nũ verò propterea apostolicæ functioni longum valere renuntiauit? vel num ideo animum despondit, quò minus à Deo sibi creditum munus obiret? Imò cum mundi improbitate luctatus est, eoq; fortius aduersus hostes atq; æmulos suos insurrexit, quò magis se ab illis premi sentiebat. Imitentur exemplum hoc omnes verbi administri, et sibi dictũ putent, quod Ierem. olim dixit Deus: Ne paueas à cõspectu eorũ, ne pauere te faciã à conspectu eorũ. Ecce enim ego te faciã hodie ciuitatẽ munitã, columnã ferreã, & murũ æneũ cõtra omnẽ terrã, contra reges, cõtra principes, cõtra sacerdotes, et cõtra vniuersum populũ terræ, &c. Debent hoc etiam ad se transferre, quotquot magistratum gerunt. Nam his quoq;, si Deo & populo fideles sint, multis laboribus atq; periculis se premi sentient, & ferè ingratissimos experientur eos, quos maximè saluos volunt. At meminerint, nihilominus tenendam esse stationem, & inuicto animo ipsos per omnia obstacula eluctari debere, vt olim Deo sui muneris rationem reddere possint. Pertinet hæc consideratio ad singulos priuatim quoq;, ne vel benefaciendo fatigentur propter ingratorum hominum iudicia, vel aliquid contra ius & æquum faciant, si quando se minus proficere vident. Quin potius, si se ab omnibus accusari, conuitijs diris proscindi & criminibus atrocissimis grauari audiant, tribunalia autem omnia sibi clausa esse, neq; aliquem inter homines reliquum

Ierem. 1.

liquũ esse cernant, qui causam ipsorũ vel cognoscere vel tueri poßit aut velit: pergant tamen innocenter viuere & quibusuis benefacere, neq; etiam de nominis sui fama desperent. Licet enim illis ad Dei tribunal prouocare, & huic iniurias sibi factas exponere, qui afflictorum vindicem atq; patronum se esse profitetur. Vidit hoc Dauid, qui cum sub Saule grauißimis persecutionibus exerceretur, & infandis criminibus premeretur, neq; ipsi liceret famam suam apud homines tueri, ad Dei tamen iudicium confugit, à quo mirificè seruatus est. Hæc qui diligentius cogitant, ij in aduersis omnibus patientes sunt, & seipsos multis laboribus atq; molestijs liberant, quibus ferè implicantur, qui ius suum ex priuatæ vindictæ studio pertinacius tuentur. Sed ad Paulum redeamus, qui ne temerarius & arrogans putetur, dictum istud suum rationibus grauißimis confirmat.

Primam ab impoßibili sumit, & eam proprio exemplo probat atque illustrat, sic dicens: Imò nec meipsum dijudico. Sensus est: Quid ego aliorum de me iudicia formidem, qui nec ipse mei iudex esse possum? Et quis obsecro me tam probè nouit, atq; ego meipsum noui? Attamen meipsum iudicare nõ possum. Quomodo ergo id poterit alius? Facit ad huius argumenti confirmationem, quod cap. 2. dixit: Quis hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo? At hinc sequitur, temerarios nimis esse Corinthios, qui de alijs sibi iudicium sumant, & eorum iudicia meritò contemni, vt quæ ab inscijs & rerum imperitis proficiscantur. Obseruabis autẽ hoc loco de ministrorum dignitate, non de moribus & vita agi. Nam quoad mores & studia, probè seipsum nouerat Paulus, vt ex ijs patebit, quæ mox sequentur. Sed quis nam inter Apostolos & reliquos ecclesiarum ministros alius alio præstantior esset, minimè sciebat. Hoc autem nimium audacter definiebant Corinthij. Quæ enim alia causa adduci potest, ob quam alius quidem Paulinus, alius verò Apollonianus, alius Cephista dici vellet, quàm quòd quisq; suæ sectæ principem alijs omnibus præferebat? At hoc iudicium cæcum & incertum esse, Paulus non temere dicit. Quis enim nouit, quo quisq; animo suum munus obeat? quantum quisq; proficiat? aut qualis quisq; in finem vsq; futurus sit? Id certè cõstat, multos syncera fide omnia facere, qui tamen multis præter meritũ suspecti sunt: è contra verò multorum fidem & industriam prædicari, quos cæca æmulatio & ambitio, aut alij affectus praui mouent. Fit etiam, vt qui infimus & contemptißimus videtur, plures Christo lucrifaciat, quàm qui præ alijs in honore sunt & pretio. Quid? annon plerunque plus proficiunt ministri, quàm ipsi sperent? Elias certè se & alios prophetas ita in cassum laborauisse putabat, vt se solum reliquum factum diceret, qui gloriæ Dei Zelo duceretur. Sed quid ille audit? Superesse adhuc in Israele septem millia virorum qui ab omni superstitione & cultu illicito se mundos & puros seruarint. Et Paulus de Corinthiorum vrbe ita desperauerat, vt de fuga aut discessu cogitaret. Sed Deus se illic populum multum habere testatur. Præterea, non raro accidit, vt qui præ alijs feruere videbantur, vbi ad rem ventum est, subito metu fathiscant, quod tam Eliam quàm Petrum aliquando passos fuisse legimus. Rursus verò, qui diu latuerunt & cessarunt in suo munere, ij sæpius præter omnem expectationem fortißimi fiunt, quando res in extremum discrimen adducta est: cuius exempla nobis in Iosepho Arimathæo & Nicodemo proponi, aliâs diximus. Et hæc quidem tam occulta Dei dispensatione fiunt, vt nemo de seipso certum quid pronuntiare poßit. Rectè ergo Paulus, quòd ne seipsum quidem dijudicet, ait. Quod vnum si posteri omnes obseruassent, non tam temerarij fuissent in constituendo Apostolorum principe Petro: qui error ambitionem & tyrannidem Pontificum intolerabilem peperit. Et hodie temerarijs iudicijs minus indulgerent multi, si de hac re diligentius cogitaretur.

De alijs iudicare impoßibile est.

1. Reg. 19.

Actor. 18.

Sequitur altera ratio, quæ simul ad prioris confirmationem pertinet: Nullius enim rei mihi conscius sum. Argumentum est huiusmodi: Quisquis sibijpsi bene conscius est, is facilè omnium de se iudicia contemnit: Atqui ego nullius delicti mihi conscius sum. Ergo pro minimo mihi est, quòd à vobis dijudicor, neq; etiam meipsum ego iudico aut damno. Ne quis tamen hoc arrogantius dictum putaret, & extra Pauli institutum longius extenderet, mox subijcit: Sed non propterea iustificatus sum. Sensus est. Quod nunc dico, ad hoc solum restringi debet, de quo nunc inter nos controuertitur: Nimirum ad Apostolatum aut ministerium ecclesiæ Christi. In eo me sic versatum esse scio, vt de conscientiæ puritate & fide mea tam apud Deum quàm homines gloriari poßim. Quoad verò reliqua, scio me non propterea iustificatum esse, si Deus mecum iudicio conten-

Conscietiæ puritate Paulus sese confirmat.

dere vellet: sed apud eius tribunal alia iustitia mihi opus esse, quæ me tueatur. Facit ad huius dicti expositionem, quod sub finem cap. 7. ad Romanos habetur: vbi sub propria persona innatam omnibus hominibus naturæ vitiositatem, & quantum ea in renatis quoq; & credentibus posit, commemorat. Discimus autem hoc loco, quàm ingens bonum sit mens sibi bene conscia. Nam vt apud Deum constantes & intrepidos facit: ita hæc sola nos tuetur & in vocatione nostra confirmat, si quando homines de nobis iniquius iudicant. Huic ergo imprimis studere debent omnes. Frustra enim externo fuco sese apud homines venditant, quos propria mens sceleris accusat, & dormientibus quoq; obstrepit. Interim quoad Dei tribunal, nemo glorietur. Nam tanta est iustitiæ eius perfectio, vt ad eam nobis pertingere non liceat. Et quàmuis nos, qui natura in nobisipsis examinandis indulgentiores sumus, nihil in nobis animaduertamus repræhensione dignum, altius tamen in animi nostri recessus penetrat oculus Dei, quem nihil latere potest. Quod Dauid obseruans clamabat: Errores quis animaduertat? ab occultis meis libera me. Et si Paulus se iustificatum esse negat, quid de nobis fiet, qui plerunq; cæcis affectibus abrepti tunc quoq; peccamus, quando officium facimus? Nec enim actioni externæ animi institutum semper respondet. Confutantur igitur hoc loco validissimè, qui suorum operum meritis tantum tribuunt, vt cum Pharisæis in ipsius Dei conspectu de propria iustitia gloriari ausint.

Psal. 19.

His tertiam rationem subijcit Paulus: Sed qui me dijudicat Dominus est. Quàmuis ergo Corinthios iudices detrectaret, non tamen sibi immunitatem vendicauit Apostolus, sed iudicem se habere sensit Deum, quem in pijs loquentem minimè contempsit, vt in alijs locis est videre. Nunc autem huius meminit, vt Corinthijs ostendat, ipsos perperam facere, & nimium audaces esse, qui Dei partes sibi sumant, & de aliorum conscientijs velint iudicium facere. Quod autem in præsenti Paulus dicit, hoc ipsum memori mente versare debent, quotquot functionem aliquam sustinent: imò ij quoq;, qui sibi solis viuunt, & otium priuatum omnibus alijs studijs præferunt. Non ergo decipiat eos vel propriæ mentis securitas, vel etiam auræ popularis fauor, si quando se hominum iudicio probari sentiunt: sed meminerint, Deum esse, qui & actiones nostras videt, & corda renesq; scrutatur, cui olim ratio reddenda erit.

Deus omnes iudicat.

Debet huc referri huius loci conclusio, quæ grauem admonitionem continet. Proinde (inquit) ne ante tempus quicquam iudicate vsque dum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc laus erit vnicuique à Deo. Sunt verba hæc clara, neque multa interpretatione opus habent, ideo res ipsas potius inspiciamus. In his primum occurrit, quòd certò olim iudicium erit vniuersale, in quo omnes homines sistentur, vt digna factis suis præmia recipiant. Docent hoc passim Scripturæ, & Christus ipse non vno loco tam perspicuè & constanter de eo concionatur, vt de eius veritate dubitare nefas sit. Petrus certè, inter prophanos & incurabiles omnis religionis atque pietatis contemptores numerat, nequam illos illusores, qui de nouissimo Christi aduentu ad iudicium ridiculè & scurriliter loquuntur, vt eius fidem in dubium vocent. Etenim qui illud negant, ij quantum in ipsis est, Dei iustitiam abolent. Quia enim non omnes in hac vita vel virtutis præmia recipiunt, vel scelerum supplicijs dignis mulctantur, nullus iustitiæ Dei locus reliquus erit, nisi aliud iudicium restare dicamus, in quo ista dignè & iustè dispensentur. Et hoc argumento veteres olim ad asserendam mortuorum resurrectionem & nouissimum Christi aduentum vsi sunt aduersus ethnicos, qui scripturarum authoritatem contemnebant.

Nemo temere sibi sumat Dei partes.

Fore aliquando iudicium nouiss.

Deinde quale iudicium hoc futurum sit, Paulus docet. Deus (inquit) illustrabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Duobus hisce actiones simul hominum & cogitationes compræhendit. Occultorum autem meminit, quia ex eo ferè impunitatis spem homines cõcipiunt, quòd sua facinora latere & ignorari arbitrantur. Et vt in his celandis multi mirè artificiosi sunt: ita abstrusissimi sunt cordium recessus, quibus consilia sua homines abscondunt. Neque temere à Propheta dictum est: Vafrum aut fallax est cor hominum, & obstinatum vel inscrutabile, quis cognoscet illud? Sed audi, quid ibidem mox respondeat Dominus? Ego & cor perscrutor, & renes exploro, vt reddam cuique secundum viam suam, & secundùm fructum studiorum suorũ. Quò etiam referri debet, quod de libris scribit Daniel, quos nouissimo die aperiri oporteat, vt

Iudicium hoc quale futurum sit.

Ierem. 17.

omnium corda manifestentur, & tam boni quàm mali æquitatem diuini iudicij agnoscant. Vt verò tunc omnia patebunt, quæ nunc probè tecta & occulta putamus: ita abolebuntur prius opes, dignitates, honores, triumphi, amicitiæ, clientelæ, & quæcunq; alia sunt huius generis, quibus nunc se se tuentur, qui nihil præter mundum hunc infelicem sapiunt. Nudi enim & humano præsidio omni destituti in Dei conspectu comparebimus.

Est autem huius considerationis vsus multiplex & valde necessarius. Primum in præsenti Paulus indicat, Ne quid temere de quoquam ante tempus pronuntiemus. Non quidem ciuilia aut ecclesiastica iudicia prohibentur, sine quibus hominum vita consistere non potest, propter improbos & audaces multos, quos publica authoritate coerceri necesse est. Neq; etiam admonitiones aut correptiones priuatæ abolentur, quas fraternæ charitatis opus non postremum esse constat, non autem aliquo cum fructu possunt fieri, nisi delicta arguantur, & accusentur. Sed in eo insistendum est, de quo hîc agitur, ne de alicuius hominis conscientia temere iudicemus, sed quæ nos latent, Deo permittamus, qui olim occulta tenebrarum in lucem protrahet. Deinde monet etiam ista consideratio, vt vitæ innocentiam sectemur, neq; vllis fidamus huius sæculi præsidijs: quando illis Deus flecti non potest, quò minus iustè de nobis iudicet. Et si pudet in hominum conspectu res turpes designare, quantò magis Dei oculos nos vereri decet, quibus omnia patent, & qui ipsas quoq; cogitationes cordiū intuentur? Præterea habet locus iste dulcissimā consolationem, qua nos aduersus iniqua hominum improborum iudicia confirmemus. Nunc quidem sæpe calumnijs opprimuntur optimi quiq;, & iniquis sententijs damnantur qui de multis bene sunt meriti, triumphantibus interea improbis, qui iustitiam cum veritate extinctam cupiunt. Sed erit aliquando rerum vicissitudo, & omnibus nota fiet piorum innocentia, ac vnicuiq; laus erit à Deo, prout in sua vocatione fidelis fuerit. Ista nos excitent ô fratres, vt contemptis hominum iudicijs, IESV CHRISTO fideles simus, & in magno illo die audiamus lætam hanc sententiam: Venite benedicti patris mei, & possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Vsus considerationis de nouiss. iudicio.

HOMILIA XIX.

Hæc autem, fratres, figura quadā transtuli ad meipsum & Apollo propter vos, vt in nobis discatis, supra id quod scriptum est non sapere: vt ne alius pro alio inflemini aduersus alium. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non acceperis? Quòd si etiam accepisti, quid gloriaris vt qui non acceperis? Iam saturati estis: iam ditati estis: absq; nobis regnum adepti estis: Atq; vtinam sane regnetis, vt & nos simul vobiscum regnemus.

Etsi verbi Dei præcones & ecclesiæ ministros ab ambitione & auræ popularis studio alienissimos esse decet, iidem tamen ministerij sui authoritatem aduersus quosuis constanter tueri debent, ne ipsum Dei verbum & vniuersa fidei atq; salutis doctrina propter ipsos in contemptum veniat. Docet hoc Paulus admodum diligenter. Nam grauiter quidem monet, ne quod solius Dei est sibiipsis ministri vendicent, neq; ipsis hoc aliquis tribuat: simul autem disertè docet, quales haberi aut censeri debeant, Nimirum pro Christi ministris & mysteriorum Dei dispensatoribus, quos nemo absq; Christi ignominia & propriæ salutis periculo contemnere possit. Et quia plerosq; erga se tam hostili animo præditos esse sciebat, vt ipsorum iudicio se cōmittere non satis tutum esset, ad Dei tribunal prouocat, ne tota ipsius authoritas collaberetur. Vbi multa audiuimus, quæ omnium nostrûm institutioni & consolationi seruire possunt. Nunc verò ad eorum, quæ modò recitauimus, expositionem accedamus, in quibus tria agit. Primò statum huius tractationis infert, & ad hunc applicat, quæ hucusque dicta sunt. Deinde nouis argumentis eundem confirmat. Tandem graui Ironia ambitiosis illis & superbis suæ doctrinæ contemptoribus insultat, vt vel inuiti erubescant.

Status huius tractationis.

Statum & summã omnium sic complectitur, vt simul ostendat, cur de seipsó & Apollo toties sit locutus. Nam sic ait: Hæc autem, fratres, figura quadam transtuli ad meipsum & Apollo propter vos, vt in nobis discatis, &c. Sensus verborum hic est: Ego quidem & Apollo nunquam in hoc fuimus, vt nobisipsis discipulos faceremus, neq; puto aliquos ex eorum numero, qui nostræ doctrinæ rectè crediderunt, inueniri, qui nostris nominibus ad sectas fouendas abutantur. Hoc enim alteri illi faciunt, quos cæcã ambitio & æmulatio nobis aduersarios facit. Veruntamen ne illorum nomina traducendo alicui nouæ contentionis occasionem darem, malui personas mutare, & aliorum culpam in nos transferre, idq; propter vos, vt in nobis, id est, nostro exemplo discatis humiliter & modestè agere, & sopitis contentionibus pacem & concordiam ecclesiæ fouere, &c.

Modestiæ Christianæ exemplum.

Continent autem hæc verba memorabile exemplum Christianæ modestiæ, quo Paulus toti Christianorum ecclesiæ præluxit. Nam vt huius paci atq; concordiæ consuleret, ne eos quidem nominatim perstringere voluit, qui nõ solùm repræhensione, verumetiam quouis supplicio digni erant. Adhæc inuidiam omnem in se potius transferre, & suum nomen substituere maluit, quàm nouis litibus causam præbere ijs, qui iam ante plus satis dißidebant. In eo autem Christum præceptorem imitatus est, quem eadem omnino ratione aduersus Iudam prodit[illegible] suum fuisse nouerat. Cùm enim hunc ob coniurationem cum sacerdotibus factam admonere vellet, non acerbis aut odiosis conuitijs, non correptionibus duris, quales ille merebatur, vsus est [illegible] securo & oscitanti sceleris atrocitatem ita depinxit, vt is quidem de se agi sentiret, nullis autem contentionibus ideo turbaretur Cœna mystica, quam ipse concordiæ & mutuæ dilectionis tesseram aut vinculum esse volebat. Debent exempla ista diligenter considerari, vt de ijs iudicare discamus, qui ne aliquibus inferiores esse putentur, non modò cum turbulentis hominibus seuerius & immodestius agunt, verumetiam de ecclesia bene meritos calumnijs & conuitijs acerrimis proscindunt, & ecclesias simul omnes litibus nunquam finiendis inuoluunt. Et tunc demum se egregiè concionatos esse arbitrantur, si ex sacro suggestu apud rudem plebeculam Zuinglianos, Caluinistas, Sacramentarios insanis clamoribus itidem ingeminarint, non sine crebra diabolorũ & Satanarum repetitione. Atqui Paulus apud Corinthios ab æmulorum suorũ nominibus abstinendum esse putauit, & alibi eos quoq; patienter tulit, qui æmulatione praua abrepti Christum prædicabant. *Philip. 1.* *Quid ergo nostri aliud faciunt, quàm quòd se à spiritu apostolico alienißimos esse produnt, et ita dum præ omnibus alijs excellere volunt, sibijpsis infamiã accersunt? Discant ergo ecclesiarum ministri modestiæ studere, & nihil antiquius habeant ecclesiarum concordia, quam proprij potius sanguinis iactura tueri, quàm priuatæ gloriæ studio turbare debent. Idem ad se quoq; priuatim omnes alij transferant, ne dum ius suum vehementius persequuntur, dilectionis mutuæ obliti seipsos simul & alios turbis grauioribus implicent.*

Nemo de seipso aut alijs sublimius sapiat.

Cæterùm videamus paulò diligentius, quid Corinthijs Paulus in præsenti præcipiat. Primùm, vt discatis (inquit) in nobis supra id quod scriptum est non sapere. Quo loco sapiendi verbum non de rerũ cognitione aut prudentia exponi debet, sed de iudicio, quod quis intra animũ suum vel de seipso, vel de alio concipit. Sensus ergo est, ne de seipsis aut doctoribus suis sublimius sentiant quã scriptura de homine sentire docet, vtq; meminerint in scripturis paßim humanã naturã omnem inscitiæ, cæcitatis & deploratæ vitiositatis damnari, commendari, aũt nobis modestiam, quæ omnis boni authorẽ agnoscit Deum, & proinde non in hominibus, sed in illo vno gloriari docet. Huc ergo imprimis pertinet, quod supra ex Ierem. adduxit: Ne glorietur sapiens in sapientia sua, neq; glorietur robustus in robore suo, nec glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligat & cognoscat me: quoniã ego sum Dominus, qui misericordiã, iudicium & iustitiam facio in terra, &c. Est ergo hoc Christiani hominis officiũ, vt suo se pede metiatur, neq; altius quid de semetipso sentiat, quin potius se totum Dei verbo, quod in scripturis reuelatur, subijciat. Est hoc dictu quidẽ facile, sed factu durũ et graue propter innatã nobis ambitionẽ et gloriæ inanis studiũ: quod tamẽ corrigetur in nobis, si rationes, quas paulo post adducet Paulus, nõ oscitãter considerauerimus.

Nemo vel suo vel alterius nomine se alijs præferat.

Sed alterũ adhuc præcipit, quo prius hoc magis explicatur, quodq; ad institutũ seu statũ huius causæ propriè pertinebat: Vt ne alius (inquit) pro alio inflemini aduersus alium. Quibus verbis hoc vult dicere, ne doctoribus suis ita superbiant, vt pro illis inter se lites suscipiant, atq; propter illos ecclesiam in sectas scindant. Rectè autẽ inflandi verbo vtitur, vt superbiam siue ambitionem, tãti mali

mali causam esse doceat. Est enim Metaphora, quæ vel ab vtribus sumitur, qui inflati turgent, & nescio quid magnum in se continere videntur, cùm præter aerem nihil habeant: vel à membris malè affectis, quæ ex inflammatione aut alia causa tument. Vtraq; Metaphora docet quàm stultè & ridiculè faciant, qui spiritus eiusmodi superbos & confidentes animo concipiunt. Nam non solùm inanis est tumor ille, qualis in vtribus esse solet, verumetiam noxius. Vt enim in corpore inflammatio & tumor ex humoribus malis & noxijs nascuntur: ita opiniones falsæ & stulta persuasio homines inflare solent, vt de seipsis arrogantius sapere & nihil non sibi tribuere incipiant. Et vt membra, quando primùm inflammari & tumere incipiunt, videntur quidē pulsa macie priori augeri & egregiè crescere, sed mox iustæ proportionis mensuram excedunt, dolores nouos sentiunt, & toti corpori molestiam atq; impedimentum afferunt: Ita qui arrogantiæ spiritu inflantur, initiò quidem aliquam virtutis speciem præ se ferunt, & magnificis Dei donis instructi videntur, at ijdē mox omnes modestiæ fines transgressi tam sibijpsis quàm alijs intolerabiles fiunt. Et est hic fons omnium contentionum. Vt enim æqualitatis studium concordiam fouet: sic ambitiosa & cæca eminendi cupiditas æmulationē gignit, hæc odium parit, ex quo contentiones assiduæ pullulant, quæ ecclesiam & rempublicam turbant atq; euertunt. Exempla, quibus hoc probatur, in historijs cùm sacris tum prophanis passim infinita habentur. Ideo Christus humilitatem & modestiam discipulis suis sæpissimè commendat, & quia illos pro innato omnibus hominibus gloriæ & eminentiæ desiderio subinde ad contentiones abripi videbat, iam moriturus omnium pedes abluit, vt exemplum illis relinqueret, cuius nunquam possent obliuisci, & quod solum superbientes spiritus posset reprimere.

Est autem hic probè obseruandum diaboli stratagema, qui cùm plerique veritatis ministros exosos habeant, eò tamen homines adducit, vt quisque pro suo doctore cum alijs certamen suscipiat, & ita sub prætextu pietatis ecclesiæ vnitatem & religionem omnem turbet. Exemplum huius mali in Ioannis Bapt. discipulis habemus, quos hac ratione aduersus Christum extimulauit. Et hoc ipsum apud Corinthios factum fuisse, iam sæpe dictum est. Et hodie non vno in loco idem fieri videmus, vt qui toti mundo dediti sunt, & doctrinam simul omnem extinctam cupiunt, tamen ne ab omni religione alieni esse videantur, vnum aliquem ex verbi administris sibi deligunt, quem supra omnes extollunt, & pro cuius honore & authoritate sic pugnant, vt reliquis omnibus suā authoritatem derogent, simulq; verbum Dei in contemptum adducant. Habent isti fidem suam in personarum respectu, quod ne fiat Iacobus grauiter admodum prohibet. Atqui meminisse oportebat, neminem tantæ authoritatis esse, vt ipsi aliud quàm Dei verbum prædicanti credi debeat: hoc verò sua authoritatem ex seipso habere, neque absque manifesta Dei contumelia contemni posse, etiamsi ab homuncione omnium miserrimo prædicetur.

Diaboli stratagema peculiare.

Iac. 2.

Sed ad secundam huius loci partem transeamus, quæ nouis argumentis aduersus ambitiosos illos ostentatores eorumq; admiratores pugnat, & illa sic proponit, vt simul remedium ostendat præsentissimum, quo arrogantiæ morbus coerceri possit. Argumenta duo sunt. Primum his verbis continetur: Quis te discernit? Discernere autem hoc loco idem est, quod aliquem alijs digniorem & præstantiorem æstimare, & ita ex aliorum ordine eximere. Solent enim quæ pretiosiora nobis videntur ab alijs separari ac seligi. Itaq; sensus horum verborum est: Quis nam ille est tanta authoritate præditus, qui te aut quenquam alium supra alios extollendi ius habeat, & cuius iudicio tu tantum tribuere debeas, vt te alijs præstantiorem ducas? Quasi diceret. Nemo pro suo aut aliorum placito alijs præferri debet, nisi cui id bono iure obtigit: Atqui ius illud penes solum Deum esse docuimus, quando certum est, neminem præter hunc de aliorum animo & fine iudicare posse. Quis ergo tu es, qui vel teipsum à communi ordine ministrorum eximis, aut te propter tuū doctorem reliquis credentibus excellentiorem putas? Seruit itaq; ratio ista tam doctoribus ambitiosis quàm discipulis eorum coercendis: & hos quidē nimium stultè facere docet, qui doctoris sui authoritate freti alijs digniores haberi velint, illos autē plus quàm stolidos esse, qui cæci propter vulgi temeraria iudicia eò vsq; efferantur, vt locum aut gradum eminētiorem sibi in ecclesia vendicent, aut etiam eo glorietur, quod soli & vni Christo debetur. Vis igitur huius argumenti ex ordine dependet, quem Deus in ecclesia instituit. Vt enim in corpore humano membra quidem multa & di-

Solus Deus homines ab alijs discernit.

uersa sunt, nullum autem temere se alijs præfert, sed singula quicquid habent aut possunt ad totius corporis salutem conferunt: Ita in ecclesia ordines quidem & ministeria diuersa Deus instituit, sed quæ omnia vni capiti subesse & ad ecclesiæ totius salutem tendere debent. Et vt nulli ex membris datur, vt capitis officium sibi sumat: ita nemo ex ecclesiæ ministris tantum sibi tribuere debet, vt ecclesiæ caput dici, aut alios ex se denominari velit. Hinc ergo sequitur, quòd nemo seipsum discernere, sed singuli sub vno capite Christo suam stationem tenere, & quicquid eximij habeant, id in commune ad ecclesiæ totius ædificationem conferre debeant.

Aduersus Papæ & suorū eminentiam.

At quod Corinthijs suis Paulus dicit, hoc ipsum omnibus dici potest hodie, qui sibi in ecclesia primatum vendicant, & supra omnes alios eminere volunt. Possumus ergo ijsdem verbis Romanum Pontificem compellare: Quis te discreuit ab alijs episcopis, vt tu potius quàm illi ecclesiæ caput dici debeas? vt maiorem quàm illi peccata remittendi potestatem habeas? vt regibus & Imperatoribus præscribas, & eorum seruitio ad regnum tuum stabiliendum abutaris? vt ad pedum tuorum oscula omnes inuites? vt deniq; de necessitate salutis esse dicas, vt omnis anima Romanæ sedi subijciatur? Quòd si respondeat, hoc se ex Petri successione habere, quem Christus discreuerit & ex aliorum discipulorum ordine segregarit, quando ei dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Item, Tibi dabo claues regni cœlorum: & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Et rursum, Pasce oues meas, &c. Si (inquam) hæc & alia nobis obijciat Papa, facilis erit responsio, nihil minus voluisse Christum, quàm Petrum supra alios apostolos extollere. Nam illum non minus quàm alios hortatus est, vt procul abiecta dominandi cupiditate ad ministrandum omnibus sese accingat. Et quod illi dictum, id postea alijs omnibus Christum dixisse constat. Taceo nunc ea, quæ de fabulosa Pontificum successione dici poterant, & quæ alibi prolixè à nobis dicta sunt. Eadem est sacrificulorum atq; Monachorum ratio, quibus similiter dici potest: Quis vos discreuit, vt præ alijs spirituales dicamini, & Christianos reliquos omnes laicorum aut prophanorum loco habeatis? vt solis vobis librorum sacrorum lectio permissa sit? vt soli mystica Cœna Domini integra & sub vtraq; (vt loquuntur) specie vtamini? Quid obsecro habebunt illi quod respondeant? Scimus enim spiritu Christi omnes credentes donari, scimus sacræ scripturæ libros pijs omnibus communes semper fuisse, scimus Apostolos Cœnam totis ecclesijs tradidisse, qualem à Christo illi acceperant. Est ergo hæc impia & nefaria temeritas, qua isti homines sese aduersus totum Christi gregem extollunt. Qui in repub. supra alios eminere volunt, id iure obtineant oportet: alioqui tyranni dicentur. Quantò magis hoc in ecclesia obseruari debet, vbi in CHRISTO IESV, quo ad æterna salutis negotium, non est Iudæus aut Græcus, non seruus aut liber, non mas aut fœmina, sed omnia in omnibus Christus est? Scimus quidem verbi administros suum gradum tenere, at eosdem nō vt dominentur aut capitis loco sint institutos esse dicimus, sed potius vt seruiant, & suo ministerio vnitatem ecclesiæ seruent, non dissipent. Et Paulus Apostolos potestatem habere dicit ad ædificationem, non ad destructionem. Quapropter vanissima ambitiosorum hominum commenta sunt, quæcunq; illi de suo primatu & spiritualitate garriunt.

Nemo quicquā habet propriū.

Porrò ne qui propter dona peculiaria se dignos esse dicerent, qui ab alijs discernerentur, alterū argumentū subijcit Paulus: Quid aūt habes, quod non acceperis? Quòd si etiā accepisti, quid gloriaris, vt qui nō acceperis? Est in verbis istis nō leue pondus, quod Interrogationis figura adhuc grauius reddit. Sic enim vult dicere: Stultū & ridiculū est alienis opibus superbire, seq; instar cornicula Æsopicæ plumis alienis ostētare. At quicquid boni & eximij habēt homines, illud omne ex Deo habent. Quod si negare velis quisquis es, agedū prodi, & dic quid habeas quod nō acceperis? Nū corpus? num animā? nū sensus? nū reliquas corporis aut animæ vires? nū eloquentiā, eruditionē, iudicij acumen? num tu ipse tibi victum creare, num valetudinem pro tuo arbitrio tueri, corporis staturam mutare, aut vitæ ad suum finem properanti diem vnum, imò horulam vnam adijcere potes? Nemo certè tam impudens, nemo tam vecors est, qui in his omnibus quicquam possit suum dicere. Cur ergo tu teipsum discernis, & pro tuo arbitrio præ alijs vis eminere? Vel cur hominibus ineptis & stolidis fidem habes, qui præcipiti suo & cæco indicio tibi huius insolentiæ authores sunt?

Continent ergo hæc duo argumenta præsens remedium, quo carnis nostræ ambitionem atq; confidentiam coërcere possumus. Primum in illo erit, si quoties superbiæ spiritu titillamur, nobisipsis hanc quæstionem obijciamus: Quis te discreuit? quo iure aut quo merito tu te alijs præfers? Ibi mox patebit, te non minus quàm alios homines peccatorem, miserum, alienæ opis indigum atque mortalem esse. Quòd si tunc præclara Dei dona nobis in mentem veniant, si item conditio, quæ nobis illustrior obtigit, in oculos incurrat, tunc rursus Paulinum hoc nobisipsis occinamus: Quid autem habes, quod non acceperis? Num tu propheta natus es? num ecclesiasticam dignitatem, num regiam potentiam, num eloquentiam, eruditionem, multiplicem rerum vsum, opes, honores tecum ex vtero matris in hunc mundum intulisti? Num eadem illa, vt tibi propria, tecum hinc auferes? Quid hic aliud dicere poteris, quàm te nudum in hanc lucem venisse, & proinde hæc gratuita diuinæ bonitatis dona esse? Quæ ergo stultitia est, alienis superbire, & in ijs stabilem gloriam quærere, quæ commodatò accepisti, ignarus, quando eadem sint suo largitori reddenda? Hæc certè qui probè expendunt, ij mox sentient, quantum consideratio ista ad coërcendas superbiæ cristas faciat, & procul dubio illas demittent, pauones imitati, qui caudam fulgentibus plumis sese latè extollentem deijciunt, quàm primùm pedes immundis & fœdis squamis turgentes conspicantur. Proderit etiam ista consideratio, ne ijs abutamur insolenter, quæ ex Dei liberalitate accepimus. *Ambitionis remedium.*

Et quia hæc doctrina in omnibus tam spiritualibus quàm corporalibus bonis locum habet, rectè loco isto D. Augustinus ad asserendam gratuitam iustificationem vsus est. Si enim, quoad corporis bona & externas dignitates, nihil ex nobisipsis proprium habemus, quantò minus in nostra potestate aut arbitrio sunt, quæ ad animam & æternæ salutis negotium spectant? Hîc enim regeneratione, totius hominis innouatione, peccatorum remissione, sanctificatione, sapientia denique & iustitia opus est, quæ & diuina apprehendere, & ad Dei tribunal consistere possint. At quis obsecro hominum seipsum regenerare, innouare & sanctificare potest? Quis Deum, vt ipsi peccata remittat, coget? Quis eam in suo intellectu lucem accendet, quæ sola mysteriorum Dei capax est? Num qui in peccato conceptus & natus est, vnquam poterit suis viribus eam iustitiam assequi, quæ Dei iudicium subire queat? Hæc certè omnes hominis vires superant, & proinde gratuita misericordiæ Dei dona sunt: à nobis autem apprehenduntur sola fide, quæ & ipsa (vt Paulus ait) Dei donum est: nimirum ad illud Christi respiciens: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Sufficit ergo vnus hic locus confutandis omnibus illis, qui pharisaico spiritu ebrij operum suorum meritis & propriæ iustitiæ fiducia in Dei conspectu superbiunt. *Gratuita iustificatio asseritur.* *Ephes. 2.* *Ioan. 6.*

Porrò quia quæ Paulus dixit tam perspicua & solida sunt, vt negari nullo modo possint, nunc iterum toti Corinthiorum ecclesiæ ista applicat, & illis cum sancta & graui Ironia insultans, docet, quàm inanis sit confidentia ipsorum, quæ tam superbos reddiderit. Iam (inquit) saturati estis, iam ditati estis, absq; nobis regnum adepti estis, &c. Saturatos, ditatos & iam reges factos esse ait, eò quòd ipsi sibi tales esse viderentur: simul autem ostendit, quantum ipsis persuasio ista noceat. Saturati enim erant, non quòd reuera salutis in Christo certi essent, sed quia verum animæ cibum, IESVM CHRISTVM, fastidirent. Nam vt hoc fruamur, esuriamus oportet, & ideo beatos ille pronuntiat eos, qui iustitiam esuriunt & sitiunt. At non poterant famem istam saluberrimam sentire Corinthij, cùm se supra communem credentium mensuram profecisse putarent, & eorum similes essent, qui stomachum noxijs & pituitosis humoribus repletum habent. Vt enim illi neq; esuriunt verè, neq; naturalem edendi appetitum sentiunt, interim verò ἀτροφίᾳ consumuntur, dum nutrimentum nullum habent: ita isti nihil præterea scire cupiebant, cùm tamen suis persuasionibus innixi, Christum non verè apprehendissent, qui solus panis ille vitæ est, qui nos ad vitam æternam sustentat. Simili ratione diuites iam factos esse ait, quòd non sentirent pauperiem, in qua omnes nascimur, & proinde confidentiæ spiritu decepti, sibi nihil porrò deesse putarent. Nam hæc etiam causa erat, quòd Christum non magni facerent, in quo vno regni cœlestis thesauri continentur, quos solis illis deberi ipse testatur, qui pauperes sunt spiritu. Opponit ergo ista Christi sententijs, quibus ille docuit, in quibus vera hominis felicitas consistat. Quasi diceret: Christus eos beatos dicit, qui pauperes spiritu iustitiam esuriunt atq; sitiũt: at vos quasi illum mendacij arguere libeat, cùm Christiani velitis dici, saturitatem & diuitias nescio quas iactatis, quarum fiducia vos eò vsq; *Insultat Corinthiorum confidentiæ.* *Matth. 5.*

extollit, vt & supra alios omnes efferamini, & nostra etiam opera atq; ministerio vobis minimè opus esse putetis. Itáne ergo iam regnatis absq; nobis? & soli ne regno illo frui vultis, quod nos primi vobis prædicauimus? Habent ergo verba ista acerbam exprobrationem ingratitudinis, qua eos non agnoscebant amplius, quorum laboribus ad bonorum tantorum spem primùm fuerant erecti. Ne tamen quid ab ipso inuidiosè dici putarent, addit per correctionem: Atq; vtinam sanè regnetis, vt et nos simul vobiscum regnemus. Velim (inquit) ex animo vos eò vsq; progressos esse, quò vos progressos putatis. Nā vt vobis hoc salutare esset, ita ad nos quoq; gloria hæc vestra redūdaret, & nos iam superatis laboribus & molestijs vniuersis, vnà vobiscum regnaremus. Sed hæc dicendo, innuit illos vehementer falli, cùm ab illa perfectione adhuc procul absint, neq; aliquis dum in hac carne viuit, eò vsq; proficere possit, vt non quotidiana doctrina, admonitione, correctione & confirmatione opus habeat.

Ingratitudo mundi ergà ministros taxatur.

Quod autem Corinthijs dicitur, id non minus nostri quoq; seculi hominibus seruit. Arguitur enim his vniuersalis illa ingratitudo, qua in fidos ecclesiæ ministros ij quoq; peccant, qui Christianißimi dici atq; haberi volunt. Quando enim superstitionum tyrannidem & conscientiæ dolores intra sese sentiunt, aut alijs malis atq; periculis sese implicitos vident, tunc magno studio ad Euangelij præcones concurrunt, se totos illorum fidei cōmittunt, eos in honore habent & pretio: Quàm primùm verò ex angustijs emerserunt, eosdem odisse incipiunt, morositatis nimiæ accusant, & se tunc demum felicißimos fore sibi persuadent, si illis semel liberentur. Expertus est hanc populi sui inconstantiam Moses. Cùm enim illis Dei promißiones denūtiaret, qui ipsos ex Ægyptiaca seruitute liberare decreuisset, proni & cernui gratias agunt, & se ad omnia obsequentes fore promittunt. At ijdem quoties in deserto res minus pro votis succedebant, omnium beneficiorum obliti horrendis conuitijs atq; minis aduersus Mosem & Aaronem insurrexerunt. Eadem postea prophetarum quoq; sors fuit: & ideò Hoseas improbos prophetarum contemptores non temere ad veteres historias reuocat, vt cogitent patres olim per prophetam ex Ægypto eductos, & in deserto custoditos fuisse. Senserunt idem Apostoli omnes, & hoc illud est, de quo Paulus in præsenti queritur. Quid autem aliud nostro seculo tam vulgare est? Qui Euangelij promißionibus & fidei securitate fruuntur, & quoad externa otio abundant, adhæc ex Euangelio opes, honores & omnis generis fructus vberrimos metunt, ijdem ferè & primos huius doctrinæ instauratores, & eos qui hodie illam prædicant, cane & angue peius oderunt, conuitijs obruunt, eiectos volunt, vt sine illis iam in libertate euangelica exultare, & illa ad carnis atq; peccandi licentiam abuti poßint. Atque vtinam verè exultarent in Domino, & verè liberi essent, quales Christus describit apud Ioannem 8. cap. Sed omnes isti eorum similes sunt, qui sine legibus regnare volunt. Vt enim horum regnum vel in ἀναρχίαν, vel in tyrannidem tam ipsis quàm reipub. exitialem degenerat: sic istorū hominum Euangelium in licentiam erumpit, quæ ecclesiam simul & religionem omnem pessundat. Humiliemur ergo sub potenti manu Domini, et nos huic gratos atq; obsequentes præbeamus, vt in CHRISTO IESV verè saturi & diuites regnemus, quoad hic viuere datur, & cum eodem olim regnum illud beatißimum consequamur, cuius non est finis, & cuius delitiæ atq; opes omnem huius mundi intellectum superant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Exod. 4.

Hos. 12.

HOMILIA XX.

Deus enim, puto, nos vltimos Apostolos spectandos proposuit, tanquam morti addictos. Nam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: vos gloriosi, nos ignominiosi. Ad hanc vsq; horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus, & laboramus operantes proprijs manibus: conuitijs affecti, bene precamur: persecutionem patientes, sustinemus: infamati, precamur: vt piacula mundi facti sumus, omnium sordes vsq; adhuc.

VT Deus humani generis amantißimus & ad benefaciendum propensus est: ita nos pro acceptis beneficijs gratos sibi esse vult, & vix alio scelere magis quàm ingratitudine offenditur. At hîc quàm maximè elucet nostri ingenij vitiositas. Nam etsi nos sine illo nihil posse, & ab eodem nos quicquid boni habemus accepisse constet, plerique tamen illud non modò non agnoscunt, verumetiam ab illo acceptis donis turpißimè abutuntur. Fit hoc imprimis quoad Verbum illius, per quod seipsum & omnes gratiæ suæ thesauros nobis liberalißimè offert: at pleriq; hominum aut illud impiè contemnunt, aut quasi rem nihil ad se pertinentem securi negligunt, aut si quid in eius cognitione profecerunt, mox quasi summam felicitatis arcem sua industria obtinuerint, doctrinam præterea omnem fastidiũt, aduersus doctores suos superbè sese extollunt, & tandem in ipsam quoq; doctrinam sibi ius & imperium sumunt. Et hoc quidem apud Corinthios factum fuisse, non semel iam diximus. Hos enim Paulus magnis laboribus & non sine grauißimis periculis ab idololatria ad qualemcunq; veri Dei & vnici Seruatoris IESV CHRISTI cognitionem adduxerat. Ipsi verò æmulorum eius blanditijs & magnifica sublimioris sapientiæ atq; eruditionis ostentatione fascinati, sibi nihil porrò deesse putabant, & ipsum Paulum quasi rudem & cœlestis philosophiæ imperitum contemnebant. Qui contemptus quia cum manifesto salutis ipsorũ periculo coniunctus erat, suam authoritatem ille diligenter asserit, & nuper non sine graui exprobratione docuit, quàm inanis & turpis sit hæc illorum confidentia, qua sese aduersus fidos Euangelij præcones extollant. At quod tunc cœpit, nunc absoluit & copiosius explicat.

Etenim cùm dixisset: Atq; vtinam sanè regnum adepti essetis, vt & nos simul vobiscum regnemus: nunc quasi rationem huius dicti redditurus, addit: Deus enim, puto, nos vltimos Apostolos spectandos proposuit, tanquam morti addictos, &c. Quibus verbis simul non obscurè perstringit æmulos suos cum omnibus illis, qui ab ipsis excæcati germanos Christi Apostolos aspernabantur. Quasi diceret: Non immerito optarim me vobiscum regni participem fieri, quod vos iam adeptos esse existimatis. Etenim mirũ est vestris illis rem tam feliciter & absq; omni periculo succedere, vosq; tam facilè tamq; citò superatis omnibus molestijs in portum quietis appulisse, à quo nos cum reliquis adhuc tam procul absumus. Quòd si hoc vobis reuera contigit, & Euangelij prædicatio cum temporaria felicitate & huius mundi fauore omnino coniungi potest, non iniuria nos de nostra conditione queri poßimus. Ea enim eiusmodi est, vt Deus videatur nos Apostolos fecisse vltimos, id est, contemptißimos, abiectißimos miserrimosq; omnium mortalium, adeoq; nos spectandos proponere omnibus populis, perinde vt de facinorosis fieri solet, qui post latam in ipsos capitis sententiam per vrbem circumducuntur, mox ad crudele mortis supplicium abripiendi. Nam spectaculum facti sumus toti mundo, neq; hominibus solis, verumetiam Angelis. Istud autem non sine causa dicit Paulus. Erat enim spectatu dignißimum, pauculos homines, ex gente inuisa oriundos, nulla regum authoritate & eruditionis existimatione commendatos, adhæc omni præsidio destitutos & prorsus egenos per totum orbem discurrere, apud omnes gentes nouam religionis formam inducere, veteres ritus abolere, cum sacrorum mystis, cum philosophis, cum rerumpub. gubernatoribus paßim in certamen descendere, & plerunque victores abire. Hoc (inquam) spectaculum fuit, quale orbis hic nunquam vidit, & quale nemo Regum vnquam suis exhibuit. Rursus hoc quoq; spectatu dignißimum & cum totius mundi admiratione coniunctum erat, illos ipsos, cùm neminem læderent, prodessent autem omnibus, & doctrinam suam signis inauditis & nunquam visis antea, & quæ plurimis salutem certam afferebant, confirmarent, omnibus tamen inuisos esse, propter ipsos fora omnia fremere, tribunalia omnia fatigari, adhæc potentißimos quosque sibi ab illis timere, qui nullis ad nocendum viribus instructi erant, neque etiam in repub. aliquid noui moliebantur. Superabat hæc omnia, quod cùm vbique locorum in carceres abducerentur, virgis cæderentur, publica authoritate relegarentur, sæpe etiam lapidibus obruerentur, simul tamen vbique victoriosum crucis trophæum erigebant, & illic quoq; ecclesias Christo colligebant, vnde ipsi cum ignominia eijciebantur. Fuit ergo hoc mirabile omnino theatrum, in quo ijdem & extrema quæq; patiebantur, & de suis aduersarijs atq; horum principe diabolo gloriosè triumphabant. Spectatores autem habuerunt nõ solum homines, verumetiã Angelos. Nam hi pios Dei seruos comitari, circa hos castra figere, eosdem adiuuare, deducere & ex periculis eripere consueue-

Apostolorum conditio in hac vita.

Apostoli spectaculum facti.

Psalm. 34.

runt. Cuius rei exempla in Iacobo patriarcha, in Elisæo, Daniele, Apostolis item non pauca habentur. Imò angelos ob hominum conuersionem atque salutem gaudere Christus testatur, & jidem (vt ad Ephes. cap. 3. Apostolus scribit.) non parum proficiunt ex ea, quam cum ecclesia habent, consuetudine. Discunt enim quæ sit multiformis illa sapientia Dei, quæque eiusdem potentia inuicta, quando gentium diuersissimarum homines in vnius fidei consensionem conuenire, & Christum in infirmis & contemptissimis seruulis suis de mundo & eius principe triumphare vident. Et ista quidem Corinthijs in mentem reuocat Paulus, vt intelligant, Deum longè aliam sui regni rationem in terris hisce instituisse, quàm ea sit, quæ ab ipsius æmulis fingebatur.

Luc. 15.

Ministrorũ verbi conditio.

Est autem nobis hîc non oscitanter consideranda ministrorum Christi conditio adeoque piorum omnium, qui Euangelij doctrinæ credunt. Veritas (quod gentium quoque philosophi viderunt) odium parit, & eiusdem lux mundo admodum inuisa est, eò quòd per hanc arguantur opera eius mala, & quæcunque is prætexere solet, vt suam impuritatem defendat, aut saltem abscondat. At quia lucernam hanc per ministros suos Christus accendit, & hi illam inuito etiam mundo omnium oculis ingerunt, fieri non potest, quin plerisq; hominum inuisi fiant, & persecutionibus grauissimis exerceantur. Augetur etiam odium istud, quòd securè peccantibus & sibijpsis læta omnia pollicentibus horribilem Dei iram & sceleribus destinatas pœnas denuntiant: quæ omnia huius seculi filijs auditu intolerabilia esse videntur. Et hoc illud est, de quo Christus discipulos suos admonuit. Si sermonem meum seruauerunt (inquit) & vestrum seruabunt. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Imò fiet, vt si quis vos occiderit, putet se cultum Deo præstare. Deniq; hæc communis Christianorum hominum regula est, vt seipsos abnegent, crucem sibi à Deo destinatam spontè tollant, & Christi exemplum constanti animo & patientia inuicta sequantur. Prodest autem nos in horum consideratione sæpius versari, ne istis tanquam nouis & insolitis offendamur: deinde vt ad proposita nobis certamina præparemur, vt in illis victores simus.

Ioan. 15. & 16.

Argumenta cõsolationis in cruce.

Hic autem tria potissimum nos semper ob oculos habere oportet, de quibus in præsenti nos Paulus admonet. Primum, Deus, puto, nos spectandos proposuit. Ergò non in hominum impijssimorum audaciam & iniustissimam tyrannorum crudelitatem, sed in Deum respexit, cuius prouidentia & æterno decreto res mortalium dispensari & gubernari credebat. Est hoc consolationis argumentum efficacissimum. Quia enim Deus (vt initiò monuimus) nostri amantissimus est, nihil procul dubio nobis accidere sinit, quod non vtilissimum nobis sit, & ad promouendam salutem nostram necessarium. Idem quoque cùm nostram imbecillitatem probè cognitam habeat, nos supra vires nostras tentari non sinit, imò cum tentatione vires nobis sufficit, quibus confirmati ea quoq; vincimus, quæ prius inuicta videbantur. Ideo in Dei prouidentiam sanctissimi quique semper respexerunt, cuius consideratio non fortes modò & patientes, verumetiam mansuetos & iniuriarum tolerantes fecit, atque omnem priuatæ vindictæ cupiditatem in illis restinxit. Hinc illa Iosephi facilitas & indulgentia in fratres pessimè de se meritos manauit. Illis enim pœnas dignas timentibus dicebat: Equidem vos cogitauistis aduersus me malum, at Deus cogitauit idipsum in bonum, vt faceret quemadmodum hodie apparet, & seruaret in vita populum multum. Ex eodem fonte Iobi quoque patientia profluxit, qui non quid Chaldæi fecissent, sed quid Deus de se & rebus suis fieri voluisset secum reputans, in hæc verba erupit: Deus dedit, Deus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Et Dauid grauissima quæque certamina hoc quasi clypeo tectus superauit, quòd dies vitæ suæ apud Deum numeratos esse, & fugas quoque suas ab illo cerni, atque lachrymas omnes ab eo colligi & in rationes ipsius adscribi crederet. Ideo Christus discipulos suos hoc potissimùm argumento consolabatur, cùm de periculis, quæ subituri erant, eos admonuisset, Pili capitis vestri (inquit) numerati sunt. Itẽ, Nõnne duo passerculi denariolo veneunt? Atqui dico vobis, ne vnum quidem illorum perire absque voluntate Patris mei. Est ergo Agonothetes noster Deus, qui vt certaminum species nobis præscripsit, ita eorundem euentum felicissimum ab æterno decreuit, & ad hunc omnia suæ prouidentiæ consilio dirigit. Deinde meminerimus nos in istis certaminibus spectatores habere non homines solos, sed etiam Angelos, qui non otiosi spectant, sed simul nos tuentur, & sæpe inscios, imò interdum inuitos, periculis imminentibus subducunt. Quoties ergo hostium multitudine terremur, aut periculorum agminibus obruimur, semper nobis ipsis illud Elisæi occinamus:

Gen. 50.

Psal. 56.

Matth. 10.

mantur: Ne metuas, nam eorum qui nobiscum, plures sunt, quàm eorum qui cum illis. Item illud Dauidis: Castra figit Angelus Domini circum eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Addamus his tertio loco exempla veterum Martyrum, quorum certamina nostrum theatrum esse debent, vt discamus, nos non primos esse, qui in ista arena pugnamus, imitemur autem illorum patientiam, fortitudinem, constantiam, lenitatem, precandi feruorem, & quaecunque alia in illis admiratione digna sunt. Imò meminerimus, nos in ista militia ducem habere Dei Filium, qui olim mundum hunc omnem nobis vicit, & hodie suo spiritu nobis adest, ne vnquam succumbamus. Qui ista diligenter cogitant, facilè omnibus aduersis superiores fient, & immarcessibilem illam iustitiæ coronam reportabunt.

Cæterum pergit Paulus, & Antithesi Ironica Corinthios secum & cum alijs Apostolis confert, vt euidentius appareat, quàm absurdum & iniquum sit, ipsos superbire & insolentius efferri, cùm suos magistros contemptissimos & afflictissimos esse videant, qui primi Euangelium in mundo prædicarunt. Habet Antithesis hæc tria membra. Primum, Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Stultos propter Christum dicit Apostolos, partim quòd carnis sapientiam iampridem calcauissent, vt illum possent assequi, qui nobis à Patre Sapientia factus est: partim quòd mundus eos pro stultis haberet, eò quòd vnum Christum prædicarent, & propter hunc omnia contemnerent, quæ in mundo eximia putantur. Atqui tales (inquit) nos sumus, neq; nos huius sanctissimæ stultitiæ pudet: at vos iam prudentes estis in Christo. Id verò per Ironiam dicit, non quòd reuera prudentes essent, & Christum rectè agnoscerent: sed quòd carnis & mundi huius sapientiam cum Christo & fidei Christianæ professione coniungere vellent, neq; viderent hanc sapientibus huius seculi extremam stultitiam putari. Hoc igitur membro innuit, ipsos dum præ alijs sapere volunt, se stultissimos declarare, quando tam citò obliti sint eius, quòd Christus suo spiritui cum hoc mundo adeò non conuenire ait, vt hic illum accipere non possit. Ioan. 14.

Ironicè cōfert Corinthios cū Apostolis.

Secundum, Nos infirmi, vos autem validi. Infirmos dicit Apostolos, quia nullo hominum præsidio defendebantur, & passim inter grauissima pericula cum timore & tremore docebant, quod ipsi apud Corinthios accidisse, Cap. secundo audiuimus. At vos (inquit) interea validi estis, scilicet. Et hoc dicit, quòd brachio carnali niterentur, & se suis ciuibus ita accommodare studerent, vt ex illis patrocinium atque defensionem sperarent. Faciebant hoc doctores, qui cùm præter auram popularem nihil quærerent, conciones suas ita instituebant, ne quis illis offenderetur, & ideo ad multa conniuebant, quæ nulla ratione poterant excusari. Similiter vulgus eorum, qui Corinthi crediderant, ne alicuius odium in se prouocarent, commercia cum omnibus habebant non necessaria, sacris quoque ethnicorum communicabant, & infinita alia faciebant à nominis Christiani professione aliena. Itaque ciuium fauore, amicitijs, opibus muniti & aduersus omne periculum abunde instructi esse sibi videbantur. Digni itaque erant, quibus hoc exprobraret Paulus, & idem hodie merentur, qui cùm Euangelij doctrina atque fide glorientur, simul tamen humanis præsidijs superbiunt, & illis scurriliter insultant, quos quorumuis libidini subiectos esse vident. Sed miserè isti omnes falli solent. Est enim infida huius mundi amicitia, & sese arundini fragili innixos esse magno suo malo sentiunt, si quod grauius certamen ecclesijs incumbit.

Tertium membrum est: Vos gloriosi, nos ignominiosi. Dependet hoc ex eo, quod proximè præcessit, & rursus rei absurditatem hoc arguit, quòd cùm Apostoli apud plerosque pro infamibus haberentur, & omne genus ignominiæ sustinerent, ij gloriam huius seculi ambitiosius sectarentur, qui fidei Christianæ doctrinam ex illis didicerant. Augebat verò huius insolentiæ absurditatem, quòd Paulus & Apollo, & fortassis Sosthenes quoque, à Corinthijs contemnerentur, in quorum gratiam illi sese eò vsque deiecerant, vt nullas iniurias, nullam item ignominiam detrectarent. Quis enim non reprehensione dignissimum dicat filium, quem patris ad omnem laborem sese offerentis pudet, cùm id pater non aliam ob causam faciat, quàm vt filio consulat, & honestè æducandum curet? Debebant hoc diligentius obseruare, quos hodie ministrorū Verbi pudet, eò quòd mundo inuisos & exosos esse vident: nō autem cogitant, illos odium hoc & contemptum indignissimum ideo sustinere, vt tam ipsos quàm alios ad æternæ vitæ hæreditatem adducant.

Contra personatos Apostolorũ successores.

Est autem locus iste diligenter considerandus hodie. Docet enim, quibus indicijs Apostolorum æmuli & personati eorũ successores agnosci poßint. Gloriantur hoc titulo Romani Pontifices, & qui ab ipsis creantur Episcopi atq; Cardinales. At si hos omnes cum Apostolis conferas, non aliud inuenies, quàm quod in præsenti Paulus æmulis suis exprobrat. Apostoli hominum stultißimi visi sunt: at isti carnis sapientia instructißimi, profundo astu omnia agunt, vt non temere Antichristo Daniel oculos hominis tribuat, id est, prudentiam huius seculi singularem & ad omnia paratã rerum agendarum peritiam. Etenim tanta hæc est, vt non tam hominis quàm Lyncis oculos habere dici poßint, quando his abstrusißima quæq; scrutantur, & in ipsa regum atq; principum arcana penetrant. Deinde Apostoli infirmi atq; omni præsidio humano destituti fuerunt: illi verò terris amplißimis longè lateq; dominantur, arces munitißimas & vrbes populosas, imò Romam olim totius orbis dominam, poßident: vectigalia, tributa, census ingentes exigunt: fœderibus principũ muniuntur: deniq; eò vsq; illorum potentia iampridem excreuit, vt Regibus & Imperatoribus sint formidabiles. Nam vtrumq; gladium, ecclesiasticum scilicet & politicum, sibi vendicant: & illo quidem ipsi soli pugnant, hunc verò Regibus ea conditione tribuunt, vt non nisi ad ipsorum arbitrium stringatur. Sic enim Bonfacius octauus scribit: In ecclesia eiusq; potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem, euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce duo gladij hîc (in ecclesia scilicet) cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuũ in vaginam. Vterq; ergo est in potestate ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis: Sed is quidem pro ecclesia, ille verò ab ecclesia exercendus: Ille sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis, &c. Hæc (inquã) Bonifacij verba sunt, qui ne verbis nudis ageret, reipsa hoc toti orbi testatum esse voluit. Cùm enim in festo Iubilæo, quod ipse primus è Iudaismo petitum instaurauit, Albertus Rom. Rex electionem suam illius authoritate confirmari peteret per legatos, Papa vt penes se vtrumq; gladium esse doceret, legatos parum honorificè habuit, & primo quidem eius solennitatis die pontificalibus ornamentis indutus populo apostolicam benedictionem impertijt, altero autem habitu Imperiali & Cæsarea infula insignis, gladium nudatum ante se deferri iußit, & tandem in sublimi solio cõsidens alta voce testatus est: Ecce duo gladij hîc. Et quod ille insolentius fecit, hoc ipsum ab alijs non minori cum fastu factitatum est, & extant maximorum Regum atq; Imperatorum exempla, qui inuiti & multùm reluctantes Pontificum tyrãnidi atq; iugo colla submittere coacti sunt. At exemplis veteribus minimè opus est, cùm hodie illorum potentiam vniuerso terrarum orbi intolerabilem esse sentiamus. Certè de illis verißimè dici potest, quod tertio membro Paulus ait: Apostoli ignominiosi fuere, illi verò gloriosißimi sunt, quoad externum fastum, pompam, titulos, quibus nõ obscurè diuinitatis quoq; honores sibi vendicant. Quod ergo minus succeßit olim diabolo, quando Apostoli suo exemplo æmulorum suorum superbiam fortißimè represserunt, id posteris temporibus perfecit. Debet autẽ Antithesis ista probè obseruari, vt laruatos illos Apostolorum successores agnoscere discamus. Interea neminem illorũ fastus atq; insolentia offendat. Nam inania spectra sunt omnia, quibus isti homines superbiunt, & ijdẽ olim ignominia perpetua obruentur: Vt enim Corinthij illi ardeliones hodie infames sunt, celebris autem & sacrosancta est Apostolorum memoria: ita erit dies, quando Pontificum quoq; pudenda manifestabuntur, in pretio autem erunt, qui Christo & ecclesiæ eius fideliter seruierunt. Sunt enim minus corrupta posteritatis iudicia, & suo tempore in lucẽ Veritas emergit.

Dan. 7.

Extrauag. con. lib. 1. cap. Vnã.

Pergit in Apostolorum conditione describenda

Porrò vt magis erubescerẽt Corinthij, & spiritus illos feroces deponere, seq; ipsos Christi iugo atq; crucis vexillo subijcere discerent, pergit Paulus, & quæ etiam nunc sua & aliorum Apostolorũ conditio sit, docet. Ad hanc vsq; horam (inquit) & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus, & laboramus operantes proprijs manibus, &c. Quasi diceret. Nõ apud vos modò egeni & contẽpti viximus inter omnis generis pericula, sed adhuc hodie non melior est nostra conditio: vt ex ea satis constet, nos, non vt vestri illi solent, otiũ, voluptates, honores, opes quærere, sed potius ijs intentos esse, quæ ad vestram & multorum aliorũ salutem faciũt. Nã famelici, egeni, nudi per incertas sedes ferimur, iniurias multas & graues sustinemus, & sæpe manuũ labore victũ quærere cogimur. Hæc aũt ab illo verißimè dici, Actorũ liber abunde testatur.

Nam

Nam & sua omnia iam pridem reliquerant, sæpe etiam ab impijs spoliabantur, & ecclesiæ aliæ pauperiores erant, quàm vt illis stipendium debitum numerare possent, aliæ verò tenaciores & ingratæ nimis, vt quod poterant minimè præstarent: ex quarum numero Corinthiam quoq; fuisse scimus. Postulabat item Apostolica functio, vt nullibi sedem fixam haberent, & nõ rarò hostium improbitate & violentia eijciebantur. Ita fiebat, vt non possent ijs frui, quæ ecclesiarum pastoribus optimo iure debentur, vt infra Cap. nono docebit. Denique, vt piacula mundi facti sumus, omnium sordes aut ramenta vsq; adhuc. Quibus verbis partim extremum contemptum, partim immane odium exprimit, quo multi ita flagrent, vt Apostolorum morte & sanguine Dei iram placari, & pœnas imminentes auerti credant. Solebant enim olim quidam in publicis calamitatibus aliquos deligere, in quorum capita diras omnes congerebant, & postea per vrbem circumductos in mare præcipites dabant, aut pecudum instar immolabant: qui deinde piacula aut victimæ piaculares dicebantur. Vult ergo his similibus omnia complecti, quæ ad extremam miseriam faciunt, quoad huius vitæ conditionem. Et ne quis obijceret: Atqui inuiti hæc fertis, & proinde non est quòd illis gloriemini, interserit: Conuitijs affecti bene precamur: persecutionem patientes, sustinemus: infamati, precamur. Istis autem docet, quòd alacri animo ista omnia ferant, & à vindictæ cupiditate tam alieni sint, vt hostium quoque salutem pijs precibus apud Deum adiuuare satagant. Et simul grauissimè perstringit suos æmulos, qui cùm nihil horum paterentur, sed vitam in otio, voluptatibus, honore & rerum abundantia degerent, felicem euangelicæ prædicationis successum germanis Christi Apostolis inuidebant. Solent hoc ferè, quicunque sub Euangelij & ministerij ecclesiastici prætextu res suas agunt. Nec enim contenti sunt, officium suum neglexisse, nisi insuper fidelibus ministris detrahant, & ijsdem scurriliter insultent.

Rursus autẽ sors seruorum Christi nobis consideranda venit, quæ eò durior est, quòd non solum aduersa quæuis sustinent, sed vt quouis supplicio digni affliguntur. Accenditur enim hostium rabies eo potissimùm argumento, quòd illos Deo exosos esse arbitrantur, qui propter illos totas respub. atque regna fame, peste, bello & seditionibus puniat. Experti hoc olim sunt prophetæ, quos multi publicorum malorum authores esse dicebant, eò quòd veteres cultus abolerent. Ieremiæ certè in faciem dicebatur: Sermonem, quem locutus es ad nos nomine Domini, non recipiemus: sed faciemus quicquid egreditur de ore nostro, vt suffitum incendamus machinæ cœli, & libemus ei libamina, sicuti fecimus nos & patres nostri, reges nostri & principes nostri, in ciuitatibus Iuda & in plateis Ierusalem. Tum enim alimento abundabamus, & bene nobis erat, malumq; nullum videbamus. Quàm primùm autem cessauimus suffitum incendere machinæ cœli, & ei libare libamina, omnium sumus indigi, & ferro fameq; consumimur, &c. Et posteris temporibus Apostolis, imò Christianis omnibus, eadem obiecta esse, patrum libri apologetici testantur. Nam religionis mutationi hoc deberi clamabant impij hostes, quòd orbis totus fame & peste laboraret, quòd prouinciarum defectione & bellis exteris Romanum Imperium labefactaretur, & quòd inter periculosissimos motus oracula cessarent, ex quibus olim maiores rerum gerendarum consilia petijssent. Ideoq; nullo non supplicio digni iudicabantur Christiani homines. Et hodie multa huius generis audimus, neque desunt, qui Regibus persuadeant, nunquam eos feliciter regnaturos, aut Turcarum arma profligaturos esse, nisi prius Euangelij doctrinam & eius sectatores stirpitus excindant. Sed hoc illud est, de quo nos Christus præmonuit: fore nimirum, vt Deo cultum gratissimum præstare putetur, qui nos interfecerit. At tunc nos patienter omnia ferre, hostibus bene precari, & Deo gratias agere debemus, qui nos afflictionum Filij sui participes reddit, vt eiusdem olim cohæredes esse possimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Ierem. 44.

HOMILIA XXI.

Non vt vos pudore suffundam hæc scribo: sed vt filios meos dilectos admoneo. Nam etsi decem millia pædagogorum habueritis in Christo, at non multos patres [habetis.] In Christo enim IESV per Euangelium ego vos genui. Precor vos igitur, imitatores mei estote.

ETsi Paulus ab omni ambitione alienißimus, huius sæculi gloriam atque splendorem nihil magni fecerit, sed potius quæcunque in mundo eximia & præclara habebat, vt noxia abiecit, vt Christum æternæ salutis authorem appræhenderet: idem tamen paßim in hoc est, vt suæ functionis authoritatem contra aduersarios suos tueatur, ne huius contemptus in ipsum Christum & Euangelium eius non sine multorum exitio redundet. Et huc pertinet tota, quam hucusq; audiuimus tractatio, in qua magno studio & grauitate vtitur. Vt enim fastuosos illos, qui popularis auræ fiducia turgidi ipsum scurriliter nimis contemnebant, efficatius deprimat, nuper acerbis quoq; Ironijs & exprobrationibus vsus est, ita nimirum ostendens, quàm indignè ipsum contemnant, qui veris & proprijs Apostoli notis præditus sit, suos autem illos admirentur, in quibus nihil præter inanem ostentationē videre liceat. Et debet ex Pauli exemplo doctrina generalis peti, vt quicunq; in munere aliquo publico versantur, priuatā gloriam sic contemnant, ne sibi credita potestate abutātur, interim verò nō prodant authoritatē suā, qua illos Deus instruxit. Cæterum ne Corinthij Paulum suspicarentur hostili in ipsos animo præditū esse, correptionem illā, quæ durior videri poterat, in præsenti mitigat, sic tamē, vt nouis argumētis excitet ad officiū faciendū.

Mitigat priores exprobrationes.

Et primò quidem docet, quo animo hæc omnia dixerit: Non vt vos pudore suffundam hæc scribo, sed vt filios meos dilectos admoneo. Videtur verbis negare, quod re ipsa fecerat. Quomodo enim non possunt non pudore suffundi, qui vitia, quæ negare non possunt, sibi ad hunc modum exprobrari audiunt? Et si cum verbis Pauli institutum consideres, hoc omnino voluit, vt erubescerent, & suiipsorum illos puderet: at non hic ipsi finis propositus erat, vt ex eo ignominiam aliquam referrent, sed potius, vt ipsi agnita eorum absurditate, quæ hucusque fecerant, de vitijs suis corrigendis cogitarent. Itaque vt pudore suffunderentur optauit, at non noxio, non ignominioso (quem maligni & inuidi quærunt) sed vtili, & qui maioris ignominiæ notas pia correctione aut pœnitentia abstergat. Ideo addit: Vt filios meos dilectos admoneo. Quibus verbis se paterno in illos animo præditum esse, & quòd illos filiorum loco habeat, testatur. Admoneri autem eos voluit, ne gloriam in rebus nihili quærerent, neque germanos Christi Apostolos propter ea contemnerent, quæ fidelis ipsorum industriæ testimonia erant. Et hoc quidem pijs atque cordatis sufficere poterat, vt correptionem æquo animo ferrent. Nam naturæ leges parentibus hoc ius tribuunt, vt filios errantes arguant, vel etiam væhementius corripiant pro delicti ratione. Eædem quoque leges hos astringunt, vt parentum correptionem patienter ferant, & illis obtemperent. Moses certè ex Dei mandato actionem capitis parentibus in filios contumaces permittit, & vt tales publicè lapidibus obruantur iubet. Vide Deut. 21.

Vt correptiones in ecclesia debeant institui.

Admonet autem nos suo exemplo Paulus, vt correptiones in ecclesia institui debeant. Est locus hic multa consideratione dignißimus. Nam admonitionibus & correptionibus opus esse, res ipsa docet. Vt enim ad vitia et errores natura procliues sumus: ita in nobis illa nō agnoscimus, imò nobisipsis in ijs etiam blandimur, quæ nos præcipites in exitiū rapiunt. Itaq; monitores esse oportet, qui vitia nostra arguāt, & nos de illis corrigendis admoneant. Viderūt hoc olim gentium Philosophi, qui hanc vtilitatē ex inimicis capere docuerunt, vt quando amici non semper in hac re suo officio funguntur, inimicorū exprobrationibus excitemur ad eorū considerationē, quæ prius in nobis minus obseruabamus. Sed melius nobis pro sua bonitate Deus cōsuluit, vt nimirum in ecclesia monitores sint publici, qui nō suis, sed ipsius verbis nos arguant, & pijs correptionibus in viam reducant. Et extant de hac re grauißima mandata, quibus prophetas olim Deus astrinxit. Isaiæ enim sic dicebat: Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam, et domui Iacob peccata sua. Ezechieli item: Fili hominis, speculatorem te constitui domui Israelis, audies igitur verbum ex ore meo, et disertè monebis eos ex me. Cùm dixero ego impio, Certißimè morieris, atq; tu non monueris eū disertè, neque locutus fueris disertè, dehortando impiū à via sua impia, vt viuat, ille quidē impius morietur in iniquitate sua, sanguinē verò eius de manu tua requirā, &c. Et in nouo testamēto Christus inter spiritus sancti officia primū numerat, quòd mundū arguere debeat de peccato. Imò in hūc finē potißimum Lex data est, vt in eius speculo videamus, qui simus, & quæ sit scelerum nostrorum atrocitas.

Isa. 58.
Ezech. 3.

Porrò

Porrò vt correptio non suo fructu careat, hæc obseruari debent. Primum vt certa habeatur delictorum ratio. Sunt in his alia priuata & occulta plerisque, adeò vt nullum ex illis scandalũ adhuc enatum sit: alia publica, & quæ non sine scandalo in omnium oculis & ore versantur. Illa priuatim & mitius corripi debent, ne si per nos in publicũ proferantur, ipsi scandali grauioris simus authores. Hæc autem publicè exagitari & accusari merentur, vt quod ex illis exortum est scandalum apud simplices & imperitos è medio remoueatur. Et huc illud Pauli pertinet: Eos, qui peccarunt, coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Vbi tamen vidẽdum est, ne (vt Stoici olim solebant) peccata omnia paria faciamus, & quæ leuicula per se sunt, Tragicè nimis amplificemus, sed vt singulis debitæ correptiones atque minæ adhibeantur. Deinde personas quoque considerare oportet, non vt personarum respectu nos duci patiamur, aut ad aliquorũ flagitia turpiter conniueamus (constat enim omnis loci & ordinis homines Verbo Dei subiectos esse) sed dispiciant prudẽter ministri, quo quisque modo aut ratione flecti aut corrigi possit. Nam vt iisdẽ morbis non eandem medendi rationem periti medici adhibent, sed ægrotantium naturam & complexionem (vt vocant) diligenter inspiciunt, vt huic remedia accommodent: ita non omnibus eadem monendi aut corripiendi ratio conuenit. Sunt enim aliqui mites & placidi, qui non tam malitia, quàm incogitantia & naturali atque omnibus insita ad malum procliuitate peccant. Hos mitius tractare oportet, ne in desperationem adducantur. Et hoc in Ezechia, optimo principe, Isaias obseruauit. Sunt alij, qui etsi minimè proterui & contumaces sint, in vitijs tamen obstupescunt, vt ea minus agnoscant: quos sancta astutia circumuenire proderit, vt ignorantibus & aliud cogitantibus peccati confessionem extorqueas, & iisdem tunc Dei iudiciũ ob oculos ponas. Cuius rei exemplum in Nathano propheta egregium habemus, qui hac ratione Dauidẽ iam quasi absorptum à peccato, & subinde in peius ruentem, in viam reuocauit. Sunt rursus duri & contumaces, qui cum Deo & verbo eius litem suscepisse videri possunt. Hi acrius vrgeri, et ad Dei tribunal citari debent, eòque seuerius cum illis agendum est, quò grauius & nocentius est scandalum, quod illi præbent. Ad hunc modum cum Achabo, impio & contumaci hypocrita, Elias agit: & huius generis cõciones passim in prophetis occurrunt, quibus eos seuerissimè tractarunt, quos incurabili malitia ad omne scelus ruere videbant. Denique vt pater liberorum ingenia obseruat, & his admonitiones atque correptiones attemperat: ita Verbi ministros seueritatem prudentia regere oportet. Finis autem non alius illis propositus sit, quàm peccatoris emendatio, non vt vel infamem faciant, aut in desperationem siue exitium adducant. Docet hoc proprio exẽplo Deus, qui per Ezechielẽ inquit: Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Quod si qui hoc agunt, vt qui peccarunt, infeliciter & turpiter pereant, ij non patres, nõ monitores, non item fidi ecclesiæ pastores, sed obtrectatores sunt, quibus nullus in ecclesia locus debetur. Hæc omnia si nostris temporibus applicentur, mox patebit, qua ratione hodie agendum sit. Sunt quidem adhuc piorũ aliquot reliquiæ, quorũ ratio diligens haberi debet. At maior hominũ pars illis moribus viuit, quos nouissimo sæculo regnaturos esse Christus & Apostoli prædixerunt. Accedit his, quòd alij Euangelij doctrinam contemptu plus quàm Cyclopico, alij odio immani & implacabili persequuntur. Interim omnes illi correptionem prorsus omnem fugiunt, & doctores quærunt qui blandiloquentia molli aures ipsorum fricent, & (vt Ezechiel ait) puluillos consuant, quibus ipsi suauiter possint indormire. Apud tales homines nulla correptio nimia, nulla castigatio acerbior æquo esse potest. Neque etiam audiri debent, qui clamant, nullius quærendam esse infamiam, neque pudore suffundendos esse eos qui peccarunt, sed curandum potius vt emendentur. Atqui apud istos homines emendationis spes non est reliqua: vt verò pudore suffundantur periculum non est, quando iam pridem cum timore Dei pudorem quoque omnem absterserunt, vt reuera in illos dici possit, quod olim suo populo Ieremias dicebat. Frons meretricis est tibi, renuisti erubescere. Quid ergo aliud restat, quàm vt ministri qua possunt libertate infelici mundo Dei iram denuntient, & cum suis animabus paruulas hasce piorum reliquias seruent?

Cæterum quia Corinthios Paulus filios dixerat, ostendit nunc se ipsorum patrem, & animo paterno in illos præditum esse. Ita verò hoc facit, vt præoccupatione ad id respondeat, quod illi

Delictorum & personarum ratio habenda.

1. Tim. 5.

2. Sam. 12.

1. Reg. 18. & 21.

Ezech. 18.

2. Tim. 4.
Ezech. 13.

Ierem. 3.

Ostendit se patrem esse Corinthiorum.

poterant obijcere: Atqui hi ipsi, quos tu insectaris, etiam nos filiorum loco habent, & non minus quàm tu patres nostri sunt, nos item diligũt, & gloriã nostram prouehere student. Etenim iã ante diximus, Corinthios ita dementatos fuisse, vt se alijs ecclesijs præstare putarent propter doctores illos, qui inaui ostentatione oculos illis perstrinxerãt. Respõdet ergo Paulus: Etsi decẽ millia pædagogorum habueritis in Christo, at non multos patres habetis, &c. Quibus verbis hoc dicere videtur: Audio quid de vestris illis sentiatis, & fateor eos posse pædagogos vestros dici in Christo, sed vt patres vestri dicantur nunquam concesserim. Nam pædagogos quidem multos inuenire potuistis, qui mercenariam operam vobis præstiterunt, sed qui patres vestri fuerint, non ita multos habuistis: neq; ego hunc titulum facilè alicui permiserim, qui mihi optimo iure debetur. Ego enim is sum, qui in CHRISTO IESV per Euangeliũ vos genui, & ideo patris nomen meritò mihi vẽdico, à vobis autẽ cõtẽni et reijci nõ possum, nisi in pietatis et naturæ leges peccare libeat.

Conciliatur Paulus cũ verbis Christi Matth. 23.

Quærunt hoc loco nonnulli, annon in Christi præceptum Paulus peccauerit, quod ille Matth. 23. cap. his verbis compræhendit: Patrem vestrũ neminem vocetis in terra, vnus enim est Pater vester, qui in cælis est? Quã quæstionem olim à Donatistis quoq; motam fuisse D. Augustinus scribit, cui catholici responderint, Paulum hoc honorificentiæ causa dixisse propter euangelicũ ministeriũ quod dispensabat: Nã patrẽ ad fidem salutemq; æternã non esse nisi Deũ, et proinde distingui debere, quid diuinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ causa dicatur. Et rursus idẽ pater in enarratione Psal. 77. de verbis illis Christi sic scribit: Hoc non ideo dictũ est, vt hoc vocabulũ honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei, qua in æternam vitã regeneramur, naturæ, vel potestati, vel etiam sanctitati cuiusquã hominis tribueretur. Ideo cùm diceret Paulus, Ego vos genui: prædixit, In Christo, & per Euangeliũ: ne ipsius putaretur esse, quod Dei est. Hæc August. Christus ergo aduersus eos agit, qui in populũ Dei sibi dominiũ vendicabãt, & ita patres volebant dici, vt eos in sectas distraherent, qui vnus populus et solius Dei peculiũ esse debebant. Hoc enim illo tempore Pharisæorum & Sadducæorum et Essenorum antesignanos fecisse scimus: quorum hodie similes sunt, qui in Monachorum familijs Abbates, idest, patres dicuntur. Prohibet ergo Dominus, ne quoad fidem & cælestis regni hæreditatẽ, aliquẽ mortaliũ patrẽ nobis constituamus, præter Deum, qui solus fidem nobis largitur, & nos in filios adoptat. At Paulus pro ministerij ratione loquitur, neque Deo aliquid derogat, cuius ministrum & cooperarium se esse iam ante fuit testatus. Vt ergo Deus, qui corporum quoque creator & pater est, patris tamen nomen honoris causa illis quoque concedit, ex quibus generamur: ita eos etiam quoad fidei & salutis æternæ negotium, patres dici permittit, quorum ministerio in nobis regenerandis vtitur. Viderint modò illi, ne sibi quicquam præter ministerium tribuant.

Distinguit inter patres & pædagogos.

Sed reuertamur ad præsentis loci tractationem, quo Paulus inter patres & pædagogos distinguit, vt ostendat, vehementer falli Corinthios, qui patres esse putent eos, qui non nisi pædagogi sint, quos rarò ea cura & fide præditos videre liceat, qua parentes filiorum commodis inuigilare solent. Alludit ergo ad cõmunẽ morem, & ex eo quod vt plurimũ fieri solet, argumentũ suũ deducit. Pater filiũ ex se natũ, vbi literarũ & disciplinæ diligentioris iã capacẽ esse vidit, pædagogis erudiendum tradit: Ita Paulus, cùm primus Corinthios in Christo per Euangelium genuisset, & eos iam aliquo vsque progressos videret, aliò vocatus à spiritu doctoribus alijs commisit, qui ab ipso iacta fidei semina ad suam maturitatẽ æducarent, & illos perfectiores facerent. Fuit inter hos initiò Apollos, qui fidum & industriũ pædagogũ egit. Sed mox alij secuti sunt, qui quod vulgus pædagogorum solet, fecerunt. Vt enim hi plerumq; in solam mercedem intenti animos à paterno amore atque cura alienissimos habent, ijque suæ fidei creditos pueros vel indulgentia nimia corrumpunt, vel nimia seueritate in seruitutem redigunt, & seruili metu eos coercent, qui ingenuo pudore & institutione liberali ducendi erant: Ita vtrumque apud Corinthios factitarunt, qui in eã ecclesiã post Pauli discessum irrepserant. Nã non illorũ in vera pietate profectũ, sed sua modo cõmoda quærebant, vt ipsi nimirũ in honore & pretio essent, & inter ecclesiarũ certamina otiosi spectatores diuitijs augerentur. Itaq; ad multa cõniuebant, in quibus seueriori disciplina opus erat, vt in incesti exẽplo, idolothytorum cõmunione, Cœnæ dominicæ abusu, cætuum sacrorum ἀταξίᾳ & multis similibus est videre: Rursus ijdem pecunijs omnes emungebant,

in seruitutem redigebant, infames reddebant, & tantumnon in faciem quosuis cadebant, vt in posteriori epistola apertius docet. Hi tamen Paulo, qui vt optimus pater dies noctesque pro ipsorum salute solicitus erat, præferebantur. Rectè ergo dicit, quòd etsi decem millia pædagogorum hucusque habuerint, neminem tamen pari erga ipsos cura & studio præditum habeant. 2.Cor.11.

Est autem hoc memorabile exemplum, quo docemur, quæ sit filiorum huius sæculi peruersitas. Vt enim filij parum adhuc prudentes fere pædagogos ignauos & indulgentiores parentibus præferre solent, seque ab illis seruiliùs tractari facilè patiuntur, dummodo iuuenilis licentiæ habenas ipsis laxent: Ita plerique hominum falsos doctores aut ignaua ventris & auaritiæ mancipia magis colunt & amant quàm fidos Dei seruos, quibus & huius gloria & ecclesiæ salus quàm maximè cordi est: neque aliquorum sumptuum plerosque piget, quibus grauantur ab impostoribus, modò disciplinæ Christianæ iugo se solui sentiant. Factum hoc olim prophetarum temporibus. Nam ex mensa regia impij Baalis sacerdotes & seductores alebantur, cùm Elias & alij prophetæ veri partim exularent, partim in speluncis tenuissimo victu contenti delitescerent. Sic in honore & pretio erant, qui vrbe à Babylonijs obsessa impijs & pœnitere nescijs læta & fausta omnia pollicebantur: cum è contra Ieremias proditionis suspectus esset, & in tetro carcere famem grauissimam pateretur. Quid verò sub Christi aduentum, quoad sacerdotes & scribas, factum sit, notius est, quàm vt multis commemorari debeat. Et hoc illud est, de quo nos Paulus ad Timoth. scribens præmonuit, fore nimirum tempus, quando sanam doctrinam non tolerabunt, sed auribus prurientes ipsi sibi pro suis cupiditatibus coaceruabunt doctores, qui nimirum blanda & ipsorum desiderijs conuenientia prædicent. Quod vt in Papatu fiat, quis non videt? Nec enim ijs contenti, qui in singulis parochijs superstitiones tradunt ineptissimas, insuper Monachorum & fraterculorum examina passim alunt, qui ad fruges consumendas nati, nihil præterea agunt, quàm quòd infelicem populum miserrima animarum seruitute grauant, & nocentissimis traditionibus dementant. Sunt tamen illi grati & accepti omnibus, cùm interim vel exibilentur ignominiosè, vel cum egestate & fame luctentur, quicunq; communi omnium saluti consultum volunt. Mundi peruersitas circa doctores. 1.Reg.18. Iere.37.& 38.

Cæterùm peculiari consideratione digna sunt Pauli verba, quibus se Corinthios in IESV CHRISTO per Euangelium genuisse scribit. His enim totum regenerationis nostræ mysterium comprehendit, à quo omnis salus nostra dependet. Nam illa omnino opus esse, Christus disertè affirmat, Nicodemo dicens: Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei. Causa huius dicti satis nota est, quòd natura corruptissimi sumus, quoad omnes facultates. Intellectus enim non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei. Sequitur hinc voluntas, quæ cum desiderijs omnibus ad malum procliuis & propensa est. Hæc deinde opera gignit, quæ vt cum Dei voluntate pugnant, ita nos ab eius regno quàm longissimè abstrahunt. Ergo quanti quanti sumus, caro sumus & mundus, quem spiritus sancti capacem esse Christus negat, & vt Petrus ex Isaia annotauit, fœnum & gramen sumus, cuius gloria euanida est, neque consistere potest in Dei iudicio. Nisi ergo renati in alios homines transformemur; regnum Dei videre non poterimus. At in quo fit (inquis) regeneratio? Respõdet Paulus, & eam nobis in Christo monstrat. Quia enim hic germanus & vnigenitus est Dei filius, nos nisi huius fratres efficiamur, Dei filij nunquam erimus: & ideo ille primogenitus dicitur esse inter multos fratres, idest, inter omnes, qui in ipso filij Dei facti sunt. Adde, quòd cùm in illo solo vita & salus sit, ad vitam renasci non poterunt, nisi qui huic fuerint insiti. Sequitur ergo, quòd neque filij Dei, neque etiam vitæ participes sint, quotquot extra Christum sunt: id quod ad religionis Christianæ commendationem plurimum facit, & omnium aliarum sectarum superstitiones validissimè confutat. At medium quoque regenerationis huius indicatur, Euangelium. Hoc enim nobis Christum prædicat, & ex huius auditione fides nascitur, qua sola illum apprehendimus: & ideo semen regenerationis dicitur, quia animis nostris conceptum, & spiritus virtute viuificatum, nos totos Christo vendicat, vt iam non nos viuamus, sed ille in nobis viuat & regnet. Ex quibus apparet, totum hoc negotium à sola Dei gratia pendere, neque hîc aliquid nostris viribus aut meritis debere tribui. Si enim ad corporis nostri generationem nihil conferre possumus, neque in nostro ar- Regenerationis mysterium. Gen.6. Ioan.14. 1.Pet.1. Rom.8. Galat.2.

bitrio aut potestate est, vt mares aut fœminæ, robusti aut infirmi, albi aut rufi nascamur: quantò minus in nobis erit, vt in Dei filios renascamur, qui natura filij iræ sumus?

Officium ministrorum & auditorum.

Ista verò tam ministros Verbi quàm credentes, adeoq; totam ecclesiam sui officij admonent. Meminerint illi se regenerationis huius ministros, & proinde Dei cooperarios esse, & hanc solam ob causam patres dici. Curent ergo, vt patres fidos & industrios agant. Et primò quidem toti in hoc sint, vt quàm plurimos regenerent in Christo, qui relictis superstitionibus & infelicis mundi consuetudine ad Dei ecclesiam accedant, & huius filij efficiantur. Vtq; parentes ex se natos non exponunt aut abijciunt, sed studiosè educant & fouent: Ita quos semel illi Christo lucrifecerunt, eos instituere & cura diligenti in veræ pietatis cognitione prouehere satagant, vt aliquando in viros perfectos adolescant. Ibi doctrinam prudenter temperare opus est, vt infirmioribus lac, adultioribus autem cibus sit. Et quia frequenter degenerant, qui iam probè renati videbantur, eos iterum parturiant (quod in Galatis suis Paulus fecit) vsque quò Christus in illis formetur. Est ergo munus hoc arduum, plenum item molestiæ & curarum: quod qui rectè expendunt, næ illi non multum otij sibi reliquum esse sentient, quod studijs leuioribus, aut etiam impuris mundi voluptatibus vel (vt multi hodie solent) curiosis potius quàm vtilibus disputationibus & rixis impendant. Quare ministros quidem ecclesiarum hæc excitare debent, vt officium suum sedulò faciant: reliqui verò ordini, quem Deus instituit, sese non minori diligentia accommodent. Audiant itaq; Verbum Dei, & intra animos reconditū assidua meditatione foueant, vt in Christo renasci & filij Dei germani fieri possint. Id enim non fiet, nisi se totos Dei verbo subijciant per fidei obedientiam, vt iam sæpe diximus. Confutatur ergo hîc simul eorum commentum, qui hodie Ecclesiæ authoritatem supra Scripturas aut Dei Verbum extollunt, & hoc illius testimonio confirmari oportere clamant. Quàm enim absurdum hoc sit, ex eo apparet. quòd nisi ex Dei Verbo Ecclesia nascatur, nulla omnino in rerum natura fuerit.

Galat. 4.

Paulus se proponit imitandum.

Sed ad Paulum redeamus, qui cùm se patrem Corinthiorum dixerit, nunc infert: Precor vos igitur, imitatores mei estote. Argumentum est ex naturæ legibus, quæ monent, ne filij à parentum virtutibus degenerent. Quoad ergo huius tractationis statum, hic istius admonitionis sensus est. Cùm me, quem patrem vestrum esse negare non potestis, videatis nullis rebus externis, sed in vna Christi cruce gloriari, vos quoque idem facere conuenit. Turpe enim fuerit filios insolenter superbire, & in patre sibi propositum humilitatis exemplum negligere. Precandi autem verbo vtitur, vt paternum in illos animum melius exprimat, & parum ingenuos esse ostendat eos, qui patris preces contemnunt. Est autem hoc præclarum integritatis Pauli testimonium, qui cum illis agens, quos maiori ex parte non optimè de se sentire sciebat, se tamen illis in exemplum proponere audet. Præcipit hoc Petrus omnibus, qui in ecclesiæ ministerio versantur, vt non superbum in hanc dominium sibi sumant, sed exemplar gregis esse studeant. Et Paulus Titum monet, vt se exemplum bonorum operum omnibus exhibeat. Timotheo autem sic scribit: Esto exemplar fidelium in sermone, in conuersatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate. At quod ecclesiarum ministris dicitur, sibi dictum putent omnes, qui in alios aliquod ius habent & imperium, siue illi in magistratu sint constituti, siue parentes aut publici iuuentutis præfecti sint. Etenim si isti omnes cum Paulo suis dicere possent, Imitatores nostri estote: ingens profectò ad pietatem publicam momentum accedere videremus. Sed quæ non postrema est nostri sæculi calamitas, ita plerique viuunt, vt suijpsorum eos pudeat, quæ causa est, vt peccandi licentia ad omnes ordines deriuetur.

1. Pet. 5.
2. Tit. 2.
1. Tim. 4.

Ratio vera imitandi Sanctorum exempla.

At videndum est hoc loco, quam rationem in sequendis sanctorum exemplis tenere debeamus. Nam ex hoc Apostoli præcepto alij Monachorum regulas atque ordines stabilire conantur, alij quiduis sibi licere putant, cuius exemplum in aliquo sanctorum inueniunt. Fit ergo, vt ebriosi Noa & Lothum, adulteri Dauidem adducant, vt horum exemplis intemperantiæ & nequitiæ suæ patrocinentur. Sed nihil huius vult spiritus sanctus, & infrà cautionem huic præcepto Paulus adhibet, sic dicens: Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Itaque omnis virtutis archetypus Christus est, qui in Euangelio seipsum nobis exemplum proponit, quod in tota vitæ nostræ conuersatione sequantur. In hominibus etiam sanctißimis næui & vitia sunt, vt sæpe iam diximus

mus. Videndum ergo vt quatenus illi Christum imitati sunt, nos illorum vestigijs insistamus. Non autem temerè spiritus non solius Christi, sed sanctorum quoque exempla nobis proponit, ne quod ille à nobis exigit, præstitu impossibile putemus: quo argumento se multi excusant. At quàm friuolè id faciant patet, si eos consideremus, qui Christum egregiè imitati sunt, & simul cogitemus, nos, qui ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei sumus, in Christo nihil non posse, quando eius spiritu mouemur & regimur. Nemo igitur sibiipsi delitias faciat, sed agnoscant omnes admirabilem & plus quàm paternam Dei bonitatem, qui vt nos ex Verbi semine in filios suos regenerat, ita Spiritu quoque suo dignatur, & simul Filium suum vnigenitum nobis perfectum omnis virtutis exemplar fecit. Hunc ergo imitemur, huic fidamus & viuamus, cui vni & soli debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXII.

Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino: qui vobis in memoriam reducet quæ sint viæ meæ in Christo, sicut vbique in omnibus ecclesijs doceo. Cæterùm perinde quasi ego non sim venturus ad vos: inflati sunt quidam. Sed veniam breui ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non sermonem istorum, qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone situm est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis? Cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis?

CVm Paulus in illis, quæ proximè præcesserunt, non obscuris argumentis docuisset, se credentium, qui Corinthi erant, patrem esse, eò quòd illos primus per Euangelium in Christo genuerit, vt ex impijs & idololatris veri Dei filij efficerentur: mox eosdem grauiter monuit, vt sui imitatores esse studeant. Quo loco vidimus, qua fide in suo munere versatus sit, & quid omnes eos deceat, quibus Deus in alios homines ius & imperium aliquod concessit. Erant autem apud Corinthios duo hominum genera. Vnum quod veritatis studiosos & Pauli amantes habebat, qui cùm rebus afflictis consultum vellent, ipsum quàm ocyssimè aduentare cupiebant, & proinde eius mora non parum offendebantur. Alterum ex illis constabat, qui hostili in illum animo præditi hoc agebant, vt ipsius authoritate extincta prorsus, ipsi soli in illa ecclesia dominarentur. Poterant ergo priores illi obijcere: Et quid Paule, vt te imitemur, iubes, cùm te neque videamus coràm, neque etiam sciamus, vbi nam locorum agas, quò tendas, aut quid facias? Quin ergo ad nos te confers, vt tua doctrina simul & exemplo coràm confirmemur? Alteri verò eius absentia & aduentus dilatione confidentiores facti, multa in illo calumniabantur, vt eum omnibus contemptum, imò inuisum atque suspectum facerent. Itaque priusquam locum hunc concludat, vtrisque respondet, & verè paternum animum declarat: dum & pijs bonam sui aduentus spem facit, & alteros illos grauitate & seueritate apostolica territos coercet.

Ad primos pertinet quod dicit: Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino, &c. Quæ verba cùm præcedentibus hoc sensu connectit: Iussi vos meos imitatores esse, nec dubito esse aliquos minimè malos, qui quid in me potissimùm obseruare & imitari debeant, ignorent. Ne ergo dubij & suspensi hæreretis, Timotheum ad vos misi, qui quod ego absens non possum, sua præsentia abunde præstabit. Est enim filius meus, vtpote per me quoque Christo genitus: neque vulgaris, sed dilectus filius est, qui mecum familiarissimè iam diu versatus, nihil eorum, quæ ad me spectant, ignorare potest. Idem quoque fidelis est in Domino, id est, in omnibus negotijs Domini nostri IESV CHRISTI, cuius potissimùm causa hîc agitur. Ita verò Timotheum à scientia rerum, quæ per ipsum agendæ erant, & fide commendat. Estque hæc laus amplissima, in qua discimus, quibus argumentis laudari debeant ecclesiarum ministri. Primo nimirum, si apostolorum filij, id est, germani discipuli & earum

Timotheum cur Corinthum miserit Paulus?

rerum gnari atque periti sint, quæ illi nobis de Christo & per illum parta salutis negotio tradiderunt. Quem enim docere poterunt, aut ad vitam æternam instituere, qui ipsi ignorantes, & (vt Christus ait) cæci cæcorum duces sunt? Huic autem alterum accedat, vt fideles sint in omnibus, quæ ad prouehendum Christi regnum faciunt. Comprehendit igitur, his verbis Paulus, quæcunque in suo œconomo aut dispensatore Christus requirit, quando eum fidelem & prudentem esse iubet. Et tali quidem viro imprimis opus erat apud Corinthios, qui & nihil celaret eorum, quæ cognitu necessaria sunt, & ferociora illa hominum ambitiosorum atq; confidentium ingenia commodè & qua decebat moderatione tractare posset, &c.

Exemplum prudentiæ & charitatis apostolicæ.

Habemus igitur hoc loco præclarum prudentiæ simul & charitatis apostolicæ exemplum. Prudentiæ enim est, quòd non quemuis temere mittit, sed eum, qui ad res agendas idoneus erat, & quem illi nullo iure contemnere poterant. Et debent hoc imprimis obseruare, qui negotia alicuius momenti per legatos conficere instituunt. Nam quàm multum referat legatos mittere, qui rerum prudentia, grauitate & fide præditi sint, gentes quoque intellexerunt, apud quas grauissimum fuit παραπρεσβείας crimen, quod illis intendebatur, qui commissam sibi legationem infideliter aut negligenter obiuissent. Et non temere à Solomone dictum est, Truncat pedes & bibit violentiam, qui mittit verbum per manum stulti. Quo prouerbio & absurdè nimis facere & sibijpsis malum violenter accersere docet eos, quicunque hominibus ineptis aut malitiosis ad res arduas vtuntur. Et quantum mali tales dare soleant, in illis est videre, qui ad terram Chananæorum explorandam emissi, sua meticulositate & ignauia toti Israelitarum populo grauissimi sceleris simul & exitij authores fuerunt. Quibus si ex Romana historia Pompilium legatum opponas, qui incredibili grauitate Antiochum Syriæ regem sic terruit, vt à Ptolemæo infestando abstineret, & bellum, quod sibi à Romanis imminebat, declinaret: videbis vnius viri virtute duo simul regna seruata, & Romano etiam imperio quietem partam fuisse. Charitatis autem & amoris paterni argumentum est, quòd eos minimè negligit, à quibus procul aberat, quando ad eos Timotheum mittit, quo neminem chariorem & magis fidum habebat, & quo ipse interea non poterat carere absque magno suo incommodo. Nam vt ad Philippenses scribit, cùm alij ferè omnes sua modò quærerent, solus ille eodem cum Paulo animo præditus ecclesiarum res syncerè & fideliter agebat. Videmus ergo Apostolum nihil antiquius habuisse ecclesiarum salute. Quod exemplum si hodie imitarentur, qui vel in ecclesia vel repub. rebus præsunt, procul dubio plus proficerent, & tam ecclesias quàm respub. melius institutas haberemus. At plerique otium priuatum quærunt, & suis atque suorum commodis student, nihil interim aut parum de publica salute soliciti. Quo fit, vt omne periculum declinandum esse putent, & dum hoc agunt, ferè in extremum discrimen res adducunt, & pios quidem suo exemplo remissiores, impios verò & nouarum rerum studiosos audaciores reddunt.

Prouer. 26.

Val. Max. 6. cap. 4.

Philip. 2.

Timotheus vias Pauli exponere debuit.

Quid verò illud est, quod apud Corinthios Timotheus facere debuit? Duo dicit. Primum, Is vobis in memoriam reducet, quæ sint viæ meæ in Christo. Vias vocat scriptura viuendi rationem, quam quisque sequitur, studia item & quæcunque ex his dependent, adhæc præcepta & leges, quibus ista omnia reguntur. Ideo Dauid orabat, vt Deus ipsum suas vias doceret, inq; semitis suorum præceptorum deduceret. Hoc ergo vult dicere: Timotheus vos certiores faciet, quid agam, quæ mea sint studia, quibus rationibus regnum Christi proueham, quibus denique casibus atque periculis exercear, & qualem me inter ista omnia geram. Et hoc maximè ad id pertinet, quo vt suum exemplum imitarentur, monuerat. Atqui de his omnibus haud dubiè sæpius audierant, imo sesquianno toto Paulum coràm viderant, vt nihil eorum deberent ignorare. Sed non sufficiebat hoc, quia tantumnon obliti erant istorum omnium: & ideò hanc eorum negligentiam non obscurè his verbis perstringit. Est hæc ingenij humani infirmitas, vt non semper eorum capaces simus, quæ cognitu imprimis sunt necessaria: aut eadem non semper memori mente retineamus. Admonet de hac Christus discipulos suos, quando se multa habere ait, quæ illis dicat, ipsos autem ad ea percipienda nunc idoneos non esse, ideoque spiritum pollicetur, qui ipsis omnia suggerat, & prius audita in mentem reuocet. Vnde colligimus, in ecclesia quotidianis admonitionibus,

Ioan. 14.

suggestionibus, hortationibus, consolatione item frequenti, & interdum correptione etiam seueriori opus esse, & rursus eorum error atque ignorantia confutatur, qui cùm ista superuacanea esse putent, totum ecclesiæ ministerium contemnunt atque reijciunt. Alterum, quod Timotheo apud Corinthios ex Pauli mandato agendum erat, fuit, vt illis exponeret, quæ eius doctrina esset in omnibus ecclesijs, aut quam docendi rationem vbique locorum sequeretur. Videtur hoc propter illos adiectum fuisse, qui rerum imperitis & simplici plebi persuadere conabantur, illum non eadem seueritate apud omnes vti, & in nonnullis locis diuersam docendi rationem sequi, adeoque sibi non semper similem esse. Facit hoc multum ad animorum alienationem aut exasperationem, si qui putent se durius quàm alios tractari: neque aliud est, quod doctoris authoritati plus deroget, quàm si in suspicionem veniat, quòd sibijpsi non semper constet. Ideo vt hac culpa Paulus liberaretur, omnino necesse fuit.

Continet autem locus hic egregiam doctrinæ apostolicæ commendationem, quæ in duobus hisce consistit. Primum, quòd vias Christi tradit, id est, ea quæ illi ab æterno Dei Filio acceperunt, & ex spiritus sancti suggestione vbique terrarum prædicarunt. Et hoc illud est, quod Christus discipulis in mandatis dedit, vt nimirum ea omnes gentes doceant, quæ ipse tradiderit. Alterum, quòd in hac doctrina tradenda illi constantes, & vbique locorum sui similes fuerunt, neque genus doctrinæ pro hominum diuersitate mutarunt: vt facere solent, qui nihil præter vulgi applausum aut hominum potentum atque magnatum fauorem venantur. Paulus certè tantam constantiæ huius rationem habuit, vt non veritus sit dicere: Si ego Paulus, aut etiam Angelus è cælo euangelizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema esto. Debet igitur hoc ante omnia obseruari ab omnibus, qui ecclesias rectè constitutas esse volunt. Quia enim Dei domus est ecclesia, non alia quàm Dei vox in ea audiri debet: & quia idem hic supra omnes eminet, nullius hominis tanta potest esse authoritas siue meritum tantum, vt in eius gratiam aliquid mutetur. Arguit hoc eorum impudentiam, qui nobis sub Apostolorum nomine putidissima quædam figmenta, & nescio quos Canones obtrudunt, in quibus nihil habetur, quod grauitatem apostolicam sapiat, multa autem insunt, quæ si cum illorum scriptis conferantur, ab ijs per omnia dissentire apparebit. Damnatur etiam illorum exemplo eorum leuitas, qui in doctrinæ capitibus controuersis cothurnos fingunt, id est, locutiones ambiguas atque dubias, quibus apud diuersos auditores sensu quoq; diuerso vtantur. Volunt isti homines sese omnium moribus atque ingenijs accōmodare, & pacis studium prætexunt, quo suam leuitatem excusent: at interim hoc agunt, vt & Deo minus fideles sint, & ferè dissensionum incendia maiora excitent, seq; ipsos labyrinthis inextricabilibus inuoluant: cuius rei exempla infinita hodie vidimus.

Doctrinæ apostolicæ commendatio.

Cæterùm in Pauli verbis pergamus, qui nunc ad alteros illos sermonem conuertit, qui cùm hostiliter eum odissent, eius absentia insolentiores fiebant, vt sibi quiduis in ecclesia illa licere putarent. Sic autem ait: Cæterum perinde quasi ego non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam, &c. Hæc dicendo in conscientias illorum penetrat, & non obscurè docet, quòd etsi ipsum improbè traducant, & contemptissimè de illo loquantur, non possint tamen non eius aduentum timere, eò quòd intra animos suos conuicti ipsum Spiritus virtute armatum esse sciant, cui ipsi pares esse non possint. Sensus ergo verborum est: Etsi non ignorent qui sim, & iam nunc intra animos suos non leuiter pungantur, tamen nouos quasi spiritus concipiunt, quando me nunquam posthac ad vos venturum esse sibi persuadent. Sed plurimùm fallentur spe sua. Veniam enim breui, & fortassis citius quàm quis putet, si Dominus voluerit. Et tunc cognoscam qui nam & quales illi sint, qui nunc tantum sibi iuris sumunt in ecclesia, vt Apostolorum quoque doctrinam insectari & contemnere non vereantur. Experimentum enim capiam, non de verbis illorum & dicendi facultate, qua illos magnificè instructos esse non ignoro: sed de virtute, an scilicet eo Spiritu armati sint, quo Christi ministros confirmari oportet, & num effectus verborum splendori & magnificis illorum promissis respondeat. Sunt autem in his quædam nobis diligentius inspicienda.

Terret eos, qui absentia sua erant confidentiores.

Primum in his est Sathanæ astutia, qui vt lupus stabulis & gregibus insidiatur, quando pastores aut abesse aut dormire, vel circa alia occupari sentit: ita ille ecclesijs ferè tunc

Diabolus ministrorum absentiam captat.

malum struit, quando doctoribus fidis & industrijs destitutas esse, aut eos qui adsunt in officio suo remissiores esse videt. Et hoc illud est, de quo nos Christus præmonuit, quando inimicum sementi iam factæ Zizania sua aspergere dicit, dum homines dormiunt. Et Paulus in Miletana Synodo cum Asiæ ministris agens, inter alia inquit: Noui ego hoc, quòd post discessum meum ingressuri sint in vos lupi graues, non parcentes gregi: & ex vobisipsis exorientur viri, qui loquantur peruersa, vt discipulos post se abstrahant. Quod Corinthijs accidisse, hucusque audiuimus, vt & multis alijs, quos Satan ad resistendum minus paratos aut instructos esse animaduertit. Et hoc Apostolos tam solicitos fecit, vt quàmuis ex officio non possent in certo aliquo loco subsistere, vt qui rerum à Christo gestarum testes oculati Euangelium vbique gentium prædicare, & nouas quotidie ecclesias colligere debebant, eas tamen quas iam constituerant, crebrò inuiserent, aut saltem literis suis confirmare & in officio continere studerent. At hodie, qui se Apostolicos esse gloriantur, cùm ecclesiarum plurium episcopi esse velint, ne vni quidem adesse solent, vt quæ pastoris sunt obeant. Extant quidem Canones plurimi, nec non Conciliorum decreta, quibus in ecclesijs suis residere, neque ab his discedere iubentur: sed hæc facilè illi contemnunt, qui interim totum terrarum orbem ferro & igne cogendum esse clamant, vt omnes Conciliorum statutis obtemperent. Chrysostomus olim Epiphanium, virum alioqui sanctum & de re Christiana bene meritum, publicè reprahendit, quòd relicta Cypro, cuius episcopus erat, ad alias ecclesias excurreret, & in illis contra Canones negotia ecclesiastica obiret. Quid ergo illum hodie dicturum putas, si episcopos in aulis regum, inter heroinas aulicas, aut etiam inter ganeonum & scortorum greges, imò in medijs castris bellica negotia tractare cerneret? Porrò quod de ecclesiarum pastoribus dicitur, non minus ad eos etiam pertinet, qui magistratum gerunt. Nam hi quoque imprimis cauere debent, ne quæ ipsis agenda sunt negotia per vicarios obeant. Est enim hæc reipub. pestis nocentissima, nec credibile est, alium in ijs seriò officium facturum esse, in quibus te negligentem videt, ad quem illorum cura maximè pertinet. Est præterea hoc ipsum obseruatu imprimis necessarium in re domestica ne parentes à domibus & familia sua temere absint. Vt enim illorum præsentia domesticos omnes in officio continet: ita mox lasciuiunt serui & liberi, si illos in rebus suis curandis negligentiores esse videant. Prudenter ergo veteri prouerbio omnis loci & ordinis homines admonentur, vt relictis negotijs nihil ad se pertinentibus, Spartam, quam nacti sunt, ornent. Quod si omnes facerent, melius haberent res humanæ cùm priuatæ tum publicæ.

Socrates lib. 6. Cap. 14.

Christiana modestia.

Deinde exemplum piæ & Christianæ modestiæ nobis Paulus exhibet. Etsi enim rem polliceatur per se sanctam, & quam ad suum officium pertinere sciebat, nihil tamen temere aut confidenter de seipso & voluntate sua præsumit, sed voluntati Dei omnem sui instituti euentum permittit. Veniam (inquit) ad vos breui, si Dominus voluerit. Nouerat enim nihil esse in nostro arbitrio aut potestate, & proinde Solomonem non minus verè quàm piè dixisse: Cor hominis deliberat de via sua, Dominus autem dirigit gressum eius. Est ergo hic ferè sanctorum mos, vt in consilijs atque institutis suis semper Dei voluntatem excipiant, cùm ferè nobis non constet, num per nos confectum velit Deus, quod per se bonum est, & ad nos maximè pertinet. Et non parum prodest, vt huic mori assuescamus: quia ad pietatem plurimùm facit, & Dei timorem in animis nostris excitat, denique ceu fræno nos continet, ne quid arroganter de nobis ipsis sentiamus. Ideo Iacobus multis & grauiter nos de hoc admonet, & secus facientes corripit, dicens: Age nunc qui dicitis, Hodie vel cras ibimus in illam vrbem, & transigemus illic annum vnum, & mercabimur, & lucrabimur: Qui ignoratis quid futurum sit postero die (quæ est enim vita vestra? vapor enim est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit) Pro eo quòd dicere debebatis, Si Dominus voluerit & viuamus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem gloriamini de arrogantia vestra: Omnis eiusmodi gloriatio mala est. At si malum est confidentius de illis statuere, quæ bona & quæ nostri officij sunt, quid de illis iudicare nos oportet, qui cum ea penes se statuant, quæ impia & iniusta sunt, de ijs tamen perinde pronuntiant, ac si in ipsorum arbitrio & potestate sit, illa perficere. Faciunt hoc ferè, qui aduersus Christum & ecclesiam eius conspirant, & Euangelij prædicationem extinctam volunt. Horum enim sermones sunt,

Prouer. 16.

Iacob. 4.

quos

quos David olim illis tribuit: Rumpemus vincula eorum, & lora eorum abijciemus. Neq; cogitant, Deum in cœlis residere, qui ipsorum consilia ex alto irridet, & plerunq; in ipsorum exitium illa conuertit. Fit ergo illis, quod Achabo, qui Michea mortem indignam minabatur, si ex Syris victoriam, quam falsi prophetæ promiserant, referret: at in acie cæsus impiæ arrogantiæ pœnas dedit. Similis fuit Iuliani exitus, qui cùm eo animo in Parthos expeditionem faceret, vt his deuictis Christianos simul omnes aut deleret aut ad fidem abnegandam cogeret, ex improuiso vulneratus & cùm horribili extremæ desperationis indicio mortuus, suo exemplo docuit, quid omnes eos maneat, qui simili temeritate aduersus Christum aliquid tentant. Psalm. 2. 1. Reg. 22.

Sed tertium quoque, quod hîc proponitur, videamus: quid nimirum Paulus Corinthi facere voluerit? Cognoscam (inquit) non sermonẽ istorum, qui inflati sunt, sed virtutem. Sermonis nomine dicendi facultatem & verborum splendorem intelligit, quo æmuli eius sese apud rude vulgus venditabant. Virtus autem efficaciam Spiritus sancti significat, quæ in illis sese exerit, qui in ecclesia seriò agunt Domini negotium. Sensus ergo est: Vbi ad vos venero, non multum morabor quàm multa quamq; magnifica illi dicant, sed in hoc potius intentus ero, num illorum verbis coniuncta sit Spiritus sancti virtus, & quid hactenus sua illa facundia & orationis apparatu profecerint. Et huius dicti rationem subijcit: Non enim in sermone situm est regnum Dei, sed in virtute. Regnum Dei frequenter in scripturis dicitur Euangelij prædicatio, & tota illa ratio, qua homines Christo adducuntur per fidei obedientiam, vt Deum in se regnare patiantur, & tandem regni eius cœlestis atque æterni participes fiant. Hoc (inquit) omne non in verborum magnifico splendore consistit, sed in eo, vt qui Euangelij præcones sunt, armis spiritualibus instructi, Zelo ardenti & inuicto prouehendi regni Dei studio toti in hoc incumbant, vt quæcunq; huic aduersa sunt demoliantur, ea autem plantent & ædificent, quæ ad Dei gloriam faciunt, vtq; omnes ad Christi obsequium adducant. Neque temere hoc dicit Paulus. Vt enim Christiana religio non in otiosa θεωρίᾳ aut contemplatione, sed potius in πράξει & totius vitæ conuersatione consistit: sic ministrorum ecclesiæ conditio militiæ instar est (vt in posteriori epistola docetur) cuius finis est, vt deuicto diabolo, mundo & carnis sensu atq; intellectu omni, ad fidei obedientiam omnes pertrahantur. Quapropter vt in militia non qui multa loquuntur laude digni sunt, sed qui rem strenuè ac fortiter gerunt: ita hîc non verbis, sed factis res geritur, & triumphum merentur, qui ecclesias constituunt, in quibus eiecto procul Satana solus Christus imperium obtinet. Similis locutio in Epistola ad Roman. habetur: Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Debet autem hinc generalis doctrina peti, ne vllis externis rebus ea tribuamus, quæ æternæ salutis sunt, neúe in ea quæ ore modò fit fidei confessione acquiescamus. Si enim ad prouehendum regnum Dei nihil facit concionatorum facundia & magnificus verborum apparatus, multò minus proderit Christum in ore solo circumferre, nisi idem intra animi penetralia receptus suo Spiritu in nobis agat. Facit huc celeberrimæ illius concionis, quam Christus in monte habuit, conclusio: Non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, ingredietur in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei cœlestis. Vtinam verò ista diligentius meditarentur cùm ministri ecclesiarum tum illorum auditores. In ore quidem omnium est Christus, & magnificè docteque de illo multi dicunt & scribunt: sed quàm vacui sint plerique ea Spiritus virtute, quam in præsenti Paulus requirit, non obscurè docet, quæ apud omnes ordines regnat, morum corruptio & effrenis quiduis designandi licentia.

Paulus in doctoribus virtutem spiritus requirit.

2. Cor. 10.

Rom. 14.

Porrò concludit Paulus locum hunc graui, paterna tamen comminatione, sic dicens: Quid vultis? Cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis? Virga authoritatem significat, qua ecclesiæ pastores Deus armauit, quoad correptiones peccatorum & disciplinam in populo seruandam. Tributur hæc Christo in Psalmis, quòd virgam potentiæ suæ ex Zion emissurus sit, qua oues quidem suas colligat & defendat, rebelles verò & contumaces hircos ceu sceptro ferreo comminuat. Eam verò ex Zione emisit, quando Apostolos Verbi & Spiritus sui virtute armatos in orbem exire, & Euangelium vbique gentium prædicare iussit. Et quanta virgæ huius potentia fuerit, intra paucos annos deuictus terrarum orbis

Paulus virgam minatur.

Psalm. 110.

testatur, & imprimis horrenda illa exempla, quibus Ananiæ & Sapphiræ mendacium Petrus, Elymæ autem Magi audaciam Paulus punierunt. Hanc in præsenti quoque sibi vendicat aduersus eos, qui eius epistolas quidem graues, præsentiam verò infirmam esse calumniabantur: & patres imitatur, qui vbi filium contumaciorem factum esse vident, tandem eiusmodi ferè verbis vtuntur: Age, te nebulonum & malæ frugis sociorum consortium delectat, quorum consuetudinem & fallacia promissa meis admonitionibus præfers, neque me eum esse putas, qui te corrigere debeam, aut cui tu obedire tenearis. Sed faxo breui intelligas quid poßim, neque mihi ratio deerit, qua proteruiam tuam coerceam. Tu ergo quid facias vide, aut quid me facere velis. Si enim mihi morem gesseris, patrem mitißimum me senties: sin secus, meo in te iure vtar, vt mihi vires esse sentias, quibus te vlciscar. Tu vtrum velis elige, & penes te cogita, patre ne propitio & indulgente potius, aut duro & aspero vti velis? &c. Habet eiusmodi cõceßio optionem cum acerbitate coniunctam, & vehementius penetrat animos generosiores, quàm si pater illico virgas aut baculos expediret. Tale quid Paulus quoq; in præsenti dicit: Ego vester doctor atque pater sum. Instruxit ergo me armis spiritualibus Dominus, neque mihi virga aut pedum deest, quo proteruientes in ordinem redigam. Et hoc quidem vos meremini, qui perinde ac si res vestræ optimè habeant, inflati estis, & fidas admonitiones contemnitis: imò mea lenitate ad synceriori doctrinæ contemptum abutimini. Sed agite, quando vobis adeò infirmus & nullus videor, dicite qualem me esse velitis? Num vt virgas expediam, & me spiritus virtute armatum esse ostendam, aut vt solita charitate & spiritus lenitate erga vos vtar? At non debent ista sic accipi, quasi virgæ vsus & castigatio vel disciplina seuerior à charitate aliena sint (nam in his præcipua paternæ dilectionis argumenta elucent, & notum est illud Solomonis: Qui parcit virgæ, odit filium suum) sed ex liberorum ingenio sermonem temperat, qui patres suæ lenitatis aut dilectionis immemores esse putant, quando in ipsis corrigendis seueritate debita vtuntur.

Prouer. 13.

Ministrorum ecclesiæ officium.

Admonet autem suo exemplo Paulus omnes ecclesiarum ministros, quo animo erga eos affecti esse debeant, qui ipsorum curæ crediti sunt. Patres se esse meminerint, & ideo patres bonos & cordatos imitentur. Sunt hi liberorum suorum amantißimi, & proinde amore atque beneuolentia eos in officio continere satagunt. At si se nihil proficere, & illos lenitate ista petulanter abuti videant, tunc seuerius cum illis agere incipiunt. Isto ordine procedant ecclesiarum pastores, & ante omnia hoc agant, vt populus se amari & omnia publicæ omnium salutis causa fieri intelligant. Si qui verò proteruiores disciplinam omnem abolere, pro sua libidine omnia instituere, & scandala publica præbere incipiunt, tum sua aduersus tales authoritate seriò vtantur, & Christi in ipsis loquentis experimenta publicè præbeant. Hoc olim prophetas fecisse constat, qui modò plus quàm paterna indulgentia populi interitum cum lachrymis prosequuntur, modò in contumaces & pœnitere nescios minis grauißimis fulminant. Obseruauit idem Christus quoque, & quod in præsenti Paulus facit, hoc omnes alios Apostolos fecisse constat. Simul autem hic obseruabis, penes ecclesiam esse, qualis sit minister, lenis nimirum aut asper, facilis aut difficilis: eò quòd hunc conciones pro illorum moribus instituere conuenit. Hodie multis nimiùm & durius æquo videtur, quicquid aduersus vitia & superstitiones dicitur, cùm vix virga aut pedum illis coercendis sufficiant, qui indomita ferocia disciplinam omnem turbant, & legum omnium vincula abrumpunt. Quoad verò Pauli institutum, hac clausula sibi ad secundam epistolæ partem transitum sternit, qua scelera quædam grauiora accusat, & collapsam inter illos ecclesiæ disciplinam restituit. Nos in ijs, quæ hucusq; dicta sunt, Dei bonitatem agnoscamus, qui vt nos per Filium suum redemit, ita doctrinam salutis facilem & perspicuam esse voluit. Hanc ergo audiamus animis ad veram pietatem compositis, vt Christum constanti fide amplexi, & ex Verbi eius semine Spiritus virtute renati in illo viuamus, atque olim cum eodem regni cælestis hæreditatem assequamur: cui vnà cum Patre & Spiritu sancto debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT

CAPVT V.

HOMILIA XXIII.

Omnino auditur esse inter vos scortatio, & eiusmodi scortatio, quę ne inter gentes quidem nominatur: adeo vt quis vxorem patris habeat. Et vos inflati estis, & non potius luxistis, vt tolleretur è medio vestri, qui facinus hoc patrauit.

EXPOSITA est hucusq; prima huius epistolæ pars, qua factiones & sectas, quæ in Corinthiorum ecclesia exortæ fuerant, Paulus multis & grauiter reprehendit, vtq; fidei vnitatem sanctè colant, omnes hortatur. Erat autem sectarum causa præcipua, ambitio, qua & doctores, qui post Pauli discessum in illā ecclesiam irrepserant, & pleriq; ex auditoribus laborabant. Vt enim illi auram popularem venabantur, ita hi suam ecclesiā omnibus alijs præstare putabant, imò propter suos illos doctores in partes distrahebantur. Ostendit ergo Paulus, neq; hos neq; illos habere quo glorientur, & se supra alios efferant. Argumenta, quibus aduersus illos vsus est, præcipua fuerunt, quòd nihil habeant, quod non ex Dei liberalitate gratuita acceperint: item quòd regnum Dei non in magnifico verborum apparatu, aut vllis rebus externis consistat, sed in virtute & efficacia spiritus, qui homines totos Deo vendicet per obedientiam fidei. At quia admodum difficile est superbiæ cristas deprimere, difficillimū verò eos, qui spiritualibus donis superbiunt, eò adducere, vt sub Dei manu humilientur, & suam inopiam siue infirmitatem agnoscant, transit modò ad alteram huius epistolæ partem Apostolus, & scelera quædam haud vulgaria arguit, quibus Corinthiorū ecclesia infamis erat, vt saltem his agnitis erubescant, & excusso inanis confidentiæ spiritu humilientur, deq; illis emendandis seriò cogitent, neq; posthac simplicem & syncerам Euangelij doctrinam fastidiant, quæ sola tantis malis remedium afferre potest. Suo autem exemplo omnes ecclesiarum pastores admonet, qua ratione & quo ordine aduersus eos procedere debeant, quos suijpsius fiducia decipit, vt minus proficiant in regno Dei: vt nimirum absq; omni personarum respectu illorum scelera arguant, & vel inuitos cogat Legis speculum inspicere, vt suam deformitatem intueantur. Nec enim alia efficacior ratio est, qua aut nos aut alios intra Christianæ modestiæ limites contineamus, aut etiam retrahamus eos qui iam illos transgressi sunt, quàm si diligenter consideremus, quàm procul absimus à perfectione illa, quæ Christianos homines decet, & quàm multa quamq; atrocia sint, quæ contra Christianæ fidei & professionis leges designauimus. Quia verò de his pauci sua sponte cogitant, patientius ferri debent, qui nos admonendo liberius erga nos officio funguntur. Secūdæ partis argumentum.

Orditur autem tractationem istam ab homine incesto, quem non sine publica totius ecclesiæ infamia nimis diu tolerauerant. Et quia scelus hoc grauissimum, imò prorsus intolerabile erat, non ea, qua prius vsus fuit, lenitate rem agit, sed virgæ illius & spiritus apostolici experimentum præbere incipit, de quo sub finem proximi Cap. dixerat. Habent ergo singula verba Emphasim, & suis quasi gradibus insurgit oratio. Omnino auditur esse inter vos scortatio. Non inquit, scortationi inter vos locus est: aut, Ego vos scortationi & libidinibus vagis siue illicitis indulgere audio. Sed omnino auditur, ait: vt ostendat nemini iam dubium esse quod dicitur, & sceleris huius famā iam ad exteros quoque esse diuulgatam. At hoc dicendo, ipsorum socordiam arguit, qui non obseruent id, quod in omnium ore erat. Quid verò illud est? Scortationem dicit, à qua homines Christianos alienissimos esse debere, in sequenti Capite docebit: sed hîc amplificationis ergô addit: Et eiusmodi quidem scortatio, quæ ne inter gentes quidem nominatur. Quasi diceret: Christus eos, qui ipsi nomē dederunt, è mundo hoc selectos esse vult, & hoc imprimis exigit, ne vt gentes prophanæ impura carnis studia sequatur, sed seipsos Deo sistant hostiam viuentē & sanctam: quàm ergo immane & nulla venia dignum flagitium est, inter vos ea designari, ad quorum mentionem ij quoq; exhorrescunt, qui adhuc Christum ignorant, & ab ecclesia eius alieni sunt? Et ne diutius suspensos habeat auditores, scelus mox definit: Adeò vt quis vxorem patris habeat. Id qua ratione factum Accusat ecclesiam propter incestum.

fuerit, an scilicet patre adhuc superstite illa abusus sit, aut illo defuncto eam concubinæ vel vxoris loco habuerit, non exprimitur, neq; id scire multùm refert. Nam quicquid huius fuerit, scortatio fuit cum incestu coniuncta, neque vllo coniugij prætextu defendi siue excusari potuit. Quia enim coniugium legitima est viri & mulieris coniunctio, nihil quàm scortatio erit inter eos, qui contra leges miscentur. Et poterat Paulus nouercam nominare, sed periphrasi vti & patris vxorem dicere maluit, vt sceleris atrocitatem magis exprimeret.

Incestus scelus grauissimum.

Non temere autem ab isto flagitio orditur Apostolus, & illud tā grauibus verbis exaggerat. Etsi enim, vt modò diximus, omnis scortatio homini Christiano indigna sit, ea tamen belluina libido est, quæ quem natura nobis inseuit pudorem abstergit, & simul ordinem abolet, quo inter se discernuntur, qui aliquo consanguinitatis gradu coniuncti sunt. Etenim parentibus reuerentiam summam deberi lex naturæ docet, & eadem inter fratres & sorores amorem quidem maximum seruari vult, sed talem qui cum honestate & mutui honoris cura coniunctus sit. Quò fit, vt quæ consanguineis infertur ignominia, eam ad nos redundare putemus, & ideo ordinariam vindictam in asserenda cognatorū fama leges ciuiles permittunt. At quis inter omnes illos reuerentiæ aut synceræ dilectionis locus erit reliquus, si cæca libidine inter sese misceantur, & quā ab alteris propulsare debebant contumeliam ipsi illis inferant? Simul ergo œconomiæ ratio omnis turbabitur, & ex tota hominum vita ordo tolletur, quo solo omnia seruantur. Nam vt iurisconsulti loquuntur, vbi non sunt iustæ nuptiæ, ibi non est matrimonium, ibi spurij, ibi nulla hæreditas, nullæ dotes. Quid ergo præter confusionem reliquum est? De his omnibus Deus in Lege nos admonitos voluit, cùm diceret:

Leuit. 18.

Nemo ad quascunque reliquias carnis suæ accedat, ad retegendum verenda. Reliquiæ enim carnis dicuntur relatione ad vnitatem, quæ inter cognatos & consanguineos est, eò quòd ex eadem massa omnes illi oriundi, & quasi vna eademq; caro sunt. Et eodem loco: Verenda vxoris patris tui ne retegas, nuditas enim patris tui est. Ita nimirum innuens incestum hunc in patris contumeliam redundare, & proinde naturæ legibus contrarium esse. Alibi verò pœnam talibus constituens, sic ait:

Leuit. 20.

Qui dormierit cum vxore patris sui, & verenda patris sui retexerit, morte mulctetur vterque, sanguis eorum sit super eos. Quod autem in Lege Deus decreuit, iam ante apud gentes non omnino barbaras receptum fuit: nimirum quòd per naturæ legem admonerentur ab eiusmodi congreßibus abstinendum esse. Et constat Deum omnibus seculis horrendas pœnas de incestis hominibus sumpsisse, si quando in illis puniendis remißiores fuerunt, ad quos ea cura pertinebat. Rubenum etenim primogenituræ dignitate spoliatum fuisse, & paternæ maledictionis partem in posteris quoq; hæsisse constat, quòd is patris Iacobi thorum polluisset. In Persarum historia, apud quos illicitæ nuptiæ in frequentiori vsu fuerunt, plura etiam exempla iudiciorum Dei extant. Cambyses Cyri illius Magni filius, cùm sororem in vxorem duxisset, non vulgarem vitæ exitum habuit. Nam equum ascensuro ex vagina gladius decidit & femur eius perfodit, ex quo vulnere post paucos dies est mortuus. Artaxerxes autem Mnemon, qui fratris Cyri concubinam Aspasiam ad se recepit, & eandem postea Dario filio tradidit, eundem non multò post vitæ suæ insidiatorem habuit, & domum suam parricidijs nefandis turbari sensit, & in eius filio Ocho, qui duobus fratribus occisis ad regnum peruenerat, Cyri posteritas omnis extincta est. Simile quid Seleuco Syriæ regi accidit. Is enim Antiocho filio ex insano Stratonices nouercæ amore decumbenti illam in vxorem dedit: mox autem incestas nuptias consiliorū infelicitas secuta est, vt Monarchiæ spe illectus Ptolemæo Ceranno bellum moueret, in quo ipse cæsus vitam cum regno amisit, in quo posteri quoq; per varios casus iactati, & tandem cū regno excisi sunt. Extant huius generis exempla in Romana historia, C. Caligulæ nimirū, Neronis, Baßiani Caracallæ, qui omnes libidinis suæ horrēdas pœnas dederunt. Et vt ad sacram historiam redeamus, cùm Deus incestas nuptias per Mosem seueris legibus prohibuisset, hanc conclusionem subiecit:

Leuit. 18.

In his omnibus ne polluamini, nam in hisce omnibus gentes polluūtur, quas ego eijcio ante vos: & hinc cōtaminata est terra, & ego visitaui iniquitatem eius super eam, & terra ipsa euomuit habitatores suos & rursus: Omnes istas abominationes fecerunt homines terræ illius, qui fuerunt ante vos, vt polluta sit terra. An ergo terra vos non euomet, si pollueritis eam, sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos? Nam quisquis fecerit aliquid ex cunctis istis abominationibus, excindentur animæ, quæ sic faciunt, è medio populi sui. Neque minas istas

nas istas inanes fuisse infelix Absolonis exitus probat, vt infinita alia exempla transeamus. Apud Amos certè Deus inter grauissima flagitia, propter quæ Israëlis regnum excindere statuerit, hoc quoq; numeratur, quòd pater & filius ad eandem puellam ingressi sint, & sanctum suum nomen prophanarint. Ergo ad Dei contumeliam facit, si qui huius populus dicuntur, eiusmodi flagitia designent. Ex eo enim impij & prophani homines occasionem arripiunt, qua verum Dei cultum cum tota fidei & æternæ salutis doctrina scurriliter proscindant. Et hæc quidem prolixius tractamus, non solùm vt videamus non temere Paulum Corinthios tam grauiter corripere, qui cùm ista non possent ignorare, in tanto tamē flagitio puniendo tam ignaui & socordes fuerunt: verumetiam vt in horum consideratione diligentius versentur, qui nouissimis hisce temporibus rempub. administrant, ne sua indulgentia libidines vagas plus satis iam grassantes magis prouehant. Amos 2.

Nam vt huic exemplo adhuc insistamus, apparet in eo, quò vsq; tandem scortandi licentia progrediatur. Hanc apud Corinthios maximam fuisse, sub initium huius epistolæ diximus. Ita verò eadem viribus aucta fuit, vt ne per Euangelij quidem prædicationem coërceri aut euelli potuerit: neq; dubium est huius fructum fuisse incestum hunc, quem in præsenti Paulus corripit. Rectè ergo Deus in Lege sua statuit olim, ne sit scortū in Israël, & morte mulctandā esse censuit, quæ in domo patris sui libidini indulsisset, & ad virum legitimum non attulisset incorruptum virginitatis suæ florem. Nouit enim qui ipsissima est sapientia, licentiam illam turpissimæ confusionis causam esse, & vbi ea regnat, ibi honestatem publicam, imò ne iustitiam quidem consistere posse: quæ duo si è medio tollantur, simul omnia sustuleris, quæ ad seruandam humani generis societatem faciunt. Est hoc videre in omnium gentium historijs, quæ multis exemplis docent, vagas libidines ferè semper grauissimorum motuum & mutationū periculosissimarum in repub. causam fuisse. At regnāt illæ, quàm primùm scortandi licentia permittitur. Nam absterso pudore omni, tandem & virginum & matronarum pudicitiam tentare incipiunt, qui scortationi assueuerunt. Quæ causa est, vt illis quoq; intolerabiles fiāt, qui ipsis diu patrocinati sunt. Quod propter eos admonemus, qui hodie inter homines Christianos scortationem concedi debere contendunt, ne qui ad incestus & his grauiora flagitia delabātur. Quibus nos illud Pauli obijcere poteramus, Non sunt facienda mala, vt veniant bona: quando fieri non potest, vt ex radice mala atq; vitiosa aliquis fructus bonus enascatur. Et quotidianis exemplis docemur, homines indulgētia quotidie deteriores fieri, & ad grauiora flagitia viam sterni, si quæ leuiora sunt impunè abeant. Est enim insatiabilis hominū cupiditas, eoq; magis accenditur, quò liberius illi indulgetur. Experti sunt hoc non sine publica ecclesiæ suæ infamia Corinthij, & hodie idem experiuntur multi, qui scortationem inter eos, qui nullis coniugij legibus astringuntur, peccatum esse negant. Huic enim licentiæ debemus, quòd leuiculū multis videtur virgini vitium offerre, vt qui inter hanc & scortum publicum nullum discrimen faciant. At neq; hîc istorū libido subsistit, sed mox adulterijs quoq; habenas laxant, vt thoros alienos polluere talibus lusus iocusq; videatur. Inde verò ad incestus proximus gradus est, à quibus etiam minus abhorrent, qui priora illa cum risu prosequi iam pridem assueuerunt. Et vtinam non multa hodie eius, quod dicimus, exempla passim extarent inter eos, qui Euangelio & ecclesiæ reformatione glorientur, cùm interim disciplinam omnem reijciant, qua Christianos homines coërceri oportebat. Principijs ergo obstandum est, si in peius prolabi nolumus: neque audiendi sunt impuri illi ganeones, qui interrogare non verentur: Annon satius sit cum scorto rem habere, quàm virginem ingenuam constuprare, thoro alieno insidiari, incestum committere, vel etiam Sodomiæ aut pecuinæ libidinis scelere pollui? Quis enim in repub. eum ferat, qui furandi licentiam lege sanciri velit, ne qui ad cædes & latrocinia vsque progrediantur? Scimus equidem vitia alia alijs atrociora esse, sed cùm suum populum ab omni scelere purum esse velit Deus, nequaquam in nostra potestate est ea impunita dimittere, quæ ille disertis verbis prohibuit. Et quid enim in eiusmodi casu fieri debeat, exemplo suo olim nos docuit. Cùm enim Lothus Sodomæis, qui angelis hospitibus vim nefariam inferre conabantur, filias suas offerret, vt in illis libidinis æstum restinguerent, id nequaquam fieri passus est, impuros autem illos sulphure & flammis cœlitus demissis puniuit. Et qui in Lege dixit, Ne sit scortum in Israël: idem quid de adulteris, de incestis, de masculæ Veneris sectatoribus statui debeat, non obscurè mandauit.

Scortandi licētia quò vsque à progrediatur?

Deut. 23. & 22.

Rom. 3.

Propter vnum tota ecclesia accusatur.

Cæterùm omissis impuris illis ad Paulum redeamus, in quo obseruatu dignissimum est, quòd propter vnius hominis scelus totam Corinthiorum ecclesiam, & imprimis huius præfectos & doctores, tam grauiter accusat. Poterat sanè nonnullis iniquus videri, sed ita illi merebantur, quòd indulgentiores fuissent hactenus erga eum, quem punire poterant, & cuius libidinem coërcere iam pridem debuissent. Hæc enim causa est, vt vnius culpa interdum in totum populũ redundet: & si consensus simplex alieni sceleris reos facit, nulla venia digni sunt, si in illo puniendo remissiores sint, quibus ea cura diuinitus commissa est, vt peccandi licentiam seueriori disciplina coërceant. Ideo quoties in Lege de puniendis hominibus sceleratis agitur, ferè hæc clausula adijci solet: Tolles malum ex Israel, vel è medio tui. Quasi diceret: Ita cauebis, ne paucorũ culpa toti Israeli imputetur, & totum populum ab ira Dei atq; imminenti exitio liberabis. Quod vt diligenter obseruare debẽt qui magistratum gerunt, ita doctorum est tales vehementer vrgere, vt officium faciant, imò acerbius quoq; reprehendi & corripi debent, si admonitionibus & hortationibus pijs non obtemperent. Fecerunt hoc olim prophetæ, vt eorum sermones testantur, & idem procul dubio Apostoli fecissent, si suo tempore principes fuissent Christiani. Qua tamen vehementia ijdem illi vsi sint erga Seniores ecclesiæ, penes quos erat disciplinæ publicæ cura, vnus hic locus abunde docet. Neq; timendum est ministris Verbi, ne hîc facilè modum excedant hodie, quando apud omnis loci & ordinis homines peccandi licentia regnat: neq; nimia esse potest aliqua seueritas, quæ in illis corripiendis adhibetur, qui sua indulgentia ecclesiam atq; religionem omnem impiorum ludibrijs exponunt.

Confidentiã Corinthiorum accusat.

Et hæc causa est, quòd Apostolus in præsenti sermonem ad totam Corinthiorum ecclesiam dirigens vno reatu simul omnes inuoluit, eò quòd nemo repertus esset inter illos, qui tam immane scelus è medio tollere studeret. Accusat autem in illis non solum ignauiam, sed huic quoq; coniunctam confidentiam, qua excæcati morbum suum non agnoscebant. Et vos (inquit) inflati estis, & non potius luxistis, vt tolleretur è medio vestri, qui facinus hoc patrauit? Sensus est. Cùm ista apud vos fiant, quæ ne nominari quidem oportebat, & iam in omnium ore sitis, vos interim inflati estis, id est, inani existimatione & vestræ dignitatis fiducia turgetis, imò quasi re bene gesta vobis ipsis placetis & alios omnes contemnitis. Atqui cùm tantum dedecus vestræ ecclesiæ aspersum sit, vos potius lugere & totis animis in hoc intentos esse cõueniebat, vt qui publicæ infamiæ vobis author est è medio tolleretur, & ita huius infamiæ nota liberaremini. At quæ obsecro illa fiducia est, quæ vos tã elatos reddit? aut quid vobis reliquum est, quo iure aut meritò gloriemini? Si enim tam eximij sunt doctores illi vestri, quàm vos illos esse putatis, cur non hîc zelum suum exerunt? cur in causa tam necessaria silent? cur non omnes sui ingenij & eloquentiæ vires intendunt, vt scandalum tam graue, tam sceleratum, tam immane è medio tollatur? Si deniq; tam bene apud vos constituta est ecclesia, vt supra alias eminere debeat, cur nemo inter vos est, qui illis cessantibus officium faciat? cur in tolleranda tanta ignominia omnes tam patientes estis, & non aliquo saltem indicio testamini vobis confusionem istam displicere? Iámne ergo vos miseros, & ijs multò inferiores esse sentitis, quos hucusque fastidiose nimis contempsistis? Lubet hîc adscribere D. Augustini verba, qui quod Paulus de luctu scribit, sic interpretatur. Quare luctum potius præcipit, & non iram? Nisi quia si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & non luctum, quia tollebatur, sed luctum (inquit) vt tolleretur, id est, vt lugentium dolor ad Deum ascenderet, & ipse tolleret hoc opus de medio eorum, sicut ipse sciret: ne fortè illi per inhumanam imperitiam eradicarent simul & triticum.

Contra Parm. lib. 3. cap. 1.

Quid confidentibus accidat.

At nos in Corinthiorum exemplo obseruare conuenit, quid ferè illis accidere soleat, qui confidentia ebrij se supra alios superbè extollunt. Nulli hominum seipsos minus norunt, quæ causa est, vt inani persuasione seipsos fallant, & in peius quotidie proficiant, dum se omni virtutũ genere ornatissimos esse arbitrantur. Idem ergo talibus, quod scholasticis confidentioribus accidit. Vt enim hi dum supra coætaneos suos eminere volunt, & in classes altiores ascendunt, suam in his ignorantiam turpiter produnt, & ijs ludibrium fiunt, quos paulò ante præ se contempserunt: Ita isti securitate & confidentia sua dum supra omnes extollũtur, sibijpsis lapsus grauioris authores sunt, & pro laude, quam venantur, extremã ignominiam referunt. Exemplum huius mali in Pharisæis, adeoq; in tota Iudæorum gente extat, qui cùm & generis & propriæ iustitiæ fiducia inflati gentes alias

omnes improbè contemnerent, in eam calamitatem adducti sunt, vt mortalium omnium miserrimi contemptißimiq́ habeantur. Quia enim superbis omnibus resistit Dominus, aduersus eos imprimis iustitiæ suæ rigorē stringit, qui spiritualibus donis superbi, de ipsius gloria minus soliciti sunt. Fit ergo vt quasi sensu & ratione omni extincta in omne flagitium ruant, & ignominiam extremam sibi accersant, interim soli ferè ignorent suum dedecus, quod omnium ore hinc inde vulgatur. Vtinam verò hodie etiam non idem experiremur. Vnde enim hanc morum licentiam enasci dicemus, quæ apud eos regnat, qui puriorem Euangelij doctrinam profitentur? Ex eo nimirum, quòd plerique iam sibi nihil amplius deesse, & externam Verbi Dei prædicationem atque nominis Christiani professionem ad salutem sufficere putant. Hinc fit, quòd ex ministris ecclesiarū multi principibus blandiuntur, quasi hi iam omni pietatis officio defuncti sint, si in suis terris Euangelio vtcunque locum dent, & ijdem ista persuasione confidentiores facti, iam sibi quiduis licere putant, & cùm se Euangelicos esse profiteantur, simul tamen immodico fastu, libidine, intemperantia, tyrannide, exactionibus iniquis prophanos reges longè vincūt. In vulgus ergo manant exempla regentum, & ita apud omnes ordines effrenis licētia regnat, vt vix vlla videat Christianæ pietatis vestigia. Paßim enim occurrūt ebriosi, auari, impostores, scortatores, adulteri, vsurarij, raptores, sanguinarij Cares, sycophātæ, & audiūtur paßim nefaria eorū facinora, qui Euangelicæ doctrinæ fautores & patroni dici volunt. Exprobrant igitur hæc nobis aduersarij, ex his calumniandi occasionē Pontificū amici arripiunt, vt veritatis doctrinam omnibus inuisam & suspectam reddant: propter ista ecclesias nostras damnant Anabaptistæ, & ab illis secessionem faciunt: denique cùm Euangelij vox per se læta, iucunda & salutaris sit, nostrorum licentia fit, vt ad eius mentionem multi risum moueant, multi ringantur, & non pauci exhorrescant. At quotus quisque est, quem ista moueant? qui de tam perniciosis scandalis è medio tollendis seriò cogitet? aut qui propter hæc imminentem nobis Dei iram & manifesta eius indicia obseruet? Quin potius plerique inflati sunt, & quasi nihil in ipsis sit reprehensione dignum in vtramque aurem securi nimis dormiunt. Causa verò securitatis huius pestiferæ est, quòd in otiosa Veritatis cognitione nobisipsis placemus, neque cogitamus quæ officia professionē Christianam deceant. Eadem ergo correptio nobis seruit hodie, qua olim Corinthiorum suorum securam confidentiam Paulus accusauit.

Quid ergo facere nos conuenit ô fratres, vt huius culpæ reatu liberemur? Corinthios ideo corripit Apostolus, quòd non luxerint, vt è medio illorum colleretur, qui facinus tam indignum patrarat. Locutione vtitur ex Lege petita, qua mortis supplicium denotari notius est, quàm vt demonstrari oporteat. Vide Leuit. 20. Deut. 13. 17. 19. 21. &c. Duo igitur fiant oportet. Primum luctus est, qui & publicè & priuatim suscipi debet propter publica scelera, quæ cū aperto scandalo & alicuius exitio coniuncta sunt. Iubet hoc gloria Dei, cuius nos studiosißimos esse decet, & quā sceleribus eius prophanari iam ante demonstrauimus. Deinde exigit idem charitatis lex & quæ inter Christianos homines est communio. Quia enim eiusdem corporis membra sumus, alij aliorum incōmodis affici & condolere debēt: & cùm ex charitatis officio eos lugeamus, qui quoad corpus moriuntur, quantò magis eos nos deflere conuenit, qui immanibus flagitijs tam corporis quàm animæ exitium sibijpsis accersunt, & simul exemplo suo multis alijs incōmodant? Viderunt hoc olim sanctißimi quique, quos acerbè admodū eos deplorauisse legimus, quos in exitium ruere videbant. Samuel certè propter Saulem mœrore seipsum eò vsque conficiebat, vt Deus illam reprehensione dignum iudicaret. Eiusdem interitum quoque Dauid iniuriarū omnium oblitus, lachrymis vberrimis prosecutus est, quòd impios Dei hostes ex eo exultādi occasionem arripere videret. Et Absolonem filium idem hoc potißimum nomine luxit, quòd eum in peccatis suis mortuum esse metueret. Laudem quoque merentur discipuli, quòd totis animis contristati sint, cùm in suo grege eum esse audirent, qui Christum erat proditurus. Et constat hunc morem in veteri ecclesia receptum fuisse, vt publicus luctus indiceretur, si quid grauioris flagitij admissum erat, propter quod Dei iram accensam esse suspicabantur, sicuti videre est in Nabothi historia, quando Iezraëlitæ ciues ieiunium publicum indicere iubētur, eò quòd ille Dei simul & regis maiestatem suis maledictis læsisset. At hodie omniū sensus obsurduerunt, alioqui hæc sola consideratio sufficeret ad frænandam immoderatam lasciuiam, qua paßim inter manifesta iræ Dei iudicia peccatur.

Quid fieri debeat in sceleribus publicis?

1. Sā. 15. & 18.

2. Sam. 1. & 18.

1. Reg. 21.

Non tamen sufficit luctus, sed altero etiam opus est, vt malum è medio auferatur, sic vt vel emendentur qui peccauerunt, vel si nulla emendationis spes reliqua est, è medio tollantur. Quod postremum cùm Corinthij secundùm leges ciuiles facere non possent, eò quòd magistratũ Christianum non haberent, Paulus eos ad luctum & preces remisit, quibus Dei vindictam contra sceleratũ illum requirerent. Vt enim parum profuerit medicus, qui se propter alicuius morbum vehementer dolere dicit, remedium verò, quo is pellatur, nullum adhibet: ita nequicquam aliorum peccata deflentur, nisi de illis corrigendis atq; coërcendis seriò cogitemus. Et vt hoc fiat publica salus postulat, quãdo frequenter vnius hominis peccatum toti genti malum dat, vt in Achani & Ionæ multorumq; aliorum exemplis cernitur. Hîc ergo singuli officium faciant pro suæ vocationis ratione. Sunt enim remedia priuata, in quibus singuli seduli esse debent. Sunt item publica, in quibus industria & seueritate imprimis opus est, ne paucorum culpa ad multos redundet. Pessimè enim reipub. & sibijpsis consulunt, qui ignaua indulgentia dissimulãt ea, quæ corrigi aut puniri oportebat. Sed de his plura in sequentibus dicentur. Nunc teneamus, nos in CHRISTO IESV ab æterno electos & per Euangelium ad ecclesiæ suæ communionem vocatos esse, vt sanctè viuamus, & virtutes eius prædicemus, qui è tenebris nos vocauit in admirabilem suam lucem. Huius memores singuli scandala è medio tollant, & alios quoq; suo exemplo ad salutis huius societatem adducant. Ita ex Euangelij doctrina & fidei professione fructus optatus nobis obtinget, dum in nobis quidẽ glorificabitur Pater Domini nostri IESV CHRISTI, & nos cum eodem regni atq; gloriæ cœlestis participes erimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Iosf.7. Ioan.1. 1.Pet.2.

HOMILIA XXIIII.

Enimuerò ego vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam vt præsens iudicaui, vt is qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri IESV CHRISTI congregatis, cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI, eiusmodi [inquã homo] tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini IESV.

QVoniam vitiorum, quibus Corinthiaca ecclesia miserè infecta atq; turbata fuit, omniũ præcipua causa erat immanis confidentia, qua & reliquas ecclesias contemnebant, & fidos monitores non sine odio atq; fastidio insolenti aspernabantur, Paulus vt facilius eorũ cristas deprimeret, immane scelus hominis incesti, quo tota ecclesia iam apud omnes diffamata erat, publicè arguit, & (vt nuper audiuimus) multis amplificat, vt velint nolint agnoscere cogantur, se præ alijs miseros & infelices esse, qui illud hucusq; neq; obseruarint, neq; de illo tollendo cogitauerint. Simul verò beneuolentiam sibijpsi conciliat, dum ostendit, se de ipsorum salute & honore magis solicitum esse, quàm ipsi hactenus fuerint. Cæterùm vt melius appareat ipsum non conuitiandi causa hoc flagitium illis exprobrauisse, nunc remedium tradit, quo ecclesiæ suæ possint succurrere. Et primò quidi quid fieri debeat, docet: deinde totius negotij modum atq; rationem diligentius describit.

Paulus absens corpore, præsens spiritu.

Quoad primum, sic ait: Enimuerò ego vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam vt præsens iudicaui, vt is qui hoc ita perpetrauit, tradatur Satanæ, &c. Quid ipse iampridem de hac causa decreuerit, exponit, vt eos qui adhuc melius sentiebant, admoneat, rem tanti momenti nõ esse negligendam. Et cùm nonnulla (vt Cap. vndecimo audiemus) in suum aduentum vsque disponenda aut ordinanda reseruet, hîc nullam moram illis concedit, quia morbi vis remedium præsens postulabat. Adhæc cùm simpliciter posset dicere: Hæc mea est de scelerato illo & impuro homine sententia, quam apud vos ratam esse cupio, &c: suæ simul & absentiæ & præsentiæ meminit: nimirum vt ijs terrorẽ incutiat, qui eius absentia freti omnia sibi licere arbitrabantur. Fatetur ergo se corpore quidem abesse, præsentem verò adesse spiritu, potiore nimirum sui parte. Neq; mihi dubium est, eum non solùm de animi sui erga illos propensione & solicitudine loqui (hanc enim æmuli eius facilè contemnebant) sed potius de efficaci illa Spiritus sancti virtute, qua facit, vt sancti interdũ res longius

res longius dißitas norint atque intelligant. Exemplum huius in Eliseo propheta extat, qui cùm Giezi seruus clam eo à Naamano Syro munera extorsisset, seq́ nuspiam exiuisse mentiretur, rem tamē omnem perspectam habuit, adeoq́ spiritu præsens fuit, cùm illud fieret, quod hisce verbis testatur: Nonne cor meum aderat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Idem cùm Ioram rex cæco & præcipiti iudicio quendam præmisisset, qui ipsum occideret, rem omnem in spiritu cognitam habens, Senioribus apud se collectis dicebat: Annon vidistis quòd latro iste miserit, vt tollat caput meum, &c? Et talem spiritus virtutem in Apostolis quoq́ locum habuisse non est dubiū: quæ etsi non semper, tunc tamen sese exeruit, quando maior aliqua necessitas postulabat. Ipse certè Paulus illam non obscurè fatetur, ad Colossens. sic scribens: Etsi corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestrā in Christum fidei. Et quia hæc credentibus illo tempore non potuerunt omnino ignota esse, commodè hanc spiritus præsentiam hîc quoque adducit. Itaque sensus verborum est: Quoniam vos omnes cessare video, neque aliquem esse, qui in re tam graui & seria manum admoueat, ego quàmuis corpore procul absim, à spiritu tamen iam pridem aurem mihi vellicari sensi, & ideo impurum illum iudicaui Satanæ esse tradendum, vt vos tanta infamiæ nota liberetis, & quod ex illo enatum est, scandalum è medio tollatis.

2. Reg. 5. & 6

Colos. 2.

Est autem multa laude dignum Pauli exemplum, qui cessantibus illis, ad quos hæc cura maximè pertinebat, ipse quàmuis corpore absens, operi huic manum admouet. Est hoc magni Zeli & feruoris spiritus argumentum, cùm nō potuerit ignorare, quanto odio atq́ inuidia seipsum grauaturus esset, si hanc Camarinam mouendo totam ecclesiam ad nouam seuerioris disciplinæ exemplum edendum excitaret. Suo autem exemplo docet, quid omnes facere debeant, qui in aliqua authoritate sunt constituti. Solent inter hos pleriq́ in grauioribus negotijs sese aliorum ignauia excusare, & quia alij cessent, qui aut eundem aut etiam ipsis altiorem gradum tenent, sibi quoq́ nihil agendum esse putant eorum, quæ cum inuidia aut periculo coniuncta sunt. At non excusat nos vllorum hominum exemplum siue authoritas, si quod Deus nobis iniunxit facere negligamus. Itaq́ Pauli studium imitentur quotquot ecclesiæ ministerium sustinent. Turpe enim fuerit eos mundi amicitiam seruiliter captare, qui CHRISTI IESV serui sunt: aut hominum odia atq́ minas timere, quibus ille suam opem iam dudum pollicitus est. Idem cogitent qui magistratum gerunt. Nam nisi hi quoq́ officium fecerint, eo ipso sese accusabunt, quo se defendi posse arbitrantur. Cùm enim tibi aliorum ignauia displiceat, nimiùm certè imprudens es, qui eandem imitaris. Quin cogita, alios fortaßis ideo cessare, quia tuam operam nunc requirit Deus, & per te confectum vult illud, in quo alij magno suo malo stertunt. Itaq́ cùm & verbo suo & occulta spiritus suggestione tibi iam aurem vellicet Deus, alacri animo ad opus accingitor, ne eodem cum alteris illis, quos tu accusas, reatu implicēris.

Paulus alijs cessantibus manum admouet operi.

Sed pergamus in Apostoli verbis, qui modum & rationem describit, quem in isto homine tollendo siue coercendo tenere debeant. Iudicaui (inquit) vt is, qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri IESV CHRISTI congregatis, cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI, eiusmodi (inquam) homo tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini IESV. Primò in cœtu publico agi vult hanc causam, ne quid pauculis quibusdā permittere putetur, qui sibi ius & imperium in alios ambitiosius vendicabant. Deinde suum spiritum ipsis præsentē fore pollicetur, vt ostendat, se opus mandare, quod nō à quibusuis perfici poßit, sed ad quod Spiritu Apostolico opus sit, qui omnia videat, & efficaciter quoq́ agat cōtra eos, qui coerceri merentur: quo Apostolos armatos fuisse, paulò ante diximus. Hanc autem illis pollicendo simul animosiores facere vult eos, qui hucusq́ nimis turpiter torpuerant. Tertiò, vt in nomine IESV CHRISTI conueniant, iubet, ne quid ex suo cerebro iubere putetur. Quartò, per expositionem addit: Cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI, nimirum miraculosa illa, qua per suos seruos (vt modò dictum est) efficaciter agit cum sanando tùm castigando. Et proderat hæc tam diligenter inculcari & repeti, ne se rem tantam absque effectu tentaturos, & proinde ex magno conatu nihil quàm ludibrium reportaturos esse metuerent: neue tanti flagitij reus Ecclesiæ sententiam, vt improbi ac proterui homines solent, scurrili dicacitate eludere cona-

Quid fieri debeat cum incesto.

retur. Pollicetur ergo, quòd ipse illis adesse velit ea Spiritus potestate, qua Christus Apostolos armauerit, & quæ non alia quàm ipsius Christi potestas sit, & proinde efficacissima sit ad puniendum omnes eos, qui aduersus ipsum & Ecclesiam eius cum publico scandalo proteruiunt. Summa autem & finis totius actionis est, vt impurum illum Satanæ tradant ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini IESV.

Satanæ tradere quid sit?

Est autem diligentius excutienda hæc locutio propter eos, qui Satanæ tradere non aliud esse putant, quàm ab Ecclesiæ societate & Sacramentorum vsu reijcere, quod vulgo Excommunicationem dicunt. Rationem suæ sententiæ hanc afferunt, quòd Dei saluifica virtus sese in sola Ecclesia exerat, extra hanc verò nihil nisi mundus sit, cui ex iusto Dei iudicio Satan dominetur. Fatemur autem & nos, salutem in sola Ecclesia inueniri, & sub potestate tenebrarum esse eos, qui ab illa sunt alieni: Sed in præsenti maius quiddam & grauius quàm simplicem ab Ecclesia & sacrorum communione exclusionem præcipi, res ipsa loquitur. Nuper enim Corinthios Paulus reprehendit, non quòd incestum illum hominem non excommunicassent, sed quòd non effecissent publico luctu & precibus suis, vt è medio tolleretur. Deinde, si nihil quàm exclusionem à cœtu ecclesiæ & Cœna Domini præcepisset Apostolus, quid opus erat, vt Corinthij apud eum postea pro misero illo intercederent? Nam in illorum potestate fuisset, illum rursus ad se recipere. Aliquid ergo passum fuisse oportet, à quo ipsi eum liberare non poterant. Quæ item ratio fuisset, ob quam Paulus suæ sententiæ rigorem postea tam solicitè excusaret, quod illum fecisse in post. epist. cap. 2. apparet? Adhæc quid opus erat miraculosa illa Spiritus Apostolici præsentia, si non aliud fieri debebat, quàm quod hodie etiam cuiusuis Ecclesiæ Seniores facere possunt? Certè vnum hoc abunde docet, aliquid hîc præcipi, quod sine Apostolici Spiritus virtute perfici non poterat. Scimus autē Apostolos hac etiam Spiritus potestate instructos fuisse, vt quos ita meruisse videbant, Satanæ, vt lictori & carnifici traderent mulctandos, qui vel lentis morbis eos affligeret, vel etiam omnino occideret. Et

Actor. 5. & 13. 1. Tim. 1.

sanè necessarius erat tunc lictor ille, quando Christiani magistratum non habebant, qui sontes puniret. Exempla, quibus hoc probetur, in Anania & Sapphira habemus, quos morte subitanea Petrus hoc modo puniuit, quòd Spiritui Sancto mentiti essent: & Elymam Magum Paulus cæcitate percussit, idemq; Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit, vt ab hoc mulctati discerent non maledicere. Quis verò dubitet, istos eò magis maledicturos fuisse, si à sola Ecclesiæ & Sacramentorum communione fuissent exclusi? Nouo igitur exemplo illos Paulus coercuit, siue à Satana morbis excruciati, siue è medio sublati fuerint. Et isto sensu hoc etiam quod in præsenti dicitur, accipi debere, finis totius actionis docet. Iubetur enim Satanæ tradi ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini IESV. Id est, vt quoad carnem siue corpus mulctetur, & ea ratione peccatum suum agnoscat, ad Deum conuertatur, & animam suam ab interitu sempiterno seruet. Scio aliquos hæc verba de mortificatione carnalium cupiditatum exponere, sed verborum proprietas hoc non patitur (vt multis demonstrari poterat) & eodem nobiscum sensu locum istum plerique veterum intellexerunt, vtpote D. Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & ex Latinis D. Hieronymus & Augustinus: quorum omnium verba recensere longum foret. Hic certè, etsi expositionem de affectuum mortificatione non dissimulet, eam tamen præfert, quam nos sequimur: imò mortificationem carnis inde secuturam dicit, si à Satana excruciatus in semetipsum descendat, & scelus suum agnoscere discat. Nam lib. 3. ad Parmen. epistolarum cap. 1. sic scribit: Quid aliud agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis saluti spiritali consuleret? vt siue aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias & vxor eius ante pedes Apostoli ceciderunt: siue per pœnitentiam quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam, &c. Nec est quòd aliquis obijciat, non occisum fuisse illum à Satana, sed potius Paulum postea pro eo intercessisse, vt eum in Ecclesiæ gremium reciperent. Fatemur enim hoc nos quoq; at simul eum siue correptione duriori & comminatione dira, siue ipsa traditione Satanæ ita afflictū fuisse constat, vt periculum esset, ne desperatione absorberetur. Suum ergo effectum habuit Pauli sententia, etiamsi non omnino interfectus sit, & ideo eum seriò pœnitentem in gratiam recipere iubet, inter alia argumenta hoc imprimis adducens, cauendum esse, ne Satan, cuius machinationes ipse nō ignoret, sub nimiæ seueritatis prætextu eis imponat. Fuit ergo (vt diximus) peculiare quid,

quod

quod in præsenti præcipitur, & hoc remedio tunc opus erat, quando nulla alia ratio reliquã erat, qua scandala cũ suis authoribus è medio tolli possent. Nec dubito, quin si Corinthij magistratũ habuissent Christianum, Paulus huius causæ cognitionẽ nequaquã ad se pertinere putauisset, sed curasset potius, vt impurus ille sceleris tã atroces pœnas dedisset. Sciebat enim quid de talibus statuisset Deus, & leges eiusmodi per Christum minimè abrogatas esse sciebat. Eius enim ad Romanos hoc dictum extat: Magistratus non temere gestat gladium. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Nunc verò durum erat ad homines prophanos & veri Dei hostes cum publico religionis Christianæ ludibrio, & quoad infelicem illum, cum æternæ salutis periculo, eius causam deferre, qui Christo nomen dederat, & de cuius conuersione adhuc meliora poterant sperari. Ideo ad illud remediũ recurrit Apostolus, quod tunc Ecclesia vnicum habebat. At hodie cùm principes Christiani sint, qui & nutritios Ecclesiæ agunt, & scelera secundùm leges puniunt, idq; ea ratione, vt sontibus doctrina quoq; & consolatio vera adhibeatur, qua instructi inter supplicia seruari possunt, cessare debuit miraculosa illa scelerũ castigatio, quæ multò cum maiori periculo coniuncta foret, quàm ea quæ per magistratus fit, nisi apostolica prudentia & moderatione dirigeretur. Rom. 13.

Est autem hoc memorabile exemplum, quo admonemur, quàm seria & diligenti cura opus sit, vt scelera, quæ cum publico scandalo coniuncta sunt, dignis pœnis coerceantur, & vt è medio etiam tollantur, qui incurabili contumacia in illis pergunt. Quia enim natura ad peccandum proclines sumus, aliorum exemplis facilè corrumpimur, idq; eò magis, si quos videamus ea impunè facere, quæ iam ante nostris affectibus arrident. Adde, quòd quæ initio priuata videri possunt peccata, & in solis suis authoribus hærebant, ea publica fiunt, & suo reatu populum totum vnà cum magistratibus grauant, si impunita dimittantur. Ideo Deus olim, quoties in Lege sceleratis pœnas capitales decernit, ferè adijcere solet: Et auferes malum è medio tui. Et quàm displiceat Deo impunitas & licentia peccandi, vel ex eo colligi potest, quòd Ecclesiam primitiuam, quæ magistratibus carebat, potestate extraordinaria armare voluit, per quã homines leues & scandalorum authores Satanæ mulctandi & affligendi traderentur. Quantò magis ergo eos, qui Respub. habent legitimè constitutas, cauere decet, ne apud ipsos legum disciplina dissoluatur? Quàm enim hoc necessarium sit, optimi & prudentißimi quiq; olim inter gentes viderunt, qui Rempub. iusta præmiorum & pœnarum distributione dixerunt seruari: nimirum quòd his quidem à peccando homines absterrentur, illis verò ad virtutis studium alliciuntur. Et Cato, grauißimus ille morum Censor, hoc ciuitatis corruptæ & breui perituræ argumentum esse dicebat, quòd amißis virtutum & vitiorum nominibus laudem mererentur, qui omnia pro animi sui libidine facerent. Nam bona aliena largiri (dicebat) liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Nec timere debent ij, quibus hæc cura commissa est, ne nimio rigore peccent, si à Deo præscriptas lges sequantur. Si enim Apostoli homines sceleratos Satanæ excruciandos tradiderunt, crudelißimo humani generis hosti, quis eos peccare dixerit, qui ex Dei mandato homicidam ad necem damnant, adulterum capite plectunt, veneficos item, magos, incantatores, libidinibus item incestis & nefandis pollutos vltricibus flammis tradunt? Non (inquam) crudeles sunt, qui pœnas istas de sontibus sumunt, ne malum latius grassetur: iniusti autem & crudeles sunt, qui & infelices istos in suis sceleribus perire, & eorum exemplo plures alios infici patiuntur: qui deniq; sua indulgentia Deum irritant, vt pœnas de gente tota communes exigat, quæ initio paucioribus solùm debebantur. Nã vtut alij alijs delitias faciant, sibiq; mutuò indulgeant, non dormitat tamen Dei vindicta, & vt scelera puniantur necesse est, nisi iustitiam Dei negare prorsus libeat. Nisi ergo legitimis pœnis illa castigentur, ferè per extraordinaria id fieri solet, qualia sunt, fames, annonæ caritas & penuria, pestes, seditiones, bella, & quæ alia huius generis gentes & regna euertunt. Cogitent ergo de eo diligenter Christiani homines, quibus datum est legibus vti & magistratus habere ordinarios: ne Euangelij libertatem in carnis licentiam conuertant, sed scelera dignis pœnis coerceant, ne propter ipsos malè audiat nomen Domini.

Scelera pœnis coerceri necesse est.

Imprimis autem exemplum hoc obseruare debent Ecclesiæ, quarum eadem est conditio, quæ olim fuit, quando Apostolis Euangelium in toto orbe prædicantibus, Ecclesia paßim inter medios idololatras & falsorum Deorum cultores constituebantur. Habitabant tunc Christiani inter

Ecclesiarũ conditio tempore Apostolorum.

ethnicos, & quoad res politicas Romanorum legibus vtebantur, neq; illis licebat magistratus siue iudices proprios constituere, qui authoritate sua & pœnis ciuilibus scelera punirent. Magna tunc quoq; & effrenis erat apud omnes gentes scelerum licentia: & quàmuis essent etiam viri boni & honesti, qui stupra, adulteria, incestus, Venerem masculā & alia his similia detestarentur, nemo tamē erat, qui ista publicis supplicijs digna esse iudicaret: nec impunè modo hæc omnia facere licebat, sed multi libidines suas publicè etiā decantabant, & ex scelere laudem quærebant, sicuti in illorū temporum poetis est videre. Nec dubium est multos, qui iam ad Christum conuersi erant, pristinos mores non omnino exuisse: multos etiam non tam religionis aut veritatis studio, quàm curiositate, vel priuati commodi causa (vt nimirum ex Ecclesiæ ærario alerentur) fidem professos fuisse, idq; in ijs præsertim locis, vbi maior libertas affulgebat. Ideo cura diligenti opus esse videbant Apostoli, ne eiusmodi homines intra Ecclesiam admissi, religionem Christianam gentium ludibrijs exponerent, & ijs quoq; suspectam facerent, qui iam cœperant de illa honorificentius sentire. De istis certè Iudas Iacobi frater suā epistolā scripsit, qua Christianos sui sæculi monet, vt ab illis sibi caueant, qui gratiam Domini nostri IESV CHRISTI transferunt ad carnis lasciuiam: eò quòd maculæ sint in ipsorum cœtibus, propter quas fides Christiana malè audiat. Tales etiam fuerunt, quos alibi Paulus ἀτάκτους dicit, eò quòd inordinatè & absq; omni disciplina viuerent, & vt ijdem coerceantur iubet. Et quia Corinthi, in vrbe populosa, & propter opes luxui ac voluptatibus dedita, plus erat periculi, non modo hominem illum incestum publico & prius ipsis inaudito exemplo mulctari præcipit, verumetiam inde occasionem arripit ipsos admonendi, vt omnium similium consortia deuitent, ne quid huius porrò accidat.

De ecclesijs, quæ sub principibus agunt infidelibus.

Debent hoc Apostoli exemplum imitari Ecclesiæ, quæ hodie inter Papistas, vel etiam (vt in Vngaria fieri solet) inter Turcas agunt. Eadem enim planè est ipsarum conditio, qualem olim fuisse iam diximus. Et est hoc ingens Dei beneficium & præclarum diuinæ Christi potentiæ argumentum, qui in eiusmodi locis Ecclesias constituere potest. Debent ergo hæ diligenter cauere, ne, vel temere quosuis recipiant, neue etiam eos indulgentius ferant, qui morum leuitate, aut etiam apertis sceleribus Christiani nominis professionem prophanant. Nam licet hodie etiam magistratus rari sint, qui libidines vagas & illicitas, ebrietatem & omnis generis luxum, deierationes & execrationes, aliaq; his similia, authoritate publica coerceant, manet tamen in plerisq; hominum aliquis sensus honesti, quo excitati illis offendi & animi sui indignationem non obscurè testari solent. Et quia Euangelij doctrina vulgo exosa est, eò quòd sua luce mundi mala opera arguat, mox calumniandi occasionem exteri arripiunt, si quos sub illius professione petulantius & proteruius viuere conspicentur. Quapropter de constituenda morum disciplina Christianis hominibus inter tales agentibus præcipua cura esse debet, qua nimirum in ordinem redigantur, si qui lasciuius proteruiunt. At simul videndum est diligenter, ne quid confidentius tentent, & κακοζηλεία peccent, dum omnia, quæ olim Apostoli fecerunt, inconsulta temeritate imitari volūt. Vt enim Romani Pontifices ex hoc loco & similibus Excommunicationē suam instituerunt, quæ tyrannidis ipsorum organum fuit efficacissimum, quo non priuatos modò homines, verumetiam Reges & Imperatores crudeliter vexarunt, bellorum denique ciuilium & seditionum fuerunt authores: Ita Anabaptistæ dum disciplinam absque Excomunicatione consistere non posse sibi persuadent, Ecclesias passim turbant, & seipsos toti mundo ridiculos præbent, quando ipsi quoq; magno cum conatu eos, qui deliquerunt, Satanæ tradunt, & Apostolicam illam potestatem nullo cum effectu ostentant, qui ne pediculum quidem suis obtestationibus occidere, nedum pro imperio Satanæ aliquid mandare possunt. Iampridem enim hoc donum cessauit, vt & multa alia: imò ne viuentibus quidem Apostolis in tam frequenti vsu fuit vt reliqua: eò quòd sufficeret vno aliquo exemplo seueriori in aliqua gente edito Apostolorum authoritatem contra ministerij Ecclesiastici contemptores asseruisse. Non igitur necesse est, vt quid simile tentetur hodie, quando neq; alia imitari possumus, quæ Apostoli miraculosè factitarunt. Eam verò disciplinæ rationem singulæ Ecclesiæ sequantur, quæ genti in qua degunt quàm maximè conuenit, quæq; pro locorum & temporum ratione omnium commodissima esse videtur. Neq; hîc quisquam alijs temere præscribat, neue ad eandem formam omnes astringat.

Quòd

Quòd si verò aliqui in Ecclesia eiusmodi contumaciores sunt, quàm vt monendo, corripiendo, hortando in ordinem cogi poßint, & ijdem insuper scurrili impudentia comminationes quoq; verbi Dei atq; pœnarum denuntiationes rideant, ij vt putrida & emortua membra ab Ecclesiæ corpore prorsus resecantor, ne suo exemplo alios inficiant, neue religionem Christianam prophanorum hominum ludibrijs exponant. Quid enim aliud facere possunt ij, qui magistratu destituuntur, ad quem causas eiusmodi referant, quibus deniq; non licet pœnis à Deo constitutis sceleratos & incurabiles mulctare? Ad istud ergo remedium recurrant necesse est, vt Ecclesiam suam suspicione liberent. Et hæc demum vera Excommunicatio dici meretur, quando nimirum ab Ecclesiæ communione vel societate in vniuersum excluduntur, qui illius ciues antea habebantur. At quia hîc quoq; facilis lapsus est, eò quòd pleriq; in notandis aliorum vitijs acerrimi sunt, simulq; innata homini ambitio multos abripit, vt concessa sibi potestate insolentius abutantur, diligenter obseruari debent huius loci circumstantiæ, & quæ hoc cap. deinceps sequuntur, vt nimirum Apostolorum & veteris Ecclesiæ vestigijs insistant, quotquot hoc remedium extremum aliquibus adhibere coguntur. De excommunicatione.

Occurrit hîc primum, quòd Paulus toti Corinthiorum Ecclesiæ scribens, vobis (inquit) congregatis. Atqui paßim tunc in Ecclesijs constituti erant Seniores, quorum authoritate res pleraq; gerebantur. At hanc causam non horum arbitrio permittit Apostolus, vt ipsi soli cum suis de ea statuant, sed in totius Ecclesiæ cœtu illam vult peragi. Cur enim ex paucorum sententia membrum aliquod ab Ecclesiæ corpore resecaretur? Cur pauci vulnus facerent, cuius dolor ad omnes redundaret? Et sanè prodest tota Ecclesia conscia hæc fieri: cùm ne ministri vel alij, quorum est præcipua authoritas, inuidia grauentur: cùm vt exemplo publico plures emendentur: vt deniq; coerceatur ministrorum & Seniorum ambitio, ne potestate sua imperiosius abutantur, & tandem de alijs quoq; rebus ad communem Ecclesiam pertinentibus sibi solis decernendi ius sumant, qui proximus ad tyrannidem gradus est. Quotquot ergo rem tanti momenti ad paucos referunt, vel etiam sibi solis vendicant excommunicandi potestatem, ij Ecclesiam iure suo spoliant, & tyrannidem affectant pijs intolerabilem. Ijdem dum morbis & vitijs mederi volunt, noua vulnera Ecclesiæ infligunt, neq; ijs medentur quos excludunt, sed potius ferociores reddunt, & multis alijs quiritandi occasionem præbent. Tota Ecclesia excõmunicet.

Deinde ne Ecclesiam quidem temere conuenire vult Apostolus, sed ait: Vobis congregatis & Spiritu meo in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI. In nomine Christi eos conuenire iubet: nimirum vt qui huius causam agere, nihil autem pro suorum affectuum libidine statuere velint. Et sui Spiritus præsentiam pollicetur, de qua nuper diximus, vt maiori cum fiducia rem agant. Et ideo etiam addit: Cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI: respiciens nimirum ad promißionem, qua hic pollicetur ratum fore, quicquid statuerint qui in suo nomine conueniunt. Neq; debet superuacanea censeri crebra hæc Spiritus, nominis, potestatis Christi repetitio. Ea enim admonet, in tota hac actione omnium mentes in vnum Christum intentas esse, omnium oculos hunc vnum respicere, omnium deniq; ora & linguas eundem vnum sonare debere. Ita verò nullum prorsus locum relinquit affectibus carnis, quos in causa tã graui omnino sopire, imò exuere et calcare oportet, ne obstrepant. Si enim hoc magistratus facere debent, quando de re pecuniaria aut mulctis ad solũ corpus pertinentibus agitur, quantò magis idem obseruandum est, quando animarum salus periclitatur? Minimè ergo probari debent temerarij & iracundi, qui præcipiti iudicio fulmen istud mox in quosuis stringunt, & de excludendis hominibus ab Ecclesia potius quàm de colligẽdis soliciti sunt. Atqui vel solius Christi nomen, quod hîc toties inculcat Paulus, huius pastoris mansuetudinem, fidem & studium erga oues suas ipsis in mentem reuocare debebat. Ecclesia agat in nomine Domini. Matth. 18.

Tertio illum quoq; quasi digito monstrat, in quem sententia ferri debeat, τὸν τοιοῦτον, id est, talem vel eiusmodi hominem: ita non tam illius personam, quàm qualis esset denotans; Impurus nimirum & incestus, qui nouercam vxoris loco habebat, vel alioqui illa hucusque ad nefariam libidinẽ abusus erat, ideoq; diuinis legibus capitis suppliciũ merebatur. Quo loco multa obseruatione dignum est, quòd cùm infinitis alijs quoque vitijs Corinthij laborarent, Paulus solum hunc tam Qui excommunicandi.

grauì supplicio dignum putauit. Itaque non temere in quosuis Excommunicationis sententia ferri debet. Sunt quidē peccata omnia si in se æstimentur, æternæ mortis supplicio digna, & proinde à regno Dei eos excludūt, qui in illis pœnitere nescij perseuerant. At quia nobis nō semper cōstat, quo animi proposito aliquis peccet, & qualis in posterū futurus sit, nō debemus temere quicquā statuere. Adhæc quia Excommunicatio publici exempli instar esse debet, nemo certè ea mulctandus erit, quàm qui publicum scandalum dedit, & quidē tale, quod nō alio remedio curari potest. Veruntamen hîc quoque cautione diligenti opus erit: ne videlicet propter vitium, quod genti alicui quasi proprium est, & quo maior hominum pars laborat, aliquis excommunicetur. Nam si hoc in vno fiat, in alijs quoq; idem fieri necesse erit: alioqui personas respicere dicentur, qui alterum illum excluserunt, & ita omnis vigor disciplinæ intermorietur. At omnes excommunicare difficile fuerit & periculosum. Quomodo enim pauci pluribus resistent? Et quæ facies erit Ecclesiæ, cuius pars maior à communione excluditur? Quis item prohibebit, ne exclusi Ecclesiam propriā constituant, & ipsi quoq; Anathematismis & Excommunicationis fulmine pugnent contra eos, à quibus eiecti sunt? Vidit hoc olim D. Augustinus, qui lib. 3. contra Parmenianum sic scribit: Reuera, si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nā consilia separationis & inania sunt & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos, &c. Quare tutissimum fuerit ἐπιείκειαν adhibere, ne summum ius summa iniuria fiat, & Pauli modestiam imitari, qui pœnas sæpe quidem minatus est peccantibus, ad hanc tamen extremam rarissimè descendit, nec nisi ineuitabili necessitate coactus. Nimis ergo temerarij sunt, qui vix audito scelere iras concipiunt, & anathemate eos feriunt, qui alia ratione commodiori in viam reuocari poterant.

Finis disciplinæ Ecclesiasticæ.

Postremò finem totius actionis diligenter indicat, quando hunc Satanæ tradere iubet ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die illo Domini IESV. Ergo siue miser ille moreretur sub hac castigationis ferula, qua Satan in illum sæuiturus erat, siue in viuis maneret, animæ tamen eius consultum voluit Apostolus. Eundem ergo finem Ecclesia sibi proponere debet, si quando aliquem seuerius mulctare, vel etiam à societate sua excludere statuit: vt nimirum emendationem peccatoris quærat, non interitum, & proinde apertas habeat semper fores gratiæ, vt quandocunq; ille conuersus fuerit, absq; mora in gratiam recipiatur. Nec enim decet, vt qui Dei filij censeri volunt, Patre suo cœlesti rigidiores aut duriores sint. At is non vult mortem peccatoris, quin eo ipso momento, quo is conuertitur, se ei propitium præbet: & vt idem singuli priuatim in fratribus obseruent, qui ipsos aliquando offenderunt, Christus iubet. Si peccauerit (inquit) in te frater tuus, obiurga eum: & si resipuerit, remitte ei. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: remitte ei. Quis verò dubitet, hæc toti etiam Ecclesiæ dici, quæ ex solis Christianis constat? Non est ergo, vt operosis, diuturnis & ex parte contumeliosis satisfactionibus fatigentur ij, qui scelera sua iam agnoscunt, culpam deprecantur, pœnitentiam apertè vouent, & Ecclesiæ reconciliari cupiunt. Nec excusari potest eorum durities, qui tales diutius suspensos tenent, adeoq; ad desperationis præcipitia redigunt, quos cum gaudio recipere, & lætis gratiæ Dei promissionibus erigere atque consolari debebant, sicuti Christus in filij perditi parabola docet. Peccauerat is publicè in patrem, in fratrem primogenitum, in totam domum, deniq; in ipsos cœlos: idem domi forisq; scandalum dederat. Attamen reuerso & scelus confitenti mox ignoscit pater, eodem dignitati pristinæ restituit, restitutum anulo reconciliationis donat, & propter ipsum mactari vult vitulū illum saginatū, & conuiuiū parat, quo tota domus simul exhilaretur. Nonne Dauidi clamanti, Peccaui Domino: mox Nathan respondet: Dominus transtulit peccatum tuum? Cur ergo hodie satisfactionibus diuturnis discruciantur, qui eandem confessionem edunt, & lætis gratiæ promissionibus erigi & confirmari debebant? Olim certè nocentissimum scisma in Ecclesia nimio suo rigore Nouatiani excitarunt: & quantum mali pepererint satisfactiones, quibus aliqui non malo Zelo pœnitentiam eorum, qui cum Ecclesia in gratiā redire cupiebant, prius probandam esse putauerunt, notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Discant ergo Ecclesiæ Pauli mansuetudinem imitari, qui vt primùm infelicem istum resipuisse audiuit, pro

Cap. 2.

Luc. 17.

Luc. 15.

uit, pro eodem intercessit, & ne aduersus eum longius procederetur, Corinthios grauiter monuit. Qui secus agunt, dum omnia ad viuum resecare, & Ecclesiam omnibus numeris perfectam atque impollutam constituere conantur, ij laboribus nunquam finiendis sese implicant, odia multorum præter necessitatem sibijpsis accersunt, adhæc principibus à fide alienis, sub quorum ditione agunt, suspecti fiunt, & eosdem sæpe in rabiem accendunt, vt Ecclesijs hospitium negent, neque eos porrò ferre velint, quos quotidie nouum quid parturire & mutuis condemnationibus inter se pugnare vident. 2.Cor.2.

Et hæc quidem de Ecclesijs dicta sint, quæ (vt olim Apostolorum tempore fiebat) sub principibus à fide alienis degunt. Nec enim mihi necessarium videtur, vt ista ad se trahant, qui principes habent verè Christianos, quorum authoritate morum disciplina constitui & conseruari potest. Vrgent quidem Excommunicationem Anabaptistæ, & quia hanc improbamus, nos Ecclesias impuras habere clamant. Sunt etiam alij, qui etsi principes habeant verè Christianos, neque leges desint, quibus morum licentia coercetur, adhuc tamen Senatu Ecclesiastico opus esse aiunt, qui in quorumuis mores animaduertat, & cui in principes quoque ius sit, vt eos qui scandalum aliquod publicum dederunt, à Cœnæ Dominicæ communione arceat, & eosdem non nisi suo iudicio probatos, & præstitis prius satisfactionibus publicis, ad Ecclesiæ societatem & Cœnæ vsum rursus admittat. Quòd si quis ipsorum sententiæ contradicat, mox disciplinæ omnis hostem esse vociferantur, & indignum cui in Ecclesia locus detur: quasi verò non vlla alia disciplinæ forma institui possit, quàm quæ ab ipsis conficta est. Sed parcant illi nobis, nec præcipiti iudicio nos damnent, qui non absque ratione ab ipsis dissentimus.

Num Excommunicatione opus sit, vbi Magistratus est Christianus.

Distingunt illi inter iurisdictionem Ecclesiasticã & Politicam, quoad morum disciplinam & scelerum pœnas. At distinctio ista ex Pontificum officina deprompta est, in Scripturis verò sacris nusquam habetur. Etenim in Nouo Testamento eandem magistratus rationẽ esse constat, quæ olim in veteri fuit, cùm Christus dixerit, se non venisse vt Legem dissoluat, sed vt impleat. At olim penes iudices & Reges fuit potestas animaduertendi in eos, qui peccauerant: neq; se ei negotio Sacerdotes & Prophetæ admiscebant, nisi quoad admonitiones & correptiones, quas ex Dei verbo adhibebant pro delictorum ratione. Idem ergo in Nouo Testamento obseruari debet, neq; opus est, vt verbi administri Senatum habeant peculiarem, aut vt quæ politici magistratus sunt, quacunq; ratione sibi vendicent. Possunt quidem morũ Censores constitui, quibus in Repub. maiori omnino opus est, vbi ordinarij Magistratus non possunt negotijs omnibus sufficere. At illi ipsi non nisi ex Magistratus authoritate creari, & ex eiusdem mandato omnia agere debent, non propriam & ab ordinario Magistratu distinctã potestatem vsurpare. Distinxit enim inter politicum & Ecclesiasticum ordinem Deus, & illi quidem rerum gubernacula cum præmijs & pœnis, quæ vel bonis vel malis debentur, commisit: huic verò Verbi ministerium & Sacramentorum administrationẽ credidit. Licet ergo ministris Ecclesiæ principes viros monere ex Dei verbo, vel etiam eosdem (si mereantur) durius corripere, sicuti Prophetas olim factitauisse scimus: at eosdem sibi aut suo Consistorio subijcere nõ licet, nisi eos imitari libeat, quos Magistratus contemptui habituros, & Maiestatem Regum conuitijs petituros esse, olim Petrus prædixit. Quid multis? periculosum omnino nobis videtur, duos magistratus constituere in eodem populo: neque exemplum vllum videmus, quo istud probari possit. Et quàm hoc vtile sit, me videre non posse, libenter & ingenuè fateor. Nam qui legitimi magistratus authoritate & legibus non possunt in ordinem redigi, ij multò minus Seniorum siue Ecclesiastici Senatus imperio se coerceri patientur, quem cum toto suo apparatu ludibrio habebunt. Qui verò ex magistratibus antea in tuenda morũ disciplina remissiores erant, aut indulgentiores, nunc gaudebunt onus hoc in alios translatũ esse, & illam omnino negligent. Quid autem his cessantibus facient Seniores? Certè plerisq; ludibrio erunt, dum veluti lepores (vt poëta canit) dare iura leonibus audent, conanturq; truces sine vi frenare tyrannos: multi quoq; ex magistratibus ad illud non modò conniuebunt, verumetiam in sinu suo ridebunt infirmam & ridiculam noui illius Senatus dominationem. Fiet ergo, vt vbi prius aliqua saltem erat disciplina, & interdum mulctis atq; pœnarum exemplis aliqui terrebantur: iam illa quoq; è medio sublata, impunitas regnare incipiat cum immani & publico ministerij

Senatus Ecclesiasticus.

Matth.5.

2.Pet.2.

sacri cõtemptu. Neq; hoc temere dicimus: nam hoc ita fieri exempla docent, quæ ita nota sunt omnibus, vt plura de hac re dicere non sit opus. At si in effreni ista licentia Seniores illi excõmunicare pergant omnes, qui se ipsis opponunt, periculũ est, ne aliquando maior sit excõmunicatorum quàm cum Ecclesia cõmunicantium numerus. Dicant ergo mihi Seniores, quid tunc faciendum esse censeant. Respondebunt, opinor: Tunc magistratus imperio opus fore, qui improbos illos coerceat, ne sua proteruia & temeritate Ecclesiã euertant. Assentior & ego huic consilio. At si tunc illud fieri debet, quando vix sine publico discrimine fieri potest, cur non sua magistratui authoritas integra relinquitur, & iisdem tota publicæ disciplinæ gubernatio mandatur, priusquàm res ad extremũ vsq; deueniat? Possent hîc multa alia dici, quæ breuitatis studio nunc præterimus.

Cœna Domini non admiscenda Excommunicationi.

Deinde, neq; hoc videre possumus, qua ratione Cœna Domini huic negotio admisceri debeat, vt nimirũ Exclusionis organum fiat, quod Christus cõmunionis Christianæ vinculum esse voluit. Et obstat nobis, quòd olim propter peccata à sacrificiorum & cultus diuini societate adeò neminẽ exclusum fuisse scimus, vt potius qui peccauerant, ad templum venire, & pro delicti ratione victimã offerre iuberentur. Neq; in Nouo testamento huius Exclusionis exemplũ vllum habetur. Et quis non videat, quàm durum sit aliquem prohibere, quò minus cum Ecclesia mortẽ Christi annunciet, & eidem pro exhibito redemptionis factæ beneficio gratias agat? Et cur nos Symbolis externis eum indignũ esse dicamus, quem ipse Christus suo corpore & sanguine alere dignatur? Dicũt illi, Christum prohibuisse, ne margaritas porcis & Sanctum canibus proiiciamus. Agnoscimus, & nos Christi præceptum, sed nõ ea nobis est audacia, vt canes & porcos velimus dicere eos, qui ad Ecclesiam redire, qui cum illa fidẽ in Christum profiteri & Christi seruatoris beneficiũ publicè prædicare cupiunt. At periculũ est (inquis) ne qui nos fallant. Id verò isti non tuo, sed suo periculo facient: neq; tu periculum hoc omne effugeris, si per decenniũ aliquem satisfactionibus theatricis fatigaris. Hypocritam enim sceleratum nulla temporis mora emendabit. Quàm verò periculosum sit satisfactiones exigere, quarum Scripturæ nullam mentionem faciunt, iam ante diximus, & res ipsa loquitur. Neq; nos ab iis, qui ad Cœnam Domini accedere gestiunt, plus quiddam audemus exigere, quàm Paulus, cui sufficere visum fuit, vt quisq; seipsum probet, neque voluit vt alii in aliorum conscientias scrutinium facerent.

D. Ambrosii & Theodosii exemplum.

Obiiciunt nobis aliqui D. Ambrosii exemplum, qui Theodosium Imp. à templi & sacrorum cõmunione excluserit, & culpam cum lachrymis suppliciter deprecantẽ per menses amplius octo suspenderit. At ego miror eos exemplo vti, cuius ipsos pudere debebat, ne in suspicionẽ veniant, ipsos quoq; potestatẽ affectare, qua contra principes pro suo arbitrio abutantur. Etenim si Ambrosium cum Theodosio conferas, huius quidem pietas satis laudari nequit, illius verò vehementia (quod tanti viri pace dixerim) non potest excusari, qui absq; Ecclesiæ & collegarũ consensu, priuata authoritate tantum facinus aggressus est, quo Ecclesia simul & tota religio Christiana in extremũ discrimen adduci poterat, si in principem paulò ferociorem incidisset. Enimuero iniquius & durius æquo secum agi non nesciuit Theodosius, vt ex eius verbis apparet, quibus Ambrosium precatus est, vt cõmunis Domini IESV CHRISTI bonitatem respiciat, neq; sibi claudat fores gratiæ, quas omnibus qui resipiscunt, Christus aperuit. At pro incredibili sua pietate noluit suo iure audacius vti. Imitati sunt quidem Ambrosii exemplum Romani Pontifices, sed non sine totius orbis Christiani periculo. Constat enim illorũ potentiam hac potissimùm ratione eò vsq; excreuisse, vt Regibus quoq; potentissimis intolerabilis fuerit. Notũ enim est omnibus, quàm indignis modis fortissimi Imperat. Heinrichus IIII. & huius filius Heinrichus V. Fridericus Barbarossa, Fridericus item II. Ludouicus IIII. & similes alii à Romanis Pontificibus excõmunicati, qui item bellorũ motus, quot cædes, quot miserabiles vrbium euersiones & horrenda regnorũ excidia inde enata sint. Cur ergo per Euangelii prædicationem Pontificibus vix extortum Excõmunicationis fulmen aliis permittatur, qui & ipsi fortassis eò abutentur? Nam vt optimi sint, qui nunc hanc causam agunt, quis nos de successoribus eorũ securos faciet? Quis itẽ fructus bonus ex eo sperari poterit, quod nullo Christi instituto nititur? Est etenim insatiabilis hominum ambitio, & rari inueniuntur, qui non insolentiores fiant, quando se supra alios eminere vident. Et cùm euanidis huius seculi honoribus pleriq; superbiãt, maius ex illis periculum erit, quorum potestas diuini nominis authoritate commendatur. Certè qui Ecclesiasticas historias non oscitanter legerint, mox videbunt, Episcoporum ambitionẽ omnibus seculis

maximorum

maximorum scandalorum causam fuisse, qui anathematismis & Excommunicationibus mutuis inter se dimicando totum orbem Christianum in partes distraxerunt, & Ecclesias multas euerterunt. Possem multa alia pericula & incommoda commemorare, sed sufficiat nunc cordatis cogitandi occasionem præbuisse. Quòd si aliqui exclusionem qualemcunq; instituere velint, quæ à magistratu legitimo exerceatur, & politica potius sit, quàm Ecclesiastica, cum illis nulla erit nobis contentio. Etenim nostræ quoque ciuitatis leges Excommunicatione puniunt eos, qui in audiendis concionibus & Cœna Dominicæ vsu negligentiores, insuper vita scelerata Ecclesiam offendunt. Tales enim, si in vrbe viuant, ex tribuum societate eijciuntur, vt commercia cum nemine habere poßint, neque illis ad honores & munera publica accessus est: sin in agro habitent, à pascuarum & syluarum communium vsu arcentur. Et hæc ratio nobis commodißima est. Faciant aliæ vrbes & gentes, quod è re sui populi esse putarint, quando constat, eandem disciplinæ formam vbique locorum constitui & obseruari non posse. Imò ne illis quidem suam felicitatem inuidemus, qui sua illa Excommunicatione, vel exclusione potius à Cœna, cum aliquo fructu vti possunt: hoc modò illos rogamus, vt intra suos fines sese contineant, neque eundem calceum (quod dicitur) omnium pedibus induere conentur, & ab anathematismis abstineant, neue temere damnent Ecclesias, quibus diuersa disciplinæ ratio magis probatur. Excommunicationes ciuiles.

At vos ô viri Christiani, monemus, vt Paulini exempli memores, de coercenda vitiorum licentia & constituenda morum disciplina seriò cogitetis. Si enim reprehensionem & correptionem tam acrem Corinthij meruerunt, quòd vnius hominis flagitium tam diu impunitum dimiserunt: nulla profectò venia digni erunt, qui hodie Euangelij quidem doctrina & veræ fidei professione gloriantur, interim verò omnis generis scelera licenter grassari sinunt. Peccatur in eo ferè vbique gentium. Regnat apud omnis loci & ordinis homines infame gulæ studium & deformis ebrietas, qua nihil homine ingenuo turpius, nihil seruilius, nihil indecorum magis aut inhonestius fingi potest. Alios impudens & belluina scortandi & mœchandi libido transuersos abripit, & multi ne ab incestis quidē nuptijs abhorrent. Multos auaritia insatiabili cupiditate inflammat, vt tam charitatis fraternæ quàm iustitiæ omnis immemores, monopolijs, fraudibus & voracibus vsuris quosuis grauent & expilent, vt iam de venali iure & violenta pauperum oppreßione nihil dicamus. Audiuntur paßim atroces blasphemiæ & horribilis diuini nominis abusus, dum alij per illud execrantur & deierant, alij sub eius prætextu quosuis turpiter fallunt, multi eodem ad artes illicitas abutuntur. Ardent multi inuidia, æmulatione, odijs, vindictæ cupiditate, quæ simultates, inimicitias & rixas quotidianas pariunt. Sunt qui ne à sanguinis quidem effusione abhorrent, cùm militia mercenaria plerisque quæstus honestus videatur, quam merito scholam omnium scelerum dixeris. Interea verò Dei verbum à plerisque contemnitur, vel tunc modo in aliquo pretio est, quando aliqua lucri aut maioris licentiæ spes ex eo affulget. Tunc ferè ex Ecclesiæ bonis ditescunt, qui eius labes & pestes sunt. Et ad ista dormiunt plerunq; principes viri, & multi ne ministros quidem Ecclesiæ patienter ferunt, qui ista liberius accusant, multi verò ministrorum ijsdem turpiter blandiuntur. Hinc ergo horribilis confusio nascitur, quæ vtriusq; ordinis statum siue authoritatem labefactat. Nam & Verbi prædicatione minus proficiunt ministri: & qui magistratum gerunt, partim pijs minus grati sunt, quia absq; Dei Verbo regnant, partim nimia indulgentia seipsos improborum ludibrijs exponunt. Sequuntur ergo scandala omnis generis Propter ista enim Ecclesiæ diffamantur, & Euangelij doctrina malè audit, quasi bonis operibus inimica peccandi licentiam stabiliat. Accedit aliud longè grauius, quòd multi minimè mali, & publicæ honestatis amantes, impostorum & sectariorum artibus atq; calumnijs se facilius seduci patiuntur, vt zelo, pio quidem & bono, sed inconsiderato, ab Ecclesijs seceßionem faciant, & sua acceßione improbos illos confirment, qui omnem Ecclesiæ ordinem abolere conantur. Multi item absterrentur, quò minus Euangelium audiant, & relictis superstitionibus Christo nomen dent. Istis ergo scandalis Dei ira accenditur, vt ipse eos puniat, qui seipsos iudicare & corrigere nolunt. Debet itaq; horum consideratio diligens principes simul & Ecclesiarum ministros excitare, vt in remedio istis malis adhibendo operas suas magno studio conferant: & hi quidem docere, monere, corripere, hortari, increpare, minari & quacunq; possunt ratione instare debent, vt homines Disciplina securiori hodie opus est.

peccata agnoscant, & seriò ad Deum conuertantur. Qui verò ad Reipub. gubernacula sedent, ij morum licentiam bonis legibus coerceant, transgressores harum, vt par est, puniant, scandala è medio tollant, exemplo bono reliquis praeant, denique in retinenda atque conseruanda disciplina publica acres sint & in omnem occasionem intenti.

Fructus disciplinae.

Ex hoc studio pulcherrimi fructus enascentur. Primò enim infamiae nota liberabuntur Ecclesiae, quae hactenus propter aliquorum licentiam malè audiuerunt. Deinde suus quoque honor Christo asseretur, cuius Euangelium ideo multis suspectum, vel etiam exosum est, quòd eius sectatores licentius viuere cernunt. Tertiò emendabuntur multi & seruabuntur, qui nisi coercerentur, anima simul & corpore in aeternum perirent. Quartò contagionis periculum vitabitur, ne simpliciores & infirmi aliorum exemplis malis inficiantur. Quintò ij quoque, qui natura ferociores sunt, exemplis eorum, qui castigantur, territi officium facient, & minus proteruient. Ex his fructus omnium exoptatissimus & saluberrimus dependet, quòd nimirum Deus publico hoc studio placatur, vt peccatis hominum irasci desinat. At qui Deo propitio vtuntur, ij & in melius indies proficiunt, & huius quoq; seculi bonis atq; commodis sub illius protectione fruuntur. Habemus ergo hîc veram & compendiosissimam rationem, qua nostri temporis pericula, quae vndique nos terrent, euitemus, & felicitatem veram atq; stabilem consequamur. Consultatur de eo à multis, & variae sunt hominum sententiae, dum quisque suo affectui indulget. Sed frustra omnes consultant, qui poenitentiae publicae & placandi Dei studium negligunt.

Propter neglectam disciplinam nemo ab Ecclesia discedat.

Caeterùm quàmuis ista hodie monere & optare facilius est, quàm effecta dare, & (vt Christus ipse monuit) hi nouissimorum temporum mores sunt, quos emendare vix quisquam poterit, donec ille eis finem imponat aduentu suo glorioso, non debent tamen pij animum despondere, multò minus autem de Euangelij Veritate dubitare, aut zelo praecipiti ab Ecclesijs discedere, in quibus purior verbi diuini vox sonat, Deus per Filium suũ inuocatur, & Sacramenta ex Christi instituto ritè dispensantur. Agnoscant illi potius ineffabile istud Dei beneficium, qui in tanta nouissimorum temporum infelicitate aliquam saltem Ecclesiae formam nobis seruat, & principes excitat, qui etsi vitijs suis laborent, Verbo tamen suo locum dant, & abolitis superstitionibus puriorem Dei cultum instaurari patiuntur. Itaq; cum gratiarum actione hoc tanto beneficio fruantur, & sibijpsis singuli disciplinam adhibeant, & quae in suis moribus vitiosa esse animaduertunt, studiosè emendent: apud alios item monendo hortando & increpando instent, vt ex hoc ceu vniuersali mundi huius naufragio aliquos seruent, qui cum ipsis Deo purè seruiant, & salutem aeternam assequantur, quam nobis suae mortis merito acquisiuit IESVS CHRISTVS, Dominus noster: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

HOMILIA XXV.

Non est bona gloriatio vestra. An nescitis, quòd paululum fermenti totam massam fermentat? Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua massa, sicut estis fermẽti expertes. Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. Itaque festum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiae & nequitiae, sed non fermentatis panibus synceritatis & veritatis.

QVàmuis Corinthiorum ecclesia multis ijsq; grauissimis vitijs polluta esset, pauci tamen illa agnoscebant, quin potius caeca ambitione & confidentia dementati alijs ecclesijs praestantiores volebant haberi. Erat hic nocentissimus error, quia poenitentiae obstabat, & causa erat, vt quotidie in peius proficerent, maioremq; sibijpsis infamiam indies conflarent. Quapropter admodum grauiter cum illis Paulus agit, & ne quid negare aut dissimulare possent, nuper immane & pudendum hominis incesti scelus ipsis ob oculos posuit, quem hucusque turpi nimis indulgentia tolerauerant non sine publica ignominia totius ecclesiae & nominis Christiani quo gloriabantur. Docuit ergo quid facere ipsos deceat, vt notam istam eluant, & simul miserum illum seruent, qui alioqui periturus erat. Vidimus illic disciplinae ecclesiasticae exemplum qualis olim

olim in vsu fuit, quo docemur, qua seueritate etiam hodie in expurgandis sceleribus vti debeant, quicunque ecclesiarum saluti & honori consultum volunt. At quia doctrinæ non omnes statim obediunt, nunc adhortationem subijcit, qua illos vrget, vt in re tanti momenti seriò agant, & se Christianos esse ipsis operibus testentur.

Rursus autem ante omnia confidentiam illorum reprehendit, qua elati de seipsis gloriabantur, perinde ac si nihil in ipsis esset reprehensione dignum. Non est bona (inquit) gloriatio vestra. Breuis sententia, sed quæ animos superbos & ambitiosos plurimùm mouere potuit, quibus bonum & honestum videtur, quicquid semel instituerunt. At Paulus illos imprudenter & stultè facere ait, & honori suo pessimè consulere, quando ad hunc modum superbiant. Et habet dicti sui graues atque iustas causas. Primò enim per se inhonestum & turpe est, si qui vitijs apertis infames sunt, nihilominus insolenter suas virtutes iactant, & alijs præstantiores haberi volunt. Accedebat huic vitio aliud æquè indignum, quòd singuli suis modò rebus intenti, aliorum vitam atque mores nihil ad se pertinere putabant. Itaque suam innocentiam singuli iactabant, neque animaduertebant se interea in Deum simul & in charitatis Christianæ leges vehementer peccare cùm & Dei gloriam ignaui nimis negligerent, & sua indulgentia eos perderent, quos ab exitio debebant reuocare. Etenim quantũ infelici huic, de quo potissimùm hîc agitur, nocuerint, res ipsa docet, quando ille quoad ipsos anima simul & corpore periturus erat, nisi Paulus sua grauitate ipsis author fuisset, vt eum in viam salutis reducerent. Confidentiam arguit.

Continet autem hoc Apostoli dictum generalem doctrinam siue admonitionem, frustra eos aut fide vera in Deum, aut propria vitæ innocentia gloriari, qui quod ore profitentur non re ipsa præstant. Etenim fidei & religionis professio non solum ritus externos, sed totam simul hominis vitam comprehendit, cùm eo ipso quòd fidem in vnum Deum iactamus, nos illi omnia nostra debere testemur. Deinde cùm per fidem omnes sub vno capite Christo in vnum corpus coalescamus, eadem fides nos ad fraternæ & mutuæ charitatis officia astringit: inter quæ primum est, vt pijs admonitionibus & (si ita facto opus sit) correptione quoque seueriori eos ab interitu reuocemus, qui in vitijs suis perituri erant. Quomodo enim proximum diligere, & eundem pro fratre agnoscere dicetur, qui ad ea turpiter aut oscitanter conniuet, quæ illi exitium afferunt? Imò vt de religionis vinculo, quod inter homines Christianos arctissimum est, nihil dicamus, quis ciuem bonum dicet, qui vicinum perire sinit, aut in communi ciuitatis periculo otiosum spectatorem agit? Apud Lacedæmonios ex veteri instituto receptum fuit, vt qui iuniorem se præsente peccantem non reprehendisset, perinde ac si ipse peccasset plecteretur: & qui obiurgationem aut correptionem eiusmodi indignius tulisset, magna ignominia afficiebatur. Videbant enim grauissimi viri, quantum momenti ad rempub. & morum honestatem conseruandam eiusmodi admonitiones afferrent. Et si ad hoc officium tam promptos fecit patriæ amor, quantò ardentiores in illo præstando esse conuenit Christianos homines, quos longè arctiori vinculo inter se constrinxit Dei Filius, cui in baptismo nomen dederunt? Itaq; quotquot aut Dei gloriam non eo, quo debebant, studio asserunt, aut fratres suos in sceleribus & erroribus perire sinunt, interim verò Christi nomine & veræ fidei professione gloriantur, illis Paulinum istud obijci debet: Non est bona gloriatio vestra, &c. Frustra gloriantur verbis, qui virtute destituuntur. Plutarch. in apophtheg. Laconicis.

Quia verò Corinthios nimia suijpsorum fiducia securos quoque fecerat, ne breue hoc dictum contemnerent, periculi communis denuntiatione eos excitat, sic dicens: An nescitis, quòd paululum fermenti totam massam fermentat? Interrogatione illos vrget, vt ostendat quàm turpis sit hæc illorum ignorantia siue obliuio. Quasi diceret: Mirum est vos, qui præ alijs sapere vultis, hucusque in re tanti momenti tam securos & tam immemores vestræ salutis fuisse, cùm tot exempla in quotidiano rerum vsu occurrant, quæ vos tam periculi, quod vobis imminet, quàm officij vestri admonere possent, si animum velletis attendere. Nam vt infinita alia omittamus, cur non domi vestræ obseruatis, paululo fermenti magnam farinæ subactæ massam fermentari, vt inflata surgat, & acorem concipiat? Quin ergo cogitatis idem vestræ ecclesiæ accidere posse, vt vnius hominis exemplum, qui tantum scelus impunè tulit hucusq; multis alijs occasionem præbeat simile quid, aut etiam hoc grauiora perpetrandi? Quid verò inde sperari potest aliud, quàm vt tota ecclesia in commune & extremum salutis discrimen adducatur? At hæc dicendo, simul alium dis- Paululum fermenti totam massam fermentat.

ciplinæ ecclesiasticæ finem siue vsum attingit, quem nos nuper ordine tertium posuimus: quòd nimirum scelerum contagioni obstat, ne vnius aut alterius, qui impunè peccarunt, exemplo multi alij inficiantur. Nam vt Cicero dicebat, magna est peccandi illecebra, impunitatis spes: & quotus quisq; reperitur, qui impunitate proposita, abstinere poßit iniuria? At impunitatis spem maximam facit peccantiũ multitudo. Accedit huic malo, quòd magna per se vis est exemplorum quæ nobis quotidie ob oculos versantur, cuius rei causæ certæ adduci possunt. Prima, quòd malũ suapte natura citius propagatur & crescit, quàm quod bonũ est. Sic terra sponte vrticas, spinas, tribulos, lolium & alia huius generis profert, & si vel paucißima istorũ semina spargantur, mox ea longè lateq; serpere & frutescere videbis: cùm frumentum & alia quæ ad vitam sustentandã necessaria sunt, vix magno cum labore culta & plantata proueniãt. Altera, quòd omnes homines natura ad malum procliues sunt, & ideo aliorũ exemplis facilè prouocantur, vt ipsi ausint facere, quod alios impunè tulisse vident. Fit ergo, quòd vt scabies ab vna oue in totum gregem serpit: ita vnius hominis improba & impunita licentia suo exemplo ciuitatem aut ecclesiã totam inficiat. Eò maior autem exemplorum eiusmodi vis est, si vel ab ijs procedant, quorum maior est apud alios authoritas, vel etiam defendantur ab illis quibus rerum potestas commissa est. Non temere ergo de hoc Corinthios Paulus admonet, vt meminerint hîc non vnius modò hominis, sed totius Ecclesiæ causam agi, adeoq; cum Dei gloria publicam omnium salutem periclitari.

Exempla mala caueri debent.

Itaq; multiplicẽ doctrinam hic quoq; locus continet. Primò enim omnes admonet, & imprimis quidem eos, qui vel in Ecclesia vel in Repub. præsunt, vt vitã sanctè & honestè instituant, ne cui mali exempli authores sint, & ita fermentum fiant, quo alij corrumpantur. Ita enim pœnas illas horribiles incurrent, quas illis Christus minatur, qui alijs scandalo fuerint. Deinde docet vitandam esse malorum hominũ consuetudinem, societatẽ verò & consortia cum illis inire nos debere, quorum exemplo meliores fieri possumus. Vt enim corporis vitia & gestus eorum imitamur plerunq; quibus cum viuimus: ita etiã in moribus fieri solet. Et memorabile est illud Solomonis dictum: Qui ambulat cum sapientibus, fit sapiens. E contra infinita eorũ exempla produci poterant, quos hominũ impiorum & malæ frugis consuetudo miserè perdidit. Hæc vt ad omnes pertinent, ita maximè à iuuenibus obseruari debent, ne in teneris annis concepta mali consuetudo in habitũ & vitium immedicabile degeneret. Sed & parentes istorum consideratio excitet, vt in liberorum institutione diligentes sint, & inter alia eos quàm maximè à malorum cõmercijs reuocent. Nam si hoc fecerint, multo simul labore & molestia seipsos liberabunt. Ideo hoc quoq; nõ imprudenter à Lacedæmonijs institutum fuit, ne qui extra patriæ fines peregrinarentur. Ita enim cauere voluerunt, ne quis peregrinos & corruptos mores, quos alibi imbibisset, in ciuitatem inferret. Videbant enim in vicina Græcia & Asia intemperantiam, luxum, libidinem & omnis generis scelera impunè regnare: quamobrem etsi in iisdem regionibus artium bonarũ studia florerent, & qui exteras oras inuisunt cum multarum rerum experientia prudentiam quoq; maiorem colligant, vtilius tamen illis visum fuit istis carere, quàm patriæ disciplinam labefactari, qua Respub. ceu neruis solidißimis continetur. At hodie, qui liberis suis optimè consultum volunt, eos vel in Regum aulas, vel in militiam mercenariam ablegant, vbi cum peßimis versantur, & nihil ferè præter immanem luxum & quiduis audendi libidinem inde domum referunt.

Cæterum ne Corinthij se iam omni officio defunctos putarent, si impurum illum è cœtu suo eiecissent, Paulus ex his occasione sumpta in generalem doctrinã digreditur, qua simul omnes ad vitæ innocentiam & sanctitatem adhortatur, & ea omnino opus esse docet, siquidem in Christo viuere & seruari velint. Et vt doctrina ista magis perspicua sit, & in animos altius penetret, perstat in fermenti parabola, & inde ad paschalis festi solennitatem transit, quo & redemptionis nostræ communis & totius vitæ Christianæ typus continetur.

Peccatum fermento confertur. Marc. 8.

Propositio & summa totius loci est: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua massa, sicut estis fermenti expertes. Fermenti nomine peccatum significat, & quicquid cum illo coniunctum est: nimirum ad illud Christi respiciens, qui discipulos à fermento Pharisæorum & Herodis abstinere iußit, per illud quidem hypocrisim, per hoc verò vitam sceleratam cum manifesto Dei & admonitionum omnium contemptu coniunctam intelligens. Rectè autem peccatum

fermento

fermento confertur, quia hoc illius naturam atque effecta pulchrè adumbrat. Vt enim fermentum res quidem parua & nullius pretij videtur, mirifica tamen vi massam ingentem penetrat, seque per totam illam diffundit, vt non solùm intumescat, verumetiam ex illo acorem nouum concipiat: ita peccatum primo intuitu leuiculum quid & contemptibile putatur, ex quo non multum periculi sit metuendum, at semel intra cordis penetralia admissum, hominis naturam omnem peruadit & occupat, eundem inflat, vt nouis quasi spiritibus conceptis aduersus Deum & Verbum eius extollatur, ideoque in omnibus vitæ totius actionibus sese exerit, quæ causa est, vt homo totus acetum sapiat, & Deo minimè gratus sit. Vetus autem fermentum dicit Apostolus, partim ad pristinam vitæ in gentilismo transactæ consuetudinem, partim ad innatam nobis vitiositatem respiciens. Et reuera vetus est peccatum, quia vt in primo parente cœpit, ita ex illo in omnem posteritatem propagatum nobiscum concipitur & nascitur, adeò vt priusquam in Christo renascamur, nihil præter peccatum in nobis videre possis. Quo nomine illud Apostolus veterem quoque hominem appellare consueuit. Sensus ergo verborum istorum est, expurgari & eijci oportere peccatum & quicquid prioris vitæ consuetudinem sapit. Rationem verò adducit à fine religionis aut professionis Christianæ desumptam: Vt sitis noua massa, sicut estis fermenti expertes. At si fermenti (inquis) expertes iam erant, quid habuerunt quod expurgarent? Vbi meminisse oportet, Paulum ad Dei gratiam respicere & vocationis ipsorum finem. Vocati enim erant singulari gratiæ Dei beneficio, vt noui homines fierent, & excusso omni fermento peccati atque veteris consuetudinis Deo sese omnis fermenti expertes sisterent, & quia vocanti Deo paruerant, vt Christo nomen darent, tales dicuntur, quàmuis non paruæ apud illos adhuc essent veteris fermenti reliquiæ, quas eijci oportebat. Ita Christus discipulos suos mundos vocat propter Verbum suum, cui crediderant, & tamen eosdem, vt pedes suos quotidie abluant, hortatur: per hos nimirũ vitæ conuersationem intelligens, cui quoad in carne viuimus, subinde aliquid ex innata vitiositate & mundi exemplo aspergitur, quod noua abstersione opus habet. Argumentum ergo Pauli ita formari poterit. Quicunq; per Euangelij prædicationẽ ad Christum vocati, & in hoc nouus populus atq; Dei peculium facti sunt, ij omnes peccati & veteris consuetudinis reliquias expurgare debent, vt reuera sint quod profitentur: At vos per Euangelium vocati estis, & nouus populus propter regenerationis gratiã dicimini: Ergo peccatũ omne expurgare, neq; aliquid ferre debetis quod gentilismũ sapiat.

Peccatũ, vetus fermentum.

Ioan.15. & 13.

Obseruabis autem toto hoc loco, turpiter eos hallucinari, qui peccata vetustate & communi totius mundi exemplo excusant. Solent hi multis narrare, quæ omnibus sæculis mundi huius facies aut conditio fuerit, & inde colligunt, aliter fieri non posse, & proinde non audiendos esse, qui nouam mundo faciem inducere conantur, & Deum fingunt, qui morositate quadam noua iam amplius ferre nolit, quæ tot sæculis tulit. At quid opus est ô boni hæc tam multis exponere? Quis enim negat, iam inde à prima rerum origine peccatum regnauisse, & mundum omnibus sæculis ambitione, auaritia, intemperantia, libidine, odijs, cædibus, rapinis & omni iniquitatis genere esse turbatum? Nonne de hoc ipse Deus per Mosem & prophetas paßim queritur? Nonne hoc ipsum nos quoque fatemur? At quod vos inde colligitis, id omnino sequi negamus. Scimus enim Filium Dei in mundum venisse, vt opera diaboli destruat: inter quæ cum primis locus peccatis debeatur, nequaquam his seruire debent quicunque illius nomen profitentur. Scimus illum Nicodemo dixisse: nisi quis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei. At quid opus est regeneratione, si pristina vitæ studia sectari, & carnis cupiditatibus indulgere licet? Scimus noui Testamenti primum ministrum fuisse Ioannem Baptistam: qui pœnitentiæ doctrina populum ad excipiendum promissæ salutis Mediatorem præparare debuit: scimus præterea hoc in mandatis habuisse Apostolos, vt Euangelij prædicationẽ à pœnitẽtiæ articulo exordirentur: scimus item inter spiritus sancti officia primum recenseri vt mundum arguat de peccato. Quid verò peccati redargutionẽ aut pœnitentia opus est, si inter media peccata seruari possumus? Quòd si vos iuuat veterum exemplorũ cõmemoratio, vt his peccandi licentiã excusetis, cur nõ eadẽ opera pœnas & horrẽda Dei iudicia cõmemoratis, quibus in sui numinis contemptores, in intemperantes, libidinosos, ebriosos, adulteros, scortatores,

Peccatum non excusatur vetustate.

1.Ioan.3.
Ioan.9.

Luc.24.
Ioan.16.

auaros, sanguinarios, raptores, ille omnibus sæculis seuerißimè animaduertit? Quod si exempla illa ignoratis, næ oscitanter nimis sacras literas legistis: sin verò hæc vobis non ignota sunt, nimiùm malitiosi estis, qui impia eorum dißimulatione rudem & rerum imperitum populum decipitis: & proinde indigni estis, quibus in re tanti momenti fides habeatur. Hæc fratres charis. hoc loco mihi omnino dicenda fuerunt propter eos, qui hodie tanta cum confidentia paßim regnantē & omnia turbantem scelerum immanißimorum licentiam defendunt. Ignorant isti finem Euangelij & vocationis nostræ, qui est, vt per fidei obedientiam toti Christo subijciamur vniq; Deo viuamus, qui nos Filij sui sanguine redemit

Expurgari oportet vetus fermentum.

Pertinet ad hanc considerationem etiam Expurgandi verbum, quo Paulus non sine causa vsus est. Poterat enim cum Christo dicere, Cauete vobis à fermento veteri, vel, Eijcite illud & deponite. Sed ita loqui voluit, vt ostenderet hìc imprimis cura diligenti & labore opus esse, vt totum illud eruatur, quod vetus fermentum sapit. Quia enim ex primis natalibus nobis inhæret lex illa peccati, non adeò facilè reuellitur, quin aliquæ eius radiculæ reliquæ maneant, ex quibus mox noua mali seges prouenit, nisi illæ etiam stirpitus tollantur. Nullus ergo corruptelis eiusmodi locus in nobis reliquus fieri debet, nisi cum Deo ludere, & nostri innouationem simulare potius quam seriò instituere libeat. Ex imis ergo radicibus extirpentur idololatria, superstitiones, opiniones erroneæ, falsa doctrina, corrupti mores, & quicquid nobis vel ex Adamo veteri, vel ex prioris vitæ consuetudine adhæret. In hoc sedulos imprimis esse conuenit Verbi administros & qui in repub. agunt: ne blandiendo & dissimulando superstitiones & vitia aperta foueant. Errant hìc vehementer nostro tempore, qui dùm ecclesiæ & religionis reformationem instituunt, nonnulla relinquenda esse putant quæ non adeò magni momenti esse videntur. His enim relictis, fit vt apud eos maioris quàm antea fieri incipiant, quorum animi superstitiosis opinionibus nondum omnino liberati sunt, ideoq; mordicus & inuicta quadam pertinacia retinere postea conantur ea, quæ prius facilè contemnebant. Ita vera superstitionis fomenta fiunt, quæ contemptu digna esse & sine periculo negligi posse putabantur. Peccarunt in hoc ex Regibus Iuda multi non mali, quibus vitio datur, quòd craßioribus superstitionibus sublatis Excelsa reliquerint, in quibus populus contra Dei legem sacrificabit. Et quantum ex minimis veterum errorum reliquijs mali succrescat, nostris temporibus non vno loco vidimus. At quod de cultus diuini reformatione dicimus, ad vitam quoque & mores transferri debet. Quicunque enim Ecclesiæ aut Reipub. disciplinam rectè constitutam, eamq; perpetuam & stabilem esse volunt, ij omnem quoque mali speciem è medio auferre satagant, ne qua occasio detur ijs, qui pristinos mores reducere cupiunt. Priuatim verò singuli discant, se tunc demum hominis Christiani officium facere, si non modò externos mores emendent, sed peccatum ex imis medullis eijcere & carnem ad hoc procliuem mortificare studeat. Si enim qui hoc pro virili faciunt, nihilominus sibi perpetuò luctandum esse sentiunt, quid obsecro ijs fiet, qui consultò multa relinquunt, quibus Satã ad inflãmanda carnis nostræ desideria abuti potest? Quàm parũ ergo in religione Christiana eos profecisse putabimus, qui ea etiam excusant & defendunt, quæ Dei verbo damnantur?

Cur locutionibus à Paschate desumptis vtatur?

Cæterùm poterant aliqui Paulo obijcere: Quid opus est nos de fermento expurgando admonere, quos iam pridem Christus ab ijs liberauit, quæ veteri populo mandata fuerunt? Ad Iudæos ista præcepta pertinent, neq; ijs obtundi debent, qui Christo nomen dederunt. Præoccupat ergo obiectionem istam, sic scribens: Nam Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus, &c. Quibus verbis & priorem doctrinam confirmat, & simul rationem reddit, cur locutionibus & similibus ex lege petitis apud homines Christianos vtatur: ideo nimirum, quòd veteribus (vt infra dicet) omnia in figura contigerunt, cuius complementũ nos in Christo habemus. Sic ergo vult dicere: Quando paschalis agni immolationẽ & quod ex illo fiebat epulũ Deus in liberationis ex Aegypto memoriã instituit, hoc præ alijs singulari cura & seueritate obseruari voluit, vt omni fermento ex ædibus eiecto totos illius festi dies septem panibus non fermentatis vescerentur. Atqui nos Pascha habemus longè præstãtius, ipsum scilicet Dei Filium IESVM CHRISTVM, qui ex spirituali, Pharaonis, diaboli & inferorũ, tyrannide nos asseruit, & nobis epulũ exhibet, quo indesinenter ad vitã æternam pascimur atq; alimur: Ergo non minus nobis quoq;

etiam atque etiam aduigilandum est, vt ab ijs abstineamus, quæ per fermentum olim adumbrata sunt. Quid verò aliud voluisse putabimus Deum, quàm vt Israëlitæ ad terram promissam properaturi superstitiones simul atque mores Aegyptios procul abijcerent, seq; totos ipsi consecrarent, cuius singularem gratiam tunc sentiebant? Idem ergo nobis quoque præcipi putabimus, vt relictis & abiectis omnibus prioris vitæ sordibus nunc ad cælestem patriam tendamus, & vni Christo viuamus, qui nobis libertatis multò nobilioris & præstantioris author est. Si enim ea tam diligenter obseruari debuerunt, quæ typi & vmbræ fuerunt mysteriorum sublimiorum, quantò diligentiori cura in illis opus est, quæ illis adumbrantur? Et si olim capitale fuit fermentum edisse, quòd per secessum expurgatur, quantò grauior erit culpa peccato locum dedisse, quod cordibus sese insinuans nobis inhæret, totos peruadit, inflat & à Deo prorsus abstrahit? Hæc (inquam) & quæcunque alia in hanc sententiam dici possunt, Paulus his verbis comprahendit, in quibus priusquam longius progrediamur, duo obseruanda veniunt.

Primum est, quòd Christum Pascha nostrum dicit, & ita nos quoque non minus quàm veteres pascha habere docet, quod à nobis celebrari debeat. Neque primus hoc dicit, sed Baptistam dixisse sciebat de Christo: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Et vt in præsenti Pascha nobis tribuit, et ex eo argumentum ducit quod nos de nostro officio admoneat: ita in Epistola ad Colossen. nos Circumcisionem quoque habere ait, quæ non manu, sed Christi spiritu fiat, & vt huic locum demus hortatur. Simili ratione ad Hebræos Altare etiam nobis tribuit, & inde deducit argumenta, quibus in fide vera nos instituat. E contra noui testamenti Sacramenta veteribus applicat, quando infra Cap. decimo illos & baptizatos esse, & nobiscum eandem escam spiritualem comedisse, deq; eadem nobiscum petra bibisse testatur. Est ergo certa & euidens inter vetus & nouum testamentum communio, quæ docet, eandem semper fuisse salutis rationē, & quidem eam, quæ in vno IESV CHRISTO habetur: quem ideo agnū ab origine mundi immolatū Ioannes vocat, quòd mortis eius meritum ad primos parentes vsq; extendi, & per hoc patres omnes seruatos esse sciret. Quoad ergo rationem salutis & fidei principia inter nos et illos discrimen prorsus nullū est. In solo autē tēpore est differentia. Illi enim Seruatorē, qui præfinito tēpore venturus erat fide cōstāti expectarūt, & ideo signis pluribus opus habebāt, quibus in fide confirmarentur: at nobis ille iā datus est, et proinde signis quoq; paucioribus et minus operosis vtimur. Vtque veteres nequaquā in externis illis ritibus salutis fiduciā collocare debuerūt, sed in Christū venturū respicere: ita nos quoq; non in signis hærere, sed animos per fidē sursum attollere conuenit, vt Christo verè fruamur. Hæc qui non obseruant, ij non modò superstitionibus nouis decipiūtur, verumetiā seipsos dulcissima illa cōmunione spoliant, quæ nobis in Christo cum veteribus intercedit.

Christus nostrum Pascha.

Colos. 2. Heb. 13.

Apo. 13.

Alterum quòd hîc obseruabis, est, quòd Paulus Christum pro nobis sacrificatū esse, non adhuc quotidie sacrificari, dicit, imò nullius præterea noui sacrificij meminit. Atqui ad huius loci argumentū plurimùm ponderis attulisset, si ita potuisset dicere: Quoniā Iudæi in agni paschalis immolatione fermentū omne ex ædibus eijcere, et totū illius festi tēpus panibus nō fermentatis trāsigere debuerunt: nostri quoq; officij fuerit, per omne vitæ tēpus à fermento veteri abstinere, eò quòd nostrū Pascha, IESVS CHRISTVS, quotidie in Altaris sacramento nō pro nobis modò, sed pro omnibus viuis & defunctis immolatur. Fuisset certè huius argumēti vis maxima, neq; illud omissurus erat Paulus, si quid huius fieri credidisset. Sed nihil eiusmodi dicit, quia Christum iam moriturū dixisse sciebat, Consummatū est. Sciebat deniq; illum (vt ad Hebræos scribitur) semel oblatū esse, vt multorū peccata tolleret, & vna pro peccatis oblata victima, nūc in perpetuū sedere ad dextrā Dei. Est ergo intolerabilis eorū error, qui Christi corpus et sanguinē quotidie offerri docent. Nā ita meritū crucis & mortis eius euacuant, eundem mendacij arguunt, spem salutis labefactant, & impurū sacrificū in illius locum substituunt, imò supra ipsum longè euehunt, quādo per illum perfici credunt, quod ipse imperfectum reliquerit.

Christus iam olim immolatus.

Hebr. 9. 10.

Sed omissis istis, loci huius Conclusionē audiamus: Itaque festum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ et nequitiæ, sed non fermentatis panibus synceritatis & veritatis. Festi nomine totū vitæ Christianæ cursum intelligit. Vt enim nostri Agni meritū atq; virtus perpetuò durat: ita nostri quoque festi Paschalis solennitas non septem dierum spatio terminatur,

Vita Christiana festo Paschali confertur.

ſed per omne tempus noſtræ vitæ extenditur. Probè autem conuenit iſta ſimilitudo. Feſtum enim paſchatis quatuor omnino partibus conſtabat. Primò otium habebat ſacrum, & (vt in reliquis etiam feſtis) ab omni opere ſeruili feriabantur. Deinde cum gaudio & gratulatione celebrabant memoriam redemptionis ex Aegypto. Tertiò immolabatur Agnus, qui vt beneficium patribus olim in Aegypto præſtitum in mentem reuocabat: ita Chriſti typus erat, cuius ſanguis nos aduerſus angeli vaſtatoris inſidias tuetur. Accedebant his quarto loco panes azymi aut non fermentati, quibus toto illo tempore veſcebantur, vt præcipitis illius feſtinationis ex Aegypto memores ſibi ab omnibus iis cauerent, quibus tunc polluti fuerant, & libertatem ſuam fortiter tuerentur. Atqui hæc ipſa ſunt quibus vita Chriſtiana conſtat: vt nimirum à peccatis feriemur:

Phil. 3. & 4. *vt perpetuò & indeſinenter gaudeamus in Domino, etiamſi multa nobis aduerſa ferenda ſint: vt in recenti memoria nobis ſit* IESV CHRISTI *beneficium, qui pro nobis ſeſe obtulit, vt ex peccati ſeruitio & morte æterna nos redimeret: vt denique fermentum omne, tam ſuperſtitionum veterum quàm peccati expurgemus, neue Chriſti beneficio abutamur ad peccandi licentiam. Rectè ergo & meritò vitam Chriſtianam Paſcha perpetuum dixeris.*

Chriſtianorum fermentum & azyma.

At quia priora ad præſens Apoſtoli inſtitutum minus faciunt, in poſtremo maximè inſiſtit, & duobus membris compræhendit omnia, quæ Chriſtiani homines vitare, quæue facere debent. In primo fermentum vetus denuò nominatur, per quod peccatum nobis ex originis vitio inhærens & prioris vitæ conſuetudinem denotari diximus. Id verò perſpicuitatis cauſa in malitiam & nequitiam diuidit: & per illam ſimpliciter omne id intelligit, quod cum bona Dei voluntate pugnat, hac verò improbitatem illam denotat, qua alios etiam moleſtia afficimus, diaboli nimirum ingenium imitati, qui & ipſe ideo πονηρὸς dicitur. Quia verò non ſatis eſt à maleficio abſtinuiſſe, niſi è contra quod bonum eſt facias (notum eſt enim illud Domini per Iſaiam dicentis: Ceſ-

Iſa. 1. *ſate malefacere, diſcite benefacere) alterum membrum mox opponit, monens vt ſuæ vitæ feſtum in panibus non fermentatis, ſynceritate nimirum & veritate tranſigant. Synceritate innocentiam & ſanctitatem omnem compræhendit, ſine qua nemo videbit Deum. Nam huius verba ſunt: Sancti eſtote, ſicuti & ego ſanctus ſum. Veritas dolum atque ſimulationem omnem tam in cultu Dei quàm in vita & moribus excludit. Hoc ipſum ergo in præſenti dicit Apoſtolus, quod Chriſtus,*

Ioan. 4. *quando veram Dei inuocationem aut cultum in ſpiritu & veritate conſiſtere docet. Nam etſi ipſe de eo potiſſimùm agat, quales erga Deum eſſe debeamus, fieri tamen non poteſt, quin cum hominibus quoque innocenter, ſanctè & abſque omni fraude vel ſimulatione agant, quicunque Deum ex animo obſeruant & colunt. Et hæc quidem ſinguli ad ſe transferre debent pro ſuæ vocationis ratione, vbi ſinguli quid agant inuenient, & pietatem veram exercendi materiam habebunt ampliſſimam. Hodie plerique Paſcha agitant non tam Iudeorum quàm gentium more. At Chriſtianum Paſcha neque inanibus ceremoniis, neq; epulis aut conuiuiis luxurioſis conſtat, ſed iis, quæ hic Paulus præcipit. Adhæc non paucis modò diebus agitur, ſed toto vitæ tempore durat. Semper ergo infelix peccati fermentum fugere, ſemper ſynceritati & veritati ſtudere, ſemper in* CHRISTO IESV *exultare debemus, qui vt nos ex diaboli ſeruitio aſſeruit, ita nos in cœleſti patria ſemper ſecum viuere & regnare vult. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA XXVI.

Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini cũ ſcortatoribus: at non omnino cum ſcortatoribus mundi huius, aut cum auaris, aut cũ rapacibus, aut idololatris: alioqui debetis ſcilicet è mũdo exire. Nunc autem ſcripſi vobis ne commiſceamini, ſi quis cùm frater nominetur, ſit ſcortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebrioſus, aut rapax, cùm eiuſmodi (inquam) ne edatis quidem. Quid enim mea intereſt etiam de extraneis iudicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos iudicatis? De extraneis verò Deus iudicat. Tollite igitur ſceleratum iſtum ex vobis ipſis.

Quando

QVando Ieremiam ad docendi munus Deus vocauit, inter alia sic illi loquebatur: Ecce ego constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & extirpes, vt perdas & dissipes, vt ædifices & plantes. Quibus verbis admonet, Verbi ministros non obiter modò aut in genere doctrinam veritatis tradere debere, sed simul boni agricolæ instar omnia è medio auferre, quæ illius fructum impediunt. Vt enim terra propter maledictionem, cui obnoxia est, sua sponte spinas atq; herbas inutiles, imò noxias quoq; profert: ita homines ex innato naturæ vitio ea quotidie faciunt, quæ Deo minus placent, & illos à salutis via reuocant. Tanta denique est humanæ naturæ prauitas, vt in ea corrigenda non sufficiant ecclesiarum ministri quantùmuis assidui & diligentes, nisi publica authoritate adiuuentur. Ideo Paulus Corinthios tam diligenter monet atque hortatur, vt quæ apud illos collapsa erat, ecclesiæ disciplinam instaurent, & coniunctis viribus atque vnanimi consensu auferant, quæcunque vetus peccati fermentum redolent, & quibus aliqui offendi possunt. Cæterùm in hac doctrina duo restabant, de quibus dubitari aut quæri poterat. Alterum, quò vsque disciplina hæc extendatur, & qui nam illi sint, à quorum commercijs homines Christiani abstinere debeant? Alterum quid de ijs futurum sit, qui ab ecclesiæ cœtu & Christianæ religionis professione alieni sua licentia fruantur, neque vllis disciplinæ legibus possunt coerceri, & quoad huius sæculi conditionem omnia pro sua libidine impunè faciunt. De vtroque in præsenti Apostolus disserit.

Quoad primum, Præoccupatione vtitur, qua illis respondet, qui doctrinam de vitandis improbis aut flagitiosis superuacaneum dicebant, eò quòd rem præstitu impossibilem iubeat. Etenim constat inter homines secundùm illud Biantis dictum τοὺς πλείους κακοὺς, id est, plerosque malos & vitijs deditos esse. Quisquis ergo vitare aut declinare instituat, qui aliquid præter Christianæ religionis decorum designant cum aliorum scandalo, eum prorsus ab omnium hominum consuetudine aut commercijs abstinere oporteret, & vitam solitariam viuere, quæ vt nullis legibus diuinis præcipitur, ita naturæ repugnat, cùm Deus hominem animal sociabile fecerit, & ideo nos mutuis charitatis officijs inter nos certare velit. Apertius ergo mentem suam Paulus explicat his verbis: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus: at non omnino cum scortatoribus mundi huius, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut idololatris: alioqui debetis scilicet è mundo exire: Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini, si quis cùm frater nominetur, sit scortator, &c.

Quousque disciplina ecclesiæ debeat extendi.

Epistolæ meminit, qua iam ante illos monuerit, ne cum scortatoribus commercia habeant. At non extat illa, vt nec multæ aliæ, quas ad diuersas ecclesias scripsit. Nec enim dubium est, illum in scribendo assiduum & diligentissimum fuisse, cùm communi omnium ecclesiarum cura subinde premeretur, & quoties per alia negotia licebat, ad eas quoque excurreret, quas sua præsentia opus habere sciebat. Cuius studij exempla non obscura in Actorum libro & eius epistolis commemorantur. Et quod de illo dicimus, hoc de alijs quoque Apostolis sentire debemus. Sed spiritus sanctus eos modò libros seruari voluit, quos ad seruandam Veritatis doctrinam sufficere, & ad constituendam ecclesiæ formam necessarios esse vidit: alios autem, qui illis potissimùm temporibus seruiebant, intercidere passus est, ne ecclesiam scriptis non necessarijs oneraret, aut nostræ curiositati occasionem daret ea inuestigandi, quorum cognitio non multum ad nos pertinet. Quod ipsum in veteri quoque testamento factum fuisse constat. Moses etenim Libri bellorum Domini meminit, & in Regum historia frequens est Annalium mentio, qui libri hodie nulli habentur. Et Iudas siue Taddæus in epistola sua prophetiam Henochi adducit, cuius scriptum similiter nullum extat. Hæc vt paternam Dei curam nobis cõmendant, qui ecclesiæ suæ quàm commodissimè prospectum voluit: ita illis confutandis seruiunt, qui nobis Conciliorum decreta & nescio quos Canones obtrudunt, quibus purior illa & Apostolorũ temporibus propinquior Vetustas caruit, & nos tamen hodie illis opus habere contendunt. At cui cordato credibile videri potest, Deũ voluisse vt nonnulla prophetarũ & Apostolorum scripta intercideret, in eorum autem locum succederent libri, de quorum authoribus nihil certi habetur, & qui præter superstitiosas traditiones & ceremonias non minus frigidas quàm ineptas nihil continent?

Non omnia Apostolorũ scripta extant.

Num. 21.

At quia hæc non huius loci sunt, nunc Pauli sensum videamus, qui sic vult dicere: Memini

Quorum commercia Christiani vitare debeant.

me vobis aliâs scripsisse, ne cum scortatoribus consuetudinem contrahatis: id verò præstitu impossibile videtur vobis, qui in ea vrbe viuitis, quæ inter gentes quoque hoc nomine malè audit, quòd scortandi licentia nullis omnino legibus frænetur. Sed velim vos diligentius animum attēdere, vt de quibus loquar intelligatis. Nec enim hoc absolutè dixi de scortatoribus mundi huius, id est, de omnibus, quotquot adhuc mūdo dediti & à Christianæ religionis professione omnino alieni sunt, et proinde cōmuni errore in hanc licentiā abripiuntur. Ita neq; omnes eos intelligo: qui in mundo hoc auaritiæ seruiunt, rapinis student, vel etiā idololatriā sequuntur. Nā si præceptū hoc ita vrgere velim, vt nefas putem, cum aliquo consortium habere, qui vno aut altero istorum scelerum pollutus est: fateor necesse omnino fore, vt ex hoc mundo digreßi aliam terram, omnibus hucusq; incognitam, quæratis: quando in hoc orbe habitabili ista paßim regnant, & difficile sit aliquē inuenire, qui omnis sceleris purus sit. Itaq; ne cui æquo rigidior videar, nunc vobis mentē meam apertius declarabo, quæ hæc est. Si quis cùm frater nominetur, nihilominus scortatorem agit, aut auaritiæ mancipium est, aut idolorum cultu polluitur, aut conuitandi rabie ardet, aut ebrietati & intemperantiæ operam dat, aut rapinis studet, aut aliquid eiusmodi, quod cum scandalo coniunctum est, designat: cum eo ne cibum quidem capiatis. Sunt verba hæc per se clara, quia tamen de re maximi momenti dicuntur, non inutile fuerit, ea diligentius & propius inspexisse.

Christiani dicuntur fratres.

Occurrit in his primum, quòd disertè ait: Si quis frater nominatur, id est si, Christianum se esse profitetur, & hoc nomen vulgo obtinet. Ita verò ex communi veterū more loquitur, quo Christiani se mutuò fratres dicebant: nimirum propter communionem, quæ nobis in Christo intercedit. Vnus etenim omnium pater est Deus: vna omnium mater, Ecclesia: vnum regenerationis semen, Verbum Dei: vnus regenerationis author, Spiritus sanctus: vna denique omnium hæreditas, quam nobis in cælis Dei Filius acquisiuit. Et prodest Christianos homines ipso nomine de his admoneri, quò fidelius sui officij meminerint. At in præsenti Paulus professionis meminit, vt apertos Christianos ab occultis discipulis distinguat. Solent tales sæpe esse in ijs locis, vbi non tutum est fidem veram profiteri. Et hi tunc paucis modò noti sunt, & quàmuis veritatem norint, ad tempus tamen superstitionibus communicant, quia vel occasionem adhuc nullam habent discedendi, vel nondum ita confirmati sunt, vt cum aliqua rerum suarum iactura discedere velint. Peccant hi quidem non leuiter, & apud Deum excusationem nullam habent. Verumtamen cum illis cautius & mitius agendum est, ne omnino alienentur, & in desperationem veniant. Non ergo eiusmodi homines indigni iudicari debent, quibus cum versemur, sed potius alliciendi sunt, vt nostra consuetudine confirmentur, & ex occultis aperti discipuli fiant. Exemplum facilitatis huius in Christo habemus, de quo Isaias olim vaticinatus est, quòd arundinem quassatam non conterat, neque linum fumigans extinguat. Nicodemum certè & Iosephum Arimathæum patienter tulit, & discipulorum loco habuit, licet illos adhuc eius puderet, & fidem in ipsum pre metu Iudeorum profiteri nollent. At ijdem postea fortißimi facti sunt, & cum ignauo & ignobili timore deuicti turpiter laterent qui prius aperti discipuli fuerant, ipsi præter omnem expectationem prodierunt, vt Christum ab omnibus derelictum honorificè sepelirent, & eo officio fidem in illum publicè testati sunt. Simile quid de Victorino Rhetore Platonico D. Augustinus narrat, quem Simplicianus diu nequicquam fatigauit, vt fidem in Christum, quam iam animo conceperat, publice profiteretur, & Ecclesiæ sese palàm coniungeret. Solebat enim cum risu ad eiusmodi exhortationes respondere: Ergo ne parietes faciunt Christianos? At idem postea, cum nihil huius speraretur, magna cum totius Romanæ ciuitatis admiratione Christi nomen professus est. Et possent huius generis nonnulla commemorari, quæ nostro sæculo acciderunt. Quæ tamen non in eum finem recitamus, vt qui adhuc meticulosi & ignaui latitant, ex illis sibi patrocinium petant: sed vt quorundam rigorem temperemus, qui dum omnes nimium audacter damnant, quos adhuc inter superstitiones hærere vident, multorum animos prorsus alienos à nobis reddunt, multis item extremæ desperationis authores sunt. Est ergo diligenter obseruanda hæc distinctio Christianorum, vt occultos quidem & infirmos sancta indulgentia alliciamus, seueritate autem digna vtamur in eos, qui fidei professionem, qua gloriantur, morum licentia prophanant.

Distinguit inter Christianos apertos et occultos.

Confes. lib. 8. cap. 2.

Vi-

Videamus igitur istorum catalogum, quem Apostolus contexit. In quo rursus obseruari debet, de ijs modò illum loqui, qui in sceleribus istis cum impio admonitionum omnium contemptu pergunt, & pœnitentiæ doctrinam pertinacius aspernantur. Nam quàmuis aliqui in his aut similibus peccent, admonitione autem vel publica vel priuata se in viam reuocari patiantur, mox in gratiam recipi debent, nosq; de eorum conuersione gaudere conuenit. Ergo de ijs hîc loquitur Paulus, qui incurabiles & pœnitere nescij peccato prorsus seruiunt: quos ex ordine videbimus, vt quæ vitia potißimùm caueri debeant, intelligamus. Catalogus eorum qui vitari debent.

Primo loco Scortatores nominat, partim quòd scelus hoc à vocatione nostra & nominis Christiani professione alienißimum est, vt in sequenti cap. docebit: partim quòd propter hoc imprimis in huius argumenti tractationem descenderat, & ab illo quàm maximè deterrendi essent Corinthij, cùm propter effrænem totius ciuitatis licentiam & veterem consuetudinem ij quoq; ab illo minus abhorrerent, qui iam Christo nomen dederant. Quo loco admonemur, Christianos homines ab ijs etiam vitijs abstinere debere, quæ genti suæ quasi propria sunt, & vix peccati loco habentur. Sunt equidem, qui illa communi exemplo excusari posse arbitrantur, & nimiùm morosos atque importunos eos esse dicunt, qui illa volunt disciplina seueriori coercere. Sed non quid mundo videatur, aut quid in vnaquaq; gente vulgò receptum sit, sed quid Deus velit spectandum est, & quid Christianæ professionis leges postulent. Atqui vt omnium gentiū seruator est Christus: ita Euangeliū omnibus prædicari, & ex eius semine omnes regenerari atq; innouari vult, vt excusso diaboli iugo libertatem, quam ipse nobis meruit appræhendamus, & in Patris sui conspectu vitam viuamus nouā atq; irrepræhensibilem. Vt ergo publici ciuitatis mores & diuturna consuetudo apud Corinthios minimè excusauit scortandi licentiam: ita veniam nullam merentur, qui cùm Christiani dici & esse velint, alijs suæ gentis moribus corruptis indulgent. Scortatores.

Secundum locum auaris tribuit, in quibus πλεονεξίαν, *id est, eam auiditatem repræhendit, qua aliqui plura quàm Deus dedit appetunt, neq; sua sorte contenti viuunt. Videtur hoc quoq; vitium leue multis, & non aliqua animaduersione dignum: sed sub eo multa & grauia compræhenduntur, quæ singula à regno Dei excludunt, nisi ea corrigas. Nam radix eius est diffidentia, quæ vt de Dei cura, qua nos prosequitur, dubitemus mouet. Coniunctam verò sibi habet opum fiduciam, quæ causa est, quòd alibi idololatriæ species esse dicitur. Nā animum totum à Deo abstrahit, quod Christus nō obscurè testatur, quando fieri posse negat, vt Deo simul & Mammonæ seruiamus. Fructus & effecta eius sunt fraudes, doli, imposturæ, inhumanitas, iniqui contractus, vsuræ, rapinæ, periuria, & quæcunq; alia præter ius & æquum fiunt, & à charitate alienißima sunt. Rectè ergo auaros illos ijs Paulus adnumerat, quorum commercia Christiani fugere debent.* Auari.

Tertij in hoc catalogo sunt Idololatræ, quod non immeritò aliquis miretur, cùm de fratribus aut Christianis agat. Absurdißimum enim est & quasi ἀσύστατον, *vt quis & Christianus sit & idololatra. Sed non miraberis, si temporum illorum mores inspicias. Erant enim multi in religione ambigui, qui etiamsi fidem Christianam profiterentur, idololatria tamen sese polluebant: & id non vno modo tunc factum fuit. Alij enim quòd imaginum aliquē inter Christianos quoque vsum esse putarent, ab illis minus abhorrebant. Alij sub Deorum nominibus Deum verum coli posse somniabant, & hi in illorum mysterijs mirificè philosophabantur. Inter alia autem hoc apud plerosque in vsu erat, quòd à vicinis & cognatis vel amicis inuitati ad sacra ethnicorum accedebant, & quàmuis non astarent sacrificantibus, epulis tamen & conuiuijs intererant, quæ ex carnibus sacrificiorum solebant instrui: de quibus suo loco prolixè disserentem audiemus. Excusabant isti omnes factum suum multis rationibus, inter quas præcipua illis erat, quòd se in veri Dei cognitione probè instructos esse, & de falsis Dijs prorsus nihil honorificum in animo sentire dicerent. Sed Paulus eos non ex ipsorum opinione, sed ex re ipsa æstimans, idololatras esse pronuntiat: nimirum quòd tales reuera sint, quicunque cultibus illicitis vel minima ex parte communicant. Similes horum sunt hodie, qui imagines defendunt, & his ceu libris laicorum vtendum esse censent: quotquot item quacunque alia ratione vel cum gentium vel cum Papistarum superstitionibus aut idololatria communicant. Faciunt id reuera, qui sub Carnispriuiorum (vt illi loquuntur) nomine Orgia Bacchi, Lupercalia & Cerealia celebrant: quæ festa à gentibus olim* Idololatræ.

ijsdem anni temporibus & eodem planè ritu celebrata fuisse constat. Item, qui Encænia retinent, quæ vt in Diuorum honorem à Papistis agi solent, ita ab illis non minori cum licentia morum retinentur, quàm apud eos fiat, quos Euangelij lux nondum illuminauit. Habent isti quoque argumenta omnis generis, quibus sese excusant: sed cùm negare non possint, hæc à gentibus & Papistis originem duxisse, idololatris adnumerari debent quicunque ijs vacant.

Conuitiatores. *Quarto loco conuitiatores sequuntur, quorum scelus graue & multiplex est. Peccant enim illi in charitatis leges, quæ proximi famam atq; fortunas tueri iubent. Et vehementius ferè nocent linguæ virulentia, quàm qui vim apertā inferunt. Quæ causa est, quòd verba eorum Dauid*
Psal. 56. 64. 140. *gladijs & sagittis acutis, imò aspidum dentibus similia esse, sub linguis autem eorum venenum serpentum occultari ait.*
Iacob. 3. *Iacobus autem eiusmodi linguas ab igne infernali accendi scribit, & ἀκατάχετον κακόν, id est, malum esse dicit, quod nulla ratione retineri aut coerceri possit. Quia autem animi index est sermo, fieri nequit, quin animos æmulatione, inuidia & odio plenos habeant, qui conuitiandi & obtrectandi libidine delectantur. At qui istis affectibus seruiunt, ij Christi spiritu nondum reguntur, & proinde fucata fidei professione sese venditant, ideoq; digni sunt, quos Christiani homines suspectos habeant.*

Ebriosi. *Quinti in hoc grege ebriosi numerantur. Sunt hi, qui bibendi & inebriandi habitum contraxerunt, & in poculis omnem voluptatem sitam esse arbitrantur. Describit horum mores Isaias his*
Isa. 5. *verbis: Væ his qui mane se accingunt vt sectentur siceram, & id in crepusculum vsq; prorogant, vino eos inflammante: in quorū conuiuijs cithara & nablum, tympanū & tibia cum vino: at interim opus Domini non contemplantur, neq; opus manuum eius considerant. Primò studium inebriandi assiduum illis tribuit, quandò mane eos compotationes suas incohoare dicit, & easdem in noctem vsque extendere. Deinde vino eos accendi & inflammari ait: nimirum vt toti carnis desiderijs ardeant, & excusso rationis iugo in omnem petulantiam ruant. Hinc ergo rixæ, conuitia, pugnæ, vulnera, cædes, illicitæ libidines & infinita alia nascuntur, quæ omnia Solomon ebriosis tribuit.*
Prouerb. 23. *Addit his gaudia immodica Isaias, quæ instrumentis Musicis testentur (quod*
Amos 6. *Amos quoque in sui sæculi hominibus accusat) & ijs maximè, quæ furorem animi magis augent, & proinde in bellis ferè vsum suum habent, qualia sunt tympanum & tibia. Et ne quis hæc leuicula putaret, addit quod grauissimum est, quod nimirum opus Domini non contemplentur, neq; opus manuum eius considerent, quibus verbis impiam securitatem cum manifesto Dei contemptu coniunctam describit: cuius hæc effecta sunt, quòd donis Dei impiè abutuntur, corporis & animi vires scientes volentes debilitant, iudiciorum Dei exempla omnia contemnunt & rident, eò deniq; delabuntur, vt qui inter illos optimi sunt pecudum instar soli ventri & gulæ seruiant: vt iam nihil de illis dicamus, qui in vrsos, leones lupos, tigrides degenerare solent. Quis verò istos pro Christianis agnoscat, qui ne homines quidem dici merentur? Quis item dignos iudicet, quibus cum consuetudinem habeant, qui se totos Christo consecrauerunt?*

Rapaces. *Sexto gradu rapaces collocat, de ijs loquens, qui habendi & acquirendi cupiditati eò vsque indulgent, vt aliena quoque ad se rapiant. Ita verò omnes rationes illicitas comprehendit, quibus quæ aliorum sunt sibi vendicant homines auari & diuitijs dediti. Ad hunc ergo titulum pertinent impostores, hæredipetæ, falsarij, fœneratores, vsurarij, milites mercenarij, quos sola lucri spes ad istam lanienam trahit, & quibus (vt Poeta ait) ibi fas, vbi maxima merces. Qui hisce rebus student, ij iampridem hominem exuerunt, & cùm apud ethnicos semper malè audierint,*
Luc. 19. *minimè digni sunt, qui inter Christianos locum habeant. Etenim nisi cum Zachæo pœnitentiam agant, & quæ iniquis modis rapuerunt restituant, fidemque in Christum beneficentiæ operibus testentur, regni illius cœlestis hæreditatem adire nunquam poterunt. At quia longum foret omnes enumerare, qui Christiana communione indigni sunt, vno verbo docet idem iudicium de omnibus ferri debere, quotquot his aut similibus vitijs laborant. Alibi*
1. Thes. 5. 2. Thes. 3. *certè homines ἀτάκτους, id est, inordinatos quoque excludere iubet, eos nimirum intelligens, qui cùm ex ecclesiæ ærario alantur, in turpi otio viuunt, & alienis modò intenti*

ipsi nihil faciunt Christiana vocatione dignum. Hi cùm Christiani nominis professionem sibi quæstum faciant, & ipsius Dei nomine ad otium suum tuendum abutantur, adhæc veris pauperibus & ecclesiæ quod ipsis debetur præripiant, meritò certè ab ecclesiæ cœtu arceri debent. Pertinent deniq; ad hunc catalogum, quotquot incurabili pertinacia in quocunq; peccati genere pergunt, & Christianæ disciplinæ legibus nolunt coerceri.

Quid verò cum omnibus istis agendum? Cum eiusmodi (inquit Paulus) ne edatis quidem. Qua locutione familiaritatem & arctiorem consuetudinem significat, quæ aliquam consensionis speciem præ se fert. Interim quoad vsum vitæ huius & commercia necessaria, nequaquam prohibemur, quò minus cum talibus colloquamur, contrahamus, & alia faciamus, sine quibus humana vita consistere non potest. Vbi etiam repetendum, quod alibi diximus, hoc præcepto neq; coniugia dirimi, neq; quam subditi magistratibus & serui heris debent, fidem dissolui aut aboleri. Quia enim omnis disciplinæ hic finis & vsus esse debet, vt qui peccarunt corrigantur & in viam redeant, ijdem omnino abijci non possunt. Ergo non disciplinam ecclesiasticam, sed tyrannidem intolerabilem & plus quàm barbaram crudelitatem exercent Pontifices, qui sub Excommunicationis prætextu, ciuitatis, tecti, aquæ & ignis omniumq; commerciorum interdictione in eos sæuiunt, qui in ipsorum leges peccauerunt. Quæ enim inde vtilitas ad excommunicatos redit? Quomodo item eorum exemplo alij meliores fiunt? Imò vnius delictum ad multos alios propagatur, qui vt Pontificum decretis obtemperent, eos perire sinunt crudeliter, quos in vita seruare debebant. Vbi tamen obseruari debet, minimè probandos esse eos, qui commercia non necessaria cum illis habent, quos seueriori disciplina contineri proderat. Et intolerabilis est eorum licentia, qui cum talibus non modò edunt & bibunt, sed etiam comessantur, belluantur, ludunt, & sua illa leuitate eos obstinatiores reddunt, quò minus conuertantur, & Christianis hominibus dignam pœnitentiam agant.

Quid cum talibus agendum?

Quia verò huius disciplinæ vsum ad solos Christianos restrinxerat Paulus, suæ sententiæ rationem his verbis subijcit: Quid enim mea interest etiam de extraneis iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Extraneos dicit alienos à fide, eò quòd tales adhuc extra Ecclesiæ septa vagantur, & (vt ad Ephesios de gentibus dicitur) à repub. Israelis abalienati & à pactis promissionum diuinarum extranei sunt. Opponuntur his qui intus sunt, id est, qui per Euangelium vocati & Ecclesiæ ciues facti sunt, & proinde illius priuilegijs atq; bonis fruuntur. Et prodest vocabula ista obseruare, quia per illa nos Spiritus sanctus admonet, quàm infelix sit eorum conditio, qui ab Ecclesia alieni sunt. Sunt enim extranei à regno Dei, neq; ad Christi gregem pertinent, cuius ille pastor est, ideoq; luporum & ipsius diaboli insidijs patent. Petitur autem argumentum ex communi hominum consuetudine, adeoq; ex iure gentium. Vt enim ciuitatis legibus soli ciues reguntur & coercentur, aut qui ad ciuium numerum pertinent: ita cum Ecclesia Dei ciuitas sit, in eos quoq; solos sibi ius sumit, quos pro ciuibus suis agnoscit. Sensus ergo verborum Pauli est: Cùm nos suæ Ecclesiæ ministros constituerit Deus, & tota hæc disciplinæ ecclesiasticæ ratio ad illam in officio continendam pertineat, minimè opus est eam vlterius ad eos extendere, qui extra Ecclesiam sunt, & nos rebus nihil ad nos pertinentibus implicare. Vt enim ridiculum esset eos à ciuitate excludere velle, qui ciues non sunt, neq; etiam esse cupiunt: ita stultè nimis facerent, qui ab Ecclesiæ cœtu reijcere vellent eos, qui iam ante ab illa totis animis abhorrent. Nos itaq; nostris finibus contenti de ijs iudicium feramus, qui intra Ecclesiæ pomœria continentur. At nō debent ista sic accipi, vt sua verbo Dei authoritas abrogetur, ex quo nobis licet de omnibus hominibus & factis eorum iudicare. Semper enim ratum erit, iram Dei omnibus imminere, qui iniquitatē sectantur & absq; pœnitentia pergunt in sceleribus. Neq; vnquam fallet Christi sententia: Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui non crediderit, damnabitur. Ex his ergo iudicandum est de superstitionibus & omnibus ijs, qui Christum oderunt, & ad Ecclesiæ eius societatem nolunt accedere. Adde his, quòd non rarò necessitas iubet, vt extraneis quoq; concionentur verbi administri: quando nimirum vel cum illis licenter nimis colludunt, qui Christiani dici volunt: vel eorundem successibus & insolentia pij offenduntur: vel cùm illi in Ecclesiæ excidium coniurant, & extrema quæq; Christi cultoribus minantur. Et huc referri debent Prophetarum conciones, quibus illi Assyrijs, Babylonijs, Ægyptijs, Idumæis, & alijs gentibus pœnas à Deo paratas denuntiauerunt, & earundē causas prolixè enar-

Ecclesia de solis ciuibus suis iudicat.

Ephes. 2.

rarunt, vt vel pios aduersus illorum minas confirmarent, vel ab eorum amicitijs atque fœderibus eos retraherent, qui apud illos præsidia quærebant. Et quod illi fecerunt, hodie etiam facto opus est, neque nobis vitio verti debet, si quando de Papa & eius coniuratis verba faciamus liberius. Etsi enim illi omnes pro extraneis meritò habeantur, eos tamen negligere aut silentio prorsus præterire non possumus, cùm illi rebus Ecclesiæ sese immisceant, eandem modò aperta vi oppugnent, modò per insidias & cuniculos circumuenire studeant, multorum autem ex nostris tanta sit simplicitas, vt illorum artes obseruare non possint, nonnullorum quoq; ea vecordia, vt sese in eorum vngues & retia spontè ingerant.

Extraneos Deus iudicat & punit.

Sed tempus est, vt ad alterum huius loci caput transeamus, quod paucis expedietur. Obijciat enim ad ista aliquis: Ergo ne impunè omnia ferent, qui ab Ecclesia extranei sunt? Enimuero, si nos de illis iudicare non possumus, ijdem verò neq; per ciuiles leges coercentur, quis non videat eos immunitate quadam frui, & eorum conditionem potiorem esse, quàm piorum sit, qui & foris hostes habent crudeles, & domi disciplinæ seuerioris legibus premuntur? Sed breuiter ad hanc obiectionem Apostolus respondet: De extraneis Deus iudicat. Quasi diceret. Vos quod vestrum est facite, de alteris illis non nimiùm soliciti. Nec enim semper impunè ferent quod faciunt. Nam etsi inter homines nemo in illos animaduertat, habent tamen iudicem suum, Deum, qui vt per Legem punit eos, qui Legem acceperunt, ita absq; Lege eos iudicat, qui quam in cordibus suis descriptam habent naturæ legem, violant. Itaq; quàmuis disciplinam ecclesiasticam ad illos vsq; extendi nolit Paulus, eosdem tamen ad Dei tribunal citat, & huic pœnas scelerum daturos esse minatur. Neminem ergo licentia eiusmodi hominum offendat. Nec enim perpetua erit, qua ad tempus gaudent, impunitas, & ferè præter omnem expectationem dira iustitiæ Dei exempla fiunt, qui extra omne periculum constituti esse videbantur. Poterat hoc prolixè ex historijs cùm sacris tum prophanis demonstrari, vt iam de pœnis in futuro sæculo præparatis nihil dicamus.

Rom. 2.

Malum auferri debet ex Ecclesia.

Restat huius tractationis conclusio, quam breuibus absoluit, vt magis referat grauitatem apostolicam. Tollite (inquit) sceleratum istum ex vobis ipsis. Ita verò omnes quæstiones semel abrumpit, quas licentiæ patroni mouere poterant. Quasi diceret. Quid multis verbis opus est? Si Christiani estis, si ecclesiam puram & sanctam esse vultis, vtimini iure vestro, quo vos Christus armauit, & hominem illum tanto scelere infamem, ceu maculam & pestem è medio vestri tollite. Vtitur autem locutione, quæ frequens in Lege occurrit: Auferes malum è medio tui: ex qua rursus apparet eum non exclusionem à Cœna Domini præcipere, sed vt supplicio grauiori mulctandum Satanæ tradant ad carnis interitum. Simul verò docet, hoc illos suo bono facturos esse, quando sic ecclesiã pessimo contagio liberaturi sint: neq; hoc ipsis nouum aut seueritatis inauditæ exemplũ debere videri, quando olim Deus in veteri populo publica scelera pœnis capitalibus punire iusserit. Admonemur igitur hac tota disputatione, per Euangelium minimè abrogari disciplinam, neq; morum licentiam per gratiæ prædicationem stabiliri. Quin suum quoq; ius magistratui integrum manet, quem Dei ministrum esse alibi Paulus docet, vt quod malum est puniat. Deniq; debet ex Ecclesia & repub. Christiana malum auferri, vt suum in nobis regnum obtinere possit Dominus & redemptor noster IESVS CHRISTVS: *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

CAPVT VI.

HOMILIA XXVII.

Audet aliquis vestrûm negotiũ habens cum altero, iudicio experiri sub iniustis, & non sub sanctis? An ignoratis, quòd sancti mundũ iudicabunt? Quòd si per vos iudicabitur mundus, indigni estis minimis iudicijs? An ignoratis fore vt Angelos iudicemus, nedum quæ ad huius vitæ vsum pertinent? Itaq; si iudicia habeatis de ijs, quæ ad huius vitæ vsum pertinent, eos qui minimi fiunt in

Ecclesia,

Ecclesia, eos[inquā] in subsellijs collocate. Vt vos pudeat, vobis hoc dico. Itáne non est inter vos sapiens, ne vnus quidem, qui possit dijudicare inter fratres suos? sed frater cum fratre iudicio experitur, idq; sub infidelibus?



QVEMADMODVM *Dominus* IESVS CHRISTVS *vera atque vnica mundi lux est, hanc verò suam lucem nobis per Euangelij doctrinam communicat: Ita in tenebris ambulent & inextricabilibus errorum Labyrinthis inuoluantur necesse est, quotquot relicta doctrinæ istius simplicitate, vel sua vel aliorum placita & figmenta sequuntur. Exemplo hîc nobis sunt Corinthij, quos in Christi & æternæ salutis cognitione per Paulū & Apollo probè institutos fuisse audiuimus. Sed cùm non contenti ea institutione ambitiosis quibusdā doctoribus locum dedissent, qui mysteria nescio quæ altiora inani verborum splendore iactabant, mox errores omnis generis secuti sunt, qui vitia quoq; pepererunt, quibus tota illa ecclesia infamis facta est. Primò enim cæca æmulatione in sectas distracti, nominis Christiani professionem impiè violarunt. Deinde neglecta aut potius sublata disciplina ecclesiæ, atrocissimis sceleribus atq; flagitijs fenestra patuit, adeò, vt iam ad incestas nuptias cum ingenti scandalo conniuerent, qui ne scortationem quidem vulgarem ferre debebant. Sequitur nunc aliud delictum, cuius infamia non minus ad Euangelij & fidei Christianæ doctrinam redundabat. Erat hoc nimium litigandi studium, cuius ardore abrepti, ad ethnicorum tribunalia eos trahebant, qui eundem cum ipsis Christum profitebantur. Peccabatur in eo bifariàm. Primùm impatientia, cùm qui seipsos ad patientiam & ad ferendas iniurias exercere debebant, alijs iniuriam facerent. Deinde quòd apud infidelium tribunalia litigando, fidem Christianam illorum ludibrijs exponerent. Vtriusq; mali causa præcipua erat Auaritia, quæ vt artes varias excogitat ad opes augendas: ita lites quoq; & rixas infinitas parere, imò lites ex litibus quotidie nouas texere solet. Et quia hæc inter mercatores maximè dominatur, qui diuitias actionum suarum omnium ferè finem constituunt, non dubium est, vitium hoc Corinthi, vbi mercatorum tam indigenarum quàm exterorum ingens erat numerus, admodum frequens & vulgare fuisse. Ideo in illos grauiter inuehitur Paulus, vt audiemus. Nobis autem hæc tractatio plurimum seruit, eò quòd hodie etiam ad eundem lapidem sæpius offendunt, qui Euangelij doctrinam puriorem profitentur. Orditur autem ab eo, quod nos secundo loco posuimus (quia id manifestius erat, neque poterat negari) vt ita commodius ad primum accedat, & id fortius vrgere possit.*

Propositio totius loci præcipua & summaria est, Iniquum & indecorum esse, homines Christianos lites persequi sub indicibus prophanis & à religione alienis. Id verò per interrogationē enuntiat, vt rei indignitatem magis exaggeret. Audet ne aliquis (inquit) vestrûm, negotium habens cū altero, iudicio experiri sub iniustis, & non sub sanctis? Per iniustos intelligit alienos à fide Christiana. Quia enim Christus nobis à Patre iustitia factus est, neq; extra illum aliquis iustificari potest, iniusti sint oportet coram Deo, quicunq; illum nondum fide appræhenderunt. His autem Sanctos opponit, quo nomine credentes intelligit, qui in Christo sanctificantur, vt infra ipse docebit. Obiter autem hoc loco Apostolus omnem humanam iustitiam damnat, quacunq; authoritate, vel publica vel priuata, illa commendetur. Et fuit hoc dictū admodum graue, neq; ignorabat ipse, quàm ægre id laturi essent, qui Corinthi tunc magistratum gerebant. Iniustos tamen dicit, quò magis ab eorum consuetudine abstrahat eos, qui Christo nomen dederant. Habet autem Emphasim Audendi verbum. Quasi diceret. Quæ obsecro hæc est temeritas, hominem Christianum contendendi libidine eò vsq; abripi, vt fratrem in Christo, eiusdem fidei professione gaudentem, adeoq; cohæredem suū, propter res temporarias & nullius momenti ad eorum tribunalia rapiat, qui à Christi cognitione alieni, fidem in hunc hostiliter persequuntur? Non ergo hoc reprehendit, quòd ipsi ab ethnicis citati in eorum fore comparerent (quid enim aliud facerent, qui ad hoc legibus publicis adigebantur?) sed quòd ipsi nemine cogente suos fratres inuitos eò traherent: & non potius ex suis aliquos deligerent, per quos lites eiusmodi amica cognitione aut compositione dirimerētur. Meritò autem tanta cum grauitate istud pronuntiat, quia hoc fieri non poterat absq; manifesta fidei & doctrinæ Christianæ

Indecens est Christianos sub iudicibus prophanis litigare.

contumelia. Constat enim eos qui litigant, plerunque modum excedere, & multa in aduersarij contemptum atque odium dicere, quæ animos b.. potius quàm recti studio & fraterna dilectione flagrantes arguunt. Ex eò igitur ethnici occasionem arripiebant multa dicendi in Christianam religionem: Hæc ne illa fides est, quæ homines à terrenis auocat, vt vni Deo eosdem consecret? Hæc ne religio illa est, quæ sola Deum nobis conciliat? Hæc ne illa charitas & pax & patientia, quam in concionibus publicis, inq; colloquijs priuatis nunquam non inculcant? Ista (inquam) & alia huius generis infinita tunc ethnici Christianis exprobrabrant. Turpe igitur erat, eos istis non moueri, vt cautius agerent: vt iam de eo nihil dicamus, quòd fratres, propter fidei professionem iam ante exosos, ipsi ex priuato affectu & exigui lucri causa impiorum libidini & tyrannidi exponebant.

Cōtra eos, qui propter doctrinā pios impiorum iudicijs subijciunt.

At si tam grauiter repræhendi meruerunt Corinthij, quid de illis dicturus fuisset Apostolus, qui propter doctrinæ & fidei capita aliqua apud Antichristi satellites, vel etiam apud Turcarum tribunalia, illis litem mouent, qui eundem cum ipsis Christum profitentur, adeoq; arma sua cum apertis fidei Christianæ hostibus coniungunt, vt fratres suos opprimant? Factum hoc non semel nostro sæculo, & hic ferè infelicis illius Sacramentariæ contentionis fructus est, vt quouis exitio nonnullis digni videamur, eò quòd verum & naturale IESV CHRISTI corpus in cælesti gloria considere, & sola fide verè manducari, non autem manibus nostris contrectari, neque dentibus (vt Papa loquitur) atteri sentimus. Volunt quidem aduersarij nostri ij videri, qui soli Zelo propagandi Euangelij ardeant: sed quicunque eò vsque progrediuntur, vt cum Antichristi seruis vires suas & socia arma coniungant, ij reuera Iudæorum similes sunt, qui ad capiendum Christum Romanis armis vsi sunt olim, & eundem apud Pilati tribunal accusarunt de ijs, quæ ad doctrinam & æternæ salutis negotium pertinebant. Et verendum est, ne vt Iudæi non multo post Romanorum armis excisi sunt: ita isti quoque illos ipsos hostes nocentissimos & ecclesiarum omnium dissipatores sentiant, quorum authoritate & potentia aduersus nos abutuntur. Vidimus quædam huius mali præludia iam non vno loco, & vtinam non mox grauiora sequantur.

Non semper faciendum quod licet.

Debet præterea ex hoc loco generalis doctrina peti, ne semper faciamus quod per se licet facere, sed caueamus diligenter, ne quam calumniandi occasionem demus apertis fidei hostibus. Vt enim saluti nostræ nunquam non insidias struit Satan, ita occasiones eiusmodi per suos satellites atque seruos studiosè venatur, vt salutis doctrinam apud aliquos in contemptum & odium adducat. Et quantum hodie noceat multorum inconsulta & inconsiderata licentia, notius est quàm vt multis demonstrari oporteat. Semper ergo in nostris auribus & animis sonet illud Pauli dictum: Vnusquisque nostrûm proximo indulgeat in bonum, ad ædificationem. Item: Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt. Quòd si verò in ijs, quæ media aut indifferentia sunt, id obseruari debet, quantò magis ab ijs nos abstinere, imò totis animis abhorrere conuenit, quæ per se illicita & cum aperto scelere coniuncta sunt, & proinde sine multorum offendiculo fieri non possunt? At in eo hodie plurimum ab ijs peccatur, qui purioris doctrinæ & fidei veræ sectatores videri volunt. Nam laudem quidem in illis meretur veritatis professio. Quia vero ijdem aut intemperanter viuunt, aut scortantur, aut auaritiæ suæ indulgent, aut alijs vitijs sunt dediti, fit vt propter illos Euangelium malè audiat: quæ hodie omnium nocentissima est remora, qua plurimi detinentur, ne ad Christi ecclesiam accedant.

Rom. 15.

Sancti iudicabunt mundum & angelos.

Porrò rationes adducit Paulus, quibus docet, quàm indignè istud faciant Corinthij. Prima his verbis continetur: An ignoratis, quòd sancti mundū iudicabunt? Quòd si per vos iudicabitur mundus, indigni ne estis minimis iudicijs? Græcè κριτήρια ponuntur, quæ propriè loca sunt iudicijs destinata. Et solent hæc fere distingui in Repub. bene constituta, vt hîc quidem causæ grauiores, alibi leuiores agantur. Est ergo argumentum à maiori ad minus: Cùm Deus vos destinarit, vt quasi in supremis subsellijs constituti de toto mundo iudicare debeatis, num indigni aut minus idonei estis ad cognoscendum causas, quæ inter vos de rebus huius sæculi incidunt? Additur his alia ratio, quæ ad prioris amplificationem facit: An ignoratis fore vt Angelos iudicemus, nedum quæ ad huius

ad huius vitæ vsum pertinent? Loquitur autem de malis Angelis, qui etsi ob defectionem iam olim è cœlis deturbati sint, catenis tamen caliginis (vt Petrus scribit) in tartarum detrusi ad damnationem extremam seruantur. Et cùm nunc ex iusta Dei permissione tam pijs quàm impijs molesti sint, olim in magno illo die vltima in illos sententia feretur, vt vnà cum suis in ignem illum inextinguibilem præcipitentur, vbi nunquam cessaturis tormentis excruciabuntur. Potest autem locus hic bifariàm exponi. Nam primò mundum hunc sancti iudicant suo exemplo, dum illi omnem excusationis prætextum auferunt. Quo sensu Regina Sabæ & Niniuitæ in iudicio illo nouißimo Iudæorum gentem damnaturi esse dicuntur, quòd hi quidem ad Ionæ prædicationem resipuerint, illa autem Solomonis videndi & audiendi desiderio excitata per longa itinera, cum ingenti sumptu, neq; sine periculo aduenerit: ipsi verò æternum Dei Filium spontè se ipsis offerentem aspernentur. Deinde Apostolis Christus pollicetur, quòd in nouißimo die iudicaturi sint duodecim tribus Isrаëlis. Nam etsi ipsi omne iudicium Pater dederit, assessores tamen habebit Apostolos, quorum ministerio Euangelium in toto orbe diuulgatum est. Vbi nemo humanum quid animo concipere, aut Apostolis eandem cum Christo dignitatem atq; potestatem tribuere debet. Etenim pro ministerij ratione ita loquitur Christus, & ipsos iudices fore dicit, quia ille sententiam tunc feret ex Euangelio, cuius ipsi præcones fuerunt. Quapropter cùm id ad Apostolos & horum successores propriè pertineat, Paulus autem hîc toti Corinthiorum ecclesiæ & (vt ita dicam) vulgo fidelium scribat, prior expositio mihi planior & simplicior videtur, quæ veterum quoq; plerisq; placuit. Quàmuis enim de eo, quod futurum sit, Paulus loquatur, pij autem iam nunc mundum suo exemplo iudicent, hoc ipsum tamen efficacius & euidentius fiet in magno illo die, quando impij, qui nunc omnia facilè rident, sese piorum exemplo conuinci videbunt, & intra conscientias suas iudicij huius rigorem iustißimum sentient: quod non obscurè Christi verba de Niniuitis & Sabæ regina innuunt. Et quia idem in illo die sub damnationis impiorum sententia diabolos quoq; comprehendet, qui ex angelica dignitate propria culpa exciderunt, rectè Apostolus Angelorum quoq; meminit. Et sanè non parum grauabit illorum damnationem, quòd cum naturam à terrena mole puriorem acceperint, & electorum ministerio destinati fuerint, peccato tamen locum dederunt, & eos perdere conati sunt, pro quorum salute æternus Dei Filius sese impendere dignatus est. In præsenti autem argumentis istis Paulus docet, Corinthios sibijpsis & fratribus suis atrocem iniuriam facere, qui honorem suum, in quem ipsos Christus supra omnem mundum & Angelos euexit, in homines prophanos transferant.

2. Pet. 2.

Matth. 12.

Matth. 19.

Admonemur hoc loco, plurimum referre, vt dignitatem suam homines Christiani rectè intelligant, & in eius consideratione aßidua versentur. Est hæc maxima & omnem huius seculi splendorem longè superat. Sunt enim fratres IESV CHRISTI, in quo ex Verbi æterni semine in filios Dei renati sunt. Sunt item eiusdem regni cum illo hæredes. Eius enim promißio est: Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Et cùm iam moriturus de sua voluntate testari vellet, dicebat: Volo pater, vt vbi sum ego, illic etiam sint mecum, quos dedisti mihi. Itaque cum illo olim comparebunt, cùm ad iudicandum venerit, & tunc eos cum admiratione simul & immani conscientiæ cruciatu spectabunt impij, qui ipsos in terris hisce afflixerunt. Vide quæ in libro Sapientiæ de hoc scribuntur Cap. 5. Ista ergo nos solentur, si quando ad impiorum tribunalia tracti iniquis sententijs damnamur. Erit enim olim rerum vicißitudo, & quod Christus Iudæorum sacerdotibus dicebat, fore vt ipsum in nubibus cœli iudicem venturum videant, qui nunc sibi in ipsum iudicium sumat: hoc ipsum nos quoq; dicere possumus, fore vt olim nostro exemplo ad sempiternos inferorum cruciatus damnentur, qui sibi nunc in nos nihil non licere putant. Imprimis autem officij nostri nos ista admoneant: ne qui ad tantam dignitatem vocati sumus, rebus terrenis & turpibus seruiliter immergamur. Cur ergo circa opes huius seculi lites mouemus? Cur propter has charitatis Christianæ leges violamus? Cur illas bonis cœlestibus atq; æternis præferimus? Cur item libidini, scortationi, intemperantiæ & fœdißimis carnis voluptatibus seruiunt, qui suo exemplo mundum & huius principem iudicare debent?

Christiani dignitatem suam considerent.

Cæterùm quia non sufficit vitium aliquod arguisse, nisi eius corrigendi ratio simul tradatur, altera huius loci parte consilium præscribit, & quid fieri oporteat docet his verbis: Itaq; si iudicia

Vt Christiani lites suas debeant dirimere.

habeatis de ijs, quæ ad huius vitæ vsum pertinent, eos qui minimi sunt in Ecclesia, eos (inquam) in subsellijs collocate. Summa consilij est, Christianos homines causas & lites suas non prophanorum hominum iudicijs subijcere, sed ex suo cætu arbitros constituere debere, qui controuersias eorum cognoscant, & lites amicè componant. At obijciebant aliqui, Neminem inueniri, qui ad hoc munus idoneus esset, & proinde necessariò ad publica ciuitatis iudicia ipsos recurrere oportere. Quam obiectionem non sine Præoccupationis specie diluit, dum eorum facit mentionem, qui in Ecclesia minimi sunt. Hoc enim perinde est, ac si diceret: Non est quòd de vestrorum hominum prudentia aut peritia conqueramini: Qui enim inter vos minimi vel contemptissimi sunt, ij huic negotio possent sufficere, modò & ipsi animum attendere, & vos maiorem æquitatis & dilectionis quàm rei priuatæ rationem habere velitis. In eiusmodi enim controuersijs non tam prudentia & longo rerum vsu, quàm probitate & diligentia opus est, quæ duo nunquam desunt ijs, qui serio religionis sensu tanguntur. Et vt maximè errent arbitri isti, tamen rerum temporariarum modò iactura fit, cùm apud alteros illos ipsa religio & publica ecclesiæ pax in periculum veniant. Quapropter cùm eos qui minimi sunt, ad causarum eiusmodi cognitionem deligere iubet, nequaquam in contemptum magistratus hoc dicit, sed per Comparationem loquitur, vt ostendat, præstare omnino, vt vel contemptissimi fidelium iudicent, quàm vt sese eorum ludibrijs exponant, qui à Christiana religione alienissimi, omnem huius accusandi occasionem auidè venantur.

Non aboletur legitimus magistratus.

Obseruabis præterea, hæc non in eum finem dici, vt excusso legitimi magistratus iugo, quisque sibi iudicem pro suo arbitrio constituat. Nec enim Rempub. turbat Euangelij doctrina, neq; leges politicas & iudiciorum ordines abolet, qui absq; religionis detrimento retineri possunt. Adhæc non de ijs loquitur Paulus, qui à prophanis ad iudices ethnicos citabantur, neq; vt his sese immorigeros præbeant, docet: sed (vt supra quoq; monuimus) quid Christianos homines in litibus inter ipsos exortis facere debeant, ostendit. Et cùm ex more apud omnes recepto cuiuis liceat de iure suo nonnihil cedere, & litem arbitris cmitōtere, vt amica transactione componatur: multò magis hoc Christianos facere conuenit, neq; propterea magistratus authoritati quicquam derogatur. Minimè ergo locus iste seditiosis reipub. turbatoribus seruit, qui sub religionis prætextu licentiam quærunt, ad iudices citati non comparent, imò magistratibus iusiurandum negant, & tenebrarum potestatem dicunt eos, qui rempub. administrant. In quorum numero hodie facilè primi sunt Anabaptistæ, & qui horum figmentis decepti res nouas moliuntur.

Contra Episcoporum iurisdictionem.

Epistola 110. Item in lib. de opere Monach.

At mirum videri poterat, istos homines in re plana tam turpiter offendere, & Pauli consilio abuti, nisi turpior esset episcoporum hallucinatio, qui ex hoc loco suam iurisdictionem asserere student. Est hic vetus error, quo veteres quoq; deceptos fuisse, ex Augustino patet, qui alicubi queritur, quòd litibus audiendis bonam diei partem impendere cogatur. Vbi non negauero bonos illos patres pio zelo istud fecisse, & fortassis mouit eos fidelium sors, qui apud aulicos iudices & huic seculo nimis deditos plerunque iniquius tractabantur: veruntamen non defendi potest error, quem multiplicem fuisse constat. Primò enim negotijs à sua functione alienis sese immiscuerunt, idq; contra Christi exemplum, qui à quodam requisitus vt litem, quæ ipsi cum fratre de hæreditate diuidenda intercedebat, cognosceret, respondit: Heus tu, quis me constituit iudicem aut partitorem inter vos? Deinde auget culpam hanc, quòd cùm sentirent se tot negotijs minus sufficere posse, & per illa in eorum administratione impediri, quæ ad ecclesiasticam functionem pertinebant, non tamen onus illud abiecerunt, neq; Apostolos imitati sunt, qui bonorum ecclesiæ & pauperum curam transtulerunt in diaconos, vt ipsi liberius docendi officio vacarent. Grauius adhæc delictum fuit, quòd Verbi Dei authoritate abusi sunt, & ad se rapuerunt, quod Paulus ijs, qui minimi sunt in ecclesia, committere iubet. Quibus adde, quòd posteris pessimi exempli fuerunt authores. Ea enim occasione factum est, vt Episcopi Ecclesiæ iurisdictionem cum politica miscuerint, quæ res tyrannidem inuexit toti Christiano orbi intolerabilem. Excusantur tamen veteres, quòd bono zelo sibijpsis labores imposuerunt, potestate autem sua non insolenter ad alicuius oppressionem abusi sunt. At qui hodie Episcopos profitentur, venia nulla digni sunt, cùm & ecclesiasticum munus omnino negligant, & insuper fastu & tyrannidis licentia huius seculi principes vincant.

Luc. 12.

Acto. 6.

Cum verò Apostolus tam grauiter prohibeat, ne quis Christianus fratrem ad infidelium tribunalia trahat propter res ad huius vitæ vsum pertinentes, quantò minus audiri debent, qui cùm se Euangelicæ doctrinæ fautores atq; patronos esse iactent, nos tamen ad Pontificum Concilia remittunt, vt horum cognitioni atq; iudicio fidem atq; doctrinam nostram subijciamus? Est hoc non iniquum modò, sed magnæ etiam leuitatis argumentum. Si enim Papam eum esse agnoscunt, qui cum suis creaturis de doctrina & fide pronuntiandi ius habeat, & cui omnium, quæ in Ecclesia geruntur, ratio debeat reddi, cur ipsi illo multùm reclamante ab eius obedientia secesserunt? cur eodem inuito instituerunt Ecclesiæ & religionis totius reformationem? cur Ecclesiæ bona præter eius voluntatem in vsus alios transtulerunt? Sed leuia sunt hæc, grauissimum verò & excusatione nulla dignum est, quòd qui ita sentiunt, quantum in ipsis est, Veritatis doctrinam turpiter produnt, cùm illam eorum iudicio subijcere velint, quos illius iuratos hostes esse constat, & inter quos nemini locus est, nisi qui in ipsorum verba iurauit. Sed quia de hoc sæpe diximus, nolumus nunc prolixius rem istam tractare.

Contra eos, qui nos ad Concilia pontificum relegant, &c.

Audiamus nunc loci huius conclusionem, quam non sine graui exprobratione Paulus infert, dicens: Vt vos pudeat, vobis hoc dico: Itáne non est inter vos sapiens, ne vnus quidem, qui possit dijudicare inter fratres suos? &c. Quibus verbis ita loqui videtur: Non ægre feretis fratres, quòd liberius vobiscum ago. Quia enim tanta est confidentia vestra, vt veros Christi Apostolos contemnatis, & vos præ illis sapere vobis iamdudum persuaseritis, ipsa rei necessitas requirit, vt hæc vestra delicta tam grauia & pudenda vobis ob oculos ponantur, quæ vos omnium infimos & rerum imperitissimos esse conuincant. Quæ enim vobis reliqua est gloriandi occasio, cùm vestro ipsorum iudicio nemo inter vos sit ea sapientia & prudentia præditus, vt quæ inter vos oriuntur lites componere possit, & ideo apud hominum prophanorum subsellia de rebus leuissimis, magna cum Christiani nominis ignominia, neq; sine scandalo litigetis? Est hoc memorabile exemplum, quo docemur, quid ferè superbis eueniat, qui confidentia ebrij se alijs præferunt: Vt nimirum in rebus minimis extremam stultitiam prodant, & ita se ridiculos tunc præbeant, quando vix aliqua occasio errandi apparet. Et hoc ferè illis accidit, qui relictis ijs ad quæ diuinitus vocati sunt, res nihil ad se pertinentes tractare volunt. Faciebant hoc Corinthij, quando mysteriorum quorundam altiori speculatione detenti in ijs tam turpiter hallucinabantur, quæ ad vitæ huius vsum quotidianum faciunt. Oportet autem tales Verbo Dei liberius arguere, & quasi in rem præsentem adducere, vt ipsos sui pudere incipiat, & admoniti emendentur. Laudatur in historijs Apelles pictor, qui Alexandrum Regem in officina sua de ijs, quæ ad artem pictoriam spectant, multa ineptius interrogantem tacere iussit, ne pueris, qui colores terebant, se deridendi occasionẽ præberet. Quanto magis igitur libertate ista redarguendi Ecclesiarum ministri vti debent, vt ambitiosis & superbis cristas deprimant? Quòd si qui id ferre nolunt, ij satis testantur, se non tam reprehensione quàm exibilatione dignos esse.

Cur liberius Corinthios arguat?

Restat hoc loco considerandum, quid in deligendis magistratibus maximè spectare debeant, qui rempub. habent in suo arbitrio & potestate constitutam. Nam quàmuis nihil hîc de magistratu ex professo dicat Paulus, docet tamen quales esse debeant arbitri, qui lites inter Ecclesiæ membra exortas componant. Quod cùm ad iudices imprimis pertineat, istis accommodari debet, quicquid hîc dicitur. Atqui duo imprimis vrget. Primum est, vt Christiani sint. Fides ergo in Christum requiritur, quæ Dei veri cognitionem atq; timorem, & sub his pietatem omnem comprehendit. Sunt hæc admodum necessaria. Quia nisi Dei timore coërceantur, qui in magistratu sunt, potestas illa facilè in licentiam erumpit, quæ tyrannidis mater est. Ideo frequenter admonentur iudices, vt meminerint, iudicium Dei esse, qui ipsis præsens adsit, & sententias eorum audiat. Estq; immortali laude dignissimus Tigurinæ reipub. mos, quo fidei suæ confessionem in Diacosiorum Senatu edere iubentur, quotquot ad rempub. primùm accedunt. Alterum est Sapientia, quæ vt omnium vitam & mores dirigere debet: ita maximè ea præditi sint oportet, qui alijs præsunt. Vidit hoc Solomon, qui cùm quiduis postulandi potestatem à Deo accepisset, sapientiam sibi dari voluit, vt tanto populo regendo posset sufficere. Est autem sapientiæ initium timor Domini, quem sub fide comprehendi diximus. Porrò iudicis sapientia, quoad res humanas, in hoc potissimùm consistit,

Quid in eligendis magistratibus maximè spectandum?

Cicero pro Rabir. posth.

(quod gentium quoq; præstantißimi intellexerunt) vt non solùm quid poßit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum sibi permissum, meminerit, sed etiam quatenus commissum sit. Sunt hæc nō ijs modò consideranda, qui iam inter iudices consident, verumetiam illis, quibus hoc beneficium contulit Deus, vt quos ipsi volunt magistratus sibi deligant. Nam si libertate ista pro libidine sua abutantur, & seipsos perdunt, & rempub. fœdè dißipant. Optimè autem rebus consuletur, si hoc vnum omnes spectent, vt vbiq; regnet æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, Rex regum & Dominus dominantium: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXVIII.

Iam igitur omnino impotentia in vobis est, quòd iudicia habetis inter vosmetipsos. Quare non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? At vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres. An nescitis, quòd iniusti hæreditatem regni Dei non possidebunt?

INter vitia, quibus Corinthiorum ecclesia laborabat, non postremum erat, quòd lites & actiones forenses pertinacius sectarentur: & tanto quidem ardore, vt fratres suos ad ethnicorum tribunalia citarent. Ita enim in religionem Christianam grauißimè peccabant, cùm eam prophanorum hominum ludibrijs subijcerent: & simul charitatis leges violabant, seq; maiorem opum huius seculi rationem habere testabantur, quàm arctißimæ illius communionis, quæ credentibus in Christo intercedit, & ex qua omnis nostra salus dependet. Quapropter grauiter admodum de hoc agit Paulus, & prima huius tractationis parte docuit, quàm indignè faciant, qui dignitatem, qua suos credentes Christus ornauit, tam turpiter prostituant. Adhæc consilium dedit, vt si quæ inter ipsos lites oriantur, ex suo cœtu arbitros idoneos deligant, quorum authoritate illæ componantur. His absolutis transit modò ad alterum huius vitij caput, & ostendit lites eiusmodi per se Christianis hominibus indignas esse, eò quòd Christi legibus aduersentur, qui suos ad ferendas iniurias semper paratos, ab omni autem vindictæ studio alienißimos esse velit. Et de hoc quidem grauiter & ordine commodißimo disserit.

Ostendit reprehensione dignos esse Corinthios.

Primo enim, quia ita obstupuerant in suis vitijs, vt ea in semetipsis non agnoscerent, imò (vt suo loco vidimus) se iampridem ad Christianæ perfectionis metam peruenisse putarent, disertè docet, ipsos propter lites eiusmodi, etiamsi nihil præterea accederet, reprehensione dignos esse. Iam igitur (inquit) omnino impotentia in vobis est, quòd iudicia habetis inter vosmetipsos. In Græco ἥττημα ponitur, quod ἀπὸ τοῦ ἡττᾶσθαι deriuatur, & propriè defectum vel animi impotentiam significat, qua fit, vt affectibus & carnis suæ desiderijs succumbant, qui illis debebant dominari. Est ergo hoc generale vocabulum, quod de omnibus vitijs dici potest, quia horum omnium vera & propria causa est, quòd ab affectibus nos vinci patimur. In præsenti autem docere vult, Corinthios nō leui defectu laborare, & ideo procul adhuc abesse à scopo perfectionis, ad quam Christiani homines aspirare debent. Ita verò rursus pungit ambitiosulos illos, qui quasi nihil ipsis deesset, securi in suis vitijs stertebant. Sic enim vult dicere: Videmini quidem vobis plus satis profecisse, neq; multa correctione opus habere. At qui tanta animi impotentia laborant, vt prauis affectibus tam facilè superentur, ij certè de suo profectu non multum gloriari possunt. Num verò illud vobis accidere negabitis, qui huius seculi rebus ita estis addicti, vt nō pudeat vos contra fratres iudicio experiri, & lites crebras instituere? Vnde enim hoc? Ex eo nimirū, quòd nō spōte alij alijs redditis quod debetur, & quòd in ferēdis iniurijs nō ea patientia vtimini, quæ homines Christianos decet. Sic quasi in ipso facto deprehensos conuincit, vt sibi emendatione opus esse intelligant. Nec temere argumento hoc vtitur, quo gentium quoq; philosophi de reipub. constitutione iudicauerūt. Plato enim intemperatæ ciuitatis indicium esse dicebat, si morbi frequentes sint, & iudicum subsellia crebris litibus strepāt. Morborum enim causa ferè est gulæ studium & intemperantia, lites verò aut ex iniurijs acceptis nascuntur, aut ab illis temere suscipiuntur, qui ad suas res conficiendas iuris & legū prætextu im-

probè

probè abuti ſolent. Itaq; aut præceſſerit oportet iniuria, aut iam tum fit, quando lis inſtituitur: vt iam de eo nihil dicamus, quòd pleriq; dum bonam cauſam ſuſtinēt, litigandi ardore abrepti modum excedunt, & odij atq; ſimultatum ſemina concipiunt, ex quibus peſſimi fructus enaſcuntur. Debēt ergo hoc Pauli argumentum diligenter obſeruare, qui hodie ſuis litibus fora & curias omnes fatigant, & tamen Chriſtiani haberi volunt, atq; ſibijpſis iuſtitiæ titulo blandiuntur. Nam vt nemini iniuriam faciant, neq; quid ab aliquo præter ius & æquum poſtulent, animos tamen produnt à fraterna dilectione alieniores, & in patientiæ Chriſtianæ ſchola minus exercitatos.

Proderit autem argumentum hoc ad omnes quoq; alias vitæ actiones extendere: vt nimirum nos in Chriſtianæ innocentiæ aut perfectionis leges peccare cogitemus, quoties affectibus aut carnis cupiditatibus indulgemus, nosq; ab illis vel modica ex parte vinci patimur. Docet hoc Chriſtus, quando in Lege non modò dicta & facta, ſed ipſam quoq; concupiſcentiam prohiberi oſtendit, quæ animi cogitationes ad illicita inclinat. Idem etiam nos ea conditione redemit, vt nos Deo Patri ſiſteret Sacerdotes & Reges, qui carnem cum ſuis concupiſcentijs Dei verbo iugulent, & tam ſibiipſis quàm peccato & eius deſiderijs dominentur. Hîc ergo certamen nobis proponitur, quo nullum grauius eſſe poteſt, & in quo victoria etiam omnium glorioſiſſimæ & feliciſſimæ materia offertur. Nam cum propria carne nos luctari, & innata nobis deſideria ſubigere conuenit: vbi diligentia & fortitudine eò maiori opus eſt, quò magis ſeſe apud nos carnis affectus inſinuant nobisq; ſub amabili voluptatis & felicitatis ſpecie blandiuntur. Etenim videmus eos ferè carnis cupiditatibus turpiter ſuccumbere, qui prius aduerſus acerrimos hoſtes per omnis generis pericula inuicti fuerūt. Rectè ergo à philoſophis olim dictum fuit, eam demum glorioſiſſimam victoriā eſſe, qua ſeipſum, id eſt, carnis ſuæ deſideria homo vincit. Et cōmendantur quidem hoc nomine nonnulli in prophanis hiſtorijs, at ſi rem propius conſideremus, non niſi vmbra quadam virtutis fuit quæ illos alijs admirabiles fecit, & ferè turpius tandem à cupiditatibus ſuis victi ſunt, qui prius mortalium conſtantiſſimi videbantur. Ad ſolos ergo electos victoriæ iſtius gloria pertinet, qui ea per fidem potiuntur. Hac armatus Abrahamus vehementiſſimos illos paterni amoris motus vicit, qui ad extrema ſæpe homines redigunt, quando vt Dei præcepto parēret, filium Iſaacum immolare voluit. Eadem Ioſephum in iuuenilis ætatis ardore aduerſus heræ impudicæ illecebras inuictū reddidit. Hæc Dauidem cōfirmauit, vt neq; vindictæ deſiderio, neq; ambitione aut ſuperbia vinci potuerit, vt regnum ſibi promiſſum ante tempus à Deo conſtitutum inuaderet. Hæc prophetas & Apoſtolos mouit, vt nihil non ſibi ferendum aut faciendum putauerint, quo regnum Chriſti propagari poſſe videbant. Huius deniq; fructus eſt, quòd credentes carni moriuntur & ſeipſos abnegant, vt Chriſto viuant. Et debent iſta diligenter obſeruari propter eos, qui ſcelera omnia hoc nomine excuſant, quòd naturale ſit carnis cupiditates ſequi & ab illis vinci. Quæ perſuaſio vera quidem eſt, quoad vitioſam illam hominis naturam, quæ ex primis parentibus hæreditario iure in nos deriuatur: eadem autem nos minimè excuſat, qui Chriſto nomen dedimus: eò quòd per hunc ad vitæ nouitatem vocamur, & quòd Chriſtiani non erimus, niſi illum fide vera apprehendamus, quæ nos omnibus deſiderijs ſuperiores facit. Quoties ergo te ab illis titillari & tranſuerſum abripi ſentis, tunc in te ἥττημα vel animi impotentiam eſſe cogita, quam in Corinthijs hîc Paulus accuſat, & vide, vt nouis fidei viribus confirmeris, quæ te carni non ſinant ſuccumbere.

Peccant quotquot ſe ab affectibus vinci patiuntur.

Cæterùm quod in genere & ſimplicius dixerat, nūc amplificatione illuſtrat, & ſimul docet, qua ratione huic malo aut defectui medeantur. Ait enim: Quare non potius iniuriam patimini? Cur nō potius damnū accipitis? At vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres. Interrogationibus eos vrget, vt animos fortius penetret. Quaſi diceret: An ignoratis Chriſti præceptum, qui nos ad nouas potius iniurias paratos eſſe iubet, quàm vt veteres vlciſcamur? Cur ergo illius immemores iſta facitis? Annō præſtaret iniuriam ferre, damnum accipere & rerum omniū iacturam facere, quàm ex animi impotentia charitatis ſimul & religionis Chriſtianæ leges violare? At non modò impotentes eſtis in ferendis iniurijs, verumetiam alijs ipſi iniuriam facitis, imò ne à fratribus quidē abſtinetis, quos vobis eiuſdem fidei vinculum arctiſſimè coniunxit. At hæc dicendo multa eaq; grauiſſima crimina congerit. Primum, quòd impatientia peccent contra Chriſti præceptum, qui vt in patientia noſtra animas noſtras poſſideamus docuit. Alterum, quòd charitatis leges violent, quæ ini-

Vitium amplificat & diducit

Luc. 21.

micos diligere, & vitam quoq; pro proximis impendere iubent, si ita facto opus sit. Tertium, quòd ista in fratres designent, & ita Christianæ etiam societatis vinculum, quantum in ipsis est, abrumpant. At si scelus est quemcunq; lædere, quantò immanius flagitium fuerit eũ iniuria afficere, quem vt fratrem amare & colere debebas? Et hæc quidem omnia illi designabant, cùm lites non necessarias susciperent, nihil autem huius in semetipsis agnoscebant, & ideo opus erat, vt liberius ab Apostolo arguerentur.

Christiani se ad patientiam præparent.

Quia verò fidum medicum agere instituit, ita hæc illis exprobrat, vt simul consilium suggerat, quomodo huic vitio mederi poßint. Summa huius est, vt sese ad patientiam præparet, & iniurias quantùmuis graues & atroces ferre discant. Quod cùm nobis difficile sit præstitu, necesse est nos præceptiunculis instrui, quæ nos excitet atq; confirment. Primùm itaq; à nobis ipsis initium faciamus, & quid ipsi mereantur, singuli cogitent. Ibi infinita occurrent, quæ docebunt nobis ardentißimis ad Deum precibus & culpæ deprecatione potius, quàm vindicta opus esse. Et de hoc eos, qui adulteram ad ipsum adducebant, Christus admonuit, dicens: Qui vestrûm immunis est à peccato, primus in eam lapidem proijciat. Deinde cogitemus, nihil nobis absq; diuinæ prouidentiæ consilio accidere. Quod vnum satis ostendit, nimium temerarios nos fore, si huic reluctari libeat. Cõstat enim Deum nihil iniustè nobiscum agere, & eundem nostræ salutis studiosißimum esse, & ex illis quoq; fructum minimè pœnitendum elicere posse, quæ homines improbi aduersus nos præter ius & æquum instituunt. Tertiò meminerimus nullum tutius & breuius compedium esse, quo ad veram animi tranquillitatem peruenitur, quàm si in Dei prouidentia acquiescamus, & acceptas iniurias dißimulemus. Etsi enim hæ nobis initiò doleant, ægritudinem tamen illam dies mitigat, & tandem pacis solidæ causa erit obliuio illa iniuriæ voluntaria. Quòd si spes illa nos fallat, lucrum tamen inde ad nos ingens redibit, quòd in patientiæ portu ceu in specula constituti tranquillo animo aliorum labores, curas, pericula & naufragia spectabimus, quæ illos manent, qui pelago huic litium forensium se & fortunas suas committunt. Adde his IESV CHRISTI exemplum, qui vt omne genus iniuriarum patientißimè semper tulit: ita nihil se indignum tunc quoq; dixit aut fecit, quando vestes suas inter milites immanißimos sorte diuidi ex cruce spectabat. In horum consideratione si paulò diligentius versemur, iucundißimum nobis fiet hoc Christianæ patientiæ exercitium, quod initio durum nimis & intolerabile videbatur.

Ioan. 8.

Auaritiæ vis.

Cæterum quoad huius seculi fortunas, hic nobis spectanda venit auaritiæ vis, quæ Corinthios istorum omnium ita immemores fecit, vt eos non puderet apud ethnicorum tribunalia lites suscipere contra fratres, qui eundem cum ipsis Christum profitebantur. Eadem etiam hodie hominibus omnem pietatis simul & dilectionis sensum adimit. Nam vt Christus docet, impoßibile est Deo simul & Mammonæ seruire. At qui Dei seruitio ceruicem suam subtraxerunt, ij nunquam adduci poterunt vt hominibus fraternæ dilectionis officia præstent, si ea vel cum minima rerum suarũ iactura coniuncta esse viderint. Ideo Apostolus auaritiam radicem malorum omnium esse dixit. Veruntamen aduersus morbum hunc tam pestilentem remedium in promptu erit, si de nobis ipsis simul & huius seculi diuitijs rectè iudicemus. Quoad nos, nudi in mundum venimus, & nudi emigrabimus, neq; aliquid eorum hinc auferemus, quæ stulti homines admirari & colere solent. Quoad opes, hæ non fluxæ modò & lubricæ vel incertæ sunt, verumetiam ad vitam conseruandam inutiles, neq; in illarum abundantia cuiusquam vita consistit, vt Christus non obscurè monuit. Nec enim tam multis natura opus habet, quam ita Deus creauit, vt paucis contenta esse poßit: & commodius ferè viuunt, qui modico contenti nihil præter vitæ necessaria quærunt. Et vt diuitijs rectißimè vtaris, vsus tamen illarum cum vitæ cursu finitur, ad cuius metam indesinenter contendimus. Ad æternæ verò vitæ & regni cœlorum poßessionem adeo nihil conferunt opes, vt potius sarcinæ immanis instar eos remorentur, quibus per angustam illam portam, cuius Christus meminit, eò est eluctandum. Quæ omnia cùm in scripturis nõ minus verè quàm diligenter tradantur, adhæc exemplis innumeris quotidie confirmentur, nimis stultè & imprudenter faciunt, qui circa huius seculi fortunas tumultuantur atq; litigant: prudentißimè autem vitam & rationes suas instituunt, qui procul relicta bonorum huius seculi cura ad cœlestis regni hæreditatem aspirant, vbi immortales illi thesauri nobis repositi sunt, quot nullus fortunæ casus eripit.

1. Tim. 6.

Et huc

Et huc referri debet loci istius Conclusio, quam non sine increpationis & comminationis specie sic infert: An nescitis, quòd iniusti hæreditatem regni Dei non poßidebunt? Rursus autem interrogatione vtitur, vt plus ponderis orationi accedat, & his verbis detestabilem atque nulla venia dignam eorum negligentiam accusat, qui cùm Christiani dici vellent, Christianæ religionis finem atque scopum adeò non obseruabant, vt eum aut prorsus ignorare, aut eius obliti videri possent. Estis regnum Dei, cuius instaurandi causa Christus in mundum venit, & ad cuius poßeßionem per Euangelium vocamur, quod ideo Euangelium regni Dei, vel ipsum quoque regnum Dei dicitur. Id in eo consistit, vt dum hîc viuimus, Deum suo spiritu & verbo in nobis regnantem audiamus: huius autem vitæ cursum emensi, cum illo viuamus & regnemus in cœlis, vbi nobis locum à Christo paratum esse credimus. Et de hoc intelligi debet, quod inter orandum dicimus: Adueniat regnum tuum. Hunc autem vitæ totius & actionum omnium scopum propositum esse debere, Christus his verbis docet: Quærite ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Ita et in præsenti Paulus argumento à fine Christianismi desumpto vtitur, quod est eiusmodi: Regnum Dei non nisi ad iustos pertinet: Ergo iniusti illud non poßidebunt. Iniustorum autem nomine hîc temerarios illos litigatores quoque comprehendit, quos non vno modo in iustitiæ Christianæ leges peccauisse, supra diximus. Habent ergo hæc grauißimam comminationem, quæ æternæ felicitatis commercium illis negat, nisi emendentur. Ne quis autem ex contrarijs argumentando hinc colligeret, regnum Dei humanæ iustitiæ merito acquiri, consultò hæreditatis meminit. Constat enim hæreditatem filijs deberi, non quidem ex merito, sed ex generationis lege: At nos Dei filij facti sumus nullo nostro merito, sed ex gratuita adoptione, renati (vt Petrus inquit) ex semine immortali verbi Dei: Vnde sequitur, regnum quoque illud nobis ex mera gratia obtingere. Vt verò filius, etsi hæres natus sit, abdicatur tamen & ab hæreditate excidit, si se inobedientem & contumaciorem præbeat: ita nos quoque regni cœlorum hæreditatem, quæ ex adoptionis gratia nobis debetur, minimè quidem nostris operibus meremur, eandem verò nostra contumacia amittimus, & nostro magno merito abdicamur, si tantæ gratiæ iniqui simus æstimatores. Est ergo huius sententiæ vsus multiplex, & proinde ad omnia vitia extendi debet, quibus in Christianæ religionis leges peccatur: vt proximo Sermone audiemus. Prudenter autem illam hîc suo instituto Paulus applicat, vt ex collatione regni Dei & huius sæculi bonorum litigatores omnes intelligant, quàm malè sibijpsis consulant, qui dum res nihili & fluxas persequuntur, ab æternorum atque cœlestium bonorum hæreditate excidunt. Quod vnum si auari diligentius expenderent, mox extingui sentirent immanem illam sitim, quæ diuitijs nullis satiari potest, sed eò magis accenditur, quò maiores illarum aceruos sibi propositos esse videt. Leue quidem & vix repræhensione dignum videtur, iudicio cum alijs contendere, & aliquo prætextu in speciem honesto res alienas acquirere. At illud omne spiritus sanctus per Paulum iniustitiæ damnat, & à regno Dei eos excludit, quicunque artibus iniquis & illicitis ditescunt.

Minatur abdicationem à regno Dei.

Matth. 6.

1. Pet. 1.

Porrò ad tractationem istam quæstio pertinet: An Christianis hominibus, si ipsis iniuria fiat, & bona ipsis vel eripiantur, vel iniustè detineantur, iudicio experiri liceat? Disputatum de illa multum apud veteres, & in historijs ecclesiasticis notatur Iuliani Apostatæ scurrilis improbitas, qui Christianis de suarum facultatum direptione aut detentione quiritantibus respondere solebat, iniquas esse ipsorum querelas, cum Christi leges ipsos ad iniurias omnis generis patientes esse, & malo nequaquam resistere iubeant. Et nostro sæculo Anabaptistæ hoc ipsum quàm maximè vrgent, non tàm vt litigandi studium coërceat, quàm vt magistratum è medio tollant, & leges omnes aboleant, vt quarum nullus in ecclesia Christi vsus sit. Abutuntur isti hoc loco, quo Paulus iudicia simul omnia simpliciter damnare videtur: deinde Christi quoque verba citant, qui Matth. quinto Cap. dixerit: Audistis quòd dictum fuerit, Oculum pro oculo, dentem pro dente: At ego dico vobis, ne resistatis malo: sed si quis ceciderit te in dextram tuam maxillam, obuerte ei & alteram: & ei qui tecum vult iudicio contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte ei & pallium, &c. Et hæc quidem fanatici illi homines apud rude vulgus mirificè vrgent, admixtis simul de charitate fraterna & spiritus libertate sermonibus, quæ duo legibus, & iudi-

An Christianis liceat iudicio experiri?

tijs, constringi nefas sit. Atqui vnum hoc quærunt, vt abrogata omni magistratus authoritate ipsis omnia miscere & impunè ex alieno viuere liceat. Et quantas turbas non vno loco dederint notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Verumtamen propter simpliciores pauca dicemus, quæ ad huius quæstionis explicationem possunt sufficere.

Licitum esse iudicio experiri.

Primò illud tenendum est, licere Christianis hominibus iudicum & legum præsidio vti, si quando bonitati nihil loci superesse, & amicam transactionem reijci vident. Argumenta, quibus id probetur, multa & firmissima sunt, quæ si quis omnia recitare vellet, in immensum excresceret oratio. Etenim vt Dei institutis seu ordinationibus vtamur, nemo prohibebit, nisi qui Deo obsequium negare iubeat, aut illum aliquid instituisse dicat, quod fidei & charitatis legibus repugnet. At iudicia à Deo instituta esse, omnis scriptura docet. Moses certè iudicium Domini esse ait, & ea ratione iudices admonet, vt in eo administrando bona fide agant: quo argumento Iosaphatum quoque postea vsum esse legimus. Et apud prophetas subinde occurrunt admonitiones illæ, quibus principes iubentur iuditium & iustitiam facere. At quid opus erat istud iubere, si iudicio experiri non licet? Scio seditiosos illos respondere, aliã esse noui testamenti conditionẽ: sed facilè confutantur Pauli authoritate, qui omnem potestatem à Deo esse scribit, & magistratui obediendum esse docet, eò quòd Dei minister sit, qui non frustra gerat gladium, &c. Deinde vt iudicia exerceãtur, omnino nec[illegible]e est. Quia enim impossibile est scelera in vniuersum omnia è medio tollere, pœnis illa frænare & coërcere oportet. Nã nisi id fiat, intolerabilis fiet improborũ licentia, neq; melior erit hominũ quàm pisciũ conditio, qui cùm duce careant (vt propheta ait) alij alios deuorant. At si vnusquisq; priuata authoritate ius suũ tueri velit, confusio fiet, & non legibus, sed vi agetur, nõ absq; manifesto optimorũ periculo. Publica igitur authoritate opus est, vt et cognoscantur causæ, & suũ vnicuiq; reddatur. Adde his exempla sanctissimorũ hominũ, qui & iudiciorũ legumq; præsidio vsi sunt, & ipsi magistratũ gesserunt, neq; ideo minus probati fuerũt Domino, qui ad eũ dignitatis gradũ illos euexit. Quis enim nescit Iosephũ Arimathæũ Hierosolymis ex Senatorũ numero, et Paulũ Sergium Cypri Proconsulem fuisse, vtriusq; verò fidẽ à spiritu sancto cõmendari? Et ne lõgè exẽpla petãtur, nõne ipse Paulus cõtra vim iniustã Romanæ ciuitatis iure sese tutatus est, et armato etiã præsidio legitimi magistratus se defendi petijt? Magnã ergo illi iniuriã faciũt, qui huius loci authoritate aduersus iudicia publica abutũtur. Et si Apostoli mẽtẽ propius inspiciamus, non ipsa iudicia reprehendit, sed Corinthios accusat propter vitia, quæ temerarios litigatores ferè comitãtur. Imò monuit eos, vt ex credentiũ numero arbitros cõstituãt, à quibus quæ inter ipsos incidunt lites cognoscantur. At quid hoc aliud est, quàm iudiciũ authoritatem stabilire, adeoq; ecclesiam monere, vt proprios sibi magistratus constituant (quatenus nimirum id absque seditionis crimine fieri poterat) ne ad prophanos recurrere cogantur?

Deut.1.
2.Par.19.

Habak.1.

Acto.16.22.& 23.

Locus Matth. V.

Quoad Christi verba, qui ne malo resistamus, monuit, facilis est responsio. Nam si cum fanaticis illis literam vrgere velimus, non Sathanæ, non falsis doctrinis, non scelerum licentiæ, non scandalis apertis, non latronum & sicariorum insidijs, non lenocinijs, non dolis, imposturis, fraudibus, resistere licebit: quia hæc omnia cum infinitis alijs sub mali censum veniunt. Imò ne precari quidem conueniet, vt Deus diaboli artes & consilia dissipet, aut improborũ licentiam coërceat. Quòd si dicant, hanc non esse ipsorum mentem, ergo ipsi quoque Christi verba non rigidè secundum literam accipi debere fatentur: & proinde nobis quoque licebit verum eorum sensum inuestigare. Vbi primò obseruabis, Christum in ea concione protestatum fuisse, se non venisse, vt Legem abroget, sed potius vt eã impleat. Nihil ergo tradidit, quod illi contrarium censeri debeat. Deinde vt Legem de adulterijs, homicidijs & periurijs non sustulit, sed verum eius sensum contra scribas & pharisæos asseruit: ita talionis quoque legem non è medio tollere voluit, sed ijs mederi, qui eius prætextu ad vindictam priuatam abutebantur. Itaque non iudicibus loquitur, quorum est in puniendis malefactis regulam à Deo præscriptam obseruare, sed priuatis hominibus, quos à priuatæ vindictæ studio retrahere conatur. Deinde memineris duplicem esse modum resistendi malo. Primus est legitimus, quando ita vrgente nos necessitate iniurias propulsamus, non nocendi studio, sed vt nos seruemus, aut eos, quos nostræ fidei Deus credidit. Hũc nõ licitũ modò, verumetiã necessarium esse ad frænandam improborum licentiam, supra ostendimus

Vide Lucam nostrum homil.59.

ostendimus. Alter est illegitimus, quando sola nocendi nosque ipsos vlciscendi cupiditate par pari referre & vim vi repellere conamur. Hunc prohibet Christus, quia & publicam iustitiam turbat, & charitati Christianæ aduersatur, & ne vnquam cum proximo in gratiam redeamus, obstat. Nemo igitur illius verba in sensum alienum rapere, & horum prætextu ad abolendas ciuiles leges abuti debet; neque statim damnandi sunt, qui iudicijs legitimis causas suas committunt, modò ab omni affectu prauo abstineant.

Quod vt melius obseruetur, regulas aliquas tenere oportet, quas in agendis causis sequamur. Inter has prima esto, ne quid fiat in religionis Christianæ contumeliam. Vbi ante omnia opus est, ne hominibus magis quàm Deo fidas, qui se eorum vindicem esse profitetur, qui iniurias & vim iniustam sustinent. Cauendum item: ne litibus non necessarijs fidem Christianam impiorum ludibrijs exponas: quod illi faciunt, qui fratres ad eorum tribunalia rapiunt, aut in persequendo suo iure pertinaciores sunt, neque vllum reconciliationis modum admittunt. Altera regula sit, ne temere in hanc arenam descendamus, sed lites aut actiones forenses cogitemus ex eorum remediorum numero esse, quibus non sine vitæ periculo vtimur, & quæ ideo à fidis medicis non nisi in extrema necessitate adhiberi solent. Omnia ergo prius tentanda sunt, priusquam cum eo litem suscipias, qui tibi fratris loco est. Nam vt res tibi ex animi sententia succedat, multa incidunt, quæ cauere satius erat, quàm cum tenui lucro damnum maius sibijpsi accersere. Nam (vt nunc mores sunt) lites ferè extrahuntur partim iudicum imperitia, partim causidicorum malitiosis artibus, qui ex eo quæstum vberrimum faciunt. Fit ergo, vt quod fratri negas, id omne in illos impendere cogaris, qui præter lucrum nihil quærunt. Accedunt animorum offensiones, quæ vt veteres amicitias dissoluunt, ita ne cum aduersarijs solidè in gratiam redeamus prohibent. Dum ergo pecuniam exiguam aut prædiolum tueris, amicum perdis, qui thesauri pretiosissimi instar tibi esse poterat. Tertia regula erit, vt inter litigandum charitatis perpetuò memor sis, & non tam ius tuum tueri studeas, quàm fratrem iniquum quid aduersus te molientem in viam reducere, vt culpam agnoscat atque emendet. Quò imprimis pertinet, quod hîc de iudicibus aut arbitris ex fidelium cœtu deligendis præcipitur. Si qui ista obseruent, ij non facilè peccabunt. Quia verò hæc præstitu difficillima sunt propter naturæ nostræ vitiositatem, etiam atque etiam videre nos conuenit, ne nos temere huic pelago committamus, in quo tam multos videmus quotidie fortunarum simul omnium & famæ suæ naufragium facere. Orent autem omnes Deum Patrem misericordiæ & pacis vt in spiritu mansuetudinis omnium mentes emolliat, in ferendis iniurijs patientes & ad omnia circumspectos reddat: ne dum in iure suo persequendo vehementiores sunt, à cœlestis regni hæreditate excidant, quam suæ mortis merito nobis acquisiuit Dominus & redemptor noster IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Regulæ obseruandæ in litibus.

a

3

HOMILIA XXIX.

Ne errate. Neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui cum masculis concumbunt, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque conuitiatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt. Et hæc eratis nonnulli: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini IESV, & per Spiritum Dei nostri.

QVoniam Corinthiorum ecclesia vitijs plurimis, ijsque grauissimis, laborabat, Paulus illos non obiter modò & in genere reprehendit, sed de singulis ex ordine agit, partim quidē vt qui hactenus nimium securi fuerant, vitia illa melius agnoscant, & ad seriam ecclesiæ totius reformationem excitentur: partim vt remedium singulis adhibeat, & ostendat, qua ratione ex illis emergere & salutem in Christo acquisitam retinere possint. Itaque postquam de sectis &

Argumentum sequentis tractationis.

harum authoribus, de collapsa item ecclesiæ disciplina, deque temerarijs litigatoribus egit, unde ad ea transitum parat, quæ ad coniugium pertinent, circa quod non vno modo peccabatur. Alij enim vagis libidinibus dediti impudentißimè scortabantur. Alij à coniugio abstinendum esse contendebant propter incommoda, quæ illud comitari solent. Multi sub religionis prætextu diuortia quærebant insidiosa & scandali plena. De his ergo omnibus differet Apostolus, initio facto à scortatione, cuius licentiæ nimis assueuerant, & quæ aliorum vitiorum præcipua erat causa. Orditur autem in præsenti à generali repræhensione eorum scelerum, quæ præ alijs in illa ciuitate effreni licentia grassabantur: Nimirum ne qui à scortatione immunes erant, sibijpsis interea in suis flagitijs placerent, vtque scortatores non indignius ferrent repræhensionem, quando alios non minus accusari, & easdem simul omnibus pœnas denuntiari audiebant. Continet ergo locus iste generalem doctrinam, quæ hodie etiam consideratu dignißima est, quando plurimi passim sunt, qui Euangelij prætextu ad peccandi licentiam abutuntur.

Nemo seipsum falsis persuasionibus decipiat.

Principiò autem breui quidem sed graui præcepto omnis mali fontem obturat, admonens, ne falsis persuasionibus seipsos decipiant, & ita à Veritatis atque salutis via aberrent. Ne errate, inquit. Id verò multiuariàm fiebat, vt ex illorum moribus colligere licet. Plerique enim Christiani nominis profeßione superbi, hanc sufficere arbitrabantur, & hi cùm Christum ore loquerentur, eundem vita & moribus negabant. Alij carnis & affectuum illecebris decepti, inter immanißima flagitia sibijpsis delitias faciebant, quasi non tanta esset peccati atrocitas, quantam fingant homines morosi, qui ad viuendi rationem, quæ in scripturis traditur, omnes astringere conantur. Erant præterea qui mundi exemplo & impiorum prosperitate aut successibus offendebantur, & Deum sibi fingebant, qui facilè ad omnia conniueret: quæ causa erat, vt eius longanimitate ad peccandi licentiam abuterentur. Accedebant his scurriles multorum sermones, quibus fabulæ & lusus erant, quæcunque de vita æterna, mundi fine, mortuorum resurrectione, nouißimo Christi ad iudicium aduentu, deque piorum præmijs & impiorum pœnis dicuntur. Et horum voces erant, vt infra Cap. 15. audiemus: Edamus & bibamus, cras enim morimur: Post mortẽ frigora, flammæ. Et hæc sunt, quæ omnibus sæculis multos seduxerunt, vt inani persuasione & corrupto de peccatis et Dei iustitia aut longanimitate iudicio sibijpsis exitiũ accer-

Psal. 36. & 59.

serent. Blãditur enim sibijpsi impius (vt Dauid inquit) donec ipsi Deo exosus & detestabilis fiat. & in alio Psalmo ipse Dominus de quibusdã loquitur: Os tuũ addixisti malo, & lingua tua dolos concinnat. Sedes, & contra fratrẽ tuũ loqueris, filiũ matris tuæ probro afficis. Hæc fecisti, cùm ego

Mal. 3.

dißimulo, fingis me planè tui similẽ esse. Apud Malachiã verò quorũdã sermones audiuntur. Frustra seruitur Deo: Quæ enim vtilitas, quòd custodiã eius custodiuimus, et quòd humiliati corã Domino exercituũ incedimus? Etenim nũc beatos dicimus superbos, quin qui impietatẽ faciũt, edifi-

Isa. 28.

cantur: & qui Deũ tentant, liberantur. Superant hos immani audacia, quos Isaias sic loquentes inducit: Pepigimus fœdus cum morte, et cũ inferis pactũ fecimus: Flagellum inundans cùm transierit, non perueniet ad nos. Posuimus enim mendaciũ refugiũ nostrũ, & mendacio abscõdemur. Atqui vtinam olim modò ista dicta fuissent, & nõ hodie quoque paßim audirentur, qui impudentißima scurrilitate omnia ea eludunt, quæ de scelerum pœnis & diuini iudicij seueritate ex scripturis producuntur. Extant de his non obscura Christi & Apostolorum vaticinia, qui tales fore nouißimorum temporum homines prædixerunt. Et sunt isti àdmodum ingeniosi, & mirificis facetijs sua condire norunt, quò facilius sese apud eos insinuent, quos adhuc aliquo pietatis sensu tangi sentiunt. Sed vno verbo ad omnia illorũ argumenta Paulus respõdet, dicens: Ne errate. Eo enim docet, errorẽ non minus pernitiosum quàm turpem esse omne illud, quod homines fingunt, vt peccandi licentiam atque impunitatem tueantur. Nam si fidei & religionis profeßio-

Iac. 2.

nem prætexant, satis constat, regnum Dei, non in sermone, sed in virtute spiritus consistere, ex qua electi regenerantur, vt (quod Iacobus ait) fides in eorum factis aut operibus eluceat. Et notum est illud Christi: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, ingredietur in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Deinde nõ ex nostris placitis aut nostro arbitrio iudicat Christus, cui omne iudicium datum est, sed ex Lege Patris sui, qui voluntatem suam nobis abunde manifestauit, vt ea nobis vitæ totius regula sit. Neque ab

illo

illo temere dictum esse putabimus: Ne existimetis quòd venerim vt dissoluam Legem aut Prophetas: non veni vt dissoluam, sed vt impleam. Amen quippe dico vobis, vsque dum præterierit cælum & terra, iota vnum aut vnus apex nequaquam præterierit ex Lege, &c. Et notum est illud Prophetæ: Verbum Domini manet in æternum. Præ alijs autem falluntur, quos impiorum hominum prosperitas offendit, & qui ideo ijsdem cum illis moribus sibi viuendum esse putant, quòd eos feliciter agere videant. Est enim felicitas hæc planè momentanea, & vt (Asaph dicebat) in lubrico constituti sunt, & somnij instar cum omni sua pompa atq; fastu euanescunt, quando minimè putaueris. Neq; temere à Dauide dictũ est: Paulum adhuc, & nusquam erit impius: cumq; obseruaueris locum eius, nusquam supererit. Et rursus: Vidi impiũ violentum & sese diffundentẽ instar lauri frondosæ: Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eũ, & non est inuentus. Quòd si verò nonnullos videas, qui totũ huius vitæ cursum in felici otio et tranquillitate lætoq; rerũ successu transigunt, cùm impijssimi & quouis scelerum genere obruti sint, tamen ne horum quoque impunitas quenquam offendere debet. Ex ea enim apparet, certò fore olim vniuersalis iudicij diem quo singuli digna suis factis præmia recipiant. Nisi enim hoc demus, vniuersa Dei iustitia periclitabitur, vt alibi dictum est. Quoties ergo mundi illecebris aut carnis persuasionibus nos tentari sentimus, semper nobis hæc Pauli admonitio in mentem veniat, &c. Matth. 5. Isa. 40. Psal. 37. Psal. 37.

Huic subijcit modò catalogum scelerum, quæ præ alijs in Corinthiorum ciuitate regnabant. Fuit enim hæc (vt initio diximus) emporium totius Græciæ nobilissimum, ad quod diuersissimarum gentium hospites atque mercatores confluebant. Hinc diuitijs augebatur, quæ luxũ pariunt, quem lasciuiæ & libidinis authorem præcipuum esse constat. Et quia mores corruptissimi publico exemplo & consuetudine diuturna apud eos defendebantur, magna cum grauitate & comminatione cumprimis dira Apostolus pronuntiat: Neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui cum masculis concumbunt, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque conuitiatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt. Catalogus scelerum Corinthiacorum.

Primo autem loco scortatores nominat, quia de illis potissimùm disserere instituit. In præsenti verò scortationi alias illicitæ libidinis species coniungit, Mœchos nimirum, qui & suis coniugibus datam fidem turpiter fallunt, & thoros alienos polluunt: Molles item, qui lasciuiam & animos impudicos quacunque re testantur: vtpote gestu, vestitu, incessu, verbis petulantibus & alijs rebus ad turpe lenocinium pertinentibus. Quibus aliqui non immerito pathicos & Cynædos coniungunt, qui præ alijs mollicie semper infames fuerunt. Addit his masculæ Veneri deditos, quod flagitium in Græcia imprimis vsitatum fuit, & hodie non in illis modò regionibus, sed inter eos quoque nimium vulgare est, qui sibi primum in Christiana ecclesia locum vendicant. Et tales quidem mortis pœna Deus in Lege mulctare iussit, imò ipse suo exemplo quasi præiuit & supplicij modum ostendit, quando Sodomas & Gomorrham cum toto agro vicino propter scelus istud igne & sulphure cælitus immisso in cineres, imò in lacum fœde olentem redegit, vt sempiterna esset exempli tam horrendi memoria. Atque digni omnino sunt, vt inusitato modo è rerum natura tollantur, quos plus quàm belluina libido eò vsque exagitat, vt naturæ leges violent. Est autem hîc obseruatu dignissimum, quòd etsi huius tam immanis flagitij meminerit Paulus, simul tamen scortationis quoque mentionem fecit, imò hanc primo loco numerauit inter ea, à quibus abstinere debent, qui ecclesiæ Christi membra esse & regni Dei hæredes fieri cupiunt. Confutantur enim illius exemplo, qui hodie scortationi eo argumento patrocinantur, quòd satius sit huius impunitatem permittere, quàm alicui ad fœdiora illa occasionem dare. Quasi verò non potius initijs scelerum obstare debeant, qui ad grauiora progredi nolunt. Etenim constat eos qui scortationi operam dare incipiunt, paulatim pudorem abstergere, vt vlterius progressi virginum pudicitiam tentent, inde matronis quoque & thalamis alienis insidias struant. Crescit ergo libidinis rabies, & tandem naturæ etiam legum immemores reddit eos, qui illam indulgentia sua confirmarunt. Quæ causa est, quòd qui masculam Venerem ex populo suo excindere iussit, idem ne scortum in Israele sit prohibuit. Et cùm Lothus bono quidem zelo, sed imprudenter filias Sodomæorum libidini prostituere vellet, ne quid illi contumeliosius in hospites eius designarent, minimè consilium istud Scortatores. Mœchi. Molles. Sodomitæ. Leuit. 18. & 20. Deut. 23.

Dominus probauit, sed sceleratos illos (vt modò diximus) cœlestibus flãmis coercuit. At quia de scortatione in sequentibus plura dicentur, nunc ad alia huius Catalogi flagitia transeamus.

Idololatræ.

Num. 25.

Vbi scortationi proximè subijcitur idololatria, imò hãc inter libidines illicitas quasi mediã interponit: Nimirũ quòd scortatio sit spiritualis, & plerũque cũ altera illa coniungatur. Exẽpla huius passim occurrunt. Quãdo enim cũ Moabitarũ fœminis scortari cœperunt Israëlitæ, mox illarũ sacris quoq; polluti sunt. Et Solomõ alienigenarũ vxorũ atq; cõcubinarũ blãditijs deceptus, idololatriã in regnũ inuexit. Et ad Romanos Paulus non obscurè docet, iusto Dei iudicio fieri, vt fœdis libidinibus sese polluant, qui Dei maiestatem cum hominum & brutorum animantium simulachris commutare audent. Neque desunt nostri sæculi exempla, quæ istis fidem faciant.

Fures & auari.

Tertiũ in hoc catalogo locum ijs tribuere possumus, qui quoad opes aut huius seculi facultates in proximum peccant. Inter quos vitium generale est Auaritia, quam plura præter ius & æquum habendi cupiditatem esse alibi diximus: & quam ad Ephes. & Colos. idololatriam esse Paulus docet, eò quod fiduciã, quæ vni Deo debetur, in diuitias collocare docet. In præsenti verò hanc quoq; in suas species diducit, Fures nimirũ & Rapaces. Per illos quidẽ eos designat, qui artibus, dolis & imposturis vtuntur, vt opes colligant: per hos autem eos, qui violenter aliena inuadũt, in quorũ numero primi meritò censentur mercenarij milites, qui bella sibi quæstũ faciunt: principes item, quos sola dominandi libido ad bella non necessaria excitat.

Ebriosi.

Quarto loco Ebriosi ponuntur, de quibus Cap. quinto diximus. Quibus rectè Conuitiatores coniunxeris, quos vel vinum immodicè haustum, vel etiam odium & inuidia inebriat, vt linguam ad conuitia laxent.

Pœna scelerũ.

De bapt. contra Donat. lib. 4. cap. 19.

Porrò omnibus istis denuntiatur, quòd regni Dei hæreditatem non possidebunt. Quod non ita accipi debet, quasi sententia ista in ijs solis locum habeat, qui vitijs hisce simul omnibus obnoxij sunt. Nam vt D. Augustinus illam exposuit, singula enumerat Apostolus, in quibus singulis subauditur, quòd regnum Dei non possidebunt. At videtur hoc durum nonnullis, qui nos peccata omnia cum Stoicis paria facere clamant, cùm & scripturæ sacræ doceant, & communi sensu constet, ingens inter illa discrimen esse. Quis enim sanæ mentis neget adulterum scortatore peiorem esse, vtrumque autem impietate superari ab ijs, qui Sodomæorum nefaria libidine polluuntur? Ita minus peccant auari, qui cupiditates intra se continent, quàm fures, & his grauius delinquunt rapaces, qui ne à vi quidem manifesta abstinent. Imprimis tamen intolerabile videtur ebrietatem inter ista recenseri, ex qua hodie omnis ferè loci & ordinis homines laudem sibi quærunt, neque aliquam amicitiam stabilem aut societatem iucundam esse sentiunt, nisi quæ compotationibus immodicis sanciatur. At hîc meminisse oportet, Paulum neque peccata paria facere, neque pœnarum diuersitatem aut discrimina negare, sed de eo agere, quod omnibus peccatis commune est: quòd nimirum à Dei regno excludunt. Id verò non obstat, quò minus alia alijs grauius puniantur. Sed libet hunc quoq; nodum Augustini verbis dissoluere, qui in loco, quem modò adduximus, sic scribit: Non dubitandum est ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnũ Dei non possidebunt, pro diuersitate criminũ esse diuersas, & alias alijs acriores, vt in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarũ. Nec enim frustra ipse Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis, in die iudicij. Sed tamen ad non possidendum regnũ Dei tantundẽ valet ex vitijs illis quod elegeris mitius, quantũ vel plura vel vnum, quod perspexeris grauius. Hæc August. sunt. Adde his, quòd si quæ leuiora videntur diligentius examines, facilè videbis, minimè iniuriã illis fieri, qui in his incurabili contumacia perseuerant. Nã vt paulò ante diximus, auaritia idololatria est, & à Deo mentes hominum abstrahit. Scortatio templum Spiritus sancti impiè prophanat. Ebrietas scelerum grauissimorum quasi mater est, neque aliquem excusare potest, cùm insania sit voluntaria, quam sibiipsis scientes volentes accersunt, qui sana ratione vti poterãt: vt iã de prophano donorũ Dei abusu nihil dicatur, qui solus quouis supplicio dignus est. Nemo igitur sibiipsi in istis delitias faciat, sed singuli potius hanc Apostoli sententiam dies noctesq; sibi occinant, quoties vitiorum illecebris sese solicitari sentiunt.

Prioris conditionis cum præsenti comparatio.

Cæterùm pergit ille & argumentis eos vrget, vt relictis omnibus vitijs, eam puritatem tueantur, in quam Deus illos vocauit. Et hæc eratis nonnulli (inquit) sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini IESV, & per Spiritum Dei nostri. Continetur

his

his verbis duplex argumentum. Primò liberè admodum & disertè priorem conditionem illis in mentem reuocat, vt eius recordatione illam horrere & abominari discant. Altero eam illi opponit, in quam Dei beneficio euecti erant, vt de ea conseruanda seriò cogitent. Quoad primum, ait: Et hæc eratis nonnulli. Particulari nota vtitur, ne simul omnes immanium istorum flagitiorum reos agere putetur, idque præter multorum meritum. Scimus enim inter gentes quoque aliquos honestatis amantiores fuisse, qui à manifestis sceleribus pro virili sibi temperauerunt. Veruntamen si ipsam hominis naturam ad viuum resecare libeat, nemo mortalium inuenietur, qui se ab horum reatu prorsus liberum aut immunem dicere poßit. Latet enim in omnium carne peccatum, & vt ignis quidam in apertum luctari cupit, nisi aliqua vi maiori reprimatur. Quod & gentium philosophi non omnino ignorauerunt. Nam vt Cicero in quarto Thuscul. quæst. scribit, Socrates, cùm multa in conuentu vitia collegisset in eum Zopyrus quidam, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate subleuatus est, cùm illa sibi signa inesse, sed ratione à se deiecta diceret. Agnouerunt ergo naturæ vitiositatem philosophi, in eo autem hallucinati sunt, quòd eam à nobis per rationem corrigi posse putarunt. At nos scripturis edocti hoc omne ad Deum referimus, cuius gratia & virtute fit, ne quod in carne nostra delitescit peccatum peßimis aperto rum scelerum fructibus sese exerat. Et vt peccata quoq; suo fræno coerceat atq; moderetur diuina prouidentia necesse est, quia nisi id fiat, licentia sua totum orbem turbabunt, & pacem publicam omnino euertent. At cùm Deus non facta modò hominum, sed ipsos quoq; animorum recessus inspiciat, nos omnium flagitiorum reatu teneri constat, priusquam ex Spiritus virtute renati, in CHRISTO IESV noua iustitia donamur. Itaq; etsi Paulus atrociora illa & aperta scelera nonnullis modò tribuat, simul tamen innuit, omnium illorum eam fuisse conditionem, vt à regno Dei excludi meruerint, & verborum sensus est: Priusquā ad regni Dei hæreditatem per Euangelium vocaremini, omnes simul vitijs immanißimis polluti atq; immersi fuistis. Nam vt omnes idola atq; Deos falsos coluistis: ita quoad mores & vitæ consuetudinem, alij libidines vagas secuti estis: alij auaritia accensi omne genus fraudis & iniustitiæ exercuistis, vt per fas nefasq; diuitiarum aceruos colligeretis: alij ebrietati & luxui per omnia vos addixistis, quæ vobis multorum malorū causa fuit. Neq; dubitauerim, vos iam totis animis exhorrescere, adeoq; vnumquenq; ex vobis suijpsius pudere, quoties in mentem ipsi venit, quàm multa turpiter & nefariè aduersus naturæ & publicæ honestatis leges designarit. Cæterùm quæ Dei est bonitas atq; clementia, melior multò nunc vestra est conditio. Nam abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, & iam omne damnationis æternæ periculum effugistis. Vestri ergo officij fuerit, omni cura & studio cauere, ne ad pristinam miseriam & priores illas sordes relabamini. Hæc Pauli mens est. Continent autem verba hæc generalem doctrinam, & vniuersum nostræ redemptionis negotium probè illustrant, cuius singulas partes sæpe & diligenter inspexisse plurimùm prodest.

Occurrit hîc primum, vt qui & quales nostra natura simus, videamus: Nimirum, quales Paulus describit, à quibus nihil grauißimorum scelerum prorsus alienum fuerit. Clarius tamen eorundem effectus & miserabilis, quæ ex illis dependet conditio in antithesi elucet, quando nos iam ablutos, sanctificatos & iustificatos esse scribit. Ex eo enim sequitur, nos prius pollutos & immundos, prophanos item & à Deo alienos, adhæc peccati & mortis reos fuisse. Docet id scriptura, quæ totam Adami posteritatem in illius corrupta imagine, adeoq; in peccato concipi & nasci testatur. Eadem peccati effectum esse docet, quòd nos instar maceriæ alicuius à Deo separet: quòd item stipendium eius sit mors, quæ per illud ingressa est. Et oportet hinc facere istius considerationis initium, ne quid fiduciæ in nobis collocemus, sed salutis fontem constituamus in sola Dei gratia, qui nos indignos dilexit, & nostri misertus est, vt nobis opem ferret. Et hoc non obscurè innuit Paulus, quando non ait: Vos abluistis vosipsos, vos sanctificastis corpora & animas vestras, &c: sed, Abluti estis, sanctificati estis, &c. Nimirum à Deo, qui hac gratia vos prosequi dignatus est, vt ex sordibus & miseria ista liberaremini.

Homines natura peccatores sunt.

Gene. 5.
Psalm. 51.
Isa. 59.
Rom. 5.

Secundò ordinem quoque exprimit, quo erga nos Deus vtitur. In quo primum est, quod qui toti immundi sumus, abluimur. Lauacrum verò hoc propriè Christi sanguis est. Sic enim Ioannes

Ordo iustificationis & salutis.

1.Ioan.1. Psalm.50. clamat: Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. Et eò Dauid respiciens orabat: Laua me plurimum ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Laua me (inquam) & niue ero candidior. Ablutionis autem huius sigillum est baptismus, & ideo alibi per hunc ablui & purgari dicimur. Sequitur ablutionem Sanctificatio, quia nisi toti Deo consecraremur, illa nihil prodesset. Sanctificamur autem Spiritus virtute, qua fit, vt natura vitiosa in nobis reformetur, & nos in homines nouos renascamur, qui toti ab vno Deo pendeant. Accedit his iustificatio, quæ gratuita peccatorum remissione constat & iustitiæ Christi imputatione: quem ideò supra nobis à Patre iustitiam factum esse dixit. Propter ista ergo iam pro ablutis, sanctis & iustis habemur, qui natura immundi, prophani & iniusti sumus. Et facit hoc vehementer ad gratiæ Dei commendationem, qui non solùm tam enormia flagitia nobis condonat, verumetiam istis nos titulis dignatur, qui solis filijs ipsius conueniunt. Horum igitur consideratione nosmetipsos consolemur, si quando nobis peccata nostra Satan obijcit, & meminerimus eorum qui credunt non pristina facta in rationem venire, sed tales nos à Deo æstimari, quales ipse nos ex gratia facere dignatus est.

Medium iustificationis, &c. Tertiò medium & authorem totius negotij indicat. Nos enim ablutos, sanctificatos & iustificatos dicit, in nomine Domini IESV, & per Spiritum Dei nostri. Nihil hîc de semetipso, vel Apollo, aut Cepha dicit Paulus, sed solius Christi meminit. Hic enim vnicus & solus gratiæ Dei & totius salutis Mediator est, in quo se placatum esse Pater cœlitus pronuntiauit. Nomen autem IESV ponit, non vt Iudæorum more nobis nomen quoddam fingamus (quale illi suum Schem Hamphoras habent) quod vel ore pronuntiatum, vel obiter auribus receptum nos seruet: sed vt ad Euangelij prædicationem nos remittat, & talem animo concipiamus Christum, qualem nobis Apostoli prædicarunt. Quia verò idem à nobis aliter, quàm per fidem apprehendi non potest, hæc verò per Spiritum sanctum in nobis excitatur, rectissimè huius etiam meminit, vt nos absque eius virtute prorsus exanimes esse & nihil posse intelligamus. Quæ causa est, quòd illum Christus nobis aduocatum destinauit, qui nos in omnem veritatem inducat. Ita verò totum hoc mysterium Paulus in præsenti proponit, vt apertè satis vnius veri & æterni Dei Trinitatem exprimat. Nam negotium omne ad Deum vnum authorem refert, quem propriè Patrem dicimus. Mediatorem eius indicat Filium, qui vt is posset fieri, hominem induit. Mox verò Spiritus meminit, per quem nos ad ista parari & sanctificari oporteat. Rectè ergo in vnum Deum baptizantur Christiani homines, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Sed de hoc plura alibi.

Trinitas.

Officium iustificatorum. Restat videre, quis istius tractationis, quoad hanc vitam, nobis finis & scopus esse debeat: Is nimirum, vt prioris conditionis plus nimis miseræ & infelicis memores, dignitatem eam sedulò tueamur, in quam tanto pretio redempti & euecti sumus. Qui ex morbo letali per immanes cruciatus conualuerunt, ad illius mentionem exhorrescere solent, & (nisi non sanæ mentis sint) studiosè cauent, ne in illum recidant. Et qui ære alieno amicorum beneficentia liberati sunt, vix viri boni nomen merentur, si noua prodigalitate, & seipsos rursus perdant, & quàm parui fecerint amicorum liberalitatem, ea leuitate testentur: certè indignos se esse produnt, quibus quisquam in posterum subueniat. Quantò magis ista nos hîc cogitare oportet, quando nos æternæ mortis reos, & iam salutis omnino deploratæ, Deus proprij Filij sanguine seruare, & per Spiritum suum sibijpsi consecrare dignatus est? Nec enim ideo nos ille redemit, neque nos per Euangelium de salute nostra ideo certos facit, vt in pristinæ memoria sordes relabamur. Cogitemus ergo sat nobis esse debere (vt Petrus ait) quòd anteacto vitæ tempore pro gentium libidine & ex carnis arbitrio vitam in omni scelerum genere transegimus: nostrum verò iam esse, vt abluti & sanctificati & iustificati, excusso infelici peccatorum iugo, vitam viuamus nouam in IESV CHRISTO, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

1.Pet.4.

HOMILIA XXX.

Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, at ego non redigar sub vllius rei potestatem. Escæ ventri [destinatæ sunt] & venter escis: Deus autem & hunc & eas abolebit: Corpus

Corpus verò non scortationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus autem & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam.

INter alia scelera, quibus Corinthiorum ciuitas polluta atque infamis erat, primatum ferè tenuit scortandi licentia, cui plerique indulgebant, & impunè quidem, cum nemo illam peccati loco haberet. Quæ causa fuit, vt etiam illi, qui ad Christum conuersi erant, nimiùm sibi adhuc in ea permitterent, ideoque multiuariam peccaretur in leges coniugij, quod Deus inter homines sacrosanctum seruari vult. Nuper ergo Paulus generali correptione vsus est, qua eos monuit, ne sibiipsis imponi patiantur ab ijs, qui de peccatis leuiter iudicant: sed potius pristinæ conditionis memores, curent, ne in eam relabantur: seruare autem studeant eam puritatem, quam nobis sui sanguinis pretio Christus acquisiuit. Et possunt quidem hæc argumenta sufficere hominibus Christianis, quibus Dei gratia & redemptionis per Christum factæ beneficio nihil antiquius esse solet. Veruntamen obstabat Corinthijs publicæ consuetudinis exemplum, quod nunquam non in oculis eorum versabatur, & quòd ipsi quoque à pueris huic licentiæ assueuissent. Hæc enim causa erat, vt (quod improbi & mundi studijs dediti solent) ex consuetudine legem facerent, & ea quoque sibi putarent licere, quæ cum charitate & honestate Christiana, imò cum Christianæ religionis fine, prorsus pugnabant. Vt ergo libertate per Christum nobis parta abutebantur, quoad cibos & gulæ studium: ita illam vsque ad scortandi licentiam extendebant, vt multi iam eiusdem iuris esse putarent, cibis quibuslibet vesci & vagas libidines sectari. Itaque propius ad institutum Paulus accedens, errorem istum grauiter confutat, & quid in vtroque potissimùm obseruari debeat, docet.

Primùm de ijs agit, quæ media & indifferentia dicuntur, eò quòd illis vti vel non vti licet, & illos reprehendit, quòd his licenter nimis abuterentur. Ex his autem cibos adducit, circa quos non vno modo à Corinthijs peccabatur. Alij enim gulæ studio addicti intemperantia sua libidini materiam & fomenta subministrabant: alij verò in amicorum gratiam ad epulas ex carnibus idolothytorum instructas accedebant: vtrique verò libertatem Christianam prætexebant, quòd nimirum per hanc quibuslibet vesci liceret, neque cibis vllis animus inquinaretur. Quapropter per Anthypophoram illorum argumento occurrens ait: Omnia mihi licent, at non omnia conducunt, &c. Quasi diceret: Audio ô boni vestras voces, quibus clamatis licere, vt absq; omni delectu cibos quoscunque edatis, & libertatis Christianæ beneficium magnificè extolli à vobis audio. Neque is ego sum, qui hoc ignorem, aut vos eo fraudare velim. Noui enim Christi dictum: Nihil quod per os ingreditur, inquinat hominem, &c. & per illum discrimina ciborum, quæ in lege olim præscripta fuerunt, iampridem abrogata esse scio: neq; permittendum esse, vt Ecclesia nouis traditionibus atq; ceremonijs grauetur. At non sufficiunt ista ad excusanda omnia, quæ sub prætextu libertatis illius fiunt. Nam non conducunt omnia quæ licent, neque statim aut tibi aut proximo vtile est: quod per se salua conscientia facere potes. Adhæc videre etiam oportet, ne ego sub potestatem redigar earum rerum, quibus ceu licitis vti volo, & ita dum libertatem iacto, seruus fiam eorum, quæ mihi in bonum seruire debebant, &c.

Docet ergo his verbis Paulus, quæ sit libertatis Christianæ ratio & vt pij illis vti debeant, quæ per se licita atq; permissa sunt. Est doctrina hæc vtilis admodum, imò ad seruandas ecclesias necessaria: quia hîc plurimùm peccatur magno cum infirmorũ scandalo, dum quidã libertatẽ suam pertinacius tuentur, & ne in minimis quidem suo iure cedendum esse putant. Atqui aliud est libertas (vt quidam rectè monuerunt) aliud libertatis vsus: neq; statim libertatẽ amittit, qui interdum eam prudenter & certa cum ratione dissimulat: quin potius se rerum omniũ dominum reuera esse probat, qui omnibus vtitur non pro carnis aut affectuum carnalium arbitrio, sed prout sibi aut alijs conducere viderit. Sunt ergo hîc duo hæc probè obseruanda. Primum quid cõducat aut vtile sit, non tam nobis, quàm publicæ aliorum saluti & ecclesiæ totius ædificationi. Nemo enim sibi soli natus est, sed omnibus hominibus per charitatis legem omnes obstricti sumus. Et si gentium philosophi rectè docuerunt, partem nostri sibi parentes vendicare, partem patriam,

Scortandi licentia apud Corinthios.

De indifferentibus agit, & quidẽ de cibis maximè.

Quæ sit libertatis Christianæ ratio?

I. Vt omnibus ad ædificationem vtamur.

partem amicos: quantò magis Christiani homines scire debent, se totos ad Christum pertinere, qui ipsos ex peccati & mortis tyrannide in libertatem filiorum Dei asseruit, & in quo renati, filij Dei facti sunt? At huius lex est, vt priuatim quidem singulorum hominum salutem pro virili prouehamus, publicè autem ecclesiæ ædificationi studeamus, ne huius pax aut ordo per nos turbetur. Itaq; in rebus medijs aut indifferentibus ante omnia ædificationis rationem habere oportet, vt quam plurimos ad ecclesiæ societatem attrahamus, infirmos & nutantes confirmemus, vtq; ecclesia tota indies in melius proficiat. Et de hoc quidem plura sequentur deinceps, quando de idolothytorum esu prolixè Apostolus disputabit. Nunc autem meminerimus, quòd si hæc in rebus medijs & per se licitis obseruari debent, multò magis in ijs nos cautos & circumspectos esse debere, quæ illicita & Christianæ religionis legibus aduersa sunt. Confutantur ergo hîc grauissimè, qui hodie ebrietatem, choreas & saltationes lasciuas, vel etiam Bacchanalium & Lupercalium reliquias prætextu libertatis excusant. Ista enim omnia non modò non conducunt, sed vehementer obsunt, quando ijs multi offenduntur, ecclesiæ disciplina turbatur, & qui religionem Christianam oderunt inde calumniandi occasionem arripiunt. Non ergo est, quod effrenem atq; impiam licentiam isti homines libertatis Christianæ nomine pallient. Secundò videndum est, ne dum libertate nostra abutimur, eorum mancipia efficiamur, in quæ nobis ius liberum esse testari volumus. Id verò fit, quando affectibus nostris non possumus imperare, quò minus absq; necessitate ea faciamus, quæ cum aliquo scandalo coniuncta sunt. Accidit hoc ijs, qui absq; iudicio quibuslibet vescuntur, neq; aliquam fratris infirmi rationem habent, qui libertatis Christianæ ius nondum intelligit. Hi enim se non ciborum dominos, sed potius gulæ & intemperantiæ mancipia esse produnt, dum se illorum illecebris seruiliter trahi patiuntur, vt in Leges charitatis fraternæ peccent. Multò magis autem hoc illis euenit, qui illicitis voluptatibus indulgent, & magna quidem cum insolentia se sui iuris esse gloriantur, interim verò affectibus turpissimis seruiunt, quos non immerito tyrannos omnium truculentissimos dixeris. Quæ enim libertas esse potest apud eos, quorum mens cupiditatibus seruit, quibus ipsa imperare debebat? Aut num liber dici debet homo, cuius pars potior atque præstantior in seruitutem redacta est? Idem de illis dicere possumus, qui vindictæ cupiditatem persequuntur. Putant illi se ius suum persequi, & de victoria magnificè gloriantur, vel certa huius spe decepti sibijpsis liberum in omnes alios imperium pollicentur, si iniurias inultas abire non sinant: Interim verò plus quàm miseri sunt, dum iræ mancipia fiunt, quæ rationis vsum illis adimit, & ipsorum cùm animis tum corporibus dominatur. Semper ergo ista admonitio nobis in auribus sonet, cauendum esse, ne dum omnia nobis licere arbitramur, sub libertatis inani prætextu plus quàm serui simus.

II. Ne serui efficiamur eorũ, quibus vtimur.

Ceterum ne quis eius verba nimis latè extenderet ad ea quoq;, quæ pro medijs & indifferentibus haberi non possunt, declarationem subijcit, qua hoc omne ad cibos restringit, in quibus Corinthios variè peccauisse antea diximus. Escæ (inquit) ventri destinatæ sunt, & venter escis: Deus autem & hunc & eas abolebit. Ventris nomine ipsam nutriendi vim naturalem intelligit, qua stomachus aut venter cibos excipit, exceptos concoquit & digerit, vt totum corpus ex illis alimentum habeat atque seruetur. Itaque verborum Pauli sensus est: Imprudenter & absurdè nimis facere eos, qui libertatem suam in promiscuo ciborum vsu temere ostentant. Nec enim hic (inquit) proprius ciborum vsus aut finis est, vt ijs quid nobis liceat testemur: sed ventri aut hominis alimento destinati sunt, vt quoad Deo placuerit, viuamus: & vicissim venter cibis seruire debet, vt suis organis hos excipiat atque digerat. Interim meminisse oportet, quòd neque hic neque illi perpetuò durabunt. Nam & cibos & ventrem Deus abolebit. Fit hoc etiam in hoc seculo, quando vitæ finis obrepit, & per mortem anima à corpore dissoluitur. Tunc enim aboletur vis illa vegetatiua, quæ cibos attrahit atque membris omnibus dispensat, ideoque ciborum vsus quoque, quoad nos, aboletur, cum nihil vtilitatis aut alimenti ex illis porrò recipere possimus. In futuro autem seculo membra quidem corporis omnia instaurabuntur, ne quid ad perfectam totius hominis felicitatem desit, eorundem verò vsus, qui nunc est, abolebitur. Quia vbi corruptio amplius locum non habet, ibi neque generatione opus est, & proinde ciborum quoque vsus cessabit. Ex istis verò omnibus colligit Apostolus, non debere æterna illa & cælestia bona, quæ nobis per

Restringit doctrinam hanc ad cibos.

Euangelij

Euangelij prædicationem Deus in Filio suo offert, turbari propter res fluxas & breui perituras: & maiorem habendam esse pacis atque concordiæ in ecclesia rationem, quando sine illa non possit salus nostra consistere, quæ omnibus huius seculi bonis longè præferri debet.

Admonemur igitur hoc loco, quis nobis ciborum, adeoq; externorum omnium vsus esse debeat. Is nimirum, vt necessitati seruiant ad vitam tuendam, quàm diu nos Deus in hoc seculo superstites esse voluerit. Edendum ergo, vt viuamus: non autem viuendum, vt edamus. Et qui hunc ordinem inuertunt, ij ex hominibus in animalia bruta degenerant. Est hoc videre in ebriosis & gulæ deditis: qui cùm Dei opera considerare, pro acceptis ab illo beneficijs gratias agere, & tàm propriam quàm aliorum salutem adiuuare debeant, canum & porcorum instar ingluuiem sectantur, & neque de Deo neque de suo officio cogitant, quo illi & alijs hominibus obstricti sunt. Neque his meliores sunt auari, qui dum neglectis regni cælorum thesauris, circa huius seculi opes modò occupantur, omnibus alijs molesti sunt, adhæc suum quoque genium defraudant, neque illis vti audent, sine quibus hanc vitam consistere non posse arbitrantur. Itaque Tantali instar in medijs vndis sitiunt, & in omni rerum abundantia plus quàm pauperes sunt. Quod autem mentis alienatæ certius argumentum, quàm per fas & nefas corradere vt viuas, ijsdem verò iam collectis ad vitam tuendam vti non audere? At non alia efficatior fuerit ratio ad corrigendos affectus hosce prauos & iniquos, quàm si externa omnia vnà cum eorum vsu breui abolenda esse cogitemus. Admonet de hoc alibi quoque Paulus, quando ad Timotheum scribit: Nihil intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Itaque habentes alimenta & quibus tegamur, contenti simus. Cùm verò in his natura paucis contenta sit, & commodius viuant qui mediocritati & temperantiæ student, næ nimiùm stulti & infelices sunt, qui abundantiam verè noxiam & exitialem tantis laboribus affectant.

Vsus ciborum quis?

1. Tim. 6.

Porrò transit hinc Apostolus ad scortationem, vt eos repræhendat, qui Christianæ libertatis ius ad hanc vsq; extendebant, adeò vt eandem vagarum libidinum rationem esse putarent, quæ ciborum est. Fuit hæc ferè Cynicorum sententia, qui inter actiones hominis naturales discrimen nullum constituebant, eò quòd ignorarent naturam deprauatam legibus coerceri & in ordinem redigi oportere. At duobus argumentis istos confutat. Primum à fine & ordinario corporis vsu desumit, sic dicens: Corpus autem non scortationi, sed Domino: & Dominus corpori. Sensus est: Non eadem est libidinis aut scortationis ratio, quæ ciborum esse solet, neque vt hi ventri destinati sunt, & venter illis: ita corpus scortationi aut Veneri destinauit Deus: sed illud Domino Christo consecratum esse vult: & proinde nefas fuerit illud scortationi mancipare, vt contra pietatis & honestatis leges vagis libidinibus seruiat. Vtq; argumenti huius efficacia aut vis maior sit, vicissim Dominum corpori nostro destinatũ esse dicit. Quæ relatio ex eo deduci videtur, quòd nos per fidem Christi corpus facti sumus, hic verò caput nostrum est, ex quo vis omnis & spiritus vitæ in singula membra deriuatur: Denique vt passim scriptura docet, in eum finem nobis à Patre datus atque aptatus est, vt illo Mediatore huic conciliemur.

Contra scortationem.

Docent hæc Apostoli verba, quàm turpiter errent, qui scortationem peccatum esse negant, & eius licentiam eo argumento excusant vel defendunt, quòd homines naturali propensione & generandi cupiditate ad libidinem ferantur. Nec enim inde sequitur, quemuis viri cum muliere congressum secundùm naturæ leges fieri, & proinde omni culpa vacare. Et longè aliud ex præsenti argumento colligi potest. Nam vniuscuiusq; rei natura est id, ad quod eam Deus, qui naturæ omnis dominus est, destinauit. Sic ignis naturalis actio est, quòd calorem creaturis omnibus subministrat: aquæ verò, quòd ijsdem humorem necessarium sufficit. At hominem scriptura ad Dei cultum conditum, & corpus hominis Domino consecratum esse docet, ideoq; proprium & naturale hominis opus fuerit, vt Domino consecratus gloriam eius omni studio prouehat, & omnes tàm corporis quàm animi facultates sub illius obedientiam redigat. Vnde sequitur non ex corporis natura, sed contra naturam esse, si à Domini seruitio abstractum scortandi licentiam sectetur. Quoad verò generandi desiderium, hoc hominibus, vt & reliquis animantibus à Deo insitum esse, & per se peccatum non esse fatemur (agnoscimus enim Dei vocem Crescite, & multiplicamini, & implete terram) at ne illud corruptæ naturæ affectibus nos trans-

Generandi cupiditas naturalis non excusat scortationem.

uersos abriperet, certis legibus & coniugij sanctißimo vinculo idem Deus coerceri voluit. Huius ergo voluntati sese accommodent, qui castitatis aut virginitatis donum sibi negatum esse sentiunt. Neque hic impurißimorum hominum sermones moremur, quibus nimium & intolerabile videtur, omnes ad coniugij leges remittere, & scortationem prorsus damnare. Cur enim homini absurdum aut iniquum videatur, cuius sensum Deus in animalibus nonnullis, quæ cæteris generosiora sunt, extare voluit. Coniugalis certè fidei exempla in turturibus & ciconijs videmus, & admiratione singulari digna sunt, quæ de elephantorum pudicitia scriptores veteres tradiderunt. Quapropter in naturam homines reuera iniqui & brutis animalibus multò inferiores sunt, quotquot corpora sua absque pudore & vagas libidines prostituunt, & eadem Christo subducunt, cui consecrata esse debent.

Ab exemplo Christi & spe resurrectionis.

Sed alterum quoque Pauli argumentum videamus, quod à Christi conditione petit, quam is nobiscum communem habere vult. Deus (inquit) & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam. Latet sub his verbis duplex argumentum. Alterum ab exemplo Christi, quod sic formabis: Deus Filium suum excitauit ad vitam nouam & cœlestem: ergo ipsum imitari, & similiter relictis prioribus vitijs ad vitæ nouitatem resurgere debent, qui illius membra aut fratres esse volunt. Alterum à spe beatæ immortalitatis sumitur, quam ille nobis acquisiuit, quod est eiusmodi: Deus nos excitabit, vt cum Filio suo regni cœlestis & æternæ beatitudinis cõsortio fruamur: Ergo turpe fuerit nos impuris huius seculi studijs immergi, & scortatione pollui. Vbi rursus apparet, scortandi licentiam cum religionis Christianæ legibus prorsus pugnare, & proinde Christianorum nomine indignos esse eos, qui huic seruiliter indulgent. At quod de illa dicitur, non minus ad omnia alia carnis & mundi studia transferri debet. Vult enim nobiscum communionem habere Deus, & ideo Filium suum hominem fieri voluit. Accommodemus ergo nos illius voluntati, & relictis sceleribus atque vitiorum illecebris vitæ sanctimoniam sectemur, vt olim cœlestis gloriæ capaces simus. At quia de his omnibus plura dicentur alibi, nunc consultò sumus breuiores.

Resurrectio potentiæ Dei tribuitur.

In præsenti tamen obseruabimus, quòd de nostrorum corporum resuscitatione verba faciens, hanc Dei potentiæ transcribit, qui & Christum excitarit, & nos quoque excitaturus sit. Quæ verba non eo sensu accipi debent, quasi Christus non propria, sed alterius virtute suscitatus resurrexerit. Scimus enim illum dixisse: Soluite aut destruite templum hoc, & in die tertio illud rursus extruam. Item: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus assumendi eam. Constat præterea eum eiusdem cum Patre essentiæ atque potestatis esse, & proinde opera quoque illis esse communia. Ideo scribis & pharisæis dicebat: Quæcunq; Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit. Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat. Quæ cùm Paulus minimè ignoraret, nihil hîc in Christi contemptum dicere voluit, sed hoc potius spectauit, vt obiter eos confutaret, qui mortuorum resurrectionem incredibilem & impoßibilem esse arbitrantur, eò quòd eius rationem penes se & in hominum viribus non poßint inuenire. Ergo ad Dei potentiam eos remittit, Christum imitatus, qui in eiusdem argumenti tractatione Sadducæis dixit: Erratis, ignorantes scripturas & potentiã Dei. Quod ipsum hodie etiã multis dici poterat, qui circa resurrectionem mortuorum quæstiones partim impias, partim absurdas & ridiculas mouent, quarum omnium non alius finis ipsis propositus est, quàm vt illam in dubium vocando, sibijpsis delitias faciant, & conscientiæ terrores sopiant, quibus se inuitos pungi & exagitari sentiunt. Sed & pijs interdum cogitationes eiusmodi obrepunt, quæ illos aliquantum dubios & incertos reddunt. Tunc ergo cum promißis Dei & scripturarum oraculis omnipotentiam illius conferamus, & mox videbimus nos nullam habere iustam causam dubitandi de ijs, quæ ille nobis pollicetur. Et poterit consideratio ista vehementer confirmari, si vetera Dei opera, & quæ indies ille facit, non oscitanter inspiciamus. Etenim si ab ipsa mundi origine initium fiat, facilè patebit, Deum tunc fecisse, quod mortuorum resuscitationem longè superat. Nam ex nihilo vniuersam istam mundi totius machinam solius Verbi sui virtute produxit. Quantò igitur facilius ei fuerit, eos qui aliquando fuerunt, & naturali dissolutione in primam materiam reuersi sunt, rursus euocare & sua illis corpora restituere? Et cur in Deo nobis nouum

Ioan. 2. & 10.

Ioan. 5.

Matth. 22.

aut

aut insolens videatur cuius exempla quotidie apud opifices cernimus? Possunt metallici vasorum fractorum materiam refundere, & vasa noua ex illis facere: idem in re fragilissima possunt vitriarij, vt iam de figulis nihil dicamus, qui vnam & eandem luti massam currente rota, quoties libet, refingere possunt: & nos Deum in ea materia idem facere posse dubitabimus, ex qua primus homo factus est, & in quam omnes homines reuertuntur? Quod si sementem inspicias, eiusdem rei exemplum euidentissimum habebis, cuius ipse Christus meminit, vt & se aduersus mortis imminentis terrores consolaretur, & nos in spe futuræ resurrectionis confirmaret. Et vt hæc fiat, Dei iustitia exigit, quæ alioqui (vt alibi monuimus) consistere non potest: eò quòd in hoc seculo neq; pij debita sua virtuti præmia recipiunt, neq; impij semper dignas scelerum suorum pœnas exoluunt. Idem hominis quoq; dignitas requirit, qui nisi resurgat ad meliorem vitam, longè infra omnes creaturas subsidet, à quibus longæuitate & viribus ferè superatur. Nam vt terra cum reliquis elementis diutius durat: ita inter feras & volucres atq; pisces inueniuntur, quæ homine viuaciora sunt. Et cùm animalia ferè omnia sibijpsis sufficiant, neq; aliorum ope multùm indigeant, solus homo multorum seruitio & auxilio opus habet, & vitam viuit breuem quidem, sed assiduis laborum atq; morborum molestijs refertam. Alterius ergo vitæ spes ipsi proposita sit oportet, nisi eum inter omnia, quæ in rerum natura sunt, miserrimum & calamitosissimum dicere libeat. Rident quidem ista impij, & vt sibijpsis inter scelera delitias faciant, resurrectionem in dubium vocare & omnem eius mentionem eludere satagunt: Sed longè alia est piorum sententia: qui vt ex illa in omni aduersorũ genere consolationem petunt: ita eiusdem meditatione seipsos in officio continent, ne quid sua professione & expectatione indignum faciant, & vt olim in magno illo die salua atq; pura conscientia comparere possint, & promissa regni cœlestis hæreditate frui cum Domino & redemptore nostro IESV CHRISTO: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Ioan. 12.

HOMILIA XXXI.

An ignoratis corpora vestra esse mēbra Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam vt sint scorti membra? Absit. An ignoratis, eum qui agglutinatur scorto, vnum esse corpus [cum scorto]? Fient enim (inquit) qui duo erant, caro vna. Qui verò agglutinatur Domino, vnus spiritus est. Fugite scortationem. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat. An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo? Et non estis vestri iuris? Nam empti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei.

QVemadmodum ægrotus, qui morbi sui vim ignorat, multa & diligenti illius descriptione opus habet, vt medicinā facilius admittat, & eandem patienter ferat: ita homines, qui peccatis quidem grauissimis obnoxij sunt, in ijsdem verò sibijpsis mirificè blandiuntur, sæpe & grauiter admoneri necesse est, vt agnita delictorum suorum atrocitate, pœnitentiæ doctrinam studiosius audiant, & serio salutis æternæ studio accendantur. Obseruarunt hoc olim prophetæ, & ideo in sceleribus arguendis atq; accusandis admodum diligentes fuerunt: quos vt vbiq; aliàs imitati sunt Apostoli, sic Paulus idipsum singulari quadam grauitate facit in tractatione ista, quam aduersus scortationem instituit. Quia enim apud Corinthios (vt nuper diximus) scortandi licentia quasi dominabatur, & vix quisquam erat, qui illa in Deum peccari putaret, non contentus scortatores inter eos numerauisse, qui à regni cœlorum hæreditate excluduntur, ipsum scelus graphicè depingit, & pluribus argumentis docet, quàm illud fœdum, graue & Christianis hominibus indignum sit. Et quamuis nuper quædam dixerit, quæ sufficere possunt ijs, qui rem seriò considerant, plura tamen subijcit, quæ stupidissimos quoq; mouere possunt, si vel obiter de istis cogitare velint. Vbi meminisse oportet, hæc non minus nobis hodie seruire, quando inter omnis loci & ordinis homines passim multi

inueniuntur, qui non minori licentia, quàm olim Corinthij, peccant. Et quid faciat vulgus hominum, quando qui ecclesijs & sacris præfecti sunt, damnato prorsus coniugij vsu, per omne libidinis genus impune volutantur? Videamus ergo, quibus argumentis Paulus scortandi licentiam dissuadeat.

Christiani fugiant scortationem.

Propositio aut status loci totius est: Fugite scortationem. Hoc autem nomine omnem illicitum viri cum muliere congressum intelligit, & illam coniugio opponit, quod coërcendis libidinibus vagis à Deo institutum esse, proximo Cap. dicetur. In præsenti verò illam non solùm cauere aut vitare, sed fugere iubet, vt ostendat studio & industria, vel etiam solicitudine non vulgari hîc opus esse. Nā illecebris suis mirificè nos allicit malū hoc, & fugientes quoq; insequitur. Docuerunt hoc gentium poëtæ Sirenum fabula, quas cantu suauissimo nauigantes sopiuisse fingunt, vt dormientes demergerent atq; vorarent. Ita enim meretricum mores adumbrarunt, quarum illecebras quotquot audiunt & admittunt, ij fortunarum omnium naufragio facto ad egestatem extremam rediguntur. Consentit his Solomon, quando dicit: Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem eius amara vt absinthium. Sunt autem eò efficaciores scortationis illecebræ, quòd plerinq; hominum natura ad libidinem procliues sunt: quo fit, vt leuissima occasione ij quoq; capiantur, qui sapientia & virtute omnibus alijs præstant, vt in Dauidis, Solomonis & multorum aliorum inter gentes clarissimorum virorum exemplis est videre. Facilior tamen & tutior erit tanti mali fuga, si occasiones & irritamenta vitemus diligenter. Coërceri ergo debet oculorum lasciuia, ne spectandis mulierum alienarum formis intenti libidinis flammas concipiamus, aut conceptas foueamus. Notum est enim illud poëtæ: Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Primi etiam mundi homines hoc in errorem abduxit, quòd qui filij Dei esse debebant, filias hominum curiosius quàm par erat spectarunt, & illis commixti sunt. Et hanc Dauidi causam adulterij fuisse scimus, quòd Bethsabeam, incautius lauantem, curiosius ipse spectauit: & ideo postea grauiter monuit: Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Quod prisci & orthodoxi episcopi obseruarunt, & ideo tanta grauitate homines Christianos à spectaculis dehortati sunt, in quibus multa petulanter & impudicè ad libidinem prouocandam fiebant. Deinde non minor aurium cura habeatur, ne has vel cantionibus ad libidinem compositis, vel sermonibus impudicis atq; obscœnis pascamus. Solent enim profundius, quàm quis putet in animos penetrare, quæcunque cum aliqua audiendi voluptate percipiuntur, & causa sunt, vt pessimis cogitationibus intenti, tandem in apertam licentiam erumpamus. Quod sapientissimus ille philosophorum Plato vidit, & ideo Poetas ex Repub. eijciendos esse censuit, quòd multa ab illis dici cerneret, quæ vt libidinis ignem in legentium animis accendunt, ita religionem & Deorum metum omnem paulatim restinguunt. Accedat his honestatis studium in vestitu & toto corporis habitu, vitetur autem mollities & intemperantia in victu, qua Venerem vehementer accendi notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Imprimis autem otium fugiamus, quo nihil turpius, nihil nocentius homini accidere potest. Est enim illud reuera Satanæ puluinar, cui quicunque insident, ij vndique sibi occasiones ad omnem nequitiam offerri sentiunt. Nam cùm hominis mens quiescere non possit, & continuo atq; indefesso motu circa cogitationes varias discurrat, nisi honesto aliquo negotio occupetur, ad inhonesta & turpia spontè delabitur. Quod famosissimus ille rei amatoriæ magister probè obseruauit, quando inter amoris illiciti remedia, hoc præcipuum indicat:

Prouer. 5.

Psalm. 119.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.
Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Quod autem de Ægisto ille dicit, hoc de multis alijs dici poterat. Nam vt ad Dauidem redeamus, hic quoque otij abundantia adulter factus est, cum suis ad Rabbam bellum gerentibus, ipse otiosus per palatium regium ambularet, & ex alto domus alienas curiosius inspiceret. Et hodie videmus otiosos homines ferè scortationis laqueis intricari. Sed tempus est, vt ad Apostoli argumenta accedamus, quibus scortatores ille oppugnat, & huius peccati atrocitatem diligenter depingit.

Primò in Christum peccari, & huic non leuem iniuriam fieri docet, & hîc exponit, quod nuper breuius dixerat, Corpus Domino esse destinatum, non scortationi. Argumenti summa est: In CHRISTVM IESVM peccant, quicunq; eius membra ab ipsius seruitio abstracta ad vsus ab eius instituto alienos transferũt. At qui scortantur, ij seipsos ex membris Christi membra scorti faciunt: Ergo ijdem in Christum peccant. Istud verò magna cum grauitate enuntiat, vt maius argumenti pondus sit. Primò enim interrogatione vtitur, An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? Et sic dicendo innuit, nulla venia dignos, & ad miraculum vsq; stupidos esse, si id ignorent, quod nemo Christianorum non nouit & intelligit. Deinde ne ipsis petulantius insultare putetur, rei absurditatem sub propria persona proponit, & rursus interrogando animos illorum compellat: Num igitur tollens membra Christi, faciam vt sint scorti membra? Vult autem, vt in ipso agnoscant sceleris atrocitatem, quam in seipsis agnoscere nolebant: & medicos peritos imitatur, qui seipsos exempli loco sistunt ægrotis, quos ad sumenda pharmaca obstinatiores esse vident. Et hîc quidem singula verba emphasim habẽt. Num tollens (inquit) mẽbra Christi? &c. Quasi diceret: Num ego, qui Christi seruus sum, qui meipsum & mea omnia illi debeo, ipsi quod suum est eripiam, & faciam vt scorti membra sint, quæ illius vsibus debebant seruire? At quid aliud vos facitis, quos ille proprio sanguine redemptos sibi consecrauit? Ita ergo inter se opponit Christum & scortum, vt ostendat, fieri non posse, vt quis scorti membrum fiat, nisi prius à Christo totus abstrahatur? Quæ enim inter Christum & scortum communio? Ille equidem totus sanctus & omnis nequitiæ aut labis expers: hoc autem libidinis, impudicitiæ & impuritatis omnis sentina, adeoq; diaboli cloaca est. Quando igitur Christus vt cum scortis communionem habeat, adduci non potest, ab illo turpem secessionem faciant oportet, quicunq; scortandi licentiam sectari instituerunt.

Scortatione peccatur in Christum.

Confirmat autem argumentum, & scripturæ veteris testimonio probat scortatores scorti membra fieri, & hîc quoq; interrogando illis instat, dicens: An ignoratis, eum qui agglutinatur scorto, vnum esse corpus cum scorto? Fient enim (inquit) qui duo erant, caro vna, &c. Sunt hæc Adami verba, qui cùm Euam ex lateris sui costa formatam primùm vidisset, non sine Spiritus sancti suggestione exclamauit. Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro ex carne mea: ideoq; vocabitur Virago, eò quòd de viro sumpta sit hæc. Propterea deseret vir patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, ERVNTQVE IN CARNEM VNAM. Videtur autem Paulus loco isto abuti & in sensum alienum detorquere, cùm illic de legitima viri & mulieris coniunctione sermo sit, qua olim pars viri fuit, nunc ei per matrimonium rursus copulatur, vt in vnum quasi corpus cum illo coalescat. In præsenti autem de scortatione agitur, qua nõ aliud coniugio magis aduersum aut inimicum est. Sed non obstat hoc, quia quoad carnis commixtionem, nulla inter coniugium & scortationem differentia est, nisi quòd illa coniugibus ex Dei instituto licita, & proinde (vt Paulus alibi ait) impolluta, scortatoribus autem illicita, & proinde fœda atq; impura est. Qui enim secundùm Dei institutum cum propria vxore in vnam carnem coalescere debebat, is ex diaboli & immoderatæ libidinis instinctu cum aliena (vt Solomon ait) miscetur atq; vnitur. Ita verò bifariàm peccant scortatores. Primò enim coniugij leges violant, & à Deo nobis concessum beneficium fœdißimè conculcant. Deinde quod hîc maximè vrget Apostolus, Christo iniuriam faciũt, cui seipsos subducunt. Vt autem magis perspicua sit huius sceleris atrocitas, graui antithesi vtitur. Qui agglutinatur scorto, is vnum cum scorto corpus est: Qui autem agglutinatur Domino, vnus spiritus est: nimirum, quia per spiritus Dei virtutem ex Verbi semine renatus, totus spiritualis fit, neq; porrò carnis desiderijs imperium in suis membris permittit. Quò Christus quoq; respexit, quando de hominis regeneratione disputans dicebat: Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est. Vbi spiritum vocat hominem verè Christianum, non quòd in aliam substantiam transeat, sed quòd totus à spiritu regatur, & (vt Paulus loquitur) vnus quodammodo cum Christo spiritus fiat, dum carnem cum suis desiderijs crucifigit, & cogit sub spiritus obsequium. Latet ergo sub his verbis argumentum efficacißimum, quo omnes rationes confutantur, quibus homines impuri scortationem excusant aut defendunt. Si enim nefas est coniuges diuellere, qui ex Dei instituto in vnam carnem coaluerunt, quantò grauius scelus fuerit eius coniunctionis vinculum abrumpere, quæ nobis cum Christo intercedit, & qua fit, vt vnus cum illo spi-

Scortatores membra scorti fiunt.

ritus simus? Ex quo simul euidentissimè colligitur, per scortationem non in humanas solùm leges, verumetiam in religionem peccari, imò ita dissolui vinculum obligationis illius saluberrimæ, quæ nobis Deum obstringit.

Communio inter nos et Christum arctissima est. *In his autem diligenter simul obseruari debet, quàm arcta sit, quæ nobis cum Christo intercedit, communio, & quòd hæc licet spiritualis sit, tamen ad corpus quoq; extendatur. Ille enim caro fieri dignatus est, & ex Virginis substantia verum Abrahami semen, id est, carnem nostræ per omnia (vno peccato excepto) similem assumpsit: Vicissim verò suum spiritum nobis largitur, qui nos sibi vendicat, vt ex carnalibus spirituales reddamur, & non iam ipsi viuamus, sed in nobis*
Galat.3. *viuat Christus, vt de semetipso Paulus ad Galatas loquitur. Et ideo idem ille nos corporis Chri-*
Ephes.5. *sti membra ex eius carne & ossibus esse testatur. Quia verò communionis huius vinculum est spiritus, perperam nonnulli hoc Cœnæ Dominicæ tribuunt, quæ illius symbolum potius & sigillum est, quo fidem nostram Christus confirmat, ne dubitemus, nos per ipsum ad vitam æternam pasci. Plurimùm autem facit ista consideratio ad totius vitæ institutionem, vt coniunctionis istius memores, non scortationem modò, sed omnia quoque alia vitia seriò fugiamus, quæ nos à Christo diuellunt. Adhæc consolationem dulcissimam continet, qua in omni tentatione confirmemur. Docet enim beneficium Christi ad totum hominem pertinere, & proinde fieri non posse, vt eorum vel animas vel corpora deserat Deus, quos vinculo tam arcto & necessario sibi coniunctos esse voluit. Sed hæc obiter annotasse sufficiat.*

Scortatione peccatur in proprium corpus. *Videamus nunc alterum argumentum, quo scortationis crimen amplificatur. Constat id comparatione, qua eos etiam excitare vult, qui religionis cura minus tanguntur. Sic enim ait: Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: Sed qui scortatur, in propriũ corpus peccat. Sic autem videtur dicere: Si non curæ vobis est, quòd Christo membra sua eripitis, agedum moueat vos proprium dedecus, & quæ ad vestrum corpus redundat ignominia. Nam etsi omnia peccata suam turpitudinem sibi coniunctam habeant, & simul noxia atq; perniciosa sint, alia tamen extra corpus sunt, id est, actio eorũ circa res à corpore nostro alienas ferè versatur, & ad alios extenditur. At qui scortatur, is in propriũ corpus peccat, dũ videlicet hoc polluit, & sua sanctimonia aut dignitate spoliat, ideoq; sibijpsi damnum infert irreparabile. Id verò rectè dici patebit, si aliorum peccatorum conditionem examines. Auaritia quidem intra hominis animum æstuat, effectis autem suis in opes extendit sese, & circa has potissimùm delinquit. Sic ira & vindictæ cupiditas alijs nocere studet. Ebrietas & intemperantia donorum Dei abusu maximè peccat. Eadem ferè aliorum omnium est ratio: & quàmuis ex illis ad nostra etiam corpora aliquid detrimenti redeat, multò magis tamẽ hoc in scortatione fit, cuius quasi proprium est, quòd nota indelebili corpus, imò totũ hominem polluit, dum quasi è suo gradu deiectum ea dignitate spoliat, qua nos Christus exornauit. Etenim si in generis sui nobilitatem peccat, & suam dignitatem quasi prostituit, qui vxorem sibi coniungit minus honestam: quantò turpior eorum culpa est, qui cum scorto prostituti pudoris in vnam carnẽ coalescunt? Et qua ratione obsecro in propriũ corpus peccare negabuntur, qui hoc scortis obscœnissimis in seruitutem mancipant, & quidem in eiusmodi seruitutem, quæ omnẽ simul rationis vsum adimit, & quæ causa est, vt homo tam salutis quàm dignitatis suæ obliuiscatur? Sic certè Dauid cum suo corpore regiam quoq; maiestatem polluit, quando cõtra coniugij leges cum Vriæ vxore commixtus fuit. Et quantam sibi Solomon ignominiæ notam inusserit, nemo ignorat, quando Legis diuinæ immemor cum mulieribus alienigenis consortia habuit. Rursus igitur confutantur hoc loco, qui scortationem defendunt, quòd actio quædam sit naturalis. Hoc enim ipsi ex suo cerebro fingunt, longè aliud dicturi, si rem propius inspicerent. Nam non secundùm naturam agere, sed à mente simul & communi sensu alieni esse dicuntur, qui sibijpsis manum inferunt, & inusitata rabie in proprium corpus grassantur. Quid verò aliud facit, qui hoc scortis impuris & quauis lupa voracioribus ad fœdam libidinem prostituit? Eò certè nocentior & detestabilior est illa insania, quòd dùm se perdit, simul muliere quoq; aliena abutitur, & qui se mutuò ardentissimè amare videntur, in mutuum exitium sese impudenti libidine abducunt. Est ergo rabies illa prorsus diabolica, quæ eò hominem rapit, vt sciens & volens seipsum perdat, & ei quoque perditionis author sit, quam amore complectitur.*

Tertium

Tertium argumentum est, quòd in Spiritum sanctum peccent qui scortantur. Non autem loquitur de illo peccato, cui remißionem prorsus negat Christus (nisi de illis hoc exponas, qui belluina & incurabili pertinacia in scortatione pergunt: & omnes admonitiones vnà cum Spiritus sancti & propriæ conscientiæ suggestionibus impiè eludunt) sed hoc innuit, quòd scortatores Spiritum Dei sua poßeßione eijciant, quam illi in nobis Christus suo merito parauit: quo sensu alibi nos admonet, ne tristitia afficiamus Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem redemptionis. Hîc verò rursus interrogatione vtitur, vt magis in animos eorum penetret, qui libidine excæcati minus obseruant ea, quibus ipsorum salus impeditur. An ignoratis (inquit) corpus vestrum esse templum Spiritus sancti? Et cuius nam Spiritus? Eius inquam, qui est in vobis, & quem habetis à Deo, qui vos tanto honore dignatus est. Quasi diceret: Si Christiani estis, vtique Spiritum Christi accepistis, qui cùm adoptionis spiritus sit, in credentibus agit, vt & Deum Patrem inuocent, & huic se totos in obsequium tradant. Quî fit ergo, quòd huius immemores, corpora vestra ad libidinem prostituitis non sine Spiritus sancti iniuria, qui sua poßeßione deijcitur, quam in vobis debebat tenere? Ex eo autem colligit, scortationem cum sacrilegio coniunctam, imò quouis sacrilegio detestabiliorem esse. Si enim scelus est templa lapidea, quæ diuinis cultibus consecrata sunt, destruere, aut quouis alio modo prophanare, quo supplicio non dignus erit, qui Dei templum viuum destruit, adeoq́ seipsum prophanat, vt ex Spiritus sancti templo Veneris prostibulum faciat? Pertinent ad huius argumenti confirmationem, quæ Cap. tertio de illis diximus, qui templum Dei destruunt. Nunc autem obseruemus, vnde nam illud sit, quòd scortatores absq́ pudore & ratione omnia faciunt, & cæco impetu in proprium exitium feruntur. Ex eo nimirum, quòd abs se Spiritum sanctum profligant, qui solus carnis affectus corruptos restinguit, aut saltem moderatur, ne hominem totum transuersum abripiant. Cùm enim aduersus hunc, quando nobis efficaciter adest, caro concupiscit, & sæpe in sanctis quoq́ præualet, quid non faciat illa, quando illo prorsus sublato aut eiecto, sibi omne imperium datum esse sentit?

Scortatione peccatur in spiritum sanctũ.

Ephes. 4.

Sequitur quartum argumentum, quo iniustos & iniquos esse docet eos, qui scortandi licentiæ indulgent: eò quòd in rem alienã sibi ius vsurpent, & illam inuito domino in vsus alienos transferant. Nam non estis (inquit) vestri iuris. Cur ergo pro vestra libidine vestro corpore vtimini? Confirmat autem quod dixit ratione euidentißima. Nam empti estis pretio. Pleonasmo vtitur (quid enim absq́ pretio emitur?) qui tamen ad argumenti pondus plurimum confert. Docet enim non vili aut quouis obuio pretio emptos esse, sed eo, quod Petrus per Collationem amplificat, quando nos non caducis rebus, auro nimirum & argento redemptos esse dicit, sed pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati IESV CHRISTI. *Vnde rursum sequitur, scelus istud omne in manifestam Christi ignominiam redundare, cuius sanguis & meritum à scortatoribus impiè conculcetur. Ideo Conclusionem infert: Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Quorum omnium sensus est: Seruorum est, heri sui gloriam tueri & pro virili prouehere. At vos Dei serui estis, qui vos Filij sui vnigeniti sanguine redemptos sibi peculium fecit. Hunc ergo glorificate, & in eius cultum corpus simul & spiritum, id est, animam vestram impendite. Id verò fit, quando nos totos Deo consecramus, & non solùm externas actiones, verumetiam mentem ipsam & omnes eius facultates accommodamus illius voluntati. Vtriusq́ ergo partis, ex quibus homo constat, meminit, vt hypocrisim excludat, & obedientia voluntaria opus esse ostendat, quæ nos totos Deo vendicet. Docet hanc Lex quoq́, quando iubet, vt Dominum Deum nostrũ diligamus ex toto corde, ex tota anima & totis viribus, vtq́ nos sanctos præbeamus, quemadmodum & ipse sanctus est. Neq́ aliud Christus præcipit, in hoc nos esse iubens, vt opera nostra luceant coram hominibus, vt his visis Patrem nostrum glorificent. Quod nos vel hoc nomine summo studio curare decet, quòd hæc præcipua nostra dignitas est, quòd nobis ad hoc vti dignatur Deus, vt per nos glorificetur ipsius maiestas, quæ ipsis cœlis (vt Dauid inquit) est sublimior. Psalm. 113.*

Scortatio iniustos & iniquos facit.

1. Pet. 1.

Deut. 6.
Leuit. 19.
Matth. 5.

Porrò quoad præsens institutum, satis apparet, scortationem non temere inter ea scelera recenseri, quæ homines à regno Dei excludunt. Impoßibile enim est, vt illius hæreditatem adeant, qui Christo & adoptionis spiritu destituuntur, & iam spontè ab illo seceßionem fecerunt. Ideo gra-

Scortatio à regno Dei excludit.

Deut. 23. uiter admodum in Lege Deus statuit, ne scortum sit vllum ex filiabus Israel: & cum idem vetuerit, ne Iudaei cum mulieribus alienigenis misceantur, vtique scortationem omnem eliminatam voluit. Sed & mercedem scorti ita abominatur, vt eam in sacra inferre prohibeat. Adde his, quòd immane sit oportet scelus illud, quod idololatriae typum habet, qua nihil apud Deum abominabilius, nihil ab hominis officio magis alienum est. Et constat scortandi licentiam omnibus seculis grauissimè punitam esse, neq; hîc officio suo defuisse Deum, si quando homines in illa coërcenda cessauerunt. Haec certè vt primo mundo omnis corruptelae causa fuit, ita eidem diluuium induxit, quo totus terrarum orbis miserabiliter afflictus fuit. In deserto autem viginti quatuor millia virorum cecidisse legimus, eò quòd cum Moabitarum filiabus impudenter essent scortati. Adde his horrendum totius ferè tribus Beniamiticae excidium, cui Gabaonitarum effrenis libido causam atq; occasionem praebuit. Quòd si gentium historias euoluere libeat, tam multa tamq; horrenda huius generis exempla occurrent, vt nescias, vnde debeat narrandi initium fieri. Itaq; non sine causa Solomon in hoc malo insectando diligentissimus fuit, & cum eo, quem supra citauimus loco monuisset, cauendas esse meretricis blanditias, eò quòd earum finis absinthium sint & gladius anceps, mox sui dicti rationem affert his verbis: Pedes eius descendunt in mortem, & vestigia eius tenebunt infernũ. Viam vitae fortassis ponderabis, sed tam mobiles sunt gressus eius, vt scire non possis. Nunc igitur filij audite me, & ne recedatis ab eloquijs oris mei. Elonga ab ea viam tuam, & ne appropinques ad ostium domus eius. Ne forte des alijs robur tuum, & annos tuos crudeli. Ne fortè satientur alieni virtute tua, & labores tui veniant in domum extranei. Et rugias in nouissimo tuo, cùm defecerit caro tua & succus tuus, dicasq;: Quare odi castigationem, &c. Comprehendit his verbis Spiritus sanctus summatim poenas, quae scortationem comitari solent. Inter has primum locum habet animarum perditio, quam necessariò sequi oportet, cùm à Christo abstrahat, qui salutis author est vnicus. Coniuncta est illi infamia, cùm inter gentes quoq; malè audierint semper, qui scortis addicti fuerunt. Nam etsi in animum inducant nihil facere, quod saluti aut honori eorũ officiat, tanta tamen est meretricum astutia, tanta lenociniorum vis, vt paulatim oculos fascinent, & rationis vsum extinguant. Adhaec corporis vires debilitat, & vitam reddit breuiorem. Argumento sunt morbi, qui ferè scorta & horum amatores depascuntur: inter quos horrendus est imprimis, quem Gallicum dicunt, eò quòd circiter annum 1495. in Gallorũ castris, quae tunc in regno Neapolitano erant, exarsit, & inde per scortationem crudeli contagio per omnes terras sese extendit. Prouer. 29. Adde his, quòd non alia rei domesticae pestis est nocentior. Nam vt alibi dicitur, Qui pascit scorta, perdit opes. Fit ergo plerunq;, vt tandem sera nimis poenitentia seipsos discrucient, qui admonitiones salutares prius contempserunt. Excitent ista Christianos magistratus, vt scortandi licentiam disciplina seueriori coërceant. Singuli autem, qui fidem veram profitentur, sanctitati studeãt, & sponsam sese castam atq; puram sistant IESV CHRISTO, cuius pretioso sanguine redempti sunt, vt cum eodem olim ad coelestes nuptias & beatae immortalitatis consortium possint ingredi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

CAPVT VII.

HOMILIA XXXII.

Caeterùm de quibus scripsistis ad me, bonum fuerit viro mulierem non attingere: Sed propter fornicationes suam quisq; vxorem habeat, & propriam quaeq; virum habeat.

Argumentum & vsus huius Cap.



IN proximo Cap. magna verborum & argumentorum grauitate in scortatores Paulus inuectus est, & ostendit, eos in ipsum Dei Filium IESVM CHRISTVM, adhaec in proprium corpus, imò in Spiritum sanctum peccare: adeoq; palàm iniquos & iniustos esse, dum seipsos à Deo alienant, qui nos Filij sui sanguine redemit, vt sibi soli consecraret. At quia frustra de morbo disseritur, nisi simul remedium adhibeat, id nunc proponit

Apostolus, & hoc Capite de coniugio seu matrimonio agit: quod argumentum sic tractat, vt multas soluat quæstiones, quæ de cœlibatu, virginitate & multis alijs ad hanc causam pertinentibus moueri solent. Est igitur huius Capitis doctrina vtilissima. Quia vt coniugium inter omnis loci & ordinis homines ex Dei instituto receptum est: ita ex eo dependet legitima humani generis propagatio, ideoq; qui hic admittitur error, longè lateq; ad multos alios redundat. Vt autem olim circa illud variè peccatum fuit: ita etiam hodie alij quidem libidinis œstro abrepti illius sanctitatem violant, alij verò sub religionis prætextu multa faciunt, quæ Dei instituto & Christianæ religionis legibus aduersantur.

Occasionem huic tractationi dederunt Corinthij, qui missa ad Paulum epistola, eius super hac re sententiam rogauerunt. Nam vt suo loco videbimus, erant complures in ipsorum ecclesia, qui à coniugio abhorrebant, quòd istud vitæ genus curis, laboribus, incommodis & omni molestiarum genere refertum esse viderent. At ijdem, quæ humani ingenij nequitia est, ne in ferendo Dei iugo impatientes esse, aut vagas libidines quærere viderentur, religionis studium prætexebant. Hæc enim hominem totum Deo vendicat, vt nimirum relictis omnibus huius sæculi studijs, illi vni & soli seruiamus. Id verò vix fieri potest quorundam iudicio ab ijs, qui in coniugio viuunt, eò quòd multis negotijs atq; curis distrahantur. Accedebat his, quòd illo tempore persecutiones feruerent, quæ causa erat, vt multi à coniugum & liberorum complexu in carceres raperentur, multi subitò solum vertere & sedes mutare cogerentur. At in his quoq; expeditiores sunt, qui à coniugij vinculis soluti nulla liberorum aut rei domesticæ cura grauantur. Neq; temere Christus, cùm horribiles Iudaicæ gentis calamitates exprimere vellet, rem eò deuenturam ait, vt clament: Beati ventres, qui non genuerunt, & beata vbera, quæ non lactauerunt. Ex his ergo multi colligebant, ad Christianam perfectionem facilius eos peruenire posse, qui cœlibes viuunt. Hinc autem fiebat, vt multi diuortia temere facerent, multi à coniugio abstinerent, & non leuiter periclitarentur, cùm castitatis donum non accepissent. Quia ergo multus de his sermo erat, & causa hæc propter multa, quæ præter decorum fiebant, in apertas contentiones exarsisset, Pauli consilium postularunt. Vnde apparet, quòd etsi ingens fuerit in illa ecclesia confusio, & multi Paulum improbè contemnerent, tanta tamen eius apud maiorem partem fuit authoritas, vt eius sententiam audire vellent in re graui & quæ ad omnes pertinebat.

Occasio huius tractationis.

Luc. 23.

Est autem hîc nobis obseruandum Satanæ ingenium, quámq; improbo & irrequieto studio in turbandis Dei institutis vtatur. Quod vt in multis alijs rebus apparet, ita maximè in coniugio cernitur, quod omnibus sæculis aut in contemptum adducere, aut verum eius vsum abolere conatus est. Est enim spiritus immundus & immunditie aut impuritate gaudet, qua homines prorsus à Deo abstrahi nouit, eò quòd sine sanctimonia illum nemo videre aut in eius conspectu subsistere potest. At nullus immunditiei & libidini vagæ locus est, vbicunq; matrimonij vsus sanctè seruatur, quem huic malo Deus remedium dedit. Itaq; omnibus sæculis in hoc fuit, vt coniugij legibus sublatis illicitas libidines inueheret, quibus toti prophanantur qui Spiritus sancti templa esse debebant. Ex hoc fonte polygamia manauit, quæ vt inter gentes prophanas in vsu fuit: ita olim inter patres quoq; sanctissimos locum inuenit. Quam etsi Deus singulari consilio in illis tulerit, tamen neque omnino excusari potest, & illis quoque turbas dedit tantum non intolerabiles. Ad eundem authorem diuortiorum licentia referri debet, quæ in Dei populo eò vsq; excreuit, vt eam lege de repudij libello vxoribus dando frænari oportuerit. Inter Christinos autem homines iã ab initio statim mulieres communes omnibus facere studuit, vnde horribilis Nicolaitarũ & Gnosticorum fœditas enata est. Postea sub religionis prætextu cœlibatum obtrusit, cuius præcones & admiratores inuenit inter eos quoq;, qui ecclesiæ atq; fidei primi propugnatores esse videbantur. In Concilio certè Niceno fuere, qui suadebant, vt sacerdotibus coniugatis probiberetur consuetudo coniugalis: & fortassis aliquid illi obtinuissent, nisi se illis opposuisset Paphnutius, martyrij stigmate insignis, qui coniugia minimè dissoluenda esse docuit, & thorum coniugalem sanctũ atq; impollutum esse demonstrauit. At quod tunc non potuit effectum dare Satan, id posteris temporibus perfecit, & in ecclesiam per superstitiosos quosdam cœlibatum inuexit, ex quo inter ministros scortandi licentia enata est, quæ ab illis ad omnis loci & ordinis homines propagata, simul Dei cultum om-

Satan perpetuus coniugij turbator.

Heb. 12.

nem in extremum contemptum adduxit, vt præter inanes superstitiones nihil ferè reliquum manserit. Non temere ergo Apostoli tanto studio coniugij dignitatem asserunt, nimirum Christi præceptoris exemplum imitati, qui vt ipse nuptijs interesse, & eas miraculorum suorum primitijs ornare dignatus est: ita aduersus Iudæos quoq; illam constanter defendit, cùm de repudiorum licentia interrogaretur. Est hoc nobis probè obseruandum hodie, & sufficiat aduersus omnium rationes, qui cœlibatum inuehere conantur, Pauli admonitio, qui dæmoniorum doctrinam esse dicit, quæ coniugium prohibet. 1. Timoth. 4.

Ioan. 2. Matth. 19.

Debet præterea non oscitanter inspici Corinthiacæ ecclesiæ exemplum. Fuit hæc (vt iam sæpe audiuimus) multis modis corruptissima, & pleriq; in ijs quoq; errarunt, sine quibus vera salutis ratio nō consistit. Vicit tamen apud illos eorū sententia, qui in causa controuersa & dubia Apostolum consulendum esse censuerunt. Ergo Apostolos agnouerunt à Deo orbis doctores datos esse, quos omnes audire debeant. Debent exemplum hoc imitari, quicunq; de fidei articulis, de salutis æternæ negotio aut quibuscunq; religionis articulis certiores fieri cupiunt. Olim ad summum Pontificem dubiæ & grauiores causæ referebantur, cuius sententiæ contradicere scelus capitale erat: eò quòd ille Christi personam sustineret, & responsa non ex suo capite fingeret, sed à Domino accepta proferret. Et Christum magnum illum Prophetam esse, quem omnes audire debeant, Petrus & Stephanus testantur. Ille verò vt olim per Sacerdotes & Prophetas veteribus locutus est: ita nobis hodie per Apostolos loquitur, qui & historiā illius & ex ore eius sumptam doctrinam scriptis mandarunt, deq; his ille pronuntiauit: Qui vos audit, me audit, &c. Vtinam verò hoc omnes facerent hodie, & mox omnibus controuersijs finem imponi videremus, quæ de Dei vnius inuocatione, de vno Mediatore Christo, de simulachris & eorum cultu, de purgatorij ignis lustratione, de Sacramentis, de Ecclesiæ œconomia & clauibus, de traditionibus ecclesiasticis, de ciborum delectu, deniq; de omnibus alijs articulis suscitantur. At quia Apostolos audire pleriq; nolunt, & alius quidem Patrum testimonijs nititur, alius verò Concilij determinationem expectat, multi à principum authoritate pendent, quidam verò sui cerebri figmentis & acumine omnia dijudicanda putant, frustra contenditur, & latius quotidie serpunt incendia, quorum fumis religio vera obscuratur, & infirmiores vehementer offenduntur.

In controuersijs consulendi sunt Apostoli.

Deut. 17.

Actor. 3. 7.

Luc. 10.

Porrò Paulum propositæ quæstioni respondentem audiamus, qui ab initio huius causæ summam comprehendit his verbis: Bonum fuerit viro mulierem non attingere: sed propter fornicationes suam quisq; vxorem habeat, & proprium quæq; virum habeat. Vbi ante omnia videndum est, quid Boni vocabulo Apostolus intelligat. Ex eo enim olim quidam falsò collegerunt argumento à contrarijs deducto: Bonum est mulierem non attingere: Ergo malum est mulierem attingere. In quorum numero D. quoq; Hieronymus fuit, vir in multis eximius & non male meritus de re Christiana, vehementioris tamen ingenij & pertinacior in defendendis semel cōceptis opinionibus. Et hodie eodem argumento aduersarij nostri vtuntur, quos non pudet cum Siricio Papa coniugium inter opera carnis numerare. Et hi quoq; in Attingendi verbo inhærentes omnem consuetudinem mulierum ita damnant, vt eas vix alloquio dignas existiment. Carthusiani verò pauimentum quoq;, quod mulier calcauit, scopis verrere consueuerunt, ne quo puluisculo aspersi polluantur. Ridiculum hominum genus, qui non vident, Paulo nunquam vel per somnium in mentem venisse, quod ipsi ex eius verbis colligunt. Nam si id voluisset, nunquam alibi coniugium dixisset honorabile esse inter quosuis, neq; episcopum vnius vxoris virum esse iussisset. Iniuriam ergo faciunt magnam Apostolo, quem non solùm sibijpsi, sed Deo contradicentem fingunt. Huius enim vox est: Non est bonum, hominem esse solum: faciam illi adiutorium, quod sit coram eo. Qua locutione non modò commendatur matrimonium, sed perpetua consuetudo coniugum docetur. Quomodo enim mulier adiutorium erit coram viro, si ei non indiuulsè conuixerit? Obseruemus ergo Boni vocabulum non vno sensu accipi, & eo non solùm significari quod rectum, honestum & sanctum est, verumetiam vtile & commodum. Et in hac significatione illud Paulus in præsenti vsurpat. Itaq; non opponitur malo aut iniusto siue prophano, sed incommodo & molesto aut laborioso, & proinde verborum istorum sensus est. Commodum quidem & vtile fuerit, si vir absq; muliere viuat, neq; coniugij vinculo astringatur, aut mulier suam libertatem seruet, neq; viri imperium accersat.

Summa doctrinæ de cōiugio.

Heb. 13. 1. Tim. 3. Tit. 1. Gen. 2.

certat. Nam si id faciant, multis molestijs atque incommodis liberabuntur, quæ coniugium comitari solent. Sed quia commoditas ista cum periculo coniuncta est, & multos nobis laqueos nectit Satan, quibus in scortandi licentiam & vagas atq; illicitas libidines eos pertrahit, qui castitatis dono non sunt præditi, consultissimum fuerit, vt ad vitandas fornicationes quisq; propriam vxorem habeat, & vnaquæq; cum proprio viro coniugalis thori societate coniungatur. Comparationem ergo continent hæc verba, qua potius docetur, minimè committendum esse, vt vitandæ alicuius breuioris molestiæ causa nosmetipsos diaboli insidijs exponamus, deq; salute animarum periclitemur. Perinde ergo loquitur Paulus, ac si quis diceret: Bonum equidem fuerit, si quis absque cibo & potu viuere possit: at cùm hoc tentare ridiculum, præstare autem impossibile sit, eam vitæ seruandæ rationem teneamus oportet, quæ à Deo nobis præscripta est. Conuenit autem Apostoli sententia cum naturæ legibus, quas gentium quoque cordibus inscriptam fuisse, Metelli Numidici exemplo probatur, quem in oratione quadam sic publicè dixisse ferunt: Si sine vxore possemus viuere Quirites, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradit, vt nec cum ijs satis commodè, nec sine illis vllo modo viui posset, saluti perpetuæ prius quàm breui voluptati consulendum est. Hæc ideo recitamus ô fratres, vt suæ arrogantiæ simul & inscitiæ pudeat hypocritas, qui non exploratis prius suis aut aliorum viribus id exigunt, quod absque peculiari gratia Dei à nemine præstari potest. Cæterùm si Pauli verba propius consideremus, omnia his compræhendi videbimus, quæ de coniugio dici possunt, Itaque præcipua huius loci capita breuiter percurremus.

Coniugium est legitima & diuinitus instituta viri & fœminæ coniunctio quæ cum vtriusque consensu fit, vt mutuam sibi inuicem opem ferant in perferendis huius vitæ molestijs, sobolem procreent, & illicitas libidines deuitent. Continet definitio ista ferè omnia, quæ de coniugio possunt dici. Ante omnia autem obseruabis, non quamuis viri & mulieris coniunctionem coniugium aut matrimonium esse, sed eam solùm quæ legitimè, id est, secundùm leges à Deo, primo eius authore, datas contrahitur. Ergo non statim coniugium erit, quod hoc nomine palliatur, non autem cum legibus diuinis conuenit. Inter has prima esto, vt (quod in præsenti Paulus monet) quisque vnam & propriam vxorem, similiter quæque vnum & proprium maritum habeat. Consentit hoc cum verbis Christi, qui à Iudæis de diuortio interrogatus, ad primam coniugij institutionem eos remittit, & inter alia dicit: Annon legistis, quòd qui ab initio creauit, marem & fœminam fecit: & qui duo fuerant, erunt caro vna. Oppugnatur his polygamia, cuius primus author Lamech fuit, ex infelici Cainitarum prosapia oriundus. Nec est quòd nobis patriarchas, Abrahamum & Iacobum, Dauidem item aliosq; horum similes quisquam obijciat. Etsi enim quod illi fecerunt Deus peculiari indulgentia tulerit, in primam tamen coniugij legem peccarunt, & coniugia illa grauibus turbis atque molestijs referta fuisse scimus, quibus suæ institutionis violationem Deus non obscurè vltus est. Peccatur item in hanc legem, quando ea ducitur, quæ cùm alterius sit, tibi propria vxor esse non potest, aut cum ei nubit mulier, qui iure ad alteram pertinet. Fit hoc, quando alteri iam ante fides promissa est, aut temere abrupto coniugij vinculo altera ducitur. Quo Christus respiciens dicebat, adulterium ab eo committi, qui repudiatam ducit. Loquitur enim illic de repudijs temerarijs, quæ Dei iudicio rata esse non poterant, cùm ex priuato arbitrio fierent, absque causa iusta & graui. Itaque etsi dirempta esset consuetudo & cohabitationis societas, manebat tamen fidei vtrinque datæ vinculum, quo sibi inuicem erant obstricti, ideoque alienam sibi ducebat, quisquis cum repudiata sub matrimonij prætextu coniungebatur. Altera coniugij lex sit, ne cùm ijs contrahamus, quorum nuptiæ propter consanguinitatem aut affinitatem arctiorem diuinis præceptis prohibentur. Extant hæc in Leuitico cap. 18. & 20. Dispensant quidem in illis Romani pontifices, & horum audaciam aliqui ex ijs imitantur, qui Euangelicæ doctrinæ sectatores videri volunt. Sed vt isti inexcusabili temeritate sibijpsis in Dei leges ius sumunt: ita inanis & nullius momenti est illa dispensatio. Nam etsi illi pretio aut fauore permittant consanguineorum nuptias, non tamen legitima sunt eiusmodi coniugia, & plerunq; infelix est eorundem exitus, quod multis exemplis probari poterat. Addatur his lex tertia, ne absq; parentum voluntate & consensu aliquid hîc faciant iuniores. Cur enim ratum sit

[Margin notes: Coniugium quid sit? — Leges coniugij. 1. — 2. — 3.]

quod in re omnium maxima ex suo arbitrio statuunt, qui ne in minimis quidem sunt sui iuris? Scio quid nobis obijciant Pontificij, qui ex matrimonio Sacramentum fecerunt, & illud Christi nobis obijciunt: Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Inde autem colligunt, inuiolabilem esse, neque vlla ratione rescindi posse promissionem, qua inscijs quoque parentibus fidem suam filij aut filiæ alijs obstringunt. At Sacramentum esse nunquam probare poterunt, & iampridem error iste confutatus est. Et quid ijdem respondebunt illi, si ego negem Deum eos coniunxisse, qui spreta parentum authoritate fidem suam alijs promittunt? Scimus quidem nihil absq; Dei prouidentia fieri, sed non ideo omnia cum eius voluntate conueniunt, quam nobis ille in scripturis reuelauit. Et qui coniugij fidem inuiolatam seruari vult, idem ne obedientiæ officio & honore debito parentes fraudemus grauissimè præcepit. Quis item probare poterit ratum debere esse contractum, quo filius inscio patre domum aut agrum paternum vendit? Cur ergo rata sit promissio, qua seipsum & hereditatem simul omnem parentibus inconsultis aut inuitis quoq; ad aliam transfert? Possent hîc multa alia argumenta adduci, quibus istorum hominum temeritas confutatur, sed possunt hæc sufficere pijs, qui Deo potius quàm hominibus obedire in animum induxerunt. Et si leges, quas modò recitauimus, ratas habeant qui rempub. administrant, mox videbunt coniugia passim sanctè coli, & familias passim florere, quas nunc cæca libido misere dissipat & euertit.

Author coniugij Deus.

At plurimùm proderit coniugij authorem semper respicere, vt illius dignitas melius cognoscatur. Est is vnus & solus Deus, qui vt Adamum ex luto terræ fecit, ita Euam ex costa illius formatam ei connubio iunxit, & primus hoc munus obiuit, quod postea superstitiosi homines Iunoni pronubæ & Himenæo tribuerunt. Admonet nos de illo vetus ecclesiæ mos, quo coniugia in sacro cœtu confirmantur, & ijsdem Dei verbis minister benedicit, vt inde omnes intelligant, nihil hîc quàm diuinum agi. Imprimis tamen hîc obseruari debet, tunc à Deo coniugium institutum fuisse, cùm nondum peccauisset Adamus, sed dignitatem, ad quam conditus erat, adhuc retineret. Quod vnum eorum improbitatem abunde confutat, qui matrimonium inter pœnas peccati numerant, & cùm eius vsum non omnino damnare possint, malum esse dicunt necessarium. Quorum sententia si admittatur, Deum pœnas peccati inflixisse dicemus homini priusquam ille peccauisset, adeoq; ei fuisse peccati authorem. Atqui aliud docent verba Dei, de quibus supra diximus, & plura suo loco dicentur. Curis quidem & molestijs plurimis coniugium refertum esse fatemur, sed cùm ista ex peccato nata sint, nimiùm iniqui & Deo ingrati sunt, qui eius institutum per se sanctum & vtile accusant. In his autem obseruari debet matrimonij dignitas, vt hanc aduersus eos tueamur, qui Siricium Papam secuti, illud inter opera carnis numerant, & Deo placere posse negant eos, qui in coniugio viuunt. Diximus de his alibi prolixè, vt minimè opus sit hîc omnia repetere. Vnum hoc addimus nunc, nimiùm stupidos aut malitiosos esse, qui illud vitæ genus damnare non verentur, in quo sanctissimos Dei seruos iam inde à prima rerum origine vixisse constat, & cuius dignitatem Deus tot tamq; horrendis iudiciorum suorum exemplis apud omnes ferè populos asseruit.

Finis coniugij triplex.

Debet præterea coniugij finis considerari, qui triplex est. Primò enim ideo Euam Adamo coniunxit Deus, vt adiutorium ille haberet in ferendis vitæ molestijs, quas ex peccato orituras sciebat. Atqui eadem nobis etiam hodie coniugij causa non postrema est, quando constat sine illo neq; rē domesticā feliciter curari, neq; alia negotia commodè tractari, nisi curas inter se coniuges partiantur. Est autem hoc magnum diuinæ bonitatis argumentum, quòd qui hominem peccaturum esse sciebat, priusquam id fieret, remedium parauit, quo peccati pœnæ mitigarentur. Eius generis est, quòd herbas creauit, quibus morbi curantur, priusquam hi ex peccato essent enati. Deinde propa-
2. gando simul & seruando generi humano matrimonium seruire debuit. Nam etsi ex promiscuis quoq; & illicitis congressibus liberi generentur, non tamen legitima est generatio illa, & proinde confusionem parit atq; infinita alia incōmoda, de quibus nunc non est dicendi locus. Hinc ergo ter-
3. tius coniugij finis & vsus dependet, vt sit libidinis remedium, ne generandi cupiditas prohibitis amoribus inflammata nos abripiat, vt iustitiæ & honestatis fines transiliamus. Et hunc finem in præsenti Paulus attingit, præteritis duobus primis, qui ad eius institutum minus pertinebant. Hîc autem tenere oportet, non opus esse, vt causæ istæ simul omnes semper concurrant: nam vt aliæ cessent, vna sufficere potest, vt coniugio aliqui iungantur, quod legitimum & ratum omnino censeri debet, modò

debet, modò non peccetur in leges, quas supra commemorauimus. Arguit hoc eorum sententiam, qui inter senes & iam effœtos matrimonium esse negant, aut qui in scortatorũ numero eos habent, qui vxores ducunt, quas aut natura steriles, aut alia de causa ad pariendũ non idoneas esse sciunt. Hos enim Paulus confutat, qui vt fornicationes vitentur, legitimo coniugio vti docet. Illos autẽ Dauidis exemplum conuincit, qui in extremo senio & iam frigidus puellã Abisagam duxit, quæ quòd illi vxor fuisset legitima, Adonias mortis supplicium meruit, cùm eam sibi dari vellet. Nunc potius obseruemus, eos qui coniugium oderunt, aut thoros coniugales adulterijs violant, vel stupris illicitis indulgent, non solùm in sacrosanctum Dei institutum, verumetiam in humani generis societatem peccare. Tollunt enim præcipua vitæ huius auxilia, & dum minores molestias fugiunt, grauiora incommoda sibi accersunt: ijdem legitimã propagandæ posteritatis rationem impediunt, spurijs & nothis (qui publici libidinis testes sunt) domus omnes complent, deniq; nequitiæ fenestras aperiunt, & honestatem publicam profligant.

Simul autem docet istorum consideratio, quid in contrahendo matrimonio potissimùm spectari, & vt huius initia celebrari debeant. Quia enim eius author est Deus, prima religionis cura esse debet, ne sub coniugij prætextu à vero Dei cultu abstrahamur, & fidem illi datam negemus. Huc leges pertinent, quibus olim vetuit, ne qui eius populus dicebantur, cum prophanis gentibus miscerentur. Et notus est Malachiæ locus, qui sanctitatem Iuda, id est, dignitatem illam, qua populum Iudaicum Deus ornauerat, ab illis prophanatam fuisse queritur, qui vxores alienigenas duxerant. Et Paulus in posteriori epistola grauiter monebit, ne iugum cum infidelibus ducant: eò quòd nulla sit communio luci cum tenebris, Christo cum Belial. Deinde cum libidinis remedium quæri debeat, curemus, ne illam ipsam in consilium vocemus, & maiorem eius quàm honestatis & rei domesticæ rationem habeamus. Itaq; sopitis affectibus prauis in vnum Deum nos respicere conuenit. Admonuit is nos de isto, quando Adamum graui somno sopiuit, cùm ex latere eius costam sumere, & ex ea Euã formare voluit. Nuptias item honestè, piè & cũ Dei inuocatione facere oportet, adeoq; ad illas Christũ ipsum vocare, vt (quod olim in Cana Galilææ fecit) omnem coniugij amaritudinem dulci sui spiritus vino, id est, pijs consolationibus temperet. Hæc quia hodie pleriq; negligunt, quid mirum est, si infelicius cedant, quæ absq; Deo, vnico omnis boni authore, inchoantur coniugia? Restat, vt de coniugum officijs dicatur, quod in sequenti Sermone commodius fiet. Nunc Deum precabimur, vt quod in rerum exordio instituit vitæ humanæ præsidium, omnibus sua benedictione felix & auspicatum faciat, imprimis autẽ largiatur, vt sponsa IESV CHRISTI simus casta & sancta, & cum illo viuamus atq; regnemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum; Amen.

Quomodo matrimonia contrahi et inchoari debeant.

Deut. 7.

Malach. 2.

2. Cor. 6.

HOMILIA XXXIII.

Vxori vir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & vxor viro. Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed vxor. Ne fraudate alius alium, nisi si quid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus: & rursus simul conuenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico ex concessione, non ex imperio. Nam velim omnes homines esse, vt & ipse sum: sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.

QVemadmodum Deus ex peculiari gratia coniugium instituit, vt eius præsidio adiuti huius vitæ molestias commodius ferre & illicitas vagæ libidinis flammas facilius vitare aut restinguere possimus: ita publicus humani generis hostis omnibus sæculis in hoc fuit, vt coniugij dignitatem prophanaret, & verum eius vsum aboleret. Non ignorat enim hoc sublato libidinibus

fœdis fenestram aperiri, morum honestatem & vitæ sanctimoniam simul omnem calcari, & confusionem rerum omnium induci tā rei publicæ quàm domesticæ exitialē. Et quæ illius est astutia, nō solùm carni & mundo deditos intemperantiæ illecebris capit, verumetiam pijs sub ementito religionis prætextu fucum facit, vt in cælibatu non solùm commodius, verumetiam sanctius viui posse sibi persuadeant, adeoq; in illo meritum constituant, cui Deus regni sui hæreditatem promiserit. Non temere ergo scripturæ sanctæ coniugium paßim magnificè commendant, & Paulus de eodem hîc diligentißimè disserit. Et initiò quidem fatetur, coniugium suas curas atq; incommoda habere, quæ ex peccato in hoc vitæ genus (vt in alia quoq; omnia) irrepserunt: quia tamen maius periculum ex fornicationis licentia nobis immineat, consultißimum esse, vt quisq; propriam vxorem, & quæq; propriū virum habeat. Vbi nuper audiuimus quid sit coniugium, quis eius author, quæ leges, quæ dignitas & in quem finem sit institutum, vt item contrahi & inchoari debeat. Quibus nunc officia coniugū subijciuntur, de quibus ordine cōmodißimo Paulus disserit, de ijs quoq; paucis dicens, de quibus sub religionis prætextu multùm contendebatur.

Coniuges debita sibi inuicem officia præstent.

Principio generale præceptum præmittit, quo omnia compræhenduntur, quæ hîc dici possunt. Vxori (inquit) vir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & vxor viro. Sensus verborū est, vt quod mutuò sibi inuicem debent, fideliter vtrinq; præstent. Beneuolentiæ autem vocabulo coniugalia officia omnia complectitur, vt doceat, nihil inter eos coactum esse debere, sed dilectionem & animi propensionem requiri, quæ causa est, vt nihil perinde optemus, quàm ijs rem gratam facere, quibus cum agimus. Deinde debiti meminit, vt omnem excusationis prætextum excludat, quo multi vtuntur, qui se coniugibus suis minus obstrictos esse putant, quòd vel generis nobilitate, vel fortunarum splendore ipsis nō mereantur conferri, aut etiā ea ætate sint, quæ neq; honore neq; amore sit digna. Et hîc quidem multi sibijpsis mirificè blandiuntur, multi etiam scurriliter ludunt in coniuges, quarum satietas eos cœpit. Cæterùm vtut ista habeant, coniugij vinculum tam arctis conditionibus fidem nostram obstringit, vt nullus alicui excusationi locus sit, quò minus præstare debeas quod promisisti. At quod hîc paucis verbis absoluit Apostolus, id in epistola ad Ephes. 5. cap. diligentius explicat, vbi & vxoris & mariti officia pulchre distinguit. Etsi enim quoad beneuolentiam aut dilectionem æqualitas inter illos sit, in reliquis tamen vir muliere præstat, & singuli habent quod obseruent.

Locus ad Ephes. V. Cap.

Vxoris officium.

De vxoribus autem sic scribit. Vxores proprijs viris subiectæ estote, vt Domino. Quo præcepto obedientiam cum debito honore aut reuerentia coniunctam requirit, qua omnino opus est, cùm sexus iste infirmior sit, quàm vt sibijpsi in omnibus sufficere poßit. Ne tamen singulæ viris quibuscunq; se hoc officium debere putarent, aut viri in mulierem quamcunq; temere obuiam sibi imperium sumerent, disertè monet, vt vnaquæq; suo marito obtemperet. Et quia mulieres vt plurimùm superbia & ambitione peccant, rationibus aliquot hoc suum præceptum confirmat. Prima est, quòd viris perinde vt Domino IESV CHRISTO parere debeant. Quo loco diuinæ institutionis eas admonet, & Dei verba in mentem reuocat, qui Euæ inter cætera dixit: Ad virum tuum erit desiderium tuum, & ipse tibi dominabitur. Vnde sequitur, non posse mulieres sibi in viros ius & imperium vendicare, quin Dei institutum violent, & huius ordinationi resistant. Quod procul dubio Sara mater mulierum credentium obseruauit, quæ (vt Petrus scribit) Abrahamum dominum suū vocare solebat, & inter aßiduos labores & pericula continua nunquam se inobedientem aut contumacem præbuit. Secunda ratio à viri dignitate sumitur: Quoniam vir est caput vxoris, vt & Christus est caput ecclesiæ. Vt autem membra, adeoq; corpus totum, capiti obediant, communis sensus iubet. Magis tamen hæc ratio confirmatur Christi & ecclesiæ exemplo, dum inter coniuges eandem eminentiæ & subiectionis rationem esse dicit, quæ inter Christum & ecclesiam habetur. Additur his ratio tertia: Et is est qui salutem dat corpori. Hac docet, subiectionem istā vtilem & necessariam esse. Vt enim tota ecclesiæ & singulorum membrorum eius salus ab vno capite Christo dependet, qui singulis spiritum vitæ distribuit: ita mulieris fama, gloria, incolumitas deniq; omnis in eo consistit, vt fidem viro inuiolatam seruet, eiusq; consilio (de viris cordatis loquimur) sese regendam præbeat, imò importunum quoq; & improbum patienter ferat: quod Abigaelē in suo Nabale feliciter fecisse legimus. Itaq; cùm mulieres, nisi ecclesiæ membra sint, saluæ esse non

1. Pet. 3.
Gen. 18.

possunt, illam imitari studeant, & sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & vxores suis viris subiectæ sint in omnibus. Vbi tamen de ijs modò Paulum loqui putabimus, quæ viri pro suo iure imperant, & quæ salua conscientia fieri possunt. Ideo ad Colossen. scribens cautionem adhibet: Vt conuenit in Domino. Quapropter si viri iure suo abutantur, & ea præcipiant, quæ diuinis legibus, quoad religionem aut morum honestatem, aduersantur, minimè illis obedire debent mulieres: quia eadem tunc illorum est ratio, quæ impiorum magistratuum, & ideo illis apostolicum illud obijcere possunt: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Colos. 3.

Inde ad mariti officium transit Paulus, dicens: Viri diligite vxores vestras. Vno verbo imperium illud, quod ipsis dedit Deus, moderatur aut temperat. Nam qui diligunt, ius suum non tyrannicè vrgent cum eorum detrimento quibus præsunt, sed tam ipsis quàm famæ & fortunis ipsorum consultum volunt. Exemplum eius rei in parentibus extat, qui cùm in liberos suos imperiũ naturæ legibus confirmatum habeant, eo tamẽ ita vtuntur, vt pia indulgentia illis potius seruire quàm dominari videri possint, dum indefesso labore et assidua cura illorum commodis inuigilant. Quem affectum in pijs quoq; magistratibus videre licet, qui tunc demum se rectè imperauisse putant, si populi incolumitatem prouehant atq; tueantur. Eodem igitur animo maritos in vxores suas præditos esse vult Apostolus: & quia inter homines vix vnquam dilectio reperitur, quæ omnibus numeris absoluta sit, rursus ad Christi exemplum reuertitur, quod viris imitandum proponit, vt quis modus ipsis tenendus sit, intelligant. Diligite (inquit) vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt eam sanctificaret purgans lauacro aquæ per Verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam nimirum non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata. Diligenter Christi exemplum tractat, quia multa continet, quæ vt nos de æternæ salutis ratione admonent, ita viros euidentissimè docent, quàm tenerè quamq; indulgenter vxores suas diligere debeant. Summi enim & tenerrimi amoris argumentũ est, quòd semetipsum ille pro ecclesia sua in mortem tradidit. Nemo (dicebat ipse) maiorem dilectionem habet, quàm vt ponat animam suam pro amicis suis. At non pro nobis, qui amici eramus, sed pro hostibus suis ille mortuus est, vt nos sibi amicos faceret. Et vt Pauli verbis insistamus, pro ecclesia vitam suam deposuit, vt eam, quæ multis modis fœdata erat, & (vt in Ezechiele habetur) in sanguinibus suis proculcata iacebat, proprio sanguine ablutam sibijpsi sponsam faceret, puram & sanctam, cum qua omnes regni sui cœlestis thesauros communes haberet. Quid ergo non debent vxoribus suis mariti, si Christum ipsos imitari conuenit? Aut cur earum morositatem & quæ sexui isti agnata sunt vitia impatientius ferant, quando in nostris sceleribus ferendis Christus tanta indulgentia vsus est? Cur deniq; eas fastidiant, ex quibus, licet difficillimæ sint, aliquid tamen commodi recipere possunt, cùm tam dura tamq; iniqua passus sit Dei Filius, vt nos sibi cõiungeret, ex quibus nihil boni, quàm quod ipse prius dederit, sperare potest? Etsi verò exemplum hoc omnia contineat, quæ hîc dici possunt, aliud tamen addit Paulus, quod in semetipsis singuli obseruare possunt, vt nõ opus sit oculos aliò conuertere. Debent (inquit) viri diligere vxores suas, vt sua ipsorũ corpora. Qui enim diligit suam vxorem, seipsum diligit, &c. Id verò non ex semetipso fingit, sed Christum de coniugibus dixisse sciebat: Erunt duo vna caro. Neq; aliter possunt sentire, qui primam mulierem ex viri latere sumptam esse, & coniuges indissolubili vinculo constringi cogitant. Itaq; in naturæ leges ab illis grauissimè peccatur, quicunq; coniuges suas oderunt, aut eas inhumanius tractant. Quis enim (vt in Pauli verbis pergamus) vnquam suam ipsius carnem odio habuit? Aut quis in corpus propriũ mox ferrum stringit, si vel hoc totum aut aliquod eius membrum vitiosum esse viderit? Qui id faciunt, ij de semetipsis animi alienati indicium præbent, neq; in illis caput suo officio amplius fungitur. Cur ergo mentis suæ compotes aut vxorum capita dicantur, qui absq; ratione in eas sæuiunt, aut eas ignominiosius habent, quas pro cõsortibus suis & omnis fortunæ socijs agnoscere debebant? Et cùm inter ethnicos olim reperti sint, qui fidem coniugalem cum vitæ periculo sanctissimè custodierint, meritò suæ perfidiæ & inhumanitatis pudere debebat eos, qui cùm Christi discipulos profiteantur, eius exemplum turpissimè negligũt. At cùm vitium hoc nimis vulgare sit hodie, nemo opinor me accusabit, quòd prolixius paulò de his egerim. Nunc tamen ad reliqua transeamus. Mariti officiũ. Ioan. 15. Ezech. 16.

De consuetudine coniugali agit.

Pergit enim Paulus, & de consuetudine ipsoq; congressu coniugali diligentius agit, de quo vahementer inter Corinthios contendebatur. Nam etsi plerique non negarent ea, quæ hucusque de coniugum officijs dicta sunt, neque etiam apertè diuortium facerent, frequentius tamen secubabant: quæ causa erat, vt & amor coniugalis frigesceret, & in libidines aut saltem concupiscentias fœdas delaberentur. Occurrit ergo, & vt huic malo medeatur, ostendit, eos qui coniugij vinculo sese obstrinxerunt, non sui iuris, sed vnumquenque in alterius potestate esse, ideoq; non licere, vt quis ex priuato arbitrio aliquid hîc statuat. Estq; nobis diligenter obseruanda hæc Spiritus sancti diligentia, qui eò vsque se demittit, vt de ijs sermonem instituat, quæ parum pudica aut honesta videri poterant: facit tamen id, quòd res ita postularet. Est enim hoc ferè commune vitium, quòd qui non serio Dei timore retinentur, vbi libidinem suam expleuerunt, vxores suas fastidire & ad vagas libidines animum adijcere incipiunt. Deinde eos, qui reliquis sanctiores haberi volunt, plerunq; hypocrisis & fictæ sanctimoniæ fucus seducit, vt in eo meritum vitæ æternæ consistere putent, si à coniugum congressu abstineant. Quibus adde periculum, cuius paulò ante meminimus. Nam vt D. Ambrosius annotauit, qui compendia quærunt, sæpius errare solent, & dum à licitis abstinent ad illicita & inconcessa delabuntur. Docet ergo Apostolus quid in hoc casu fieri debeat, & summa consilij aut præcepti eius est: Ne fraudate alius alium. Fraus vel fraudatio est, quando prætextu aliquo falso aut dolo malo interuertitur quod alicui debetur. Et genium fraudare dicuntur, qui quoad appetitum & honestam voluptatem non satisfaciunt naturæ. Id ad debitum coniugale non ineptè transfert Apostolus, vt ostendat in iustitiæ & æquitatis legem eos peccare, qui à coniuge ex priuato arbitrio abstinent, nulla graui & iusta causa intercedente. Id verò probat his verbis: Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed vxor. Ex eo igitur colligit fraudem fieri coniugi, cui quod alter illi debet officium negatur. Facit autem hic quoque locus contra polygamiam. Si enim vir proprij corporis ius aut potestatem non habet, iniquus fuerit, si illud aut eius partem alteri addixerit. Imprimis verò adulterij quoque crimen hoc argumento amplificatur. Nec enim illud committi potest, quin aut corpus tuum, quod coniugi debetur, alteri prostituas, aut alterius corpore ad tuam libidinem abutaris. Quòd si vterque coniugio astrictus fuerit, dupliciter vtrinque peccatur. Itaque adulterium cum furti crimine coniunctum est, & tanto grauius est furto, quanto pretiosius est corpus nostrum fortunis omnibus, quæ vt illi seruiant destinatæ sunt. Vide Prouerb. 6.

Quomodo & quando coniuges secubare debeant?

Cæterùm nunc Paulum audiamus, quid in causa hac, de qua agere cœpit, obseruari debeat. Ne fraudate (inquit) alius alium, nisi si quid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus: & rursus simul conuenite, ne tentet vos Satan propter incontinentiam vestram. Non rigidè præcipit, ne vnquam secubent coniuges, sed modum & rationem præscribit, ne quid periculi maioris inde nascatur, & quatuor hîc obseruanda esse monet. Primum, vt ex vtriusque coniugis consensu hoc fiat, quem necessarium esse constat, cùm neuter suum corpus in sua habeat potestate. Deinde ad tempus modò id facere iubet. Nihil ergo locus iste illis patrocinatur, qui nouum diuortij genus excogitarunt, vt nimirum durante quidem coniugij vinculo (quod illi indissolubile esse volunt) mensæ tamen & thori consortium prorsus aboleatur. At hîc de eo agitur, quod ad breue duntaxat tēpus obseruari debuit. Tertiò causa quoq; exprimitur, ne quid leuiter & temerè fiat, vt ferè solent, quos coniugis satietas iam cœpit, & ideo occasiones eiusmodi auidè venantur. Itaq; vnam modò causam permittit, vt nimirū vacare poßint ieiunijs & precibus. Vbi ne quis colligat perpetuò à thori consuetudine abstinendum esse, cùm aßiduè & indesinenter orare atq; temperentiæ studere debeamus, tenendū est, Paulum de solennibus ieiunijs & precibus loqui, quæ antiquitus publico ecclesiæ decreto instituebantur, si vel periculū aliquod publicum imminebat, vel de re aliqua grauiori & ad publicam omnium salutem pertinente erat deliberandum. Exempla eius rei apud Ioelem & Ionam habentur, quibus ea addi possunt quæ in Legis promulgatione Deus fieri voluit, & quod in primitiua ecclesia obseruatum fuisse scimus, si qui ad apostolatum aut publicum ministerij ordinari debuerunt. Sciebant enim absq; Dei auxilio nihil feliciter inchoari aut perfici, ad hoc autem impetrandū precibus ex fide & nō fucata animi deuotione manantibus opus esse.

Ioel. 2. Ion. 3. Exod. 19. Acto. 1. & 19.

Vt ergo

Vt ergo illa feruentiores essent, ieiunia indicebant, non qualia in ciborum discrimine homines superstitiosi constituunt, sed in quibus ab omni cibo, & simul à thori consuetudine alijsque gaudijs per se licitis abstinebatur. Ideo Ioel dicebat: Egrediatur sponsus de thalamo suo, & sponsa de velo suo. Ad hunc igitur morem Paulus respiciens, permittit vt si quid huius accidat, secubare possint coniuges. At hinc nos generalem doctrinam petamus, interdum concessis quoque gaudijs & voluptatibus abstinendum esse, vt rebus diuinis liberius vacare, & preces ad Deum ardentiores fundere possimus. Est ergo detestabilis nostri seculi securitas, quando passim quidem Deus iræ suæ indicia exerit, & tantumnon fulminat aduersus peccata hominum, pauci tamen sunt, qui ab illis abstineant, quæ disertis Dei legibus prohibentur, & cum publico scandalo coniuncta sunt. Sed quia hæc alterius loci sunt, nunc quartum videamus, quo Paulus monet, vt qui propter preces publicas ad tempus secubuerunt, mox rursus in vnum conueniant, & ita coniugij vinculum perpetuò ratum manere vult, vt & thori coniugalis consortium. Causam huic admonitioni addit: Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Quibus verbis ostendit, multò maius periculum nobis imminere, si quid præter Dei institutum ex priuato arbitrio instituamus, & proinde ab hoc non temere esse discedendum. Licitis quoque interdum abstinendum.

Est autem obseruanda diligenter locutio, qua Satanam & incontinentiam nostram coniungit. Vt enim ille mendax & homicida est, atque instar leonis rugientis quærit quem deuoret: ita ferè ex nobis captat occasiones, quibus nos circumueniat & in nassam illiciat. Ideo Iacobus dicebat, vnumquenq; dum tentatur, à propria concupiscentia abstrahi atq; inescari. Multò igitur studio & excubijs assiduis opus est. Quid enim nobis tutum relinquitur, quando tunc quoq; nobis insidias struit Satan, quando circa ea occupati sumus, quæ ad Dei cultum spectant, & per se sanctissima sunt? Semper ergo in animis & auribus nostris illud Christi sonet: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, &c. Quòd si verò coniugibus propter preces & ieiunia publica secubantibus ita Satan insidiatur, vt non tutum sit illos diutius separari, quid obsecro apud eos fieri putemus, qui in ipso flore ætatis temerario cœlibatus voto sese obstringunt, seq; ipsos illius insidijs exponunt, quando nulla grauiori causa vrgentur? Sed de hoc in sequentibus dicetur. Satan occasiones ex nobis captat. Iacob. 1.

Nam poterant aliqui ista calumniari, quasi ijs, qui per se ad libidinem nimium proni erant, habenas laxaret Apostolus: & fortassis non deerant etiam, qui hac admonitione ad immoderatum consuetudinis coniugalis vsum abuterentur: Ideo correctionem subijcit, qua hoc suum consilium moderatur & temperat, sic inquiens: Hoc autem dico ex concessione, non ex imperio, &c. Debet hoc ad ea referri, quòd iusserat vnumquenq; propriam vxorem, & vnamquanq; proprium virum habere: item ne temere consuetudinem coniugalem dirimant, sed ad tempus modò, si qua maior necessitas preces ardentiores, & propter has carnis quoq; disciplinā austeriorē requirit. In Græco κατὰ συγγνώμην se loqui ait, quam pleriq; indulgentiam interpretantur: sed quia hæc ferè in illis locum habet, quæ per se vitiosa sunt, & proinde venia opus habent, ego potius Paulum ad Dei consilium respicere puto, qui coniugium nobis instar medicinæ esse voluit; qua caro ad libidinem procliuis frænetur, ne quid aduersus honestatem & sanctitatem, cuius nos studiosissimos esse conuenit, designemus. Itaq; verborum sensus est: Nolim mea hæc sic accipi, quasi ex imperio omnes homines ad coniugium, & ne vnquam à coniugibus suis separentur, cogere velim. Scio enim hac conditione matrimonium esse institutum, vt si quis propter singulare castitatis donum illo non habeat opus, illi ab eo prorsus abstinere liceat. At ista moneo, vt communis infirmitatis memores, non temere negligatis remedium à Deo concessum, & quo salua conscientia simul & sanctitate Christiana quilibet vti potest: ne forte nimium vobis ipsis tribuendo in grauius periculum delabamini. Interim si cui hoc diuinitus datum est, per me licet dono suo vtatur. Imò velim ego omnes homines in hac re mei similes esse: sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo: alius quidem vt virginitatem castam corporis simul & animi custodire possit: alius verò, vt coniugium sanctè colat, & ita quoq; Deo gratus atq; acceptus sit. Quapropter quisque pro doni sui ratione vitam suam instituat, nō autem temere alijs præscribat, &c. Idem ergo hîc Paulus dicit, quod Christus, qui discipulis dicentibus, expedire ne quis matrimonium contrahat, respondit: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui ex matris vtero nati sunt ita: Doctrinā hanc moderatur & temperat. Matth. 19.

& sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum: Qui potest capere, capiat. Quibus verbis disertè admonet, continentiæ donum peculiare esse, & proinde neminem sibijpsi, nedum alijs legem perpetuam præscribere posse. Vnde sequitur, nimiùm confidentes atq; temerarios esse, qui vel alios ad continentiam perpetuam cogere instituunt, aut hanc non prius exploratis suis viribus vouent.

Contra nimios virginitatis præcones.

Debebant ergo istum locū diligentius inspexisse veteres, qui in celebrandis virginitatis laudibus eò vsq; processerunt, vt coniugiū non obscurè damnarint, quasi per se vitiosum sit, & perfectionem Christianam impediat. Abusi sunt illi exemplo Pauli qui omnes homines sibi similes esse optat: interim non obseruarunt, ea mox subijci, quæ ipsorum sententiæ aduersantur. Optauit enim hoc Apostolus, non quòd matrimonium minus sanctum esse iudicaret, sed (vt initio Cap. huius dictum est) quòd eos liberius viuere & ad ferendas persecutiones (quæ tunc paßim feruebant) expeditiores esse videret, quos nulla coniugum & liberorum cura grauabat. Ideo pro cōmuni piorum more, voluisset omnes tanti boni participes fieri. Simul tamen, ne quis suo exemplo temere abutatur, diuersitatis donorū eos admonet, & (vt paulò ante diximus) coniugium quoq; inter Dei dona numerat. Nihil ergo agunt, qui exempla huius generis vndiq; colligunt, vt impurum illum atq; infelicem cælibatum, quem Papatus genuit, vel ecclesiarum ministris, vel quibuscunq; alijs obtrudant. Nam vt maximè constaret, Mosem, Prophetas, Apostolos simul omnes & primitiuæ ecclesiæ episcopos cælibes vixisse, non tamen ex illorum exemplis doctrina aut generalis regula constitui posset, ad cuius obseruationem omnes alij astringerentur. Quoniam nulla exemplorum authoritas est, nisi quod factum est, ex Dei voluntate factum esse probaueris, & legem protuleris, qua illius imitatio alijs præcipiatur. At vt veteres omnes inspiciamus, constat Mosem & Aaronem vxores habuisse, multos item ex prophetarum numero, vt & plerosq; Apostolorum, vt infra Cap. nono Paulus ipse testabitur. Quin ergo huius doctrinam potius nostri aduersarij obseruant, qua disertè monet, vt episcopus vnius vxoris consortio contentus vitam honestam transigat? Sed dum semel conceptam opinionē tueri satagunt, multiplicem errorem in ecclesiam inuexerunt. Primò enim Virginitatem absq; Dei verbo ita commendarunt, vt multi in illa cultum Dei & salutis meritum consistere putauerint. Hinc factum, vt multi non exploratis suis viribus illam vouerent, aliqui etiam suos ad eiusmodi vota facienda cogerent. Et dum ecclesiarum ministris coniugio interdixerunt, puniuit Deus iniquißimam istam tyrannidem, vt & illi fœdis libidinibus totum ordinem ecclesiasticum prophanarent, & multi à ministerio hucusq; abhorruerint, qui sibi laqueum noluerunt inijci. Caruit ergo multis bonis ministris ecclesia, ijs autē referta atq; grauata fuit, qui sacra omnia in contemptū adduxerunt, & toti populo peßimi exempli fuerunt authores. Moueat horum consideratio eos, qui ex sordibus istis emerserunt, ne quam illas reducendi occasionem admittant. Omnes verò in suam vocationem intenti sint, & Dei prouidentiam diligenter obseruent, qui dona sua prudenter & probè pro nostro captu distribuit: & quàmuis non omnia omnibus largiatur, neminem tamen omnino negligit. Singuli ergo suis bene vtantur, vt olim de illis rationem reddere poßint IESV CHRISTO, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

1. Tim. 3. Tit. 1.

HOMILIA XXXIIII.

Dico autem cœlibibus & viduis, bonum eis est si manserint, vt ego. Quòd si se non continent: matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, quàm vri. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, denuntio non ego, sed Dominus: Vxor à viro ne discedito. Quòd si etiam discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliator: Et vir vxorem ne dimittito.

Paulus ad quæstiones de causis quibusdam matrimonialibus à Corinthijs propositas ita respondet, vt simul diligenter de omnibus disserat, quæ ad matrimonium pertinent, & in eo colendo

lendo obseruari debent. Causa huius diligentiæ est, quòd hinc tota ferè hominis vita adeoq; reipub. etiam salus dependet. Nam coniugio inter homines bene recteq; constituto, liberi quoque melius educantur, affinitates fido amore coeunt, & minori negotio publica honestas conseruatur. E contra vbi coniugiorum dignitas nulla est, ibi morum licentia regnat, quæ & ecclesiam turbat, & rempub. tandem euertit. Primùm igitur docuit, sic à Deo constitutum esse, vt vitandæ fornicationis causa quisq; propriam vxorem, & quæque proprium maritum habeat. Inde verò ad coniugum officia transitum fecit, quorum hæc summa est, vt mutuò sese ament, fidem vtrinque datam sanctè colant, & meminerint se non sui iuris esse, neq; proprium corpus in potestate habere, curent denique ne quocunque prætextu separentur, & ita diabolo ipsos tentandi occasionem præbeant. Sequitur nunc præsens hic locus, quo de duobus disserit: de secundis nimirum nuptijs, & de ijs qui temere à coniugibus secessionem faciunt.

Erant enim, qui etsi coniugium diuinitus institutum & omnibus hominibus concessum esse, negare non possent, nefas tamen esse dicebant, post prioris coniugis mortem, ad secundas nuptias animum adijcere & nouo vinculo obstringi. Id enim incontinentiæ inexcusabilis argumentum esse putabant, si qui coniugij curas atq; molestias iam expertus erat, eidem periculo se rursus obijceret. Et notum est Epigramma Græcum quo bis naufragium facere dicitur, qui defuncta vxore alteram ducit. Adhæc Dei exemplo abutebantur, quasi is morte coniugis testaretur, se velle vt cælebs viuat, qui superstes mansit. Vtq; inter Corinthios de hac re tunc disputari cœpit, ita posteris temporibus exorti sunt, qui causam istam magna animorum contentione egerunt, inter quos Tertullianus quoq; numeratur, scriptor alioqui nobilissimus & in multis alijs de ecclesia optimè meritus. Cæterùm paucis rem omnem expedit Paulus, & his quoq; consilium, quod prius dederat, applicat his verbis. Dico autem cælibibus & viduis, bonum eis est si manserint, vt ego: Quòd si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere quàm vri. Primò tam viros quàm mulieres comprædendit (quod in Græco articuli appositi clarè testantur) vt eandem vtriusque sexus conditionem esse & idem ius ad vtrosq; pertinere doceat. Deinde non ait: Deo bonum & sanctum hoc videtur, vt in eo statu maneant: sed Bonum est eis. Ergo non de eo loquitur quod Deus probat, sed quod nobis bonum, id est, commodum & vtile est. Itaq; sensus verborum est: Eos, qui coniugij vinculo atq; curis semel liberati sunt, commodius & minori cum molestia deinceps viuere posse, si cælibes aut viduæ maneant: Verumtamen nihil ab illis temere esse tentandum, quin potius, si se non contineant, omnino ad coniugiũ reuerti debere, vt diuinitus dato remedio piè & castè vtantur. Sunt ergo huius consilij partes duæ. Priori commoda commendat, quibus fruuntur qui cælibes viuunt: & hîc quoq; rursus suum exemplum allegat, ne aut de re sibi ignota loqui, aut alijs præter animi sententiã suadere videatur, quod ipsemet præstare nolit. Est enim hæc efficacissima ratio in suadendo, si qui in seipsis eius rei exemplũ monstrare possunt, ad quam alios hortantur. Cur enim ei fidem habeant alij, quem suis monitis contrariã facere vident? Est igitur Apostoli exemplum probè obseruandum omnibus, qui in ecclesia aut repub. sibi in alios homines ius aut imperium aliquod esse volunt. Altera parte consilium mitigat, & cauet ne sui exempli commemoratione alicui laqueum inijciat, dum permittit vt libertate sua fruatur, si cui aliter visum fuerit. Quo loco rursus admodum circumspectè loquitur. Nec enim ait: Si qui non possunt se continere, matrimonium contrahant, Sed, Quòd si se non continent: Vt nimirum ostendat, in hac causa non tàm spectari debere quid quis possit, quàm quid velit, quando in voluntate ista nubendi peccatum nullum est, eò quòd coniugium Deus omnibus hominibus liberum atq; licitum fecit. Et fieri potest, vt qui se continere potest, velit tamen matrimoniũ contrahere, vel vt liberos procreet, vel quia res eius domestica sic iubet, vel alias ob causas per se bonas & iustas. Num ergo illum peccare dicemus? Nequaquam, cùm non aliud faciat, quàm quod salua conscientia fieri potest, & quod per se sanctum, iustum & æquum est. Quòd si verò carnis concupiscentia idem ille accendatur, non modò licebit ei vxorem ducere, sed peccare dicetur, si ad restinguendam libidinem remedio legitimo vti nolit. Quod non obscurè innuit Paulus, cùm dicit: Nam melius est matrimonium contrahere, quàm vri. Sed de hac re paulò post plura dicemus.

De secundis nuptijs.

Modestia Pauli in exemplo proprio non rigidè vrgẽdo.

Nunc enim obseruari diligenter debet illius modestia, qui etsi in cælibatu multa & magna commoda ijs proposita esse sciret, qui se continent, & ipse hoc donum à Deo accepisset, vt coniugio minimè haberet opus, non tamen omnes homines ad sui exempli imitationem astringere voluit, sed cuique liberum facit quod à Deo concessum esse sciebat. Quam modestiam si obseruassent qui posteris temporibus ad votum perpetuæ continentiæ iuuenes atq; puellas in flore ætatis, aut etiam in pueritia, adegerunt, nunquam tot animæ in isto flagrantis libidinis incendio tam horribiliter periclitatæ essent. At quod de hac causa dicimus, in multis alijs locum habet, & simul hîc confutantur quicunque Diuorum exemplis abutuntur, vt ex ijs legem publicam & omnibus necessariam obseruatu faciant, quod illi ex peculiari Dei gratia fecerunt. Errant in hoc qui ieiunium quadragesimale defendunt. Adducunt enim Mosis & Eliæ exempla, quos totis diebus quadraginta absque cibo durauisse legimus. Addunt his ipsius Christi exemplum, & necessarium esse clamant, vt hoc imitentur, quotquot Christiani dici & esse volunt. At obseruare debebant isti homines, illa non vulgaria facta fuisse, sed in miraculorũ numero censeri debere, ad quorum imitationẽ nemo astringitur, nisi qui peculiari Dei vocatione ad hoc destinatus & simili spiritus virtute donatus est. Errant præterea, quòd propriæ iustitiæ meritum in ieiunijs istis constituunt, cùm neq; Moses neq; Elias ideo ieiunarint, sed vt ad res maiores & magis arduas præpararentur. Similis est eorum error, qui nullius doctrinæ credendum esse clamant, qui non omnibus rebus suis relictis Euangelium vbiq; terrarũ prædicat, & incertis hinc inde sedibus vagatur: quod olim Apostolos fecisse constat. Atqui non eadem est omnium Ecclesiæ ministrorum conditio, & qui aliquos fecit Apostolos, idem alios doctores & pastores esse voluit, qui vnam ecclesiam curent, neq; absque peculiari vocatione ab ea discedant. Poterant huius generis multa adduci: quæ in eum finem debent obseruari, ne quem importunius vrgeamus, neque vel ex nobis ipsis vel aliorum exemplis omnes homines æstimemus: sed in hoc potius simus intenti, vt quisque suo sese pede metiatur, & in Dei vocationem fideliter incumbat.

Melius nubere quam vri.

His interpositis, transeamus nunc ad causam coniugij, quã in præsenti Paulus affert, dicens: Nam melius est matrimonium contrahere quàm vri. Conferuntur inter se matrimonium & vstio siue libidinis flagrantis æstus, & illud melius quàm hoc esse dicitur. At non ita hoc accipi debet, quasi inter duas res malas comparatio fiat, & matrimonium vstione melius esse dicatur, eò quòd minus malum sit: quo cauillo olim Hieronymus aduersus Iouinianum vsus est. At nihil huius in mentem venire potuit Apostolo, qui (vt alibi diximus) sciebat Deum dixisse, Non est bonum, vt homo solus sit. Itaq; communi & recepto hominum more loquitur, perinde ac si quis dicat: Melius est cum Christo egere & esurire quàm cum mundo diuitijs & voluptatibus diffluere. Et quo sensu Dauidi melius visum fuit desidere ad limen domus Dei, quàm habitare in tentorijs Psalm. 84. *impiorum. Vbi nem[illegible] sanæ mentis dixerit, domum Dei & tentoria impiorũ ita inter se conferri, vt vel hæc ex minima parte pro bonis probentur, aut illa vituperetur. Possumus præterea Pauli dictũ ita exponere, vt tacita Anthypophora illis respondeat, qui à coniugio propter curas & molestias, quæ ei coniunctæ sunt, abhorrebant. Docet enim has nõ tam multas tamq; graues esse, quàm grauiores sint multò, quas æstuans carnis libido parit, ideoq; melius & tolerabilius esse matrimonio etiam molestißimo implicitum viuere, quàm ab illa perpetuò vri. Intelligit autẽ vstionis nomine vim maiorem concupiscentiæ, aut (vt Chrysostomus interpretatur) libidinis tyrannidem, quæ ferè in illis dominatur, qui cùm continentiæ dono destituti sint, matrimonium tamen subterfugiunt, aut eius contrahendi facultatẽ non habent. Ab hac vt sese per coniugium liberent Christiani homines, Paulus admonet, neq; id sine grauibus causis. Nam etsi æstus ille voluntatem non semper vincat, nec in opus aliquod fœdum erumpat, animum tamen grauißimè discruciat, à verbi Dei studio & cælestium bonorum meditatione reuocat, adhæc preces & quæcunque sunt alia pietatis veræ exercitia impedit. Quis ergo non dicat cum Paulo melius esse quantascunque coniugij molestias subire, quàm libidinis æstum ferre, quo nullus herus aut tyrannus durior & crudelior fingi potest? Sentiunt hunc, quotquot in cœnobijs vitam transigunt, & temerario continentiæ voto seipsos obstrinxerunt, & poterant horrenda de quibusdam dici, nisi castis auribus parcendum esset. Neque hîc sibiipsis blandiantur, qui ardorem illum ita hucusque cohibuerunt,*

vt nihil

vt nihil turpius designarint. Nec enim corpus solum nos mundũ & sanctum seruare vult Deus, sed imprimis animi puritatem requirit, vt Christus docet, qui adulterum iam factum ait, quisquis mulierem alienam lasciuo oculo intuitus eius amore & cupiditate accẽditur. Et frustra corpus Deo consecrant, qui animum, potiorem sui partem, ei subducunt, & circa fœdas ardentis libidinis cogitationes peregrinari patiuntur. Sufficiat ergo nobis locus iste aduersus omnes eorum rationes, qui vel primas vel secundas nuptias dissuadent aut prohibent: ne dum vanum religionis prætextum captamus, totis animis à Deo alienemur. Eoq́ maior apud nos esse debet consilij apostolici authoritas, quod hoc ipsum in epistola ad Timotheum confirmat, vbi iuniores viduas publica authoritate ab ecclesia ad coniugium remitti vult, ne aliquando petulantiores factæ alicuius scandali maioris occasionem præbeant. Quòd si verò matrimonium contrahere debent, qui prauis & illicitis concupiscentijs æstuant, & proinde ad regnum Dei ineptiores sunt, quid de scortatoribus dicemus, qui se iampridem libidinibus fœdis succubuisse aperta & plus quàm belluina stuprorum licentia testantur? Quod vtinam diligentius expenderent, qui ecclesiarum ministros à coniugio abstinere volunt, & quibus flammis dignum scelus putatur, si Monachus aut sacrificulus vxorem ducat, aut Monialis velo deposito nubat: interim verò ad ea conniuent, quæ honestè dici non possunt. Obijciunt illi nobis votum, quod rescindere nefas sit. Quasi verò non satius sit vota temeraria & iniusta rescindere, quàm ea seruando scelus sceleri accumulare. Quæ item insania est, propter votum monasticum pudicitiam & puritatem eam violare, quam in baptismo vouimus? Quæ item impietas est, templum Dei destruere & ex corpore tuo, quod sanguine suo Christus abluere dignatus est, scorti membrum facere, ne voti transgressor fias, quo te non minus impiè quàm temere obstrinxisti? 1. Tim. 5.

At quærat hîc aliquis, quid eos facere oporteat, quibus per ætatem non licet, vt matrimonium contrahant, cum adhuc sub parentum aut tutorum potestate sint, interim verò se vri & æstuare sentiant? Quibus etiam adnumerari possunt, quorum ea est vitæ conditio, vt coniugio vti aut vxoribus cohabitare non possint, & proinde ne ducunt quidem, ne & has fefellisse videantur, & seipsos grauioribus molestijs onerent. Num hi quidem vocationem suam deserere, illi verò spreto parentum imperio vxores ducere debent? Id equidem sacræ literæ nusquam iubent. Isaacum autem nobis historia commendat, qui ad quadragesimum vsque ætatis annum coniugium distulit, vt ex patris voluntate vxorem duceret. Rursus Esaui proteruiam supplicio dignam fuisse docet, qui inconsultis parentibus ex animi sui libidine coniuges sibi quæsiuit. Debent exempla ista Christianos iuuenes excitare, ne quid ex semetipsis temere statuant, et cum ætatis suæ desiderijs luctentur, quoad tẽpus opportunũ aduenerit, et ad rẽ domesticã idonei fiant. Nec est quòd animũ despondeant, et de victoria desperent. Sunt enim ipsis quoq; remedia, quibus ardores illos restinguere, aut saltẽ frænare poterũt, ne quid se indignũ faciant. Primũ fuerit, vt improborum consortia fugiant, & insidiosa puellarum colloquia declinent, earum imprimis, quas petulantiores & pudicitiæ minus studiosas esse sentiunt. Deinde quod Dauid monuit, oculos suos auertant, ne vanitatẽ spectent, neq; ex contẽplandis mulierũ formis voluptatem capiãt. Nec enim temere Cupidinẽ in oculis puellarũ ludere, & ibi faces suas accendere olim Poetæ dixerunt, & notum est illud Vergilianum: Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Tertiò ne turpi otio sese dedant necesse est. Quia enim (vt alibi quoque monuimus) quiescere non potest hominis animus, nisi quid honesti negotij agas, ad vanas cogitationes delabetur, inter quas in ea ætate ferè primæ sunt, quæ libidinem accendunt. Quartò in legendis scripturis & audiendo Dei verbo frequentes sint, & hîc sibi familiares faciant eos scripturæ locos, qui aut comminationes Dei aduersus scortatores aut horrenda in eos exempla ædita continent. Illorum enim meditatione timor Dei in animis ipsorum augebitur, qui eos facilè in officio continebit. Vbi plurimum proderit, si quæ quotidie fiunt, diligentius obseruent. Nam hîc quoque multa videbunt, quæ eos à scortandi licentia reuocabunt. Addant his preces assiduas, vt spiritu sancto Deus ipsos afflare, carnis desideria restinguere, & studia ipsorum dirigere dignetur. Qui in istis paulò diligentiores fuerint, etsi ardeant interdum, perniciosè tamen vri non poterunt; & procul dubio cum diuino illo Iosepho pudicitiam suam impollutam tuebuntur. Interim paren-

Quid faciant, quibus matrimonio iungi non licet per ætatem aut alias causas?

Psal. 19.

quoque & tutores hîc monendi sunt, ne suo officio ipsi desint, neúe insidiosa coniugij dilatione filijs suis tentationum grauiorum sint authores.

Diuortia temeraria prohibet.

Porrò vt ad Paulum redeamus, ne quis ex eius exemplo, & bis iam repetita cœlibatus commendatione ansam arriperet coniugem deserendi, vel etiam argumentum quod adduxit, in alienum sensum detorquendo inde colligeret, sibi porrò coniuge non opus esse, eò quòd nullum amplius libidinis æstum sentiat: redit ad coniugij præcepta, & huius vinculum tam arctum tamq; necessarium esse docet, vt à nemine mortalium temere dissolui debeat. Sic enim ait. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, denuntio non ego, sed Dominus: Vxor à viro ne discedito. Quòd si etiam discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliator. Et vir vxorem ne dimittito. Quo loco ante omnia obseruari debet, non agere hîc Apostolum de diuortijs legitimis, quæ scripturarum & ipsius Christi authoritate defendi possunt (vt postea demonstrabitur) sed temerarijs, qualia inter Iudæos & ethnicos in vsu fuisse constat. Illi enim permissione per Legem Mosis ipsis facta adeò licenter abutebantur, vt quamlibet ob causam vxoribus repudium nuntiarent. In Ezra enim & apud Malachiam aliqui commemorantur, qui ex Babylone reuersi vxores, quas exilij & laborũ socias habuerant, non minus crudeliter quàm iniustè dimittebant, vt ex vicinis gentibus alias in otio et molliter enutritas possent ducere. Inter gentes quoque, cùm impunè regnaret scortandi & mœchandi licentia, nihil non sibi in vxores quoque mariti permittebant. Tanta denique fuit diuortiorum licentia, vt in Comœdia pater, qui filio non bonæ frugis vxorem petebat, non vereatur puellæ parenti dicere: Incommoditas denique huc omnis redit, Si eueniat (quod Dij prohibeant) discessio. Et quid non fecisse putabimus vulgus hominum, quando in diuortijs faciendis tantumnon lusisse legamus eos, qui virtute & morum grauitate alijs præstare putabantur? Notum est enim Cæsaris factum, qui cùm Pompeiam repudiauisset, Clodium eius adulterum suo interim patrocinio & testimonio defendit, & de repudij causa interrogatus, non aliud respondit: Quia meam ne suspicionibus quidem obnoxiam esse debere existimo. Cato autem ille Vticensis Martiam vxorem ex se prægnantem Q. Hortensio ducendam permisit, & eandem postea cùm Hortensij hæres scripta esset, denuo ad se recepit. Apud Corinthios autem aliud malum accedebat, quòd multi libertate Christiana hîc quoque abuterentur, & si vel leue aliquod dissidium aut simultas incidisset, abs se inuicem discederent, & vel maritus vxorem eijceret, vel hæc sua sponte abiret. Et quod grauius erat, nonnullæ alijs etiam maritis nubebant. De his Paulus in præsenti agit, & quia in vno vitio multa non sine publico scandalo concurrebant, magna verborum grauitate vtitur. Iis (inquit) qui matrimonio iuncti sunt, denuntio non ego sed Dominus. Quæ verba non ita accipi debent, quasi quæ hucusque dicta sunt, ex suo cerebro finxerit, sed discernit inter ea, quæ ab ipso Domino disertè vel in veteri scriptura vel in Euangelio tradita sunt, & quæ ipse ex peculiari spiritus reuelatione didicerat, cùm prius non adeò luculenter fuissent expressa. Cuius generis multa in hac ipsa epistola habentur, qualia sunt quæ de mulierum & virorum prophetantium habitu, de ordine in cœtibus sacris seruando, de alijs innumeris audiemus. Interim nemo Pauli authoritate siue exemplo traditiones quascunque tueatur: quando solis Apostolis hoc datũ est, vt quæ ipsi nobis tradiderunt, Spiritus sancti dictata censeri debeant, quem illis Christus ideo promiserat, vt per eum in omnem veritatem inducerentur. Quod autem nunc dicturus est Paulus, id disertè ad Dominum authorem refert, vt magis perterrefaciat eos, quos ad omnem licentiam nimium procliues fuisse diximus.

Deut. 24.

Esd. 9. 10.
Mal. 9.

Vxor à viro ne discedito, &c.

Quid verò illud est? Vxor à viro ne discedito: Et vir vxorem ne dimittito. Hæc eorũ, quæ proponit, summa est. Docere autem vult coniugij necessitudinem tam sanctam atq; arctam esse, vt nullius authoritate priuata dissolui debeat: vnde colligit, iniustè & impiè facere eos, qui vxores eijciunt, vt has quoque, si à viris temere discedant. Quòd si quæras, vbi nam hæc dixerit Dominus? respondemus, Paulum ad ea respicere, quæ Christus Matth. quinto Cap. & 19 de coniugio & diuortijs disserens pronunciauit: Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Id autem ex eo colligit, quod in ipso rerum exordio dictum fuit: Propterea deseret homo patrem suum & matrẽ suam, & agglutinabitur vxori suæ. Si enim coniugio pietas, quam parentibus debemus, cedere debet, nihil certè prætexere poterunt, quo suam temeritatem excusent, qui illud temere dirimunt.

Adde, quod ibidem dicitur: Et qui duo erant, fient caro vna, & proinde iam non sunt duo, sed vna caro. Quod enim vnum est, sine totius destructione non potest diuidi. Denique concludit ex istis Dominus. Dico vobis, quòd quisquis repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliā duxerit, is adulterium committit: Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit. Rectè ergo istud Apostolus tanta cum grauitate pronuntiat. Et mox de muliere addit: Quòd si etiam discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliator. Nec enim potest legitimè cum altero coniungi, quæ prioris coniugij vinculo adhuc tenetur, quod omnino ratum adhuc habet Deus, quàmuis homines illud abrumpere conētur. Ea autem necessitate mulieres astringere voluit Paulus, vt cogat cum viris à quibus temere discesserunt, in gratiam redire. Nam vt multæ sint, quæ alterius coniugij spe à maritis suis diuelli cupiant, pauciores tamen sunt, quæ velint aut possint absque viris viuere. Et apostolico præcepto illos astringi necesse erat, quia tunc magistratus à Christiana religione alieni erant, & ista omnia facile negligebant. Imò credibile est, multos ex gentibus hac matrimoniorum diuulsione & familiarum confusione, quæ inter Christianos cernebatur, delectatos fuisse, vt maiorum haberent calumniandi occasionem. Semel ergo scandalum hoc omne sublatum voluit, dum admonet, vt coniugalis necessitudinis memores, eam sanctè colant.

Diuortium nō simpliciter prohibitum Christianis.

Cæterùm hoc loco veteres olim bifariam abusi sunt, & hodie etiam nonnulli eodem abutuntur. Primò enim statuerunt, diuortium simul omne Christianis hominibus prohibitum esse. Et hi quidem literam pertinacius vrgendo hoc vnum clamant: Vxor à viro ne discedito, & vir vxorem ne dimittito. Addunt & illud Christi: Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Item: Quisquis repudiauerit vxorem suam, & aliam duxerit, is adulterium committit. At errant isti omnes, quòd non vident, de quo nam diuortij genere Christus & Paulus locuti sint: nimirum de temerarijs illis, quæ priuata authoritate fiebant. De illis enim Christum à pharisæis interrogatum fuisse Matthæus scribit. Paulus autem non tam de diuortijs agit, quàm illis, qui ob leuiorem aliquam offensam coniuges relinquebant, & ideo eos reconciliari vult, quod in diuortijs veris atque legitimis locum non habet. Deinde in Christi verbis subdolè id dissimulant, quòd stuprum siue adulterium excipit, cuius causa diuortium facere licet. Neque etiam videre volunt, quòd Paulus mox permittit, vt ab infideli viro vxor discedat, si ille durior sit & iniquior in religionem Christianam. Cùm ergo duas causas diuortij scriptura sacra tradat, nimiùm iniqui sunt illi, qui ex hoc loco regulam aut legem vniuersalem statuunt, qua diuortia simul omnia prohibentur. Clamant illi, Quod Deus coniunxerit, homo ne separet. At nos diuina authoritate eos separari dicimus, qui propter stuprum diuortium faciunt, aut à coniugibus discedunt, ne fidem Christo datam violent. Neque coniugij vinculum abrumpit, qui adulteræ repudium nuntiat, sed ne vinculo quod hæc prior dissoluit, amplius teneatur, curat. Quod rectè & iustè fieri communis sensus docet. Quo enim iure tenebitur fidem seruare ei, quæ cum fide pudicitiam quoque prostituit? Aut quæ leges iure cogere possunt virum bonum & honestum, vt vxoris adulteræ lenonem agat, & eius stupra ferat aut dissimulet? At disputatione multa hîc non esset opus, si officium facerent magistratus, & quod Deus iussit, adulteria capitali supplicio punirent. Cùm verò illi cessent, non debet tamen eorum ignauia fraudi esse bonis, vt adulteras perpetuò ferre cogantur. Quoad religionis causam, res est expeditissima, cum Christum dixisse sciamus, parentes simul & coniuges deserendos esse, vt ipsius discipuli germani simus. Sed elucet in his diaboli astutia, qui dum falso prætextu coniugij dignitatem & indissolubilem necessitatem tuetur, hoc vnum agit, vt adulteris patrocinium deferat.

Contra diuortium Papisticū

Alter error eorum est, qui nouum diuortij genus excogitarunt, vt nimirum manente vinculo coniugij à thori & mensæ (vt loquuntur) societate excludantur, qui repudiari meruerunt. Vrgent hi Pauli verba: Si mulier discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliator. Sed perperam ad diuortia trahunt id, quod de temerarijs discessionibus & priuatis dissidijs dictum esse constat. Christi item authoritatem prætexunt, qui adulterum dicat fieri eum, qui repudiatam duxerit. At hunc quoque de repudijs locutum esse iam ante demonstrauimus, quæ nulla iusta de causa fiebant. Addunt his, matrimonium à Paulo Sacramentum dici, & proinde Eph. 5.

eius vinculum sacrosanctum & inuiolabile esse. At iniuriam faciunt Apostolo, qui mysterium quidem magnum subesse ait, eò quòd Christi & ecclesiæ coniunctionem adumbrat, eo autem sensu nuspiam sacramentum dicit, quo Baptismus & Cœna Dominica Sacramenta dicuntur. Quòd si verò pertinacius vrgeant propter typi illius excellentiam coniugium nunquam ita dissolui debere, vt vel vir vxorem aliam ducat, aut mulier alteri nubat, nos eadem ratione agricolam, vinitorem, pastorem denique prohiberi dicemus, ne ad aliud vitæ genus transeant, cùm in ipsis quoque Christi typus sit. At quàm ridicula hæc sint, nemo non videt. Accedit his, quòd suo figmento rem eò isti homines adduxerunt, vt insontes quidem mulctentur, dum vxores alias ducere non licet, his autem maior concedatur scortandi licentia, qui diuortiorum causa fuerunt. Fit denique, vt vir bonus & honestus aut vxorem adulteram cum fama sua & rerum omnium dispendio retinere cogatur, aut semetipsum scortatione polluere, si continentiæ dono destituatur. Eadem vxoris etiam piæ & pudicæ ratio est, si vir illi adulter & impurus obtigerit. Itaque dum isti coniugia tueri volunt, iniusti simul & crudeles fiunt, atque inconsiderata sua tyrannide Christiani nominis dignitatem turpiter prostituunt. Nemo igitur Pauli verba in sensum alienum detorqueat, malis autem & incommodis, quæ hîc plurima occurrunt, remedium adhibere curent ij, quorum fidei ecclesiæ & respub. credita sunt. Id verò facilè fiet, si de matrimonijs legitimè contrahendis atque colendis bonas leges ferant, easdem tueantur, scortandi atque mæchandi licentiam iusta seueritate coërceant. Qui verò iam matrimonio coniuncti sunt, meminerint huius præsidem & vindicem esse Deum, & proinde sui officij esse, vt & fidem sibi mutuo datam sanctè colant, & totos sese IESV CHRISTO *consecrent, qui nos sibi sponsam fecit carentem ruga & macula. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA XXXV.

Reliquis autem ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorē habet infidelem, quæ consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito. Et vxor, quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito. Maritus enim infidelis sanctificatus est in vxore, & vxor infidelis sanctificata est in viro: alioqui certe liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt. At si incredulus discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi rebus: in pace autē vocauit nos Deus. Ecquid
5 enim nosti mulier, an virum sis seruatura? aut ecquid nosti vir, an vxorem sis seruaturus? Sed vt vnicuique partitus est Deus, vt vnumquenque vocauit Dominus, ita incedat. Et ita in ecclesijs omnibus constituo.

VT homo pro corrupto suæ carnis ingenio & innata vitiositate optima quæque Dei instituta sibijpsi per abusum impura & noxia facit: ita hoc ipsum in matrimonio potissimum fieri consueuit. Nam vt aliàs monuimus, instituit illud Deus, vt & libidinis illicitæ remedium sit, & vt singuli huius vitæ molestias facilius ferant. At multorum vitio fit, vt & libidini seruiat, & vitam ipsis molestiorem, adeoq; acerbam reddat: cum in illo contrahendo, non in Dei voluntatem respiciant, sed cæcæ carnis affectus sequantur. Non possunt enim tales sui officij meminisse, & ideo nouis quotidie laboribus sese implicant, & tandem illos coniugij quoque piget tædetq;. Omnibus ergo sæculis plurimum peccatum fuit repudiorum licentia, quæ inter Iudæos & gentes semper maxima fuit, & hodie multos sibijpsis plus satis indulgere videmus. Rectè ergo Paulus cùm de coniugum officijs disseruisset, nuper grauiter monuit, ne qui temere à coniugibus suis separentur, aut illas violenter eijciant: cùm matrimonij vinculum sacrosanctum sit, neque alicuius authoritate priuata dissolui vel abrumpi debeat.

Cæterùm

Cæterùm incidebat in hanc tractationem noua quæstio de ijs, qui impari matrimonio iuncti sunt. Fiebat enim Corinthi & passim inter gentes, vt ad Euangelij prædicationem, aliquando maritus Christi cognitione & fide illustraretur, vxor autem in superstitionibus & idololatria perseueraret: & è contra vxore ad fidem Christianam transeunte, maritus gentilismum mordicus retineret. In eiusmodi autem coniugijs non eadem erat fidelium conditio. Aliqui enim ex infidelibus ingenio mitiori præditi, consortes fideles patienter ferebant, vt nullam propter religionis diuersitatem ipsis molestiam facerent. Alij verò cùm & Christianæ doctrinæ odio flagrarent, & natura vehementiores essent, coniuges ad Christum conuersas durius tractabant, & diuortium siue discessionem minabantur, nisi ad superstitiones atque idololatriam redirent. In ea igitur contentione duplex periculum occurrebat. Nonnulli enim religionis zelo, aut saltem eius prætextu abutebantur, vt à coniugibus temere discederent, etiamsi per illos liceret fidei professionem illibatam seruare. Id verò absque magno & multiplici scandalo fieri non poterat, cùm eiusmodi diuortijs familiæ turbarentur, liberorum legitima educatio impediretur, & noua coniugia vtrinque inita simultates quoque & dissidia noua parerent. Alij rursus, qui in Religione minus feruidi erant, ij vel coniugum infidelium importunitate & improbis minis, aut liberorum cõmunium amore, aut facultatum amissione & inopiæ metu, aut qualibuscunque alijs causis superati fidem abnegabant, & ad superstitiones reuertebantur. Istis ergo malis in præsenti Paulus remedium adhibet, & docet magna hîc cautione opus esse, ne qui vel religionis prætextu ad temeraria diuortia, vel coniugij necessitudine ad fidei abnegationem abutantur. Estq; locus hic diligenti consideratione dignissimus, quòd multa contineat, quæ ad rem ecclesiasticam simul & domesticam pertinent. De imparibus coniugijs fidelium & infidelium.

Quia autem multos esse sciebat, qui omnia eius insidiosè obseruabant, vt calumniandi occasionem haberent, præfatiuncula vtitur, qua quod illi cauillari poterant spontè fatetur, dicens: Reliquis autem ego dico, non Dominus. Reliquos dicit, vt inter Christianos discrimen esse ostendat, cum alij consortes quoq; thori fideles haberent, alij verò imparibus coniugijs obstricti essent. Et quia de illis nuper dixerat, nunc ad alios transit, quibus peculiari institutione opus erat, eò quòd ipsorum coniuges propter religionis diuersitatem legibus Christianis nollent subijci. Se autem, non Dominum, loqui testatur. Vbi nemo putauerit, Paulum hîc aliquid finxisse, aut tantum sibijpsi permisisse, vt aliquid ecclesiæ traderet à Christi doctrina alienum. Sciebat enim illum discipulis mandauisse: Docete seruare, quæ ego vobis tradidi. Et ipsius quoque animo hærebat Apostolicum illud: Si quis loquitur, loquatur vt eloquia Dei. Ideoq; in epistola ad Romanos dicebat: Nõ ausim loqui quicquã, quod non effecerit Christus per me. Sed vt diximus, quia nõ deerant calumniatores, ne his occasionem daret aliquam, sub Concessionis specie sic loquitur. Quasi diceret: Agedum, fateor quæ iam dicturus sum, nusquam à Christo disertis verbis expressa esse, sed me ista sic pronuntiare. Verumtamẽ nequaquã contemni debent: quia si diligentius examinẽtur, cũ ijs omnino ea conuenire patebit, quæ alibi Dominus de coniugio et coniugũ officijs tradidit, et proinde à spiritu Christi minime aliena sunt. Et huic sensui fauet, quod sub finem Capitis totam istam tractationem cum protestatione ista concludit: Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam. Præfatiuncula doctrinam mitigat. Matth. 28. 1. Pet. 4. Rom. 15.

Est autem multa laude dignissima Pauli modestia & ingenuitas, qui etsi sciret, hanc ipsius Christi mentem esse, non pudet tamen illum tam disertè inter ea distinguere, quæ à Christo ipso tradita sunt, & quæ ipse ex illis colligebat. Ita enim & cauere voluit, ne in ecclesia tyrannidẽ sibi vindicaret, & simul omnes excitare ad diligentiorẽ eorũ, quæ dicebantur, considerationem. Quam modestiã veteres quoq; & Apostolorũ temporibus proximi Ecclesiæ doctores secuti sunt. Ex quorũ numero D. Augustinus fuit, quẽ nõ puduit retractationes scribere eorũ, quæ cũ scripturarũ veritate minus conuenire videbat, ab ipso autem incõsideratius scripta fuerãt. Et idẽ solis scripturis eum honorem deberi affirmat, vt pro indubitatis habeantur, quæ illæ tradunt, aliorum verò omnium scripta cum iudicio legenda esse docet. Eius verba sunt ad D. Hieronymũ: Ego fateor charitati tuæ, solis ijs scripturarũ libris, qui iã Canonici appellantur, didici hunc timorẽ honorẽq; deferre, vt nullũ eorũ authorẽ scribendo aliquid errasse firmissimè credã. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrariũ veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicẽ, vel inter- Pauli modestia. Epist. 19.

pretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero nõ abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te mi frater sentire aliquid aliter existimo: prorsus (inquã) non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquã prophetarũ vel apostolorũ, de quorũ scriptis, quòd omni errore careãt, dubitare nefariũ est, &c. Hæc omnia August. ex cuius libris, vt & aliorum patrum, multa huius generis adduci poterant. At hodie Pontifices, quæ ipsi fingunt, pro diuinis oraculis obtrudere non verentur, vt illis contradicere scelus capitale sit, etiamsi nulla Verbi Dei authoritate probentur. Et vtinam inter eos quoque, qui puriorem Euangelij doctrinam profitentur, non plures essent, qui in suorum præceptorum verba ita iurarunt, vt tantumnon Pythagoricum illud semper in ore habeant: αὐτὸς ἔφα. At neminem istorum arrogantia moueat, quin discant singuli inter hominũ traditiones et scripturæ sacræ oracula distinguere, et his quidẽ absq; vlla hæsitatione credant, illas verò diligenter ad Verbi Dei canonem examinent. Nunc in Pauli loco pergamus.

Fidelis à coniuge infideli non discedat, &c.

Primò de illis loquitur, quibus vxor aut maritus infidelis, idest, à religione Christiana omnino alienus obtigit, qui tamen ea animi moderatione vtantur, vt propter religionis diuersitatem matrimonium diuelli nolint, neque etiam coniugem ad fidei abnegationem cogere instituant. De illis sic dicit: Si quis frater vxorem habet infidelem, quæ consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito. Et vxor, quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eũ dimittito. Verba hæc per se clara sunt, & sensus est, ne vel maritus Christianus cum vxore ethnica diuortium faciat, si hæc cum eo pacificè viuere & fidem coniugalem ratam manere velit: vel vxor Christiana à marito ethnico discedat, si hic eam ferre possit, & cum ea viuere cupiat.

Paulus de matrimonijs iam contractis, non contrahendis loquitur.

At hîc probè obseruari debet, Paulũ non de coniugijs contrahendis loqui, sed de illis, quæ iam pridem contracta fuerant, priusquam vel maritus vel vxor ad Christi fidem peruenissent. Falsò igitur hinc aliqui colligunt: Apostolus prohibuit, ne fidelis vxorem infidelem eijciat, neue vxor fidelis à marito infideli discedat: Ergo licet cum infidelibus matrimonio iungi. Nec enim semper licet facere, quod si factum iam sit tolerari potest. Et quoad coniugia iam primum contrahenda, lege diserta cauit Deus, ne qui ex ipsius populo aut ecclesia censentur, cum infidelibus iungantur. Nam Deuter. septimo Cap. sic loquitur Moses: Ne iungas cum eis affinitatem, filiam tuam indes filio illorum, neque filiam illorum despondeas filio tuo. Et causam præcepti huius grauem subijcit: Quoniam auocabit filium tuum à me, seruientq; Dijs alijs, & commouebitur furor Domini contra vos, vt citò te deleat. Quod autem Moses monuit, hoc ipsum Deus antea iisdem ferè verbis in libro Exodi Cap. 34. præceperat. Tanta verò fuit huius legis authoritas apud pios, vt Ezras publica pœnitentia opus esse putaret, cùm qui ex Babylone reuersi fuerant, vxores ethnicas ducendo sanctitatem Iudaici populi (vt Malachias ait) prophanauissent, & coniugia illa mox rescindi iuberet, etiamsi multi iam liberos ex illis suscepissent. Nec enim sine scelere ratum esse poterat, quod contra Dei leges illi fecerant. Et constat omnibus seculis infelicissimè cessisse eiusmodi matrimonia. Ex illis olim Nephilim illi nati sunt, quorum exemplis totus orbis terrarum corruptus, diluuij aquis deleri meruit. Vxorum item alienigenarum blanditijs seductus Solomo idololatriam inuexit, quæ toti Iudæorum genti exitium attulit. Et quid hodie multis accidat, non opus est commemorare. Noluit ergo de legis diuinæ rigore Paulus aliquid remittere, qui in posteriori epistola grauiter pronuntiat: Ne impari iugo copulemini cum infidelibus. Quod enim cõsortiũ iustitiæ cũ iniustitia? et quæ cõmunio luci cũ tenebris? et quæ cõcordia Christo cũ Belial? quæ pars fideli cum infideli? Et Epiphanius contra hæreticos, qui Apostolici dicebantur, scribens, ab Apostolis constitutum fuisse testatur, ne Christiani suas filias Iudæis aut gentibus nondum conuersis elocarent. Quòd si quæras, cur ergo non Ezræ exemplum Paulus secutus est, vt coniugia ista omnino dirimeret, cùm periculum idem quod olim hîc quoque posset timeri? Respondeo, non eandem fuisse Corinthiorum conditionem, quæ Iudæorum fuit. Hi enim in Dei leges peccauerant apertè vxores ethnicas ducendo, & cùm rempub. haberent propriam, errorem admissum poterant emendare. Corinthij verò in contrahendis coniugijs nihil peccarant, neque tunc ali-

Esd. 9. & 10. Malach. 2.

Gen. 6.

2. Cor. 6.

qua

qua fuerat religionis diuersitas, sed hæc postea demū per Euangelij prædicationē inducta fuit. Deinde cùm rempub. nō haberent in sua potestate, & diuortia cū vxoribus ethnicis fieri non poterant, quin ignominia ad earū quoq; cognatos et parentes redundaret, res ista scandali simul et periculi plena fuisset. Adde quòd spes erat eos etiā conuerti posse, qui adhuc in superstitionū tenebris hærebant.

Porrò quod de coniugijs dicitur, hoc ipsum de fœderibus quoq; intelligi debet, quando hæc cum illis Deus in lege quam modò recitauimus, coniungit. Videndum hîc, ne cum prophanis & à fide alienis fœdera ineamus, multò minus autem cum apertis fidei & veri Dei aut verbi eius hostibus. Vt enim horum commercia valde insidiosa sunt: ita fœdera eiusmodi cum fide et religione pugnant, cùm nunquā fiat, quin fiducia, quæ in vno Deo nobis reposita esse debebat, in homines impios & prophanos collocetur. Quæ causa est, quod in scripturis passim damnantur, quæ exemplis quoq; docent, illorum exitum ferè infelicē esse. Iosaphato certè periculosa fuit Achabi idololatræ affinitas atq; fœdus. Ezechiā quoq; cum sua Ægyptij fœderis fiducia decipit, vt bellū sibi accerseret, quo de summa rerū grauissimè periclitatus est. Et si rem penitius excutiamus, Zedechias fœdere cū Idumæis, Moabitis, Ammonitis, Tyrijs & Sidonijs inito confidentior factus bello initiū dedit, quo Nabuchodonozor vrbem cum templo euertit, & infelices populi reliquias in Babylonem abduxit. Possunt his accenseri Græcorum Imperatores, quibus Turcarū fœdera & ab his sperata auxilia exitium attulerunt. Quorum exemplis vtinam saperent hodie, qui in re tam grauis momenti nimium leues & incircumspecti sunt. Verumtamen, sicui genti, priusquam Christi cognitione illuminata fuit, fœdus cum aliquibus adhuc à fide alienis propter viciniam aut commune periculum intercessit conditionibus minimè impijs & ad patriæ communis defensionem pertinentibus, illud quoq; non temere rescindi, neq; illis data fides violari debet, siquidē salua religione præstari possit. Obseruent hoc ipsum priuatim serui, qui in herorum potestate sunt, qui fidem in Christum non agnoscunt: ne religionis prætextu abutantur, & dum libertatem præcipiti desiderio affectant, fidem Christianam multis suspectam faciant. Sed de his & alijs horum similibus plura suo loco dicentur.

Fœderū eadē, quæ coniugiorum ratio.

2. Par. 19.

Ierem. 27.

Redeamus nunc ad Paulum, cuius consilio nonnulli ad diuortia facienda propensiores contagionis periculum obijciebant, et ex eo, quod nuper de scortatione dixerat, per comparationē ad hunc modum argumentabantur: Qui scorto adhæret, vnum cum illo corpus fit, ideoq; eius consuetudine aut coniunctione polluitur. Ergo qui vxori idololatræ adhæret, etiā cum illa in vnum corpus aut vnam carnem coalescit: quod fieri non potest, quin ipse quoq; idololatria eius inquinetur. Sed negat hanc consequentiam Paulus, imò hîc planè diuersum fieri docet. Nam maritus (inquit) infidelis sanctificatus est in vxore, & vxor infidelis sanctificata est in viro, id est, coniugis fidelis fides atq; pietas efficatior est, vt coniugium hoc, quod per se legitimè coaluit, pro sancto & puro habeatur, quàm vt alterius incredulitate aut idololatria inquinari & prophanum reddi possit. Ratio huius sententiæ alibi redditur. Quia puris omnia sunt pura, id est, ijs qui per fidem in Christum purificati sunt, ijs concessa & pura sunt, quæcunq; Deus instituit. Omnia enim (vt cap. 3. dixit) ipsorū sunt, siue mūdus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: et ideo omnibus vt proprijs vtuntur, cū gratiarū actione, neq; eorū vsu pollui possunt. E cōtra verò impijs impura sunt omnia, cùm eorū mens & conscientia polluta sit, neq; in Dei institutionem respiciant, simulq; omnibus pro carnalium affectuū libidine abutantur. Ita verò soluit Apostolus argumentum, quod illi ex coniugij et scortationis collatione adducebant, & eos turpiter errare ostendit, cùm nō eadem sit vtriusq; ratio. Primò enim coniugium à Deo institutum & legibus diuinis concessum est omnibus, qui illo vti volunt: scortatio autem semper probibita & horrendis exemplis punita est. Deinde in scortatione vterq; peccat, & tam corpore quàm animo polluitur: in coniugijs autem imparibus nulla quoad commixtionem coniugalem culpa erat, fidelis autem neq; idololatria alterius polluebatur, cùm ei minimè communicaret. Tertiò in coniugio spes erat infidelem quoq; alterius mansuetudine & industria aliquando conuerti & seruari posse: in scortatione autem impura & desperata sunt omnia. Quartò quò minus dissolui deberent illa coniugia consensus & facilitas partis infidelis monebat, neq; pium fuisset dissidium non necessarium quærere, cùm salua pietate vinculum illud posset ratum manere: at in scortatione omnis ratio quæri debet, vt illicita illa stupri consuetudo dirimatur, quæ eò nocentior est, quo pertinacior inter illos consensus fuerit. Quibus adde, quòd in coniugio communicatio fit, non quoad superstitiones & idololatriam vel alia peccata, sed quoad corpora, fortunas &

Cōtagionis periculo medetur.

Tit. 1.

debita coniugij officia. Ideo coniugium etiam impar fideli sanctum, & eidem coniunx quoq; infidelis sanctificata est, vt eius consuetudine & congressu nequaquam poßit pollui.

Liberi ex impari coniugio nati, sunt sancti.

Caterùm aliud argumentum adducit Paulus, quo nullum inter coniuges eiusmodi contagionis periculum esse docet. Alioqui certè (inquit) liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt. Sensus est: Si per coniugij consuetudinem fidelis quoq; coniunx idololatriæ & impietatis particeps atq; reus fieret, iã liberi quoq; vestri impuri & prophani essent, vtpote ex parente vtroq; prophano atq; alieno à Christi fide progeniti. At liberi vestri puri & sancti sunt: Ergo fidelis per infidelis cõiugiũ nõn polluitur. Vbi obseruabimus, liberos eiusmodi mũdos dici, nõ quòd originis peccato careãt, in quo omnes homines formari, concipi & nasci scriptum testatur, sed ad Dei fœdus & eius promissionẽ respicit: Ero Deus tuus & seminis tui. Rata est aũt promißio ista apud omnes credentes, etiã apud eos, quibus absq; sua culpa coniunx infidelis obtigit. Nam nihil est, quod Dei promissa abolere aut eius fidem irritam facere poßit. Attollite (inquit per Prophetam) oculos vestros in cœlum & terram subtus inspicite: quoniam cœli vt fumus deficient, & terra vt vestis vetustate peribit, & qui in ea habitant ad eundem modum peribunt: salus autem mea in æternum durabit, & iustitia mea non interibit. Et qui legem dedit, ne filij parentum culpam luant, cur ipse propter matris incredulitatem infantes damnaret, quorum alter parens fidelis & per fidem in Christum sanctificatus est? Atqui iure ciuili liberi censentur, qui ex altero parente libero nascuntur: & nos Deum in filijs suorum cultorum rigidiorem & crudeliorem fingeremus?

Isa. 51.

Deut. 24.

Anabaptistæ peccant, dum ab ecclesijs secedunt.

Possunt autem huius loci authoritate duo insignes Anabaptistarũ errores confutari: alter, quòd ab ecclesijs omnibus secceßionem faciunt, ne aliorum peccatis polluantur: alter, quo infantes baptizari debere negant. Vt priorem tueantur, multa de ecclesiæ perfectione & sanctitate garriunt, quæ neq; rugã neq; maculã habere debeat, & vicißim in obseruandis nostrorũ vitijs plus quàm Lyncei sunt, & illa mirificè amplificant, vt iustas à nobis discedendi causas se habere probent. Errant aũt, quòd ecclesiam talem in terris haberi posse arbitrantur, qualis olim erit, quando in cœlos translata ab omni corruptione liberabitur. Quanta enim optimorum quoq; vitiositas sit, quoad in hac carne viuunt, Paulus proprio exemplo ad Romanos docet, & non vno loco sanctißimi quiq; fatentur. Sufficiat nunc nobis, quòd propter Christum, cui per fidem insiti sumus, pro iustis & inculpatis habeamur. Quoad autẽ cœtus ecclesiasticos, in ijs non scelerũ, sed fidei & religionis communicatio fit, cuius profeßio & doctrina si pura & syncera fuerit, nullum nobis ex aliorum hypocrisi aut manifesta improbitate peeiculum est metuendum, cùm illis nullo modo consentiamus. Et quod isti de communione membrorum ecclesiæ disserunt, quoad hanc causam prorsus friuolum est, neq; aliquem mouere debet. Etenim nulla arctior inter homines coniunctio est, quàm quæ inter virum & mulierem per matrimonij vinculum habetur. Est enim hæc os ex oßibus viri & caro ex carne eius, & qui duo erant nunc vna caro facti sunt: deniq; vir capitis loco est, cui mulier ceu corpus subijci atq; obedire debet. Adde, quòd qui ex his nascuntur liberi, vtriusq; caro sunt & æquo iure ad vtrumq; pertinent. Verumtamen non polluitur maritus fidelis per vxoris à fide alienæ consuetudinem, neq; etiam liberi ex matris incredulitate culpam eam contrahunt, vt prophani censeri debeant. Quæ ergo stultitia est, pollutionem ex illis metuere, qui qualescunq; sunt, tamen fidem profitentur in Christum, & nisi id verè & ex animo faciant, externis quidem ecclesiæ ritibus communicant, eiusdem tamen membra non sunt, & proinde nihil ad nos pertinent? Deinde non polluitur alterius superstitione fidelis coniunx, quia coniugij lege tenetur, vt fidem datam non violet, imò fideli marito vxor infidelis est sanctificata per coniugij institutionem. Cur ergo non idem de ecclesiasticis cœtibus sentimus, quando hos quoq; à Deo institutos & mandatos esse constat, vt nimirum hos quoq; sanctificatos esse putemus ijs, qui animo verè pio & religioso accedunt, Dei verbum in illis dignè audiunt, & Sacramentis rite vtuntur, etiamsi multi alij sese temere immisceant, qui secus agunt? Hæc si probè expendamus, patebit, intolerabilem esse istorum hominum arrogantiam, qui vt omnes homines ceu Rhadamanti & Minoes quidam temere damnant: ita Dei gratiam & misericordiam magna ex parte euacuant, & (quod peculiare est diaboli stratagema) sub pietatis & sanctimoniæ prætextu ecclesiam discerpunt, quo nullum scelus atrocius est & detestabilius. Alter quoq; error ex hoc loco facilè arguitur. Est enim ecclesia (vt in Symbolo fatemur) communio Sanctorum. Quo ore ergo illi ad ecclesiã pertinere negant infantes Christianorum

quando

quando Paulus eos sanctos dicere dignatur, qui ex alterutro tantùm parente Christiano nati sunt? Est ergo inexcusabilis istorum audacia, qui dum ablutionis peccatorum & sanctimoniæ, quam nobis Christus acquisiuit, symbolum illis negant, eadem opera eosdem ab ecclesiæ societate reijciunt, & simul illam magna suorum membrorum parte mutilant. Sed plura de his alibi.

Infantes ad ecclesiam pertinent.

Nunc loci huius contextũ secuti ad eos transeamus, quibus coniunx morosior & intractabilior obtigit, quàm vt coniugem fidelẽ ferre et ei cohabitare velit. Docet hîc paucis Apostolus, quid in eo casu fieri debeat, sic dicens: At si incredulus discedit, discedat. Quorũ sensus est: Si vel maritus vel vxor cum fideli cohabitare nolit, & animo iam prorsus alienato diuortiũ omnino velit fieri, ideoq; aut vxor infidelis à marito sponte discedat, aut hic vxorem fidelem crudeliter eijciat, hæc quoque sors patienter ferenda est. Tunc enim infidelis & idololatræ morositas fideli nequaquam fraudi aut vitio verti poterit, & licebit huic diuortium istud salua conscientia subire. Sed hîc quoq; rationes adducit, quibus animos titubantes confirmet. Prima: Quia nõ est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi rebus, id est, nõ amplius tenentur legibus coniugij, quas alter iã violauit absq; omni ipsorum culpa. Altera: In pace autem vocauit nos Deus. Huius enim voluntas est, vt & animorum pace aut tranquillitate in CHRISTO IESV fruamur, & quantum in nobis est pacem cum hominibus quoq; omnibus colamus. Quapropter quoad homines quoscunq; officio nostro erga eos fungamur, & vt omnibus alijs, ita coniugibus imprimis debitam beneuolentiam præstemus: quod si autem minus proficimus, saltem de conscientiæ pace retinenda laboremus, quæ seruari non potest, nisi potior apud nos sit religio & fides, qua Christo obstricti sumus, quàm coniugij aut vllius humani fœderis necessitas. Notum enim est illud Christi: Qui amauerit patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus. Item: Si quis venit ad me, nec odit patrem suum & matrem, vxorem & liberos, et sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quoties ergo rem eò deuenire videmus, vt nobis cum parentibus aut cum coniuge conuenire non possit, nisi Christo relicto fidem in illũ abnegemus, tunc in mentem veniat, impleri iam Christi vaticinium, qui se gladium missurum dixit in terram, quo coniunctissimi quiq; & ipsi etiam domestici abs se inuicem separentur. Consoletur autem nos conscientiæ integritas, quòd ipsi nullam dissidiorum causam præbemus, & quòd retributionem liberalissimam tam in hoc quàm futuro sæculo nobis Deus pollicitus est.

De ijs, quibus cõiunx morosior contigit.

Matth. 10.
Luc. 14.

Debet igitur hæc Pauli doctrina ad omnes homines extendi, ne in alicuius gratiam aliquid faciamus, quod fidei Christianæ legibus repugnet. Nam vt ante diximus, quantum in nobis est, pacem cum omnibus colere debemus. At cùm de religione, fide & doctrina agitur, ista meminerimus non nostri iuris neq; in nostra potestate esse, & proinde indiuulse illis adhæreamus, quæ nobis à Christo tradita esse constat. Si enim olim philosopho dicere licuit, Amicus Socrates, sed magis amica veritas: cur Christianus homo non protestari audeat, abs se quidem diligi omnes homines, sed ea conditione, vt primas semper Christus teneat, à cuius verbis vel latum pilum discedere nefas sit? Itaq; quoad de externis agitur, omnia suffert Christiana charitas, & qui hac præditi sunt, ijs nequaquã graue est, de suo iure interdum cedere: At quàm primùm ad Dei gloriam venitur, tunc zelum suum fides exerit, quæ nihil ferre potest, quod illi aliqua ex parte deroget. At quæ nostri seculi infelicitas est, pleriq; sub charitatis et concordiæ prætextu in religionis causa frigidissimi sunt, & in hominum gratiam nihil non faciunt: ijdem verò cum quouis inimicitias irreconciliabiles suscipiunt, quando de opibus & fortunis, aut nominis ipsorum existimatione agitur.

In nullius hominis gratiã violari debet fides Christo data.

Porrò duabus hisce rationibus nouum argumentum Paulus subijcit, quo priores illos, qui ex consuetudine infidelis coniugis contagionem timebant, magis confirmat. Verba illius sunt hæc: Et quid enim nosti mulier, an virum sis seruatura? aut ecquid nosti vir, an vxorẽ sis seruaturus? Admonet his, spem esse, cõiugis fidelis mansuetudine & industria infidelẽ Christo lucrifieri posse, ideoq; vinculum coniugij non temerè abrumpi debere. Simul autem docentur coniuges, non solùm rei domesticæ & liberorum procreationi aut educationi vacandum esse, sed hoc imprimis curandum, vt Christo viuatur, & si quid vitij in alterutro insit, id alterius prudentia et facilitate sancta emendetur. Iubet hoc ipsum grauiter Petrus Apostolus, sic scribens: Vxores subditæ sint suis viris, vt etiam si qui non obediunt sermoni, per vxorum conuersationem absq; sermone lucrifiant, vbi vide-

Redit ad priores.

1. Pet. 3.

rint cum reuerentia coniunctam castam conuersationẽ vestram. Talis olim Abigael fuit, quæ viri stolidißimum non modò patienter tulit, verumetiam præter omne suum meritum admirabili industria seruauit, seipsam pro illo & fortunis eius manifesto vitæ periculo obijciens. Idem maiori cum fructu Hester fecit, quæ etsi ex gente aliena atq; omnibus inuisa originem suam duceret, & regi superbißimo nupta esset, sancta tamen fiducia atq; humilitate legum Medicarum rigorem superauit, & Regis animum flectendo à tota Iudæorum gente imminẽs exitium auertit. In Francorum autem Annalibus perquam memorabile est Gotthildis exemplum, quæ Clodouæum regem sua pietate & amicis colloquij mouit, vt se Christianum fore voueret, & in maximo prælij cum Alemannis periculo ad Christi opem recurreret. Possent huius generis multa colligi, & hodie etiam videmus vxorum honestate et modestia multorum ferociam domari, vt se ad omnia faciliores præbeant. Debet autẽ ex his doctrina generalis peti, ne de alicuius hominis salute temere desperemus. Nescimus nos, quis nam in Spiritum sanctũ peccet, et sæpe ad frugẽ meliorem conuertuntur, quorũ nequitia desperata esse videbatur. Charitas autẽ de omnibus optimè sperat. Quoad ergo salus hominis in dubio est, nos quoq; spem bonã fouere, et erga quosuis nostro officio fungi debemus. Fecit hoc Paulus in Iudæorum gente, cum quorũ contumacia ad extremũ vsq; spiritum luctatus est, licet manifesta de eorũ excæcatione & repudio vaticinia extare non ignoraret. Quod ipsum si hodie omnes facerent, & minus peccaretur temerarijs iudicijs, & plures nostro exemplo atq; admonitionibus conuerterentur.

Nemo temere mutet genus vitæ.

Cæterùm concludit locũ istum Paulus generali doctrina, in quam ex coniugibus petita occasione digreditur: Vt nimirum nemo temere transeat ad aliud vitæ genus, neq; statũ deserat, ad quem vocatus est. Sic autem loquitur: Vt vnicuiq; partitus est Deus, vt vnũquẽq; vocauit Dominus, ita incedat. Sensus verborum est: Quisq; videat ad quid vocatus sit, & quæ dona à Deo acceperit, deinde autẽ secundùm ista vitam instituat. Et mox addit: Ita in ecclesijs omnibus constituo. Quasi diceret: Nõ debet hoc vobis graue videri. Nam eandem doctrinã vbiq; trado, vt quæ consentanea sit Christi præceptis, qui neq; respub. mutat, neq; coniugiorũ fidem dissoluit, neq; rẽ domesticã turbat. Hæc enim nõ sunt ex eorũ numero, in quibus regnũ Dei aut salus hominis consistit: sed quisq; in suo statu (siquidẽ is per se bonus, & ipso ad eum legitimè vocatus sit) potest saluus fieri. Contentiosus autẽ et æquo morosior fuerit, si quis ei regulæ subijci nolit, quæ Christianis omnibus communis est.

Vocationũ diuersitas ex Deo est.

Docent hæc Apostoli verba, conditionum & statuum huius vitæ diuersitatem, non fortuitam, sed à Deo sic institutam esse. Etsi enim eadem omnium sit natiuitas, Deus tamen nos diuersis vitæ generibus destinat, secundùm quæ dona sua distribuit, vt vocationi nostræ sufficere poßimus. Quod ergo de ecclesiæ ministris alibi dicitur, quòd alios quidem Deus fecerit Apostolos, alios verò Prophetas, alios doctores, alios pastores, etc. hoc ipsum ad rempub. quoq; transferri debet, in qua certis ordinibus omnes distinctos esse Deus voluit, vt alij quidem in summo potestatis gradu constituti sint, alij post hos locum proximũ teneant, alij iudiciorum executores & publici magistratuum ministri, alij quæstores, alij ædiles, alij scribæ, & inter vulgus promiscuũ alij vinitores & agricolæ, alij pastores sint, alij omnis generis opificia exerceant. Quod dũ multi non obseruant, ex eo quòd natales omniũ pares sunt, æqualitatem quoq; inter homines omnes constituere volunt, & non sine seditionis spiritu ad Adamũ vsq; omnium originẽ referendo, quærunt, quis tunc nobilis, aut prætor, aut princeps rexúe fuerit, quando primi parentes terrã suis manibus coluerunt? Quibus olim Maximilianus imperator, eius nominis primus, prudenter & grauiter respondit, se quidẽ quoad natiuitatẽ et hominis naturã à reliquis nihil diferre, à Deo aũt sibi hoc datũ esse, vt supra alios emineat. Et prodest in horũ consideratione crebrò versari. Admonet enim, ne quẽ contemnamus, neúe alicui suũ inuideamus honorẽ. Adhæc fortes & patientes reddit in ferendis laboribus & molestijs, quas cũ nostra vocatione coniunctas esse videmus. Deniq; in officio cõtinet, ne temere deseramus stationẽ nobis à Deo creditã. Interim meminerimus, ista ad eos solùm pertinere, qui vitæ genus sequuntur, quod cũ Dei legibus conuenit, & ad quod diuinitus vocati sunt. Nihil ergo locus iste Monachis & fraterculis patrocinatur, qui ex nidis suis prodire nolunt, ne suã vocationẽ deseruisse videãtur. Sed de his suo loco dicetur. Nũc Pauli exemplũ oẽs ecclesiarũ ministri imitari discãt, ne quid temere ex suo capite confictũ pro Dei verbo obtrudãt, et vt eandẽ doctrinã vbiq; tradãt, ne diuersitas totũ religiõis negotiũ suspectũ reddat. Deinde cõiuges fidẽ sibi mutuo datã cõstanter seruent, & patiẽter ferãt molestias, quibus cõiugiũ cõdire Deo placuit. Singuli deniq; suã stationẽ teneãt, vt dũ in terrenis hisce fideles fuerint,

fuerint, olim ingrediantur in regnum & gaudium Domini sui IESV CHRISTI: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXVI.

Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorũ Dei. Vnusquisq; in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat. Seruus vocatus es? ne sit tibi curæ: sed si potes etiam liber fieri, magis eo vtere. Etenim qui in Domino vocatus est seruus, libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis, ne estote serui hominum. Vnusquisque in quo vocatus fuit, fratres, in hoc maneat apud Deum.

De Circumcisione & præputio.

APostolus Paulus in tota hac epistola de quæstionibus, ob quas in Corinthiorum ecclesia contendebatur, sic differit, vt passim doctrinas & admonitiones generales interserat, quibus omnes admonentur, quid in toto religionis negotio sit faciendũ. Vidimus hoc in ijs, quæ de sectis, de excludendo homine incesto, de litibus forensibus & de scortatione hucusq; dicta sunt. Idem verò in huius etiam cap. tractatione cernitur. De ijs enim scribit, quæ ad matrimonium pertinent, circa quod multi tumultuabantur: & quæstiones multas ex ordine soluit. Nuper autem de illis egit, qui coniugio impari coniuncti sunt, monens, ne quis sub religionis prætextu diuortium quærat non necessariũ. Ibidem verò generalem doctrinã subiecit, vt quisq; sua sorte contentus sit, & quam Deus ipsi credidit stationẽ diligenter teneat, & in ea tuenda bene vtatur donis, quæ à Deo accepit. Id nunc exemplis illustrare pergit: quæ priusquam inspiciamus, nobis duo probè sunt obseruanda.

Primum, quod nuper quoque attigimus, doctrinam hanc in ijs modò locum habere, quæ non aduersantur verbo Dei. Sub vocationis enim nomine genus vitæ ordinarium intelligitur, & cùm vocatio relationem habeat ad Deum, nequaquam illa ad eos extendi debet, qui ex priuato arbitrio aut stulta temeritate sibi vitæ genus deligunt alienum ab eo, cui prius à Deo destinati fuerunt: vel communi errore à parentibus ad ea destinantur, quæ nullis legibus diuinis probari possunt. Frustra ergo huius loci authoritate pugnant Monachi & sacrificuli in Papatu, vt otium & cælibatum suum impurum defendant, cui sese voto temerario & superstitioso obstrinxerunt, aut à suis cùm adhuc pueri essent eò detrusi sunt. Nec enim possunt isti vocationem Dei prætexere, cùm is nihil huius vnquam mandauerit, & pleriq; eorum relictis ijs, ad quæ vocati fuerunt, hoc vitæ genus sequantur, quod neq; politicum neq; ecclesiasticum est, & insuper cum œconomia priuata pugnat, quam singuli inter suos administrare debent. Nimiùm verò impudentes sunt, qui cùm prius vitam vixerunt sceleribus infamem, ab ea sibi non discedendum esse putant, ne vocationem suam deseruisse videantur. Nec enim hoc agit Paulus, vt quæ corpore suo turpem quæstum fecit, aut qui vsurarijs artibus vacarunt, aut in otio ignauo contabuerunt, tales esse pergant: sed de ijs loquitur, quorum vita & conditio diuinitus instituta est. Et cùm alteri illi hucusq; diabolo & mundo vixerint, per Euangelium verò ad pœnitentiam vocentur, huic vocationi quàm ocyssimè obtemperent necesse est.

Quisq; in sua vocatione maneat.

Alterum hîc obseruabis, non prohiberi quamuis mutationem, sed eas modò, quas absq; Dei peculiari aut noua vocatione faciunt homines, quos vel innata animi leuitas, vel lucri spes, aut aliquis alius affectus improbus abripit: qui ferè & suam stationem turpiter deserunt, & publicum scandalum ponunt rerum imperitis. Alia autem est eorum conditio, qui ex vita priuata ad rempub. vel ecclesiæ ministerium vocantur, quod olim Sauli, Dauidi, prophetis plerisq; & Apostolis accidisse scimus, & multis hodie accidit, qui secundùm leges in vnaquaque gente receptas eliguntur, vt magistratum gerant, aut ad docendi munus legitima & secundùm canones apostolicos facta electione transeunt. Nam horum quoq; vocatio diuina est. Ita non temere etiam damnandi sunt omnes, qui ab agricultura ad vrbem, aut ab opificio vno ad alterum oblata occasione me-

Non omnis mutatio debet damnari.

liberi transeunt, vt & commodius viuant & suis melius prospiciant. Vbi tamen maiori cautione opus est, ne quis sibi per cæcæ carnis cupiditatem imponi patiatur. Sed ad Pauli verba, quæ modò recitata sunt, accedamus, qui regulam aut doctrinam generalem prudenter ijs applicat, de quibus tunc multi importunè nimis & non sine publico scandalo tumultuabantur: Circumcisionem nimirum & Præputium, Seruitutem & Libertatem: & sub illis quidem ceremonias & ritus omnes indifferentes, sub his verò omnia vitæ genera comprehendit, quæ inter homines Deus instituit.

De Circumcisione & præputio.

Non temere autem huic tractationi admonitionem de Circumcisione & Præputio interserit. De his enim plurimùm contendebatur, & vtrinq; peccabant multi non leuiter. Erant enim nonnulli ex Iudæis, quos gentis suæ incurabilis pertinacia atque implacabile religionis Christianæ odium adeò offendebat, vt non modò reliquas ceremonias legales immodestius damnarent, quas cum honore potius sepeliri oportuit (vt alibi monuimus) verumetiam Circumcisionem in corpore suo abolere, & præputia sibi facere conarentur, ne quid cum Iudæis commune haberent. Et quod multos sub Antiocho partim impia & scelerata leuitate, partim ex turpi metu in fidei & patriæ legis abnegationem fecisse in Machabæorum libris scribitur, id tunc nonnulli ex inconsiderato religionis Christianæ zelo faciebant. Cuius facti modum & rationem Epiphanius exponit, qui Symmachum librorum veteris testamenti interpretem ex Samaritano proselytum factum, & secunda circumcisione à Iudæis circumcisum fuisse scribit. Inuenti verò huius authorē ex Iudæorū traditione facit Esauū: quod vt ego temere affirmare nolim, ita tale quid in vsu fuisse, ex Pauli verbis manifestè colligitur, vt non opus sit locum istū de toto Iudaismo aut gentilissimo exponere, vt quidam fecerunt. Fuit autē hoc egregium diaboli stratagema, qui fœderis diuini symbolum hac ratione vniuersum abolere voluit: cui non absimile est, quòd hodie multi pseudochristianorum corruptis moribus & peccandi licentia offensi, baptismum & Cœnam Domini tantùm non abolent, dum illum quidem per Anabaptismum euacuant, hanc verò ceu superuacaneam & inutilem prorsus negligunt. Porrò vt ad Pauli tempora redeamus, rursus alij erant, qui in expendenda Iudaicæ gentis dignitate, qua & illam & patres illorum Deus olim ornauerat, diligentiores, eorum sententiam amplectebantur, qui Circumcisionem necessariam esse ijs contendebant, qui ex gentibus ad fidem Christi transirent, de quibus multus in Pauli epistolis sermo est. Nam etsi horum sententiam Apostoli publica Synodi generalis authoritate (vt Lucas in Actis prodidit) damnauissent, multi tamen eam ecclesijs passim obtrudere ausi sunt, & discipulos inuenerunt, qui se circumcidi paterentur. Vtrisq; ergo Paulus admonitionem illam generalem, cuius supra meminimus, instar remedij adhibet, dicens: Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Et huius dicti rationem reddit: Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Nihil ista esse ait, vt ostendat, Deum illis minimè coli, neq; aliquid ad salutem momenti afferre, siue quis circumcisus, siue præputiatus fuerit, ideoq; nimium contentiosos & scrupulosos litigatores esse eos, qui de his tumultuentur, & tam sibijpsis quàm multis alijs, adeoq; toti ecclesiæ negotium faciunt.

1. Mach. 1.

Lib. de mensuris & ponderibus.

Actor. 15.

Quo sensu Circumcisio nihil esse dicatur.

Quærat autem aliquis non immeritò, qua ratione Circumcisionem & Præputium eodem loco ponat, & illam quoq; nihil esse dicat, cùm & fœderis cum Abrahamo facti (ex quo omnis hominum salus dependet) sigillum fuerit, & tanta cum seueritate illam Deus mandarit, vt ex populo suo eum extirpandum esse dicat, qui incircumcisus fuerit? Constat præterea Mosem de vita periclitatum fuisse, quòd filium sibi apud Iethronem in Madianitica terra natum non circumcidisset. Sed temporis circumstantiam obseruare nos oportet. Olim quidē Circumcisionis vsus multus erat, & eam negligere scelus erat capitale, cùm adhuc legis disciplina cum ceremonijs vigeret, quas ad tempus correctionis vsq; durare debuisse, Paulus alibi testatur. At cùm ista scriberet, nihil amplius erat Circumcisio nisi res absq; vllo vsu, eò quòd eam Christus abrogauisset: id quod veli in templo scissio sub eius mortem facta non obscurè docebat. Itaq; sublata iam maceria illa legalium ceremoniarum, qua Iudæi à gentibus prius discernebantur, nunc neq; Circumcisio neq; Præputium quicquam ad regnum Dei & salutem æternam conferebant.

Obseruatio mādatorū Dei necessaria est.

Porrò singularem considerationem meretur, quòd omnes homines Paulus ad obseruationem mandatorum Dei remittit, & hanc necessariam esse docet, quæ semper & vbiq; seruetur ab omnibus, qui

bus, qui

bus, qui seruari volunt. Conuenit hoc cum illo Salomonis: Finis vniuersi negotij est, Deum timeto & præcepta illius seruato, nam in hoc consistit omnium hominum perfectio. At hîc probè tenendum est, quænam illa Dei præcepta sint, & in quónam eorum obseruatio consistat. Sunt enim qui ex hoc loco operum nostrorum iustitiam, vel meritum asserunt, & fidei iustificationem oppugnant. Sed dum hoc faciunt, duplicem errorem produnt. Primò enim non obseruant Pauli institutum, qui in præsenti nequaquam docere vult, quomodo aut per quid homines iustificentur (id enim facit, vbi Christum pro nobis peccatum & nostram iustitiam factum esse scribit, quem nos per fidem apprehendere oporteat) sed quid eos facere conueniat, qui iã iustificati & salutis hæredes facti sunt. Itaq; isti verba Pauli in sensum alienum detorquent, & à causa non causa paralogizant, dum ex effectu causam efficientẽ fingunt. Alter error est, quòd nesciunt, aut saltem scire nolunt, in quónam præceptorũ Dei obseruatio consistat. Quod vnum si rectè obseruetur, iustificationem fidei hoc dicto potius confirmari, quàm euerti patebit. Nam primum inter Dei præcepta est: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, è domo seruitutis: non erunt tibi Dei alieni coram me. At quid hîc aliud præcipitur, quàm fides in vnum Deum, quæ si Christum Mediatorem auferas, nulla esse potest, cùm sine hoc nobis, qui natura peccatores sumus, nulla cum Deo communio intercedat? Ex hoc autem præcepto, ceu fonte, reliqua omnia deriuantur. Quia qui in Deo vno & solo omnem fiduciam repositam habent, ij & hunc colunt ea ratione, qua coli vult, & nomen eius nullo abusu temerario prophanant, & cùm ab eius ore toti pendeant, hominibus quoq; singulis quæ debent officia fideliter præstant, quæ omnia sub charitatis præcepto comprehendi notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Et hæc quidem non ipsi ex nostro cerebro fingimus, sed dilectum illum Domini discipulũ sequimur, qui cùm nos à Deo omnia quæ petimus accipere dixisset, eò quòd eius præcepta custodimus, & quæ coram eo placita sunt facimus, mox subijcit: Et hoc est eius præceptum, vt credamus nomini filij eius IESV CHRISTI, & vt alij alios diligamus, sicuti mandauit nobis. 1. Ioan. 3. At qui hæc præstant, ij ex verbi semine renati sint oportet, quando nihil horum facere possumus, quoad vetus ille homo & caro in nobis viuunt aut dominantur. Itaq; optimus huius loci interpres Paulus ipse est, qui ad Galatas quoq; de Circumcisione & alijs ritibus disserens, inter alia sic scribit: Vobis inanis factus est Christus per vos ipsos, quicunq; per Legem iustificamini: & à gratia excidistis. Nos enim Spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nã in CHRISTO IESV neq; Circumcisio quicquam valet, neq; Præputium, sed fides per charitatem agens. Galat. 5. & 6. Et rursus. Nam in CHRISTO IESV neq; Circumcisio quicquam valet, neq; Præputium; sed noua creatio, id est, hominis totius innouatio, quam Christus regenerationem dicit, & quæ non alio medio, quoad nos, quàm fide perficitur, quæ sola semen illud Verbi apprehendit, ex quo renasci nos oportet. Ex his hominis sanctificatio quoq; dependet, cuius effectus est, vt qui prius mundo & carni viuebãt, nunc toti Deo consecrati sint, huic obediant, & vasa sua cum sanctificatione & honore possideant. Hæc igitur docent, quàm fallantur, qui pro suorum operum meritis pugnant, & ad hæc tuenda huius loci authoritate abutuntur. Constat enim illos homines inter omnia opera primum locum ceremonijs tribuere, quæ ab hominibus superstitiosis vel ex Iudaismo & veteri Lege in nouum Testamentum translatæ, vel priuata temeritate confictæ sunt. At Paulus Circũcisionem quoq;, quæ olim vix quicquam sanctius & obseruatu magis necessarium erat, nunc prorsus abolitam & annihilatam esse testatur. Quæ ergo dementia est, hominum figmentis aliquid tribuere, quæ totius scripturæ authoritate damnantur?

Sed ad alterum huius loci caput transeamus, in quo de seruitute & libertate agit. Repetit autem propositionem: Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est: in ea maneat. Neq; superuacanea debet censeri ista repetitio, eò quòd illo tempore à seruis & heris non parum peccabatur. Vt enim caro vbiq; licentiam quærit, ita in religione hoc imprimis facere consueuit. Quæ causa erat, quòd qui ad fidem Christi conuertebantur serui, simul libertatis spem animo conciperent: & qui sub heris prophanis seruiebant, illis indignum & intolerabile prorsus videbatur, hominem Christianum Iudæi aut idololatræ seruitio premi: quibus verò heri contigerant Christiani, ij quoque in charitatis Christianæ leges peccari arbitrabantur, si frater in fratrẽ imperium exerceret. Hinc fiebat, vt alij quidem seruitutis iugum impatienter ferrent, alij verò ab heris profugerent, & sua perfidia ho-

Eccles. 12. | 1. Ioan. 3. | Galat. 5. & 6. | De seruitute & libertate.

stibus fidei egregiam eius calumniandæ occasionem præberent. E contra multi ex heris sua in seruos imperio licentius abutebantur, & solitam austeritatem in eos quoque exercebant, quos pro fratribus in Christo debebant agnoscere: denique eò plus sibi contra leges Christianas licere putabant, quòd ingenui & liberi nati essent. Itaque hos etiam vtriusque officij admonet his verbis: Seruus vocatus es? ne sit tibi curæ: sed si potes etiam liber fieri, magis vtere. Etenim qui in Domino vocatus est seruus, libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus est, seruus est Christi, &c. De seruis diligentius agit, à quibus plus peccabatur, & partim quidem molestiam admisisse, quæ ex seruitutis iugo sentiebant, partim verò monuit non prohiberi eos Christianis legibus, quò minus oblatum libertatis beneficium amplectantur. Si (inquit) seruus vocatus es, non sit tibi curæ, id est, ne propterea animo discrucieris, quasi minus gratus sis Deo, aut non simul seruire & Christianum agere possis. Veruntamen quod dixi vnumquenque in vocatione ea, in qua vocatus est, debere manere, non ita quisquam accipiat, quasi nefas sit manumitti & liberum fieri. Imò si qua libertatis consequendæ ratio legitima occurrit, ea cum gratiarum actione vtaris moneo: Quia etsi seruitus nõ prohibeat Christianum esse, maior tamen est commoditas libertatis, & in omni pietatis officio expeditiores esse possunt, qui nullius imperio subsunt, per quod ab instituto reuocentur. Scio Chrysostomum, Hieronymum & quosdam ex recentioribus postremum hoc membrum aliter exponere, vt nimirum moneat, seruitutẽ libertati præferri debere, adeò vt potius seruire velint, etiamsi libertatis occasio ipsis offeratur. Sed repugnat illorũ sententiæ orationis contextus & Græci vocabuli proprietas. Nec prudenter & piè seruis consuluisset Paulus, si libertatis spem omnẽ illis negasset, aut saltem conscientijs eorum hunc scrupulum iniecisset, quasi minus Christianè faciant, qui se manumitti patiebantur. Etenim ea fuit illorum temporũ conditio, vt beneficium istud nemo respuere deberet, cui religio cordi erat. Nam fieri poterat, vt qui hero Christiano seruiebat, hoc defuncto ad hæredem impium & prophanũ transiret, cuius improbitate vel ad apertã fidei abnegationem cogebatur, vel saltem prohibebatur, quò minus religionis purioris exercitia obiret. Deniq; cum seruitus peccati pœna, libertas autem singulare Dei beneficium sit, non absq; manifesta impietatis & ingratitudinis nota poterat cõtemni aut negligi. Istis ergo rationibus adducor, vt eo sensu Pauli verba accipiam, qui & simplicissimus est, & plerisq; interpretum probatur.

Christianus seruus est libertus Domini.

Cæterùm imprimis dignissima consideratu est bipertita sententia, quam rationis loco Apostolus subijcit, & qua seruos quidem consolatur, herorum autem insolentiam grauiter reprimit: Etenim qui in Domino vocatus est seruus (inquit) libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus est, seruus est Christi. Prima pars ad eos pertinet, qui in Domino vocantur serui, id est, qui dum serui sunt, per Euangelium ad fidem Christi vocantur. Hos etsi quoad conditionem huius seculi serui sint, tamen libertos Christi esse ait: Nimirum quia per hunc à peccato & morte liberati, adhæc manumissi sunt, ne vt prius diabolo seruiant. Altera pars de ingenuis loquitur, qui licet quoad huius vitæ conditionem liberi & nullius hominis arbitrio subiecti sint, tamen Christi serui sunt, & huic omne debẽt obsequium, qui eos sanguinis sui pretio sibi acquisiuit. Finis & scopus omnium hic est, non esse propter hæc tumultuandum, cùm quoad æternæ salutis & regni Dei negotium, vna sit omnium Christianorum conditio, quòd nimirum Christi beneficio ex peccati & diaboli seruitio liberati, illius autem serui facti sint. Docet ergo sententia hæc in vna eademq; hominis Christiani persona seruitutem simul atq; libertatem conuenire. Nam vt modò diximus, libertus Christi est, qui nos ex potestate tenebrarum in libertatem filiorum Dei transtulit: quam verum libertatem esse ipse docet, Iudæis dicens: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. At idem Christianus homo, etiam seruus Christi est, quod Paulus ad Romanos his verbis exprimit: Liberati à peccato, mancipati estis iustitiæ. Et mox huius dicti rationem subijcit, sic scribens: Hominum more loquor propter infirmitatẽ carnis vestræ. Nempe sicut stitistis membra vestra serua impuritati & iniquitati ad patrandã iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serua iustitiæ ad sanctimoniam. Sunt hæc diligenter animo reponenda, quia omnis loci & ordinis hominum institutioni seruiunt.

Christiani omnes tam liberi quàm serui sunt.
Ioan. 8.
Rom. 6.

Nemo seruus aut pauper à regno Dei excluditur, &c.

Primò enim disertè docent, neminem credentium propter seruilem conditionem aut rerum huius seculi inopiam à regno Dei excludi, aut minus idoneum fieri vt Christo seruiat. Nec enim prohiberi potest spiritus ille Dei, quò minus spiret vbicunq; voluerit, & (vt alibi Paulus loquitur) in

tur) in CHRISTO IESV non est seruus aut liber. Notum præterea est illud Solomonis: Prou.17.
Seruus cordatus imperabit filio herili dedecoroso, & inter fratres hæreditatem diuidet. Exempla in historijs passim occurrunt eorum, qui cùm serui essent, tamen & animi libertatem retinuerunt, & in eum honoris atq; dignitatis gradum euecti sunt, vt suo consilio suis heris vtiles, multi etiam illis superiores fuerint. Inter quos meritò primus locus Iosepho debetur, quem si cum Putiphare & eius impudica coniuge conferas, ipsum vtrisq; præstantiorem fuisse patebit. Illa enim abiectissimũ libidinis mancipium fuit, herus autem iræ & vindictæ cupiditati turpiter succubuit, cùm ille & iuueniles cupiditates fortiter vicerit, & inconsideratam heri rabiem incredibili modestia domuerit. Quid quòd idem à Pharaone tandem in summam dignitatem euectus toti regno & simul ecclesiæ Dei quæ tunc erat, salutem attulit? Idem de Daniele & eius socijs dicere possumus, qui orbis victorem Nabuchodonozorem & regni Babylonici euersorem Darium vicerunt sua constantia, & fidei libertatem aduersus omnes hostium machinationes inuiolatam seruarunt. Adde his Mardochæum & infinitos alios, quorum historiæ sacræ & ecclesiasticæ mentionem faciunt. Nemo igitur conditionem huius seculi qualemcunq; impatientius ferat, quando etsi corpus vinciatur, algeat, esuriat, sitiat, seruiat, spiritus tamen libertas eripi non potest, quæ facit, vt de totius mundi & principis eius potentia triumphemus.

Deinde heros quoq; & liberos siue ingenuos officij sui hic locus admonet, ne libertate sua abutantur, sed se Christi seruos esse meminerint. Est enim libertas (vt iurisconsultorum definitione vtar) naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. Et Cicero dicebat: Libertas est potestas viuendi vt velis. Is verò (inquit) viuit vt vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atq; prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit, quòd salutare maximè iudicat. Et rursus: Liber est is æstimandus, qui nulli turpitudini seruit. At omnia ista vno verbo Paulus complectitur, quando seruos Christi esse iubet eos, qui libertate & ingenuitate ciuili gaudent. Hi enim soli viuunt vt volunt, quia voluntatem suam Deo conformem faciunt: & ijdem soli recta sequuntur, quia in Dei præceptis ambulant, quæ illos aberrare non sinunt: gaudent item officio, cùm nihil illis tam gratum, tam iucundum & suaue sit, quàm vt erga Deum simul & homines quosq; omni pietatis officio defungantur: adhæc viuendi ratio illis probè considerata atque prouisa est, quia non cæcis carnis affectibus, sed Dei verbo ducuntur: neque legibus Dei ex metu parent, sed spontaneum Christo obsequium præstant (vt Dauid de illis loquitur) eò quòd in eo salutem suam omnem consistere sciunt. Et hi illi ipsi sunt, quibus ipsa fortuna cedit (vt idem Cicero ait) quando per ferrum & ignes & omnia huius mundi pericula fortissimè eluctantur, vt quam Christo dederunt fidem, illi sanctam & illibatam seruent. Horum ergo meminerint, qui hodie præ alijs libertate & immunitatibus superbiunt. Nisi enim Christi seruitio sese addicant, mundi quidem iudicio liberi censentur, at ijdem seruitutem omnium infelicissimam seruiunt, quam (vt Augustinus scribit) nunquam effugere licet, eò quòd proprijs cupiditatibus mancipati sunt, quæ illis non minus fœdè quàm superbè dominantur, & quas, quòcunq; se vertant, secum circumferunt.

Liberi & nobiles ne abutantur sua libertate.

Psalm.110.

Porrò isti tractationi rursus generalem doctrinam siue admonitionem interserit: Pretio empti estis, ne estote serui hominum. Pertinet hoc ad omnes homines cuiuscunque loci aut ordinis. Non debet autem rigidè & secundùm literam accipi, quasi nulli hominum seruire debeat, qui Christi sanguine redemptus est. Quia si hoc statuamus, iam Paulum sibijpsi contradicentem fingemus, qui paulò ante seruos de sua conditione solicitos esse vetuit, & alibi seruorum officia diligenter tradit, imò Onesimum fugitiuum hero suo Philemoni remisit. Hoc igitur monet in præsenti, ne in hominum gratiam aliquid faciamus, quo redemptionis nostræ per Christum factæ pretium euacuetur: & ita tacitæ obiectioni occurrit eorum, qui sibi quiduis licere arbitrabantur, quod iuberent qui in ipsos ius habebant & imperium. Vult igitur ita hominibus obsequium præstent, vt semper meminerint, se plus Deo debere, qui Filij sui sanguine ipsos sibi acquisierit.

Christiani ne fiant serui hominum.

Peccatur in hoc Apostoli præceptum variè tam in religione quàm in reliqua vita aut actionibus. In illa enim peccant, qui relicto aut quasi abnegato Christi nomine, ab ijs denominari volũt, quos sibi doctores atque magistros delegerunt. Faciebant hoc Corinthij, cùm alius diceret, Ego sum

Vt hic peccetur.

Pauli: alius, Ego sum Petri aut Cephæ: alius, Ego sum Apollo. Nam sic dicendo, se eorum seruos faciebant, quos ipsorum ministerio Deus destinauerat, vt Cap. 3. audiuimus. Imitantur hos, maiori tamen cum Christiani nominis ignominia, qui hodie dicunt: Ego sum Francisci, Ego Dominici, Ego Bernhardi aut Benedicti, &c. Nam hi omnes abnegata libertate, quam nobis Christus acquisiuit, votis sese obstringunt, vt ijs obediant, quibus nihil in eos ex iure diuino est imperij, & simul hominum traditionibus sese subijciunt, quarum maxima pars cum Christi doctrina apertè pugnat. Potest ergo omnibus illis hæc Pauli sententia occini, & sola sufficit ad confutandum rationes omnes, quibus suam superstitionem excusant. In reliqua autem vita turpissimè peccatur ab ijs, qui cum libertatem ex Dei beneficio acceperint, illam tamen spontè produnt, & se aliorum seruituti mancipant. Est peccatum hoc cum summa ingratitudine coniunctum, nimis autem vulgare hodie. Cicero dicebat adeò præclaram esse libertatis recuperationem, vt in ea repetenda ne mors quidem fugienda sit. Et maiores nostri, fortissimi & optimi viri, vitam atque sanguinem profundere non sunt veriti, vt seipsos & posteros in libertatem vindicarent, cuius sensum in brutis quoq; animantibus videbant. Nam bestiæ, quas delectationis causa concludimus, cùm copiosius alantur, quàm si essent liberæ, non facilè tamen patiuntur sese contineri. At quàm multos hodie est videre, qui vt gulæ, libidini, ambitioni & auaritiæ suæ satisfaciant, libertatis nullam habent rationem, sed spontè seipsos & patriã exterorum principum libidini subijciunt, quibus hoc vnum cordi est, vt hominum venalium sanguine in conficiendis bellis suis abutantur, quæ plerunq; nulla, aut saltem leui de causa suscipiunt. Quibus rectè eos adnumeraueris, quos gula & libido fœneratorum seruos facit, dum ab his cum manifesta suarum fortunarum omnium iactura petere coguntur vnde viuant, qui prius sua turpiter profuderunt. Fuit hæc semper maxima rerumpub. pestis, & vt Lucanus olim canebat:

Hinc vsura vorax, auidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis vtile bellum, &c. Sed plura de his alibi.

Vnusquisq; in sua vocatione maneat.

Restat huius loci conclusio, qua rursus status aut propositio primaria repetitur: *Vnusquisq; in quo vocatus fuit, fratres, in hoc maneat apud Deum.* Tam crebræ repetitionis causa est, quòd homines natura ad res nouas ferri sciret Paulus, & paucos esse, qui sua sorte contenti viuere possint. Opus ergo fuit idem præceptum sæpius inculcari. Hîc tamen modum diligentius exprimit, quem in seruanda sua statione tenere debeant: Nimirum, vt in ea maneant apud Deum, id est, vt meminerint se in Dei conspectu versari, cui olim ratio reddenda sit. Quoad ergo seruos, facit ad huius dicti expositionem quod ad Ephes. Cap. sexto sic dicit: Serui auscultate ijs, qui Domini sunt secundùm carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, vt Christo: non ad oculum seruientes, vt qui hominibus placere student, sed vt serui Christi, facientes ex animo quæ vult Deus: cum beneuolentia seruientes Domino, & non hominibus: Vt qui illud sciatis, singulos, quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Deo, siue seruus fuerit, siue liber, &c. Qua clausula disertè monet, hæc debere singulos ad se transferre. Etenim nullum ad coërcendos carnis affectus frænum fortius & efficacius est, quàm si nos in IESV CHRISTI conspectu agere cogitemus, qui olim veniet ad iudicandum, vt singulis præmia factis ipsorum digna retribuat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXVII.

De virginibus autem præceptũ Domini non habeo, sed do quod sentio, vt qui misericordiam acceperim à Deo, vt fidelis sim. Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem, bonum (inquam) hoc esse homini, vt ita sit. Alligatus es vxori? ne quære dissolutionem: solutus es ab vxore? ne quære vxorem. Quòd si etiam duxeris vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit, sed afflictionem in carne habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco.

Hactenus

Hactenus de coniugio & coniugum officijs, de viduis item & diuortijs Paulus diligenter disseruit, & quoad hæc probè monuit, ne qui sub religionis prætextu diuortia nō necessaria faciant. Ea autem occasione in doctrinam generalem digressus est, vt quisq; vocationem suā constanter sequatur, neq; absq; certa Dei voluntate vitæ genus mutet. Poterat autem ista admonitio à quibusdam sic accipi, quasi Virgines etiam in suo statu manere, neq; vnquam matrimonium cōtrahere debeant, maximè si cùm Virgines essent, per Euangelium ad IESV CHRISTI cognitionem atq; fidem vocati sint. Ergo nunc de illis quoq; sermonem instituit, & id quidem circumspectè admodum & cum diligenti cautione, eò quòd hoc vitæ genus imprimis lubricum & periculis multis obnoxium esse sciret. Aut enim seipsos tentationibus grauissimis exponunt, & Satanæ laqueis obijciūt, qui virginitatem suam non prius probè exploratis viribus suis tueri student, & dum ex coniugio pollutionem stultè metuūt, in scortationis baratrum deuoluuntur: Aut si quid proficiunt in hoc suo instituto, inde gloriandi occasionem arripiūt, & se propter Virginitatē Deo magis acceptos esse sibi persuadent. Vtriusq; vitij exempla passim in gentiū quoq; historijs occurrūt. Inter Christianos autē tam clara & manifesta sunt hæc, vt fateri cogamur, nos huic potissimùm persuasioni debere primò libidines nefarias, quibus Christiana religio Turcis & Iudæis iampridem suspecta & infamis facta est: deinde superstitiones quoq; & insolentem propriæ dignitatis fiduciā, qua IESV CHRISTI meritum à multis euacuatur. Et inter nostri seculi miracula non postremum censeri poterat, Virginitatis tam feruentes patronos & præcones esse, qui effreni libidine familias propè omnes fœdissimè polluunt. Admiratur istorum fucatam sanctimoniam rude & imperitum vulgus: at nos Paulum ex spiritus suggestione de toto hoc negotio disserentem audiamus. Virginum conditio lubrica.

Principiò, ne quis ex ijs, quæ postea in Virginitatis commendationem dicturus est, præceptum fingens, sibijpsi aut alijs laqueum inijceret, protestatione vtitur, qua se nihil pro imperio mandare, sed amicè de ijs consulere docet, quæ ipsis salutaria atq; vtilia videantur. De virginibus (inquit) an scilicet Virginitatem suam perpetuò tueri, aut matrimonio iungi debeant, præceptum Domini non habeo, sed do quod sentio, id est, meam de illis sententiam profero, ne quid vos celem. At quando se præceptum Domini habere negat, duo dicit. Primum, quòd Dominus ipse nihil de Virginitate mandauerit. Alterum, quòd neque Apostolis potestatem dederit quicquam de illa constituendi. Vtrumq; verissimè dicitur. In Lege enim de Virginitate adeò nihil præcipitur, vt potius leges coniugij subinde inculcentur, & promissiones de posteritatis multiplicatione passim repetantur. Prophetæ etiam nihil huius vnquā docuerunt. In nouo autē Testamento Christus à discipulis interrogatus, annon satius sit à matrimonio prorsus abstinere? nihil definire, & ne ipsis quidem Apostolis legem præscribere voluit. Meminit quidem Eunuchorum, quorum alij ex vtero matris tales nati, alij ab hominibus castrati sint, quidam verò seipsos castrare soleant propter regnum Dei. At hoc non omnibus datum esse docet, & proinde non obscurè admonet, neminem debere hîc aliquid statuere ex priuato arbitrio. Quòd si verò mandata eius postrema inspiciamus, quibus docendi formam Apostolis præscripsit, summa illorum est, vt quæ ab ipso acceperint, omnes homines seruare doceant. Quod illos tanto studio fecisse scimus, vt Paulus seipsum anathema pronuntiare non vereatur, si quid præterea prædicarit. Noluit autem de Virginitate aliquid mandare Deus, non modò ne nuptias aut coniugium damnare videretur (quod Diuus Augustinus & alij quoque ex veteribus annotauerunt) verùmetiam ne conscientijs infirmioribus laqueum inijceret aliquid mandando, quod ad regnum Dei consequendum non est necessarium. Hoc ipsum ergo Paulus ingenuè fatetur, interim verò suam sententiam de hac re fideliter proponit, ne eos contemnere putetur, qui per ipsum institui cupiebant. De Virginitate Deus nihil præcepit.

Cæterùm non debent hæc verba eo sensu accipi, quasi ex suo capite aliquid proferre voluerit Paulus, quod ecclesijs obtruderet. Ita enim hunc locum Romanæ sedis propugnatores exponunt, vt euincant, Apostolos multa tradidisse, quæ in scripturis nusquam inueniantur: vnde postea colligunt, eorum quoque successoribus licere, vt ex pectoris sui scrinio nouas leges depromant, vt denique ecclesiæ & religionis formam pro suo arbitrio constituant. Et hic ille generalis aut vniuersalis error est, qui seculis aliquot totum orbem excæcauit, & cui soli debemus immensum illud chaos humanarum traditionum, quibus purior veritatis doctrina non tam obscurata, quàm ob- Paulus nihil ex suo arbitrio ecclesijs obtrudit, &c.

ruta atque sepulta fuit. Sed ex hoc ipso loco istorum hominum arrogantia confutari potest. Nam primò nihil hîc pronuntiat Paulus, quod doctrinæ per Christum traditæ repugnet, aut saltem ab ea alienum sit: sed quod hîc de Virginitatis dono in genere pronuntiauit, ipse causæ præsenti applicat, & ex circumstantijs temporum atque personarum, quibus cum agebat, colligit, quod expressæ voluntati Dei maximè consentaneum esse sciebat. Huius summa est, vt sanctè viuamus, & ipsi simus omnino addicti, neque per huius seculi studia siue aduersa nos ab ipso patiamur diuelli. Ad quod cum cœlibem vitam plerisque pro illorum temporum ratione plus seruituram esse videret, non immerito eam digno præconio ornat. Deinde non vniuersalem doctrinam proponit, quam omnes promiscuè sectari debeant: sed ita agit, vt facilè constet, ipsum ijs solis loqui, quibus Deus hoc dedit, vt cœlibes viuere possint. Tertiò, his tamen ipsis liberum facit, vt suæ sententiæ obediant, seu minus, prout cuique commodum esse videtur. Nam mox subijcit: Quòd si etiam duxeris vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. Quæ verba apertè docent, Virginitatis donū non ex eorum numero esse, quibus necessariò vti debent qui ea acceperunt. Nam vt matrimonij causæ finales plures sunt, ita fieri potest, vt qui nulla carnis libidine vruntur, propter alias tamen causas non possint commodè vitam transigere, nisi coniugem & sociam curarum atque laborum sibi accersant. Quòd si cum his Romanenses nostros conferas, à Pauli exemplo longè alios esse videbis. Nam ex suo capite leges condunt à Christi doctrina non modò alienas, verumetiam ei omnino contrarias, quibus optimum & vetustissimum sanctissimumque Dei institutum inter carnis opera numeratur, & pro impuro atq; prophano habetur. Neq; ea audacia contenti, illis absq; vllo delectu quosuis obstringunt, & libertatem coniugij ab ipso Deo concessam quàm plurimis eripiunt. Cogunt deniq; ad suscipiendum & seruandum cœlibatus votum eos, qui aut per ætatem quid illud sit adhuc ignorant, aut iam pridem stupris & libidinibus vagis toti mundo abundè testati sunt, se nihil minus posse quàm castè viuere.

An Pontifices possint virginitatem præcipere ecclesiasticis personis.

Obijciunt autem, nos nullo iure de illis conqueri, cùm eos solùm suis legibus astringant, qui ad ipsorum iurisdictionem pertinent, ecclesiasticas nimirum personas, nihil autem præcipiant aut mandent laicis, quibus per ipsos liceat pro suo arbitrio viuere. Sed est hæc calua planè excusatio, qua seipsos proprio indicio vt sorices produnt. Primò enim demonstrent velim, vnde hæc illis obtigerit iurisdictio, quam sibi in alios ecclesiæ ministros vendicant? Num verò illa Christi authoritate aut Apostolorum exemplo nititur? Neutrum certè poterunt dicere, nisi frontem omnino perfricuerint. Christus enim inter discipulos æqualitatem esse voluit, & ad mutua charitatis officia eos astrinxit, vt pedes quoq; sibi inuicem abluant. Deinde quæ illa audacia est, qua se solos & quos ipsi vnxerunt, ecclesiasticos & spirituales faciunt, reliquos autem laicos, id est, prophanos esse dicunt? Atqui spiritum Christi omnibus dari constat, qui per fidem in illum filij Dei fiunt, neq; Christiani dici merentur, quotquot spiritum illum non habent. Adde, quòd quoad coniugium Deus nullum inter ecclesiæ ministros & reliquum vulgus aut cuiuscunq; loci & ordinis homines discrimen constituit. Nam vt in veteri Testamento summos quoq; Pontifices suas vxores habuisse constat: ita Christus in Apostolorum chorum eos adoptauit, qui & vxorati erant, & postea vxores suas secum duxerunt, vt infra Cap. nono Paulus testabitur. Et cùm matrimonium ad vitandam fornicationem institutum sit, eò magis illo vti conuenit ecclesiarum ministros & doctrinæ antistites, quò turpius & nocentius est quod ex illorum incontinentia nascitur scandalum. Quod non oscitanter Apostolus considerauit, quando episcopum talem vult constitui, qui vnius vxoris maritus sit, & neque gentium more polygamiam, neq; vagas libidines sectetur. Est ergo audacia hæc intolerabilis, qua inepti & prostituti pudoris homines sibijpsis in ecclesiam Christi plus iuris vendicant, quàm Apostolis olim concessum fuerit, qui in hac causa non minus modesti quàm cauti & circumspecti fuerunt.

Castitatis donum eximium.

Nemo tamen hæc nostra sic accipiat, quasi in Virginitatis contumeliam dicta sint. Vt enim meritò eos admiramur, qui alijs cupiditatibus prauis minus obnoxij sunt: ita laude etiam dignissima est castitas, qua prurienti carnis libidini resistere potest, vt tàm animum quàm corpus purum & Deo sacrum seruemus: & quibus hoc contigit, habent de quo gratias Deo agant immortales. Sed quia eadem non est nostrarum virium, neque etiam ex eorum numero est, sine quibus

salus

salus nostra non potest consistere, nemini cum imperio obtrudi debet, aut vt necessaria mandari. Si qui verò propter causas alias, quæ ad huius vitæ commoditatem pertinent, vel propter vndique imminentia persecutionum pericula, alicui suadere voluerint, vt vitam cœlibem degat, ij meminerint, se quoque hac ipsa protestatione vti debere, quòd nullum de hac re Dei mandatum habeant, curent denique, ne laqueum conscientijs infirmorum inijciant, neue libertatem, quam Deus omnis generis hominibus concesßit, nouis traditionibus & cancellis circumscribant. Quod ipsum si in multis quoque alijs, quæ media aut indifferentia sunt, obseruaretur, minus in ecclesia contentionum esset, magis autem floreret pietas & concordia, sine qua ecclesiarum salus non consistit.

Verumtamen vt maior esset sententiæ aut consilij huius authoritas, testatur Paulus se hæc dicere non vt hominem aliquem vulgarem, qui quod in mentem venerit temere effutit, sed vt eum, quem Deus singulari misericordia prosequi dignatus sit, vt fidelis esset in eius ministerio. Et hoc quidem illi licebat dicere, cum eius fides, probitas, labores, pericula & quæcunque hactenus in Apostolatu gesserat, omnibus nota essent. Suo autem exemplo docet omnes homines, quomodo in functione sibi diuinitus commissa versari debeant. Nam quod dicit, non ad solos Verbi administros, sed ad omnes alios quoq; hominum ordines pertinet. Nec enim magna erit cuiusquam in suo munere authoritas, nisi de eius fide omnibus constet. Et vtinam hodie idem cum Paulo dicere possent, qui in repub. versantur, aut qui ab his constituti functiones quascunq; obeunt. Ita enim & legibus authoritas maior accederet, & patientius ferret illorũ imperiũ populus, qui nunc ad res nouas paßim aspirat, quando plerosq; sub reipub. prætextu res priuatas agere videt. Idem de parẽtibus etiã dici potest, quorũ authoritas hanc maximè ob causam concidit, quòd solis opibus intenti, ea minus fideliter exequuntur, quæ ad piam sanctamq; liberorum institutionem pertinent. Cur enim in honore eos esse pateretur Deus, qui ipsius honorem tàm facilè negligunt?

Paulus non vt homo aliquis vulgaris loquitur.

Est autem obseruatione multa dignum, quòd de fide sua sic gloriatur Apostolus, vt hanc non suis viribus aut industriæ suæ, sed misericordiæ Dei tribuat, qui eum, cùm Christi hostis & ecclesiæ crudelisßimus persecutor esset, vocare & animum eius donis ad Apostolicam functionem necessarijs instruere dignatus fuerat. Et de hoc ipse diligentius in priori ad Timotheum scribit: Gratiam ei habeo, qui mihi has vires indidit, nimirum CHRISTO IESV Domino nostro, quòd me fidelem duxerit, dum me in ministerio collocauit, qui prius eram blasphemus & persecutor & iniuriosus: sed mei misertus est, &c. Debet hinc quoque generalis doctrina peti. Nam etiamsi non eadem sit omnium in oppugnanda veritate impietas siue audacia, qua Paulus aliquando insaniuit, omnes tamen natura peccatores sunt, & indigni, quorum ministerio Deus vtatur, adhæc inepti ad omnia, quæ ex illius mandato fieri debent. Nam vt alibi Apostolus monet, ne ad cogitandum quidem idonei sumus ex nobis ipsis. Si quem ergo ad ecclesiæ ministerium, vel ad rempub. vel quamcunq; aliam functionem Deus vocat, & ad eam dignè obeundam vires largitur, hoc nullo nostro merito facit, sed omne illud misericordiæ & bonitatis diuinæ opus est, quæ cum nostro ministerio minimè opus habeat, eo tamen vti dignatur, vtq; eo vti posßit donis quoq; dignis instruit. Est huius misericordiæ consideratio vtilisßima. Nam modestos reddit, ne naturæ dignitatis aut meritorum nostrorum fiducia efferamur: adhæc in officio continet, & stimulis vehementisßimis excitat, ne torpeamus in ijs, quæ per nos Deus vult perfici. At hodie Episcopi atque principes in suis edictis, & quibuscunque alijs literis tam publicis quàm priuatis, Dei gratiam & clementiam ab initio statim prætexunt, quæ ipsos in Episcopatu collocarit, aut principes Regesue esse voluerit: sed vtinam istud ex animo facerent, simulq; meminissent, fore aliquando diem, quando functionis suæ rationem reddere cogentur, cuius nomine nunc ad inanem modò suæ potentiæ & dignitatis ostentationem abutuntur.

Paulus quicquid habuit Dei misericordiæ adscribit. 1.Tim.1.

2.Cor.3.

Admonet præterea nos locus iste, euidens imprimis & præclarum bonitatis Dei argumentum esse, si quibus doctores dat fideles, qui ecclesiæ negotium agunt ex animo, & publicam salutem promotam volunt. Id certè inter præcipua beneficia ille numerat, quoties populo Israëlitico suam ingratitudinem exprobrare & dignas contumaciæ pœnas denuntiare instituit. Huc enim illud pertinet, quòd per Amos dicit: Excitaui de filijs vestris prophetas, & de iuuenibus ve-

Ministri fideles dantur ex beneficio Dei.

Amos.2

Amos. 2. ſtris Nazareos. An hoc non eſt ò filij Iſraël, dicit Dominus? Vos autem feciſtis, vt Nazarei vinum biberent, & prophetis mandauiſtis dicendo: Ne prophetetis. Et huic ſimile eſt, quod apud Micheam de Moſe, Aarone, & Maria dicitur. Sed & ipſe Chriſtus de iſto nos admonet, quando meſſem quidem copioſam, operarios autem paucos eſſe ait, ſimulq; iubet Deum precari, vt is meſſores fidos ad opus ſuum extrudat. Quod ipſum de bonis quoque principibus intelligi debere, vel vnus Iudicum liber docet, in quo ſubinde repetitur, Deum populi ſui miſertũ excitauiſſe Iudicem aliquem, qui illum in libertatem vendicaret. Alibi verò reges in furore ſuo dediſſe dicitur, quando nimirum populi ingratitudinem atque contumaciam punire voluit. Exempla in vtramque partem hodie paſſim extant. Etenim ſumma admiratione digna eſt Dei miſericordia, qui nouiſſimis hiſce temporibus, quibus per omne ſcelus plerique in proprium exitium ruunt, non ſolum fidos Euangelij præcones excitat, verumetiam principes dat, qui ſaniori doctrinæ locum dant, & eccleſiæ nutritios agunt, ſicuti olim per Iſaiam promiſit. Rurſus autem iræ ipſius grauiſſimæ argumentum eſt, quòd multis alijs Verbi ſui prædicationem eripit, & eoſdem tyrannis libidine & ſanguine innoxio gaudentibus dilaniandos permittit. At quæ noſtri ſeculi infelicitas eſt, pauci iſta obſeruant, ideoq; nullis aut gratiæ aut iuſtitiæ Dei exemplis emendantur.

Mich. 6.

Matth. 9.

Virginum ſtatus quo nomine commendetur?

Porrò videamus, quæ illa Pauli ſententia ſit. Exiſtimo (inquit) hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatem, bonum (inquam) hoc eſſe homini vt ita ſit. Rurſus autem bonum dicit, quod aliâs vtile & commodum dicere ſolemus. Et cauſam exprimit, cur Virginitatis ſtatum aut vitam cælibem commodiorem eſſe exiſtimet, Nimirum propter inſtantem neceſsitatem. Quo nomine aliqui putant coniugij curas & moleſtias intelligi, quibus ferè exercentur, qui in illo viuunt. Quorum ſententia mihi minus probari poteſt, quòd labores illi & moleſtiæ nequaquam cauſa propria cenſeri debent, propter quam à coniugio homines Chriſtiani abſtinere debeant: quia ſi hoc demus, non minus ab agricultura, opificijs manuarijs, imò à repub. abſtinendum fuerit, cùm in omnibus iſtis curæ et labores omnis generis inuenanitur. Ita verò vocationẽ noſtrã deſereremus, & Deo non poſſemus probari, qui nos ad laborẽ deſtinauit, vt in libro Iobi ſcribitur. Ergo de perſecutionibus locus iſte exponi debet, quæ tunc pijs multæ & graues imminebant. Ad quas ferendas minus ferè idonei ſunt coniugati, quos & rei domeſticæ cura magis grauat, & dulciſsima pignora detinent, vt nihil illis exilio grauius eſſe putetur. Sed & religionis cura præpoſtera tales à via reuocat, dum metuunt, ne ipſis in exilium eiectis, aut ad mortem damnatis, liberi ipſorum non modò negligantur, verumetiam in ſuperſtitionibus æducentur. Quò fit, vt multi fidem abnegent, vel ſaltem turpiter diſsimulent, dum liberis ſuis conſultum volunt. Hæc igitur Paulus conſiderans, vitam cælibem non ideo commendat, quòd Virginitatis apud Deum maioris ſit dignitatis quàm coniugium, aut quòd in illa meritum ſalutis aliqua ex parte conſtitui debeat: ſed propter huius vitæ commoditatem, & pro illorum temporum ratione, quando perſecutiones vbique locorum feruebant.

Iob. 5.

Virginitatis commendatio non omnibus ſeruit.

Eſt autem commendatio iſta eiuſmodi, vt non ſemper & apud omnes locum habeat. Multorum enim ea eſt conditio, vt ſi vel exulare contingat, hoc illis commodius ſit, ſi coniugem habeant laborum & periculorum ſociam, quàm ſi ſolitarij viuant. Itaque Pauli ſententia non vniuerſaliter accipi, aut rigidius ad omnes extendi, ſed pro loci, temporis & perſonarum ratione exponi aut applicari debet. Et de hoc ipſe nos admonet in ijs quæ ſequuntur. Ne quis enim ex illa præceptum fingeret, cui omnes neceſſariò obedire debeant, explicationem ſubijcit, qua conſcientijs infirmioribus omnis ſcrupulus eximitur. Dicit enim: Alligatus es vxori? ne quære diſſolutionem. Solutus es ab vxore? ne quære vxorem. Quo loco obſervabis, non eodem ſenſu diſſolutionem aut diuortium atque coniugium prohiberi. Illud enim verè & ſeriò prohibetur, eò quòd nefas ſit quocunque prætextu diuortiũ facere non neceſſariũ: hoc autẽ conditionaliter accipi debet, ne quis videlicet, cui datũ eſt Virginitatis ſeruãdæ donũ, ſibijpſi temere laqueum inijciat. Et huic ſenſui fauet, quòd mox liberũ et licitũ eſſe docet, quod prius prohibuiſſe videbatur. Nã ſubijcit: Quòd ſi etiã duxeris vxorẽ, nõ peccaſti: et ſi nupſerit virgo nõ peccauit. Quaſi diceret, Iubeo quidẽ, ne qui ſoluti et liberi ſunt, coniugiũ ſibi accerſant: ſed hæc nõ ideo dixi, quòd id facere nefas putem, ſed quòd propter huius ſeculi turbas cælebs vita Chriſtum profitentibus mihi

commo-

commodior esse videtur. Quapropter nemo siue mas siue fœmina se peccare putet, si alia de causa per se honesta & bona ad coniugium accedant. Verumtamen rursus moneo, quòd tales afflictionem in carne habituri sint, id est, sentient omnis generis onera atque molestias, quæ coniugium comitantur; & quæ nostri temporis dura conditio magis grauat. Ego autem vobis parco. Video enim vos adhuc infirmiores esse, quàm vt tantis certaminibus sufficere possitis, & ideo vobis consultum cupio, vt ad omnes difficultates superandas sitis expeditiores.

Confutantur hoc loco validissimè omnes, qui perfectionem Christianam in Virginitate collocant, & huic meritum salutis tribuunt. Fecit hoc olim nimium inconsideratè D. Hieronymus, qui parabolam de semine Verbi in bona terra fructificantis ita interpretatur, vt centuplum fructum virginibus, sexagecuplum viduis & continentibus, trigecuplum verò castis coniugibus tribuat. Neq; eo contentus, eorum sententiam quoque adducit, qui centuplum fructum ad martyres referebant, & addit: Quòd si ita est, sancta consortia nuptiarum excluduntur à fructu bono. Quod dictũ mihi non procul ab impuri Siricij Papæ sententia abesse videtur, qui coniuges in carne viuere, & proinde Deo non posse placere dixit. Sed reuera nihil audacius est hypocrisi, quæ vbi hominum iudicio se probari sentit, in Dei quoque Verbum sibi ius sumit & imperium. At facile fuerit impuris illis coniugij hostibus laruam detrahere, si Pauli verba propius consideremus. Quia enim coniuges plus afflictionis in carne habituros esse dicit, non obscurè innuit, maius etiã fidei & constantiæ Christianæ robur in sancto & Christiano coniugio inueniri, quàm apud illos, qui sibi solis viuunt. Si quid ergo hominum meritis tribuendum esset, plus certè coniugibus deberetur, quibus maiora certamina sunt proposita. Contra eos, qui in Virginitate meritum salutis cõstituunt.

Sunt autem rationes etiam aliæ, quæ coniugio plus honoris quàm Virginitati deferendum esse docent. Primò enim illud vitæ genus est, quod Deus ipse in prima rerum origine instituit, & in quo sanctissimos quosque vixisse, suo loco diximus. E contra de Virginitate (vt paulò antè dictum est) nullum Domini præceptum extat, neque de illa quicquam mandandi potestatem Apostoli habuerunt. Deinde laboribus quidem & molestijs refertum est coniugium, sed eiusmodi, quas Deus ipse imposuit, vt quidem nostro bono, vt libidinis frænum sint, & nos ad ardentius pietatis studium accendant. Atqui laude digniores sunt, qui à Deo iniunctos labores alacri mente suscipiunt, quàm qui eos detrectant, vt suo otio consulant. Tertio quòd nonnulli thori consuetudinem horrent, superstitiosum potius quàm pium censeri debet. Illum enim castum & impollutum esse Apostolus alibi testatur: cùm è contra perniciose vrantur & inter cupiditates & cogitationes nefarias turpissimè æstuent, qui à matrimonio sibi abstinendum esse arbitrantur. Quæ causa est, vt tales ferè à regno Dei longius absint. Quid enim prodest corporis puritatem seruauisse, si animum, potiorem tui partem, in cogitationum fœdissimarum cœno assiduè volutari patiaris? Quòd si vtriusq; status fructum consideres, vberior certè & splendidior in coniugio reperietur. Huic enim debemus generis humani propagationem, legitimas familiarum successiones, affinitates, ecclesiæ item & reipub. seminaria, quæ si tollas, breui vtramq; in nihilum abire videbis. Quæ causa est, quòd veteres de liberorum procreatione væhementer solicitos fuisse constat, & quòd sterilitas probro fuit multis, imò dolorem & cruciatum attulit, vt in Rebeccæ, Rachelis, Annæ, Zachariæ et Elizabetæ exemplis est videre. Inter gentes verò Legem fuisse Cicero testatur: Cælibes esse prohibento. Et apud Spartanos etsi in magno honore & pretio esset senectus, iuuenes tamen ijs senibus non assurgebant, qui liberos nullos generabant, à quibus eundem honorem ipsi aliquando possent sperare. Poterant autem huius generis infinita alia adduci, quæ omnia non ideo à nobis commemorantur, vt libidini immoderatæ habenas laxemus, sed vt superstitiosos illos confutemus, qui Virginitatem nimijs laudibus væhendo matrimonij dignitatem maxima ex parte proculcant, & infirmis multorum malorum authores sunt: vt alibi pluribus ostendetur. Coniugiũ Virginitate præstat.

Nunc præter ista Pauli modestiam nos obseruare conuenit, qui totus in hoc est, vt quàm minimis molestijs pios grauet. Longè ergò à scribarum ingenio abfuit, qui olim sarcinas ingentes colligabant, quas populi humeris imponerent, ipsi verò easdem ne digito quidem attingebant. Imitati sunt hos posteris temporibus, qui vota monastica & in his cælibatum atque innumera Paulus neminẽ grauare cupit. Matth. 23.

alia fabricarunt, ex quibus ad ipsos quidem quæstus ingens, ad populum verò infelicem nihil quàm labor, sumptus & horribilis conscientiæ carnificina rediјt. At nos Deo gratias agere decet, qui istorum artes detexit, & veterem libertatem nobis restituit. Simul verò cauere oportet, ne ea abutamur, sed vt eius nomen in nobis glorificetur, qui nos ex tenebrarum potestate vocauit in admirabilem lucem suam per IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA XXXVIII.

Hoc autem aio fratres, quoniam tempus contractum est in posterum, vt & qui habent vxores, sint vt non habentes. Et qui flent, vt non flentes: & qui gaudent, vt non gaudentes: & qui emunt, vt non obtinentes: & qui vtuntur mundo hoc, vt non abutentes. Præterit enim species huius mundi: velim autē vos absque solicitudine esse. Qui cælebs est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qui ducit vxorem curat ea quæ sunt mūdi, quomodo placiturus sit vxori. Discretæ sunt ea quæ est vxor & ea quæ est virgo. Quæ est innupta, curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta cùm corpore tum spiritu: quæ verò nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit viro.

Paulus Apostolus non sine iustis & grauibus causis tam prolixè & diligenter de illis agit, quæ ad coniugium spectant. Vt enim circa hæc à Corinthijs variè peccabatur: ita in spiritu præuidit ille, quid nouissimis temporibus futurum esset. Vt nimirum alij quidem sub religionis prætextu matrimonium prohiberent, alij autem omni religionis sensu procul abiecto in omnem licentiam siue libidinem effunderentur. Quia ergo (vt alibi diximus) humanæ vitæ conseruatio & eiusdem honestas ex coniugio magna ex parte dependet, neque etiam sine hoc religionis dignitas consistere potest, necesse fuit, nos de toto hoc negotio probè edoceri. Et hæc causa est, quòd subinde generales doctrinas siue admonitiones interserit: vt nimirum in illis videamus, hic de omnibus agi, quæ ad vitam piè & honestè transigendam pertinent. Quò imprimis referri debet loci istius, quem modò recitauimus, pars prior, quæ breuem, simplicem & absolutam vitæ totius institutionem continet. Qua interposita, mox ad ea redit Apostolus, quæ de Virginitate & innuptarum conditione dicere cœperat.

1. Tim. 4.

Nemo propter res huius sæculi negligat æterna.

Summa prioris partis est, hominem vitam & omnes eius actiones ita instituere debere, ne propter res huius sæculi bona cælestia atque æterna negligat. Quod vt facilius impetret ab ijs, qui ex carnis natura præsentibus nimiùm addicti sunt, rationes & argumenta adducit, quibus excitet nos, vt de istis diligentius cogitemus. Primum his verbis proponit: Hoc autem aio fratres, quoniam tempus contractum est in posterum. Debent hæc non solùm de vitæ huius breuitate intelligi, verumetiam de totius mundi ætate (vt sic loquar) quæ nouissimo hoc tempore ad finem suum properat, vt impletis iampridem omnibus, quæ olim prædicta sunt, nihil præter vltimum IESV CHRISTI *aduentum sperare possimus, in quo mundi huius conditionem omnem aboleri oportet. Atqui communis sensus docet, eos qui rem magnam agunt, eò studiosius in eam incumbere debere, quò minus temporis sibi datum esse vident, ne circa ludicra occupati, illud absque fructu elabi patiantur. Sed addit huic alterum argumentum ex rerum huius sæculi conditione desumptum: Præterit autem species aut figura huius mundi. Facit hoc ad prioris confirmationem. Si enim tempus breue est, interea autem quæcunque in hoc mundo præclara & eximia putantur, paulatim, vel potius celeri & indefesso cursu transeunt, næ nimium imprudentes sunt, qui aliquam temporis istius portiunculam malè aut inutiliter collocant, & non totos sese ad cælestium bonorum possessionem accingunt.*

Figuram autem & speciem mundo tribuit, vt ostendat, omnia quæ in hoc habentur, non nisi specie inani & vmbris vacuis constare, non autem res esse certas & solidas, quibus aliquid tribui debeat. Quod ipsum Dauid docet, quando hominem ait in imagine viuere, id est, vitam hominis imaginariam esse, & circa inanes persuasiones occupari, in quibus nihil perpetuum sit aut solidum. Potest hoc prolixè demonstrari, si ex ordine omnia consideres, quæ apud homines in pretio esse solent, & quibus pleriq; confidunt. Etenim opes plurimi admirantur, & eos beatos prædicant, quibus datum est inter illarum thesauros vitam degere. At omne hoc imaginarium est, & inanis atque falsissima persuasio. Nam si diuitiarum vsum spectes, ex congestis auri atque argenti aceruis, ex agrorum latifundijs, ex redditibus annuis & vniuerso ædificiorum, vasorum, & totius suppellectilis splendore, nihilo plus ad opulentissimum quenque redit, quàm ex modicis facultatibus ad quemuis alium, qui sua sorte contentus viuit. Vt enim nihil in mundum intulimus, ita nihil etiam inde exportabimus, neque alius diuitiarum vsus est, quàm vt nostræ necessitati quoad victum & amictum seruiant. Cùm autem in his natura nostra paucis cōtenta sit, reliqua illa omnia inanis solummodo & superfluus splendor sunt, sub quo plerumque solicitudines & curæ latent, quæ ipsam quoque vitam homini amarā reddunt. Quòd si verò conditionem siue naturam diuitiarū inspicias, nihil illis incertius, nihil instabilius. Nā & casibus infinitis obnoxiæ sunt, et sæpe nobis inscijs dilabuntur, adeoq; euanescunt, vt præter omniū expectationē pauper & egenus conspiciatur, quem multi Cræso ditiorem esse putabant. Eadem est honorū atq; dignitatū huius sæculi ratio, quæ etiam ipsæ præter inanem splendorem nihil continent, & ex vulgi iudicio dependent, quod in horas mutatur. Itaque omnis illa gloria fulgor ex lebete est, qui vix momento oculos perstringit, ad hominis verò felicitatem nihil prorsus confert. Denique non erraueris, si hominum vitam inter opes & honores incertis vicibus fluctuantem ludo scenico similem esse dicas. Vt enim illic theatrum ipsum aulæis vndique ornatum palatia magnifica, arces & vrbes refert, personæ autem, reges, heroes, belli duces esse videntur, mox autem peracta fabula, theatri splendor aufertur, & ad suam priorem conditionem reuertuntur, qui paulò ante hominum beatissimi esse putabantur: Ita breui tempore mundus hic splendorem suum magnificè ostentat, & stultos homines persuasione felicitatis inebriat, quæ mox omnis in fumum abit, & vt somnium auolat. Idem de corporis nostri bonis valetudine nimirum, viribus & forma dici potest. In quibus omnibus etsi nullus casus acerbior incidat, omnia tamen ista prætereunt, & proprio naturæ cursu singulis momentis ad finem suum properant. Nam vt Poeta verbis vtar, Tempora labuntur tacitisque senescimus annis. Item: Corpora vertuntur, nec quod fuimusúe sumusúe Cras erimus, &c. Et hæc quidem omnes homines non modò vident atque intelligunt, verumetiā in semetipsis quotidie experiuntur & sentiunt: qui verò ea, vt decet, expendāt, paucissimos est inuenire. Rectè ergo Paulus verum & salutarem huius considerationis vsum nobis tradit, & in suas quasi partes aut species diducit quæcunque in hac vita fiunt, vt admonitionem hanc non minus necessariam quàm vtilem singulis accommodare possimus.

Figura aut Species mundi. — *Psal. 39.* — *1. Tim. 6.*

Orditur autem à coniugibus, quia de his potissimum sermo est, & monet, vt qui vxores habent, sint vt non habentes. Quibus verbis minimè iubet, vt viri vxores negligant quasi nihil ad se pertinentes. Ita enim cum prima coniugij institutione pugnaret, in qua Lex lata est, vt homo desertis parentibus vxori suæ adhæreat. Imò sibijpsi contradiceret, qui alibi docuit, vt viri vxores suas diligant, et vt vtrinq; debitam beneuolentiam sibi mutuò reddant. In præsenti igitur hoc vult, ne vxoribus nimium addicti cœlestia & quæ ad regnum Dei pertinent negligant. Hoc enim facere consueuerunt, qui (vt Thobiæ angelus dicebat) non alio animi proposito ad matrimonium accedunt, quàm vt brutorū animaliū instar libidini vacent, & proinde Deū abs se et mente sua procul excludunt. Qui cùm vxoribus nō alter quàm meretricibus vtantur, coniugiū ipsum dehonestant, cui maior reuerentia debetur. Nam etsi ad fornicationes vitandas vnusquisq; propriam vxorem habere debeat, in ipso tamen coniugio reuerentia & modestia seruari debet, vt meminerint singuli, vxorem dignitatis non voluptatis nomen esse: quod olim Commodum Verum Imp. dixisse historici scribunt. Peccant item, qui propter coniugium illustrius & affinitates, quas contraxerunt, efferuntur, quasi iam extra omnem teli iactum sint constituti: quod multis exitium

Coniugij vsus — *Thob. 6.*

attulisse constat. Vult ergo Paulus nos cogitare, coniugium inter vitæ huius subsidia numerari, & proinde sic in eo vitam institui debere, vt eius dignitatem minimè prophanemus, vxores item meminerimus nobis in Christo sorores factas esse, & ita cõiugio vtamur, vt inter curas, quæ huic coniunctæ sunt, non intermittamus vitæ cœlestis & æternæ felicitatis studium: denique vt in ijs, quæ ad Dei cultum & animarum salutem spectant, nos per coniugium non magis impediri patiamur, quam si vxores omnino nullas haberemus. Talia olim sanctorum patrum coniugia fuerunt. Abrahamum certè Sara minimè impediuit, quò minus Deum vocantem sequeretur: imò potius ei adiumento fuit, quando ipsi comes indiuulsa facta est, & labores atque ærumnas peregrinationis sua consuetudine leuiores fecit. Quod ipsum de Apostolis dicere possumus, quos vxores suas secum duxisse infra dicetur. Et qui hos imitantur, ij vxores habent perinde ac si non habeant, eò quòd nullum ex illis impedimentum sentiunt, quò minus Deo obtemperent, & vitæ innocentiam tueantur.

Secundæ & aduersæ fortunæ vsus.

Secundò, & qui flent (inquit) sint vt non flentes: & qui gaudent, vt non gaudentes. Qua locutione vtramque fortunam, secundam nimirum & aduersam comprehendit. Permittit autem flere & gaudere, quia nos Deus non silices aut truncos creauit, qualem Stoici fingunt suum virum bonum & sapientem: sed hoc monet, vt in omni fortuna constanti fide nostram teneamus stationem, & quàmuis dura & acerba multa accidant, quæ nos dolere & ingemiscere cogit, luctu tamen non ibi absorbeamur. Accidit hoc illis, qui in aduersis & periculis grauioribus non solùm sortem suam deplorant, sed insuper de Dei gratia dubitare incipiunt, deque eius prouidentia improbè quiritantur. Hi non tam flere dici possunt, quàm belluino vlulatu tumultuari. Itaque modum nos tenere iubet Apostolus, vt quàmuis omnia nobis inimica & infesta esse videatur, non tamen de Dei gratia dubitemus, sed in medio luctu aut ploratu fiducia diuinæ bonitatis et æternæ salutis certa spe erecti, tristitiam omnem fortiter vincamus. Quod ergo de suo Aenea Poëta olim dixit, Premit alto corde dolorem: hoc ipsum ad Christianos homines imprimis pertinet, ne ex nimio animi dolore aliquid dicant aut faciant, quòd à fide alienum censeri possit. Idem in gaudio etiam debet obseruari, si quando lætior fortuna nobis arridet: ne scilicet nimia lætitia abrepti nostræ functionis obliuiscamur, & cœlestis vitæ studia negligamus, quibus nos totos addictos esse conuenit. Est hoc vitium vulgare admodum, & inter nouissimi sæculi mores huius Christus meminit, quando eorum similes fore dicit, qui Noæ & Lothi temporibus edebant, bibebant, vxores ducebant & nuptui dabant, immemores interea eorum, circa quæ homines imprimis occupatos esse oportet. Et in horum numero ferè primi sunt voluptuarij helluones, qui (vt Isaias ait) conuiuijs suis tympana & tibias adhibent, securi interim iudiciorum Dei, neque huius opera vnquam attentè considerant. Proximi his sunt, quos victoriarum successus, regnorum vires & opum splendor inebriat, vt in his sibi perpetuam felicitatem polliceantur: quibus hoc ferè proprium est, vt tunc quoque non solùm gaudeant, sed petulanti proteruia lasciuiant, quando plerique alij inter aduersæ fortunæ certamina gemunt atque plorant. Quod quia à Christianæ religionis legibus alienissimum est, quæ nos vt eiusdem corporis membra simus constringit, non temere de his nos Paulus admonet. Quia autem vix quicquam difficilius est, quàm in vtraque fortuna modum tenere, vtile simul & necessarium est instabilem & momentaneam omnium huius sæculi rerum conditionem crebrò in mentem reuocare. Etenim cum & vitæ huius tempus breue sit, & iam ipse mundus ad finem suum properet, non possunt diuturnæ esse afflictiones, quibus hîc exercemur: & consolari nos debet, quod in singulas horas aliquid ex illis decedit. Nobis quidem interdum mora longior esse putatur, sed vt qui nauigio vehuntur, siue dormiant siue vigilent, edant, bibant, ludant, nauseent, singulis tamen momentis ad portum propius accedunt: ita qualiscunque sit huius vitæ fortuna, ea tamen impedire non potest, quò minus tempora continuo motu labantur, & nobis vitæ huius finem adducant, qui in Christum credentibus non potest non felix & beatus esse. E contra diuturnum & stabile esse non potest gaudium, quod ex huius sæculi rebus quantumuis splendidis nascitur, cùm tota huius mundi facies bullæ instar transeat aut euanescat. Quid? annõ ferè magnos successus inopina aliqua & grauis calamitas sequi solet? Quod prudenter olim Philippus Macedo obseruans, cùm nuntium de rebus plurimis vno die felicissimè

Isa. 5.

fœlicißimè gestis accepisset, porrectis in cœlum manibus exclamabat: O fortuna pro tot tantisq; bonis leui aliquo malo me affice. Et Polycrates Samiorum tyrannus, cùm omnia ipsi ad miraculum vsque prospere cederent, anulum cum incomparabilis pretij gemma sponte in mare abiecit, vt quàm tot læti successus portendere videbantur calamitatem aliquo infortunio expiaret. Errarunt isti quidem, quod res humanas à fortuna cæca gubernari, vel potius temere ferri putarent: simul tamen solicitos fecit rerum vicißitudo, quam quasi lege perpetua subinde secunda aduersis temperare videbant. Quantò magis igitur Christianos homines in horum consideratione diligentes esse decet, ne immodico gaudio diffluant, sed in prosperis Deo quidem grati sint, & in hoc lætentur, simul verò ad ferendam crucem semper parati sint.

Tertiò de ijs qui emunt sic loquitur: Et qui emunt, sint vt non obtinentes. Sub emptione & possessione vniuersa huius vitæ negotia, contractus, rem domesticam & quæcunque sunt huius generis comprehendit. Vbi obseruabis, quod vt vxorem ducere, flere & gaudere permittit, ita non prohibet, quò minus etiam emamus & vendamus. Asseritur ergo hîc rerum proprietas contra eos, qui inter Christianos omnia volunt esse communia. Confutantur hi etiam præcepto Dei, quo furtum prohibetur: quia huic locus nullus esse potest, vbi nihil proprium habetur. Quibus adde exempla sanctißimorum hominum veteris & noui Testamenti, qui rem domesticam probè administrauerunt, cum alijs contraxerunt, & de suo in alios fuerunt benefici. Præterea cùm neque vni homini omnia data sint, neque omnis fert omnia tellus, inter vicinos simul & procul dissitos mercaturæ commercia intercedant oportet. At hîc duo imprimis caueri necesse est. Primùm, immodica acquirendi cupiditas, ne (quod Isaias reprehendit) domus domibus & agros agris iungamus, vt qui nos solos putemus in terris habitaturos esse. Alterum est opum fiducia, quæ facit, vt qui maximarum opum possessores videri volunt, ab illis ferè ipsi poßideantur, & ad Tantali exemplum in medijs vndis sitiant. Accidit autem hoc ijs, qui solis terrenis & temporarijs bonis addicti, de cœlestibus nunquam cogitant. Itaque in contractibus & tota re domestica nunquam nobis excidat, ista omnia ad huius modò vitæ vsum pertinere, qui perpetuus, aut saltem diuturnus esse non potest, cùm vita ipsa breuis sit: ideoque in cœlestium bonorum spem erecti, quæ in hoc seculo nobis parauimus non magis nostra esse putemus, quàm quæ maximè à nobis aliena sunt. Qui ita animum suum instituerunt, ij neque abutuntur bonis, quæ in hoc seculo possident, neq; eorundem iacturam aut amißionem impatienter ferunt, sed cum Iobo dicunt: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Contractus & res domesticæ.

Isa. 5.

Postremo huius enumerationis membro omnia comprehendit, quæ in tota huius mundi machina nostris vsibus seruiunt, sic dicens: Et qui vtuntur mundo hoc, sint vt non abutentes. Mundi vocabulo omnia huius vitæ subsidia intelligit: quibus ne vtamur minimè prohibet, cùm in vsum hominis ista omnia creata esse Scriptura paßim testetur. Faciamus hominē (inquit Deus) ad imaginem nostram, & dominetur in piscem maris, & in volucrem cœli, & in iumentum, & in omnem terram, & in omne reptile, quod reptat super terram. Et Dauid Dei erga humanum genus bonitatem prædicans, inter alia canit: Dominum super opera manuum tuarum constituisti eum, cuncta eius pedibus subiecisti: Greges & armenta vniuersa, etiam pecudes campi: volucres qui in aëre, & pisces qui in aquis versantur, & quicquid per maris itinera transit. Licet ergo nobis salua conscientia, vt rebus à Deo propter nos creatis vtamur: at ne ijsdem abutamur, Paulus prohibet. Faciunt hoc, primùm, qui in illis spem & fiduciā suam collocant, & ita ex ijs sibi Deos fingunt, quæ in ipsorum seruitium diuinitus sunt destinata. Deinde, qui vitam præter eam quæ hîc viuitur, nullam aliam norunt, & proinde gulæ & libidini tam corpore quàm animo dediti, hoc vnum agunt, vt peßimis cupiditatibus per ea satisfaciant, in quibus Dei beneficentiā agnoscere, & eius consideratione ad ardentius pietatis studium accendi debebant. Talis olim Sardanapalus erat, cuius epitaphium eiusmodi apud Strabonem extat:

Mundo vtamur vt non abutamur.

Gene. 1.

Psalm. 8.

Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Delitijs animum, post mortem nulla voluptas
Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam,
Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido

Hausit: at illa manent multa & præclara relicta
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Huic non immerito Ægyptios veteres adnumeraueris, qui in conuiuijs lautioribus cranium hominis mortui inferre solebant, vt eius aspectu conuiuæ sortis suæ admoniti eò intemperantius voluptati indulgerent, ne quid ipsis & vitæ huius vsu decederet. Infelix planè & plus quàm demens hominum genus, qui ex eo lasciuiæ occasionē arripuerunt, quo ad cœlestia quærenda excitari debebant. At vtinam non hodie etiam multi horum similes paßim inuenirentur, qui neque huius vitæ neque rerum ad eius conseruationem creatarum vsum alium nouerunt, quàm vt gulæ & libidini seruiant. Atqui omnes isti mundo hoc non vtuntur, sed abutuntur, vel potius diabolo sese turpißima mancipia præbent, qui illis ad proprium ipsorum exitium abutitur. Est ergo ita nobis consideranda rerum huius seculi incertitudo, vt simul meminerimus nos in hoc mundo peregrinos esse, patriam verò in cœlis habere, & proinde vitam esse aliam, ad quam nos contendere oporteat. Itaque huius mundi bonis sic vtamur, vt corpori quidem seruiant, animum verò ijsdem minimè patiamur immergi, ne eorum similes simus, quos peregrinæ voluptates apud exteros detinent, adeò vt in illas consumptis & dilapidatis fortunis omnibus in patriam redire neque velint neque poßint. Continet ergo locus iste veræ philosophiæ compendium, cuius doctrina omnibus vitæ generibus applicari potest, & quæ singulis viam monstrat, qua ad cœlestis patriæ poßeßionem poßunt peruenire.

Paulus vult nos absq; solicitudine esse.

Porrò his interpositis, ad tractationem de virginibus & innuptis redit Apostolus & his, quæ hucusque dicta sunt, applicat. Initio autem sui consilij aut sententiæ finem aut scopum præmittit, ne quis eius verba in sensum alienum detorqueat. Velim (inquit) vos absque solicitudine esse. Habent ergo ista protestationis speciem. Quasi diceret: Quæ de Virginitate & cœlibatu dixi & quæ porrò dicturus sum, nolim eo sensu accipi, quasi coniugium damnem, aut homines in eo seruari atque Deo seruire posse negem. Sed instituti aut consilij mei hæc vnica ratio est, quòd vos omni solicitudine & cura liberatos esse cupiam, vt ad vitam piè simul atque tranquillè transigendam expeditiores sitis, & quàm minimo labore grauemini. Ita verò animum erga illos amicum & beneuolum declarat, & qui procul absit ab impostorum moribus, qui non quid alijs commodum & salutare, sed quid ipsis quæstuosum sit spectare solent: & plerunq; vt sibi consulant, oneribus grauißimis eos deprimunt, quorum conscientijs consolationem adhibere debebant. Itaque Apostoli exemplo validißimè confutantur, qui hodie eius doctrina ad impuri sui cœlibatus defensionem abutuntur. Ideo enim virginitatem suasit ille, vt solicitudine pios liberaret, qua tunc propter aßiduas persecutiones premebantur, qui coniugio erant astricti. At quia in cœlibatu non potest solicitudinis expers esse, nisi qui donum illud diuinitus accepit, vt nullis immodicæ libidinis cupiditatibus vratur: inepti nimium, imò iniqui sunt illi, cùm ex eo, quod Paulus amicè consulit, præceptum fingant necessarium, ad cuius obseruationem eos etiam obstringunt, quibus nihil molestius accidere poterat, quàm quòd inter ardentis carnis desideria remedio diuinitus dato vti prohibentur. Non ergo vt Paulus solicitudine aliquem liberatum volunt, sed potius flammis & curis atque molestißimis turpißimisq; cogitationibus eos enecant, qui in coniugio tranquilli & quieti viuere poterant. Sed de hoc plura alibi dicentur.

Non omnis solicitudo fugienda.

Nunc istud obseruemus, non debere hinc generalem doctrinam peti, vt quis ab omni cura & solicitudine seipsum eximere conetur, & in eo Dei cultum consistere putet. Offenderunt in hoc, qui vitam Monasticam commenti sunt, & qui hanc hodie adhuc sequuntur. Aiunt illi, curas omnes procul relinquendas esse ijs, qui in rerum diuinarum contemplatione cum fructu versari, & Deo verè seruire velint. At dum hoc conantur, ex contemplatoribus vanis ignaui fuci fiunt, & ita viuunt, vt neque sibijpsis neque vlli alij vtiles sint. Quid verò huius vnquam spiritus sanctus docuit? aut cuius Prophetæ vel Apostoli exemplo hoc vitæ genus probare poßunt? Quantò rectius Eliphaz ille Themanites dixit, hominem ad laborem nasci, vt auem ad volandum? Sciebat enim Adamo dictum esse: In sudore vultus tui comedes panem tuum. Et cùm in tota rerum natura nihil otiosum esse voluerit sapientißimus ille rerum opifex, stultum fuerit putare, quòd hominis otio ille delectetur.

Iob. 5.

Obseruemus

Curarum tres species.

Matth. 6.

Psalm. 55.

Ezech. 3.

2. Cor. 11.

1. Tim. 5.

Obseruemus ergo huius vitæ curas in tres species diduci posse. Prima illicitas habet & noxias, quas propriè possumus solicitudines dicere. Sunt enim cum animi anxietate coniunctæ, quæ ex diffidentia nascitur, cuius hic etiam effectus est, vt non contenti nostra sorte, circa res illicitas & nihil ad nos pertinentes occupemur, & nisi euentus nostro voto respondeat, aduersus Deum quoque murmurare non vereamur. Hoc curarum genus Christus gentibus tribuit, qui veri Dei cognitione destituuntur, & suos cultores ab his alienissimos esse, in Dei autem prouidentiam respicere iubet, & (vt Dauid loquitur) sarcinas nostras omnes in illum reijcere. Secunda curas habet necessarias, quas Deus ipse hominibus imponit, & quas in publicas & priuatas distinguere possumus. Publicæ enim salutis cura ministri ecclesiarum tenentur, quorum est ita suum munus obire, vt de singulis rationem possint reddere Deo, quos hic ipsorum fidei commisit. Et sanè non possunt non vehementer soliciti esse & angi, quoties cogitant, sibi dici à Domino: Sanguinem eorum, qui vobis tacentibus pereunt, de manu vestra requiram. Ideo Paulus, qui se gentium Apostolum nouerat esse constitutum, omnium ecclesiarum curam sibi incumbere dicebat. Eadem est principum conditio, & omnium qui in repub. munus aliquod publicum sustinent. Quia enim hi quoque ποιμένας λαῶν (vt Græci poetæ verbis vtar) id est pastores populorum sunt, necesse est, vt totius populi & singulorum ciuium curam ad se pertinere cogitent, & ita res atque consilia sua omnia instituant, ne quid aduersus Dei gloriam & publicam salutem designetur. At quàm multa cura & labore hîc opus erit, vt in officio contineantur, qui quot capita habent tot quoque diuersis sensibus atque cupiditatibus distrahuntur? Sunt deinde curæ priuatæ, quæ ad rem domesticam pertinent, cuius tam diligentem rationem Paulus haberi vult, vt ethnico & infideli deteriorem esse dicat eum, qui suis non prospicit. Et vt hîc imprimis laborent patresfamiliâs, ipsa rei necessitas exigit. Verissimè enim à Græcis dictum est, in vnaquaque domo vnum modò seruum esse, ipsum nimirum patremfamiliâs, qui nisi totius familiæ curam in se recipiat, & ipse omnibus inseruiat, nihil aliorum omnium labore & industria efficietur. Adde his quòd Christiana charitas monet, vt singuli pro aliorum salute soliciti sint, & quæ fratribus accidunt aduersa in sese transferant, dum illis condolent. Ab his ergo curis si qui omnino liberari volunt, ij simul Christianos se esse negant, & diuinæ vocationis iugum excutiunt. Est præterea curarum genus, quæ quod modum transgrediantur vitiosæ fiunt. In eo peccant, qui in commisso sibi munere industrij quidem & fideles sunt, de rei autem euentu nimium soliciti, perinde agunt, ac si per ipsos negotium omnino confici oporteat. Hi ferè, si spe sua frustrentur, Deum quoque incusant, quasi is res suas minus curet, & in his laborantes ope sua destituat. Solent in hoc sæpe peccare optimi quique dum nimio zelo abrepti, iudiciorum Dei causas non satis diligenter expendant. Et istos deinde ignaui quidam imitantur, qui cùm ipsi officium non faciant, interim intra animos suos discruciantur, & Deum negligentiæ accusant. Hîc ergo cautione diligenti opus est, vt ipsi quidem quod nostri officij est sedulò faciamus, euentum verò rei permittamus Deo: qui si eam per nos perfectam velit, facilè viam inueniet: sin minus, non tamen nos frustra laborabimus, cùm apud eum omnibus digna præmia reposita sint, qui opus ipsius fideliter faciunt.

Coniugum & cœlibum comparatio.

Quia autem difficillimum est in his modum tenere, Paulus ista ad suum institutum accommodans, se hoc cupere dicit, vt cùm coniugium curis necessarijs refertum sit, ipsi his liberentur, vt ad rerum cœlestium studia expeditiores sint. Et mox hoc ipsum diligenti collatione explicat, in qua tam de viris quàm de virginibus aut mulieribus innuptis disserit. Et de viris quidem sic loquitur: Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini, id est, cùm liber sit à cura rei domesticæ & educationis liberorum, se totum ijs impendere potest, quæ ad Dei cultum pertinent, vt huic vni placeat. At qui vxorem ducit, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit vxori. Mundi vocabulum autem non in malam partem hîc vsurpatur, quo sensu ferè in scripturis sumitur, quando de huius seculi filijs & eorum studijs sermo est: sed ea intelligit Paulus, quæ ad præsentis vitæ conditionem, ad victum denique & familiæ atque liberorum sustentationem pertinent, circa quæ necessariò occupari oportet omnes eos, qui in coniugio viuunt. Quibus curis hæc quoque accedit, quòd vxoris ingenium probè obseruari necesse est, vt ea commodiori vti possit. Ne autem hæc cura ad solos viros pertinere putaretur, ad alterum quoque sexum

transit, dicens: Discreta sunt ea quæ est vxor, & ea quæ est virgo, id est, inter virginem & nuptam siue maritatam magnum discrimen est. Nam quæ innupta est, curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta cùm corpore tum spiritu, id est, vt quanta quanta est, tota Deo consecrata sit, & tam corpus quàm animum purum atque castum seruet, neque vllis huius seculi studijs contaminetur. Quæ verò nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit viro. Hæc autem omnia in eum finem dicuntur, vt ostendat Virginitatem & cœlibatum non per se laudem maiorem quàm coniugium mereri, sed ideo, quòd ij, quibus datum est, vt absque coniugij vsu honestè & castè viuant, multis curis & negotijs seipsos exonerent, quibus coniuges non sine molestia distinentur.

Etiam cõiuges ea curare possunt, quæ sunt Domini.

Itaque minimè audiendi sunt, qui ex Pauli verbis colligere volunt, eos qui in coniugio viuunt, Deo placere non posse, neque ea curare quæ ad regnum Dei pertinent. Totus enim locus ex collatione dependet, & cœlibes atque inuptas plus otij & maiorem facultatem habere docet, vt toti Deo consecrati sint, eò quòd nullis alijs curis auocentur. Neque tamen hoc semper verum est, quando constat non paucos esse, qui etsi à coniugio abstineant, tamen & domum administrent, & huius seculi curis implicentur, ita denique propter opes seipsos discrutient atque fatigent, vt non aliam ob causam à coniugio sibi temperare videri possint, quàm vt aut carnis voluptati liberius indulgeant, aut quæstum maiorem faciant, dum nulla familia grauantur. E contra verò coniuges est videre, qui à Deo constanti fide pendent, huic seruiunt, & rem domesticam sic curant, vt interea adeò non negligant ea, quæ ad regnum Dei pertinent, vt hoc ipso illud quàm maximè prouehant, dum & sibi matrimonio iunctos Christo lucrifaciunt, & liberos sanctè educant, & domi suæ quasi ecclesiam habent priuatam, quam ceu antistites quidam summa cum religione gubernant. Et huc referri debet, quòd supra maritum infidelem in fideli vxore, & vxorem infidelem in marito fideli aut Christiano sanctificatam esse audiuimus. Imprimis autem huc sanctorum patrum exempla pertinent, qui etsi coniuges essent, à Deo tamen vocati sunt, vt eorum opera in regno suo longè lateq́; propagando vteretur: & eorum vxores Petrus sanctas vocat, easque Christianis fœminis imitandas proponit. Quid verò de Hesthera dicemus, quæ & Regi marito, eoq́; luxu & intemperantia infami, placuit, & simul Deo gratissimum obsequium præbuit, qui eius opera totam ecclesiam conseruare dignatus est? Neque peccat mox, quæ marito placere cupit: imò vt id fiat, omninò necesse est, modò certa cum ratione fiat: vt nimirum per ea placere studeas, quæ salua pietate fieri possunt, & coniugem vnà tecum seruare coneris. Sunt hæc propter eos diligentius obseruanda, qui quæcunque in scripturis de Virginitate & cœlibatu dicuntur, in eum sensum detorquent, vt coniugium Deo displicere, & idem æternæ saluti inimicum esse euincant.

Virginitas quæ Deo probetur?

Obseruabimus præterea, Virginitatem, quæ Domino probatur, non in eo consistere, vt à coniugio puella abstineat, sed alia duo magis necessaria requiri: Vnum, vt corpore simul & spiritu sancta sit. Nam vt alibi diximus, non multum in vera pietate adhuc profecerunt, quæ vt corpus à libidine impollutum seruent, animum tamen illicitis cupiditatibus ardere & per vanissimas cogitationes vagari patiuntur. At quomodo de corporis quoque sanctimonia gloriari poterunt, quæ illud immodico ornatu & fuco quasi prostituunt, adhæc incessu, gestu & vagis oculorum nutibus amatores alliciunt? Quis item sanctas & Deo consecratas dixerit, quæ linguam & aures impudicis narrationibus & obscœnis cantilenis accommodant? Adde his vagas illas & procaces, quæ domi subsistere nesciunt, per fora & theatra discurrunt, ex ludis parum honestis voluptatem capiunt, conuiuijs virorum intersunt, ea denique faciunt & loquuntur interdum, quorum coniuges honestas puderet. Ab his ergo omnibus abstineant oportet, quæ cùm corpore tùm spiritu sanctæ esse cupiunt. Alterum est, vt finem studiorum hunc vnum sibi proponant, vt Domino placere possint. Id verò nunquam fiet, nisi CHRISTVM IESVM fide vera apprehendant, in quo vno pater nobis placatus est. Hæc si ad eos transferas, qui in Papatu ex vtroque sexu virginitatis & castitatis voto sese venditant, omnia ab his longè diuersa videbis. Quid enim Monachis auarius & rapacius? Quæ item Heroina, quantumuis generosa & opulenta, tanto otio abundat & tot delitijs diffluit, quot in plerisque monialium monasterijs licet inuenire? Taceo nunc fornicationes occultas, adulteria, abortus veneficio quæsitos, infantum recens natorum

crudeles cædes, & infinita alia Christianis auribus indigna, & quæ animus cogitare horret. Quòd si quæ in illa schola vitam honestius instituunt, in ignauo tamen otio contabescunt, & simul circa superstitiones occupantur, quæ cùm illas à Christo auocent, Deo placere nequaquam possunt. Neminem ergo exempla ista & hypocritarum magnifici sermones decipiant, vt in eo vitæ genere pietatem & salutem consistere putet: sed singuli in suam vocationem intenti sint, & breui huius vitæ curriculo bene vtantur, imprimis autem Deo probari studeant per veram fidem in Filium eius vnigenitum, IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXIX.

Hoc autem dico vestri commodi gratia, non vt laqueum vobis injiciam: sed vt decenter & aptè adhærescatis Domino absque vlla distractione. Cæterùm si quis se aliquid non decens in virginem suam cõmittere putat, si florem ętatis excedat, & ita debet fieri, quodvult faciat, non peccat: iungatur matrimonio. Qui verò stat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suam virginẽ, bene facit. Itaque qui dat nuptum, bene facit: qui verò non dat nuptum, melius facit. Vxor alligata est lege, quàm diu viuit vir ipsius: quòd si obdormierit vir ipsius, libera est ad cui velit nubendum: tantùm in Domino. Sed beatior est, si ita maneat, secundùm meam sententiam: Puto autem me quoque Spiritum Dei habere.

QVoniam Apostoli se à CHRISTO IESV in eum finem electos esse sciebant, vt ecclesiæ eius seruirent, & huius membra singula in officio continerent: admodum diligenter cauent, ne eos aliquo nouarum & superstitiosarum traditionũ iugo grauent, quos ille in libertatem asseruit, & sibi vni consecratos esse vult. Cur enim hominum statutis obstringantur, quos à Legis etiam veteris disciplina ille iampridem exemit? Hoc ipsum ergò in præsenti tractatione Paulus diligenter obseruat, in qua de vero matrimonij vsu, coniugum officijs, de cœlibatu item & virginitate sic disserit, vt subinde ijs occurrat, qui aliquam erroris aut superstitionis occasionem inde captare poterant. Quæ etiam causa est, quòd cum nuper coniugij & cœlibatus collationem fecisset, in qua huius quidem commoda & illius molestias atque curas disertè exposuit, nunc doctrinam hanc omnem prudenter moderatur & temperat, docens nimirum, quid in vtroque statu præcipuè obseruari debeat.

Et primò quidem consilij sui finem aut scopum indicat, & ne quis ex ijs, quæ nuper dicta sunt, cum Christi discipulis inferret: Si ita se habet causa hominis cum muliere, non confert contrahere matrimonium, sic scribit: Hoc autem dico vestri commodi gratia, id est, vt quid vobis commodissimum sit ostendam, non vt laqueum vobis injiciam, &c. Laqueum dicit doctrinam, quæ vel ad coniugium omnes rigidè cogit, vel ad cœlibatum aut virginitatem aliquos temere obstringit. Rectè autẽ laqueum vocat, quia quàm primùm hîc absoluta necessitas statuitur, mox irretiuntur hominum conscientiæ, & quam Christus nobis acquisiuit libertas aufertur. Sensus ergo verborum est, Se non aliud velle, quàm vt intelligant vnicuique liberum esse, vt vel matrimonio iungatur, vel cœlebs maneat. Quia enim neque matrimonium neque cœlibatus ex eorum numero est, in quibus regnum Dei & hominis salus æterna consistit, temerarium fuerit & iniquum legem præscribere, ad cuius obseruationem omnes absque discrimine obstringi debeant. Nam vt ad cœlibatum nemo cogi debet, qui vel dono continentiæ destituitur, vel alias ob causas non potest solitarius viuere: ita neque matrimonium ceu necessarium illis debet obtrudi, qui & castè viuunt, & nulla alia causa grauiori ad illud adiguntur. Sua ergo libertas cuique integra maneat, ne quod ad huius vitæ præsentis commoditatem nobis à Deo datum est,

Paulus nemini vult laqueum inijcere.

laqueus fiat, quo hominum conſcientiæ irretitæ à regno Dei abſtrahantur. Hoc autem vnicè omnes curent; vt decenter & aptè adhæreſcant Domino abſque vlla diſtractione.

Finis omnium ordinationum in eccleſia.

Sunt hæc Apoſtoli verba diligenti conſideratione digniſſima. Admonent enim, quis in eccleſia omnium doctrinarum aut ordinationũ ſiue canonum finis eſſe debeat: Nimirum credentium vtilitas, quam alibi ædificationem dicit. In hac vt ante omnia Chriſto fundamento opus eſt, cui nos inniti atque vniri oportet, ita etiam in ſpiritus libertate eidem ſeruire eos oportet, qui à ſalute excidere nolunt. Itaque diligenter cauere omnes debent, ne qui ſuis traditionibus aut ſtatutis libertatem Chriſtianorum in arctum redigant, & animos illaqueent. Si enim Apoſtoli non alia tradere debuerunt, quàm quæ à Chriſto acceperant, inexcuſabilis temeritas fuerit, ſi qui hodie ſibijpſis plus permittere velint. At quia impoſtores quoque ſua commenta vtilitatis & publicæ ædificationis nomine venditare ſolent, Paulus rem diligentius definit, & quæ nam commoditas aut vtilitas ſpectari debeat, docet. Hæc nimirum, vt decenter & aptè adhæreſcamus Domino abſque vlla diſtractione. Vt enim Deus ſummum bonum & omnis boni fons eſt, ſic in eo omnis ſalus noſtra conſiſtit, vt huic coniuncti & vniti ſimus. Admonet de hoc Deus, quando Abrahamo dicebat: Ego ſum El Schadai, id eſt: Deus omnipotens & ad omnia ſufficiens, ambula coram me.

Gene. 17.

Quod ipſum in Decalogi quoque initio repetitur. Et ideo Dauid rectè dixit: Mihi autem Domino adhærere bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Quibus illud Petri conſentit, qui interrogatus à Chriſto, num ipſi quoque deficere & eum relinquere vellent, reſpondit: Domine, ad quem ibimus? tu verba vitæ æternæ habes.

Pſal. 73.
Ioan. 6.

Vt autem illi adhæreſcamus, duobus omnino opus eſt. Primò, vt decenter & aptè id fiat. Quia enim ædificio & corpori confertur eccleſia, vt partes ſingulæ inter ſe aptè cohæreant neceſſe eſt. Singuli ergo ſic Chriſto adhæreant, vt ſuam vocationem ſedulò ſequantur, cui eos Deus deſtinauit. Altero, vt fide conſtanti armati ſimus, quæ nos in omni tentatione ſuperiores faciat, ne vllis periculorum terroribus aut temporarij alicuius commodi illecebris nos ab illo diuelli patiamur. Id verò cùm ab omnis loci & ordinis hominibus fieri poſſit, non debet alicuius conſcientia grauari propter externam vitæ conditionem, quæ per ſe licita & ſancta eſt. Nam in CHRISTO IESV (vt alibi Apoſtolus monet) non eſt vir aut fœmina, non liber aut ſeruus, non diues aut pauper, & proinde etiam non coniunx aut cælebs ſiue virgo. Et conſtat Chriſtum, cùm in terris ageret, ex omni hominum genere diſcipulos habuiſſe, & eiuſdem Apoſtolos neminem poſtea temere coegiſſe, vt vitæ genus mutaret. Et vt in præſenti cauſa inſiſtamus, quàmuis cœlibatus à curis rei domeſticæ & infinitis alijs moleſtijs liberior ſit, ſunt tamen quibus magis profuerit coniugium, eò quòd ſine hoc neque illicitis cupiditatibus reſiſtere, neque rem domeſticam commodè inſtituere poſſint. Itaque quoad vitæ conditionem nulla regula certa præſcribi poteſt, ad quam omnes obſtringantur: ſed in hoc intenti ſint eccleſiarum miniſtri, vt & coniuges & cælibes, principes & ſubditi, heri & ſerui, diuites & pauperes, viri, fœminæ, iuuenes, ſenes, CHRISTVM IESVM ſuæ ſalutis fundamentum agnoſcant, ab hoc vno pendeant, ſtationem ſuam probè tueantur, & abſque omni diſtractione illi adhæreſcant.

Parentũ erga liberos officiũ.

Cæterùm quia Paulus hucuſque de ijs dixerat, qui cùm ſui iuris ſint, vitam prout ipſis commodiſſimum videtur, inſtituere poſſunt, nouus ſcrupulus parentes exercere poterat, ne videlicet liberis ſuis malè conſulerent, ſi coniugij vinculo illos curarent obſtringi, quod curis & laboribus plurimis refertum eſſe videbant. Nunc ergo ad illos tranſit, & quid ipſis facto opus ſit docet. Doctrinæ huius ſumma eſt, curandum ipſis eſſe, ne vel in periculum eos adducant, quibus donum continentiæ negatum eſt, vel ad coniugium temere cogant eos, qui ab illo abhorrent, & ſine eo caſtè viuere poſſunt. Habet ergo admonitio iſta partes duas. Primam his verbis comprehendit: Si quis ſe aliquid non decens in virginem ſuam committere putat, ſi florem ætatis excedat, & ita debet fieri, quod vult faciat, non peccat, iungantur matrimonio. Pertinent iſta ad eos, qui ſe in filias ſuas peccare putabant, ſi eas nuptum darent, vbi coniugij moleſtijs implicabantur. Ill[orum] enim conſcientijs conſulit, & eos nequaquam peccare dicit, ſiquidem id certo & maturo conſilio faciant, & ideo de duobus admonet. Primùm, ſi quis (ait) ſe aliquid non decens in virginem ſuam committere putat, ſi florem ætatis excedat. Quibus verbis videre iubet, ne quid præter officium faciant,

faciant, si rem diutius differant, quàm filiarum ætas postulare videatur. Vt enim vulgò ridentur ætatis prouectioris virgines, ita multis alijs nominibus suspectæ sunt, quasi aut ad rem domesticam inutiles sint, aut superbia tumidæ procos omnes spernant, aut propter vitia latentia nullos maritos inueniant. Quis verò dixerit parentes officij sui meminisse, si filias ludibrijs & suspicionibus eiusmodi exponant? Adde his, quòd frequenter auaritia peccatur, quando filias ideo elocare nolunt, ne vel hæreditatem maternam reddere, vel ex suo dotem dare cogantur. Quicquid ergo huius accidit, parentum est curare, ne quam liberis suis iniuriam faciant. Deinde alterum adijcit: Et si ita debet fieri. Id verò ad ingenium & mores filiarum & filiorum referri debet: vt nimirum hos diligenter obseruent, neq; negligant à Deo datum remedium, si ad libidinem procliuiores esse sentiant. Neq; hîc illorum verbis temere fides haberi debet, quia sæpe pudor obstat, ne quod animo suo cupiunt, eloqui ausint. Ideo qui prudentiores sunt, ij sæpe aut matres aut eos, quos suis familiariores esse nouerunt, subornare solent, vt illorum voluntatem expiscentur. Qui verò non obscuris indicijs deprehendunt, tam proprio ipsorum quàm liberorum honori melius consuli, si de coniugio honesto illis prospiciant, ijs omnino licere dicit Paulus, vt illud faciant, neq; hîc alicuius culpæ periculum esse timendum. Nam talis (inquit) non peccat. Et paulò post: Qui dat nuptum, bene facit. Et rectè quidem hoc dicitur, quando non aliud fit, quàm quod Deus fieri voluit, & quod sanctissimos quosq; iam inde à prima rerum origine fecisse constat. Nam vt multos alios omittamus, quis nescit, quanto studio & industria Abrahamus olim sit vsus, vt Isaaco vxorem se dignam inueniret? Nec enim illi satis fuit, seruum, cuius opera vti decreuerat, diligenter admonuisse, sed eundem iureiurando obstringendum esse putauit, ne quid secus quam ipse mandabat faceret. Similem diligentiam postea Isaacum & Rebeccam adhibuisse legimus, dum Iacobo filio prospectum voluerũt. Tam ergo abest, vt peccent qui vel filijs vxores despondent, vel filias viris elocant, vt potius peccaturi fuerint, si iubente hoc necessitate, ipsi negligentiores sese præbeant.

At hîc simul filij & filiæ obseruent, stabiliri hoc loco parentum in suos liberos potestatem, quæ vt in alijs rebus magna est, ita imprimis hîc summam authoritatem habet, vbi de coniugio agitur. Etenim si illi liberis suis prospicere debent, vicißim horũ fuerit illis obedire, ne horum consilia atq; voluntatem sua libidine & præcipiti audacia præuertant. Semper enim rata apud eos esse debet Lex Dei, qua parentes in honore & pretio habere iubentur. Et quàm magna sit illorum in filios & filias authoritas vel ex eo patet, quòd vota illis inscijs & inconsultis facta rescindere possunt. Cùm ergo Deus ipse suo (vt sic loquar) iure cedere dignetur, neq; ratum esse velit quod ipsi promittitur, si aliter parentes statuant, nimium profectò temerarij & impij censeri debent, qui iuuenilia sua desideria illorum arbitrio nolunt subijcere. Nec est quòd ætatem aliquis prætexat. Nec enim aliqua ætas est, quæ naturæ legibus stabilitam parentum authoritatem violare debeat. Et Paulus hoc loco de virginibus, quæ ætatis florem & nubiles annos iam excesserunt, loquitur, & nihilominus illas quoque parentum imperio subijcit, dum non quid ipsæ facere, sed quid illi de ipsis statuere debeant, docet. Obseruarunt hoc olim probè legum ciuilium authores, qui coniugia, quæ absque parentum consilio & consensu contrahuntur, irrita esse voluerunt, nisi quæ grauior causa illa rata esse iubeat. At ne quid inuiolatum relinqueret Pontificum audacia, hîc quoque leges nouas induxerunt, quibus clandestina quoque coniugia, inuitis parentibus firma & rata manent. Quod quid aliud est, quàm liberorum libidini parentes subijcere, & authoritatem, qua illos Deus armauit in homines nihili & publica infamia dignos transferre, qui plerunq; ventris & gulæ gratia incautos iuuenes & teneras puellas suis lenocinijs seducunt, vt proprijs parentibus minus obtemperent? Prætexunt illi Sacramenti dignitatem, quæ tanta sit, vt sub eius religione facta promissio, rescindi nullo modo poßit. Sed friuolum esse, quòd de matrimonij Sacramento garriunt, alibi demonstrauimus. Imò vt demus matrimonium inter Sacramenta referri debere, nomen tamen hoc non merebitur, nisi legitimè contractum fuerit: & vt Cœnam Domini Corinthios edisse Paulus negat, eò quòd à prima institutione desciuissent: ita nos inter eos matrimonium legitimum coire negabimus, qui matrimonij leges à Deo latas non obseruant. Quàm egregium ergo Sacramentum fuerit, quo & Lex Dei labefactatur, & honestas publica aboletur, & ius naturæ euertitur?

Ius parentum in liberos.

Num. 30.

T

Quomodo virgines seruari debeant.

Sed relictis illis, ad alteram huius admonitionis partem transeamus, quam sic proponit Paulus: Qui verò stat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suam virginem, bene facit. Pertinent hæc ad alteros, qui virgines penes se seruant, neque nuptum dant, vt earum tranquillitati consulatur: & illis quoque vt id faciant permittit. Quia tamen hoc valde periculosum est, & hominum voluntates sæpe præter omnem expectationem subitò mutantur, admodum cautè & circumspectè loquitur, multa requirens quæ hîc obseruari debeant. Primò ait: Qui stat firmus in corde suo. Docet voluntate certa & stabili opus esse, quæ absque graui & matura deliberatione concipi non potest. Hæc igitur præcedat oportet, ne quid ex temerario aut præcipiti affectu statuatur, cuius aliquando pœniteat. Deinde necessitatē omnem excludit, & permissionē hanc ad eos modò restringit, quos nulla necessitas, vt aliter faciant, adigit. Debet autem hoc de incontinentiæ periculo exponi. Nam vbi hoc timetur, ibi quod parentes liberis debent officium, & liberorum honor atque salus necessariò iubent, vt de coniugio illis prospiciant. Quia, vt supra dixit, satius est matrimonium contrahere, quàm vri. Et huc pertinet quod tertio loco addit: Sed in potestate habet propriam voluntatem. Id enim de ijs solis dicitur, qui non ab aliorum arbitrio pendent, & proinde quod volunt etiam effectum dare possunt. Id verò in præsenti causa tunc fit, quando filiæ voluntas eadem est, quæ patris. Itaque si illa vitam cœlibem viuere nolit, non amplius suæ voluntatis potestatem habet pater, & iniquus fuerit, si filiam ad vitæ genus cogere velit, ad quod tuendum illa infirmior est, & ex quo hominis salus nequaquam dependet. Sequitur: Et hoc decreuit in corde suo. Quo membro non aliud dicit, quàm quod iam ante dixerat. Voluit tamen Pleonasmo vti, eò quòd sciret nullam diligentiam in hac causa nimiam esse posse, propter incredibilem diaboli astutiam, qui vndiq; rimas & effugia quærit, vt procul exploso coniugij honesto & legitimo vsu, regnum suum per vagas libidines inter homines stabiliat. Vult ergo parentes in hac causa vigilantissimos esse, & nihil constituere absq; maturo & probè deliberato consilio. At si ista omnia concurrant (inquit) & his conditionibus quis filiam suam domi suæ virginem seruarit, vt ab huius vitæ curis libera Deo expeditius seruiat, is bene facit: neq; vllam reprehensionem meretur. Et mox vtrumq; membrum simul comprehendens causam istam concludit: Itaque qui dat nuptum, bene facit: qui verò non dat nuptum, melius facit: quia & quod per se licitum est facit, & simul tranquillitati & sacro otio filiæ consulit, vt se totam diuinis studijs liberius consecrare possit. Semper ergo ad huius vitæ commoditatem hoc omne restringi debet, quod in cœlibatus & virginitatis commendationem dicitur, nequetiam ad alios extendi, quàm quibus à Deo hoc datum est, vt castè viuant & nullis illicitæ libidinis flammis vrantur. Nam vbi hoc fit, ibi non melius faciunt parentes, sed liberis suis pessimè consulunt, quos in tanto periculo ea medicina spoliant, quam Deus illis concessit. Potest ergo tota hæc Pauli doctrina siue admonitio tribus capitibus comprehendi. Primum commodius Deo seruire & vitam hanc tranquillius agere eos, quibus continentiæ donum est datum. Secundum, nihil hîc statuendum esse temere, ne vel nobisipsis vel alijs laqueum inijciamus. Postremum, licere imò necessarium esse omnibus, qui se incontinentes & in scortationis periculo constitutos esse sentiunt, vt matrimonium contrahant.

Contra vota monastica.

Porrò vt ad ea redeamus, quæ in virginitatis commendationem dicuntur, obseruari debet, hæc omnia à Paulo sic dici, vt ne minima quidem ex parte ijs patrocinetur, qui filias suas votis monasticis obstringunt, & monasterijs includunt, adeoq; seruituti perpetuæ mancipant. Nam vt paulò ante dictum est, nulla alia voluntas hîc parentibus permittitur, quam quæ ex filiarum arbitrio dependet, & cuius ipsi potestatem habent absq; alterius iniuria. At quia hominis voluntas tum in omnibus alijs rebus, tum maximè in hac causa mutabilis est, nihil certi in futurum statui poterit. Etenim videmus multos, qui in ipso ætatis flore à coniugio abhorruerunt, neque libidinis œstro infestati fuerunt, sæpe præter opinionem amore correptos insolitis flammis ardere, & non solùm à cœlestium meditatione auocari, verumetiam ad huius vitæ studia ineptos fieri. Vbi si pristinum consilium aliquis pertinacius vrgere velit, perinde fecerit, ac si incendio exorto aquam infundi prohibeat. Quid verò in Papatu fit aliud, quando parentes pro liberis voueant, & tam absunt, vt vires & ingenia illorum prius explorent, vt sæpe, nondum natos, imò ne conceptos quidem,

dem, vitæ monasticæ destinent? Adhæc interdum inuitos atque reluctantes votis perpetuis & indissolubilibus obstringunt. Deinde liberum hoc esse vult Paulus, vt vel nuptum dentur, vel minus. Illi verò necessitatem ineuitabilem fingunt. Præterea olim parentes domi suæ & in sua custodia virgines suas seruabant, quod ad tuendam earum pudicitiam & ad euitandam omnis probri suspicionem tutissimum & consultissimum erat. At in Papatu parentes liberos suos publicè tantumnon abdicant, & quos ipsi seruare & tueri debebant, aliorum potestati subijciunt, quibus nihil in eos iuris à Deo est datum. Et quoad filias, plausibili quidem titulo istud fit, quando relictis huius seculi studijs Christo nubere dicuntur: at vtinam non sæpe ceu ouiculæ lupis creditæ in petulantissimarum monialium potestatem deuenirent, quæ tenellos animos suo exemplo corrumpunt, & nonnunquam lenas agunt, atque crassis & libidinosis monachis eas prostituunt, quæ virginitatem perpetuam Christo vouerunt. Est igitur hoc loco imprimis admiranda diaboli astutia, qui etsi Paulus tanta verborum diligentia vtatur, & negotium hoc omne tam circumspectè proponat, tamen laqueum istum nectere potuit, quem ille abruptum & sublatum voluit. Simul autem stupore & omni reprehensione dignissima est Episcoporum & principum Christianorum stupiditas, qui laqueum hunc sua authoritate tuentur, & sacrosanctum esse volunt, etiamsi in illo tot virginum nobilium atq; plebeiarum pudicitiam periclitari, tot animarum millia perire, disciplinam ecclesiæ abrumpi, & religionem Christianam Turcarum atq; Iudæorum ludibrijs exponi videant. At quia hæc deplorare facilius est quàm emendare, parentes nunc admonuisse sufficiat, vt ipsi de officio, quod liberis debent, diligentius cogitent.

Nunc ad Paulum redeamus, qui nouum consilium de viduis subijcit, aut potius quod supra obscurius datum videri poterat, repetit atque illustrat. Nam etsi secundas nuptias absque vllo sexus discrimine concessisset, multis tamen à muliebris sexus decoro & honestate alienum videtur, si quæ post mariti obitum alteri iungatur. Quod inter gentes etiam reprehensione dignum multis visum fuisse constat. Nam vt Romani scriptores prodiderunt, quæ vno matrimonio contentæ erant, pudicitiæ corona honorabantur: quod fieri non poterat absque aliarum ignominia, quæ ad alias nuptias transibant. Existimabant enim (vt Valerij verbis vtar) eum præcipuè matronæ syncera fide incorruptum esse animum, quæ post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret: multorum verò matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credebant. Et credibile est, nonnullos vetus hoc Romanæ ciuitatis institutum pertinacius defendisse, ne Christiani homines in hac re ab ethnicis superari viderentur. Quapropter peculiari doctrina hîc opus erat, quam Apostolus tribus Capitibus comprehendit.

De viduis ad secundas nuptias transeuntibus.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Primum his verbis proponit: Vxor alligata est lege, quàm diu viuit vir ipsius: quòd si obdormierit vir ipsius, libera est ad cui velit nubendum. Sensus est, viduis liberum atque concessum esse, vt denuo nubant si velint, & proinde ne his quidem laqueum inijci debere, quo conscientiæ earum grauentur. Id autem probat argumento à contrarijs: Vxor alligata est lege dum maritus viuit: Ergo hoc defuncto soluta & libera est, neque peccat, si alteri iungatur. Est argumentum hoc clarum & firmum, neque negari potest consequentia, nisi quis coniugij vinculum inter mortuos quoque durare dicat, quod vt dictu absurdum est, ita Sadducæis olim resurrectionis negandæ occasionem præbuit. Cæterum abutuntur hoc loco Pontificij, vt nouum illud & prioribus seculis inusitatum diuortij genus defendant, quo mensæ quidem & thori separationem faciunt, matrimonij verò vinculum adhuc ratum & sanctum manere contendunt. Quæ causa est, vt ne adulterio quidem interueniente permittant, vt alteri nubat mulier, cuius vir mœchus & adulter adhuc in viuis est. At præter id quòd Christo contradicunt, qui adulterium iustam diuortij veri & perfecti causam facit, Pauli etiam verba in alienum sensum detorquent, & ex ijs plus colligũt, quàm ille dixerit. Nec enim hîc de diuortio & eius causis siue modo disserit, sed viduis licere docet, vt coniugium repetant, eò quòd prioris coniugij legibus non amplius teneantur. Et quia his vt plurimùm per mariti mortem liberatur, huius modò meminit, non autem ideo negat, nullam aliam causam esse, quæ idem possit. Et quæ obsecro iniquitas est, insontem eo vinculo adhuc obstringere, quod alter iampridem abrupit & in nihilum redegit?

Viduis liberũ est nubere.

In Domino nubendum.

Secundo, quid in quærendo nouo coniugio viduæ obseruare debeant, admonet: Vt nimirum nubant in Domino. Fit hoc quando Deum timent & ab eo latas connubiorum leges religiosè obseruant. Inter has præcipua est, quæ religionis curam habere iubet, ne cum viro prophano & à fide Christiana alieno matrimonium contrahat. Deinde vt in Dei institutionem respiciat, neq; cæcis affectibus sese abripi patiatur. Requiruntur item preces, quibus Dei gratia & benedictio exigitur. Quibus omnibus diligens fidei & dilectionis coniugalis cura debet accedere. Ista igitur si vidua obseruet, minimè peccabit ad nouas nuptias transeundo. At hîc meminisse oportet, quod illi dicitur, non minus ad eos etiam pertinere, qui primas nuptias appetunt. Quia enim absq; Dei fauore & gratia nihil nobis auspicatum esse potest, certè neq; coniugia feliciter cedent, quæ non in Domino contrahuntur. Exempla, quibus hoc probari possit, vndiq; occurrunt.

Vidua quomodo beatior dicatur?

Postremò addit Apostolus: Sed beatior est, si ita maneat, secundùm meam sententiam. At hîc quoque subintelligi debet conditio, cuius iam sæpe meminimus: Si nimirum continentiæ dono sit prædita. Tunc enim beatior erit, non quidem quoad sui status meritum, quod apud Deum omnino nullum est, sed quoad huius vitæ commoditatem, quia minus curæ habebit & molestiæ. Quòd si continentiæ dono caruerit, non beatior erit si vidua maneat, sed multis modis misera, imò viuens licet mortua erit, vt alibi Apostolus loquitur.

Quia autem hanc suam sententiam esse dixit, conclusionis loco addit: Puto autem, me quoque Spiritum Dei habere. Quæ verba Ironiam sapere videntur, qua pseudoapostolos & æmulos suos perstringit, qui sublimioris cuiusdam scientiæ fiducia superbi, omnia sua sub Spiritus sancti prætextu venditabant, Pauli autem doctrinam apud rudes & rerum imperitos contemptam facere conabantur. Ostendit ergo, Spiritum Dei illis minimè alligatum esse, sed se quoque eius esse participem, neque absq; huius suggestione dixisse quæ hucusque dicta sunt. Verè autem ab Apostolo istud dici, res ipsa probat, quando nihil in tota eius doctrina continetur, quod ab illis diuersum sit, quæ olim Deus per Mosem & Prophetas, aut per proprium Filium locutus est. Admonet autem nos breuis ista huius tractationis conclusio, neminem in ecclesia audiri debere, nisi qui Dei Spiritu præditus ea docet, quæ ab illo accepit. Interim tota huius Capitis doctrina in eum vsum nobis seruiat, vt diuini beneficij per matrimonij institutionem nobis concessi memores, puritati & castitati studeamus, imprimis autem in hoc simus, vt vera & germana membra simus ecclesiæ, quam suo sanguine ablutam & purgatam sibi æterno coniugio coniunxit Dei Filius, CHRISTVS IESVS: *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

CAPVT VIII.

HOMILIA XL.

CÆterùm de illis quæ idolis immolantur, scimus quòd omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quòd si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam nouit, sicut oportet nouisse. Sed si quis diligit Deum, hic sciens ab eo factus est.

Tertia epistolæ pars.

POstquam Paulus Apostolus disciplinam ecclesiasticā apud Corinthios restituit, & ea occasione de multis egit, quæ ad vitam rectè instituendam & mores formandos pertinent, trāsit modò ad tertiam epistolæ huius partē, qua de religionis exercitijs disserit, in quibus variè peccabatur. Orditur autē à rebus medijs seu indifferentibus, in quibus multi libertate Christiana licenter nimis abutebantur, & cum multorū offensione in fidei professionem peccabāt. Præcipuum hîc erat, quod circa cibos fiebat. Nam vt aliàs monuimus, illo tempore homines Christiani ethnicis permixti habitabāt, & hi quidem rerum potiebantur, eò quòd ipsorū superstitiones Romani Imperij authoritate defenderentur. Itaq; pro suo more festa agebant, Dijs suis sacrificabant, &

ex sacrificiorum carnibus epulas instituebant, ad quas frequenter Christiani quoq; vel propter viciniam, vel affinitatem, aut etiam amicitiæ ergò inuitabantur. Tunc ergo multi, ne morosiores æquo & rigidi nimis viderentur, aut ex ethnicis amicos sibi facerent, conuiuijs eiusmodi interesse solebant: quæ res multorum scandalorum causa erat. Primò enim contra Legem Dei sacris alienis communicabant, quod fieri non poterat, quin simul in fidei Christianæ professionem peccarent. Deinde infirmiores offendebant, qui cùm adhuc aliqua Deorum veterum reuerentia tenerentur, minus abhorrebant ab eorum cultu, cùm sacris eiusmodi interessent ij, qui præ alijs in fide instructi esse videbantur. Quæ causa erat, vt multi quantùmuis reclamante conscientia illos imitarentur. Accedebat his, quòd exemplo suo ethnicos in superstitionibus & idololatria confirmabant, & ijsdem authores erant, vt multa de tota religione Christiana indignius loquerentur. Quia ergò multus de his sermo erat, & iam in apertam contentionem hæc causa exarserat, suam authoritatem Paulus interponit, & prolixè docet, illos indignè facere, simulq; ostendit, quid hic fieri quidue caueri debeat. Summa omnium est, Christianos homines ab omni idololatriæ communione abstinere debere, & diligenter cauere, ne vel ipsi vllis sacris illicitis polluantur, vel alios suo exemplo seducant.

Est autem doctrina hæc etiam nostro seculo vtilis & admodum necessaria. Nam etsi gentium superstitiones iampridem abolitæ sint, tamen solis nominibus mutatis aliæ in earum locum successerunt, & hodie passim inueniuntur, qui Diuis sacra faciunt, illos inuocant, templa & aras in eorum honorem consecrant, & ijsdem festos dies agunt, in quibus multa fieri solent, partim superstitiosè, partim petulanter, quæ omnia à Christiani nominis professione alienissima sunt. At hìc multos est videre, qui etsi puriorem Euangelij doctrinam profiteantur, ab illis tamen adeò non abhorrent vt sæpe per longa itinera excurrant, vt Encaniorum aliorumq; sacrorum festis intersint. Et hi quidem omnes pacis publicæ studium, amicitias item veteres & infinita alia huius generis prætexunt, at ferè vnum hoc agunt, quòd infirmiores quidem multos offendunt, apertis autem & contumacioribus fidei nostræ aduersarijs calumniandi occasionem præbent, vt nostros homines non tam purioris religionis quàm otij, ventris & gulæ studio teneri dicant. Ergo nostri quoque seculi hominibus hìc concionatur Apostolus, quibus ex ista tractatione generalis doctrina petenda est, vt ab omni superstitionis specie abstineant, & libertatis per Christum partæ beneficio sic vtantur, ne in licentiam degeneret cum aliorum offensione & publica nominis Christiani ignominia.

Doctrina de idolothytis etiam hodie vtilis est.

Sed accedamus ad Pauli verba, qui ita rem tractat, vt argumenta, quibus aduersarij nitebantur validissimè confutet. Est enim hæc commodissima ratio agendi cum ijs, qui à veritatis scopo aberrauerunt: quam quia multi non sequuntur, & proprij nominis authoritatem nimis imperiosè vrgent, non mirum est hodie minus profici in corrigendis ecclesiæ vitijs atque erroribus. Ab eo autem exorditur, qui totius mali quasi fons erat: ab opinione nimirum scientiæ, quæ plerosque ita inflabat, vt se eò vsque profecisse arbitrarentur, vt neq; epulis istis, neque vlla externa cum idololatris societate aut cõmunione pollui possent. Et horum sermones erant: Scimus idola hæc vnà cum suis Dijs nihil quàm vana & inania nomina esse: scimus præterea Christum ciborum discrimina iamdudum aboleuisse, vt nihil quod per os ingreditur, hominis mentem atq; conscientiam possit inquinare. Itaq; cùm absq; omni Deorum fictitiorum metu aut reuerentia ad sacra illorum accedamus, neq; fidem nostram vlla superstitionum persuasione labefactari sinamus, carnibus autem immolatitijs non aliter quàm quibusuis alijs temere obuijs vescamur, nimiùm morosi & in nos iniqui sunt, qui nobis propter illud litem mouent, quod non nisi communis amicitiæ & publicæ pacis seruandæ causa facimus, &c. Agnoscis nimirum in his nostri seculi hominum verba, quibus suam leuitatem in simili causa excusant. Scimus (inquiunt) simulachra esse lignum & lapides, scimus ab hominibus facta esse, neq; tam stupidi sumus, vt in illis spem & fiduciam collocemus: scimus Deum & Diuos externis hisce officijs nequaquam indigere: scimus Papam & totum illum clerum homines esse, &c. Deniq; infinita alia in ore habent, quorum notitiam se habere gloriantur. In quem verò finem hæc omnia dicunt? Vt superstitiones & idololatriam suam excusent, cuius tanta est absurditas, vt eius ipsos non possit non pudere.

Corinthij vana scientiæ persuasione seipsos seducebant.

Paulus scientiæ fiduciam confutat.

Quid autem ad ista Paulus? Conceßione Ironica vtitur, qua argumentum hoc in ipsos retorquet, & hac ipsa scientiæ gloriatione eos multiuariàm peccare docet. Quoad ea (inquit) quæ idolis immolantur, scimus quòd omnes scientiam habemus. Fatetur & sponte hoc illis dat, quo gloriabantur, sed hoc ipsum non tantum esse docet, vt eo superbire, & ideo sibi quiduis agendi licentiam sumere debeant. Nam non vos soli (inquit) hoc scitis, imò idem vobiscum scimus etiam nos, neque nos modò: verumetiam qui inter idololatras stupidißimi habentur, & quos nemo Christianus imitari volet. Ita verò loquendo innuit non satis esse, vt alicuius rei scientiam habeamus, nisi huic scientiæ actiones nostræ respondeant. Quid enim profuerit scire simulachra ex ligno, lapide, luto aut quauis alia materia constare, neque aliquid habere diuini numinis, si interim illis cultum diuinum exhibeas? Annon eò turpior erit idololatria, qua te sciens volensq; omnibus cordatis non minus ridiculum præbes, quàm si quis oculis apertis & sanis in ipsa luce meridiana cæcutire se simulet & palpans oberret? Similiter, quæ vtilitas est scire vnum esse Deum, si non vnum illum inuoces, & illius prouidentia totum hunc mundum gubernari credas? Ita frustra te scire gloriaberis, Papam & sacrificulos homines esse mortales & peccatis obnoxios, cùm interim ea illis tribuas, quæ solius Christi sunt, & quæ non nisi diuina virtute possunt præstari. Quid enim aliud de te dici potest, quàm quòd cum ratione insanias? Similis est eorum arrogantia, qui de Verbi & voluntatis Dei cognitione gloriantur, vt ex eo colligant, nequaquam opus sibi esse vt verbum audiant, aut cœtibus sacris intersint, cùm interim in cultu Dei & moribus omnia faciant aduersus Christianæ professionis leges. Quasi verò inanis illa notitia ad regnum Dei sufficiat, & non potius fidei obedientia requiratur, qua reipsa præstemus, quod nos iampridem didicisse gloriamur. Ita multorum insolentiam Paulus hoc breui dicto confutat.

Sacrificia idolis fiunt, non Dijs.

Obseruabis autem locutionem: Cæterum de illis, quæ idolis immolantur. Ita enim loquendo, carnes illas non Dijs, sed idolis offerri innuit. Id verò ex Christianorum sententia & verè pronuntiat contra id, quod de illis ethnici sentiebant. Hi enim non tam stupidi erant, vt se simulachris lapideis aut ligneis atque anima sensuque carentibus sacra facere putarent: sed in his Deos suos colebant, quos in cœlis residere & illinc beneficia sua in homines distribuere arbitrabantur. At quia Dij illi prorsus nulli erant in rerum natura, aut certè non tales erant, quales esse credebantur, reliquum erat, vt totus ille cultus in simulachris hæreret, & proinde his solis impenderetur. Quod ipsum Spiritus sanctus in Psalmo non obscurè docet, vbi non tam simulachra quàm ipsos Deos gentium nihil aliud esse testatur, quàm aurum & argentum. Patet id ex collatione, quam illic Propheta instituit. Cùm enim dixisset: Deus noster in cœlo est, qui perficit quicquid voluerit: mox subijcit: Simulachra gentium argentum & aurum sunt, opus quod hominum manibus fit: Os habent, & non loquuntur: habent oculos & non vident, &c. Moses autem apertius ad viuum rem hanc omnem resecans, eos dæmonijs sacra facere dicit, qui relicto vno vero Deo nouos Deos sibi quærunt, & gentium sacris communicant. Quem Paulus secutus infra dicet: Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Sunt hæc propter eos obseruanda, qui indignius ferunt hodie, si idololatræ aut simulachrorum cultores esse dicantur. Et primò quidem ineptè inter idola & simulachra distinguunt, quasi verò Græcis nō idem sit idolum, quod Latinis simulachrum dicitur. Deinde multis clamoribus contendunt, se nequaquam simulachris cultum impendere, sed animis suis ad ipsum Deū & Diuos cœlites respicere, quos in simulachris eiusmodi colant. At non desunt nobis argumenta, quibus falsi arguantur, cùm coram simulachris genua flectant, ijsdem vota faciant, cerea accendant, denique miraculosa opera illis ascribant. Sed vt hoc illis demus quod tantopere vrgent, constat tamen neq; Deum verum esse, qui aliqua imagine aut simulachro exprimi poßit, neq; Diuos cultum eiusmodi agnoscere. Quid ergo reliquum est, quàm quòd cultus iste omnis in simulachris quasi finitur, & quòd lapidum atque truncorum inanimatorum cultores sint, quicunq; circa illa occupantur?

Psal. 115.

Deut. 32.

1. Cor. 10.

Scientia inflat, &c.

Sed pergamus in Apostoli verbis, qui vt scientiæ fiduciam, qua illi efferebantur, magis deprimat, illam non inanem modò & inutilem, verumetiam pernitiosam esse docet. Scientia (inquit) inflat, charitas verò ædificat. Quæ verba non eo sensu accipi debent, quasi scientia per se noxia sit, aut illam Paulus damnet. Qua enim fronte hoc faceret, qui in ipso huius epistolæ exordio Deum hoc potissi-

hoc potissimum nomine prædicauit, quòd Corinthij in ipso ditati essent omni sermone & cognitione: & qui infra eos hortabitur, ne pueri sint intelligentia? Et notum est illud Malachiæ: Labia sacerdotis custodient scientiam, & Legem ex ore eius requirent: Legatus est enim Domini exercituum. Et apud Hoseam Deus de populi simul & sacerdotum ignorantia grauiter conquerens, inter alia dicit: Ad silentium redactus est populus meus, eò quòd nihil norunt. Et mox pœnam ijsdem minitans infert: Quandoquidem tu scientiam repulisti, reprobaui & ego te, ne sacerdotio mihi fungaris: & quandoquidem tu oblitus es Legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorum. Christus item suis credentibus Spiritum pollicetur, qui & aduocati & doctoris instar eos non solùm in periculis consolari, verumetiam in omnem veritatem introducere debeat. Sed & Isaias propheta aureum illud seculum & verè felicem hominum sub Christo rege conditionem multis describens, eius causam indicat his verbis: Plena enim erit terra scientia Domini: perinde vt cum aquæ maris inundant. Minimè ergo locus iste indoctis asinis & omnium disciplinarum osoribus patrocinatur, qui cùm bonas literas & linguarum cognitionem ad veram scripturæ sacræ intelligentiam plurimùm conferre, hac verò patefacta superstitiones suas & quem ex illis fecerunt quæstum corruere vident, mox illud Pauli in ore habent: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Vt autem sub scientiæ inflantis nomine veritatis cognitionem populo suspectam & inuisam facere conantur, ita per charitatem non aliud quàm ignauam & oscitantem indulgentiam intelligunt, per quam ipsis liceat quiduis fingere & proprij cerebri figmenta pro oraculis indubitatis ecclesiæ obtrudere. At nihil minus voluit Paulus, qui alibi fideles monet, ne spiritum extinguant, neúe prophetiam & scripturarum interpretationem pro nihilo ducant, omnia autem explorent, & quod bonum atq; veritati consentaneum esse depræhenderint, retineant. In præsenti ergo partim de inani scientiæ persuasione loquitur, qua nonnulli se alijs præferunt, partim de scientia, quæ charitate destituitur. Vtriusque proprium est inflare, id est, tumidos & confidentes facere, qui deinde alios omnes præ se contemnunt. Itaq; inflat scientia, non quidem per se, sed nostro vitio, & proinde nobis hîc diligenti cautione opus est, ne rem maximè vtilem & necessariam nobis noxiam faciamus.

Malach.2. Hos.4. Isa.11. 1.Thes.5.

Etenim omnibus natura insitum est multa sciendi desiderium, quod ex primis parentibus in nos deriuatum esse, non est dubium: quando illi non aliam ob causam diaboli suggestionibus paruerunt, vt ex arboris vetitæ fructu comederent, quàm quòd boni & mali scientiam affectarunt, quæ illos Dei similes faceret. At desiderium hoc per se non malum duobus ferè vitijs corrumpitur, curiositate nimirum & ambitione. Illa enim facit, vt non contenti ijs, quæ nos scire prodest, & quæ Deus ipse nobis reuelat, ea etiam quæ nihil ad nos pertinent scire velimus, & in eorum cognitionem per media illicita penetrare audeamus. Et huic malo artes diuinatorias & fatidicas debemus, quibus Satan quondam orbem vniuersum turbauit, & quarum studio etiam hodie multos à veritatis in Scriptura nobis reuelatæ studio auocat. Ambitio autem causa est, vt non de vero scientiæ vsu cogitemus, sed inani gloriæ studio elati supra omnes homines velimus eminere: quò fit, vt nobis solis malè seruiat, quod multorum aliorum ædificationi & prouehendæ gloriæ Dei seruire debebat. Ad hæc ergo Paulus respiciens, ita argumentatur: Quicquid non facit ad proximi & ecclesiæ totius ædificationem, id Deo placere non potest: quòd si verò insuper destruat, illi inuisum & exosum quoque erit. At quicquid charitate vacuum est, id non ædificat, sed potius destruit, eò quòd quæ sua sunt solum modò homines quærunt: Ergo neque vestra illa scientia Deo placere poterit, quin potius ei exosa est, eò quòd cum multorum scandalo ad communis ecclesiæ destructionem illa vtimini. Hic verborum Pauli sensus est simplicißimus.

Quid in scientiæ studio cauẽri debeat?

At nos hîc admonemur, in ecclesia præcipuum publicæ ædificationis studium esse debere. Nam vt alibi audiuimus, est illa domus Dei, quam cum thesauris gratiæ suæ omnibus ille inhabitare dignatur, quem nec tota huius mundi machina capere potest. Fundamentum huius est Christus, inuicta illa petra, quam neque inferorum portæ expugnare possunt. Ædificatur autem, quando in Christi & salutis per hunc nobis partæ cognitione indies proficimus, & per nos alij quoque ad eius communionẽ adducuntur, & qui iam antea illius membra sunt, in fide vera confirmantur. Ad hoc ergo omnes dona et facultates suas omnes in commune deferre, se inuicem iuuare,

In ecclesia ædificationi studendum.

infirmiores sancta indulgentia fouere, & scandala è medio tollere debent: Ista verò nunquam facient, qui nuda scientia inflati charitate destituuntur. Rectè igitur hanc illi præfert Paulus, & ipse Christus discipulis subinde humilitatem & ad quæuis officia propensam modestiam commendat, eò quòd hæc fidißima charitatis nutrix sit.

Scientia à charitate ne separetur.

Simul autem obseruabis, à charitate Christiana scientiã veritatis nequaquam excludi debere. Vt enim scientia sine charitate inflat & destruit: ita nisi hæc veritatis cognitione regatur, non videbit quid agat, & aut zelo immoderato & iniusto, aut indulgentia nimia peccabit. Et illius quidem exemplum Paulus in Iudæis proponit, quos zelo Dei ardere fatetur, in eo autem peccare, quòd veri scientia destituantur. Imò seipsum præpostero zelo ecclesiæ persecutorem factum fuisse testatur, eò quod verum Legis & cultus Leuitici finem atq; vsum non intelligeret. Quantum verò eorum indulgentia ecclesijs noceat, qui in cognitione verbi Dei non satis probè instituti sunt, notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Debebant ista diligentius cogitare nostri aduersarij, quorum alij scientiam, eruditionem, doctrinam, scholas & harum dignitates atq; magnificos titulos nunquam non in ore habent: alij verò charitatis fraternæ & domus Dei zelo non minus superbè gloriantur. At quæ obsecro scientiæ illius vtilitas, cùm quæ paßim occurrunt scandala non videant, aut si vident ea tamen non remouent? Quæ item illa charitas, quæ tot animarum periculum non animaduertit, aut saltem se ignorare fatetur rationem, qua miseris consuli poßit?

Rom.10. Galat.1. Phil.3.&c.

Corinthiorum ignorantia arguitur.

Cæterùm ne sciolis illis Corinthiorum nimiùm dedisse videretur Paulus, & ipsi ex eo maiorem sese efferendi occasionem arriperent, docet modò, scientiam hanc qua tantopere glorientur, omnino nullam esse. Dicit enim: Quòd si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam nouit, sicut oportet nouisse. Sibi videntur scire, quos propriæ scientiæ fiducia inflat. Hi reuera nihil sciunt, vt scire oportet. Omnis enim scientiæ hic finis & vsus est, vt homo seipsum norit primò, deinde vt Deum agnoscat, postremo vt sciat qua ratione cum illo vniri poßimus, in quo vno salus & felicitas nostra omnis consistit. At qui seipsos norunt, facilè vident quàm nihil in ipsis sit, ex quo superbiendi & alios contemnendi occasionem arripere debeant. Similiter qui veri Dei cognitione illustrati sunt, ij eum amant, ei vni fidunt, & per fidei obedientiam sub eius manu potenti humiliantur. Rursus, qui nobis per vnum IESVM viam ad Patrem apertam esse, nosq; per fidem in illum cum Deo conciliari intelligunt, eos omnis superbiæ pudet, eò quòd Christi exemplum oculis eorum semper obuersatur, & nunquam non eius verba sibijpsis occinunt: Discite à me, quòd mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ex quibus iam certò sequitur, eos reuera nihil scire quemadmodum oportet scire, quicunque suæ scientiæ fiducia turgidi alios præ se contemnunt, & suæ potius priuatæ quàm Dei gloriæ student. Imò nulli mortalium ad discendum ineptiores sunt. Cur enim proficere studeant, qui iamdudũ se omnia assecutos esse sibi persuaserunt? Verißimè ergo à Solomone olim dictum fuit: Vidisti virum sapientem in oculis suis, id est, qui ipse sibi sapere videtur: spes de stulto maior est, quàm de illo. Poterat hoc exemplis plurimis probari, & in quotidiano rerum vsu subinde occurrunt, quæ illi dicto fidem faciunt. Etenim vt à pueris exordiaris, qui in scholis se iam eruditos & solidè doctos esse arbitrantur, priusquam Grammaticæ principia probè tenent, ij nunquam ad eruditionem solidam perueniunt. Ita qui artes mechanicas se iam assecutos esse sibi persuadent, nunquã eo vsq; proficiunt, vt illas cũ aliquo lucro & honore exercere poßint. Eadem est religionis ratio & omnium eorum, quæ ad æternam salutem faciunt. Qui enim in his se tantùm progressos esse putant, vt sibi nulla institutione porrò opus esse, & sibi omnia licere dicant, ij à veritatis cognitione longißimè absunt, & vix vnquam adduci possunt, vt seipsos agnoscant, nedum vt quæ ipsis altiora sunt intelligant, aut eorum cognitione ad salutem propriam vti poßint. Ideo alibi idem Solomon monebat: Ne sis sapiens in oculis tuis, sed Dominum time, & à malo recede: & hæc sanitas erit vmbilico tuo & irrigatio oßibus tuis, id est, omnia tua prospere cedent, & bene habebis quoad externum & internum hominem. Cui promißioni rectè opposueris comminationem, quæ apud Isaiam habetur: Væ his, qui sapientes sunt in oculis suis: & his qui coram seipsis sunt prudentes. Quæ omnia cùm probè nouisset Apostolus, in præsenti infert: Sed si quis diligit Deum, hic sciens ab eo factus est, id est, hic ex germanorum discipulorum Christi numero est, quos omnes θεοδιδάκτους, id est, à Deo edoctos fore olim Propheta prædixit.

Prouerb.26.

Prouerb.3.

Isa.5.

ta prædixit. Deũ etenim nunquã diliget, qui eius cognitione fuerit destitutus: at cùm hunc nemo vnquam viderit, nemo etiam eum cognoscet, nisi cui ille se reuelare dignatur. Dei autem dilectio cum proximi dilectione necessariò coniuncta est, quia qui illum diligit, eos non potest non magni facere, quos ille proprij filij vita & sanguine chariores habuit. Hæc omnia si probè expendamus, certissima collectione sequetur, eos qui propter cibos aut quascunque res in differentes in ecclesia contentionum aut scandalorum authores sunt, Dei dilectione vacuos esse, & proinde scientia illa vera destitui, quæ sola ad salutem consequendam necessaria est. Quàmuis ergo de multis glorientur, & se nihil non scire sibijpsis persuadeant, inanis tamen atque euanida est omnis illorum gloriatio.

Compræhendit ergo breui sententia Paulus, quæcunq; de vera scientia dici possunt, quam vulgò sapientiam nominant, & ad quam omnes aspirare conuenit. Est hæc (vt alibi quoq; diximus) rerum diuinarum atq; humanarum, causarumq; quibus illæ continentur, notitia: & proinde omnia compræhendit, quæ tàm præsenti quàm futuræ vitæ seruiunt. Author & largitor illius est vnus & solus Deus. Quapropter grauiter errant, qui illam propria industria assequi conantur. Quàm parum enim hic videat hominis ingenium, facilè apparet in philosophorum exemplis, qui etsi homines sagacissimi fuerint, & nullius eos laboris atq; diligentiæ tæduerit, in diuinorum tamen cognitione adeò nihil profecerunt, vt potius stulti facti sint (quemadmodum ad Romanos Apostolus testatur) quando illa ad humanæ rationis calculum ausi sunt reuocare. Itaq; vt Iacobus ait, si cui deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe à Deo, qui dat omnibus benignè, nec exprobrat. Effecta eius sunt, quòd Deum diligimus, eidem obedimus, & seruimus, & in illo omnes etiam homines amore syncero complexi in illos benefici sumus. Finis autem & vsus sapientiæ proprius est, vt Deo coniungamur, & in illo æternum seruemur. Ergo vt iam ante diximus, vbi Dei & proximi dilectione homines destituuntur, ibi nulla quoq; sapientia est, & ibidem error atq; ignorantia regnant, quæ miseros mortales in exitium demergunt. Quia verò seipsum Deus in Filio suo IESV CHRISTO reuelat, qui vt splendor gloriæ & character personæ illius existit, ita ab illo nobis sapientia factus est, hunc nos amplecti, illum vnum audire, & in eodem coalescere oportet, vt huius luce & spiritu per huius sæculi tenebras tutò dirigamur ad cœlestis illius gloriæ consortium, in qua Deum videbimus sicuti est, & salute nunquam intermoritura fruemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Scientiæ aut sapientiæ vera ratio.

Iacob. 1.

HOMILIA XLI.

De esu igitur eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum nihil esse in mundo, & quòd nullus est Deus alius nisi vnus. Nam etiamsi sint qui dicantur Dij & in cœlo & in terra (sicut sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est ea scientia: nonnulli autem cùm conscientia idoli vsq; ad hoc tempus tanquam idolis immolatum edunt: & conscientia eorum, infirma cùm sit, polluitur.

Quoniam homo animalis in Dei cognitione & diuinis omnibus cæcutire solet, neque ea percipit quæ sunt spiritus Dei, nihil tàm pernitiosum est, quàm si ex nobis sapere velimus, aut nos omnia scire nobis persuadeamus. Hæc enim causa est, quòd & circa Dei cognitionem fallimur, & in toto salutis negotio non solùm turpiter, verumetiam cum aperto animarum discrimine à veritatis scopo aberremus. Accedit huic malo, quòd falsa & arroganti persuasione inflati quosuis alios contemnimus, & ijs scandalo sumus & exitij authores, quorum saluti ex charitatis fraternæ officio consulere debebamus. Et huius mali exemplum hîc proponitur in Corinthijs, qui licenter nimis ad epulas idololatrarum ex sacrificiorum carnibus institutas accedebant, cùm

ipsi vnius & veri Dei cultores haberi vellent. Gloriabantur illi scientia singulari, & propter hanc sibi quiduis licere existimabant. Sed Paulus gloriationem hanc apertè damnat & seueriter corripit, & ostendit scientiam hanc inutilem, imò noxiam esse, eò quòd charitate non regatur, quæ sola fere obstat, ne Dei donis abutamur. Quo loco nuper didicimus, eam demum veram & salutarem scientiam esse, quæ nobis ex Deo obtingit, & in nobis Dei simul atq; proximi dilectionem accendit, neque alium finem sibi propositum habet, quàm vt & Deus glorificetur, & multi in eius cognitione & vera fide ad salutem æternam ædificentur. His præmissis nunc pergit Apostolus, & quæ illa Corinthiorum scientia fuerit exponit, qua illi sese excusabant, & eandem mox validissimè confutat.

Corinthiorum de idolothytis sententia.

Quoad primum, verba & argumenta eorum recitat, quibus in facti sui defensionem vtebantur. De esu (inquit) eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum nihil esse in mundo, & quòd nullus est Deus alius nisi vnus. Sensus verborum est: Scimus idola nihil esse in mundo, id est, res inanes esse, quæ nuspiam in rerum natura existunt, sed inani modò mentis imaginatione intra cogitationum discursus concipiuntur. Quid enim esse possunt idola, quando Deus vnus est, qui vt ipse nullo simulachro potest exprimi, sic neminem in diuinitatis & cultus sui societatem admittit? Ergo quæ illis immolantur carnes ex ipsis neque sanctitatem aliquam neque pollutionem concipere possunt. Ex eo autem sequitur, neque nos ex earum esu deteriores fieri, & proinde liberum cuique esse, vt in epulis eiusmodi accumbamus, seu minus. Ad antecedentis illustrationem & confirmationem facit, quod sequitur: Nam etiamsi sint qui dicantur Dij & in cælo & in terra (sicut sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus, Pater ille, ex quò omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. Habent ista præoccupationis speciem, qua & gentium errori respondebant, qui Deorum multitudem affirmabant, & se ab illo alienissimos esse testabantur, vt postea dicetur.

Pauli integritas in citandis aduersariorū argumentis.

Nunc ante omnia considerari debet Pauli fides & integritas, qui aduersariorum argumenta tam diligenter & ingenuè adducit, neque aliquid dissimulat eorum, quibus illi sese defendebant. Faciunt hoc ipsum passim Apostoli, & multa huius generis videre est in epistola ad Romanos, quæ magna ex parte disputationibus in vtramque partem habitis constat. In his autem elucet doctrinæ apostolicæ certitudo, vt quæ neque tenebras quærat (quod impostores ferè faciunt) neque calumnijs & captiosis effugijs aduersus contradicentes vtatur. Quod exemplum satis docet, quo loco haberi debeant, qui hodie in nos quidem pro concionibus publicis & scriptis etiam libris virulentissimè inuehuntur, interim vero doctrinam nostram nō bona fide proponunt, argumenta item nostra vel dissimulant, vel falsò adducunt, adhæc apud principes hoc agant, vt nostri libri proscribantur, ne videlicet sit, qui ex nostris responsionibus nostram innocentiam discat, & ipsorum fraudes atque calumnias intelligat. Habent isti præcipuum suæ doctrinæ falsæ præsidium in populi ignorantia: sed quò magis hanc fouent & augent, eò magis causam suam cordatis omnibus suspectam faciunt, neq; diu consistere potest regnum, quod ipsi lusci & strabi in cæcos obtinent. Tandem enim ex tenebris emergit veritas, & fulgore suo omnes mendaciorum nebulas dissipat.

Ingenij humani cœcitas & malitia.

Deinde elucet in hac aduersariorum Pauli argumentatione, quæ sit humani ingenij cœcitas cum prauitate & peruersitate coniuncta. Quæcunq; enim isti dicunt, verissima sunt. Nam idola aut simulachra reuera nihil sunt, & ideo in scripturis Elilim, id est, vanitates aut res inanes atq; mendaces dicuntur. Quoad enim materiam, ex ligno plerunq; constant, in quo neq; diuinitas neque virtus aliqua saluifica continetur. Et hîc imprimis ridiculos sese præbent, qui illa vel faciunt vel colunt, quod olim probè Isaias obseruauit, qui de illis sic scripsit. Accingit se quispiam ad cædendum ligna, vt ilicem aut quercum aduehat, & corroborat se in lignis syluæ: plantat pinum, quam pluuia æducat. Fit hæc homini ad incendendum ignem, & ex his calefit: quin eo incenso panem coquit, deinde & Deum ex ijsdem facit, & adorat: sculptile illud facit, & coram eo procumbit. Partem eius incendit igne, parte eius carnes coquit, assat assaturam, & satur fit: calescit quoque, & dicit: Euge caleo, & ignem sensi. Reliquum autem eius facit Deum, simulachrum (inquam)

Idolorum vanitas.

Isa. 44.

quam

quam) suũ, coram quo procumbit, quod adorat, & coram quo precatur, dicens: Libera me, nam Deus meus es tu, &c. Sunt hæc tam vera tamq; manifesta, vt Poetæ etiam ea videre potuerint. Annõ enim cum propheticis hisce conueniunt, quæ Satyricus de suo Priapo & eius fabricatore dicit. Illum enim sic inducit loquentem:

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum:
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego furum auiumq;

Maxima formido, &c. Quod autẽ de ligneis simulachris dicitur, id nõ minus de lapideis, testaceis, argẽteis, aureis, pictis denique dici potest. Nam illic etiam ex eadẽ massa res diuersissimæ fiunt, & inter alia sæpe simulachrum Dei aut Diui alicuius prodit, vnde paulò ante vas aliquod ad vsus non satis honestos prodierat. Quòd si formam consideres, Dei quidem & Deorum nomina profitentur, sed professio ista vanissima & mendacissima est. Nam Dei veri forma exprimi non potest, quando illum nemo vidit vnquam, & (vt Moses loquitur) ne voluit quidem videri, ne quis ei simulachrum alicuius formæ facere auderet. Dij autem illi alteri nusquam in rerum natura sunt, ideoq; neq; eorum simulachra esse possunt, quæ hoc nomine prostant. Verè enim à Tertulliano obseruatum est, simulachra ex relatiuorum numero esse, quorum ea natura est, vt vno negato aut sublato alterum consistere non possit. Verissimè ergo à Corinthijs nostris dicebatur, idolum nihil esse: verum quoq; erat, Deum esse vnum, qui vt omnia creauit, sic omnia gubernat. Neq; malè ex istis colligebant, carnes victimarum ex idolis nullam vel sanctificationem vel pollutionem contrahere, & quoad essentiam aut alendi nutriendiúe virtutem neq; meliores neq; deteriores fieri. At falsissimum erat, quod ex illis inferebant, licere Christiano homini epulis in idoli honorem institutis accumbere, & ne tunc quidem eos pollui, qui illis non sine infirmorum scandalo vescebantur. Vnde autem ista fallacia? Ex eo nimirum, quòd illa omnia ad gulam & improbissimos carnis affectus applicabant, & pro sua libidine abutebantur. Nec enim vera consequentia est: Idolum nihil est, & Deus est vnus: ergo carnibus idolothytis vesci & inter idololatrarum conuiuia accumbere licet. Imò quia Christianos homines veritati studere, & se totos quoad corpus & animam Deo impollutos seruare conuenit, potius concludendum erat, ab omni idolorum & idololatrarum consortio esse abhorrendum. At in meridiana luce cæcutiunt, quicunq; carnis cupiditatibus sese duci patiuntur.

Ioan.1.
Deut.4.

Et est hæc diaboli Sophistica, qui ipse etiam ex veris falsa colligit, sicuti in tentationibus aduersus Christum institutis est videre. Neq; desunt huius generis exempla in multis, qui fallacijs eiusmodi toti ecclesiæ negotium faciunt. Quid enim aliud faciunt Romanenses, quando ad rauim vsque clamant, Christum dixisse, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Item: Pasce oues meas? Agnoscimus nos Christi verba, & in illis eius fidem & curam plus quàm paternam exosculamur, qua ecclesiæ suæ prospicit, & eandem aduersus omnes hostium machinationes tuetur. At quod illi colligunt, Romanum Pontificem ecclesiæ fundamentum, caput & vniuersalem omnium totius orbis ecclesiarum pastorem esse, id negamus: quia nihil huius ille dixit, neq; ita eius verba Apostoli acceperunt. Similis est nostrorum aduersariorum audacia, qui vt corporis Christi realem & crassam in Cœna mystica præsentiam atq; manducationem tueantur, nunquam non illius promissionem in ore habent: Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi: adhæc de illius maiestate, omnipotentia & gloria multis contendunt. Atqui nos neque promissionem illius negamus, neque eiusdem omnipotentiam & maiestatem in dubium vocamus: sed hæc non obstare dicimus, quò minus sua corpori eius veritas constet, & Ascensionis in cœlos articulus inconcussus maneat, inque ijs etiam ille verax sit, quæ de suo ex terris discessu apud discipulos est concionatus. At ista omnia aduersarij nostri vel malitiosè dissimulant, vel expositionibus violentis eludunt, & in sensum alienum detorquent. Facilè autem viderent veritatis lucem inter hæc omnia sese exerentem, nisi oculos ipsis perstringeret gloriæ inanis studium, quo inflati errorem veterem pertinaciter potius tueri volunt, quàm hunc fatendo nominis & honoris sui existimationem in periculum adducere.

Sophistica diaboli.
Matth.16.
Ioan.21.
Matth.28.

Nobis autem vtilissimum est, sæpe & diligenter in horum consideratione versari, vt cautiores facti à Sophistica illa nobis caueamus, ne vel nobisipsis, vel per nos multis alijs Satan imponat, quando Dei verbum malitiose detorquet.

Multitudo Deorum confutatur.

Cæterùm pergamus in Apostoli verbis, qui etsi in aduersariorum persona loquatur, paucis tamen & dilucidè veram doctrinam de Deo & fide vera, qua is colitur, comprehendit. Quod vt commodius faciat, ante omnia errorem πολυθείας, id est, de multitudine Deorum confutat. Nam etsi sunt (inquit) qui dicantur Dij & in cælo & in terra (sicut sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus, &c. Fatetur quidem Deos multos in orbe coli, & infinitos tàm in cælis quàm in terris extare, qui Deorum nomine prostent. In cælis enim fulgens Sol, Luna & totus ille siderum chorus, quem scriptura exercitum cæli dicere solet. Quibus omnibus numen inesse gentes credebant. In terris autem plurimi fuerunt, quos ijdem in Deos retulerunt, cùm homines fuisse non ignorarent. Iam pridem enim error ille obtinuerat, vt Dij crederentur, qui aut inuenti alicuius præclari, aut beneficij publici fuissent authores. Et hanc suæ Deitatis originem habuerunt veteres illi Dij, Saturnus, Rhea, Iuppiter, Osiris, Bacchus, Mercurius, Iuno, Minerua, Venus, Mars, Plutus, Neptunus, Triton, cum innumeris alijs, quos longum foret recensere. Accesserunt posteris temporibus recentiores, Quirinus, Imperatores, Reges: & vt Tertullianus scribit, eò licentiæ res peruenerat, vt Senatus Romanus penes se ius istud esse vellet, vt pro Deo coleretur, quem ipse hoc nomine & honore dignatus esset, inglorius autem & obscurus maneret, quem idem ille negligendum esse decreuisset. In quibus arrogantiam ne aut stultitiam magis admirere incertum est: quando sibi in cælos ius & imperium sumpserunt, qui ne in terris quidem aliquid possunt, nisi Deus ex alto vires dederit: imò Deos facere conati sunt, qui seipsos non poterant seruare, quò minus à morbis infestarentur, animalia sibi noxia sentirent, tempestates item & infinita alia sibi aduersa experirentur. Sed ne hîc quidem subsistit infelix superstitio, sed ita excæcati sunt multi, vt boues, vitulos, ciconias, ibices, crocodilos, & inanimata multa, vtpote porrum, cæpe, allia pro Dijs colerent: vt non temere Iuuenalis exclamarit: O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina. Quid? annon apud Romanos lapis Terminus Deus esse creditus est, & tantus quidem, vt illi Iupiter Capitolinus cedere coactus fuerit? Et ijdem, cùm iam rerum Domini essent, Deos esse putarunt Rubiginem, Metum, Pallorem, Febrim, Stercutium, Cloacinum: vt iam de eo nihil dicam, quòd fluuijs, fontibus, arboribus singulis sua numina tribuerunt, adeoque in singulis domibus Lares & Penates habuerunt, ex quorum fauore totam rei domesticæ administrationem putabant pendere. Deniq; eò rem progressam fuisse constat, vt D. Augustinus ex Varrone annotarit, circiter triginta millia Deorum fuisse, quos orbis terrarum coluit: in quem tamen censum procul dubio Dij illi minores, quos modò recitauimus, non venerunt. Et hoc quidem Paulus quoque fatetur in præsenti, ut simul vno verbo omnes illos reijcit atque confutat, quando Deos dici ait, non esse. Nuda ergo hæc nomina erant, & tota istorum Deorum maiestas siue Deitas ex superstitiosorum hominum opinione pendebat.

Christianis vnus est Deus.

Deut. 6.
Isa. 42. & 45.

Vt verò Christianam religionem omni vanitatis istius suspitione liberet, & ab omnibus superstitionibus distinguat, addit: Nobis tamen vnus est Deus. Nimirum ad illud Mosis respiciens: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est. Et hoc passim Prophetæ inculcant. Per Isaiam certè clamat ille: Ego Dominus, & hoc est nomnen meum, & gloriam meam alteri non dabo, neque laudem meam sculptilibus. Et rursus: Annon ego Dominus? & non est alius Deus præter me? Deus iustus & saluans nullus præter me. Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ: Ego sum Deus, & nullus præterea. Itaque hoc Christianæ religionis proprium est, quòd alijs circa multos Deos occupatis, Christiani homines vnum solum agnoscunt, qui vt omnia creauit & abs se creata gubernat: ita nos per Filium suum IESVM CHRISTVM redemit, vt ipsius simus peculium, in quo ipse glorificetur. Et hanc causam olim fuisse D. Augustinus scribit, ob quam gentes, cùm in nouis Dijs faciendis atque colendis diligentissimi essent, CHRISTVM tamen & religionem Christianam amplecti noluerint. Sciebant enim à Socrate verissimè dictum esse, vnumquenque Deum ita coli debere

De cons. euág. lib. 1. cap. 18.

debere, sicuti ipse se colendum esse præcepit. Quapropter cùm Christianorum Deum audirent solum coli & inuocari velle, neq; collegas aut riuales vllos admittere, non potuerunt facilè adduci, vt vnius causa totam illam Deorum multitudinem relinquerent, quorum cultibus à pueris assueuerant. Et quod illis accidit, hoc ipsum hodie etiam multis accidere solet, vt à vera fide in Christum non alia de causa abhorreant, quàm quòd hunc solum doceri & in eius solius merito omnia monstrari audiunt, quæ nobis ad salutem sunt necessaria. Ferre enim possunt, vt quis illum nobis à Deo iustitiam, mediatorem, aduocatum, sacrificium pro peccatis factum esse dicat. Quàm primum vero ad particulam illam exclusiuam; SOLVS, venitur, & ista omnia ita soli Christo tribuuntur, vt nullus Diuis mediatoribus, nostræ item iustitiæ, nostris satisfactionibus, vt neque Missæ sacrificio aut purgatorio igni, locus reliquus fiat: mox stupent, & absurdum putant, omnibus alijs relictis in vno & solo Christo acquiescere. At neminem ista moueant, sed scripturas audire debent, quotquot veri Dei cultores dici & haberi volunt, & cùm Deus ipse se vnum esse profiteatur, & ne Deos alios ipsi coniungamus grauiter admodum præcipiat, nemo tantum sibiipsi permittat, vt aliquid hîc sibi licere putet. Ambulabunt quidem (vt Micheas ait) omnes Mich. 4. populi, quisque in nomine Dei sui, nos autem ambulemus in nomine Domini Dei nostri in seculum, & proinde cum Paulo dicamus: Etiamsi multi sint qui Dij dicantur & in cælo & in terra, nobis tamen Deus vnus est.

At hîc obseruabis, Paulum ita de Deo vno disserere, vt in vna illa essentia personas distinctas esse non dissimulet. Nam & Patrem & Filium nominat, & vtrumque suis etiam proprietatibus ab altero distinguit. Nobis (inquit) vnus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. Quem Deum vnum dixerat, mox Patrem & Filium nominat. Distinctæ ergo in illa Deitate personæ sunt. Nec debet hic nobis scrupulum mouere, quòd illum quidem disertè Deum, hunc verò Dominum dicit. Solent enim duo hæc nomina in scripturis sæpe coniungi, quoties de Deo vero & vno sermo est, vt in locis supra ex Mose & Isaia adductis cernitur: sæpe etiam permutantur, vt Pater quidem Dominus simpliciter, Filius autem Deus & quidem Iehoua (quod Dei nomen essentiale & proprijssimum est) dicatur. Exempla passim occurrunt, vt illis commemorandis non opus sit insistere. Et vt Pauli verba consideremus, quemadmodum à rerum omnium dominio Patrem non excludit, licet Filio Domini nomen adscribat: ita neque Filium Deum esse negat, etiamsi Dei nomen de Patre prædicet. Quin vt distinctè loqueretur opus erat propter Iudæos, qui personarum distinctionem nullam agnoscunt, & quæcunque de Deo vno dicuntur, in eum sensum detorquent, vt Filij Deitatem omnino negent. Ideo etsi nominibus & proprietatibus Patrem & Filium distinguat, ea tamen de vtroque dicit, quæ non nisi de Deo verè & propriè dici atque intelligi possunt. Nam quoad Domini nomen, constat quidem hoc Filio fere tribui, quòd nos sanguine suo redemit, & quòd ei in carne manifestato omne iudicium & omnis potestas in cælo & in terra data sit: at simul certum est illud ipsum soli Deo propriè conuenire, quod ipse apud Isaiam testatur. Et hoc ne gentes quidem omnino ignorauerunt, quando de Augusto scribitur, quòd se Dominum dici vetuerit: nimirùm quòd nomen istud augustius & sublimius esse sentiret, quàm quod de homine mortali posset prædicari. Et huc facit in præsenti, quòd vt vnum Deum, ita vnum Dominum esse Paulus fatetur. Nam ex eo constat, ipsum non de alio Domino loqui, quàm qui idem Deus sit. At quia de personis illi sermo est, proprietatibus quoque easdem distinguit. Nam de Patre dicit: Ex quo omnia, & nos in ipso. De Filio autem: Per quem omnia, & nos per ipsum. Ex Patre omnia esse, & nos in ipso consistere & seruari dicit, vt in illo principium & essentiam rerum omnium esse doceat. Rursus per Filium omnia condita, & nos quoque per ipsum seruari ait, vt huius cum Patre inseparabilem vnionem & potestatis atque gloriæ æqualitatem exprimat. Quod mysterium Ioannes non minus diligenter quàm perspicue expressit, sic scribens: In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo. Hic Sermo erat in principio apud Deum. Omnia per illum facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit. Scimus vt ista eludant Arianæ hæresis instauratores,

In Deo vno distinctæ personæ.

Domini nomen soli Deo conuenit.

qui Filium Deum quidem esse fatentur, sed æternum & Patri coessentialem esse negant. Fingunt ergo Patrem, qui solus æternus sit, in primo rerum exordio Filium ex se genuisse, qui prius nullus fuerit, per quem postea mundum hunc omnem crearit. Atqui aliter Ioannes loquitur, qui non modò Verbum illud in principio fuisse, & apud Deum fuisse scribit, sed etiam addit: Et Deus erat ille Sermo. Si ergo aliquando non fuit Sermo ille, & initium habuit, iam Deum quoque aliquando non fuisse, & proinde initium habere fateamur oportet. Adhæc cùm omnia per Filium facta sint, & sine hoc factum sit nihil, vanissimum est, quicquid illi de Filio prius in eum finem genito aut facto nugantur, vt Pater eo in mundi huius creatione vteretur. Nam si nihil sine illo factum est, ab omnium eorum numero, quæ principium habent, illum eximere oportet. Adde, quòd eiusdem potentiæ & virtutis est, quòd Pater omnia creauit, & quòd omnia per Filium creata sunt: quòd item in Patre omnia consistunt, & quòd eadem per Filium consistunt. Et poterant huius generis argumenta multa adduci, sed nos ijs contenti sumus, quæ ad istius loci expositionem faciunt. Sufficiat ergo monuisse, ita nos aduersus gentium superstitiones & Deorum alienorum multitudinem Dei veri & viui vnitatem asserere debere, vt interea personarum in illa vnitate distinctionem aduersus Iudæos & Mahumetanos omnesq́ sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis hostes constanter tueamur.

Cur Spiritus Sanctus hîc nō nominetur?

Quòd si quæras, cur nullam Spiritus Sancti mentionem Paulus hîc faciat? in promptu est responsio: quia noluit absolutam de Dei essentia & Trinitatis mysterio tractationem instituere. Sufficiebat ergo ea dixisse, quæ ad Deorum multitudinem, inter gentes receptam, confutandam poterant sufficere. Et cùm magna esset Corinthiorum ignorantia atque ruditas, non consultum videbatur eos in profundiorem mysteriorum, quæ omnem humani ingenij captum superant, abyssum deducere. Et hanc causam Chrysostomo quoque placuisse, eius verba testantur. Quòd si hæc non sufficit alicui, age dicat ille nobis, cur alibi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum coniungat? Cur item Christus discipulos in nomen Patris, Filij & Spiritus Sancti baptizare iusserit? Quid hîc aliud responderi poterit, quàm quòd personarum istarum eadem sit potestas, dignitas, maiestas & gloria? imò quòd Pater, Filius & Spiritus Sanctus Deus vnus sit benedictus in secula?

Quid de Deo credere debeamus?

Restat, vt quid de Deo hoc nos potissimum credere oporteat videamus, quoad ea, quæ ad nos & ad totum fidei atq; salutis nostræ negotiū propriè pertinent. Primum est, quòd ex ipso sint omnia. Et huc articulus ille Symboli Apostolici pertinet, quo fatemur, Patrem creatorem esse cæli & terræ, quibus alia omnia cōtinentur, quæ in rerum natura sunt. Est hoc Deo ita proprium, vt Prophetæ passim hoc argumento verū Deum à falsis & alienis distinguant, & ipse per Ieremiam clamet: Dij, qui non fecerunt cælum & terrā, perdentur de terra, & de sub cælis ipsis. Quid ergo de philosophis dicemus, quorum alij mundi huius machinam ab æterno fuisse, alij ex atomis & quacunq; alia materia temere exortā esse tradiderunt? Annon illos omnes Deū ignorauisse, & proinde in primo salutis humanæ articulo offendisse patet? Christiani ergo homines in omnibus Deum creatorem agnoscant, quod imprimis vtile & necessariū est. Ita enim subinde occurrent, quæ illos in veri Dei contemplationē ducere & in fide vera confirmare poterunt. Admonet præterea hoc, minime opus esse simulachris hominum manu factis, cùm vbiq; extent Dei opera, quæ nos de eius potentia, sapientia, bonitate & veritate admonent. Secundò tenere oportet, nos & nostra omnia in hoc vno Deo consistere. Comprehendit hoc prouidentiā eius, qua res omnes iam inde ab æterno prædestinauit, & easdem per media certa & optima ad suos fines dirigit. Extenditur hæc ad omnes mundi partes, vt neq; flores in agris nascentes, neq; coruorum pullos negligat. Et huius consideratio diligens vt nos in officio continet, ita salutis certos reddit, & in omni tentationum genere efficacissimè consolatur. Tertiò in Filium respicere conuenit, quem ille æterno suo consilio prædestinauit, vt nos sui sanguinis pretio redemptos ipsi reconciliaret. Itaq; vt omnia per Filium condita sunt: ita nos quoq; per eundē non modò quoad corpus & animam creati, verumetiā Filij Dei & ipsius cohæredes facti sumus. Et hæc vera atq; salutaris Dei cognitio est, adeoq; hæc fidei Christianæ summa est, in qua sola hominis vita atq; salus habetur. Et quia hæc (vt supra diximus) ita

Paulus proponit, vt hanc cognitionem atq; fidem ad solos Christianos restringat, satis apparet, à fidei & religionis Christianæ scopo eos omnes aberrare, qui vel Deos alios colunt, vel alios inter Deum verum & nos Mediatores fingunt, vel Deum simulachris exprimere & colere conantur. Solus enim Deus is est, ex quo omnia sunt, & cuius virtute & prouidentia nos consistimus atq; seruamur. Solus autē & vnicus inter illum & nos Mediator est Filius eius IESVS CHRISTVS, per quem mundus hic totus conditus est, & per quem nos eam dignitatem obtinuimus, vt Filij Dei dicamur. Vt autem Deus in sua essentia simulachro aut imagine exprimi nō potest: ita neq; Filio simulachrum fieri debet, cùm is Legem non dissoluat, sed potius compleat. Istis ergo nos insistere decet, neq; eos audire, qui nouos fidei articulos condere, & ex suo capite cultus quoq; nouos instituere audent. Abutuntur hi ferè Ecclesiæ Christi authoritate, & mutato Symboli Apostolici articulo, in Ecclesiam credendum esse docent. Et cùm ipsi sibi omnem in Ecclesia potestatem vendicent, mox hæreticos & apostatas inq; matrem Ecclesiam impios esse clamant eos, qui non omnibus ipsorum statutis subscribunt. Sed nihil huius vnquam Apostoli tradiderunt, & vel vnus hic locus istorum tyrannidem atq; impudentiam abunde conuincit.

At quoniam in horum mentionem incidimus, non possum mihi temperare fratres in Christo dilectißimi, quin illustrißimi Principis, Sigismundi Austriaci, qui annis ab hinc retro centum & amplius vixit, historiam recitem, vt ex ea intelligatis, non hodie demum Pontificum insolentiam principibus displicere cœpisse, sed iampridem omnibus intolerabilem fuisse visam, qui communem patriam amarunt, & gloriam Dei voluerunt promotam. Inciderat optimo principi lis cum Cardinale Cusano, quem Pius Secundus Papa (qui prius Æneas Siluius dictus fuit) Brixiæ episcopum fecerat, vt eum opibus & dignitatibus augeret. Non poterat autem Sigismundus, cùm populi sui amantißimus esset, Cardinalis auaritiam & rapacitatem diutius ferre, & cùm non aliud remedium esset, tandem in arce quadam obsessum in suam potestatem redegit, & in custodia arctißima detineri curauit. Doluit hoc factum Pontifici, & Sigismundum excommunicationis fulmine ferijt, adhæc indignum iudicauit, cuius defensionem aliquis audiret. Argumentum quo nitebatur, præcipuum erat, Sigismundum fidei articulum negare, quo Christiani fateantur, se credere in vnam sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, ideoque non debere à quoquam audiri. Ad ista optimus Princeps publico scripto inter alia sic respondet: Nos certè iam inde à pueris ita à patre nostro instituti sumus, vt credamus in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum, Dominum nostrum, & in Spiritum Sanctum: Non autem in Ecclesiam. Atqui neque Symbolo Apostolico hoc continetur, vt in aliquam creaturam credamus. Fides enim illa, quam duodecim Apostoli, milites IESV CHRISTI, cùm ad certamen aduersus idololatras & gentes descenderent, vno corde & spiritu professi sunt, qua etiam sese armarunt, vt hoc quasi scuto tecti hostium aciem perrumperent, hæc verba continet: Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam ecclesiam catholicam. In hac fide nos cum duodecim Apostolis consistimus. Vbi verò ætate progreßi & cultum Dei ab ecclesia sancta institutum diligentius obseruare cœpimus, tunc ex Symbolo à patribus in Niceno Concilio congregatis conscripto didicimus credere in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem: Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei vnigenitum: Et in Spiritum Sanctum, Dominum viuificatorem, &c: Et sanctam ecclesiam Catholicam: Non autem, In Ecclesiam. Ea etenim creatura & opus Dei est, factoris omniū visibilium & inuisibilium. Hæc omnia ex vetustißima scheda, quæ illis omnino temporibus scripta videtur, optima fide ex Germanica lingua in Latinam transtulimus, vt vel hinc constet, maiores quoque nostros & fortißimos Germanorum veterum principes, non tantum Romanis Pontificibus tribuisse, vt in eorum gratiam à simplicitate fidei & doctrinæ apostolicæ discedere voluerint.

Sigismundi Austriaci fides.

Porrò ad Paulum redeamus, qui vno verbo ad Sophisticum illud aduersariorum argumentum respondit, & quasi flatu vno turgentem illam inani scientiæ persuasione bullam dißipat. Sed non in omnibus (inquit) est ea scientia, &c. Quasi diceret: Audio quidem vos ista scire, & proinde carnibus istis absq; vlla superstitione vesci: sed non omnes illi, qui vobiscum accum-

Aduersariorū argumentum confutatur.

bunt, aut vos accumbere vident, rem perinde vt vos intelligunt. Sunt enim nonnulli, qui ad hoc vsq; tempus post tam longam & diligentem in fide Christiana institutionem, carnes istas cum conscientia idoli comedunt, & eas ex illo pollutionem aliquam contrahere suspicantur. Cuius erroris causa est, quòd idolis adhuc plus quàm par sit tribuunt. Ideo conscientia eorum, cùm infirma sit, polluitur. Causa huius dicti est, quòd qui reclamante conscientia aliquid faciunt, ij eo ipso testantur, se suæ voluntatis maiorem quàm diuinæ rationem habere: imò illi suam libidinem Dei præceptis præferunt, cùm id faciant, quod illis aduersum esse intra animos suos conscientia propria dictat. Absque fide ergo istud omne faciunt: at quod absq; fide fit, peccatum est, vt ad Rom. cap. 14. scribitur. Admonemur igitur hoc loco, quantum referat, animos in diuinæ voluntatis cognitione rectè instructos habere. Ea enim conscientiæ vis est, vt opus medium aut indifferens possit bonum aut malum facere: & de hoc intelligi debet, quod alibi Paulus dicit: Omnia quidem pura puris: sed pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum mens & conscientia. Vt verò de Dei voluntate certi & intra animos nostros securi simus, fieri non potest, nisi illum in verbo suo loquentem audiamus. Nec enim hîc de opinione, quam ipsi temere animis concipimus, agitur: sed de certa voluntatis Dei cognitione, quæ mentes prius fluctuantes confirmat, vt quid fieri aut caueri debeat, intelligant.

Non sufficit si nos aliquid intelligamus, &c.

Imprimis autem hîc obseruari debet, non sufficere, vt nos rem de qua agitur intelligamus, sed aliorum quoque rationem habendam esse, quibus cum nobis res est, aut quos in nos respicere scimus. Est enim graue peccatum alijs scandalum ponere, quos ædificare & in fide confirmare debebamus. Et notum est illud Christi: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Quisquis offenderit vnum ex paruis istis qui in me credunt, præstiterit ei, vt suspendatur mola asinaria ad collum eius, ac demergatur in profundo maris. Probè ergo cauere nos decet, ne nostra vel scientia vel libertate abutamur apud eos, qui ampliori institutione opus habent. Peccant hîc grauiter, qui clamant non debere sibi fraudi esse aliorum infirmitatem, quò minus ipsi sua libertate fruantur. Quibus responderi poterat: Atqui multò minus tua scientia & fides cuiquam hominum fraudi esse debet, cùm omnium donorum Dei hic nobis vsus esse debeat, vt primò quidem eius gloriæ, deinde proximi ædificationi & saluti seruiant. Et quia sub Christo capite omnes eiusdem corporis membra sumus, non possumus membra infirmiora negligere aut contemnere, nisi nos prius à corpore Christi alienos facere, & tam fidei quam dilectionis Christianæ leges violare velimus. Meminisse item oportet, ecclesiam, quoad in terris hisce militat, non posse ad perfectionem peruenire, sed magnum semper fore numerum infirmorum, & sæpe in minimis adhuc eos hærere, qui præ alijs instructi esse debebant. Exemplo nobis hîc esse potest ecclesia Corinthiorum. Docuerat apud eos Paulus annum integrum & menses octo. Successerat ei Apollo, vir diligens & in scripturis egregiè versatus. Erant præterea multi etiam alij, qui doctrinam veritatis fortiter tuebantur. Non potuit tamen horum omnium fides & diligentia efficere, quin infinitis alijs næuis atque vitijs hoc quoq; accederet, quòd idolis nonnulli plus quiddam tribuerent, & idolothytorum esu offenderentur. Quid igitur de nostri seculi hominibus sperare possumus, quando zelus ille & feruor iamdudum refriguit, quo primitiuæ ecclesiæ fideles arserunt?

Contra imaginum patronos.

Quòd si verò in ijs, quæ per se indifferentia sunt, nostro iure interdum cedere debemus, ne libertate nostra cum aliorum scandalo abutamur: quantò magis hoc obseruari debet in ijs, quæ prorsus illicita sunt, & diuinis legibus prohibentur? Huius vtinam meminissent, qui cùm euangelicæ veritatis doctores & inter hos antesignani haberi velint, imagines tamen in templis prostare sinunt, & eas pertinaciter tuentur aduersus eos, qui eiectas volunt. Clamant illi: Scimus imagines nihil esse, & nemo ex nostris tam stupidus est, quin sciat, ligno & lapidi non alligandam esse gratiam Dei. Atque vtinam hoc tam verè dicerent, quàm frequenter in ore habent. Sed aliud nos docent multorum exempla qui simulachris non minus, quàm olim ethnici, tribuunt. Et vt nemo id faciat ex nostris, cur nostro exemplo eorum superstitionem confirmamus, qui adhuc in papisticis tenebris hærent? Denique vt scandali periculum omnino nullum sit, minimè tamen fieri debebat, quod Deus disertè & magna cum grauitate

tate prohibait. Dicunt, curandum potius, vt idola ex cordibus eijciantur. Fateor. Sed non ex cordibus solùm, verumetiam ex templis, ex ædibus priuatis, ex triuijs denique illa tolli vult Deus. Et apud prophetam fornicationes de sinu simul & facie procul remouere iubemur. Similis eorum culpa est, qui magnum illud idolum Antichristianæ superstitionis, Deum Mayzim, ambiguis suis de pane mystico locutionibus tuentur, & non sine contentione eos in errore detinent, quos in veritatis cognitione & legitimo Cœnæ Dominicæ vsu instituere debebant. Quantùm autem istorum pertinacia ecclesijs hucusque nocuerit, & quàm insolenter piorum Martyrum cineribus ijdem non semel insultarint, nemo sine gemitu & lachrymis referre potest. Gloriantur quidem isti omnes eruditionis & multiplicis scientiæ titulis, & apud rude vulgus iampridem summam doctrinæ existimationem sibi parauerunt: Sed vtinam Dei & proximi dilectione hæc illorum scientia gubernaretur, & ecclesiarum potius ædificationi quàm ostentationi studerent. Itaque meminerint quæso doctores sui officij esse, vt quàm plurimos Deo lucrifaciant, & ideo infirmiores non inutili sublimium mysteriorum prædicatione grauent, sed simplici veritatis doctrina instituant atque confirment. Singuli verò discant in hoc esse, vt Deum vnum colant in spiritu & veritate, & vnum Dominum IESVM CHRISTVM audiant atque sequantur, qui nobis ab illo factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLII.

Cæterùm esca nos non cõmendat Deo. Neque enim si vescamur, abundantiores sumus: neque si non vescamur: egentiores reddimur. Sed videte, ne quo modo potestas illa vestra sit offendiculo ijs, qui infirmi sunt. Etenim si quis viderit te, qui sciẽtia præditus es, in idolæo accumbere, nonne cõscientia ipsius, qui infirmus est, ædificabitur ad edendũ ea, quæ sunt idolis immolata? Et tua ista scientia frater, qui infirmus est, propter quem Christus mortuus est, peribit? Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipsorũ conscientiam infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca facit vt offendat frater meus: non vescar carnibus in æternum, nec faciam vt frater meus offendat.

QVamuis Deus, qui spiritus est, in spiritu & veritate vult adorari, neque vllis rebus externis coli potest, de ijsdem tamen præcepta dat, & vt illis rectè vtamur nos imprimis videre oportet, ne quæ ille in nostrũ vsum condidit, ipsi per abusum nobis ipsis aut alijs noxia faciamus. Admonet de hoc frequenter spiritus sanctus, eò quod hîc plurimùm in omnem partem peccatur. Sunt enim qui pietatem & salutem hominis omnem in externis consistere putant, & proinde his solis occupantur: quòd olim temporibus Prophetarũ Iudæos fecisse constat, & docentibus iam Apostolis complures hoc ipsum fecerunt, & hodie error iste longè latèque dominatur. Alij verò neglectis prorsus externis omnibus, libertate per Christum nobis quæsita turpiter abutuntur cum scandalo multorũ, quos ipsi in fide ædificare debebant. Et hoc illud erat, in quo à Corinthijs peccabatur quoad epulas, quas ethnici & idololatræ ex sacrificiorũ aut victimarum carnib. instruebãt. His enim sæpe Christiani quoque homines, ab amicis aut vicinis vocati intererant, & se plus satis excusatos esse arbitrabãtur, quòd idola Deorũ nihil præter inania nomina esse scirent, & proinde nihil in eorum honorem facerent, sed amicitiæ seruandæ causa epulis istis, vt quibuscunque alijs prophanis atque vulgaribus accumberent. Erat autem hæc illorum leuitas plena scandali, atque suo exemplo Euangelij cursum tàm apud infirmiores ex Christianorum grege, quàm apud prophanas gentes vehementer impediebat. Quæ causa est, quòd Paulus hanc causam multis & grauiter agit. Et nuper quidem ostendit, quàm inanis sit hæc scientiæ gloriatio, qua sese excusabant, & monuit, vnumquenque aliorum etiam, quibus cum viuit, rationem habere debere. At nunc longius progreditur, & quæ hinc incommoda nascantur docet.

Aliud aduersariorum argumentum.

Occurrit hîc primùm grauis admonitio, quæ per Concessionem & Præoccupationem diluit aliud argumentum, quo aduersarij sese tuebantur. Dicebant enim: Atqui esca nos non cõmendat Deo, id est, cultus ille, qui nos Deo gratos & acceptos reddit, minimè in alicuius cibi esu aut abstinentia consistit. Ratio: Quia si edamus, nõ sumus abundantiores, quoad ea nimirum quæ ad regnum Dei pertinent: qualia sunt, remissio peccatorum, gratia Dei, iustitia, sanctificatio, & ipsa deniq; vita æterna. Rursus, si non edamus, nihilo etiam egentiores sumus, neq; aliquid nobis deest eorum, quæ modò commemorauimus. Ex his autem inferebant: Quid ergo opus est tumultuari, & propter ista nobis litem mouere? Aut quid hoc ad te aut quemuis alium, si faciamus, quod nobis licet per Christum? Vel num aliorum tarditas & superstitio nobis fraudi esse debet, quò minus libertatis Christianæ beneficio fruamur? At hic rursus Sophisticæ illius exemplum habemus, quæ (vt nuper diximus) ex veris falsum colligit. Huius enim argumenti antecedens per se verißimum est, & cum ijs conuenit, quæ Dominus ipse pronuntiauit. Nam apud Zachariam de ieiunio quinti & septimi mensis interrogatus, respondit: Quando ieiunastis & planxistis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, num ieiunando mihi ieiunastis? Et cum comeditis & bibitis, annon vobis comeditis, & vobis bibitis? Quasi diceret: Nihil ista ad me, neque ego vestris cibis aut ieiunijs coli possum: sed omnis ista siue voluptas siue acerbitas in vobis hæret. Consentit his, quod in Euangelio Christus pronuntiauit: Non quod per os ingreditur, inquinat hominem: sed quod egreditur ex ore, hoc inquinat hominem. Et Apostolus hanc ipsam causam in epistola ad Romanos tractans, dicebat: Non est regnum Dei esca aut potus: sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Item ad Hebræos: Bonum est gratia constabiliri cor, non cibis, quibus non sunt adiuti, qui in ipsis versati sunt. Verißimè ergo dicebant, escam nos non commendare Deo, neque alijs præstare eos qui omnibus vescuntur, neq; inferiores esse alijs eos, qui à nonnullis abstinent: At falsißimum erat, quod ex his colligebant, Licere nimirum nulla fratrum ratione habita quibuslibet vbique & semper vesci.

Zacha. 7.
Matth. 15.
Rom. 14.
Hebr. 13.

Argumẽti confutatio.

Ideo Paulus argumentum illud grauiter confutat, dicens: Sed videte, ne quo modo potestas illa vestra sit offendiculo ijs, qui infirmi sunt. Quibus verbis libertatem quidem illis concedit, eius verò vsum ita moderandũ aut regendum esse docet, ne infirmiores offendant: quo nomine eos intelligit, qui in doctrina veræ pietatis nondum eò vsq; profecerunt, vt non offendantur quorundam dictis aut factis, quorum rationem nondum intelligunt. Est ergo verborum istorum sensus: Fateor vos istud verè dicere, quòd esca nos non cõmendet Deo, neq; dißimulare debemus Christi beneficium, qui Legis iugum etiam quoad ciborũ discrimina sustulit: at simul nos videre oportet, ne dum potestate per illum nobis facta imprudenter vtimur, ijs scandali authores simus, qui nondum satis norunt, in quo nam libertas Christiana consistat. Habent autẽ singula verba emphasim, & proinde diligentius debent excuti. Primò, Videte ait: Ostendit ergo periculum minimè contemnendum huic negotio subesse, & diabolũ frequenter sub libertatis prætextu nobis insidias struere: quò magis nos vigilare cõuenit, vt hostis tam vafri & versipellis laqueos euitemus. Deinde non scientiæ neq; libertatis vocabulis vtitur, sed potestatis meminit, vt ostendat, ipsos in hac re nimis licenter insolentiam suam prodere, quando potestatem nullis fraternæ dilectionis finibus limitatã sibi vendicent, & ea deinde pro sua libidine abutantur. Et huc facit, quòd sub tacitæ exprobrationis specie dicit: Potestas illa vestra. Q. d. quam ipsi sub inanis scientiæ titulo vobis fingitis. Tertiò, quid videre oporteat, monet. Ne potestas illa offendiculo sit ijs, qui infirmi sunt. Quibus verbis duplex scelus comprehendit: Alterum, quòd non agnoscant Dei donum, neq; de eius vsu vero cogitent: alterũ, quòd eo ipso noceant, quo plures alios debebant iuuare. Quod vnum ad arguendã huius peccati indignitatẽ plurimùm facit. Ideo enim amplior scientia & maiores vires nonnullis dantur à Domino, vt eos qui rudiores sunt ipsi instruant, & aliorum infirmitati opitulentur. Itaq; nulla venia dignum scelus est, si non solùm officio suo desint, verumetiã alijs ruinæ authores sint. Neq; temere tam grauiter de his Paulus admonet. Sciebat enim quanta sit sceleris istius atrocitas, & quid Christus omnibus minatur, qui vel vnum ex minimis offenderint. Vide Matt. 18.

Contra legem de ciborum delectu.

Est autem hîc multa obseruatione dignum, quòd etsi Paulus amplißimã occasionem oblatam videret, vt omni idolothytorum esu Christianis hominibus interdiceret, noluit tamen temere legem

legem ferre vniuersalem, quæ Christianæ libertati vel minima ex parte derogaret: sed hanc vnam ob causam à carnibus eiusmodi abstinendum esse docet, ne quibus scandalum ponamus, qui in fide nondum satis sunt instituti. Vnde non obscurè colligitur, carnes ipsas nihil habere quo pollui possit, qui illis absque scandali periculo vescitur. Est ergo intolerabilis eorum tyrannis, qui posteris temporibus noua ciborum discrimina constituerunt, & simul leges suas ad certos dies restrinxerunt, quibus hoc aut illo cibo vesci non liceat. Pugnant illorum leges & statuta cum Christi legibus, & tota Apostolorum doctrina, quam paulò ante recitauimus: & multa simul designant, quæ singula reprehensione digna sunt. Primo enim ad Dei Verbum sua figmenta adijciunt, & dulce illud Christi iugum ipsa Lege Mosaica durius & intolerabilius reddunt, quam tamen Petrus patribus intolerabilem omnino fuisse testatur. Deinde conscientijs iam ante plus satis infirmis laqueum inijciunt, & dum peccata fingunt quæ nulla sunt, simul etiam scandala augent, quæ potius ad numerum exiguum restringere, & (si fieri posset) prorsus è medio tollere oportebat. Accedit his crudelitas & tyrannis quando suorum decretorum authoritatem ita vrgent, vt hæreticum & quouis suplicio dignum esse iudicent, qui illa transgreditur. Eò denique dementiæ progrediuntur, vt per illos tutius sit Virgini stuprum inferre, thorum alienum polluere, hominem occidere, quàm diebus vetitis ouum sorbere, aut carnem edere, vt laboribus à Deo tibi mandatis possis sufficere. Sunt hæc indigna auribus Christianis, dicenda tamen sunt, quando tanta est multorum stoliditas, vt ne sic quidem traditionum istarum indignitatem agnoscere velint, quarum authorem diabolum esse, Paulus alibi testatur. 1. Tim. 4. Acto. 15.

Sed ad Paulum redeamus, qui quòd sciolos istos culpam hanc non facilè agnituros esse sciret, apertius eos arguit, & qua ratione scandalum infirmis præbeant, docet his verbis: Etenim si quis viderit te, qui scientia præditus es, in idolæo accumbere, nonne conscientia ipsius, qui infirmus est, ædificabitur ad edendum ea, quæ sunt idolis immolata? Quem locum vt omnes rectius intelligant, morem tenere oportet, quem in sacrificijs suis veteres obseruarunt, & quem à sanctis patribus gentes quoque acceperant. Erant sacrificiorum genera duo præcipua, quibus reliqua possunt comprehendi: Expiatoria nimirum, quæ pro peccato aut aliqua immunditia quocunque modo contracta offerebantur, & Eucharistica vel Gratulatoria, quibus Deo pro accepto aliquo beneficio, vel publico vel priuato, gratiæ agebantur. In illis ferè victima tota comburebatur, quod holocaustum dicebant, aut saltem ad sacerdotes redibat quicquid non debebat comburi, qui soli ea in loco sacro comedebant. In Eucharisticis autem, renes quidem & reticulum epatis, agnæ item cauda & omnis adeps comburebantur in ara holocaustorum, armus autem dexter & pectus sacerdotis erant, reliqua ad offerentem redibant, & mox illo ipso die debebant comedi. Quia verò non semper ad ea comedenda cum suis sufficiebat, qui illa obtulerat, solebant ferè ad epulas eiusmodi inuitari vicini & amici, quibus omnibus liberius etiam lætari licebat, modò id coram Domino cum gratiarum actione facerent, & interea pauperum non obliuiscerentur. Neque mysterio mos iste carebat. Scimus enim Christum in sacrificijs omnibus adumbratum fuisse, qui vt pro nobis hostia aut victima expiatoria factus est: ita vnicus etiam est omnium quæ à Deo nobis obtingunt, bonorum mediator. Dum ergo ex victimis conuiuia instruere iubebat Deus, non obscurè testabatur, quòd sua mensa cultores suos dignari, & eosdem per Filium suũ promissum humani generis seruatorem, ad vitam æternam alere vellet. Idem ergo veteribus in sacris epulis adumbratur, quod nobis Cœna Dominica repræsentat: & ideo illi eandem escam spiritualem nobiscum edisse dicuntur. Sed & locutionibus vtebantur, quæ de hoc mysterio illos admonerent. Nam in Paschali epulo audiebant dici: Hic est transitus Domini. In publicis autem & solennibus sacris, quæ totius populi nomine fiebant, Sacerdos sanguinem populo circumstanti aspergens dicebat: Hic est sanguis fœderis aut testamenti, quod mandauit vobis Deus, &c. Quod vnum si attentius obseruaretur, plurimùm faceret ad explicationem Verborũ Domini, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. De quibus hodie multi digladiantur, cùm ea discipulis, quantumuis tunc adhuc rudes essent, obscura aut absurda videri non potuerunt. Nam quid aliud audiebant, quàm quod in Eucharisticis sacris, quæ publicè totius populi nomine fiebant, audiebatur? Cùm

Exponit, quomodò scandalisent infirmis.

Sacrificandi et epulandi mos in sacris.

Leuit. 7. Deut. 14. 15. 16. &c.

Exo. 12. & 24. Heb. 9.

ergo verba poculi cum veteribus illis & iampridẽ vsitatis, quoad singulas voces & syllabas ferè conuenire audirent, & de vera carnis Christi manducatione atque sanguinis eius potione antea satis essent instituti, nihil crassum aut absurdum illis in mentem venire potuit, qui alioqui in rebus minoris momenti solebant obstupescere. Sed hæc nunc obiter dixisse sufficiat. Nunc ad gentes transeamus, qui vt sacrificandi morem à Patribus sanctis acceperunt, ita diaboli præstigijs decepti per κακοζηλίαν, id est, stultam & impiam imitationem peccarunt. Vt enim in victimis suis expiationem peccatorum fieri putabant: ita suis illis conuiuijs & epulis sacris hoc vnum agebant, vt & in superstitionum atque idololatriæ societatem sese mutuò traherent, & intemperantius epulati in omne genus lasciuiæ effunderentur. Itaque qui paulò ante Dijs falsis victimas offerendo iucundum diabolo spectaculum præbuerant, mox eidem gratissimum obsequium præstabant, cum & ebriosis comessationibus indulgerent, & choros lasciuos ducerent, & stupris nefarijs polluerentur: quæ omnia sacrorum tempore imprimis factitata fuisse non potest ignorare, qui illorum historias & poëtas vel obiter inspexit. Et quid Israëlitæ in vituli aurei cultu, atque inter sacra cum Moabiticis fœminis instituta fecerint, Moses non dissimulat. Neque dubium est, Corinthi, in vrbe opulenta & luxuriosa in eiusmodi sacris nihil eorum omissum fuisse, quæ ad fouendam carnis libidinem faciebant. De illis ergo in præsenti Paulus loquitur, qui ad epulas istas à vicinis aut amicis suis, adhuc in superstitione agentibus, inuitabantur, cùm ipsi fidem in Christũ iampridem essent professi. Et vt euidentior sit scandali, quod ex eo nascebatur, demonstratio, ad illos ipsos sermonem conuertit, qui sibi nihil nonpermissum putabant, quod scientia præ alijs essent instructi. Sic enim dicere videtur: Cogita quæso quisquis es, quid hîc facias. Tu scientia præditus es, & eam apud omnes existimationem sustines, quòd in veri Dei & Filij eius IESV CHRISTI cognitione quàm optime sis instructus: quæ causa est, quòd multorum oculi in te respiciant, & tuo exemplo, ceu regula certa & infallibili, se duci patiantur. Quid ergo fieri arbitraris, si te in idolæo, id est, in templo idolorum, inter Deorum prophanorum vndique prostantia simulachra, inter horum item cultores & apertos Christi aduersarios, in conuiuio ex victimis aut sacris illicitis instructo accumbentem conspicetur aliquis Christianus infirmior, qui in veritatis cognitione nondum satis institutus est, & quoad libertatis Christianæ vsum adhuc intra conscientiæ dubiæ & fluctuantis cogitationes hæret? Hic certè tuo exemplo ædificatur, id est, permouetur & eò adducitur, vt ipse etiam, reluctante licet eius conscientia, ad conuiuia eiusmodi accedat, &c. Vides ergo Paulum ædificandi verbo per Catechresim, & non sine Sarcasmo aut exprobratione vti, Quasi diceret: Tuum erat fratrem infirmum ædificare in vera fide & solida IESV CHRISTI cognitione, vt rerum certus dubiæ mentis cogitationibus & conscientiæ æstuantis tentationibus resistere, & tàm corpus quàm animum sanctum atque impollutum seruare possit. Sed vah egregium ædificatorem, qui tali author est, vt præter conscientiam sacris communicet, & ijsdem polluatur? Quid hoc aliud est, quàm opus Dei destruere, veritatis cognitionẽ in illo obscuriorem facere, denique ruinæ & exitij causam ei præbere, cui tua scientia, & exempli tui authoritas ad fidei constantiam et religionis puritatẽ adiumento esse debebat? Hic loci istius sensus est, quo hoc maximè agit Apostolus, Christianis hominibus non tàm videndũ esse quid ipsis facere liceat, quàm quid alij ex ipsorum exemplo colligant, & annon destructioni potius quàm ædificationi seruire possit quod ipsi faciunt. Nam vt omnia alia ad eum finem dirigi debent, vt & Dei gloriam prouehant, & publicè quidem totam ecclesiam, priuatim verò singulos ædificent: ita nisi hic quoq; libertatis Christianæ finis & scopus sit, in licentiam tàm nobisipsis quàm toti ecclesiæ exitialem erumpet. Quàmuis autem hæc doctrina generalis sit maximè tamen illam ad se pertinere putabunt, qui multis alijs præstant, & quorum summa est apud omnes existimatio. Quò enim maior est eorum authoritas, eo efficaciora sunt exempla, quibus ipsi alijs præeunt. Quòd si verò aliquem corrumpunt, tunc aliena quoque peccata in suum caput accumulant, & sua simul atq; alienæ impietatis pœnas luũt. Est ergo amplus huius doctrinæ vsus, et latissimè extẽdi debet ad omnia, quæ ad religionem aut ad mores & vitæ totius consuetudinem spectant.

Christiani non modò quid liceat, sed quid ædificet, videre debent.

Sed Paulum audiamus, qui quàm graue & multiplex sit peccatum, quod isti designabant, diligenter ostendit, sic scribens: Et tua ista scientia frater qui infirmus est, propter quem Christus mortuus

Amplificat peccatum Corinthiorum.

mortuus est, peribit? Est hoc dictum graue admodum, & singula eius verba ad sceleris amplificationem faciunt. Primò enim in quem peccetur, indicat. In fratrem nimirum. Est hoc portento simile, quando constat naturæ legem esse, vt qui ex ijsdē parentibus nati & (vt loquūtur) consanguinei sunt, se mutuò ament, & periculis eripiant eos, quos cognationis vinculo sibi obstrictos esse sciunt. Atqui nullam cognationem aut fraternitatem arctiorem esse alibi ostendimus, quàm quæ credentibus in CHRISTO IESV intercedit. Verumtamen augetur in præsenti scelus, quando fratrem describens, infirmum dicit, & eum propter quem Christus sit mortuus. Inhumanum est fratrem negligere, sed infirmum insuper perdere, plus quàm barbara crudelitas est. At quia hoc quibusdam leue putatur, quòd fratrem non dignum iudicent, in cuius gratiam aliquid faciant, addit: Propter quem Christus mortuus est? Quasi diceret. Falleris vahementer, si fratrem contemptu dignum iudicas. Cur enim non quouis officio dignus habeatur, quem æternus Dei filius sanguinis sui pretio redimere dignatus est. Deinde scelus ipsum exprimens, fratrem illum non solùm offendi, & permoueri ait, vt contra conscientiam ex carnibus sacrificiorū edat, verumetiam perire. Perdit ergo fratrem, qui ei author est, vt aliquid reclamante conscientia faciat. Nam quicquid ita fit, absque fide fit: at quod absque fide fit, peccatum esse alibi est demonstratum: & quia incredulitas nos à Christo excludit, nulla potest remissionis spes esse ijs, qui fide destituuntur: quod omnibus ijs accidere oportet, qui conscientiam propriam audire nolunt. Addit his tertiò, quid illud sit, quo frater perdatur. Tua (inquit) ista scientia perit frater. Non carent semper culpa, qui fratrem per ignorantiam occidunt, & scimus publici aut sacri asyli autoritate olim eos defendi atque seruari oportuisse, qui securi temere & præter voluntatem ex manibus elapsa aliquem trucidauissent. Quid ergo de illis fiet, qui scientes aliquem perdunt, imò ea ipsa scientia perdunt, quā plenis buccis profitetur, et cuius hic vsus ipsis esse debebat, vt aliorū ædificationi atque saluti consulerent? Excusat medicum error absque sua culpa admissus, quales multi in re medica accidere solent. At si eo ipso ægrotum occidat, cuius se imprimis gnarum & peritum profitetur, imò si tunc perdat, quando suam scientiam summo studio ostentat, quis illum excusatione dignum iudicabit? Atqui hoc faciebant ij, cum quibus hic Paulus agit. Cum enim clamarent, se probè scire idolum nihil esse, interim hac scientia abutebantur, vt scandali & exitij authores fierent fratribus. Erat ergo hoc immane scelus & quouis supplicio dignum. Verumtamen ne hîc quidem eius atrocitatem subsistere docet. Nam ita (inquit) peccantes in fratres, & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis. In ipsum ergo Dei Filium huius audaciæ fructus infelix redundat. Is enim sibi fieri putat, quicquid ijs fit, quos ille pro suis agnoscit, & olim in magno illo die dicturus est: Quatenus fecistis vni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis. Neque aliter res æstimari potest, quando constat, corporis Christi membra esse omnes eos, qui fide in ipsum quantulacunque sunt illuminati. Adde, quòd dum aliquis eorum perit in eodem pretium sanguinis Christi vilescit, & quasi in nihilum redigitur. Et quod rectè hîc obseruauit Chrysostomus, quod ille sanguinis sui pretio ædificauit, hoc sua temeritate & ambitione destruunt, qui infirmitati aliorum nihil volunt concedere, etiamsi salutis periculum ipsis imminere videant. At si tot & tantorum scelerum reatu sese polluunt atque grauant, qui infirmos offendunt per ea, quæ in se licita & indifferentia sunt, quid de illis debemus sentire, qui ecclesias totas, adeoq́ ipsam religionem Christianam diffamant sceleribus & effreni quiduis auden di licentia? Est hoc nimis vulgare hodie, & constat multos pseudoēuangelicorum petulantia atque auaritia impediri, quò minus ad Euangelij lucem accedant: sed & tota Christiana religio apud Iudæos & Turcas ludibrio habetur partim propter simulachrorum cultū & frigidissimarū superstitionum exercitia, patim propter extremam morum corruptelam, quæ passim dominatur. At quotus quisque est inter antistites religionis (vt de vulgo iam nihil dicatur) qui illis manū admoueat, & de reformatione qua scandala ista auferantur, seriò cogitet? Deut. 19.

Porrò concludit locum hunc Apostolus, & proprio exemplo docet, quàm durum & abominabile Christianis hominibus hoc videri debeat, de quo hactenus dixit: Quapropter (inquit) si esca facit vt offendat frater meus, non vescar carnibus in æternum, ne faciam vt frater meus offendat. De idolothytis solis erat disputatio, at Paulus carnes simpliciter nominat, vt se simul omnibus

Suo exemplo scelus amplificat.

potius abstinere velle ostendat, quàm alicuius offendiculi causam præbere. Et in æternum, inquit, quod Hyperbolen sapit. Nam neque vitam huius sæculi æternam, neque aliquem cibi & potus vsum esse sciebat in altera vita. Sic autem eorum contumaciam aut licentiam arguit, qui ne vnius quidem aut alterius conuiuij voluptate carere volebant, vt infirmorum fidei atque saluti consulerent. Seriò autem locutum esse Apostolum non poterit dubitare, qui eius labores, curas, pericula diligentius considerarit, quæ pro Christi ecclesijs sustinuit. Et cur non carnibus in perpetuum abstineret, qui alibi anathema fieri optat, vt Iudæos seruet, quos incurabili contumacia ad exitium ruere videbat? Nec potuit aliter sentire, qui & gloriam Christi omnibus huius sæculi bonis anteponere iampridem didicerat, & non ignorabat quàm horribiles pœnas Christus scandalorum authoribus minitetur. Interim suo exemplo docet, non alium rerum huius sæculi vsum licitum & sanctum esse, quàm qui à charitate pendet, & in eum finem dirigitur, ne quē offendamus.

Abusus duplex huius loci.

Cæterùm abutuntur quidam hoc loco bifariam. Sunt enim, qui vt suæ ignauiæ consulant & apud omnes bonam gratiam ineant, nihil omnino fieri debere contendunt, quod alicuius hominis offensionem pariat. Et hi non solùm ad superstitiones & manifesta scelera conniuent, verumetiā Verbi administris dicendi leges præscribere audent, quàm primùm aliquos eorum libertate offendi audiunt. At non de animorū offensione loquitur Paulus, qua impij & huius sæculi homines irritantur, si quis vel superstitiones vel mores eorum corruptos reprehendat. Illa enim in vniuersum caueri neque potest propter incurabilem mundi malitiam, neque etiam debet, eò quòd qui alijs præsunt, officium facere debent, & huius mundi fauorem ne pili quidem facere, quemadmodū prophetarum & apostolorum, imò ipsius Christi exemplis docemur. Sunt rursus alij, qui sacris illicitis palàm intersunt, & sibi hoc omnino faciūdum esse dicunt, ne illa negligendo aliquos offendant, aut scandalum ponant nonnullis, qui in ipsos plerunque respiciant. At mirum est istos homines sese huius loci authoritate tueri, quo vix alius est ad oppugnandum eorum impietatem euidentior & efficacior. Paulus enim omnem sacrorum alienorum vsum simpliciter damnat, & ab epulis quoque sacris eos abstinere iubet, qui illis vt prophanis & vulgaribus vescebantur: illi autem cum ijs apertè communicant, quæ impia & à Christiana religione alienißima esse norunt. Deinde Paulus infirmorum in fide rationem haberi vult, ne nostro exemplo in errorem abducantur: illi idololatrarum moribus sese accommodant, & vt hos in suis superstitionibus confirmant suo exemplo, ita multos infirmiores partim seducunt, partim in errore retinent. Quibus adde, quòd doctrinam infirmis adhibere oportet, vt eò vsque tandem proficiant, ne amplius tam facilè offendantur. At egregij isti viri in docendo quidem pisce magis muti sunt, exemplo autem suo in emicantes in multorum animis veræ cognitionis & scientiæ scintillas obruunt atque suffocant. Atqui non opus est, vt de illis multum anxij simus, quos deuotis animis in erroribus suis pergere scimus. Sinite illos (inquit Christus) quia cæci duces sunt cæcorum. Et qui sordescit, sordescat adhuc. Nobis eorum salus cordi sit, in quorum animis veræ fidei semina iam iacta sunt, & ne illos nostro exemplo in veritatis cursu impediamus, videre nos decet. Excitet hîc omnes seria & diligens pretiosi sanguinis IESV CHRISTI consideratio, & huius memores, libertate, quam ille nobis acquisiuit, sic vtamur, vt & alij per nos ædificentur, & nos in illo vitam & felicitatē æternam assequamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Matth. 9. Apo. 22.

CAPVT IX.

HOMILIA LXIII.

ANnon sum Apostolus? annon sum liber? Annon IESVM CHRISTVM, Dominū nostrum, vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Si alijs non sum Apostolus, at certè vobis sum: Nam sigillum apostolatus mei vos estis in Domino. Mea responsio apud eos qui in me inquirunt, hæc est: Annon habemus po

testatem

statem vescendi ac bibendi? An non habemus potestatem sororem vxorem circumducendi, vt & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? An solus ego & Barnabas non habemus potestatem non operandi?

QVoniam in Corinthiorum ecclesia quidam veri Dei cognitione & libertate Christiana eò vsque abutebantur, vt non sine graui scandalo fratrum, qui adhuc rerum imperiti & in fide infirmiores erant, in conuiuijs, quæ ex carnibus sacrificiorum instituebantur, cum idolorum & falsorum Deorum cultoribus publicè accumberent: Paulus de hac re prolixam & diligentem disputationem instituit, qua illorum inconsultam petulantiam coërcere studet. Summa & status illius est, Christianos homines non solùm quid liceat, sed potius qui ad totius ecclesiæ & singulorum fratrum ædificationem faciat, spectare debere, & simul ijsdem diligenter esse videndum, ne sacris alienis communicent, aut vllis superstitionibus polluantur. Inter alia argumenta, quibus eos confutat, nuper vltimo loco suum exemplum produxit, & scelus istud tam graue & atrox sibi videri testatus est, vt ipse potius per omnem vitam à carnibus in vniuersum omnibus abstinere malit, quàm alicui scandalū dare, pro cuius salute Dei Filius sanguinem suum profundere dignatus est. At non deerant Corinthi, qui cùm Paulum non magni facerent, vel etiam odissent, hoc eius dictum facilè ridebant, eò quòd non graue sit verbis magnificis polliceri, quod neminem abs te postulaturum esse satis nosti. Quapropter ne ardelio aliquis esse putetur, qui inanibus verbis sese venditet, nunc toto ferè hoc Cap. in suum exemplum digreditur, & se iampridem plus quiddam fecisse multis docet, quàm si à carnium simul omnium esu abstinuisset. Erat inter hæc præcipuum, quòd cùm liceret Apostolis ab ecclesijs, quibus prædicabant, victum & quæ præterea necessitati seruiunt, accipere, ipse suo iure cesserat, & potius magna cum difficultate & manuum labore vitam suam duxerat, ne quam calumniandi occasionem æmulis suis preberet, & simul euangelicæ prædicationis cursum impediret. Multis verò causam hanc agit, non quidem gloriæ priuatæ studio, aut quòd in posterum aliquid à Corinthijs extorquere cupiat, sed potius vt doctrinæ suæ fidem faciat, & exemplo suo eos pudefaciat, quibus adeò graue & indignum videbatur à victimarum carnibus abstinere, cùm alijs epulis æque lautis & opiparis abundarent. Simul etiam calumnias multorum præuenit, qui eum multa exigere dicebant, quæ ipsemet minus faceret. Argumentum huius Capitis

Est autem multa consideratione dignissima hæc tractatio. Nam vt multa continet ad ecclesiæ ædificationem imprimis pertinentia, de quibus singulis suo loco dicetur: ita simul docet, nihil vtilius & magis necessarium esse, quàm vt doctores doctrinam suam proprio exemplo confirment, & ipsi in ijs præstandis serij atque diligentes sint, quæ alijs præcipiunt. Quia enim magna est hominum licentia, & vix inueniuntur, qui ab alijs sese in ordinem redigi patienter ferant, ijdem plausibilem omnino occasionem sibi obtigisse arbitrantur, qua doctrinam cum eius authoribus in contemptum adducant, si quid in horum vita & moribus vident, quod illi minus conuenit. Imò exemplis multis doceri poterat, hanc præcipuam causam esse, ob quam tota religio apud multos suspecta est, apud quosdam etiam pessimè audit. Cur enim illam magni facerent homines plebei & minus exercitati, quando eos absque omni religione vitam prophanam viuere conspicantur, qui de Deo & eius cultu, de cœlestium bonorum præmijs & scelerum pœnis sempiternis nunquam non verba faciunt? Et quis obsecro putet illos proprijs verbis credere? Rectè ergo Paulus sic vitam suam instituit, vt tàm in hac causa quàm in alijs multis posset dicere. Imitatores mei estote: & vt idem faciant omnes ecclesiarū ministri, in epistolis ad Timotheū & Titū non vno loco hortatur. At quod illis dicitur, hoc ipsum ad se pertinere putent, quotquot magistratum aliquem gerunt & rempub. administrant. Quia tunc demū sua legibus authoritas accedet, si ijs obtemperent qui eas condiderunt. Quòd si verò secus fieri videat populus, mox cum legibus authores quoq; earum contemnere & odisse incipiet. Sed quia de his dicendi locus sæpe occurrit, nunc Paulum audiamus, qui primò sui apostolatus authoritatem asserit, & se Apostolum esse probat: deinde ius suum exponit, quo non minus quàm alij potuerit vti. Ex qui-

Doctores doctrinam suo exemplo confirment.

1. Tim. 4.
Tit. 2.

bus postea colligit, ipsos quoque vitandi scandali causa libertatis Christianæ vsum certis finibus circumscribere debere, ne in licentiam exitialem erumpat:

Pauli authoritas quibus calumnijs oppugnata.

Orditur autem ab illis, quibus æmuli aut aduersarij authoritatem eius quàm maximè eleuare conabantur. Solebant enim hi apud vulgus multa in Pauli contemptum dicere, inter quæ ferè præcipua erant: Non tantam esse eius libertatem aut potestatem in ecclesias, quantam sibi vendicaret: Item neque verum aut germanum esse CHRISTI IESV Apostolum, quando satis constet, ipsum nunquam cum illo in terris agente familiariter fuisse versatum. Ex quo colligebant, ipsi non tantum licere in ecclesia, quantum alijs, quorum authoritas pluribus & firmioribus testimonijs niteretur. Est autem hoc perquàm memorabile exemplum, quo docemur, quid ferè præmij aut laudis referre soleant, qui pro hominum salute præ multis alijs laborant. Ex quorum numero Paulum fuisse, notius est, quàm vt prolixè oporteat demonstrare. Vnus certè Actorum liber nobis commentarij loco esse potest, vt ex eo intelligamus, eum neque labores neque pericula vlla detrectauisse, vt quàm plurimos in Christi cognitionem & salutis æternæ societatem adduceret. Adde his, quæ in posteriori epistola Cap. vndecimo ipse commemorat, & miraberis vnum hominem tot difficultatibus atq; molestijs sufficere potuisse. Neque de eorum fide, quæ illic dicuntur, nos dubitare possumus, quando illis loquitur, qui cùm eum odissent, nunquam dissimulaturi fuissent, si quid dixisset minus verum. Quid verò ex omnibus curis, laboribus, periculis, studijs & molestijs suis præmij retulit, quoad hoc sæculum? Nihil præter contemptum, infamiam, odium, calumnias, persecutiones, denique, carceres, exilia, flagra & quæcunque in homines abiectissimos, imò sceleratissimos & quouis supplicio dignos designari, vel etiam excogitari possunt. Et hæc quidem aduersus illum designarunt non modò aperti fidei & nominis Christiani hostes, sed ij quoque qui nomen illud profitebantur, & qui per eius ministerium ex superstitionum tenebris vtcunque emerserant. Inter alios certè iniquissimè de illo Corinthij iudicauerunt, apud quos sesquiannum docuerat gratis, & in quorum gratiam labores atque pericula infinita sustinuerat. Sunt autem huius generis exempla passim obuia, & in repub. quoque non multò meliorem sortem esse videmus eorum, qui pro patriæ & ciuium singulorum salute dies noctesque excubant. Offendunt ista multos, qui sibi ideo licere arbitrantur, vt ab officio discedant, & tam male gratos perire sinant. Sed è mundo exeat oportet, qui hominum ingratitudinem omnem effugere velit. Cœpit enim malum hoc in primis parentibus: & quid nos obsecro nobis de illis pollicebimur, qui ne Deo quidem Creatori & Redemptori suo bonam gratiam referunt? At cùm hic remunerator sit fidelissimus, non est, quòd iniqua de nobis mundi ingrati iudicia multum memoremur. Erit olim dies, quando occulta cordium manifestabuntur, & digna suæ fidei præmia recipient, qui in sua functione diligentes fuerint. Interea, si quando Dei gloriam & multorum hominum salutem in nobis periclitari videmus, tunc æquum est, vt honorem & existimationem nostram constanter tueamur.

Paulus suam authoritatem asserit.

Facit id Paulus in præsenti, & vt æmulos suos fortius feriat, & calumnias eorundem efficatius arguat, crebris interrogationibus eos vrget, quibus etiam inuitos & reluctantes in arenam protrahit. Sic enim scribit: Annon sum Apostolus? annon sum liber? annon IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino? Quasi diceret. Scio quid multi de me garriant, vt me indignum esse probent, cuius doctrinæ & admonitionibus aliquis obtemperet. Sed agite ò boni, & in medium prodite quicunque estis, & libere dicite si quid habetis, propter quod meritò contemni debeam. Num Apostolum me esse negabitis? Atqui vocationem adducere possum legitimam & testibus idoneis confirmatam: & insuper Apostoli officium ita hucusque feci, vt nihil eorum, quæ ad istud faciunt, in me desiderari possit. An ergo non sum liber? Id est, annon idem mihi in ecclesias ius est, quod Apostolis suis Christus concessit? aut qua ratione vos mihi negatum esse probabitis, quod alijs concessum est? Num quòd cum Christo non versatus sim, quando ille in terris egit? At multùm fallimini, si me ideo alijs inferiorem esse putatis. Annon enim ipse etiam illum vidi? Id verò dicit, non de visione vulgari, qua multi etiam impij & infideles Christum viderunt, & qua ipse Paulus eum fortasse vidit, quando sub Gamalielis disciplina in Hierosolymorum ciuitate educatus fuit. Sed sibi plus quiddam obtigisse dicit: vt nimirum illum à mortuis resuscitatum & iam quoad carnem assumptam glorifica-

tum

tum viderit. Et de hoc infra Cap. 15. apertius loquitur, vbi aliquot IESV CHRISTI resuscitati apparitiones ex ordine commemorans addit: Vltimo verò omnium, velut abortiuo, visus est etiam mihi. Imprimis tamen huc pertinere mihi videntur duæ illæ visiones, quarum prior ante Damascum, altera in templo facta est: eò quòd in vtraq; vocationis suæ ad apostolatum non obscura testimonia habentur. De priori coram Agrippa rege sic disserit ipse: Die medio, Rex, in via vidi cœlitus lucem, quæ splendorem solis superabat, circumfulsisse me & eos, qui mecum faciebant iter. Cùm autem omnes nos decidissemus in terram, audiui vocem alloquentem me, ac dicentem Hebraica lingua: Saul, Saul, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi: Quis es Domine? At ille dixit: Ego sum IESVS, quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim APPARVI tibi, vt designarem te ministrum ac testem cùm eorum quæ vidisti, tùm eorum in quibus apparebo tibi, &c. Quo loco Christum Paulo non solùm locutum, verumetiam visum fuisse, imò promisisse etiam audimus, quòd deinceps quoq; apparere & familiarius eum instruere velit in ijs, quæ per eius ministerium perfici oporteat. De altera apparitione idem ille in frequentissima populi Iudaici concione sic ait: Factum est, cùm reuersus essem Hierosolymam & orarem in templo, vt raperer extra me, & VIDEREM eum dicentem mihi: Festina, & exi citò, &c. Frequenter autem Dominum Paulo apparuisse, satis patet ex ijs, quæ in posteriori epistola sub initium cap. 12. habentur. Non temere igitur in præsenti aduersarijs suis dicit: Annon IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum, vidi? Actor. 26. Actor. 22.

Quia tamen ista omnia minus momenti habere sciebat apud eos, quorum oculos æmulatio & odium iampridem fascinauerant, quod omnium maximum & prorsus irrefragabile erat apostolicæ functionis argumentum infert: Nonne opus meum vos estis in Domino? Quasi diceret: Si verbis & rationibus non habetis fidem, saltem opus ipsum, quod in vobis per me fecit Dominus, inspicite. Annon enim per meum ministerium ad fidem IESV CHRISTI conuersi, & eius ecclesia facti estis? Aut quis, priusquam ego Corinthum venirem, Christum vobis prædicauit? Qua fronte ergo aliquis vestrûm me Apostolum esse negare audet, cùm veri Apostoli opus in vobis ipsis palàm extet? Itaq; si alijs non sum Apostolus, at certè vobis sum. Nam sigillum apostolatus mei vos estis in Domino. Aut ergo vos Christi ecclesiam esse negare oportet, aut mihi istum honorem deferre, quòd ego verus sim Apostolus. Facit autem ad huius dicti explicationem, quod in posteriori epistola loco supra citato scribit: Signa quidem Apostoli peracta fuerunt apud vos per omnem tolerantiam, & signa, & prodigia, & virtutes: Nam quid est in quo fuistis inferiores cæteris ecclesijs? Et sanè, vt omnia alia silentio prætereamus, quis non insigne adeoque incomparabile summi & præstantissimi Apostoli opus fuisse dixerit, quòd in ea vrbe Ecclesia IESV CHRISTI constituta fuit, in qua Satan per omne genus libidinis, per auaritiam, imposturas, fraudes & rapinas, per omnem deniq; intemperantiam regnum iam diu tenuerat? Fuit hoc omnino diuinæ virtutis opus, quæ per Pauli ministerium sese exeruit. Stupenda autem & execrabilis fuit istorum hominum cæcitas, qui tam illustre Dei beneficium noluerunt agnoscere. Ideo Apostolus hanc demonstrationem concludens, infert: Mea responsio apud eos, qui in me inquirunt, hæc est. Qua breui sententia & aduersariorum iniquitatem arguit, qui præter eius meritum in ipsum odiosius inquirant, & suæ causæ bonitatem indicat, cui non opus sit multis argumentis, cùm res ipsa pro eo loquatur. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Multa quidem aduersus me æmuli mei corradunt, sed aduersus illos mihi sufficit vnicũ illud, quòd in vestræ vrbis cõuersione accidit. Si enim nõ sum verus Christi Apostolus, si ille me pro suo non agnoscit, vnde ergo virtus illa, quæ in vobis sese per meum ministerium exeruit? & quo loco vos censeri debetis, qui me audito à superstitionibus & idololatria ad verum Dei cultum transiuistis?

Est autem multa & diligenti consideratione dignum Pauli exemplum, qui cùm se germanum Apostolum esse probare velit, non hominum authoritate, neq; titulorum inanium splendore, aut insignibus ad ostentationem confictis sese venditat, sed res ipsas Apostolo dignas in medium adducit, adeoq; ipso opere (quòd aiunt) se artificem esse demonstrat. Præstat tamen eius argumenta, quæ paucis verbis comprehendit, omnia inspicere. Est inter hæc primum vocatio, cuius non obscurè Quibus argumentis se Apostolum esse demonstret.

meminit, quando se Apostolum, id est, legatum Christi esse ait. Fieri enim non potest, vt legatus sit, quem nemo misit. Quomodo autem missus esse dicetur, qui ne vocatus quidem aut vnquam destinatus est, vt mitteretur? Secundo loco, se quoq; Christum vidisse ait, non obiter quidem, sed ea visione (vt audiuimus) quæ ipsi causa fuit, vt in veram illius cognitionem perueniret, deq; eius voluntate certior fieret. Tertium est, Corinthiorum conuersio ad fidem. Quia enim verbum Dei (vt Isaias docet) nunquam absq; fructu prædicatur, non poterit pro illius præcone agnosci, quisquis sine fructu prædicat. Fructus autem nomine non confusa sectatorum multitudo intelligi debet, qua sæpe impostores nequißimi gloriantur, sed vera Dei veri cognitio, fides syncera, & quæ ex hac dependet vitæ totius consuetudo. De his enim Christus loquitur, quando discipulis dicit: Constitui vos, vt abeuntes fructum afferatis, & fructus vester maneat. Hæc (inquam) Paulus adducit, vt se Christi Apostolum esse euincat: quibus adnumerari poterant signa & opera miraculosa, persecutionum pericula, adeoque ipsius Christi stigmata, quæ (vt in epistola ad Galatas scribit) in corpore suo gestabat: sed quia postrema hæc non semper necessaria sunt, in præsenti eorum modò, quæ prius commemorauimus, meminit. At quia hæc eiusmodi sunt, vt sine illis Apostolus nemo esse poßit, debebant his ipsis argumentis hodie Episcopi & Pontifices vti, qui se Apostolicos esse profitentur. Quòd si autem ista quæras, rara admodum, vel potius nulla inuenies. Vocatio certè legitima apud eos esse non potest, quibus cum Simone Mago iam pridem omnia sunt venalia. De Christi autem cognitione aut vera fide quid opus est dicere, quando tota illorum religio in ceremonijs superstitiosis & frigidis consistit, & hominum traditionibus regitur, quæ à Christo quàm longißimè abducunt? Quæ autem opera apostolicæ functionis allegare poterunt, qui non modò neminem Christo lucrifaciunt, verumetiam eos, qui iam ante illi nomen dederunt, in sectas distrahunt, & hominum seruos faciunt ex illis, qui toti Christo vni & soli debebant esse consecrati? Vt ergo doctrina eorum falsa est, sic falsa sunt miracula & signa, quibus sibi fidem facere conantur. Stigmata autem IESV CHRISTI in illis reperies, qui quòd illorum placitis non seruiliter obtemperant, in carceribus degunt, exulant, torquentur, ferro item & igne perduntur. Quid ergo in personatis illis Apostolicis aliud est videre, quàm opes huius seculi, voluptatum studia, pompam aulicam, fastum theatricum & numerosum comitatum perditißimorum hominum, inter quos vix centesimus quisque prima fidei Christianæ rudimenta intelligit? Num ergo illi vllis mortalium dicere poterunt, Sigillum apostolatus nostri vos estis? Quod cùm non poßint, desinant quæso inanibus titulis sese venditare hoc tempore, quando purior veritatis cognitio orbi illuxit.

Isa. 55. Ioan. 15. Galat. 6.

Corinth. ecclesia sigillum Apostolatus Pauli.

Obseruabis præterea, quòd Paulus Corinthiorum ecclesiam sui Apostolatus sigillum esse dicit. At quænam & qualis illa ecclesia fuit? Modis omnibus (vt iam sæpe diximus) corruptißima. Nam in sectas turpiter scißi erant, & tantumnon abnegato Christi nomine, multi ex illis ab hominibus denominari volebant. Disciplinam ecclesiæ omnem prorsus conculcarant, vt iam non ebriosis modò, fraudatoribus, scortatoribus & adulteris, verumetiam hominibus incestis inter illos locus esset. Auaritiæ & priuati commodi studio ita addicti erant, vt apud ethnicorum tribunalia lites forenses ob huius seculi fortunas persequerentur, non sine manifesta nominis Christiani contumelia. In coniugijs multa præter decorum fiebant. Sacris idololatricis communicabant, & suæ scientiæ ostentatione ad scandalum infirmorũ abutebantur. In cœtibus sacris adeò nulla erat honestatis & religionis ratio, vt sacrosanctã quoq; IESV CHRISTI Cœnam in comessationem turpẽ & luxuriosam conuertissent. In fidei verò dogmatibus plerisq; hallucinabatur, & ipsam quoq; mortuorũ resurrectionẽ in dubiũ nonnulli vocabant, sine qua salutis spes nobis consistere nõ potest. Omitto infinita alia, quæ aduersus fidei, charitatis et honestatis Christianæ leges designabantur. Neq; ista Paulus ignorabat, qui de his omnibus eos grauiter admonet et corripit. Nihilominus verò, quia aliquis erat inter illos piorũ numerus, et alteri illi adhuc admittebãt correctionẽ, adeo nõ abijcit illos, vt et ecclesiã Christi in ea vrbe esse agnoscat, et eãdẽ suũ opus in Domino, sui deniq; apostolatus sigillũ esse testetur. Cõfer cũ hoc Pauli spiritu nostri seculi Donatistas, qui oẽs cœtus temere dãnãt, in quib. aliquos tolerari vidẽt, qui Christiani nominis profeßioi minus respõdent. Fingũt enim perfectionem quandam ecclesiæ, quam in hoc etiam mundo absque ruga & macula esse posse somniant: &

niant: & ideo à nostris cœtibus abhorrent, ut alienis peccatis polluantur. At quas obsecro ecclesias vnquam nobis daturi fuissent Apostoli, si eadem seueritate & rigore voluissent vti? Vel quis ille spiritus est, qui ne suam & totius humanæ naturæ imperfectionem homines agnoscant, probibet? Aut num Christi spiritus dici poterit, qui ecclesias non colligit, sed dissipat? Poterat istis idem dici, quod olim Constantinus Imperator Acesio Nouatianorum episcopo in simili causa non minus vere quàm salse & facetè dicebat. Ergo vos soli cœlos conscendite, & subductis post vos scalis soli illic regnate. Sed omissis ineptis illis ad Paulum redeamus.

Is nunc plenius rem tractat, & species aliquot enumerat eius libertatis, qua non vsus sit pro iure suo apostolico. Rursus autem totam orationem interrogationibus figurat, vt æmulorum iniquitas melius exprimatur, & ipsi propriæ conscientiæ testimonio damnentur. Et quia propter epulas idolothytorum in istam tractationem descenderat, hîc quoque ab ijs, quæ ad victum pertinent, orditur. Annon (inquit) habemus potestatem vescendi ac bibendi? Quasi diceret: Durum vobis videtur, si libertas vestra in aliquo cibi genere quascunqae ob causas astringatur: at quid aliud à vobis exigo, quàm quod ipse hucusque cùm apud vos tum apud alios complures præstiti? Etenim mihi quoque ex CHRISTI IESV mandato aut instituto liberum est omnibus vesci, quæ ab ijs apponuntur, quibus Euangelium prædicamus. Nam notum est illud Christi: Manete in domo, in quam diuertistis, edentes & bibentes quæ ab ipsis apposita fuerint: dignus est enim operarius mercede sua. Et rursus: In quancunque vrbem ingressi fueritis & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis. Verumtamen potestate hac inter vos vti noluimus, ne cui vel scandalum vel calumniandi occasionem daremus. Cùm ergo nos in vniuersum ab omnibus abstineamus, si quando res ita videtur postulare, quæ hæc vestra est contumacia, quæ vos non patitur à victimarum carnibus abstinere? Debet ergo locus iste de stipendio ministrorum exponi, cuius hanc rationem & hos fines Christus præscripsit, vt ex suo ministerio victum habeant, qui Dei verbum docent.

Libertatis apostolicæ species enumerat.

Stipendium ecclesiasticum.

Luc. 10.

At hic obseruatione singulari dignum est, quòd & Christus & Apostolus solius cibi aut victus meminerunt. Ex eo enim colligitur, ministris sufficere debere, si quæ ad vitam sustentandam faciunt, accipiant. Quia enim his ipse Christus contentus fuit, minimè decet, vt aut luxui & delitijs studeant, aut diuitias accumulent, qui huius præcones haberi volunt. Et si Prophetarum mores inspiciamus ex Samuelis Eliæ & Elisæi historia satis patet, illos frugalitati & temperantiæ imprimis studuisse. Quod ipsum Apostoli quoque fecerunt, & qui his proximè successerunt. Regnauit tunc in ecclesijs dicendi libertas, quando nulla habendi cupiditas aut externi splendoris & luxus studium verbi administris metum incussit, aut silentium indixit. Posteris autem temporibus religio diuitias peperit, ex quibus luxus enatus disciplinam ecclesiasticam perdidit, & in huius locum superstitiones frigidissimæ introductæ sunt, per quas ipsa quoque religio prorsus extincta est. Quod vtinam non etiam hodie fieret multis in locis, quando constat eos, qui Euangelium prædicant, iam pridem plurimùm degenerauisse ab illorum moribus, qui nouissimo hoc seculo primi doctrinæ purioris instauratores fuerunt. Videmus enim plerosque de solijs stipendijs, principum fauore & priuata gloria cogitare. Vt ergo ciuilis libertas (quod olim Diogenes annotauit) in vescendis pultibus inuenitur, luxu autem & habendi cupiditate amittitur: Ita suam quoque libertatem doctores eiusmodi produnt, & simul omnem ecclesiæ ordinem turbant. Quod autem de verbi administris dicitur, hoc ipsum ad omnes quoque alios pertinet. Etenim si qui rempub. administrant, qui negotiantur, qui artificia manuaria exercent, ciues item & agricolæ victu & amictu contenti essent, facilius multò omnes viuerent, & iampridem luxui, vsuris & sceleribus ijs modus inuentus esset, quibus & priuatim multi pereunt, & respub. florentissimæ dissipantur.

Ministri victu contenti sint.

Secundò de coniugio ministrorum ecclesiæ Paulus disserit, dicens: Annon habemus potestatem sororem vxorem circumducendi, vt & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Quibus verbis apertè docet, non ministris modò ecclesiarum, sed eorum quoq; vxoribus victum deberi, & hoc iure Apostolos olim vsos fuisse. Scimus quidem sensum hunc non placuisse D. Hieronymo,

Coniugium ministrorum.

qui aduersus Iouinianum disputans, Paulum de mulieribus loqui scribit, quæ non quidem vxores fuerint, illos autem comitatæ sint, vt eis ministrarent. Lepidum sanè commentum, quo Apostoli à coniugalis consuetudinis suspicione sic liberantur, vt maioris impuritatis notam incurrant. Quis enim viros bonos & honestos dixerit, qui mulierum quidem alienarum officia admittant, vxores autem legitimas & proprias deserant? Et quàm optata hæc fuisset aduersarijs calumniandi occasio, si Apostoli relictis suis vxoribus alienas circumduxissent? Placet tamen figmentũ hoc Monachis & sacrificulis: nimirum, vt similes habeant labra lactucas. Vellent enim Apostolos scortatores potius quàm vxoratos fuisse, vt illorum exemplo suas libidines possent excusare. Sed potior apud nos esse debet vetustissimorum scriptorum authoritas, qui cùm Apostolorum temporibus vicini fuerint, omnia illorum rectius nouisse potuerunt. Ignatius certè in epistola ad Philadelph. scribit: Non detraho cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt. Opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in regno ipsius inueniri, sicut Abraham & Isaac & Iacob, sicut Ioseph & Isaias, & cæteri prophetæ: sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia, coniuges habuerunt. Consentit his Clemens, qui (vt Eusebius recitat) aduersus eos scribens, qui coniugiũ damnabant, inter alia dicit: An & Apostolos improbant? Petrus etenim atq; Philippus & vxores habuerunt, & filias etiam viris nuptum dederunt. Sed & Paulum Apostolum non tædet in quadam epistola sua mentionem vel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere, vt ad prædicationem Euangelij expeditior eat. Quæ omnia cũ ijs consentiant, quæ apud Matthæum de socru Petri et in Actorũ libro de filiabus Philippi prophetantibus dicuntur, non est quòd ineptissimorum hominum superstitiosis commentis moueamur. Nam si quæ in præsenti Paulus scribit propius inspiciamus, illum de vxore loqui patebit. Nam sororem nominat, quo nomine olim Christianas fœminas denotari solitas fuisse notius est, quàm vt demonstrari oporteat, et circumducendi verbo potestatem innuit, quæ nulli viro est nisi in eam, quæ ipsi legitimè iuncta est. Et hîc etiam se iure suo cessisse ait, vt eos pudefaciat, qui in re leuioris momenti infirmis nihil concedendum esse putabant. In citandis autem aliorũ exemplis gradatione vtitur, vt vehementius sit argumentũ, quod ex illis elicit. Nã primo loco Apostolos in genere nominat: deinde fratres, id est, cõsobrinos aut cognatos Christi adducit, quales Ioannem & Iacobũ Simonem & Iudã, siue Thaddæũ fuisse alibi diximus: postremò Cephas aut Petrus citatur, cuius summa erat apud oẽs ecclesias existimatio. Quis ergo vllis ministrorũ hoc negatum dicet, quod tantis ecclesiæ columnis olim licuit? Quin potius dicimus, in ipsum munus Apostolicum & Christi ecclesiam eos omnes peccare, qui hodie ministrorũ coniugia damnant. Defendit hæc olim vetustas, & maiores nostri per Germaniam episcopos vxoratos habuere per annos amplius mille vsq; ad Gregorij VII. tempora, qui totum ferè orbem terrarum turbauit, vt impurum cœlibatum omnibus obtruderet.

Coniugia fidelium qualia esse debeant?

Obseruabis autẽ locutionem, qua sororẽ vxorem dicit. Ea enim docet, qualia esse debeant coniugia fideliũ. Primum in his esto, vt non nisi Christianis iungantur, qui propter eiusdem religionis societatẽ fratres & sorores sint. Dictũ de hoc sæpe, & proinde eadẽ repetere non est opus. Deinde coniunctionis suæ meminerint, quæ inter illos arctissima est, & quidẽ duplex, coniugij nimirũ & religionis. Quod ergo de Sara dicitur, quòd Abrahami & soror & coniunx fuerit, hoc ipsum ad omnes Christianos coniuges pertinet. Vir enim idem mulieris maritus & frater est: maritus quidẽ ob coniugij vinculũ, frater autem in Christo, qui nos eiusdẽ patris filios fecit. Ita mulier vna & eadẽ viri soror et vxor est. Quod vt amorẽ cõiugalẽ nobis cõmendat, ita in coniugijs honestatẽ quoq; seruare docet, ne alicuius turpitudinis authores simus ijs, qui nobis tã arctè cõiuncti sunt. Duobus ergo verbis Paulus oẽs cõiugij leges cõpræhẽdit, quas multi vix infinitis voluminibus explicare potuerũt.

Otium ecclesiasticum.

Restat tertium, in quo iure suo Apostolus cessit, de quo sic scribit: An solus ego & Barnabas non habemus potestatem non operandi? Loquitur de opere manuario, quo sibi apud Corinthios victum parauit, vt etiam sæpe aliâs, sicuti Lucas in Actis, & ipse non vno loco testatur. Id verò de alijs Apostolis nusquam legitur, qui ex Euangelij ministerio vixerunt. Quod cùm Paulo quoq; liceret, satis constat, eum hîc quoq; noluisse libertate sua vti cum alicuius offendiculo. Coniungit autem sibi Barnabam, cui eadem gloria debebatur. Et est hoc singularis modestiæ argumentum qua illum quoque honore suo fraudare noluit, cum quo ipsi aliquando lis grauissima intercesserat.

Actor. 15.

At hodie

At hodie multi lites quærunt, & nihil non in fratrum contumeliam corradunt, vt ipsis solis laus omnis cedat. In ista autem commemoratione admonemur, quanta sit mundi huius contumacia, & quàm parum sua indulgentia pij ministri proficiant. Debebant Paulo animas suas Corinthij, nedum victum necessarium. At non contenti hunc negauisse, simul suos illi labores exprobrauerunt, & eo nomine eum viliorem duxerunt, quo ipsum imprimis euehere & in manibus gestare debuissent. Regnat hoc malum etiam hodie passim, & cùm ecclesiæ ferè maiorum liberalitate ditatæ sint, vt non opus sit ministros quicquam ab aliquo petere, paucos tamen est inuenire, qui non ista quoq; stipendia illis inuideant, multi autem Iudæ mores imitati ea diripiunt, quæ ab alijs donata sunt. At non debet ingratitudo hæc aliquem offendere. Dabunt aliquando dignas pœnas, qui de verbo Dei non dignè iudicant. Interea officium suum sedulò faciant ij, quibus docendi munus commissum est, & cum mundi contumacia luctentur: quod olim sanctissimos Prophetas fecisse scimus. Reliqui verò attentis animis verbū audiant, audito credant, & vitam suam secundùm eius amussim instituant, vt olim æternum seruentur in IESV CHRISTO Domino & Seruatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLIIII.

Quis militat proprijs stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Num secundùm hominem hæc dico? nonne etiam Lex hæc dicit? Nam in Mosis Lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ sunt Deo? aut num propter nos omnino hoc dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quòd sub spe debeat is qui arat arare: & qui triturat sub spe, suæ spei particeps esse. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum ne fuerit si nos vestra carnalia messuerimus?

INter multa & præclara Dei beneficia, nullum post CHRISTVM IESVM pro nobis in mortem traditum præstantius est verbo suo. Per hoc enim voluntatem suam nobis reuelat, eodem nos per huius mundi tenebras dirigit, regni sui thesauros aperit, deniq; per illud nos regenerat & adoptionis spiritu donat, vt cum filio suo regni æterni & cœlestis hæredes efficiamur. At vicissim hîc sese exerit humani ingenij prauitas, & quæ ex ea enascitur ingratitudo. Quia enim natura ad malum procliues sumus, & multa indies facimus, quæ professionem nostram minus decent, non possumus patienter ferre nos arguentem diuinæ veritatis lucem. Hinc ergo administrorum eius odia nascuntur, ex quibus deinde omnis generis calumniæ & apertæ etiam aut violentæ persecutiones oriri solent. Quod si qui ab illis abstinent, ij saltem inuidia ringuntur, & quàm iniquè de verbo Dei simul & eius administris iudicent, hoc vno abunde ostendunt, quòd nimium & iniquum esse putant, quicquid in illos confertur. Fiebant ista palàm Corinthi, & tanta erat multorum malitia, vt quamuis Paulus apud illos Euangelium gratis prædicauisset, & interea temporis partim manuum labore victum sibi parauisset, partim ab alijs accepisset, qui de toto hoc negotio rectius & honorificentius sentiebant, illorum tamen dentes & calumnias effugere non potuerit. Quapropter cùm ipsi demonstrandum esset, quanta facilitate & indulgentia erga illos sit vsus, & in quàm multis suo iure cesserit, ne Euangelij cursum aliqua ex parte remoraretur, prolixè admodum & diligenter probat, licuisse sibi exemplo aliorum Apostolorum ab ipsis stipendium & quæ vitæ necessaria sunt petere. Ea autem occasione non solùm authoritatem conciliat exemplo suo aduersus eos, qui Christiana libertate non sine multorum scandalo abutebantur, verumetiam turpem illorum ingratitudinem arguit, qua in Deum ipsum peccabant. Prudenter verò rem hanc omnem tractat, ne quid in aliorum Apostolorum contemptum dicere videatur; qui sub

iure hucusque fuerant vsi. Postquam enim nuper ostendit, sibi idem quod alijs licere, nunc hoc ipsum per se licitum & æquum esse docet, idque argumentis tribus confirmat, quæ ex ordine inspiciemus.

Stipendia ministris debentur ex lege naturæ.

Primum ex communi hominum more sumitur, qui est, vt quisque ex eo victum habeat, ad quod legitimè vocatus est, & cui se totum impendit. Et opus erat propter iniquos & morosos illos ministerij æstimatores hinc ordiri, vt ostenderet, nihil iniquum aut absurdum hîc peti, sed quod publica omnium consuetudine adeoq; naturæ legibus sit receptum. Summa totius argumenti est: Vnusquisque ex ea arte viuit, quam exercet: Ergo nobis quoque ex Euangelij prædicatione victus debetur. Antecedens probat per Inductionem, qua aliquos eorum enumerat, qui ex suis laboribus victum recipiunt: Milites nimirum, Vinitores aut agricolas & Pastores. Adhuc autem interrogationibus insistit, vt proprij cordis testimonio aut confessione aduersarios suos conuincat. Quis militat proprijs stipendijs vnquam? Quasi diceret: Quis tam iniquus fuerit, vt ab eo, qui vitam & sanguinem pro publica salute profundere paratus est, etiam hoc exigere ausit, vt proprio ære militet? Reges certè exteri & tyranni iniquissimi stipendia illis largiuntur, qui ipsorum auspicijs bella gerunt. Et notum est Sirachidis dictum, qui militem egenum inter eos numerat, quorum indigna conditio bonis & cordatis omnibus dolorem affert. Eccles. 26. Deinde, Quis (inquit) plantat vineam, & de fructu eius non edit? Etenim Deus ipse hoc ius fecit hominibus, vt qui terram in vultus sui sudore colunt, inde fructum recipiant. Et inter minas aut maledictiones Legis, quibus impios eius transgressores Deus territat, hæc etiam habetur: Plantabis vineam, & non primus vindemiabis eam: & ideo pugna iam instante iubebantur ex acie discedere, quicunque ex vineis suis nondum primos fructus collegerant. Addit his tertium exemplum Paulus. Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Pecuarij fuerunt olim sanctissimi patriarchæ, & ex suis gregibus cum tota sua familia vixerunt. Quod ipsum de Dauide, viro secundùm cor Dei, dicere possumus. Et iniquus foret, qui hodie pastoribus id prohibere conaretur, &c. Latet autem sub exemplis aut parabolis hisce argumentum à comparatis cuius vis maxima in eo est, quòd Euangelij præcones functionem sustinent, quæ cum omni suo effectu ad Deum Opt. Max. refertur. Itaque etsi Paulus conclusionem ipse non inferat, cuiuis tamen facile est ex istis ad hunc modum colligere: Si qui regibus militant, ab ijsdem stipendia accipiunt: iniquum fuerit vt suo ære viuant, qui militiam Dei exercent sub duce IESV CHRISTO, cui omnes in baptismo nomen dedimus. Si item vineæ & agri suos cultores alunt, si ouium greges suis pastoribus victum suppeditant, vos ne ecclesiam, quæ Dei aruum & vinea & grex est, tam infelicem & sterilem, aut tam ingratam putabitis, vt suis cultoribus & pastoribus vitæ necessaria neget? Poterant hæc latissimè diduci, & multis amplificari, sed sufficit pios paucis admonuisse, quos verbi Dei amor & studium excitat, vt huius causæ æquitatem facilè intelligant. Nunc potius obseruemus, Paulum his exemplis potius vti voluisse, quàm infinitis alijs, quæ in tota rerum natura & quotidiano hominum vsu occurrunt. Cuius rei rationem nullam aliam reddere possumus, quàm quod illis continetur, quicquid de toto Euangelij ministerio dici potest.

Eccles. 26.

Deut. 28. et 20.

Conditio ministerij ecclesiastici.

Primò enim quæ muneris istius conditio sit, adumbrat: non qualem Monachi fingunt, qui in inani contemplatione Dei cultum consistere dicunt, & tunc se egregios IESV CHRISTI seruos esse sibi persuadent, si vt fuci ignaui nihil agant, & circa nescio quas ceremonias occupentur. Atqui tales seruos non magni facit Christus, neq; eiusmodi in sua ecclesia ministerium instituit, sed quod totum praxi aut opere constat. Est enim militiæ instar, vt in posteriori epistola Paulus annotauit. Nam cùm Dei filius ideo in mundum venerit, vt communis hostis nostri opera destrueret, & eundem ex regno malè occupato eijceret, seruos quoque habere vult, qui cum hoste illo assiduè pugnent, & ecclesiam suam ab eius incursionibus strenuè tueantur. Imperator militiæ huius ipse Christus est, qui iam ante hostem vicit, & suo exemplo hunc vincendi rationem monstrauit. Arma sunt non carnalia, qualia personati ipsius vicarij vibrant, sed spiritualia, verbum Dei nimirum, quod gladij ancipitis instar est, & preces, quibus & Satan terretur, & Deus ipse expugnatur, vt nobis opem ferat. Finis pugnæ aut victoriæ est, vt totus homo per fidei obedientiam

2. Cor. 10.

Deo subijciatur. Quòd si cum his diaboli ingenium inquietum & improbum, deinde hominum quoque mores atque mundi infelicis studia conferas, mox videbis nullum locum socordiæ aut segnitiei ministris reliquum esse, sed necessitatem ipsam exigere, vt simul & speculatores & milites agant, qui & hostis insidias obseruent, & populum ad resistendum excitent, & gladium Verbi Dei indesinenter stringant. Pertinet huc quod in Hierosolymæ instauratæ historia legitur, Israëlitas altera quidem manu muros extruxisse, altera gladios tenuisse, quibus hostes subinde irruentes profligarent. Docet hoc ipsum vinitoris aut agricolæ parabola. Nam ecclesiam Dei vineam esse Isaias docet, & Christus in Euangelio non semel hoc nomine eam appellat. Eandem supra Apostolus Dei aruum dixit. At neque aruum neque vineæ cultores otiosos aut segnes requirunt, sed tales oportet esse ecclesiæ ministros, qui stirpitus excindant omnia, quæ segetibus nocere possunt, qui plantando & rigando fidelem operam nauent, qui denique luxuriantes in hac vinea palmites falce Verbi Dei rescindant, & apud omnes instent, vt quos Deus à nobis requirit fructus ferant. Quo nomine illos Christus exactoribus quoque confert. Admonet hoc ipsum rei pecuariæ aut pastoritiæ similitudo. Solet enim Christus ecclesiam suum gregem dicere, & quia hunc sui sanguinis pretio redemit, satis constat eum nihil illo pretiosiorem habere. Et quamuis ipse pastor sit verus, hominum tamen opera vti dignatur, qui Verbi doctrina gregem hunc contineant, errantes reducant, pascant, saucijs medeantur, confractos curent, lasciuientes coërceant, adhæc lupos procul arceant, aut saltem oues confirment, ne illorum minis & machinationibus succumbant. At si hîc rursus consideres diaboli improbitatem, qui modò blanditijs credentes in auia abducit, modò hæreticorum figmentis vnitatem gregis illius scindit, plerunq; autem aperta vi totum ouile dissipare conatur: è contra autem cum hoc ouium stoliditatem, ignauiam & væcordiam conferas, quæ lupos eiusmodi vel accersunt vltrò, vel sese in eorum vngues & fauces ingerunt: rursus patebit, nunquam defore Euangelij præconibus quod agant, siquidem hero suo fideles esse velint.

Nehem. 4. Isa. 5.

Vt verò de laboribus & curis illos admonet Paulus, quas illos sustinere oporteat: ita mercedem quoque eis deberi docet, sed talem, quæ illos frugalitatem & temperantiam sectari debere ostendat. Nam in militiæ parabola (si Græcum vocabulum inspicias) opsoniorum meminit, id est, victus diurni, qui antiquitus militibus dari solebat. Fuit autem is frugalis, vt quem optimi quique Imperatores necessitati, non luxui aut voluptati, seruire voluerunt. Apud Romanos certè, quando maximè floruit illud Imperium, militibus lentem & salem distribuere solebant, vt Plutarchus in Crassi vita annotauit. Posteris demum temporibus stipendiorum magnitudo in castra luxum inuexit, & disciplinam militarem è medio sustulit, quam Valerius Maximus præcipuum decus & stabilimentum Romani Imperij dixit. Sed quia hæc alterius loci sunt, sufficiat nunc ista voce frugalitatis ministros admoneri. Fit idem in vineæ & rei pecuariæ parabolis, in quibus non de illis loquitur Paulus, qui ex vineæ fructibus comessantur & pinguiores in grege agnos mactant atque deuorant: sed de ijs, qui de vineæ fructu edunt, & lacte gregis contenti viuunt. Pseudoprophetis & mutis canibus Isaias tribuit, quòd conuiuia lautiora quærant & comessationes ebriosas instituant. Eliam verò pane & aqua & carnibus modicis, Ioannem verò Baptistam locustis & melle syluestri, quæ desertum ipsi suppeditabant, contentum fuisse legimus. Et Apostolorum vox est: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus. Vt ergo locus iste ius ministerij & quæ ministris debentur stipendia asserit: ita vicissim eorum improbitatem arguit, qui huius muneris prætextu turpiter & perfidè abutuntur. Sunt primi in hoc ordine, qui stipendia quidem ecclesiastica ambiunt, labores autem & curas omnes detrectant, quibus ministros fideles vacare oportet. Proximi hos sequuntur, qui non contenti necessarijs, imò ne ijs quidem, quæ ad vitam honestè transigendam poterant sufficere, insuper opes ingentes accumulant, Ghezæum illum imitati, qui Eliæ heri pauperis diues seruus fieri voluit. Vtrisque peiores sunt, qui vt ex principum, vel etiam Episcoporum & Monachorum liberalitate stipendia lautiora accipiant, in officio suo cessare solent, & ad ea conniuent, quæ palàm accusare debebant. Est magnus istorum numerus hodie, & ijs ferè debemus, quòd multi ab Euangelij doctrina abhorrent, multi in eius cognitione minus proficiunt.

Stipendiũ mediocre & frugale cõceditur

Isa. 56.

Ratio docendi in ecclesia.

Porrò poterant exempla hæc à nonnullis in ministerij ecclesiastici contemptum rapi, quasi hoc non pluris quàm militia, agricultura, aut res pecuaria fieri debeat: ideo ne solis hominum rationibus pugnare videatur Paulus, scripturæ testimonijs hoc ipsum confirmari ostendit. Quo loco admonemur: quæ ratio docendi in ecclesia seruari debeat. Licet quidem argumentis & similibus agere ex rerum natura petitis: hoc enim olim Prophetas & Apostolos, adhæc ipsum Dei Filium fecisse constat: At simul videre oportet, ne quid ex illis conemur elicere, quod in Scripturis non sit expressum, aut harũ authoritate non posit confirmari. Errant in hoc multi hodie, qui Pontificis Romani primatum & Diuorum intercessionem exemplis ex Regum aulis petitis probare conantur. Quibus apud Isaiam respondet Dominus: Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; viæ meæ sunt viæ vestræ: Sed quemadmodũ cœli terra sublimiores sunt, ita excedunt viæ meæ vias vestras, &c. Exemplorum ergo & similium hic nobis vsus esto, vt quæ Dei verbo traduntur illustrent & confirment, non autem vt ex illis dogmata aliena & peregrina eliciamus.

Stipendia ministrorum Lex Dei constituit. Locus Deut. XXV.

Sed Paulus audiatur, sic loquens: Num secundùm hominem hæc dico? Id est, num carnis solùm sensu ducor, neque alijs nitor rationibus, quàm quæ inter homines in vsu quotidiano recepta sunt? Nónne etiam Lex hæc dicit? Nam in Mosis Lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti. Extat locus Deut. 25. cap. & ex illius seculi more præceptum hoc petitum est. Solebant enim veteres boum pedibus triticum aut grana ex spicis exterere, quod hodie flagellis fieri consueuit. De illis ergo legem tulit Deus, ne in illo labore agentibus os obturetur, quod haud dubiè factitarunt qui ad rem erant attentiores. At legem hanc ad Euangelij præcones Paulus extendit, & ne qui obijcerent: Quid istud ad te aut quoscunq; alios Euangelij ministros? Mox rem clarius exponit his verbis: Num boues curæ sunt Deo? aut num propter nos omnino hoc dicit? Boues Deo curæ esse negat, non quòd illos ab eius prouidentia eximere velit (sciebat enim hanc ad passeres & pullos coruorum vsq; extendi, neq; etiam illud Dauidis ignorabat: Hominem & iumentum seruabis Domine) sed non ita illum pecora curare dicit, vt in eorum gratiam leges ferre velit, cùm primas partes apud eum semper habeat homo, in cuius vsum alia omnia sunt condita. Ideo addit: Propter nos hoc scriptum est, quòd sub spe debeat is qui arat arare: & qui triturat sub spe, suæ spei particeps esse. Itaq; verborum sensus est: Quemadmodũ olim legem tulit Deus, ne quis bouem triturantem à pabulo prohibeat: ita neminem mortalium idem ille sui laboris fructu fraudari vult. Itaque qui arat, sub spe arare debet, quòd nimirum ex tota illa terræ cultura fructum percepturus sit: & qui triturat sub spe, spei etiam suæ debet particeps fieri. At quia ecclesia Dei aruum est, & qui in illa Verbum prædicant ministri, primò quidem agricolarum instar sunt, dum homines ad sementem Verbi præparant, mox autem boues quoq; triturantes agunt, quando admonitionibus, hortationibus, minis & quouis alio modo fructus Christiana professione dignos ab hominibus extorquent: minimè admittendum est, vt quoad spem salarij aut victus horum sors deterior sit, quàm agricolarum, vel etiam boum esse soleat. Quæ enim iniquitas esset homini negare quod iumento datur? aut in Christi aruo & area laborantes hominibus rusticis inferiores putare?

Psal. 36.

Cur loco isto Paulus vtatur?

Deut. 14. Num. 18.

Cæterùm non immeritò miretur aliquis, cur Apostolus scripturæ locum obscuriorem & hominum impiorum sibilo obnoxium adducere voluerit, cùm plures alij extent, qui disertis verbis illius sententiam confirmant? In Deuteronomio enim grauiter præcipit Moses: Ne deseras Leuitam, qui est intra portas tuas, &c. Et in libro Numerorum decimæ & sacrificiorum partes sacerdotibus atq; Leuitis ea conditione assignantur, vt ijs non minus vti debeant, quàm si illa ex proprijs agris aut horreis accepissent. Aut quid opus erat vllis veteris Instrumenti testimonijs pugnare, quando Christus (vt nuper monuimus) Apostolis liberum facit, vt ab illis victum accipiant, quibus Euangelium per ipsos prædicatur? Vel annon idem ille Verbi administris Legem naturæ & omnium gentium consensu receptam sententiam applicat, quæ operarium sua mercede dignum esse docet? Cur ergo bouis triturantis potius mentionem facere voluit? Ideo nimirum, quòd comparatione ista fortius confutabatur illorum ingratitudo & malignitas, qui Christi ministris alimenta negabant, quæ ne bobus quidem & asinis negare solent, quoad aliquis eorum vsus est. Quid? annon canes domuum custodes aluntur, & quæ caueis inclusæ auiculæ aures nostras suo cantu demulcent, victum suum recipiunt? Sed ô incurabilem impudentiam, quæ hodie multorum frontes ita

tes ita perfricuit, vt quàmuis ista verè dici non possint negare, ministros tamen egere, esurire & fame perire potius vellent, quàm denarium vnum aut panis buccellam egentibus largiri.

Meretur etiam hoc loco diligentem considerationem plus quàm paterna Dei prouidentia, qui etiamsi animalia bruta ipsum non agnoscant, de illis tamen leges ferre dignatur, & eadem propter nos alit atque conseruat: idque non eam modò ob causam, vt nobis inseruiant, sed vt virtutis quoque & pietatis documenta ex illis petamus. Hæc vt nostram spem atque fidem confirmare debent, ne nos vnquam neglectum iri putemus: ita monent, vt in præceptis omnibus, quæ brutorum aliquam mentionem faciunt, ad hominem respiciamus, propter quem illa creata sunt, & ex illis colligamus, quæ illi debeantur officia. Exempli gratia, iubet in Decalogo Deus, vt die Sabbati iumentis quoque quies permittatur, neue vllo tunc labore grauentur. Hic cogitemus, quòd vt propter hominem iumenta omnia facta sunt, ita præceptum hoc etiam hominis gratia datum esse, & proinde grauius multò peccare eos, qui seruos & ancillas otio illo sacro defraudant, quod ipsis Deus concessit. Similiter quoties audis bouem fratris tui errantem reduci, & asinum inimici nimio onere depressum subleuari debere: mox in mentem tibi veniat, quantò magis hæc officia hominibus præstari debeant, vt nimirum erroribus seductos in viam salutis reducamus, & sceleribus grauatos subleuemus? Iubet præterea Lex, ne auem incubantem simul cum pullis suis auferamus. Vbi rursus meminisse oportet, nobis misericordiam & clementiam præcipi, qua erga homines quosuis vti debeamus: cauendum item esse ne iure nostro in quenquã seuerius vtamur: & ne licitã quoq; vindicta in totius posteritatis excidium deseuiamus. Poterant huius generis exempla infinita adduci, sed sufficiat occasionem dedisse verè & piè philosophandi ijs, qui scripturas non sine fructu legere & scrutari cupiunt.

Dei bonitas & prouidentia in brutis elucet.

Exod. 23. Deut. 22.

Pergamus nunc in Apostoli verbis, qui quæ hucusque produxit argumenta quasi in summam colligens, ostendit præter omnem rationem de ministrorum stipendijs homines morosos & auaros conqueri, quando certum sit, ipsos plus accipere quàm illis impertiant. Id probat collatione, & in suam personam hoc omne recipit, quod inuidia & odio dignum quibusdam videbatur. Si nos (inquit) vobis spiritualia seminauimus, magnum ne fuerit si nos vestra carnalia messuerimus? Spiritualia dicit ea, quæ Verbi administri prædicant, partim quòd consistunt in rebus, quæ nullo carnis sensu, sed solo spiritu & fide percipi possunt, partim quòd non vt caro corruptioni obnoxia, sed firma & æterna sunt, nosq; ad vitam spiritualem, imò ad regnum Dei & beatam immortalitatem deducunt. Sunt hæc remissio peccatorum, gratia Dei, iustitia, sanctificatio, vita, salus & regni cœlorum hæreditas, quæ omnia per Euangelium prædicari, & legitimo Sacramentorum vsu in credentibus obsignari, satis notum est. Per carnalia autem victum & amictum intelligit, quæ vt soli carni aut corpori seruiunt, ita fluxa sunt & peritura. Atqui hæc sola (inquit) à vobis accipimus, qui vobis illorum tantorum bonorum sumus administri. Quid ergo magnum datis, cuius vos meritò pœnitere debeat? Voluit autem ista comparatione vti Apostolus, non quòd (vt ingrati & malæ frugis ministri solent) stipendia ecclesiastica extenuare voluerit (nam quanti fecerit Philippensium in se alendo liberalitatem, scripta ad eos epistola satis testatur) sed quia ipsi cum hominibus crassis res erat, qui cùm auaritia vt plurimùm laborarent, maximi facere solebant quicquid ex suis thesauris depromere cogebantur. Nos verò obseruabimus, non cum solis Corinthijs Paulum loqui, sed simul totius mundi ingratitudinem perstringi, qui suas sordes & quisquilias tanti ferè æstimat, vt nimium ei videatur, quicquid in Euangelij doctrinam & præconum eius alimoniam confertur. Est morbus hic admodum vulgaris hodie. Quàm multos enim est videre, qui cùm prodigiosa prodigalitate patrimonium omne in aleam infamem, in scorta, in conuiuia luxuriosa, in insanas ædificiorum structuras, in lenones, canes, accipitres, equos, mimos denique & histriones profundant, non parci modò sunt in diuinis, sed iniuriam grauem sibi fieri queruntur, si ex sua opulentia aliquid iubeantur conferre in scholas, in sacrarum literarum studiosos iuuenes, vel in annuum sui ecclesiastis siue doctoris stipendium? Quæ verò tantæ ingratitudinis causa est? Hæc nimirum, quòd neq; opum huius seculi vsum verum, neq; Euangelij dignitatem & bonorum, quæ illo nobis prædicantur, incomparabile pretium intelligunt. Discant ergo illi sibijpsis Paulinum istud occinere, & simul cogitent, diuitiarum omnium non alium vsum esse, quàm vt vita

Iniqui sunt, qui de stipendijs ministrorum queruntur.

mortali seruiant, caducas item & fluxas esse, in Euangelio autem immensum illum thesaurum & incomparabilem margaritam regni Dei contineri, cuius causa fortunas omnes diuendere, imò abijcere oporteat. Potuit olim Cratem Thebanum humanæ sapientiæ admiratio mouere, vt opes suas omnes in mare demergeret: & quid non poterit cœlestis illa sapientia, si eius excellentiam simul & vtilitatem homines rectè expendant?

Sementis parabola.

At priusquam Sermonem hunc concludamus, obseruari quoque debet sementis similitudo, qua in præsenti Paulus proprijssimè vtitur. Nam Verbum Dei semen est regenerationis, ex quo omnes renasci oportet, qui regnum illud cœleste videre volunt. Seminatur illud prædicatione, vt Christus in parabola docuit: & ideo rectè Apostolus se & alios spiritualia illa bona apud Corinthios seminauisse scribit. At sementis non sine labore fit, & multa illam præcedant oportet, quæ ipsa quoque sine labore & molestia non possunt perfici: fructus autem non nisi spe possidetur, donec vltimum illud messis futuræ tempus aduenerit. Ita magno cum labore prædicatur Verbum, fructus autem non semper, qualem vellemus, apparet. Et qui in semente illa facienda plurimùm laborant, ij ferè in hoc mundo minimum inde præmij recipiunt. Debent tamē sub spe arare, serere, metere & triturare: quia etsi homines fallant, promissa tamen mercede Deus suos operarios minimè frustrabitur, sicuti in talentorum parabola docemur. Excitent ista omnes homines ad diuinæ bonitatis considerationem. Sumus omnes natura steriles & instar terræ maledictæ. Inter nos tamen aruum sibi delegit Deus, quod seruorum suorum ministerio colit, & cuius sulcis semen illud cœleste committit, quos & spiritus sui virtute irrigat. Excipiant ergo singuli semen istud, & Deo sese obsequentes atque faciles præbeant, vt fructibus bonis ornati olim ad regni cœlorum horrea colligantur cum IESU CHRISTO, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLV.

Si alij sui in vos iuris participes sunt, cur non potius nos? Atqui non vsi fuimus iure isto: sed omnia sustinemus, ne quid remoremur Euangelium Christi. An nescitis, quòd qui sacris operantur, ex sacrario edunt? & qui altari assident, cum altari participant? Ita Dominus constituit ijs qui Euangelium annuntiant, vt ex Euangelio viuant. Ego tamen nullo istorū sum vsus. Neq; verò hæc scripsi, vt ita fiat in me. Nam bonum est mihi mori potius, quàm vt gloriationem meam aliquis inanem reddat.

MVltis & grauibus argumentis probat Paulus, licuisse sibi à Corinthijs, quibus Euangelium annuntiauerat, stipendium ecclesiasticum accipere. Diligentiæ huius causa est, quòd partim suam authoritatem contra æmulos tueri vult, partim suo exemplo eorum licentiam retundere, qui libertate Christiana eò vsque abutebantur, vt non sine multorum scandalo prophanis gentium sacris communicarent, & epulis in Deorum honorem institutis vescerentur. Potest autem disputatio ista nos docere, nullā administrorum Verbi Dei diligentiam superuacaneam aut nimiam esse: quando apud eos, qui iam annis aliquot Christum professi fuerant, & multis ecclesijs præstare videbantur, tam multis opus fuit in eo demonstrando, quod communi sensu probari poterat, & de quo omnes homines Lex naturæ admonet, dignum videlicet esse operarium mercede sua, & eos qui se aliorum ministerio manciparunt, ab ijsdem ali debere. Sed ea est carnis nostræ stupiditas & affectuum malitia, vt quæ luce clariora sunt non videant qui hos in consilium adhibent. Exempla huius rei hodie multa in nostris ecclesijs extant, quæ nos excitare debent, ne remissiores simus in ijs corrigendis, quæ correctionē requirere videmus. Cæterùm post multa, quæ hucusque produxit Apostolus, nunc proprio exemplo Corinthios conuincit, & inde propius accedit ad suæ existimationis defensionem.

Primum his verbis comprehendit: Si alij sui in vos iuris participes sunt, cur non potius nos? Iuris siue τῆς ἐξουσίας nomine (quam plerique potestatem interpretati sunt) intelligit facultatem viuendi aliorum sumptu & impensis: & non tam de doctoribus Corinthiorum loquitur, qui ab ecclesia victum exigebant, quàm ipsis Corinthijs, qui hunc abs se exigi patiebatur, cùm in Paulum hucusq parcissimi fuissent. Sensus ergo verborum est: Cùm alijs istud per vos liceat, quibus liberaliter numeratis plùs quàm necessitas requirat, cur ego iniquus aut iniustus videar, si victum accipiam necessarium? Loquitur autem (vt Chrysostomus annotauit) de nothis & fraudulentis doctoribus, qui post suum discessum apud eos irrepserant, & intolerabili insolentia, neq sine publica ecclesiæ illius contumelia res suas agebant: his verò seipsum opponit, qui cùm Corinthiorum Apostolus esset, & primus in ea vrbe Euangelium prædicauisset, meritò plus iuris apud eos debebat obtinere. Facit ergo ad huius loci expositionem, vel potius argumenti istius amplificationem, quod in posteriori epistola Cap. 11 scribitur: Toleratis si quis vos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit. In præsenti tamen, quòd minus necesse videretur, neq tanta verborum grauitate in æmulos suos inuehitur, neq suos labores arrogantius iactat: sed eo contentus est, vt sibi idem quod alijs licuisse ostendat. Est hoc magnæ modestiæ argumentum, & docemur Apostoli exemplo, non semper dici debere quicquid in aliqua causa dici potest: sed sufficiat ea modestè attigisse quæ sufficere possunt: & cùm vitiorum emendationi atq paci ante omnia studere oporteat homines Christianos, videndum est, vt quoad eius fieri potest animorum offensio caueatur. Proprio exemplo Corinthios conuincit.

Apparet autem hîc corruptum & peruersum mundi iudicium, qui ferè benefactores odisse, aut saltem negligere, eos autem in honore & pretio habere solet, qui saluti ipsius quàm maximè officiunt. Etenim cùm Paulus apud Corinthios doceret, in amplissima & opulentissima ciuitate nemo ciuium repertus est, qui illi hospitium præberet, aut mensa sua dignum iudicaret, præter vnum Aquilam, qui & ipse peregrinus erat, & non ita pridem propter Claudij Cæsaris edictum Roma illuc venerat. Ad hunc ergo diuertit, & dum toti vrbi cœlestem animarum cibum depromit, ipse duro manuum labore sibijpsi victum parat. At postquam ipso inde digresso vanissimi ostentatores & impostores obrepserunt, qui Christo initiatos in sectas distrahebant & hominum seruos faciebant, qui item impudenter quiduis à quibusuis postulabant, qui denique sua partim negligentia, partim improbitate ecclesiam totam infamem reddebant, mox istis omnium domus patuerunt, certatim in eos profuderunt suas fortunas, imò grauissimas quoque iniurias ab illis patienter tolerarunt. Huius generis multa olim facta sunt Prophetarum temporibus, quando hos quidem inter extremam inopiam vix vitam sustinuisse, aut etiam propter hostium insidias latuisse vel profugisse legimus, cùm interea ad regum mensas lautissimè comessarentur, qui & cultum Dei euertebant, & publici exitij erant præcipui authores. Neque melior Filij Dei in terris hîc agentis sors fuit, qui & ipse incertis sedibus hinc inde oberrauit, neque habuit quò caput inclinaret, cœtus verò suorum auditorum ferè in locis desertis & littoribus coëgit, quando Sacerdotes & scribæ, infelicis populi pestes, templum & Synagogas occuparant, & ex miserorum spolijs indies ditabantur. Quid verò hodie fiat notius est, quàm vt multis demonstrare necesse sit. Quis enim nescit iam seculis aliquot supremam rerum ecclesiasticarum potestatem penes eos fuisse, qui ne infima quidem ecclesiæ membra dici merebantur? Et hodie passim cathedrales ecclesias (vt vocant) & augusta monasteriorum palatia cum amplissimis redditibus occupant homines aut indocti, aut etiam impuri, qui neque Veritatis doctrinam populo tradunt, neque honestè viuunt, & his tamen datur quod ad luxum & libidinem sufficit: egentibus interim & cum fame conflictantibus Christi ministris, qui vitæ æternæ verbum prædicant. Est hæc ingratitudo quouis supplicio digna, & ita Verbi sui contemptum Deus vlciscitur, vt impostores & latrones sibijpsis accersant, eosq magnis impensis alant, qui illud nolunt audire. At non debent ista pios Christi ministros offendere. Vincet enim & in illis triumphabit nihilominus Dei Verbum, & in cœlis reposita sunt illis præmia, quæ nemo præripere poterit. Mundus salutis doctores odit, impostores colit. 1. Reg. 18.

Itaq Paulum imitentur, qui etsi de Corinthiorum iniquitate meritò conqueri posset, nihil ta- Paulus vt suo iure cesserit & quare?

men in eos durius dicit, sed id potius infert, quod ad disputationis huius statum maximè faciebat. Atqui non vsi fuimus (inquit) iure isto, sed omnia sustinemus, ne quid remoremur Euangelium Christi. Quasi diceret: Etiamsi diuinis & humanis legibus ius meum tueri, vestro denique exemplo contra vos vti possim, illud tamen persequi nolui. Nec tamen mihi aliquis obijciat velim, me vix potuisse aliquid à vobis saluo honore meo petere, cùm omnibus abundauerim, quæ ad vitam beatè & lautè transigendam faciunt. Tam enim abest, vt illud de me dici queat, vt potius constet me plerunq; in extrema necessitate constitutum esuriuisse, sitiuisse, alsisse, omnia deniq; ea passum esse, quæ pauperrimis & omni præsidio humano destitutis accidere solent. Qui in hunc vsq; diem (quod supra dixi) & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus. Sustinemus tamen hæc omnia, & quæuis potius ferre parati sumus, quàm vel minima ex parte Euangelicæ prædicationis cursum atq; fructum remorari. At hoc dicendo, non obscurè innuit, quàm turpiter faciant, qui cùm nulla necessitate premantur, & domi suæ conuiuari possint, tamen ne ab idololatrarum quidem mensis abstinere velint, quàmuis exemplo suo infirmos offendi, & multos ex gentibus in superstitionibus suis confirmari, & ita duplicem remoram Euangelio inijci videant.

2. Cor. 11. 1. Cor. 4.

Quam Euangelij remoram Paulus timuerit.

Quærunt autem hoc loco nonnulli, quæ illa remora fuerit, de qua Paulus loquitur, & num quid huius debuerit timeri, si à Corinthijs stipendium accepisset? Quibus nos respondemus, non frustra timuisse Apostolum, qui vt prudentem ecclesiæ ministrum docet, Corinthiorum mores attentius obseruabat. Videbat enim homines auaros & quæstui deditos vix adduci posse, vt illis aliquid largiantur, ex quibus nihil præsentis aut terreni commodi vicißim sperare possent. Videbat rursum non deesse impostores, qui mirificis artibus sese insinuabant, vt pecunijs quàm plurimos emungerent. Inter illos ergo ius suum persequi aut obtinere non poterat, quin remoras multas Euangelio obijceret. Primò enim suo exemplo pseudoapostolorum audaciam & improbitatem confirmasset. Deinde seipsum suspectum fecisset, quasi & ipse quæstus causa omnia faceret. Tertiò multis eum seruiliter adulari, & perfidè ad vitia manifesta conniuere, multa item dißimulare oportuisset, ne eos offenderet, à quibus plurimum poterat sperari. Postremò cùm gentium Apostolus esset, sui nominis existimationem non poterat in periculum adducere, quin ad omnes alias ecclesias redundaret scandalum, quod inde fuisset enatum. Imò ita sibijpsi viam vbiq; præclusisset apud eos, qui Euangelium nondum audiuerant. Quis enim eum admittat aut patienter audiat, quem non aliud quàm priuatum quæstum venari, iam ante sibi persuasit? Et credibile est, non paucos fuisse in Corinthiorum vrbe, qui nihil non potius maluissent dare Apostolo, quàm morum disciplinam ferre, cuius ille acerrimus vindex erat, & quo nomine eum imprimis oderant. Vides ergo non inanem metum fuisse, qui illum cohibuit.

Nemo Euangelij cursum remoretur per ea, quæ per se licita sunt.

At nos ex eius exemplo generalem doctrinam petere debemus, nobis quoque cauendum esse, ne Euangelij cursum per ea remoremur, quæ nobis licita & concessa sunt, aut quocunque modo scandalum demus infirmis, qui nondum eò vsque profecerunt, vt omnium quæ fiunt rationem intelligant. Nam vt scandalum vitetur, non modò quid nobis liceat videndum est, verumetiam qui & quales sint, quibus cum nobis res est. Iubet hoc Dei gloria, quæ Christianis hominibus commendatißima esse debet, & quæ non alia re magis, quàm libera Euangelij prædicatione propagatur. Idem Lex charitatis suadet, cùm ex eo omnium hominum salus dependeat, vt in Christi cognitionem adducantur. Et cùm omnium sit dona atque vires suas ad Ecclesiæ Christi ædificationem conferre (quod olim Tabernaculi Mosaici extructione Israëlitas fecisse legimus) ad omnis quoque loci & ordinis homines doctrina ista debet extendi. Imprimis autem ministros videre conuenit, ne dum ius suum pertinacius tuentur, multorum animos abs se & Euangelij doctrina alienent. Peccant in eo plurimum, qui in ferendis iniurijs impatientiores sunt, & sui nominis existimationem non sine aliorum contumelia tuentur. Quotquot item in exigendis stipendijs suis rigidiores, ne ijs quidem parcunt, quorum inopiam ipsi sua liberalitate subleuare debebant. Quid verò de illis dicemus, qui vt stipendia lautiora proueheantur, Episcopis & Abbatibus supplices fiunt, & ijs turpiter adulantur, quos iuratos Euangelicæ veritatis hostes esse nouerunt? Est hoc hodie nimis vulgare, & eo stratagemate iam olim aduersus Christum vsus est in-

Exod. 35.

est infelix ille filius perditionis, vt ecclesias propè omnes in Monachorum & Episcoporum potestatem redegerit, qui cum decimis redditus quoque alios omnes intercipiunt, neque alios ad docendum admittunt, quàm quos prius iureiurandò astringunt, ne quid prædicent, quo ipsorum tyrannis euerti, aut quem ex superstitionibus suis ipsi fatiunt, quæstus diminui possit. Patiuntur hæc fieri paßim Christiani homines, neque vident quantum ipsis ex sua libertate decedat, & quòd pastorum loco succedunt malæ frugis mercenarij & canes muti, qui offa in os iniecta tunc quoque silent, quando Christi ouile à lupis voratißimis vastatur. Hic certè satius erat Paulum imitari, neque quicquam ab illis accipere, sed quacunque aliam alendorum ministrorum rationem inire, vt sua ministerio verbi libertas integra maneret. Sed vtrinque auaritia peccatur, dum luxu corruptis nullum ferè stipendium sufficit, auditores autem nimium esse putant, quicquid in ministros confertur. Habent præterea hoc loco, in cuius consideratione sese exerceant Christiani principes, ne dum ipsi quoque ius suum rigidè nimis vrgent, Euangelij doctrinam, cuius vindices & propugnatores videri volunt, multis suspectam & inuisam reddant. Quod ipsum ad priuatos quoque homines pertinet. Vt enim summum ius summa iniuria est: ita ad lucrifaciendos hominum animos nihil efficatius est facilitate & Christiana indulgentia, quæ monet vt iure nostro in loco & tempore cedamus. At cùm hoc à nobis requirat Christianæ religionis ratio, quàm graue & nulla venia dignum scelus fuerit, si qui in aliorum gratiam ne ab ijs quidem abstinere velint, quæ sine scelere fieri non possunt. Est hoc hominum genus hodie passim obuium inter eos, qui Euangelij doctrinam profitentur, eo autem prætextu sacra & prophana rapiunt, incestis libidinibus sese polluunt, & licenter omnia faciunt, quæ olim inter gentes reprehensione digna visa fuerunt. Et hi sunt, qui Euangelij cursum quàm maximè remorantur, dum infirmiores quidem grauiter offendunt, apertis verò hostibus argumenta suppeditant, quibus contra nos & veritatis doctrinam apud imperitos inuehantur.

Cæterùm ne Paulus suo exemplo alijs Apostolis præiudicare putaretur, & illos damnare, qui ecclesiæ stipendijs viuunt, redit ad asserendum ius ministerij, & illud testimonijs scripturæ euidentißimis confirmat. An nescitis, quòd qui sacris operantur, ex sacrario edunt, &c. Interrogatione vtitur, quæ & causæ certitudinem indicat, & sciolorum malitiam arguit, qui quod omnibus notum erat audebant in dubium vocare. Perinde ergo hoc est, ac si dixisset: Quid opus est diutius in eo probando insistere, quod ijs quoque compertum est, qui imperitißimi esse videntur? Quid verò illud est? Quòd qui sacris operantur, ex sacrario edunt, id est, ex ijs, quæ in sacrario aut templo offeruntur. Et qui altari aßident, cum altari participant? Quo loco per Prosopopœiam alteri personam affingit, eò quòd pars victimæ in illo comburebatur, alia autem cedebant sacerdotibus. Duobus autem hisce membris totum cultum Leuiticum cum omnibus ijs comprehendit, qui in illo exercendo publicè ministrabant. Erant hi in duos ordines distincti. Primus inferioris sortis homines, aut vulgus Leuitarum habebat, quorum erat labores grauiores & sordidiores (si ita loqui fas est) obire. Ipsi enim ab adducentibus victimas accipiebant, easdem mactabant, excoriabãt, lauabant, secabant in partes, ligna denique struebant, quibus in altari ignis accendebatur. Adhæc templum totum cum vasis sacris purgabant & custodiebant. Alter ordo constabat sacerdotibus, quorum dignitas maior erat, quos Paulus altari assedisse ait, eò quòd ijs solis intenti essent, quæ ad ipsum altare fiebant. Ipsi enim partes victimæ ad sacrificium destinatas ab offerentibus accipere, coram Domino ritè in altum extollere, aut in dextram & sinistram agitare, igni imponere: libamina infundere & sanguinem aspergere solebant: ad eos item pertinebat incensum, quòd supra aram thymiamatis adolebatur. Etsi verò ordines illi inter se distincti, & in vtroque alij alijs præstantiores essent, omnibus tamen illis, imò vxoribus quoque & liberis eorum ex suo illo munere Deus victum constituerat, ex partibus videlicet sacrificiorum, primitijs fructum ex terra nascentium, primogenitis item & decimis. Et ne ex alieno viuere, aut alijs sua eripere putarentur, non vno loco testatur Deus, ista omnia sua esse, & se ea Leuitis atque sacerdotibus dedisse, vt ex illis ceu proprijs viuant. Vide quæ in hanc sententiam in libro Numerorum Cap. 18. traduntur.

Redit ad ius ministerij asserendum.

De his omnibus in præsenti Paulus disserit, & ne in nouo téstamento ministrorum ecclesiæ conditio deterior esse videretur, addit: Ita Dominus constituit ijs qui Euangelium annunciant, vt ex Euangelio viuant. Quòd si locos quæris, in quibus hoc constituerit Dominus, satis euidens est qui Matthæi decimo Cap. habetur, vbi prohibet, ne Apostoli aurum vel argentum comparent, neque commeatum & reliqua ad iter necessaria secum ferant: eius verò mandati causam affert, quòd dignus sit operarius mercede sua. Operarijs ergo eos confert, qui ex ministerio verbi victum recepturi sint ab ijs, quibus prædicant. Et id apertius apud Lucam exprimit dicens: Manete, edentes & bibentes quæ ab ipsis apposita fuerint. De his in præsenti Paulus Corinthios admonet, non tàm vt quid ipsi licuerit intelligant quàm vt alios Apostolos excuset, qui ex suo ministerio viuebant, cùm non eadem, qua ille, necessitate constringerentur. Est ergo hoc memorabile charitatis & modestiæ Christianæ exemplum, à qua procul alieni sunt, qui si quid ipsis durius accidit, omnibus alijs sortem meliorem inuident, & odiosè de ijs loquuntur, quos melius habere vident. Longè alia Pauli mens fuit, qui de sua, qua in Corinthios vsus fuerat, indulgentia sic disserit, vt ne suspicione minima eos grauari cupiat, qui suis stipendijs fruebantur. Quo animo si hodie omnes præditi essent, plerique essent beatiores. Sed infelices homines duplicem ferè miseriam sibi accersunt, dum & proprijs malis vexantur, & ex aliorum felicitate dolorem concipiunt, ex qua potius consolationem captare debebant.

Luc. 10.

Veteris & Noui testamenti ministrorum ratio.

Porrò omissis illis, videamus paulò attentius, vt de Veteris simul & Noui Testamenti ministris Apostolus loquatur. Est hoc obseruatu vtilissimũ, imò necessariũ quoque. Hodie enim in vtramque partem vehementer peccatur, quando alij quidem solo ministerij nomine superbi, otiosos ventres agunt, & ferè fieri solet vt in opulentissimis cathedralium ecclesiarum Collegijs redditus omnes maxima ex parte intercipiant, qui non modò munus ecclesiastici ministerij nullum obeunt, verumetiam vestitu & moribus testantur, indignos se esse, qui vel extremum in ecclesia Christi locum obtineant, cùm verissimè de illis dici possit, quod Horatius aliquos de seipsis dicentes inducit: Nos numerus sumus, & fruges consumere nati. Alij verò, quia hîc altaris & sacrificiorum mentionem fieri audiunt, nouum sacerdotium fingunt, per quod etiam hodie sacrificia pro viuis & defunctis offerri oporteat. Sed vtrique huius loci authoritate confutantur. Paulus enim de ijs loquitur, qui sacris operantur & altari assident. Etenim in veteri testamento nihil otij erat sacerdotibus & leuitis, sed vnicuique suum munus assignatum erat, quod summo studio obiret. Neque etiam ex primi ordinis sacerdotibus aliquis erat immunis, sed per vices isti omnes requirebantur, vt per certos aliquot dies templo & altari seruirent: quod in Zachariæ historia Lucas annotauit. Quoad verò noui Testamenti ministros, his Euangelij prædicationem tribuit Apostolus, & nullius præterea sacrificij meminit, vt nec aliarum superstitionum, quæ posteris demum temporibus irrepserunt. Nam non ait: Ita Dominus constituit ijs, qui cantillant, aquam lustralem aspergunt, cineres administrant, Missas faciunt & in ijs Christum pro peccatis viuentium & mortuorum offerunt. Sed eorum modò meminit, qui Euangelium annuntiant. Hoc igitur vno dicto totum noui Testamenti ministerium comprehendit, quod circa solum Euangelium versatur, & quo illi demum funguntur, qui illud populo prædicant. Prædicationi huic, ceu appendices, Dominus adiecit Sacramenta, Baptismum & Cœnam suam mysticam: & quia prædicatio sine cœtu sacro fieri non potest, preces etiã publicæ hîc commendantur, quibus cœtus eiusmodi inchoari & dimitti solent. Circa hæc igitur noui Testamenti ministros occupari oportet, & simul admonemur hoc loco sacrilegos, & (vt Christus loquitur) fures atque latrones esse eos, qui aut otiosorum fucorum instar ex ecclesiæ redditibus helluantur, cùm huic nulla in re seruiant, aut rudem populum superstitionibus nouis fascinant, quibus à CHRISTO IESV auocantur, in quo vno vita & salus inueniri potest. Simul autem hic quoque frugalitatis & temperantiæ ministri admonentur. Nec enim aliud illis permittit Paulus, quàm vt ex Euangelio viuant, non autem vt inde ditescant & ingentes opum thesauros colligant, quibus vel inexplebilem habendi libidinem saturare conentur, vel luxu & splendore cum ijs certent, qui in mundo præ alijs eminere solent. Sed de hoc iam ante est dictum.

1. Paral. 24.
Luc. 1.

Nunc postremam huius loci partem videamus, qua rursus de seipso agit Apostolus, qui nihil à quoquam postularit, & ne nunc quidem aliquid petat. Præoccupatione ergo suspicionem amolitur, ne quis ipsum hanc causam tam multis agere putet, vt aliquid ab illis extorqueat. Sic enim ait: Neque verò hæc scripsi, vt ita fiat in me. Nam bonum est mihi mori potius, quàm vt gloriationem meam aliquis inanem reddat. Quo loco eorũ verba per Mimesim imitari videtur, qui vt Christianæ libertatis magni vindices esse viderentur, vitam potius se amissuros clamabat, quàm passuros, vt libertas Christi sanguine parta à quoquàm in angustum redigatur & finibus nouis circumscribatur. His ergo respondens vicissim ait: Atqui ego quoque mihi satius & vtilius esse putauerim, vt mortem oppetam, quàm vt gloriationem meam mihi eripi, aut annihilari patiatur. Gloriatio Pauli erat, quòd Euangelium fideliter & absque omni suspicione priuati commodi prædicabat. Eo autem gloriabatur non apud Deum (vt in sequentibus patebit) sed apud homines & vt hæc illi gloria salua & integra esset, necesse erat propter æmulos, qui omnem occasionem captabant, qua doctrinam eius possent suspectam reddere. Itaque non tàm de Pauli gloria, quàm de veritatis doctrina & multorum hominum salute agebatur: & proinde serio & verè loquitur, sibi moriendum potius, quàm ex ista arena cedendum esse. Sciebat enim quid ijs minitetur Dominus qui aliquos temere offendunt, aut (vt in lege Mosis ait) cæco scandalum ponunt. Quòd si verò ille tanti fecit suam illam indulgentiam, qua magno suo incommodo vsus est erga eos, qui non tam infirmi quàm maligni Euangelicæ doctrinæ æstimatores erant: nimiùm certe duri & iniqui fuerunt, qui propter infirmos ab ijs nolebant abstinere, quibus Christiani nominis professio apertè polluitur. Est autem multa laude dignum Pauli studium, quo in prouehenda veritatis & communis salutis doctrina vsus est. Imitentur eius exemplum omnes ecclesiarum ministri, & cogitent nullum zelum in hoc munere nimium aut superuacaneum esse posse. Nam vt multa illis Satan obijcit, ita illos ipsos ferè sibi aduersari sentiunt, quorum saluti consultum volunt. Simul autẽ omnes alij meminerint, sibi quoque assiduo studio opus esse in tuenda salute sua, quæ tot sanctissimorum hominum laboribus in orbe propagata est, & quam sui sanguinis pretio nobis parauit Dei Filius, IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum Amen. Suspicionibus de se sinistris occurrit.

HOMILIA XLVI.

Etenim si Euangelizem, non est quod glorier: Necessitas enim mihi incumbit: Væ autem mihi est nisi euangelizem. Nam si volens hoc faciam mercedem habeo: sin inuitus, dispensatio credita est mihi. Quæ igitur mihi est merces? Vt cùm euangelizem, gratuitum constituam Euangelium Christi, vt ne abutar iure meo in Euangelio.

IN ijs quæ proximè præcesserunt, copiosè & diligenter ostendit Paulus, se cùm in ecclesia Corinthiaca ageret, iure suo cessisse, neque aliquod ab ipsis accepisse stipendium, ne quam calumniandi occasionem daret æmulis suis, quasi sub apostolicæ functionis prætextu priuatum commodum aut quæstum quæreret. Inter alia autem dixit: Bonum est mihi mori potius, quàm vt gloriationem meam aliquis inanem reddat. Quæ verba non animum ambitione & inanis gloriæ desiderio ardentem, sed potius prouehendæ veritatis & regni Christi studium atque zelum exprimunt: quo nisi ecclesiarum ministri accensi sint, nihil vnquam cum laude & fructu facient. Facilè autem hic apud eos locum habebit, si Christum ex animo diligant. Ita enim non poterunt non maximi facere ecclesiam, quam is sui sanguinis pretio redemit.

Porrò diceret aliquis: Itane tantum tuo studio tribuis Paule, vt eo gloriari ausis nunc, qui alibi in solo Christo omnes gloriari iubes? Et quid vero opus fuit Paule, vt iuri tuo quoad stipẽdium ecclesiasticum apud nos renuntiares? aut quæ causa est, quæ ne illo ad huc vtaris prohibet? Cur suo iure cesserit Paulus?

Cur denique tibi potius moriendum esse existimas, quam quicquam à nobis accipere? Annon sufficit tibi, si Euangelium bona fide prædices, & (quod alij Apostoli solent) quod æquum est accipias, vt vitam commodè & honestè sustentare possis? Huic obiectioni, vel quæstioni potius, in præsenti respondet, & vt sic faciat omnino necessarium esse docet, siquidem suam laudem atque gloriationem apud tam iniquos Euangelicæ doctrinæ æstimatores retinere velit aduersus æmulos suos, qui omnem ipsi obtrectandi occasionem tam solicitè obseruent. Et hoc agendo diligentius etiam exponit, quòd de sua gloriatione nuper dixerat. Sic autem ait: Etenim si Euangelizem, non est quòd glorier: necessitas enim mihi incumbit, &c. Sensus verborum hic mihi esse videtur. Est quidem res magna & præclara Euangelium, & laude simul atque præmio digni sunt, qui hoc diligenter mundo annuntiant: at non debet meum illud dictum sic accipi, quasi salutis meritum in gratuita Euangelij predicatione constituam & ea glorier apud Deum. Nam quia me ad hoc Deus vocauit, & peculiari mandato obstrinxit, vt gentium Apostolum agam, officio meo non potero deesse, nisi illius iram in me velim prouocare, & maledictionis sententiam incurrere. Interim verò quoad homines, ad tuendam meam & ministerij mei existimationem minimè mihi satis fuerit, si Euangelium quam fidelissimè prædicem, nisi simul omnem calumniandi occasionem æmulis meis præripiam. Itaque in hoc mei officij summa versatur, vt volens, id est, animo libero & alacri, quem neque lucri spes neque futuri iudicij metus cogat, Euangelium vbique locorum annuntiem, & simul curem, ne quis in me eius detrectandi causam inueniat. Hoc si præstitero, mercedem habebo apud Dominum: quòd si inuitus & quasi aliud agens hoc munus obeam, dispensatio tamen mihi credita est, quæ inuitum quoque & tergiuersantem cogit, vt officio meo defungar: Interim verò mihi ministerij mei gloria atque gratia perierit apud eos, qui me suspectum habebunt, quasi non gloriæ Dei & salutis publicæ studio ducar, sed quæstum priuatum quæram. Verè igitur & meritò abs me dictum est, satius hoc mihi esse, vt vitam amittam, quàm eiusmodi suspicionibus ministerium meum infrugiferum reddam, &c. Cæterùm comprahendit his verbis Paulus, quæcunque de ministerio Euangelico aut ecclesiastico dici possunt, quæ singula ex ordine videbimus.

Author ministerij Deus. *Primò Authorem eius denotat, quando dispensationem sibi creditam esse ait. Non igitur ipse sua sponte sibi hoc onus imposuit, sed ab alio sibi demandatum suscepit. A quo nam? A Domino nimirum, qui ipsi dixerat: Ad hoc apparui tibi: vt designarem te ministrum ac testem cùm eorum quæ vidisti, tum eorũ in quibus Apparebo tibi, eximens te ex hoc populo et gentibus, ad quos nunc te mitto: vt aperias oculos eorum, vt se conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, vt remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidẽ, quæ est in me. Author itaq; ministerij Deus est, qui idẽ quos ipse voluerit ad illud destinare & vocare consueuit, & eosdem donis od officium hoc necessarijs instruere. Nam si homines spectemus, nemo ad hoc idoneus reperietur, quando ex nobis ipsis (vt in posteriori epistola scribitur) ne ad cogitandum quidem idonei sumus. Imò nisi nos prior respiciat Deus, nemo hominum de regno cœlesti, deq́ue sua aut aliorum salute vnquam cogitabit. Diuinitus ergo excitentur necesse est, qui hanc prædicent & veram eius consequendæ rationem tradant. Ideo Paulus ad Romanos scribebat: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Potest hoc exemplis infinitis probari, si ab ipsis patriarcharum temporibus initium facias. Abrahamum certè ab ipso Deo euocatum fuisse legimus, vt hinc inde peregrinando Prophetam ageret, & salutis promissiones iampridem apud plerosque obliteratas omnibus prædicaret. Quod ipsum de Isaaco & Iacobo dicere possumus. Ita Mosem quoq; & Aaronẽ diuinitus excitatos fuisse, non solùm historia sacra, sed Deus ipse longè post per Micheam testatur. Eadem fuit Prophetarum omnium conditio, quorum vocationes ferè describuntur, ad omnes autem extendi potest, quod apud Amos dicitur: Excitaui de filijs vestris Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos. De Apostolis verò quid attinet dicere, quos nihil huius cogitantes Dominus vocauit, & spiritu suo donatos emisit, vt totius orbis doctores essent. At ne quis hodie aliam rerum faciem esse, aut Deum ministerij huius curam deposuisse putaret, Paulus hoc Christo perpetuum esse scribit,*

Marginal notes: Acto. 26. — 2. Cor. 3. — Rom. 10. — Mich. 6. — Amos. 2. — Ephes. 4.

vt spiritus sui dona ex alto effundat, & alios quidem det Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores ac Doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, denique ad ædificationem corporis sui. Ephes. 4.

Est hoc obseruatu perquã necessarium. Primò enim ad cõmunem omniũ hominum institutionem facit, vt meminerint munus hoc diuinũ esse, et in eo Dei bonitatẽ agnoscant, qui nobiscũ colloqui dignatur. Christus certè se discipulos suos amicorũ loco habuisse hoc argumẽto probat, quòd nihil eorum ipsos celauerit, quæ à Patre acceperat. Quis ergo singulare bonitatis paternæ indicium esse neget, quòd toties à nobis repulsus & tam indignis modis habitus, adhuc suam nobis voluntatem aperit, & in ea simul nobis offert, quæcunq; ad salutem cognitu necessaria sunt? Nostrũ ergo fuerit filios bonos & ingenuos imitari, quos patris sui vox oblectat, ne dum illum in seruis suis loquentem contemnimus, contemptus ille in Deum recidat. Notum est enim illud Christi dictum: Qui vos spernit, me spernit: imò eum qui misit me. Et passim extant horrenda iudiciorum Dei exempla, quibus hic omnibus sæculis Verbi sui contemptum vindicauit. Ministerij dignitas. Ioan. 18.

Deinde ministros quoque istud in periculis & difficultatibus consolatur. Nam fieri nõ potest, vt muneri abs se instituto desit Dominus, qui omnes homines (vt alibi Paulus ait) vult saluos fieri & in veritatis cognitionem venire. Ideo Mosi ministerium hoc detrectanti dicebat: Quis dedit homini os? aut quis facit mutum & surdum? videntem & cæcum? annon ego Dominus? Vade ergo, & ego adero ori tuo, doceboq; te quæ loquaris. Ierem. itẽ: Ego posui verba mea in os tuum. Ecce ego facio te hodie ciuitatem munitam, columnam ferream, & murum æneum contra omnem terram, contra reges Iuda, contra principes eius, contra sacerdotes & contra vniuersum populum terræ. Pugnabunt contra te, sed non poterunt quicquam: ego enim tecum sum, vt te liberem, dicit Dominus. Conueniunt his quæ Apostolis Christus dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem sæculi. Item: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neque resistere omnes, qui se opponent vobis. Taceo nunc prolixam illam & communem omnibus consolationem, quæ apud Matthæum Cap. decimo describitur. Neque irritas esse promissiones istas, exempla infinita docent. Ferè enim fieri videmus, vt plus proficiant docendo ministri, quàm ipsi initio sperare ausi fuissent. Adhæc ijdem sæpe inter medios hostes præter omnium expectationem longissimo tempore seruantur atque docent, & non sine miraculo per mille rerum discrimina eluctantur. Cuius rei non alia causa assignari potest, quàm Dei fides atq; protectio: qui vt olim nonnullos Prophetarum diutissimè seruauit, vt alij per annos quadraginta, alij sexaginta prædicarint: ita hodie etiam suos ministros tuetur, vt multùm licet fremente mundo & principe eius, stationem tamen suam tenere possint. Ministrorum consolatio. Exo. 4. Iere. 1. Matth. 28. Luc. 21.

Secundò, quale hoc munus siue ministerium sit, indicatur, Dispensationem enim sibi creditam esse Apostolus ait. Et huic simile est, quod supra Cap. quarto scripsit: Sic de nobis æstimet homo, vt de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Videtur autem ad parabolam alludere, in qua Christus ecclesiæ suæ ministrum Oeconomo aut dispensatori confert, quem familiæ suæ ideo præfecerit, vt illi dimensum suum in tempore depromat. At non in opum aut aliarum huius sæculi rerum distributione hæc dispensatio consistit, sed circa bona cœlestia & æterna versatur, quæ nobis Christus suæ mortis merito acquisiuit, quorum dignitas aut pretium tantò excellentius est, quantò omnibus creaturis præstat æternus Dei Filius. Fit autem dispensatio ista per Euangelij prædicationem, in qua cum Deus ipse loquatur, non possunt irritæ esse promissiones, quæ in illo continentur. Ideo Paulus se ad hoc destinatum esse ait, vt Euangelizet. Vbi tota Euangelij ratio nobis consideranda venit, de qua cùm alibi prolixè dictum sit, nunc breuius omnia perstringemus. Est autem Euangelium testimonium de IESV CHRISTO, quo docetur hunc nobis à Deo patre secundùm Prophetarũ vaticinia & veteres promissiones exhibitum esse, vt nobis pœnitentiam & remissionem peccatorum afferret, & in se credentes seruaret. Subiectum ergo & argumentum Euangelij Christus est. Partes sunt pœnitentia & remissio peccatorum. Vtramque verò in illius nomine prædicari oportet, quando ex nobis ipsis neque peccatorum pœnitentiam agere, neque eorundem remissionem obtinere possumus. Finis Euangelij est, vt per fidei obedientiam Christo consecrati & addicti, in ipso salutem & vitã Ministerium est dispensatio. Matth. 24. Luc. 12.

æternam consequamur. Quicunque ergo ista annuntiant, ij mysteriorum Dei dispensatores sunt, & tales in sua ecclesia ministros Christus ipse instituit. Procul ergo facessant, qui relicta & contempta Euangelij doctrina, circa inanes & frigidas ceremonias occupantur, & infelicem populum in tenebris & conscientiæ terroribus detinent.

Vt ministerium Verbi debeat obiri.

Postremò, vt in hoc munere versandum sit, suo exemplo Paulus docet. Si volens (inquit) hoc faciam, mercedem habeo. Volens prædicare dicitur, qui animo libero (vt diximus) totus in hoc incumbit, & non vllo alio affectu carnis, sed solo gloriæ Dei & salutis hominum prouehendæ desiderio ducitur. Tales ministros requirit Christus, & de hoc nos frequenter admoneri opus est, quia multa sunt quæ nos auocant, si carnis rationem velimus audire. Terret enim muneris difficultas, quando constat nihil difficilius esse, quàm homines carni & mundo assuetos ad cœlestium bonorum studium excitare, sceleribus item addictos ad sui mortificationem & abnegationem adducere. Multos item propriæ infirmitatis consideratio retinet, vt cum Ieremia clament: Ah puer ego sum, & loqui nescio. Accedunt his peruersa de ministris & Verbi prædicatione iudicia, quæ generosos quoque animos quàm maximè permouere solent. Quid verò de persecutionibus dicemus, quas infelix mundus excitat, quàm primum superstitiones & scelera sua argui sentit? Sunt hæc eiusmodi, vt ijs non rarò terrorem incutiant, qui Deo iubente nihil non facturi videbantur, imò eos interdum tantumnon ex statione sua deijciunt, qui iam multis annis Domino egregiam operam nauauerunt. Exemplum eius rei in Ieremia habemus, qui post multa strenuè facta in suo munere, tandem querula & lamentabili voce exclamauit: Væ mihi ô mater mea, quòd me peperisti virum litigatorem & virum controuersiæ vniuersæ terræ, &c. Et quid Ionæ acciderit scimus, qui in Niniuen ad prædicandum missus admodùm turpem sese dedit, cùm prius sub Ioa Israëlitarum rege, aut eius filio Ierobo amo Secundo Verbum Dei felicissimè annuntiauisset. Quapropter Christus sæpe de his nos admonet, & Euangelij sui præcones ab omni carnis affectu adeò liberos esse vult, vt parentes quoque in extremis laborantes, si ita opus sit, possint relinquere. Cuidam enim dicenti: Domine, permitte mihi, vt prius abeam, & sepeliam patrem meum: Ille respondit, Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu verò vade, & annuntia regnum Dei. In eandem sententiam alibi de vxoribus, liberis, fratribus & sororibus relinquendis nos admonet. Quæ omnia, quia carni dura, adhæc multorum iudicio non satis honesta neque pia sunt, promissionibus amplissimis illa mitigat, & efficacissimis consolationibus nos aduersus tentationum certamina abunde instruit.

Ierem.15.

Luce.9.

In præsenti autem Paulus, etsi promissiones istas non ignoraret, insuper tamen minas quoque & maledictiones in mentem reuocat, quibus seruos malè fidos Deus consueuit mulctare. Væ mihi est (inquit) nisi euangelizem. Quæ vna sententia satis docet, quanta necessitate ministri constringantur, & quòd ijs, qui semel hoc stadium ingressi sunt, nequaquam liceat pedem iterum referre. Nam qui postquam manum (inquit Christus) aratro admouit, à tergo respexerit, is non est idoneus aut dignus regno Dei. Et exempla sunt, quæ docent Paulo non temere vocem istam excidisse, cùm non ignoraret, quàm malè olim quibusdam cesserit, qui in hoc munere operam suam Domino negarunt. Mosi Deus iratus fuisse legitur, quòd aliquandiu legationem detrectaret, cui eum destinauerat. Quàm diris autem & horrendis casibus Ionas iactatus sit, quando fuga sibi voluit consulere, ne Deo obedire cogeretur, notius est quàm vt commemorari oporteat. Tentationes certè, quibus tunc grauissimis exagitatus fuit, ipse in carmine suo minimè dissimulat. Debent ista ministros excitare, ne se ab officio reuocari patiantur, sed animo alacri & ad omnia intrepido pergant: & hoc vnum sibi pulchrum, honestum, vtile & salutare ducant, si Dei mandatum exequantur, & hoc inuitis quoque ingerant. Talis olim Amos fuit, qui ipsum ne porrò Prophetæ officio fungeretur, cum authoritate monentibus respondebat: Leo si rugiat, quis non timeret? Dominus Deus locutus est, & quis non prophetaret? Quem animum alijs quoque Prophetis omnibus fuisse, eorum sermones abundè testantur. Imitati sunt hos Apostoli, qui cum Senatus Hierosolymitanus non sine gra-

Amos.3.

tibus minis interdiceret, ne posthac in nomine Iesu prædicarent, forti & constanti animo responderunt: An coram Deo iustum sit vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Volentes ergo illi omnes Euangelizauerunt, in hoc vnum intenti, vt Deo obsequium præstarent, qui munus istud ipsis demandarat. Quid enim aliud illos mouere aut cogere potuit, cùm neque lucri neque honorum spes aliqua affulgeret, minæ autem & horribiles hostium Christi machinationes sese auribus & oculis vndique ingererent? Inter hos autem præ alijs Paulus excelluit, qui cùm non modò hostium minis peteretur, verumetiam ipsi debitum stipendium Christiani negarent, prædicare tamen non desijt, & sordido potius manuum labore victum quærere, quàm sibi creditam prouinciam relinquere maluit. Hunc animum si ecclesiarum ministri induant, tunc voluntatem suam omnem Christo consecrabunt, neque aliquid erit, quod ipsos ab officio sibi commisso auocare queat. Acto. 4.

At si demum Apostolorum imitatores sunt, qui tanta animi alacritate Euangelium annuntiant, quales obsecro censeri debent, qui Apostolicorum quidem titulo gloriantur, à nulla autem re perinde vt à prædicandi munere abhorrent? Tales autem hodie sunt Pontifices & Episcopi, quibus omnis ecclesiasticæ dignitatis gloria in magnifico apparatu, stipatorum frequentia, luxu plus quàm Persico, denique in armorum vndique coruscantium strepitu, bombardarum tonitruis, & alijs eiusmodi rebus consistere videtur: Euangelium verò ne audire quidem possunt, nedum hoc alijs annuntiare. Clamat Paulus: Væ mihi, si non euangelizem. At istorum mores & studia eiusmodi sunt, vt si non aperta voce, certè reipsa clament: Væ nobis, si Euangelium audire cogamur. Tulit horum tyrannidem iam seculis aliquot infelix mundus, & quàmuis multi nunc passim oculos aperiant, non pudet tamen istos in medio scelere deprehensos adhuc Apostolicorum nomen sibi vendicare. Sed breui viam Dominus inueniet, qua eorum nequitiam coerceat. Interea discant Christiani homines illos declinare, patienter autem ferre fideles Christi seruos, qui Euangelium qua decet libertate & constantia prædicant. Turpe enim fuerit ijs docendi leges præscribere, quos Christus loqui iussit, & qui nisi loquantur, exitium sibi sempiternum accersunt. Meminerint præterea omnes, scelerum pœnas non cessare, si Verbi præcones vel è medio tollantur, vel ad silentium ignauum redigantur: sed augeri potius, quando prioribus delictis audacia ista plus quàm diabolica accedit. Exempla, quæ huc faciunt, passim sunt obuia. Contra falsos Apostolicos.

Debet præterea ex Pauli exemplo generalis doctrina peti, vt quicunque ad munus aliquod vocati sunt à Domino, illi alacriter incumbant, neque aliquid admittant eorum, quibus in suo instituto possint impediri. Quia enim credentibus Spiritum suum Christus largitur, quem adoptionis Spiritum dicit Apostolus, solet ille ingenuos reddere, qui non seruili metu, sed potius ex amore & dilectione Patri suo cœlesti obedire cupiant. Quò Dauid quoque respexisse videtur, quando populum Christi spontaneum fore vaticinatur. Scimus quidem in electis & fidelibus hærere carnis reliquias & Legem peccati, quæ (vt de semetipso Paulus fatetur) interdùm captiuos abripit, vt aliqua præter officium faciant. Id verò illis præter voluntatem interni hominis accidit, & proinde quoad hunc inuiti peccant, volentes autem Christo obtemperant, cui se totos consecrauerunt: neque illis quicquam dulcius & iucundius accidere potest, quàm si occasionem sibi offerri videant, qua officium illi gratum possint facere. Debent ista ad se transferre omnis loci & ordinis homines. Qui ergo magistratum gerunt, sibiipsis Paulinum istud occinant: Væ nobis, nisi ius dicamus, nisi tueamur peregrinum, viduam & pupillum, nisi toti in hoc simus, vt nostræ fidei commissus populus Deo in veritate & sanctitate seruiat. Cogitent item quanto honore illos dignatus sit Deus, & huic gratos sese præbeant. Similiter faciant parentes, liberi, serui, & quicunque alij. Qui verò cùm egestate & morbis conflictantur, aut exules incertis sedibus oberrant, ij hanc ipsorum vocationem esse agnoscant, vt fidei & patientiæ exempla sint, & in his voluntarium Deo obsequium præstent. Ita demum beati erunt, & Deum remuneratorem fidelissimum sentient. Poterant hæc latissimè diduci, sed sufficiat pijs cogitandi occasionem dedisse. Vocationem Dei omnes sequi debent. Psalm. 110.

Pauli gloriatio siue merces.

Videamus nunc huius loci conclusionem, quam Paulus sic infert: Quæ igitur mihi est merces? Vt cum euangelizem, gratuitum constituam Euangelium Christi, vt ne abutar iure meo in Euangelio. Mercedem dicit, quam prius gloriationem dixerat, qua se & authoritatem suam aduersus æmulos tuebatur. Hanc in duobus consistere dicit. Primum est, vt Euangelium Christi faciat ἀδάπανον, id est gratuitum, vt nimirum illud gratis & absque impensis audire possint quicunque volunt. Alterum, vt non abutatur iure suo in Euangelio. Poterat hoc idem cum priori videri: sed latius extenditur ius illud, & præter stipendium ecclesiasticum plura etiam alia comprehendit, vt in ijs est videre, quæ proximè sequuntur. Hoc ergo se imprimis curauisse dicit, vt non quid sibi liceat videret, sed quid aliorum vtilitati & ædificationi seruiat. Et est probè obseruanda locutio: Vt ne abutar iure meo in Euangelio. Ea enim docet, non semper rectè & bene fieri, quod per se licitum est. Nam vt in rebus prophanis summum ius summa iniuria est: ita qui in ijs, quæ ad religionem spectant, ius atque libertatem suam semper pertinacius tueri velit, ea non sine scandalo ad multorum destructionem abutetur. Itaque Christianæ libertatis vsus, qui scandalum parit, abusus est & inexcusabilis licentia. Ista verò probè faciunt ad Pauli institutum de vitandis idolothytis & gentium superstitionibus. Suo enim exemplo admonere vult, indignè illos facere, qui ab ijs abstinere nolunt, quæ cum fidei Christianæ professione pugnant, cum pij interdum ea vitare debeant, quæ per se licita & concessa sunt. Est ergo huius etiam loci vsus multiplex, & ad omnia extendi debet, quæ ad vitæ totius consuetudinem faciunt. Interim semper meminisse oportet, Paulum hoc omne propter Corinthios & horum similes dixisse, quorum ea erat iniquitas, vt Euangelio potius carere, quàm eius causa aliquo sumptu grauari voluissent. Ideo maiorem gloriæ Dei & publicæ salutis quàm sui iuris rationem illum habere oportuit. Sunt ergo importuni & iniqui nimiùm, qui hinc legem vniuersalem colligunt, ad quam omnes Verbi præcones astringi debeant. Neque vident illi se hoc absque propria ignominia facere non posse. Quia enim Paulus Corinthiorum iniquitate coactus debitum sibi stipendium non exegit, non possunt illi nos ad eius imitationem cogere, nisi seipsos in Corinthiorum locum substituant, quos iniquissimos gratiæ Dei æstimatores fuisse audimus.

Contra opera supererogationis.

Abutuntur præterea Pauli exemplo Sophistæ Scholastici, vt opera supererogationis tueantur, & probent nos plus quàm debemus & necesse est facere posse. Apostolus (inquiunt) hac laude & gloria excelluit, quòd iure suo cedens plus fecit quàm facere teneretur: Ergo idem etiam alij poterunt, & id omnino curandum est, vt quæ à nobis supra debitum fiunt, in aliorum commodum & salutem redundent. Est hoc commentum putidissimum, & indignum cuius inter homines Christianos aliqua ratio habeatur. At quia huic debemus non postremam partem nundinationis illius, quæ religionem simul omnem iampridem pessumdedit, & eodem ferè totus sacrificulorum & monachorum quæstus nititur, quem ex preculis, ieiunijs, Missis, Psalmodijs, matutinis (vt vocant) peregrinationibus, & alijs eiusmodi rebus faciunt, omnino aliquid dicendum est. Primò autem falluntur illi in gloriationis & mercedis vocabulo, dum Paulum coram Deo gloriari & ab hoc, sui operis mercedem exigere potuisse putant. Nam omne hoc ad hominum iudicium referri debet, coram quibus contra æmulos suos gloriari & authoritatem suam hoc argumento tueri poterat, quòd gratis doceret. Quòd si ad Dei tribunal accedamus, nihil præter id, quod debuit, fecit Paulus. Boni enim doctoris est, non solum veritatis doctrinam tradere, verumetiam scandala cauere, & omnibus pro virili obstare, quæ Euangelij profectum impediunt. Quia ergo stipendium exigere non poterat, quin & authoritatem suam labefactaret, & Euangelij cursum remoraretur, non potuit non ab illo abstinere, siquidem fidelem Christi Apostolum agere voluit. Vides ergo ruinosum esse fundamentum illud, quo istorum hominum commentum nititur. Deinde si de tota causa in genere agi placeat, constat opera supererogationis dici non posse, quæcunque in lege præcipiuntur: eò quòd huic omnes ex officio obedire debent. At opus bonum nullum est, quod non præscribatur in Lege: imò quæ non præcepta sunt à Deo, opera bona dici non possunt. Adde, quòd etsi omnia faciamus, quæ Lex iubet, serui tamen inutiles sumus, neque aliud quàm quod facto opus est fecimus. At quem mortalium dabis, qui quæcunque in Lege mandantur, fecerit? Nonne sanctissimi quique orant: Ne ingrediaris in iudicium, Domine, cum seruo tuo? Nonne electos suos

Christus precari docuit: Remitte nobis debita nostra? Est ergo tota illa doctrina de operum meritis impia & sacrilega, cum & Dei gratiam euacuet, & Christum sui meriti gloria spoliet. Vtinam verò isti homines, quibus Pauli exemplum tantopere arridere videtur, illud attentius intuerentur. Nam si hoc facerent, mox non modò huius figmenti, sed omnium ferè illos puderet, quæ in Christi ecclesia faciunt. Apostolus hanc suam gloriationem & laborum omnium mercedem esse putauit, vt Euangelium Christi ἀδάπανον aut gratuitum quibusuis constitueret. Quid verò illi? Annon eò vsque progressa est ipsorum auaritia, & impudens sacrorum omnium nundinatio, vt nihil in tota ecclesia gratuitum inueniatur? Ipsum ecclesiæ ministerium quæstus Episcoporum factus est, neque ad illud nisi prius numerata pecunia quisquam admittitur. Admissi verò vendunt Missas, Aquam, Ignem, Aërem, campanarum clangores, bullas, membranas, plumbum, templorum subsellia, sepulturam, & cum cælis Christum, qui in illis residet. Deniquè per illos nemini vel gratis nasci, vel mori aut sepeliri licet. Quis ergo eos non dixerit magnos illos Chananæos aut negotiatores esse, quos ex ecclesia sua Christum eiecturum esse olim Zacharias prædixit? Eant ergo & ista emendent, & tunc de operibus superogationis disputent.

Restat autem hic rursus doctrina generalis, quæ vera sit hominum gloria & compendiosissima hanc consequendi ratio. Est doctrina hæc vtilis & necessaria, eò quòd gloriæ studium omnibus innatum est, plerique autem Adamum secuti eam in rebus illicitis aut vanis atque inanibus quærunt. Et quàm fluxa sit omnis mundi huius & carnis gloria, facilè vident, qui quæ quotidie inter homines fiunt, non oscitanter obseruant: In hoc igitur nobis incumbendum fuerit, vt contemptis huius seculi rebus, eam gloriam quæramus, quæ nos Deo commendare & in eius iudicio consistere potest. Admonet de hoc Christus, quando Pharisæorum ambitionem damnans, iubet nos non de hominum applausu solicitos esse, sed hoc agere, vt Deo patri probemur, qui suis fideliter rependat. Id verò fiet, si ante omnia officium nostrum aut munus, cui nos Deus destinauit, probè expenderimus, & in eo obeundo seduli simus & industrij. Interim nullius muneris dignitate nos efferri, sed sub potenti manu Dei humiliari decet: quod facilè fiet, si nos thesaurum salutis in vasis testaceis (vt Paulus ait) imò vitreis, possidere cogitemus. Actionum verò atque studiorum omnium finis nobis propositus esto, gloria Dei & multorum salus, quos hic nobis commendauit. Qui me honorauerit (inquit per Prophetam Dominus) honorabitur. Hæc ergo omnes ad se transferant, neque multùm moreantur hominum iudicia, quos cæcus animi affectus abripit. Nam vt vt res cedat in hoc seculo, non deerit tamen promissis suis Deus, qui fideles seruos & hic tueri, nominisque eorum memoriam conseruare solet, & eosdem gloriæ cælestis & immortalis hæredes facit cum filio suo IESV CHRISTO: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Vera gloria quæ sit, & vt acquiratur?

Matth. 6.

HOMILIA XLVII.

Nam cùm liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt plures lucrifaciam. Et factus sum Iudæis, vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: ijs qui sub Lege sunt, quasi essem sub Lege, vt eos qui sub Lege sunt lucrifaciam. Exlegibus vt exlex (tametsi non sim exlex Deo, sed suplex Christo) vt lucrifaciam exleges. Factus sum infirmis vt infirmus, vt infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, vt omnino aliquos seruem. Hoc autem facio propter Euangelium, vt vnà particeps eius fiam.

Paulus diligenter & multis aduersus eos disputat, qui libertate Christiana eò vsque abutebantur, vt gentium sacrificijs & epulis ex horum carnibus institutis communicarent. Inter alia verò argumenta suum exemplum maximè vrget, qui nullo vnquã ab illis accepto stipendio,

Euangelium apud eos gratis prædicarit. Vtq; maior esset exempli sui authoritas, diligenter docuit hucusque, quid ministris suis ecclesiæ debeant, & vicißim qualem ipse se præbuerit, quando manuum labore potius victum sibi voluerit quærere, ne suo iure ad aliquorum offensionem abuteretur, & Euangelij cursum vel minima ex parte impediret. Atqui non ignorabat Apostolus, multos esse, qui omnia eius vel improbè calumniabantur, vel saltem per contemptum extenuabant: ideo in præsenti ampliorem sui exempli declarationem subijcit, qua demonstrat, se non modò quoad stipendium ecclesiasticum iure suo cessisse, verumetiam in multis alijs se demisisse ad auditorum captum, & omnium ingenijs atque moribus sese accommodauisse, vt quàm plurimorum saluti consuleret. Est autem locus iste consideratu dignißimus: quia & ecclesiarum ministros admonet, qua animi moderatione creditum sibi munus obire debeant: simulq; omnes alios docet, quomodo tractandi sint fratres, qui ad pleniorem mysteriorum fidei cognitionē nondum peruenerunt.

Paulus liber ab omnibus seipsum omnibus seruum fecit.

Principio rem omnem in genere proponit, quod postea quasi in suas species diducit. Nam cùm liber sim (inquit) ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt plures lucrifaciam. Liberum se dicit propter beneficium nobis à Christo collatum, qui credentes ita in libertatem asseruit, vt neque ceremonijs legalibus porrò grauari debeant, neque quoad doctrinam & religionem vlli mortalium seruiliter sint obnoxij. Potest ergo dictum hoc tàm ad res quàm ad homines referri, & sensus est: Dixi me hoc cauisse diligenter, ne meo iure in Euangelij prædicatione & toto ministerio ecclesiastico abuterer. Id abs me non temere dictum esse, res ipsa probat. Nam etsi ex communi Christianorum iure liber sim, & simul ex apostolica functione mihi amplior quædam potestas accedat, vt nullius iudicium mihi sit formidandum, qui libertati meæ aliquid derogare & eam finibus arctioribus concludere conatur: ego tamen meipsum spontè seruum feci, idq; non vni aut alteri, qui ita de me meriti esse videri poterant, sed in vniuersum omnibus: neque in eo commodum aut quæstum priuatum quæsiui, sed in hoc vnum intentus fui, vt quàm plurimos Christo lucrifacerem. Istis verò inferre poterat: Quin ergo vos vestræ pudet insolentiæ, qui inani nescio cuius scientiæ fiducia inflati, quosuis fastiditis, & indignos iudicatis, in quorum gratiam ab ijs abstineri oporteat, quæ vt per se illicita sunt, & fidei nostræ professioni repugnant: ita scandalum multiplex pariunt, quo multi impediuntur, ne ad Christum accedant? &c. Sed quia cuiuis facile erat hæc & alia huius generis ex toto sermonis contextu colligere, reticet ista, ne animos eorum magis irritet, & in eo nouum eius submißionis & indulgentiæ exemplum præbet, de qua agere instituit.

Paulus exemplum charitatis.

Est autem hoc præclarum & perquam memorabile charitatis exemplum qua Paulus primò ipsum Christum, deinde in hoc omnes homines complexus est. Nam si nostri ingenij naturam & mores hominum, quibus paßim viuitur, consideres, vix quicquam aliud tam indignum & iniquum videtur, quàm si qui in aliquo sublimiori gradu constituti sunt, sese ad aliorum arbitrium demittere, & inferioribus accomodare iubeantur. At quantus fuerit Paulus commemorare non est opus, quandò hîc nobis ipsius Christi testimonium sufficit, qui Ananiæ de illo dixit: Instrumentum electū est mihi iste, vt perferat nomen meum coram gentibus, & Regibus, ac filijs Israel. Verumtamen non inflari se passus est tantæ dignitatis fiducia, vt sibi propriam & peculiarem Apostolici ministerij rationem fingeret, ad quam omnes astringerentur: sed potius fidelis medici aut præceptoris instar, sese aliorum captui accommodauit, adeoq; omnibus sese seruum fecit. Poterat hoc prolixè demonstrari, si omnia illius facta exponere vellemus, sed ipsum audiamus in Miletana Synodo de suo ministerio differentem his verbis: Vos scitis à primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni modestia & multis lachrymis ac tentationibus, quæ mihi euenerant ex insidijs Iudæorum: Vt nihil subterfugerim eorum, quæ vobis conducerent, quin ea annuntiarem vobis, & docerem vos publicè ac per singulas domus. Et rursus: Argentum, aurum, aut vestem nullius concupiui: imò ipsi nostis, quòd vsibus meis & his qui mecum sunt, subministrarunt manus istæ. In omnibus ostendi vobis, quòd sic laborantes oportet sustinere infirmos, ac meminisse verborum IESV, quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere. Quia ergo talem se Paulus gessit, & ipse quidem ex manuum suarum labore victum sibi parauit, omnibus autem interea Verbum vitæ prædicauit, quis

Acto. 20.

non

non videat ipsum omnibus seruum factum fuisse? At nunquam hoc facturus erat, nisi CHRISTVM IESVM toto animo complexus, in eodem homines simul omnes tenerrimè dilexisset.

Debent hoc eius studium omnes imitari, qui ecclesiarum pastores haberi volunt: nec est quòd vereantur, ne ex ipsorum dignitate aliquid decedat, si humilius sese omnibus accommodent. Seruitus enim hæc neque ignominiosa neq; infelix est. Primò enim voluntaria est, & proinde cùm summa libertate coniuncta: quia nemo illam subibit, qui non prius carnem cum affectibus prauis subegerit, quorum imperium omni tyrannide grauius esse solet. Deinde Christo similes fiunt, qui illud faciunt. Nam is quoque serui formam suscepit, neq; contentus omne officij genus docendo & sanando obiuisse, sanguinem quoque suum pro nobis effudit. Finis præterea, aut potius effectum huius seruitutis est, quòd in regno Christi maximos facit, dum quàm plurimos ei adducimus, vt in eandem nobiscum dignitatem euehantur. Admonet de hoc ille apud Matthæum dicens: Quicunque voluerit inter vos magnus fieri sit vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Etenim vt in familia bene constituta eius serui præcipua est dignitas, qui præ alijs labores & curas domus sustinet: ita in ecclesia alijs præstant, qui quàm plurimis seruiunt, vt eos ad Christi cognitionem adducant. Ministros non pudeat seruire omnibus. Matth. 18.

Hodie Romani Pontifices seruos seruorum se esse dicunt: sed vt in omnibus alijs mendax est Antichristus: ita hîc hypocrita nequissimus, imò ne hypocrita quidem, sed potius improbus Dei & hominum illusor esse deprehenditur. Nam qui Reges potentia & opibus superat, qui ex omnibus regnis vectigalia colligit, qui Regum colla pedibus calcat, & iisdem calceos suos deosculandos porrigit, qui in omnes ecclesias & episcopos ius & imperium sibi vendicat, qui sublimis aliorum humeris gestatur, & ex alto omnes despicit, qui denique triplici tiara redimitus se cœli, inferorum & terræ dominum esse proclamat, adhæc in ipsas quoque hominum conscientias penetrans nouos fidei articulos condit & suis legibus omnes grauat, is (inquam) seruum seruorum se esse profitetur. Quod quid aliud est, quàm homines simul omnes non orbis modò totius, sed ipsius etiam Satanæ ludibrijs exponere? Et qualis obsecro seruus est, qui vt omnibus præcipit, ita sua figmenta ne in quæstionem quidem venire patitur, & scripturis potius sacris omnem authoritatem derogari vult, quàm vt aliqua ex ipsius traditionibus labefactetur. Non tales serui fuerunt Apostoli, neque tales suæ ecclesiæ Christus dedit, sed qui reipsa præstent quod dicuntur. Pontificum insolentia arguitur.

Sed finem aut scopum videamus, quem Paulus sibi propositum habuit: eum nimirum, vt plures lucrifaceret Christo. At Christo lucrifiunt, qui ad eius ecclesiam colliguntur, & illi sese per fidei obedientiam subijciunt. Admonet igitur locutio ista, perditos aut saltem in perditionis periculo adhuc constitutos esse omnes, quotquot à Christo exclusi & alieni sunt. Ratio huius dicti certa & irrefragabilis est, quòd in illo vno salus inuenitur. Notum est enim Apostolorum sententia: Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Et illud Baptistæ: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem non paret Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quibus consentit postremum Christi mandatum quo Apostolos emisit, dicens: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui non crediderit, damnabitur. Est ergo quæstus ecclesiæ omnium pulcherrimus & maximus, vt homines Christo adducantur, & eius peculium siue grex quotidie nouarum ouium accessione augeatur. Et hæc illa vsura sanctissima est, quam per talenta sibi à Domino credita omnes ecclesiarũ pastores exercere debent, siquidem illi probari velint. Vidit hoc fortissimus ille Christi martyr Laurentius, à quo cùm quærerentur thesauri ecclesiæ, promisit demonstraturũ se: Sequenti autẽ die pauperes produxit, et interrogatus vbi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri ecclesiæ. Et verè thesauri (vt D. Ambros. ait) in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. At quod hîc de pauperibus dicitur, non minus ad omnes credentes pertinet, qui & ipsi Christum per fidem in vasis testaceis gestant, & eiusdem sunt peculium, quod ille oculi sui pupilla antiquius ducit, & quod sanguinis sui pretio redimere dignatus est. De hoc igitur lucro Verbi administros cogitare decet, Finis ministerij vt Christo lucrifiant homines. Acto. 4. Ioan. 3. Matth. 25. Luc. 19. Lib. 2. off. cap. 28.

& verè in Chisto diuites erunt, & huius quoque opes, ceu fidi & prudentes œconomi, augebunt, quod illi officium erit longè gratissimum. At qui hodie Apostolicorum nomine gloriantur, vt nulli mortalium seruiunt (quemadmodum paulò ante diximus) ita sibijpsis quoddam Petri patrimonium finxerunt, & eius scaphas atque retia metamorphosi plus quam Ouidiana in arces, vrbes & regnum longè lateq́; patens commutarunt, de quo vno augendo cogitant, auri ingentes thesauros colligunt, terras quotidie nouas coemunt, in quibus suæ gentis homines principes constituant: Christiani autem ouilis atque gregis cura tam exigua tenentur, vt ne eos quidem seruare studeant, quos alij suo labore atq; studio lucrifecerunt. Dura sunt hæc & grauia dictu, sed accedit his aliud longè grauius, & quod non immerito prorsus intolerabile dixeris: quòd nimirum non patiuntur Christo addictos manere, qui huic semel nomen dederunt, sed vel inuitos ad veritatis abnegationem cogunt, vel propter constantem fidei in vnum Christum confessionem crudelibus supplicijs occidunt. Vera me dicere nemo negabit, nisi qui cum pudore sensum quoque communem exuerit: & hi tamen sunt, pro quorum tyrannide hodie reges potentissimi bella suscipiunt.

Patrimonium Petri.

Cæterùm pergamus in verbis Apostoli, qui per partes explicat, vt se omnibus seruum fecerit. Primò factus sum (inquit) Iudæis, vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam. Non Iudæum se factum dicit (id enim sine Christiani nominis ignominia fieri non poterat) sed Iudæi similem: quia illorum moribus & ritibus sese accommodauit. Factum hoc non semel: vt quando Timotheum in Iudæorum gratiam circumcidit, nimirum, vt illi apud hos docendi viam sterneret: quando item vota suscepit, capillos totondit, secundùm legem purificatus est. Quibus adnumerari potest, quòd diebus Sabbathorum Synagogas ingressus est & lectionibus Legis interfuit. Sed & ciborum delectum inter eos agentem habuisse credibile est, ne quem ex illis temere offenderet. Hæc (inquit) omnia feci, vt Iudæos lucrifaciam, id est, vt me illis insinuem, adeoq; ostium mihi apud eos aperiam, vt ipsis quoque Christum prædicare possim. Quod cum ab illo verissimè dicatur, rursus nouum hîc habemus feruentissimi zeli argumentum. Quia enim nullos hostes Iudæis acerbiores habuit, incomparabile in illo fuerit oportet promouendæ veritatis & publicæ salutis studium, quod tanta gentis illius improbitate, tot item insidijs & machinationibus non potuit restingui.

Quomodo Paulus omnium seruus fuerit? Iudæi. Acto. 16. 18. 21. &c.

Secundò inquit: Ijs qui sub lege sunt, factus sum quasi essem sub Lege, vt eos qui sub Lege sunt lucrifaciam. Videtur hoc membrum prioris expositionem continere: nonnulli tamen eos intelligi putant, qui ex Iudæis quidem ad CHRISTVM IESVM conuersi erant, verumtamen Legi & ceremonijs legalibus, quibus à pueris assueuerant, adhuc nimiùm tribuebant. Fuit horum passim ingens multitudo, & difficile erat illo tempore Iudæos subitò à Legis obseruatione in vniuersum reuocare, cùm eam à Deo olim latam esse, & sub eius disciplina olim sanctissimos patres & Prophetas vixisse scirent. Cum talibus ergo sancta indulgentia vti oportuit, quod alios quoque Apostolos, & inter hos Iacobum imprimis, in Hierosolymitana ecclesia fecisse constat. Nam cùm eò venisset Paulus, & Iacobo atque Senioribus exposuisset sigillatim, quæ Deus fecisset inter gentes per ministerium eius, illi quidem ijs auditis glorificauerunt Deum, at simul dixerunt Paulo: Vides frater, quot sint millia Iudæorum, qui crediderunt, suntq́; omnes accensi studio Legis: audierunt autem de te ex aliorum sermone, quòd defectionem doceas à Mose, &c. Et mox suadent, vt cum quibusdam, qui voto legali se obstrinxerant, sese purificet templum ingressus, & ita publicè testetur, se à prophano Legis contemptu esse alienum. Quibus vt tunc morem gessit, ita non dubitarim idem sæpe aliâs factum fuisse. Sciebat enim ceremonias illas cum honore sepeliendas esse, & occasionem quærebat, qua tales ab obseruatione earum prorsus abductos vni Christo consecraret.

Qui sub Lege sunt. Acto. 21.

Tertio, exlegibus (inquit) factus sum vt exlex, vt lucrifaciam exleges. Exleges dicuntur, qui Legum expertes sunt, vel qui sine Lege aut extra Legem viuunt. Eo autem nomine gentes denotat, non quòd omni lege caruerint (nam inter hos quoque legislatores fuerunt celeberrimi, Draco, Solon, Lycurgus, Minos, Numa & infiniti alij, qui & Leges condiderunt & rempub. constituerunt: imò, quod Apostolus noster ad Romanos annotauit, illi cùm natura quæ Legis sunt facerent, sibijpsis Lex fuerunt, & ostenderunt opus Legis scriptum in cordibus suis) sed quòd Legi

Exleges.

Legi Mosis non essent subiecti, quam solis Iudaeis datam fuisse scimus, quos propter promissum humani generis redemptorem à reliquis populis segregatos esse oportuit. Gentibus ergo, quibus lex Mosaica contemptui erat, se talem praebuit Apostolus, quasi ipse quoq; nullam eius rationem haberet. Cuius rei exempla sunt, quòd Titum propter subreptitios falsos fratres circumcidere noluit, quòd absq; omni ciborum delectu cum gentium credentibus versatus est, quòd deniq; Petro in faciem restitit, quando is non sine scandalo multorum Antiochiae Iudaizaret. Quibus adde, quòd conciones quoq; suas illorum captui & moribus accommodauit, & omissis scripturae testimonijs (quae apud illos in nullo pretio esse sciebat) argumentis vsus est, & poëtarum quoq; authoritate pugnauit, sicuti in ijs est videre, quae Athenis & Lystris acta sunt. Quoad verò Legem Mosaicam, probè tenendum est, quod hîc de se dicit Paulus, ad sola ceremonialia referri debere. Quae enim ad mores spectant, ferè Iudaeis & gentibus communia fuerunt, cùm hi quoq; in suis legibus naturae Legem sequerentur, quam Decalogo totam contineri in Epistola ad Romanos demonstrauimus. Ideo in praesenti per Parenthesim interserit: Tametsi non sim exlex Deo, sed sublex Christo. Exlegem quidem se fuisse dicit gentibus, dum Mosaicos ritus non magis, quàm si ex illorum numero esset, obseruauit: at simul quoad Deum se nequaquā immunitatem captauisse testatur, cùm sciret se Lege Christi teneri, cui omnes qui credunt obnoxios esse conuenit. Legem Christi alij legem fidei, alij legem charitatis esse dicunt. Ego vtranque coniungendam esse arbitror. Nam à Scriba ille interrogatus de primo aut praecipuo praecepto, respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Istud est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum vt teipsum. Et vt in salutis negotio fidem vnam vrget & praecipit, ita quoad vitam & mores solius dilectionis meminit, qua omnia alia praecepta contineri Paulus testatur. Facit huc, quod in vltima Coena discipulis dixit: Mandatum nouū do vobis, vt alij alios diligatis, sicut (inquam) dilexi vos, vt & diligatis alij alios: Ex hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis alij in alios. Quò Apostolus respiciens Galatis scribebat: Alij aliorum onera portate, & ita complete Legem Christi. Et ad Romanos: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc vt alij alios diligatis. Sunt haec propter eos obseruanda, qui vbi Legem per Christum abrogatam esse audiunt, mox sibi quiduis agendi licentiam concessam esse arbitrantur. Atqui solas ceremonias veteres Christus abrogauit, & maledictionem sustulit, quae nos propter Legis transgressionem premebat. Quoad caetera, Lex eadem nobis data est, quae veteribus, & ideo ille dicebat: Non veni vt dissoluam Legem, sed vt impleam. Matth. 5.

Galat. 2. | Luc. 10. | Ioan. 13. | Galat. 6. | Rom. 13.

Quarto loco infirmos ponit, dicens: Factus sum infirmis, vt infirmus, vt infirmos lucrifaciā. Vltimos hos facit, quia membrum hoc ad superiora genera omnia extendi debet. Eo enim exponit, quibus nam sese accommodauerit, siue illi Iudaei, siue gentes aut exleges fuerint: Nimirum non quibusuis aut omnibus promiscuè, sed infirmis. At tales dicuntur, qui etsi Christum fide apprehenderint, nondum tamen ad solidam eius cognitionē peruenerunt, sed in multis adhuc haesitant, non malitia, sed ignorantia simplici. Hi ergo institutione opus habent, & proinde indulgentius cum illis agendum est, vt metu omni (quem conscientiae infirmitas in illis parit) soluti, tandem in melius proficiant. Et de his solis totum hunc locum intelligi debere patebit, si quae circa Timotheum & Titum gesta sunt cōsideremus. Illum enim propter Iudaeos, qui eum ex Graeco patre natum esse sciebant, circumcidit, ne scilicet isti offenderentur, si ipsum hominis incircumcisi consuetudine & opera vti viderent: hunc autē circumcidere noluit, quòd falsos aliquot fratres subrepsisse intelligeret, qui libertatem credentium subdolè explorabant, vt occasionē venarentur, qua illos in seruitutem redigerent. Neq; hîc aliquid ex priuato consilio fecit Apostolus, sed Christi praeceptoris doctrinā secutus est, qui cùm Pharisaeos, quos non infirmos sed contumaces esse sciebat, suis verbis offensos esse audiret, discipulis dixit: Sinite eos, nam caeci duces sunt caecorum. Minimè ergo Pauli exemplū ignauis fidei dissimulatoribus patrocinatur, qui vt securitati suae consulant, inconstantes Vertumnos & Proteos agunt, & sub Christianae indulgentiae praetextu nihil non dant hominibus improbissimis, quos apertos fidei hostes esse non ignorant, atq; in eorum gratiam multa praeter officium faciunt non sine multorum scandalo, quorum infirmitati potius erat consu-

Infirmi. | Acto. 16. | Galat. 2.

lendum. Debebant illi exemplum hoc diligentius inspicere, & viderent primò, Apostolum solos infirmos indulgentius tractauisse, aliorum verò adeò paruam rationē habuisse, vt supra dixerit: Mihi pro minimo est, vt à vobis diudicer, aut ab humano die. Et alibi: Si hominibus placerem, Christi seruus nō essem. Deinde in solis medijs & indifferentibus hac facilitate vsus est, & tunc modò, quàm diu pro indifferentibus habebantur. Quàm primùm enim aliqui legales ceremonias, vt ad salutem necessarias, vrgere cœperunt, hoc illi intolerabile visum fuit, sicuti voces illæ testantur: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos. Item: Ecce, ego Paulus dico vobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil vos iuuabit, &c. Præterea non hoc spectauit Apostolus, vt omnibus placendo infirmitatem aliorum foueret, sed vt Christo lucrifaceret eos, qui circa nonnulla adhuc superstitiosius hærebant, vtq; illos in fide magis confirmaret. Quicunq; ergo Apostolum imitari voluerint, tria hæc obseruent, vt solis infirmis indulgeant: vt in solis medijs & indifferentibus id faciant, fidei autem & salutis capita constanter propugnent: vt deniq; ad infirmorum ædificationem omnia dirigant, neminem verò in errore & superstitione confirment. Qui secus agunt, ij non infirmis consulunt, sed dum sibi amicos parant, veritatis doctrinam turpiter produnt, & infirmos offendunt.

Galat. 4.6.

Paulus omnia factus omnibus

Porrò vt ad genus, vnde cœperat, Paulus redeat, postremo loco subijcit: Omnibus factus sum omnia, vt omnino aliquos seruem, id est, omniū ingenio atq; moribus me accōmodaui, adeóq; in omnes formas me verti (quatenus salua fide in Christum fieri potuit) vt saltē aliquos pleniori Christi cognitione illuminatos ad salutis æternæ possessionē adducerem. Dicuntur enim Apost. seruare quando homines Christo adducunt, in quo vno vita & salus est. Quod propter eos annotamus, qui dum eiusmodi locutiones audiunt, mox vel in Diuos cœlites transferūt honorē, qui Christo soli debetur, vel sibijpsis plus quiddā vendicāt, quàm par sit. Meminisse ergo oportet, Spiritum S. locutionibus eiusmodi ministerium Verbi nobis cōmendare, causam verò & rationem illarum in vno Christo quæri debere, qui per Verbum prædicatur. Itaq; si de toto hoc negotio propriè loqui libeat, ijs insistendum erit, quæ cap. 3. dixit Apostolus: Ego plantaui, Apollo rigauit, Dominus dedit incrementum: Ergo neq; qui plantat neq; qui rigat est aliquid, sed Dominus, qui dat incrementum.

Nemo minister omnes seruare potest.

At hic peculiarem considerationem meretur locutio: Vt omnino aliquos seruem. Nam dicendum videbatur: Omnibus factus sum omnia, vt omnes seruem. Sed non ignorabat Apostolus, neminem in docendo tam felicem esse, vt auditoribus suis omnibus quod vult persuadeat, & omnes ad fidei obedientiam adducat. Quid enim sibijpsi homo polliceatur, quando ipso Christo docente maior pars in incredulitate & aperta contumacia perseuerauit? Et notum est quod ille dixit, Multos quidem vocari, electos autem pauciores esse, qui vocationi ex animo obtemperent. Pertinet eòdem sementis parabola, in qua aliud quidem semen in viam, aliud intra spinas, aliud in loca petricosa cecidisse dicitur, vix autem quartum quotq; in terra bona fructum tulisse optatum. Est hoc propter eos obseruandum diligenter, qui vehementer offendi solent, si non omnes ad Euangelij prædicationem emendentur & in Veritatis cognitione proficiant. Et Anabaptistas hinc ferè argumentum captare scimus, quo nostras ecclesias damnent, & quæ in his prædicatur doctrinam suspectam reddant. Sed falluntur omnes isti, quòd Verbi aut doctrinæ vitium esse putant, quod hominum vitio fit: quòd item ecclesiam eiusmodi in terris fingunt, quæ omni ruga & macula careat. Atqui vt intra septa agri dominici loca petricosa & spineta inueniuntur, viæ item publicæ, in quibus frustra seminatur: ita hostis Satan dormientibus nobis, bono semini sua quoque zizania aspergit, quæ ante messis diem euellere periculosum est. In his ergo tolerandis tam administris Verbi quàm alijs credentibus longanimitate & patientia opus est, si quando & illi lucrifieri possint, in quibus nulla adhuc fructus spes apparet.

Ministri singulos seruare studeant.

Est igitur hîc multa laude dignus Pauli zelus atque industria, qui etsi sciret se in multis frustra laboraturum esse, omnibus tamen sese accommodare dignatus est, vt saltem aliquos, ceu tabulas & sarcinas quascunq; ex naufragio eriperet, & Christi cognitione illuminatos seruaret. Tanti ergo Apostoli exemplum omnes ecclesiarum ministri imitentur, & meminerint boni pastoris esse non modò gregem totum pascere, sed vnius etiam ouiculæ causa per montes & valles discurrere. Et vt in re domestica nunquam ditescunt, qui magnis modò lucris intenti, minutiora

& ad

& ad quotidianam domus curam pertinentia negligunt: ita Christi ecclesiam vix augebunt, quibus indignum videtur circa pauculos occupari. Arguitur his eorum ignauia, qui ferè hoc prætextu sese excusant, quòd frustra prædicetur, & pauci Verbum qua decet reuerentia excipiant. Atqui hoc ipsum olim Prophetæ conquesti sunt, non autem idcirco in commisso sibi munere segniores fuerunt. Quod ipsum de Christo & Apostolis simul omnibus dici potest. Quin potius nos consoletur, quòd quamuis maior vbique sit reproborum numerus, habet tamen suos quoque passim Deus, qui veri pastoris vocem agnoscunt & sequuntur. Et vt pluuia cælitus immissa terram irrigat & fœcundam reddit, licet nequicquam compluantur petræ, silices & loca quædam sterilia: ita Verbum Domini etsi à multis non admittatur, passim tamen sunt qui id cum fructu audiunt. Vide Isa. 55. Capite.

Restat postrema huius loci pars, qua studij sui finem Paulus exponit, dicens: Hoc autem facio propter Euangelium, vt vnà particeps eius fiam, id est, hoc ago, vt ad Euangelij propagationem aliquid conferam, neque ignauus ille & inutilis seruus sim, qui heri sui talentum defodit: sed vt particeps fiam fructus Euangelij, coronæ nimirum illius immarcessibilis, quæ credentibus in cælis est reposita. Facit ad huius sententiæ expositionem, quod sub finem Capitis subijcit: Contundo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quo modo cùm alijs prædicarim, ipse sim reprobus. Id enim multis euenturum Christus minatur, qui munus hoc non bona fide administrant. Vide Matth. 7. Neque fefellit spes ista Paulum, qui cùm vitæ simul & ministerij sui finem non procul abesse sentiret, Spiritus testimonio confirmatus ad Timotheum scribebat: Ego iam libor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen illud præclarum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus ille iudex: nō solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetunt illustrem illum ipsius aduentum. Dum autem in præsenti ait, se in hoc esse, vt vnà particeps fiat Euangelij, non obscurè innuit, studium hoc omnibus Christianis debere commune esse, eò quòd communione Euangelij frui non possint, qui non suam quoque operam pro virili ad propagandum regnum Christi conferant. Nec enim in eius familia quenquam otiosum esse conuenit: & vt olim in Tabernaculi constructione mulierum quoque fila ducentium & texentium opera vtilis Deoq; grata erat: ita nemo tam vilis est, qui non publicam ecclesiæ causam aliquo modo iuuare possit. Nam vt omnis alia facultas desit, preces tamen suas huc quisque conferre potest, & acceptum per se est Deo pium sui regni prouehendi studium.

Finis & scopus Pauli.

2. Tim. 4.

Quærunt hîc aliqui, an pium sit spe præmij seruire Deo? Sed hæc quæstio mihi curiosa magis quàm vtilis & necessaria videtur. Scimus enim populum Christi spontaneam illi obedientiam præstare: at hoc non excludit rationes quibus homines mouentur, vt spontanei fiant, nisi quis dicere velit Deum nobis frustra intellectum & mentem dedisse, quæ res propositas excutiunt, & de illis statuunt, prout salutare aut necessariū esse videtur. Et vt demus, Christi seruum non debere temporarijs commodis duci, hîc tamen de vero & æterno Euangelij fructu agitur, quem omnes toto animo quærere & ambire debent. Nec temere nobis promissiones Deus in scripturis proposuit, sed eas nobis adiumento esse vult, vt carnem facilius vincere, & hanc quoq; ad obedientiam fidei adducere possimus. Postremò, per se pijssimum est cælestis præmij desiderio trahi, eò quòd hoc ipsum Christum comprehendit, qui nos in domo Patris sui secum esse & ad suam mensam accumbere vult, vt eiusdem cum ipso regni hæreditate fruamur. Omissis ergo otiosorum hominum quæstionibus, nosmetipsos quoad eius fieri potest, cælestium præmiorum desiderio accendamus, & ita singuli suam vocationem obeant, vt in magno illo die lætam & beatam hanc vocem audiant: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, ingredere in gaudium domini tui. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

An liceat spe præmij seruire Deo?

HOMILIA XLVIII.

An ignoratis, eos qui in stadio currunt, omnes quidē currere, sed vnum accipere præmium? Sic currite, vt comprehendatis. Porro quisquis certat, in omnibus est continens; illi quidem igitur, vt

perituram coronam accipiant, nos autem vt incorruptam. Ego igitur ita curro, vt non in incertum: sic pugilem ago, vt nō aërem cædens. Sed contundo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne quo modo cum alijs prædicarim, ipse reprobus fiam.

QVemadmodum homo ex innato philautiæ vitio sibijpsi in omnibus suis dictis & factis mirificè placet: ita imprimis hoc solet fieri, si quam rerum diuinarum scientiā se præ multis alijs assecutū esse sibi persuasit. Hæc enim causa est, vt & alios omnes præ se contemnat, & quasi ipsam felicitatis arcem expugnarit, non multùm porrò de illis cogitet, quæ ad consequendū regnum Dei necessaria sunt. At hinc certissima illius ruina & salutis totius iactura sequitur. Quia enim scientiæ fiducia turgidus nihil eorum præstat, quæ ex Dei verbo didicit, fatuo illi similis fit, qui supra arenam domum ædificat, sumptuosam quidem & magnificam, sed quæ neq; ventorum turbini neq; inundantium aquarum procellis aut fluctibus resistere potest, eò quòd fundamento stabili & firmo nō nitatur. Tales omnino Corinthij fuerunt. Quia enim eorum doctores priuatæ potius gloriæ quàm ædificationis & publicæ salutis studio tenebantur, & ideo omissa simplicitate doctrinæ euangelicæ circa sublimium quorundam mysteriorum tractationē cum superba eloquentiæ ostentatione laborabant, ipsi quoq; singularis cuiusdā scientiæ persuasione ebrij, se iampridem omnia assecutos esse existimabant, & proinde rerum omnium securi, in omnem licentiā effundebantur, adeò vt (quod iam sæpe diximus) ne sacris quidem alienis abstinerent. Quapropter ostendit nuper Paulus, hanc ipsorum scientiam vanam & noxiam esse, & quid ipsos deceat, suo exemplo multis docuit. Nunc autem doctrinæ huic grauem exhortationem subijcit, qua longius progreditur, vt confidentiam ipsorum fortius contundat. Docet enim eos, etsi hucusq; perfectissimi fuissent, nullum tamen ex omni studio suo fructum percepturos esse, nisi in finem vsq; perseuerent. Et ne quid in hac admonitione desiderare possint, simul veram Christianæ perseuerantiæ rationem tradit, docens, quibus adminiculis nos ipsos possimus iuuare, vt indies in melius proficiamus. Omnem verò hanc doctrinam similibus appositissimis & proprio exemplo illustrat.

Matth. 7.

An ignoratis (inquit) eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed vnum accipere præmium? Primum simile de cursoribus est, alterum de pugilibus aut athletis, quod postea suo loco adducet. Vtrumq; ex certaminibus petit, quæ olim in ludis publicis & sacris fieri solebant. Constat enim gentes ludos habuisse sacros, qui certis temporibus exhibebantur: Primatum in his habebant Olympici, quos in Iouis honorem Hercules instituerat, & qui quinto quoque anno prope Olympiam Elidis ciuitatem celebrabantur. Secundus locus Pythijs dabatur, Apollini sacris in occisi ab illo Pythij serpentis memoriam. Tertium locum tenebant Isthmij, quos Theseus Neptuno dedicauit (sicut in eius vita Plutarchus scribit) sic dicti, quòd in Isthmo Corinthiaco agerentur. Quarto loco Nemeæi erant, quibus Herculis vel (vt alij volunt) pueri Archemori memoria seruabatur. Ne autem ludi illi (quod plerunque fieri solet) in licentiam degenerarent, & in tanta hominum ad illos confluentium multitudine multa inhonestius fierent, certamina proponebantur, cursus nimirum, disci, saltus, luctæ & iaculationis. In præsenti tamen Paulus, omissis tribus reliquis, duorum modò meminit, quæ ipsius instituto maximè seruiebant. Nec temere factum putabimus, quod cùm multæ aliæ rationes & exempla multa essent, similitudines istas producere voluit. Fecit enim hoc duas ob causas potissimùm: Prima est, quòd hæc omnibus notissima essent, & ne vulgus quidem quid in his certaminibus fieret, ignorare posset, cum Isthmia certamina in ipso Corinthiacæ vrbis conspectu haberentur. Ideo de his dicturus ait: An ignoratis, &c? Altera, quòd excusationis prætextum omnem eripere vult ignauis & delicatis, qui iniquius secum agi queruntur, si quis carnis mortificationem, patientiam in aduersis & perseuerantiam aut constantiam ab illis requirit. Ostendit ergo nihil à nobis postulari, quàm quod huic seculo dediti spontè faciunt fluxæ voluptatis & auræ popularis vel gloriolæ momentaneæ causa. Vnde sequitur, nimium turpem esse Christianorum hominum ignauiam, si in ijs remissiores sint, quæ ad æternæ salutis causam faciunt. Sed ipsius Apostoli verba excutiamus.

Ludi sacri apud gentes.

A cur-

A cursorum simili orditur, quod ita proponit: An ignoratis, eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed vnum accipere præmium? Quæ verba non eo sensu accipi debent, quasi ex toto credentium cœtu vnus modò cælestis & æternæ vitæ brauium appræhensurus sit, quemadmodum inter eos, qui cursu certant, is solus coronatur, qui alios omnes celeritate præuertit. Sed sensus hic est: Quemadmodum in cursus certamine nemo brauium assequitur, nisi qui ad metam vsque decurrit, & legitimè vincit: Ita nemo æternæ vitæ coronam accipiet, nisi qui in fide vera & vitæ sanctimonia in finem vsque perseuerauerit. Vt ergo non satis est stadium ingredi, vestes deponere, inter cursores sibi locum deligere, cum illis magno impetu ex carceribus emicare & aliquousque pergere, si in medio cursu aut concidas, aut pedem sistas & ex cursore strenuo otiosus spectator fias: ita nihil proficiunt in regni Dei & salutis æternæ negotio, qui Christianis quidem sese adiungunt, verbum audiunt, Sacramentis communicant, vitæ cursum secundùm Christi præcepta aliquò vsque dirigunt, tandem verò aut defessi, aut carnis cupiditatibus deuicti, aut mundi exemplo abrepti deficiunt, vel in nuda & otiosa fidei professione acquiescunt. Et de hoc hoc quidem Corinthios admoneri necesse erat, eò quòd sibijpsis ante victoriam partam nimium placerent. Simile à cursoribus.

Obseruari autem debet non indiligenter, vitæ & nominis Christiani professionem certantibus in stadio conferri. Horum cursus & certamen occulta esse non possunt, cùm in confertissima spectatorum corona currant, quorum alij eos applausu suo iuuant, alij ipsis inuident & odio ringuntur: Ita non latere possunt Christiani homines, sed in totius mundi theatro hominibus simul & angelis (vt supra de Apostolis dictum est) spectaculum exhibent, & interea aliorum fauore & precibus iuuantur, multorum verò odijs atque machinationibus impediuntur. Et vt in stadio nullus desidiæ & quieti locus est, imò ridiculus esset, qui illic vel conuiuari, vel supinus in herba stertere vellet: Ita Christianæ fidei professio assiduos labores sibi coniunctos habet, & certaminibus continuis exercetur, à quibus sine certa salutis iactura discedere non licet. Imò ne licet quidem pedem referre aut remissius agere: quia vt primum hoc fit, mox nobis Satan instat, & lætales ictus infert, vel cursum nostrum ita turbat & abrumpit, vt vix vnquam possimus in viam redire. Non minus ergo pernitiosè quàm turpiter falluntur, qui sibijpsis inducias fingunt, & priusquàm ad metam peruenerunt, sese ad otium & quietem componunt. Vita Christiana certamini confertur.

Itaque Christiani hominis fuerit, sic currere vt apprehendat, sicuti ex præmissa similitudine Paulus infert. Id verò non fiet, nisi relictis à tergo omnibus prioris vitæ & huius seculi studijs, ad ea tendamus, quæ nobis proposita sunt. Nunquam ergo nos metam assecutos esse putemus, quoad in carne viuimus. Explicat hoc Paulus proprio exemplo, quando ad Philippenses de semetipso sic scribit: Fratres, ego meipsum nondum arbitror metam apprehendisse, vnum autem ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis Dei per CHRISTVM IESVM. Et ne quis hoc ad solos Apostolos putaret pertinere, mox infert: Quotquot itaq; perfecti sumus, hoc sentiamus. Conueniunt ista cum Christi verbis, qui eum beatum fore pronuntiat, qui in finem vsque perseuerauerit. Et rursus alibi dicit: Nemo, qui vbi manum admouit aratro, respexerit ad ea quæ à tergo sunt, aptus est regno Dei. Luc. 9. Christiani hominis officium. Philip. 3.

At hîc nos excitare debet, quod dum generali præcepto Christianos omnes Paulus appellat, simul omnibus brauij appræhendendi spem facit. In hoc igitur noster cursus ab alijs differt, quòd etsi nos aliqui præuertant, & in multis nos superent, quoad dona spiritualia, ijdem tamen nos minimè impediunt, neque quod nobis destinatum est brauium præripiunt, modò ipsi quoque ad nostram metam vsque constanter decurramus. Est enim vna salus omnibus proposita, & vna regni cælestis hæreditas, quæ vt omnibus sufficit, ita neque diuisione in multos fratres minuitur, quando singuli totam nulla cum aliorum fraude siue iactura possident. Ad hanc olim cursu indefesso contenderunt Patriarchæ, Moses, Prophetæ & quotquot in veteri testamento Dei vocationem secuti sunt. Successerunt his Apostoli, & quicunque illo tempore Euangelio credidere. Proximi his fuerunt Martyres reliqui, quorum ea fuit constantia, vt per mille mortes & crudelissimos exquisitorum tormentorum cruciatus perrumpendum sibi putarint, vt brauium sibi propositum Vnum brauium omnibus datur, qui cursum suum absoluunt.

obtinerent. At nihil illi nobis præripuerunt, sed vnà cum ipsis nos quoque per Christum acquisita beatitudine fruemur. Quod si cui mirum & nouum videtur (vt reuera humanæ rationi istud insolens est) is meminerit, nobis non certamen esse inuidiosum cum Christianis hominibus, qui in eodem nobiscum stadio currunt, sed cum diabolo, mundo, carne & corruptis eius desiderijs. Qui cùm communes hostes sint, in ijs vincendis Christiani sibi mutuam opem ferunt, & singuli alios suo studio & alacritate iuuant atque confirmant. Non ergo sibi inuicem antagonistæ sunt Christiani, sed commilitones, qui quò magis proficiunt & vincunt, eò magis animum addunt alijs ad eandem victoriæ palmam aspirantibus. Ita ergo in aliorum exempla respicere debemus, vt in ijs, qui perfectißimi videntur fuisse, quantum nobis adhuc desit videamus, & ad illorum imitationem excitemur. Inter omnes verò semper nobis Christus emineat, qui & exemplo suo nobis præiuit, & nobis victoriam suo sanguine peperit, simulq; vires nouas subinde ijs suggerit, qui illum sequi instituerunt. Huc faciunt, quæ de illo & eius imitatione Apostolus ad Hebræos Capite 12. tradit, &c.

Applicatio parabolæ ad causam præsentē.

Porrò applicat nunc Paulus quod dixit ad præsentem causam de idolothytis, & simul Christianæ persèuerantiæ modum atque rationem tradit. Porrò (inquit) quisquis certat, in omnibus est continens. Loquitur de victu & diæta pugilum atque omnium eorum, qui in ludis illis solennibus certare solebant. Erat ea exquisitißima, adeò vt non solùm temperantiæ & sobrietati studerent, verumetiam ijs solis vescerentur, quæ tam animi quàm corporis vires confortare poterant: abstinebant autem ab omnibus, quæ corpus grauare & vires debilitare, vel earum vsum aliqua ex parte impedire solent. His autem infert: Illi quidem igitur vt perituram coronam accipiant continentes sunt, nos autem vt incorruptam, &c. Rectè autem solius coronæ, & quidem perituræ, Paulus meminit. Quia enim veteres nihil præter honestam voluptatem in ludis istis quærebant, non pretiosa brauia ex auro vel argento, sed coronas ex frondibus aut herbis contextas solebant proponere, vt non turpis lucri, sed solius gloriæ studio iuuenes ad certamina accenderentur. Itaque qui in Olympijs vincebat, hunc oleastro coronabant. Victori autem in Pythijs laurea corona dabatur cum malis. Ex Isthmijs apio, ex Nemeais verò pinu coronati discedebant. Coronarum autem vilitas gloriæ præconio compensabatur, cùm vulgo imprimis honorificum esse putaretur πολυστέφανον, id est multis coronis redimitum dici. At hinc à Comparatis validißimè argumentatur Paulus: Si athletæ & cursores, vt cum vulgi applausu coronam breui perituram assequantur, à cibis delicatioribus & à crapulæ gulæue studio in vniuersum abstinent: quantò magis hoc facere debent homines Christiani, quibus immarceßibilem iustitiæ coronam Deus iam inde ab æterno præparauit, quam olim cum angelorum mirifico applausu atque gratulatione accipient? Comprehendit autem sub coronæ immarceßibilis nomine ipsißimum regnum Dei, & quæcunq; in hoc nobis per CHRISTVM IESVM parta sunt, de quibus Isaias dixit: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem homini venerunt, ea parauit Deus illis, qui ipsum diligunt. Facit autem ad argumenti amplificationem, quòd pugiles illi simul omnes temperantiæ student, etsi sciant vnum duntaxat brauij propositi participem fore: Nam ex eo apparet, quàm turpis sit eorum negligentia, qui se cœlesti præmio minimè frustrandos norunt, si officium strenuè fecerint. At hæc dicendo acriter perstringit Corinthios, qui gulæ & ventri ita dediti erant, vt non contenti domesticis lautitijs solennes idolothytorum dapes cum publico scandalo sectarentur: & ostendit parum aptos fore ad Christiana certamina, nisi vitæ rationem instituant, quæ Christi legibus melius conueniat.

Isa. 64.

Peruersitas cōmunis hominum.

Cæterùm arguitur hoc loco infelix nostræ naturæ corruptio siue peruersitas. In ijs quæ mundo & carni seruiunt, nihil non possunt plerique ferre & facere. Pernox amator ad amicæ ostium desidet cantillans, ludibria & sannas patitur, labores nullos detrectat, periculum vitæ & fortunarum omnium dispendia pro lucro ducit, modò momentanea & turpi voluptate potiatur, cuius vel sola recordatio illi aliquando molesta futura est. Auari autem non seipsos modò & suos omnes, sed terras simul omnes atque maria fatigant, vt quæstum faciant, & opes opibus quotidie accumulent. Eadem est helluonum & ebriosorum conditio, qui voluntariam insaniam cum totius corporis debilitatione & valetudinis iactura redimunt. Quid verò de militibus loquar quibus

leue

leue videtur famem, vigilias, frigus, æstum perpeti, vulneribus obuiam ire, & mortem tantum non accersere, modò victoriam aduersus hostes obtineant? Denique quod Satyricus dixit, vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones. At quàm primùm Christi nomine, & pro regni cœlestis hæreditate aliquam facultatum iacturam facere, periculum aliquod subire, aut consuetis modò voluptatibus & delitijs abstinere iubemur, mox animi impatientiam indigno murmure, & sæpe atrocibus conuitijs prodimus, & nobiscum indignè, iniquè & inhumaniter agi quiritamur. Est hoc inexcusabilis peruersitatis argumentum, & debent in huius consideratione diligenter versari Christiani homines, & Paulinum hoc de pugilum continentia dictum sibijpsis crebrò occinere, vt suijpsorum eos pudeat, si quid simile in suis moribus depræhendunt.

Vt verò plus ponderis habeat ista exhortatio, & ne Paulus ab alijs exigere putetur, quod ipse minus præstet, ad suum exemplum reuertitur, & quid ipse facere soleat, euidentius exponit his verbis: *Ego igitur ita curro, vt non in incertum: sic pugilem ago, vt non aërem cædens: sed contundo corpus meum & in seruitutem redigo, &c.* Duo de se dicit. Primum, quòd certum suorum studiorum atque actionum omnium scopum aut finem habeat. Non (inquit) eorum similis sum, qui absque meta currunt, & per incertas ambages nunc huc nunc illuc deflectunt, & proinde ex cursu suo nihil præter totius corporis fatigationem & anhelantis pectoris æstum reportant. Neque etiam eos imitor, qui digladiando multùm quidem laborant, sed aërem solummodo feriunt, aut (quod prouerbio dicitur) cum vmbra luctantur. Nam in finem certum omnia mea dirigo: Vt nimirum Euangelij prædicationem longè lateque extendam, & ad ecclesiæ Christi atque singulorum credentium ædificationem plurimùm conferam. Itaque fidei perfectionem declaro interdum, vt alios meo exemplo confirmem: interdum verò ad infirmorum captum me demitto, vt illos erigam: Iudæis Iudæus fio, vt hos lucrifaciam: denique nihil absque certa ratione facio, neque meum commodum, sed aliorum profectum atque salutem quæro. Ita non in incertum curro, neque vanis ictibus aërem ferio. At dum hoc de seipso dicit, simul non obscurè Corinthios perstringit, qui de libertate quidem & scientia sua multùm gloriabantur, & hac fiducia freti ad sacras gentium epulas accedebant, nullum autem sui facti scopum certum habebant, imò ceu inepti gladiatores omnia turbabant, cùm & infirmiores multi illorum exemplo offenderentur, ethnici autem confirmarentur in suis superstitionibus. Redit Paulus ad suum exemplum.

Seruit autem locus iste ijs confutandis, qui sui animi intentionem sufficere, & omnem cultum Deo probari putant, quem ipsi animo religioso instituunt. Currunt hi quidem, sed in incertum. Est enim hominis animus natura inconstans, & nouis quotidie cultibus delectatur. Deinde non possunt hominis conscientiam satiare, quæcunque extra Christum ex nostro cerebro instituimus, sicuti ille docet Samaritidi dicens: *Quisquis biberit ex ista aqua, sitiet iterum: at qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum.* Sed & neque hostem nostrum diabolum cultus illi feriunt, qui incerta illa digladiatione potius delectari, quàm fugari solet. Quapropter frustra laborant, quicunque non certum scopum sibi propositum habent. At is non aliunde peti potest, quàm ex Dei verbo, quod æternum est, & eius voluntatem nobis annuntiat, quæ ipsa quoque sibi semper constat, neque in horas mutatur. Quod autem in genere de omnibus Christianis, quoad fidem & salutis æternæ negotium dicimus, hoc ipsum singuli ad suam vocationem transferre debent, vt in ea scopum, quem ipsis Deus proposuit, respiciant. Nam nisi id fiat, ipsi quoque inani studio atque labore sese fatigabunt. Confutantur qui suam intentionem sequuntur. Ioan. 4.

Alterum, quod sibi tribuit Paulus, ex pugilum disciplina desumit, quam paulò ante attigerat. Contundo (inquit) corpus meum, & in seruitutem redigo: ὑπωπιάζειν propriè est plagis aut ictibus liuidum facere, quod Latini sugillare dicunt. Et hanc interpretationem D. Augustino in epist. 58. ad Dardanum placuisse vidimus. Eo autem verbo Apostolus seuerissimam disciplinam significat, & ideo per expositionem subijcit: Et in seruitutem redigo. Per corpus autem totum veterem hominem intelligit, quem alibi scriptura carnem dicit, eò quòd totus Spiritui repugnat. Ideo eum contundi & subijci necesse est, vt tandem obedire discat. Nam vt equo ferociori nunquam vti possumus, nisi frænum admittat: ita neque nobisipsis rectè vti poterimus, nisi vetus homo per fidei obedientiam Spiritui subijciatur. Vbi Disciplina carnis, qua Paulus vsus est.

qua ratione id fiat, probè tenere oportet. Peccarunt enim hîc vehementer aliqui ex Patribus, optimè alioqui de tota ecclesia & re Christiana meriti, qui cùm hoc omne ieiunijs crebris & austeriori victus ratione perfici putarent, eam vitæ rationem secuti sunt, qua seipsos ob valetudinis imbecillitatem tantumnon inutiles fecerunt publicis ecclesiæ vsibus: quod Basilio Magno & Nazianzeno accidisse legimus: & quod nocentius fuit, superstitionum authores fuerunt multis qui instituti ipsorum rationem non intellexerunt. Nos ergo Paulum ipsum sui exempli optimum interpretem audiamus, qui in priori ad Timotheum Cap. quarto sic scribit: Corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis: at pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habet vitæ præsentis ac futuræ. Aliquid quidem disciplinæ & exercitijs corporalibus tribuit, sed eadem sine pietate nihil prodesse docet. Et quia hanc exercitationi corporali opponit, satis euidenter docet, hanc in spirituali cultu consistere. Ideo Eusebius eam ita definiuit: εὐσέβεια ἐστιν ἡ πρὸς τὸν ἕνα καὶ μόνον ὡς ἀληθῶς ὁμολογούμενόν τε καὶ ὄντα θεὸν ἀνάνευσις, καὶ ἡ κατὰ τοῦτον ζωὴ, *id est, pietas est respectus ad vnum solum verum Deum & secundum hunc instituta vitæ ratio. Et hunc secutus videtur D. Augustinus, qui dicit: Pietas est veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi duci oportet officia. In illa igitur ante omnia Dei Verbo opus est, vt hoc nobis actionum & studiorum omnium regulam proponamus. Quod qui faciunt, & Deum ex animo eum esse agnoscunt, quem scripturæ prædicant, iustum nimirum, veracem & omnipotentem omnis malitiæ vindicem, ij mox verum illius timorem animo concipient, quo nihil ad frænandos carnis lasciuientis affectus efficacius excogitari potest. At quia hæc delitijs & intemperantia in victu ferocior fieri consueuit, externam quoque disciplinam adhiberi vtile est, qua vt equo præ pinguedine & otio lasciuienti pabulum, ita nos carni poteruienti libidinis & licentiæ fomenta subtrahamus. Vbi tamen diligenter cauendum est, ne omnes ad eandem victus rationem astringamus, aut eandem certis & statis temporibus alligemus: maximè autē omnium ne illi salutis meritum tribuamus. Vt enim non eodem omnes ingenio præditi sunt, ita non iisdem rebus ferociores fiunt. Vt ergo ineptus foret medicus, qui omni ætati & sexui, vel etiam omni morbo idem pharmacum adhiberet: ita imprudentes & temerarij sunt, qui eadem disciplinæ forma erga omnes vtuntur. At qui in ea meritum statuūt, ij carnem non cōtundunt, sed Pharisaica confidentia implent, vt aduersus Dei gratiam & huius Mediatorem,* IESVM CHRISTVM, *insurgere non vereatur. Sequamur ergo hic à Christo nobis præscriptam regulam de ieiunijs, æternæ verò salutis spem atque fiduciam in illius merito habeamus collocatam.*

Lib. 1. de præparat. euang.
Epistola 52.

Sed rursus causam exprimit Apostolus, cur carnem suam contundat & in seruitutem redigat, dicens: Ne quo modo, cùm alijs prædicarim, ipse reprobus fiam, id est, ne is esse deprehendar, cuius vita & mores doctrinæ repugnent. Quæ verba aduersarij nostri detorquent, vt doctrinam nostram de electionis certitudine euertant, & Paulum timuisse aiunt, ne reprobus fieret. Atqui nihil hic de electione et vocatione ille dicit, de quarum veritate & constantia dubitare nō poterat, cùm alibi ἀμεταμέλητα *dicat: sed qua ratione sese in officio contineat, docet, nimirum pia & religiosa solicitudine, qua caueat, ne accusari possit de ijs, quæ cum Christiani nominis professione pugnant. Itaque cura hæc non ex dubitatione de æternæ electionis & prædestinationis decreto enata est, sed ex fidei zelo, quo electi excitantur, vt prædestinationi diuinæ inseruiant: quod tunc imprimis faciunt, quando carnem suam cum prauis desiderijs contundunt, & mortificatam in ordinem redigunt. Et constat Deum electis suis spiritum timoris inserere, qui illos non de ipsius electione, sed de propria obedientia solicitos reddit, & author est, vt (quod Petrus monebat) vocationem & electionem suam firmam faciant, id est, ipsis fidei effectis declarent. Et quid obsecro hîc sibijpsi Paulus tribueret, quoad Dei tribunal, qui supra confessus est, se nequaquam iustificatum esse, etiamsi nullius malitiæ aut negligentiæ sibi conscius sit? Debent autem exemplum hoc ad se transferre, quicunque vel in ecclesia vel in repub. alijs præsunt. Ne dum alijs præcipiunt & mandant, ipsi præter officium vitam viuant dissolutam, & suo exemplo Verbi Dei atque legum authoritatem eleuent. Meminerint ergo nullum nocentius scandalum esse, quàm quod ex ipsis nascitur, & proinde pœnas quoque grauiores ipsos manere, nisi sibi diligenter caueant. At quæ nostri sæculi calamitas est, in hoc plurimùm peccatur. Orandus ergo est*

Finis disciplinæ & studij Paulini.

Rom. 11.

Deus

Deus Pater, vt suo spiritu omnium carnem com[m]endat & saluberrimæ illi seruituti subijciat, in qua ipsius quidem gloriam prouehant, olim verò cum Filio suo IESV CHRISTO *viuant & regnent. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

CAPVT X.

HOMILIA XLIX.

NOlim autem vos ignorare, fratres, quòd patres nostri omnes sub illa nube fuerunt, & omnes per mare transiuerunt, & omnes in Mosem baptizati sunt in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim ex spirituali, quæ ipsos sequebatur, petra: Petra verò erat Christus. Sed plerosque eorum non approbauit Deus. Prostrati sunt enim in deserto.

VT homo natura tardior est ad veræ pietatis studium: ita si quos in eo progressus fecit, mox sibijpsi placet, & ijs ad suum exitium abutitur, quæ ipsi ad salutem adiumento esse debebant. Exemplum huius rei euidens in Corinthijs habemus. Cùm enim hi per Paulum & Apollo bene instituti essent, & (vt initio huius epistolæ dictum est) omni cognitione & scientia abundarent, mox confidentiores facti, omisso religionis syncerioris & vitæ Christianæ studio, circa res inutiles occupari cœperunt. Secutus est hoc malum libertatis Christianæ abusus, quo eò vsque abrepti sunt, vt ad aliena etiam sacra accederent, & in his publicè comessarentur. In omnibus autem istis maximè nocebat Christianæ professionis & Sacramentorum ecclesiæ fiducia, qua persuasi, illa ad salutem prorsus sufficere arbitrabantur. Ideò Paulus nuper similibus eorum, qui in stadio cursu aut lucta certant, adhæc proprio exemplo eos hortatus est, vt à Deo sibi propositum finem respiciant, & ad hunc tendant firmo atque constanti animi proposito. At quia vix quicquam sufficit ijs, qui se iam omnia assecutos esse sibijpsis persuaserunt, modò populi Israëlitici exemplum subijcit, quod ita tractat, vt simul alia quoque Corinthiorum vitia perstringat, & in genere simul omnes admoneat, quid ipsis sit expectandum, nisi professioni suæ respondeant. Summa totius loci est, Israëlitis nequaquam profuisse, quòd populus Dei fuerunt, & salutis Sacramenta nobiscum communia habuerunt, sed horrendis exemplis fuisse extinctos, quòd Deo inobedientes essent, & in suæ fidei professionem peccarent: hoc ipsum ergo omnibus euenturum esse, quotquot Christiani nominis professione ad suam licentiam abutuntur. Partes loci sunt duæ, de quibus ex ordine dicetur.

Argumentum huius loci.

Prima pars præoccupatione constat. Nam ne obijcerent, Iudaici populi exemplũ nihil ad se pertinere, quorũ præstantior sit conditio, quàm illorũ, qui olim sub Mose vixerunt: initiò statim probat, nullum inter hos & ipsos discrimen esse, quando Israëlitæ Dei ecclesia fuerint, & Sacramenta eadem nobiscum habuerint cõmunia. Id verò multis & diligenter probat. Nec temere præfatiuncula vtitur: Nolim autem vos ignorare fratres. Nam ita scribendo innuit, ipsos nondum satis instructos esse in ijs, quæ imprimis scire oportebat. Accidit hoc ferè omnibus, qui se præ alijs profecisse putant, & sua scientia insolentius gloriantur. Exemplum, quod huc probè conuenit hodie in Anabaptistis habemus, qui cùm multa garriant de vera ecclesia & eius sanctitate ecclesias item omnes temere damnent, tamen hominum omnium indoctissimi atque ineptissimi sunt, & imprimis istud prorsus ignorant, de quo hîc agitur, & quod hominibus Christianis Apostolus minimè vult esse ignotum: Quæ nimirum olim Ecclesia fuerit, quæ item semper fuerit in terris Ecclesiæ conditio, qui denique ad eam pertineant, & quid maximè

Eadem est Veteris & Noui testamenti ecclesia.

spectandum sit ijs, qui Ecclesiæ vera membra censeri volunt? Quin eò vsque istorum hominum audacia progreditur, vt nonnulli cum Manichæis totum Vetus testamentum damnare non erubescant, & hoc nihil ad nos pertinere vociferentur. Quid verò Paulus in præsenti? Nolim vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub illa nube fuerunt, &c. Et quibus hoc dicit? Toti nimirum Corinthiorum ecclesiæ, quæ maxima parte ex gentibus constabat: & horum patres vocat Israëlitas, qui sub Mose fuerunt. Vnde verò hoc? Quia omnium credentium pater Abraham est, quem ideo Deus multarum gentium patrem fore dixit, quòd per eius semen omnibus gentibus benedictionem obuenire, & in eius fide omnes seruari oportuit. Quia verò credentium primi sunt Israëlitæ, qui secundùm carnem ex Abrahamo progeniti fuerunt, ijdem nostri in fide antecessores, adeoque patres meritò dicuntur. Vno igitur hoc titulo, perspicuè ostendit vnam & eandem esse veteris & noui testamenti ecclesiam, neque eam diuelli posse, nisi patres à filijs diuellere libeat. Verumtamen eo non contentus, aliud argumentum subijcit à Sacramentis, quibus Ecclesia colligitur, cuius hæc summa est: Vbi eadem sunt Sacramenta & fides eadem, ibi eadem quoque est Ecclesia: Atqui Israëlitæ veteres eadem nobiscum Sacramenta communia, & fidem eandem nobiscum habuerunt: Ergo eadem est veteris & noui testamenti Ecclesia. Minorem probat diligenter, dum illorum Sacramenta cum nostris Baptismo nimirum & Cœna Dominica confert, & rem eandem vtrinque contineri demonstrat. At hîc, vt de singulis loquatur, attentius nos videre conuenit.

Veteres baptizati sunt.

De Baptismo sic ait: Patres nostri omnes sub illa nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosem baptizati sunt in nube & in mari. Vni baptismo symbola duo tribuit, nubem & mare: quia duo hæc simul coniuncta fuerunt, & eadem nostri baptismi mysterium plenè adumbrant. Quod vt rectius intelligamus, tenendum est in baptismo tria contineri: Aquam, quæ sanguinem Christi repræsentat: Verbum Dei, quo accedente (vt Augustinus dicit) ex elemento fit Sacramentum: & Gratia, quæ nobis in peccatorum remissione exhibetur. Atqui omnia ista in hoc transitu Israëlis per mare rubrum est inuenire. Etenim mare aquam baptismi refert, & ipsæ etiam actiones sibi inuicem pulchrè respondent. Vt enim nos in baptismi fontem tingimur & rursus ex eo educimur, ita Israëlitæ intra aquarum vtrinque stantium alueum descendebant, & ex eodem rursus in continentem egrediebantur. Deinde non sine Dei Verbo istud fiebat: eo enim per mare iubebantur transire, & salus certa promittebatur. Nubes autem præsentiæ Dei symbolum erat, à qua eiusdem gratia abesse non potest: quin tunc quoque huius egregia testimonia extiterunt. Ex nube enim illa ipsis loquebatur Dominus, eandem viæ ducem habebant, adhæc ab æstu simul atque hostibus per illam defendebantur.

Baptismus ex quibus cõstet?

Baptismi vsus.

Quòd si horum omnium vsum amplius spectes, rursus omnia cum baptismo conuenire videbis. Primò enim (vt hîc Paulus ait) baptizati sunt in Mosem, id est, ea conditione, vt Mosi obedirent, & ei crederent, quo Deus internuntio in Legis promulgatione vsus est. At quia Lex instar pædagogi fuit ad Christum deducentis, & Moses ipse Israëlitas ad magnum illum Prophetã remisit, quem Christum esse Apostoli testantur, nemo negauerit, veteres quoque in Christum fuisse baptizatos. Quod non oscitanter Eusebius obseruans, non hos modò, qui sub Mosis disciplina fuerunt, verumetiam patres quotquot iam inde ab Adamo ante Mosem vixere, reipsa Christianos fuisse scribit, licet nomen illud nondum in terris vulgatũ fuerit. Deinde nubis illius vsus erat, quòd Israëlitas iam maris alueum transituros ab Aegyptijs separabat, illis quidem lucem præbens, his autem tenebras horribiles ingerens. Similiter baptismus nos ab infidelibus distinguit. Tessera enim est, per quam in externam Ecclesiæ societatem adoptamur, & credentes quidem iucundissima gratiæ nobis in Christo factæ luce exhilarat, impijs verò nihil præter caliginem affert, cùm mysterij huius profunditatem videre non possint, interim tamen in conscientijs suis Christi iudicis minas atque terrores sentiant. Tertiò maris aquæ Ægyptios merserunt & præfocarunt, Israëlitas autem reddiderunt viuos & incolumes. Eadem ratione nos quoque in Christi mortem baptizamur, cuius virtus peccatum, mortem & diabolum absorbet & tollit, nos autem in vitam veram restituit. Quartò per mare transgressis plenior institutio adhibita est, quando Legem suam Deus promulgauit, & eandem per Mosem prolixè & diligenter

Galat. 3.
Deut. 18.

ligenter exposuit: Ita ex Christi mandato ijs, qui iam per baptismum in eius fidem initiati sunt, doctrina perfectior adhiberi consueuit. Et huc facit solenne illud Christi mandatum, quo apostolici muneris rationem & ordinem omnem complectens ait: Profecti μαθητεύσατε, id est, discipulos facite (hoc enim proprie vox Græca significat) omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti: docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Primum vt sibi discipulos faciant iubet, quod fiebat, quando qui prius vel Iudaicas traditiones vel ethnicorum superstitiones, aut philosophorum placita secuti erant, Christum præceptorem agnoscere incipiebant. Et hæc mihi videtur causa fuisse, ob quam sub ecclesiæ initia credentes communi vocabulo discipuli dicti fuerunt. Hos deinde publicè per baptismum initiari oportebat, quo facto mox plenior totius doctrinæ tractatio sequebatur. Postremò, vt transitus ille per mare rubrum non vnquam repeti debuit, nubes autem toto illo peregrinationis tempore nunquã ab ijs recessit, qui mare transierant: Ita neque baptismum iterari necesse est, quando sufficit semel in eius ecclesiæ societatem adoptatum esse, à qua Dei gratia nunquam recedit, & cui à Christo gratiæ istius Mediatore dictum est: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi. Hæc omnia si probè expendamus, fatebimur omnino veteres ea omnia habuisse, quæ nobis in baptismo nostro Christus offert.

Confutantur ergo his præcipui Anabaptistarum errores, quibus illi seducti circa baptismum tumultuari solent. Primus est, quo infantes à baptismo reijciunt, & eadem opera illos ab ecclesiæ societate excludunt. Negant vspiam in scripturis inueniri, quòd infantes baptizati sint. Quòd si eos locos obijcias, in quibus totas domus aut familias baptizatas fuisse scribitur, incertum esse clamant, num in illis infantes fuerint, & vt id euidentibus testimonijs probemus, à nobis petunt. Vbi vicissim nos ab illis requirere poteramus, vt infantes nullos in illis domibus fuisse demonstrarent: sed quia hoc agendo nullus contentionum finis esset, vt ad hunc locum nobis respondeant iubemus. Testatur Paulus olim in nube & mari baptizatos fuisse quotquot per mare rubrũ euaserunt. Ita autem loquendo totam populi Israëlitici multitudinem comprehendit, in qua viros & mulieres, senes, iuuenes & infantes tenellos nec multò ante natos fuisse nemo negauerit, nisi qui cum ratione insanire volet. Etenim à Pharaone interrogatus Moses, qui nam abituri essent, respondit: Cum pueris nostris & cum senibus nostris ibimus, cum filijs nostris atque filiabus nostris, cum gregibus & armentis nostris ibimus. Et idem cùm pecora in Aegypto relinqui vellet Pharao, disertè ait: Etiam pecora nostra ibunt nobiscum, non relinquetur vel vngula. Quis ergo infantes aut paruulos ab illis relictos fuisse suspicari posset? Quod si ergo illorum infantes tunc baptizati, & (vt in præsenti Apostolus testatur) nostri baptismi participes facti sunt, vanissimum vtique est Anabaptistarum commentum, qui infantes nullos vnquam baptizatos fuisse contendunt. Et si veterum infantes baptizari contigit in typo, etsi iam ante per Circumcisionem in populi Dei consortium allecterant, quæ hæc iniquitas fuerit, Christianorum infantibus hanc gratiam in vniuersum negare?

Infantes baptizari debent.

Exo. 10.

Clamant illi. Neminem baptizandum esse, nisi qui fidei & salutis mysteria probè intelligat, & vitæ Christianæ professionem verè iam facere possit: alioqui cum baptismo fidem & religionem omnem prophanari. Est hic alter error, quo dum priorem confirmare volunt, suam ignorantiam magis produnt. In præsenti enim Israëlitarum infantes baptizatos fuisse audimus, qui quid illic ageretur prorsus ignorabant. Imò adeò obscurè illud fiebat, vt ne adultiores quidem rem intelligerent. Et Christus ijs demum diligentius omnia sua doctrinæ capita tradere iubet, qui iam prius in nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti baptizati sunt. Nec statim prophanantur Sacramenta & Dei dona, si quis misterij ignaris illa adhibeat. Circũcidebantur olim octauo à natali suo die Hebræorũ masculi, nec ideo Circũcisio prophanari dicebatur. Et in Euangelio puerulos quosdã ad Christum allatos fuisse legimus, vt illis manus imponeret et benè precaretur: quod discipulis quidem indignum visum fuit, tantũ scilicet virũ circa eos occupari, qui per ætatem nihil adhuc sapere poterant: sed ijdem à Christo obiurgantur, & sibi dici audiunt: Sinite paruulos ad me venire, talium enim est regnum Dei. Quis verò Christum preces

Baptismus non prophanatur, si detur ijs, qui eius mysteriũ ignorant.

suas & ipsam Dei gratiam hunc prophanauisse putabit? At nostri illi, dum gratiæ thesauros arctiori custodia concludunt, ne qui indigniores illis potiantur, eos magna ex parte euacuant, & draconis illius mihi similes videntur, quē aurea Hesperidum mala custodiuisse Poëtæ fabulantur: simul autem Nouatianorum errorem instaurant, qui pœnitentiam & gratiam Dei illis negabant, qui post acceptum baptismum labebantur.

Baptismus non debet iterari.

Nascitur ex his tertius error, quo baptismum iterant in ijs, qui in infantia tincti sunt: eò quòd id præter rationem sit factum, & proinde indignum sit, quòd baptismi loco habeatur. At hūc quoque errorem typus iste confutat, vt iam de Circumcisione nihil dicamus, quæ in puerulis semel facta per omnem vitam sufficiebat, vt eam ne in ijs quidē repeti opus esset, qui scelerib. atrocissimis interdum polluebantur. Et cur non sufficiat semel adscriptum esse in ecclesiæ album, quando Dei gratiam ab illa nunquam discedere constat, neque Christus, qui oues suas omnes nouit, easdē è manibus suis eripi sinit? Isti ergo, dum Baptismi vindices haberi volunt, & hunc turpiter prophanant, & simul Christi merito multum derogant. Poterant de his multa alia quoque dici, sed hæc pijs modò sufficiunt.

Veteres Christum manducarunt & biberunt. Ioan. 6.

Pergamus ergo in Apostoli verbis, qui patribus Cœnam mysticam quoque applicat, dicens: Et omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: Bibebant enim ex spirituali, quæ ipsos sequebatur, petra, &c. Per escam Manna intelligit, quod Christi typum fuisse mox demonstrabitur. Neq; tamen Paulus illi contradicit, qui patres in deserto verum illum panem cœlestem comedisse negat. Nam apud Ioannem Iudæos de Manna crasse vt de cibo corporis locutos fuisse constat, neque in illo aliquid sublimius spectauisse. Ideo illorū sensui sese accōmodans Christus, illud ita consideratum nihil ad salutem profuisse docet. At Paulus ad typum respicit, & de illo loquitur, sicuti à Deo ordinatum erat, vt nimirum panem verum vitæ referret, mentes illorum in venturi seruatoris contemplationē eueheret, & fidem confirmaret. Quē vsum si consideres, videbis in illo omnia contineri, quæ nobis in CHRISTO IESV per Cœnæ Dominicæ panē mysticum repræsentantur. Quod D. Ambrosius obseruans scripsit, ista figuram futuri mysterij habuisse, quod nunc nos sumimus in commemoratione Christi Domini.

Mannæ & Christi comparatio.

Et sanè iucunda est admodū collatio, si quæ in Manna contigerunt cū Christo conferantur. Illud gratuitum Dei donū erat, et absq; omni Israëlitarū labore aut studio dabatur: Ita Christus nobis ex gratia datus est nullo interueniēte nostræ dignitatis aut nostrorū meritorū respectu. Manna de cœlo pluebat, & non sine miraculo: Ita Christus è cœlis in terras descendit, & miraculosè carnem humanam ex Virginis castissimæ & intemeratæ semine assumpsit, vt noster cibus fieret. Manna prius mundo ignotum fuit: ita Christum prius omnes ignorauerunt, & iam præsentē nemo agnouit, nisi quibus illum Pater manifestare dignatus est. Manna æquali & sufficienti mensura omnibus distribuebatur: sic Christus ex æquo ad omnes credentes pertinet, & omnibus ad salutem sufficit absq; omni personarū respectu. Manna varios et iucundos sapores habuit: ita Christus omnibus sapit, qui ipsum fide vera appræhendunt, & in omni tentatione eosdem mirificè exhilarat. Manna colore candidum & quoad materiam aut substantiam omnem purissimum erat: Ita Christus absque omni labe aut macula peccati homo factus est, neque inuentus est dolus in ore eius. Manna contundi & conteri solebat, vt cibus fieret: Ita Christus in cruce carnem suam pro mundi vita dedit, vt panis vitæ nobis esset. Manna toto illo tempore datum fuit, quo Israëlitæ per desertum peregrinati sunt: Ita Christus quoad in hoc sæculo peregrinamur, nos pascit & seruat. Manna cessauit, quàm primùm traiecto Iordane in terram promissam Israëlitæ venerūt: Ita vbi patriam cœlestem attigerimus, tunc Sacramentorum vsus & quæcunque nunc in Christo habemus fidei adminicula cessabunt, eò quòd ijs minimè opus erit amplius; quando Dominum facie ad faciem videbimus, & in eius vultu (vt Dauid ait) omni bonorum satietate fruemur. Vides ergo non temere dici à Paulo, patres eandem nobiscum escam spiritualem comedisse. Nam vt Manna Christum adumbrauit, ita hunc verè ederunt, quotquot promissiones Dei de illo datas fide vera amplexi sunt.

Psal. 16.

Porrò ne quid illis defuisse putemus, potum quoque eundem illos nobiscum communem habuisse ait, & expositionis loco subijcit: Bibebant enim ex spirituali, quæ ipsos sequebatur, petra: Petra verò

verò erat Christus,id est, Christum referebat, & eius erat figura siue typus. Historia habetur in Exod.cap.17.& in lib. Num.cap.20. Paulus autem petram illam Israelitas secutam aut comitatam fuisse scribit: nimirum quòd riuus aquarum ex illa manantium toto illo tempore castra eorum secutus fuerit. Ita enim fieri oportebat, cùm totum illud desertum neq; fluuios neq; fontes haberet, qui tantæ hominum atq; iumentorum pecorumúe multitudini sufficerent. Cæterùm hîc quoq; omnia cum Christo & salutis per hunc nobis exhibitæ beneficio optimè conueniunt. Primò enim petra Christi typus est, quo scriptura sæpe vtitur. Dauid certè eum lapidem dicit, qui etsi ab ædificantibus reprobatus esset, factus tamen sit caput anguli. Psalm.118. Apud Isaiam verò scribitur: Ecce ego fundo in Zion lapidem, lapidem probationis, angularem, pretiosum, solidißimum fundamentum, & qui credit in eum non pudefiet. Isa.28. Et ipse Christus de seipso dicit: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Rectè igitur Paulus petram hanc Christũ fuisse scribit. At petram percuti oportuit, vt aperto quasi vulnere aquas profunderet: ita Christus in cruce vulneratus sanguinem profudit, quo solo æstuantium conscientiarum sitis restinguitur. Et huc imprimis pertinet, quod Ioannes testatur, ex mortui latere, cum hoc quidam lancea perfodisset, sanguinem & aquam profluxisse. Vt autem riuus ex petra emanans toti Israelitarũ multitudini sufficere potuit: ita vnius Christi sanguis omnibus ad salutem sufficit, qui ex eo bibunt per fidem veram. Et vt non opus fuit petram illam quotidie percuti, eò quòd semel aperta iugi & indesinẽti aquarum scaturigine omnes recreabat: Ita Christus semel mortuus nos aßiduè recreat, neq; vt iterum moriatur, aut sæpius immoletur necesse est. Deniq; vt petra illa populum quasi comitabatur, & quòcunq; illos vocabat Deus, aquas præbebat largißimas: Ita Christus nobis per omnem vitam dux comesq; est, neq; vnquam eos suæ mortis fructu destituit, qui in Patris sui vocatione ambulant. Vt autem in Manna Christum perceperunt Moses, Aaron, Maria, Iosue, Chaleb, & quicunq; alij in promißionem Dei cum fide respexêre: ita in aquis illis ijdem sanguinis quoq; Christi participes facti sunt, & proinde eundem potum spiritualem nobiscũ bibisse dicuntur. Priusquam verò ad id accedamus, cuius causa hæc Paulus adducit, quædam hîc nobis consideranda sunt, quæ ad fidei nostræ institutionem plurimum faciunt.

Vna & eadem Ecclesia veterum & nostra.

Inter quæ primum occurrit, vnam & eandem esse Veteris & Noui testamenti ecclesiam, quam in Symbolo apostolico Catholicam dicimus, non solùm quòd omnium gentium atq; locorum credentes comprehendit, verumetiam quòd ad omnia secula tam elapsa, quàm præsentia & futura extenditur. Ad hanc enim pertinent Adam & Eua, quibus prima promißio data fuit, & quotquot promißioni huic ante natum Christum crediderunt. Eiusdem etiam ecclesiæ membra erunt, quotquot in posterum credent vsq; ad consummationem seculi huius. Et hæc verè dici, res ipsa indicat. Vna enim eademque salutis ratio in Veteri & Nouo testamento traditur: ea nimirum, quæ in CHRISTO IESV habetur, qui semen illud mulieris est, cuius virtute & merito caput serpentis conteri oportuit. Et vt in vtroq; illo vnus prædicatur: ita eundem tam veteribus quàm nouis Sacramentis adumbrari & proponi modò audiuimus. Adhæc vna & eadem est vtrinq; salutis percipiendæ via & ratio: fides nimirum, qua sola Christus apprehenditur, vt nobis salutifer fiat. Adde, quod ad eiusdem regni hæreditatem omnes vocamur, vt nimirum in cœlis accumbamus cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Neq; hîc eos audire conuenit, qui dum pro corporali carnis Christi manducatione contendunt, nostris Sacramentis plus quiddam contineri, & ipsam Christi carnem in illis realiter & substantialiter exhiberi atq; ore etiam accipi & manducari aiunt. Est enim hoc vanißimum effugium. Nam etsi in Nouo testamento magis perspicua sit salutis ratio, eò quòd vmbris sublatis Veritas nobis in Christi incarnatione & morte exhibita sit, quoad tamen salutem ipsam mutatio nulla facta est, neque nobis quoad rationem salutis plus tribuere poßumus, quando Paulus Patres nobiscum eandem escam spiritualem comedisse, & eundem potum spiritualem bibisse scribit. Et eòdem pertinet, quòd Christus in Apocalypsi agnus dicitur, qui immolatus sit ab origine mundi. Apoc.13. Cuius dicti non alia ratio affingi potest, quàm quòd sacrificij in ara crucis facti virtus ad primos vsque parentes extensa fuit, qui illud fide amplexi & eius merito seruati sunt. Et hæc causa fuit, quòd cum Christo clarificationis suæ specimen discipulis exhibente visi sunt Moses & Elias. Ita enim testari ille voluit, se eum esse, quem olim Lex &

Et quia pleriq; Corinthiorum Christiani nominis professionem & externum Sacramentorum Ecclesiæ vsum sufficere putabant, ex eo autē sibijpsis persuadebant, non multum peccare eos, qui amicitiæ & pacis colendæ ergô alienis etiam sacris cōmunicant: veteris Ecclesiæ, id est, Israelitarū exemplis errorem istū confutat. Ostendit enim illos olim eiusdem fidei professionem & eadē Sacramenta nobiscū cōmunia habuisse, veruntamen non placuisse Deo, sed miserabiliter in deserto perijsse, eo quòd professioni suæ minus responderint. Inde verò Corinthios colligere vult, quòd neq; ipsi seruādi sint, etiamsi Christum in Verbo suo loquentem & in Sacramentis suam gratiam nobis obsignantem habeant, atq; eundē ore profiteantur, si quoad fidem & reliqua vitæ officia Deo minus obtemperet.

Veterum exempla nobis applicat.

Cæterùm sciebat Paulus, Corinthios ista nequaquā agnoscere, quasi ad ipsos pertinerent: ideo apertius nunc agit, & Christianis omnibus applicat ea, quæ olim cum veteri populo gestā fuerunt. Hæc (inquit) typi nostri fuerunt. Typos vocat, quia Deus in illis, quæ cum Iudæorum patribus facta sunt, ceu in tabula quandam spectanda proponit, quæ eius sit voluntas, quæ item peccatorum atrocitas, & quas pœnas illa mereantur. Ita verò vno verbo eos confutat, qui illa tanquam nihil ad se pertinentia eludere aut reijcere conabantur. Debet autem hoc dictum nobis etiam aduersus omnes eos sufficere, qui hodie Manichaicum errorem instaurare satagunt, & scurrili dicacitate reijciunt, quæcunq; ex veteri testamento proferuntur. Sunt inter hos facilè principes Anabaptistæ, qui vt primùm veteris scripturæ authoritate atq; exemplis sese vrgeri sentiunt, mox clamant: Et quid ista ad nos, qui non Iudæi, sed Christiani sumus? Illis ergo respondeatur: Atqui ista typi fuerunt, & quidem nostri typi, in quibus nos spectare debemus quid fieri quidue caueri debeat. Rationes, quibus hoc probetur, in promptu sunt. Primò, illos olim Dei populum fuisse constat, & quæ cum ipsis egit Deus, ea non vt cum prophanis & abs se alienis egit, sed vt cum ijs, quos suum peculium sibi fecerat. Quia ergo illis tandem propter incredulitatem & contumaciā eorum rejectis, nos in illorum locum successimus, non possumus à nobis aliena putare quæ de illis dicuntur, nisi nos Dei peculium esse negare velimus. Deinde vt nuper diximus, eadem est salutis ratio omnium seculorum hominibus proposita: ea nimirum, quæ in promisso illo mulieris seminie continetur, IESV CHRISTO, qui idem est hodie, heri & in æternum. Adde his, quòd vt Deus æternus est, ita voluntas eius sibi semper constat, neq; eiusdem iustitia aut veritas mutatur. Frustra igitur effugia eiusmodi captant fanatici illi, qui sibi in Ecclesia quiduis licere volant. Obseruabis autem hoc Apostoli dictum ad omnia transferri debere, quæ ad religionem & vitam siue mores spectant. Noluit olim Deus Sacramenta quæ patribus dederat negligi, & scimus quàm infeliciter Mosi cesserit prætermissa filij sui circumcisio. Inde collige, peccare etiam eos, qui baptismum negligunt, aut in Cœnæ Dominicæ vsu remissiores sunt. Noluit item, vt Sacramentis veteribus nimiùm illi tribuerent, & extant acerrimi Prophetarum sermones aduersus eos, qui salutis spem in Circumcisione, diebus festis & sacrificijs collocarunt. Ergo nobis etiam nefas videri debet, externis signis ea tribuere quæ in sola Dei gratia & Christi merito quæri debent. Puniti sunt olim, qui neglecto spirituali cultu circa externas modò ceremonias occupabantur: Ergo neq; hodie pœnas effugient, qui prætermissis fidei veræ officijs, Deum ritibus quantùmuis magnificis colant. Extant præterea horrenda iudiciorum Dei exempla in homicidas, vsurarios, raptores, & alios horum similes, qui incurabili contumacia in sceleribus perrexerunt: Nemini igitur dubium sit, quin hodie etiam pœnas sint daturi, qui eadem faciunt. Hæc qui non oscitanter obseruant, ij multiplicem ex veteris scripturæ lectione fructum referent. At quia plena horum tractatio in infinitum progrederetur, Paulus selectiora quædam exempla producit, quæ ad Corinthios, ijsdem vitijs laborantes, imprimis pertinebant.

Heb. 13.

Concupiscentia mala caueatur.

Primum est: Ne concupiscamus res malas, sicut illi concupierunt. Debet hoc ad historiam referri, quæ in lib. Num. cap. 11. his verbis narratur. Vulgus promiscuum quod erat inter eos, concupiscentia exarserunt, & filij Israel fleuerunt, dicentes: Quis pascet nos carnibus? In mentem nobis veniūt pisces, quos comedebamus in Ægypto gratis: deinde & cucumeres & pepones, cepe & allia. Et nunc anima nostra arida est, nihilq; præter Manna oculi nostri vident. Fuit ergo hæc non vulgaris concupiscentia, sed eiusmodi, quæ & Ægypti atq; pristinæ conditionis desideriū in illis excitabat, & incomparabile panis angelici, quem illis Deus quotidie largiebatur, beneficium cum fastidio extenuabat.

extenuabat. Erat vtrumque hoc coniunctum cum ingratitudine, qua nihil magis aduersum est Deo, & quæ vitiorum agmina secum trahere solet, si semel hominum animis insederit. Probè autem conueniebat exemplum hoc Corinthijs, qui & ipsi immoderato gulæ studio & praua concupiscentia accensi ad nefarias idolothytorum epulas accedebant, eoque non obscurè testabantur, quòd nondum illos ex animo pœniteret prioris conditionis, neque etiam dignè adhuc æstimarent libertatis in Christo sibi factæ beneficium. Et consultò ab hoc ordiri voluit Apostolus, vt omnis mali fontem obturaret, quem in concupiscentia inueniri scripturæ docent, & ipsi in nobis quotidie experimur. Iacobus certè verissimè dixit: Vnusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Iacob.1. Et argumento nobis sunt oculi, qui si licentius circa res illicitas aut nihil ad nos pertinentes vagentur, latentem in nobis concupiscendi vim accendere solent. At hæc (vt idem Apostolus ait) postquam cõcepit, parit peccatum, & hoc quidem non simplex, sed quia animi humani cupiditas insatiabilis est, ad infinita extenditur, & nouis in singula momenta illecebris seipsam magis accendit. Id verò fieri non potest, quin simul donorum Dei præsentium nauseam quandam siue fastidiũ homo concipiat. Nam qui ista magni faciunt, & illis contenti sunt, ij ad aliena non facilè animum appellunt. Et hoc illud est, in quo Israëlitæ imprimis peccarunt. In eodem etiam hodie quàm plurimum peccatur quoad opes huius seculi, quoad cibos & palati delitias, quoad libidinem, honores & quæcunque alia sunt circa quæ hominum studia ferè versantur. Rectè ergo Paulus, ne Israëlitas imitati res malas concupiscamus admonet. Vbi plurimùm profuerit, si ante omnia in vnum Deum intenti, dona eius rectè æstimemus: quod tunc demum fiet, si nobis persuasum sit, nihil verè bonum & vtile esse, nisi quod ille dederit. Deinde vt vitæ nostræ conditionem probè expendamus necesse est. Ibi enim occurret, nos in hoc seculo peregrinos esse, patriam verò in cœlis habere, quo nobis per omnis generis prospera & aduersa eluctandum sit. Quod vnum si diligentius homo cogitet, mox videbit, stultos nimiùm esse eos, qui (vt de Vlyssis socijs Homerus scribit) loto huius seculi ita sese inescari patiuntur, vt cœlestis patriæ immemores fiant. Quòd si simul fluxa & instabilia esse cogitemus, quæcunque carni in hoc mundo magnifica videntur, haud facile nos eorum desiderio accendi aut detineri sinemus. Adde, quòd illorum cõcupiscentia noxia & exitialis est. Vt enim Israëlitæ cùm carnes adhuc intra dentes eorum essent, horribili clade mulctati sunt & locum illum suis sepulchris nobilitauerunt: Ita plerunque fit, vt quando ea iam assecuti videmur, quæ iniustè cõcupiuimus, Deus pœnas à nobis exigat, & publicum iræ eius exemplum fiamus.

Secundum exemplum ad idololatriam expressè refertur, de qua hîc Apostolus agit. Neque idololatræ sitis (inquit) sicut quidam eorum, vt scriptum est: Sedit populus ad edendum ac bibendum, & surrexerunt ad ludendum. Idololatria prohibetur. Extat historia hæc in Exod.32.cap. Narratur illic populum moræ, quam Moses in Dei colloquio ducebat, impatientia superatum, voluisse sibi Deos fieri, qui ipsis præirent in deserto. Collatis ergo in vnum inauribus & monilibus vitulum aureũ illis fecit Aaron, & festum diem indixit, quem sacrificijs publicis, conuiuijs item & ludis siue choris more gentium celebrauerunt. Plurimum autem seruiebat exemplum hoc ad confutandum Corinthiorũ rationes, quibus sese quoad epulas idololatrarum excusabant: & nobis etiam hodie non parum seruire potest diligens illius consideratio. Nam si Israëlitas spectes, nihil minus in animo habuerunt, quàm à vero Deo deficere, aut mutum atque inanimatum idolum colere: sed quia de Dei præsentia non rectè iudicabant, eius simulachrum habere volebant, quò minus de eius erga se voluntate dubitarent. Ideo cùm diem festum indiceret Aaron, clamabat: Cras erit dies festus Iehouæ. Deinde nihil hîc factum est priuato alicuius arbitrio, sed Aaronis summi Sacerdotis consilium secuti sunt, qui totius negotij dux & magister fuit. At nihilominus idololatras fuisse omnis Scriptura docet, & hoc in illis maximè accusat, quòd gloriam Dei immortalis commutarint cum effigie vituli aut bouis comedentis fœnum. Psalm.106. Conueniebant hæc omnia Corinthijs. Nam sciebant hi idolum nihil esse, neque Dijs gentium fictitijs aliquid tribuebant: & credibile est, ex doctorum suorũ consilio aut saltem consensu factum fuisse, quicquid ab illis fiebat. Nihilominus tamen illos etiam idololatris Paulus adnumerat.

Quo autem argumento id probat? Non alio, quàm epulis idolothytorum, quæ illi pro rebus medijs & indifferentibus habebant. Nam ex toto illo Israëlitarum facto solum conuiuium sacrum & qui hoc secuti sunt, ludos adducit. Sedit (inquit) populus ad edendum & bibendum, & surrexerũt Epulæ & ludi idololatriæ pars sunt.

ad ludendum. Quod illos ex gentium more fecisse, supra diximus. Nam etsi in populo Dei quoq; ex sacrificiorum aut victimarum carnibus epulæ solennes instituerentur, hoc tamen discrimen erat, quòd gentes in conuiuijs istis temperantiæ fines excedebant, & ijsdem ludos coniungebãt, in Diuorum suorum honorem institutos, in quibus multa fiebant petulanter nimis & libidinosè. Est enim hoc egregiũ diaboli stratagema, quòd cùm plerosq; mortalium ad voluptates & lasciuiam procliues esse norit, cultus quoq; fingit, in quibus omnis generis illecebræ & libidinis irritamenta obijciũtur, vt facilius multos irretiat. Quod hodie etiam in plerisq; Papistarum festis est videre, quæ tunc demum ritè peragi videntur, quando ebriosorum clamoribus, aleatorum proteruia, scurrarum & mimorum obscœnis dicterijs, saltantium deniq; & choreas ducẽtium inhonestis atq; indecoris gestibus omnia perstrepunt. Erant ergo cõuiuia illa & qui ea comitabantur ludi pars aliqua idololatriæ: & quia illis Corinthij intererant, Paulus idololatras esse docet, sicq; omnem illis excusationem eripit, cùm hoc ipsum facere eos ostendit, quod olim Israelitæ in vituli aurei cultu fecerũt, & quod ethnici omnes in suis sacrificijs atq; festis facere solebant. Itaq; locus iste generalem doctrinam continet, nõ à manifesto solùm & crasso idolorum cultu, verumetiam ab omnibus quæ hunc comitantur, & vniuersis idololatrarum studijs eos debere abstinere, qui fidei veræ professionem puram & syncerum retinere volunt. Polluuntur enim qui vel minima ex parte idololatrarum vel superstitionibus vel moribus communicant. Neq; etiam excusat aliquem vel animi intentio, vel antistitum aut principum authoritas, aut publicum exemplum. Nam vt impium est Deum fingere alium quàm in scripturis ille seipsum reuelat: ita idololatricum est omne illud, quod absq; Verbo eius instituitur. Vehementer autem huius loci authoritate confutantur quidam ex nostris, qui cùm Euangelicæ doctrinæ sectatores videri velint, Encæniorum tamen festis intersunt, in quibus eodẽ ordine omnia fiunt, quem in vituli aurei festo obseruatũ fuisse, Moses scribit. Quòd si illi viciniam, amicitias veteres et publicæ pacis studium prætexant, ego ijsdem rationibus olim Corinthios quoq; pugnauisse dicã: sed cùm eas minimè admiserit Paulus, nõ est quòd illi has vnquã apud Deũ ratas fore sibi polliceãtur.

Scortatiò cauenda Christianis.

Sequitur tertium exemplum, quod ita proponitur: Neq; scortemur, sicut quidam eorum scortati sunt, & ciciderunt vno die viginti tria millia. Rectè autem & prudenter hoc subijcit. Vt enim idololatriæ scortatio plerunq; coniuncta est, ita inter Corinthios hanc publicè regnauisse iam sæpe diximus, & periculum erat, ne multi libidinis œstro magis quàm aliquo religionis studio impulsi, ad superstitiones & idololatriam deflecterent. Historiam verò Moses in libro Numerorum Cap. 25. describit, cuius summa est, Moabitas & Madianitas, vt Israelem Deo inuisum facerent, ex Balaami consilio filias suas illis prostituisse: quarum lenocinijs filij Israel decepti, primò cum illis scortari cœperunt impudentissimè, mox autem cum ijsdem Baalpeor sacra fecerunt. Quo scelere Deus ita excanduit, vt principes quidem publicè suspendi, reliquos verò omnes publica authoritate trucidari mandauerit. In præsenti tamen solius scortationis Paulus meminit, quòd hæc tanti mali principium & causa fuisset. A Mose autem dissentire videtur in occisorum numero, quem ille viginti quatuor millium fuisse scribit. Sed facilè conciliari poterunt, si meminerimus in eiusmodi censibus sæpe millenarium totum poni, etiamsi nõ plenè perfectus sit, Paulum verò, ne Tragicè nimis loqui videretur, viginti trium millium numero fuisse contentum. Est autẽ hoc memorabile & imprimis horrendũ exemplum, quo omnem posteritatem Deus admoneri voluit, quàm graue & detestabile, quã multiplex deniq; sit scortationis scelus, quod vulgò plerisq; ludus iocusq; esse videtur. Cõfutat horũ sententiam vno verbo Hoseas propheta, quando scortationẽ cor hominis auferre ait, adeò nimirũ, vt non amplius mentis suæ compos sit, & proinde neq; velit neq; possit ea videre & intelligere, quæ ad ipsius honorẽ & salutem defendendam faciunt. Et videmus ferè omnem pudorẽ eos abstergere, qui huic vitio seruire semel in animũ induxerunt. Quid ergo aliud sequatur, quàm quòd nulla recti & honesti ratione habita in omnẽ turpitudinem scientes atq; volentes ruunt? Exemplum huius impudentiæ nimis euidens hæc ipsa historia in Zamri principe tribus Simeõ & Cosbi scorto Madianitico proponitur, quos in totius populi cõspectu ad explendum libidinem suã festinauisse, & in ipso scelere à Phinee sacerdote, quẽ zelus Dei accenderat, confossos fuisse Moses narrat. Accedit malo isti plerunq; cultus diuini prophanatio, quemadmodũ è contra idololatriam ferè scortatio & nefaria atq; incesta stuprorũ licentia sequi solet, vt non immeritò duo hæc scelera reciproca dici possint.

Hos. 4.

sint. Exempla in vtramq; partem occurrunt, quæ alibi commemorauimus. Imprimis autem perniciosum est, quòd semel admissa scortandi licentia breui temporis spatio latißimè serpit, sicuti in præsenti historia factum videmus. Intra paucos enim dies eò vsq; vagata est libido, vt tribuum & familiarum principes ferè omnes, & ex populo circiter viginti quatuor millia virorū hoc scelere sese polluerint. Vt enim segetibus iam ad messem maturis immissa flamma momento discurrit et proxima quæq; corripiēs indomito et præcipiti cursu totos agros populatur: ita cùm natura ad libidinē proclines sint homines, si data occasione semel exarserint, nullus licentiæ modus est, & in sceleris societatem abripiuntur quos minimè putes. Quæ causa est, quòd Deus licentiam istam semper non vulgaribus pœnis, sed horrendis & latè vagantibus exemplis puniuit. Pertinent huc ciuiū Sichemitarum miserabilis clades: Absolomica seditio & mox secutum prælium, in quo ciuilibus & fraternis armis millia multa perierunt: Beniamiticæ tribus excidium, & quæ paßim in omnium gentium historijs habentur. Constat enim vagas libidines multis potentißimis populis periculosißimas reipub. mutationes & regnorum euersiones peperisse. Debent in istorum consideratione diligentes esse principes Christiani, ne eorum consilia audiant, quibus ista ludus esse putantur, & qui neq; possibile neq; etiam vtile esse dicunt, vt scortatio legibus publicis prohibeatur. Est enim infelix nimiùm & plus quàm Tragicus ludus, qui tantorum malorum materiam præbet. Et videmus nequaquam intra scortationis limites consistere eos, qui huic semel indulgere cœperunt, sed paulatim ad stupra virginum, ad alienos thoros, ad incestus denique concubitus & his fœdiora progredi. Quòd si verò principum ignauia malum hoc eò vsq; viribus augeri patiatur, vt indomitum fiat, non tamen illud coercere impoßibile fuerit Deo, qui eius puniendi rationem facilè inueniet. Genes. 34. Iud. 19. 20. 2. Sā. 15. 16. etc.

Ne tentetur Deus.

Quarto loco de ijs agit Paulus, qui Deum aut Christum tentare non verentur, dicens: Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorū tentarunt, & à serpentibus perierunt. Deum tentare dicuntur, qui non contenti eius verbo & operibus, quibus se nobis reuelat, de eius voluntate aut potentia pro suo arbitrio periculum facere volunt, tunc nimirum credituri Deum esse bonum et omnipotentem, si hoc aut istud faciat, quod ipsi præscribunt. Fecerunt istud Israëlitæ non semel, & imprimis memorabile huius audaciæ exemplum dederunt, quando carnes sibi dari postularunt. De hoc enim Asaph in Psalmo 78. sic canit: Tentauerunt Deum in corde suo, cùm poscerent cibum animabus suis, id est, pro sua libidine & gulæ desiderio. Nam contra Deum locuti sunt, dicentes: Nū potest Deus mensam instruere in deserto? En petrā percußit, & effluxerunt aquæ, & fluuij inundarunt: nū & panem dare poterit? num parare carnes poterit populo suo? Quibus verbis apertè docet Spiritus sanctus, hoc peccato impiam quoq; beneficiorum & miraculorum Dei extenuationem contineri, quæ cum ingratitudine summa coniuncta sit. In præsenti tamen de eo agitur, quod Moses in cap. 21. libri Numerorum sic narrat: Et profecti sunt monte in Hor per viā maris Carecosi, vt circuirent terram Edom, & in via anima populi abbreuiata est, id est, præ laßitudine & tædio itineris animo defecerunt. Locutusq; est populus contra Deum & contra Mosem: Cur effecistis, vt ascenderemus ex Ægypto, vt moreremur in solitudine? Quia nec panem habemus, nec aquas, & animus noster cibum hunc vilem fastidit. Dominus igitur misit in populū serpentes vrentes, qui populum mordebant, & mortuus est ex Israële populus multus. Fuit ergo huius peccati origo ex impatientia, qua factum est, vt nō contenti diuinæ bonitatis testimonijs, quæ infinita & præclara habebant, plus quiddam postularent, neq; etiam expectare vellent tempus illud, quod quieti ipsorum Deus destinauerat, sed id quodammodo præripere aut anticipare vellent. Verè ergo Deum tentauerunt, & sub vno hoc scelere multa alia concurrisse videmus: impatientiam nimirum, ingratitudinem, sceleratum præsentium beneficiorum Dei contemptum, apertum murmur, inobedientiam deniq; & contumaciam. Itaq; quouis supplicio dignißimi fuerunt. Grauißime autem punitos fuisse constat, quando tam citò domita fuit eorum contumacia, vt ad Mosem supplices venirent, aduersus quem paulo ante tam impudenter murmurarant.

Iudæi Christū tentauerunt.

Porrò obseruatu dignißimum est, quòd Paulus Christum ab illis tentatum fuisse scribit. Rationem huius dicti D. Ambrosius hanc adducit: Quia is erat, qui cum Mose loquebatur. Quò etiam referri debet, quòd supra Christū petram dixit, quæ illos comitata fuerit. Is ergo fuit Angelus ille, qui Mosi apparuit, & qui iam inde ab origine rerum ecclesiæ suæ ducem & protectorem sese

præbuit. Est autem hoc euidens & irrefragabile diuinitatis Christi testimonium. Moses enim illos aduersus Deum murmurauisse scribit, & ipsi se in Iehoua (quod nomen Dei essentiale est, neq; vlli creaturæ communicatur) peccauisse fatentur. Id verò omne Paulus Christo tribuit, quod sine sacrilegio fieri nõ poterat, nisi is Deus sit, Patri coæternus & coessentialis. Et huius generis argumenta multa colligi possunt, si veteris testamenti scripturas cum Nouo non oscitanter conferamus.

Christus quomodo tentetur?

Interim meminerimus, hanc admonitionem imprimis ad nos pertinere, ne videlicet tentemus Christum. Faciunt hoc primùm, qui non contenti eius voluntate, quam nobis ille in terris agens reuelauit, & postea per Apostolos suos plenius exposuit, noua mysteria fingunt, & nouas quotidie salutis rationes comminiscuntur. Deinde qui nouos cultus instituunt, & iugum Legis rursus sibi aut alijs accersunt, quod per Christum auferri oportuit, quòd à nemine mortalium ferri posset. De hoc grauiter admodum Petrus in Hierosolymitana Synodo pronuntiauit aduersus eos, qui gentibus Circumcisionem obtrudere conabantur. At quid hodie frequentius fit, quando suis viribus & suorum operum meritis cœlum sibi acquirere docentur, qui ex semetipsis ne ad cogitandum quidem sunt idonei? Deum tentare diceretur, qui in altum euolare vellet, aut ex alto sese præcipitare. At quid aliud faciunt, qui cœlos ipsos conscendere conantur absq; Christo, qui solus via est & veritas? Sunt hi Icaro audaciores, & quemadmodum ille fecit, ita ipsi quoq; sua temeritate seipsos infames faciunt, & simul omnem suæ doctrinæ professionem proprio exitio nobilitant. Christum quoq; tentare dicuntur, qui eius bonitatem sua contumacia irritant, & eius fiducia (si modò hoc nomen meretur) ad peccandi licentiam abutuntur. Peccabant in omnibus istis Corinthij, cùm & nouos doctores audirent, & religionem Christianã externo splendore & propria dignitate metirentur, interim præcipiti licentia in omne scelus reuerent. Et hodie passim idẽ faciunt, qui Christianissimi dici & haberi volunt. Sed meminerint omnes isti, iam ipsis quoq; pœnas paratas esse à Domino. Permittuntur enim veteris serpentis potestati, qui venenatos morsus subinde inferens, nouis quotidie cupiditatibus accendit, quibus absumpti horribiliter pereunt. Remedium tanti mali vnicum & præsentissimum est, vt in vna Dei voluntate acquiescamus, de illius fide & bonitate nihil dubitemus, patientes simus in aduersis, & si quid humanum patimur, ad CHRISTVM IESVM recurramus, qui (quod olim in æneo serpente adumbrabatur) in crucem suffixus diabolum vicit, & salutem meruit omnibus, qui in ipsum credunt.

Actor. 15.

Non murmurandum.

Restat postremum exemplũ, quod his verbis Paulus proponit: Neq; murmurate, sicut quidã eorum murmurarunt, & perierunt ab Exterminatore. Murmur dicitur in hac causa, quando de Deo & eius gubernatione aut prouidentia homines queruntur. Est hoc homini propriũ, eò quòd natura impatientes sumus, si quid nobis præter animi voluntatem accidit. Peccarunt in hoc sæpissime filij Israelis toto illo tempore, quo per desertum peregrinati sunt. Quia verò hîc Exterminatoris meminit, videtur ad historiam seditionis per Cora & eius socios, Dathanum atq; Abiram, excitatæ respicere. Extat hæc diligenter descripta in lib. Numerorũ cap. 16. Causa seditionis & murmuris fuit ambitio, qua illi extimulati Mosem & Aaronem ex eo gradu deijcere conabantur, in quem eos Dominus euexerat. Astutè autem crimen hoc in Dei seruos transferunt, & se populi causam agere simulant, quem tyrannide illa semel liberari oporteat. Aiunt enim: Sat superq; vobis: equidẽ omnes in cœtu sancti sunt: & Dominus est in medio eorũ: cur efferimini supra cõgregationẽ Domini? Terruit hic illorũ conatus Mosem vehementer, quòd nõ ignoraret, quid inde nasciturũ esset, nisi in tempore adhiberetur remediũ. Itaq; magna cũ grauitate causam hanc egit, & Deus ipse nouo & inaudito prius exemplo istorum audaciã puniuit, vt nimirũ terra ipsis dehisceret, & viui descenderent ad inferos cum omnibus suis domesticis atq; facultatibus: Sed & ignis à Domino egressus viros, qui cum illis coniurauerant, ducentos quinquaginta absumpsit. At nõ potuit omnium contumaciam flectere tanti supplicij atrocitas, quin mox crastino die multi instaurato aduersus Mosem & Aaronem murmure dicerent: Vos interfecistis populũ Domini. Quare cùm res ad maiorem motum spectare videretur, mox sese interposuit Dominus, & cladem subitam immisit, qua breui temporis momento quatuordecim millia hominum & septingenti perierunt. Facta fuit hæc cædes per Angelum, quem Paulus in præsenti Exterminatorem nominat. Probè autem seruiebat exemplum hoc Corinthijs, qui & ipsi aduersus Paulum & fidos Christi ministros murmurabant.

rabant. Neq; minus nobis hodie seruit, quando peccatum hoc paßim regnat. Quàm multos enim est audire, qui aduersus Dei verbum murmurant, & ambitiosæ atq; intolerabilis tyrannidis eius administros accusant, si quid ex illo proferatur, quo suam petulantiam perstringi aut coerceri sentiunt? Quid verò de illis dicemus, qui (quod Prophetarum quoq; temporibus factum fuit olim) dicendi leges verbi administris audent præscribere? At omnibus istis non cum Dei seruis, sed cum ipso Deo lis est, qui causæ suæ nunquam deerit. Notum est enim illud Christi: Qui vos reijcit, me reijcit: qui autem reijcit me, reijcit eum qui misit me. Sceleratior autem est eorum impudentia, qui quas ipsi suis sceleribus meruerunt calamitates, verbo Dei & huius præconibus acceptas ferre consueuerunt: quod ipsum Israelitas quoq; in deserto non semel fecisse scimus. Et Ieremiæ quidam in faciem dicebant: Sermonem Domini, quem locutus es ad nos nomine Domini, non recipiemus, sed faciemus quicquid egreditur de ore nostro: vt suffitum incendamus machinæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, reges nostri & principes nostri in ciuitatibus Iuda & in plateis Ierusalem: tunc enim & alimento abundabamus, bene nobis erat, & malũ nullum videbamus: Vt primùm autem cessauimus suffitum incendere machinæ cœli, omnium sumus indigi, & ferro ac fame consumimur, etc. Agnoscis opinor hîc eorum verba, qui hodie priorem suam felicitatem nobis magnificè narrant, præsentis verò seculi calamitates Tragicè amplificant, causam verò istarum esse clamant mutationem doctrinæ & religionis, quæ ex verbi Dei præscripto facta est. Sed est hæc summa impietas. Nam qui ita sentiunt, ij Deum omnis mali authorem fingunt. Quid ergo ipsis quoq; aliud fiat, quam vt Exterminatori diabolo illos tradat Dominus? Discant ergo singuli exempla ista ad se transferre, & horum consideratione territi concupiscentijs prauis frænum iniciant, superstitiones & cultus illicitos fugiant, scortationi & impuritati omni longum valere renuntient, Deũ tentare desinant, & absq; murmure sese totos regendos præbeant Filio eius IESV CHRISTO, *quem ille nobis Regem & Sacerdotem vnicum æternumq; esse voluit. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Luc. 10.
Ierem. 44.

HOMILIA LI.

Hæc autem omnia typice eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt. Itaq; qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Tentatio vos non cœpit nisi humana: Fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis: sed præstabit vnà cum tentatione etiam euasionem, vt possitis sufferre.

QVàmuis Deus voluntatem suam nobis in Scriptura sancta abunde reuelet, & perspicuè omnia tradat, quæ nos tam in religione quàm vita & moribus instituere possunt, non tamen omnes fructum, quem debebant, inde referunt. Causa huius mali est, quòd pleriq; ea, quæ olim dicta & gesta sunt, nihil ad se pertinere putant, ideoq; dum scripturas legunt vel audiunt, curiositati potius suæ indulgent, quàm vt ea discere studeant, quæ ad salutem necessaria sunt cognitu. Est ergo diligenti consideratione dignißima prima huius cap. pars, qua Paulus veterum Israelitarum exemplis Corinthios dehortari instituit, ne cum idololatrarum sacris aliquid commune habeant. Nam vt id maiori cum fructu faciat, diligenter ostendit veterum exempla ad nos pertinere, eò quòd eadem illorum religio fuerit, quæ nostra est, quodq; in suis Sacramentis eundem Christum fide perceperint, quem nos in nostris habemus.

At non poterat ignorare, difficulter hoc omnibus persuaderi, & frequenter fieri, vt qui optimè de religione & toto humanæ salutis negotio sentire videntur, minus tamen animum attendant ijs, quæ de veterum rebus gestis dicuntur. Ideo quod nuper dixerat, nunc repetit: Hæc autem omnia typicè eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt. Typos siue figuras vocat, quæ vulgò exempla dicuntur. Et ita olim locum istum Tertullianus interpretatus est. Quod propter phanaticos quosdam admonemus, qui quæcunq; de veteribus

Veteris testamenti exempla nobis seruiunt.
Lib. 5. contra Marc.

scribuntur, ea vmbras solammodò & typos eorum, quæ posteris demum temporibus reipsa impleri aut perfici debuerint, fuisse contendant: inde verò aliud magis absurdum colligunt, veteres neq; veram Dei Ecclesiam fuisse, neq; cultum habuisse aut Sacramenta, quæ Deo probarentur. Ex quo tertius quoque error deriuatur, non deberi ex veterum historijs argumenta aut exempla peti eorum, quæ hodie post Christum exhibitum in Ecclesia & religione fieri debent. Et hoc effugio Anabapistæ ferè vtuntur. Si enim ad asserendum baptismum infantium Legem Dei de masculis octauo die circumcidendis adducas, & inde colligas baptismum, qui in Circumcisionis locum successit, paruulis negari non debere: aut si Israelitarum patres vnà cum suis infantibus baptizatos fuisse dicas, quando nube tecti per maris rubri alueum euaserunt: mox illos vociferari audies: Hæc omnia vmbræ & typi fuerunt, & ideo ad nos minimè pertinent, quibus veritas ipsa in Christo exhibita est. Atqui fatemur nos quoq; ista Israelitis typos & figuras fuisse beneficiorũ, quæ præfinito tempore Christus collaturus erat: at typi isti non inanes fuerunt, qui præter vmbram aliquã nihil continerent. Nam vt promissiones de Christo & salute humani generis per hunc instauranda habuerunt veras & minimè ambiguas: ita promissionum istarum sigilla quoq; vera fuerunt, quæcunq; in toto illo cultu Leuitico fiebant, vt iam de alijs, quæ extraordinariè facta sunt, nihil dicamus. Et in ijsdem illos eundem Christum nobiscum percepisse, Paulus supra verbis disertis docuit. Nam qua fide Abrahamus Christi diem vidit, eadem posteri quoque eius illum viderunt & complexi sunt. Quæ omnia cùm verè & reipsa facta sint, illos quoq; Ecclesiam Dei veram fuisse nemo negauerit, nisi qui cum ratione insanire volet, aut tempus aliquod fingere, quo nulla prorsus Ecclesia fuerit. Rectè ergo Apostolus asserit, hæc ita cum patribus gesta fuisse, vt simul Deus exempla publica proposuerit, ex quibus tota posteritas disceret, quid fieri quidue caueri debeat ab ijs, qui Ecclesiæ dignitatem tueri, & pœnas incredulis atq; immorigeris iam olim constitutas declinare cupiant. Et ideo expositionis loco addit: Scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt.

Mundi ætates.

Fines seculorum dicit nouissimam mundi ætatem, quæ aliâs nouissimum tempus, aut nouissima hora dicitur. Vt enim homo certos ætatum gradus habet, per quos ad suæ vitæ finem decurrit: ita mundus quoq; aut totum illud mundi tempus, in ætates certas potest distingui, & singularum tam initium quàm finem ex scripturis possumus colligere. D. Augustinus ætates sex numerat, dierum numerum secutus, quibus cœlum terramq;, & quæ his continentur, Deus condidit. Primam ab Adamo ad Noa siue diluuium extendit, quam infantiæ confert. Secundam à diluuio ad Abrahamum vsq; quam pueritiam dicit. Tertiam ab Abrahamo ad Dauidem, quæ adolescentia mundi ipsi esse videtur. Quartã à Dauide ad captiuitatem Babylonicam, quæ virili ætati respondeat. Quintã à captiuitate illa vsq; ad Christum. Inde sextam numerat, quæ finem habeat ipsam seculi huius consummationem, & quam sequatur æternum illud Sabbatũ, in quo electi quiete et gaudio cælesti in æternum fruentur. Mihi tamen videtur totum mundi tempus secundùm insigniores, quæ in illo facta sunt, mutationes, commodius & simplicius in quatuor solùmmodo ætates posse diuidi. Quarum prima annos mille sexcentos & quinquaginta sex contineat, qui ab origine rerum ad diluuium vsq; effluxerunt. Hanc verè possumus mundi infantiam vel pueritiam dicere, quia & artes tunc primùm inuentæ sunt, & primis promissionibus de salute instauranda pij contenti, Deum quoq; ritu simplicissimo coluerunt. Secunda à diluuio ad Legis promulgationem vsq; extenditur, quam non immeritò adolescentiam mundi dixeris. Tunc enim homines longè lateq; per omnes terras diuisi, & gentium termini constituti sunt: tunc respub. cœperunt, & primæ Monarchiæ initium factum est: tunc deniq; fœdus salutis cum Abrahamo instaurauit Deus, Messiæ genus & stirpem designauit, & futuræ vniuersalis redemptionis exemplum in liberatione populi sui ex Ægypto exhibuit. Tertiam ætatem Christus ipse ad suum vsq; in carnem aduentum extendit, dicens: Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum Dei anuntiatur. Fuit hæc mundi virilis ætas: quia tunc Dei voluntas scriptis compræhensa est, promissiones ceremonijs pluribus obsignatæ & Prophetarum vaticinijs illustratæ sunt. Et vt ætatem virilem labores & pericula grauiora comitantur: ita illud quoq; tempus multas grauissimasq; regnorum mutationes & totius orbis motus horribiles habuit. Sequitur hanc quarta ætas, quæ Filium Dei in carne manifestatum vidit, &

Lib. 1. de Genesi contra Manich. cap. 23.

Vide Micheam nostrum homil. 10.

quæ ad

quæ ad finem seculorum vsque durabit. Hanc nouissimam horam (vt supra quoque annotauimus) & plenitudinem temporis Apostoli vocant, eò quòd impletis iam omnibus quæ de humani generis redemptione olim promissa & prædicta fuerunt, nihil restat præter postremum Christi aduentum, qui toti huius mundi machinæ finem imponet, atque conditionem omnem præsentis sæculi prorsus abolebit. Senectuti autem rectè confertur, quia vt senibus diuturnioris vitæ spes nulla esse potest, cùm & non procul absint à fine vitæ, & cursum suum assiduis curis, morbis & omnis generis molestijs accelerari sentiant: ita de mundo toto nihil porrò nobis possumus polliceri, quòd aut diu duraturus, aut eius conditio in melius commutanda sit, cùm in peius quotidie proficiat, adeoque in proprium exitium præceps ruat. De Hoc tempore Paulus in præsenti loquitur, & nos hæc diligentius annotamus, quia multum prodest frequenter cogitare, nos in fines sæculorum incidisse. 1.Ioan. 2. Gal. 4.

Primùm enim admonet, ne offendamur mundi improbitate, nequitia, turbis, & periculosis omnium ferè populorum atque rerumpub. mutationibus. Cur enim his offendamur, de quibus nos iam pridem Christus admonuit? Eius certè verba sunt de temporibus hisce: Multiplicabitur iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Et cùm venerit Filius hominis, num reperturus est fidem in terra? Item: Audietis bella & rumores bellorum, videte ne turbemini: oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Surget enim gens in gentem, & regnũ in regnũ: & erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus in singulis locis. Hæc autem omnia principium sunt dolorum, &c. Idem verò in tantis malis eam inter homines securitatem regnaturam testatur, quam olim Noæ & Lothi temporibus regnauisse Moses scribit. Cur ergo alicui nouum videatur, si quid huius hodie euenit? Aut cur miramur, si mundus hic iam senescens quotidie nouis vitijs laboret? Inter nos senectus ipsa morbus est, & quæcunque in rerum natura sunt, vetustate deteriora fiunt, & nos de mundo nobis aliquid melius pollicebimur, qui & Satanam principem habet, & totus in malo iacet, vt Apostoli verbis vtar? Deinde nos ad vigilandum excitare debet ista consideratio. Quia enim hæc nouissima hora est, nescimus quando venturus sit Dei filius, ad cuius tribunal nos omnes sisti oportet. Procul certè abesse non poterit, cùm iam pridem pleraque impleta sint, quæ de signis nouissimum eius aduentũ præcessuris Spiritus sanctus prædixit, & quæ adhuc reliqua sunt quotidie impleantur. Semper ergo in auribus nostris sonet vox eius: Vigilate, nescitis enim quando dominus veniet, serò, an medio noctis, an in gallicinio, an mane: Ne cùm veniret repentè, inueniat vos dormientes. Quæ autem dico vobis, omnibus dico: Vigilate. Præterea consolationem quoque efficacissimam hinc petere licet, quando cogitamus, hæc quæ impijs & spem melioris vitæ ignorantibus terrorem incutiunt, mundi ad suum finem properantis indicia esse. Ex eo colligimus, neque diuturna esse posse mala, quibus nunc exercemur, neque nos procul à portu abesse, in quo quies nobis sempiterna obueniet. Ideo Christus dicebat: Cùm hæc fieri incipient, suspicite, et attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Ad cuius promissionis confirmationem facit, quod idem alibi ait, dies illos nouissimos decurtandos fore propter electos. Luc. 21. Matth. 24. Fines sæculorũ vt considerari debeant. Matth. 24. Luc. 18. 1.Ioan. 5. Mar. 13.

Imprimis autem proderit vsum scripturæ sacræ obseruauisse, quem nobis Paulus hoc loco mõstrat. Hæc enim non propter eos data est, qui iam olim mortui sunt, priusquam Moses historiam sacrã literis mandaret (quid enim ad illos vtilitatis inde redeat?) sed propter nos qui in viuis sumus, & quibus illa legere vel audire datur. In quem verò finem data est? Ad nostri admonitionem. In Græco νουθεσία scribitur, quæ eiusmodi admonitionẽ significat, quæ mens ipsa excitatur, vt de ijs quæ dicuntur diligentius cogitet, & ad se omnia transferat, ijsq; ad doctrinam & vitæ institutionem vtatur. Itaque vno verbo hîc dicit Paulus, quod alibi pluribus explicat. Nam ad Romanos Cap. 15. sic scribit: Quæ ante scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiã & consolationẽ Scripturarũ spem habeamus. Et in posteriori ad Timotheũ Cap. 3. Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. In præsenti autem temporis circumstantia bonitatem Dei vehementer commendat. Est enim hoc singulare beneficium, quòd qui sciebat quæ aliquando futura esset rerum conditio Vsus Scripturæ sacræ.

nobis priusquam essemus antidotum parauit, & de singulis admonuit, ne quid improuisum nobis accideret. Adde huic aliud, quòd nimirum scripturæ sacræ libros inter tot tamq; graues orbis terrarũ mutationes non sine miraculo in hunc vsq; diem seruauit, & eosdem in omnes linguas transferri voluit, ne aliqua gens per ignorantiã perire posset. Cœpit hoc fieri anno ante natum Christũ ducentesimo sexagesimo septimo, quando Ptolemæus Philadelphus, Ægypti rex, Hierosolyma accersiuit Septuaginta interpretes, vt Veteris testamenti libros, quibus historiam certam rerum ab ipsa mundi origine gestarum contineri audierat, Græco sermone redderent. Instruxit Rex ille bibliothecam totius mundi celeberrimam, in quâ septingenta millia librorum fuisse historici tradunt. At illa post annos ducentos viginti quatuor tota flammis exusta in cineres abijt, & cùm tunc prorsus interierint infiniti scriptores, quorum opera tot reges & principes seruata voluerunt, non tamen perierunt Mosis & Prophetarum libri, qui iam Græcè loquentes multorum passim manibus terebantur. Quòd si simul cogites, quàm multi libros istos abolere conati sint olim, & quàm multi potentia & authoritate graues hoc ipsum hodie conentur, fatearis oportet, diuino numine eos conseruari & indies per omnes linguas magis atq; magis diffundi.

Scriptura S. quomodo legenda?

Admonent nos ista, vt tantum Dei beneficium agnoscamus, & in legendis scripturis simus diligentes. Id verò tunc demum cum fructu fiet, si ea in illis obseruemus, quæ ad nostram institutionem atq; admonitionem faciunt: non autem curiositati nostræ indulgendo circa ea occupemur, quæ nihil ad nos pertinent. Peccant in eo, qui prophetarum oracula altius scrutantur, & ea ex illis eruere volunt, quæ nos scire noluit Deus, & quorum cognitio non inutilis modò, sed etiam noxia nobis esset. Nostrum fuerit in hoc incumbere, vt ad vitæ vsum transferamus, quæ nos Scriptura docet. Quòd si quæ occurrunt obscuriora, & quæ de rebus futuris potius quàm præteritis aut præsentibus dicta videntur, tunc meminerimus, prophetias (quod Augustinus quoq; monuit) citius impleri, quàm intelligi. Quòd si opus erit vt quæ prius nos latebant intelligamus, non deerit nobis suo tempore Spiritus Domini, cuius reuelationem nos pio & obsequenti animo expectare decet. Interim sufficit vnus hic locus aduersus omnes phanaticorum clamores, qui Vetus testamentũ nihil ad nos pertinere contendunt. Hos enim Paulo palàm contradicere notius est quàm vt demonstrari oporteat. Confutatur præterea eorum tyrannis & audacia, qui laicos (vt ipsi loquuntur.) à lectione scripturarum arcent, & has in vulgares linguas transferri nolunt. Sunt hi generis humani hostes nocentißimi. Dum enim doctrinam verbi Dei eripiunt miseris, simul authores sunt, vt multi in ignorantiæ tenebris incerti rerum oberrent atque pereant. Quod enim de Sadducæis Christus dicit, Erratis ignorantes scripturas: hoc ipsum de omnibus dicitur, qui absq; harum cognitione aliquid instituunt.

Applicat veterum exempla Corinthijs.

Sed ad Paulum redeamus, qui exempla, quæ nuper recitauit, suo instituto & causæ præsenti applicat, dicens: Itaq; qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Stare sibi videbantur, qui (vt cap. 8. audiuimus) inani scientiæ plenioris fiducia turgidi, se eò vsq; profecisse putabant, vt quamuis ad idololatrarum sacra accederent, & eorundem epulis atq; ludis interessent, nihil tamen læderentur quoad fidem & conscientiam. Admonet ergo eos, ne ista persuasione seipsos decipiant, sed cogitent potius, quid multis acciderit alijs, & quòd cùm homines sint, nihil humanum ab ipsis sit alienum. Quare sensus verborum est: Scio quæ sit quorundam inter vos fiducia, qui nihil minus animo cogitant quàm quòd à fide deficere, aut in idololatriam prolabi velint. Nam ad constantiam fidei se plus satis instructos esse sibi persuadent. Sed velim illos in Isrælitarum exempla propius intueri. Annon enim hi quoq; sibi stare visi sunt? Neq; id immeritò. Etenim Isrælem filium Dei primogenitum esse, & se Dei peculium & regnum sacerdotale dici audiebant. Fuit præterea in illis non vulgare fidei argumentum, quòd Mosem & Aaronem in re difficillima secuti sunt, quòd sese cum vxoribus, paruulis liberis et senibus decrepitis itineri commiserunt ignoto, laboris pleno & cuius finem nemo vnquam viderat: quòd deniq; pendentes vtrinq; in sublime surgentium aquarum parietes subierunt. Adde his tot diuinæ virtutis & præsentiæ testimonia, Legis promulgationem maiestatis & horroris plenam, tot sacra & ritus, quæ singula eos in officio continere poterant, si animum attendere voluissent. Verumtamen quando rerum securi, suæ carnis cupiditatibus obsecuti sunt, hæc & alia infinita eis acciderunt, quæ modò commemorauimus. Ne ergo vos sitis confidentiores: sed

tiores: sed vigilate diligenter, & salutem cum timore & tremore operemini, neq; vos eam aliter retinere posse cogitetis, quàm si ab omni etiam specie mali abstineatis.

Continet ergo locus iste generalem doctrinam, ne quis sibijpsi aut viribus suis confidat, aut propter præsentem rerum suarum statum sibi in posterum quoq; omnia tuta polliceatur. Hinc enim securitas nascitur, quæ nos diaboli insidijs exponit, & quæ sæpius præstantißimis Dei seruis nocuit, vt in Dauidis & Petri exemplis videmus. Vt enim in bellis victoriam, quæ iam in manibus est, amittere solent, qui securiores & remißiores facti hostibus rei gerendæ occasionem præbent: ita plerunq; præter omnem expectationem diaboli artibus prosternuntur, qui aduersus omne genus tentationis inuicti stare putabantur. Quid verò de priuatis hominibus dicere opus est, quando totis ecclesijs idem accidit? Nam si omnium seculorum historias euoluamus, Ecclesiam omni tempore plus damni ex otio quam ex persecutionibus accepisse patebit. His enim ad ardens defendendæ veritatis studium omnes accenduntur, vt preces & omnes vires coniungant: illo autem plerisq; non modò remißiores fiunt, verumetiam æmulatione abrepti contentiones & dissensiones intestinas mouent, quæ certum ecclesijs exitium pariunt. Semper ergo meminerimus quæ nostra conditio sit. Carnem infirmam & ad lapsum procliuem esse Christus ipse testatur, vtut spiritus ad officium omne promptus & velox sit. Accedit huic intestino malo Satan, qui quiescere non potest, sed Leonis rugientis instar oberrans indesinenter quærit quem deuoret. Opem huic fert infelix mundus, qui varias tentationum species per secunda simul & aduersa nobis obijcit. Quæ omnia cùm in semetipsis omnes experiantur, debet nos excitare horum consideratio, ne vnquam somno aut securitati locum demus. Nunquam enim extra teli iactum sumus, quoad in hac carne viuimus: sed huius demum vinculis solutos beatæ immortalitatis portus excipit.

Securitas & confidentia prohibetur.

At hîc obseruabis interea, locum istum nequaquam ijs patrocinari, qui hominem de gratia Dei & propria salute, quoad hic viuit, certum fieri posse negant. Quæ doctrina vt diuinæ electionis certitudinem euertit: ita hominum fidem vehementer labefactat, & infirmis in fide desperationis argumenta suggerit, illis autem admodum quæstuosa est: quia hac territi infelices, ad illorum opem confugiunt, & vt ipsorum precibus atq; meritis post mortem quoq; iuuentur, illos magno pretio conducunt. At nihil huius docere voluit Apostolus qui alibi salutem nostram certam & nulli periculo iacturæ obnoxiam esse demonstrat. Facile autem fuerit istorum fallaciam deprӕhendere, si inter fiduciam distinguas, quam in salutis negotio homines concipiunt. Alia enim Dei promißionibus & gratia nititur, quam reuera sanctam & salutarem, adhæc certam minimeq; fallacem dicere possumus. Concipi autem hæc non potest ab hypocritis & carni addictis, sed à solis electis, qui fide supra omnem hominis sensum euecti, gratiam Dei verè degustant, & eius dona ἀμεταμέλητα, id est, eiusmodi esse agnoscunt, quorum Deum nunquam poßit pœnitere. Ideo pleni fiducia cum Paulo clamant: Quis nos separabit à dilectione Dei, &c. Fiducia autem ista nō securitatem parit, sed potius diuinæ gratiæ sensu ita inflammatur, vt maius pietatis studium concipiat, neq; velit ab illo Deo hominem separari, in quo eum viuere & seruari sentit. Altera fiducia est, qua proprijs viribus & suorum operum dignitate atq; meritis homines nituntur, quæ confidentia potius dici debet, eò quòd ex inani opinione concepta animum inflat, & exitiali illa securitate implet, de qua paulò ante diximus. Et hi sunt, de quibus in præsenti Paulus loquitur. Hi enim sibijpsis videntur stare, cùm reuera non stent, sed ex cereis plumis, instar Icari inter cælum & terras pendeant: quæ etiam causa est, vt quò sublimius efferuntur, eò grauiori lapsu ruant. Quia verò persuasio ista interdum apud electos quoq; locum inuenit, ex cognato ipsis carnis vitio, vt ab ea sibi caueant, Apostolus admonet. At Sophistæ nostri extra septa salientes, admonitionem istam ad sanctam illam fiduciam transferunt, & bis impij sunt, dum & Dei gratiam euacuant, & electos salutari illa gloriatione exultare prohibent, quæ sola in tentationibus inuictos, & toti mundo atq; principi eius admirandos reddit. Cæterùm omissis impostoribus illis, hoc potius obseruemus, quòd si admonitione tam graui opus habent, qui tam sibijpsis quàm alijs videntur stare, quid cum illis agendum erit, qui ne stant quidem in speciem, sed iampridem diffidentiæ & cupiditatum telis confossi iacent, & per omne scelus voluntantur? In horum censu sunt auari rapto-

De gratia Dei non est dubitandum.

res, quos totos sibi Mammon vindicauit: ebriosi canes, qui se totos Baccho consecrarunt: scortatores item improbi, quibus Venus nefaria animũ abstulit: quotquot deniq; absq; pœnitentia in peccatis pergunt. His altiori tuba propheticas illas comminationes intonare oportet: Audite cæli, ausculta tellus, quoniam Dominus loquitur. Filios educaui & euexi, ipsi autem perfidè defecerunt à me. Heu gentem scelestam, populum iniquitate onustum, semen malitiosum. Frons mulieris meretricis facta est tibi, renuisti erubescere. Num sic cadunt homines vt non resurgant? Num sic aliquis deflectit, vt non redeat? Qui fit ergo vt isti auertantur auersione tam pertinaci? &c. Hæc (inquam) & alia huius generis merentur multi nostro seculo, qui tamen omnem seueriorem disciplinam fastidiunt.

Isa. 1. Ierem. 3. & 8.

Cõsolatur eos, qui veterum exemplis terreri poterant.

Porrò ne horribili illa & graui exemplorum veterum commemoratione territi, de venia & salute propria desperarent, consolationem subijcit, qua eos in certam salutis spem erigit. Est hoc boni doctoris officium, vt (quod de Deo ipso scribitur) sic vulnera infligat conscientijs securis & confidentibus, vt simul medicinam & μαλάγματα adhibeat ijs, quos iam territos & de gratia Dei solicitos esse videt. Hoc olim Nathanum, Isaiam & reliquos prophetas fecisse scimus. Sunt autem Consolationis partes duæ, quarum prior admissorum scelerum condonationem pollicetur, altera in futurum illis spem facit, ne quid grauius metuant. Primam his verbis absoluit: Tentatio vos non cœpit, nisi humana: Id est, nihil vobis accidit, quàm quod hominibus omnibus accidere solet, & cuius quotidiana sunt exempla. Humanum enim est errare, mundi insidijs circumueniri, & à carnis securitate opprimi. Hæc enim omnia sanctißimis quoq; Dei seruis accidisse constat, quorum non vulgares lapsus in Scripturis leguntur. Videte modò, vt excusso errore in viam redeatis, & salua vobis erunt omnia.

Consolatio vt peti debeat ex communi hominum sorte.

Sunt verba hæc nobis diligentius consideranda. Docent enim vt nostræ consolationi seruire debeat communis hominum sors, quoad peccata & pœnas peccatorum. In peccatis quidem Satan ferè nos ad desperationem adducere conatur, dum Deum nobis fingit durum & inexorabilem, simulq; eorum exemplis nos territat, qui in suis peccatis mortui miserè perierunt. At tunc ad aliorum exempla respicere proderit, & quidem sanctorum imprimis, qui & ipsi interdum carnis suæ desiderijs superati peccarunt. Ita videbimus nobis nihil quàm quod humanum est accidisse, & ex eo spem veniæ concipiemus, quæ mox confirmabitur, si diligentior promißionum Dei & meriti Christi consideratio accedat. Rursus, si quando aduersis nos exerceri contingit, similiter impatientiæ stimulis nos diabolus exagitat, vt nos omnium mortalium miserrimos & ipsi Deo inuisos esse clamemus. Sed tunc quoq; nobis in mentem veniat, tentationes eiusmodi humanas esse, & quam multi eadem, aut etiam his grauiora patiantur videamus: & sic facilè patebit, nos iustam de Deo quiritandi occasionem nullam habere. Posset hæc doctrina latißimè diduci. At hodie in vtramq; partem peccatur. Alij enim vt scelera sua excusent, humanum quidem esse dicunt errare: sed ex eo colligunt, sibi nunquam in viam redeundum esse: quod iam non humanum, sed diabolicum censeri debet. Alij verò solis ijs intenti, quæ ipsi patiuntur, de alijs hominibus nunquam cogitant: quæ perpetui murmuris & impatientiæ inexcusabilis causa est.

Deus non sinit nos supra vires tentari.

Sed alteram quoq; Consolationis huius partem videamus, quam sic proponit: Fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis: sed præstabit vnà cum tentatione etiam euasionem, vt poßitis sufferre. Quibus verbis hoc dicere videtur: Quòd si quid grauius vobis posthac accidat, tamen ne tunc quidem vos animum despondere velim, sed in Dei naturam siue ingenium respicere. Est enim is fidelis, & proinde non sinet oneribus vos vllis grauari, quæ vestras vires superent. Compræhendit paucis hisce verbis Apostolus, quicquid de tentationibus aut afflictionibus qualibuscunq; dici potest. Primùm de authore illarum admonet, quando dicit: Deus nõ sinet vos tentari. Ergo nihil nobis accidere poterit, nisi ita volente aut permittente Deo, cuius prouidentia res omnes gubernantur, qui capitis quoq; nostri pilos numeratos habet. Quod vnum si obseruent homines, iam neq; terrebuntur afflictionibus, neque aduersus Deum insolentius murmurabunt. Mox enim occurret, quod hic de Deo Paulus pronuntiat, Fidelem scilicet esse. Qua voce non solùm veracem esse ostendit in promißis, sed fidum quoque suorum custodem atque tutorem. Et hanc Dei fidem David in Psalmo 103. pulchre describit: Vt pater miseretur libero-

rum, ita Deus miseretur timentium ipsum. Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quod simus puluis. Et ipse Deus apud Isaiam dicit: Num obliuioni tradit mulier infantem suum, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar. Ecce in manibus istis ambabus insculpsi te, &c. Quò etiam pertinet, quod per Zachariam clamat: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Argumentum autem huius fidei & amoris plus quàm paterni (vt infinita alia transeamus) cumprimis euidens est, quòd ne Filio quidem suo vnigenito pepercit, sed pro nobis eum tradidit, nosque eius fecit cohæredes. Ex hoc autem duo colligit Apostolus. Primum, quòd non supra vires nos tentari sinat. Quod ab illo verissimè dici, frequenter ipsi experimur, in morbis maximè, qui interdum eò vsque augentur, vt vires nos deficere videantur, sed tunc aliquam respirandi occasionem Deus ferè ex improuiso offert. Errant ergo, qui in suis viribus explorandis siue ponderandis curiosiores sunt, si quid ex Dei mandato est faciendum. Debet quidem illud fieri, si quid proprio animi motu aggredi volumus, ne idem nobis quod Miloni Crotoniatæ eueniat. At si quid Deus iubet aut imponit, certò nobis persuasum esse debet, illum vires nostras non ignorare, nosq; nouis viribus armaturum esse, si oneri succumbentes videat. Itaque si quando nos grauiori tentationum pondere grauari sinit, nostro bono illud facit, vt propriæ infirmitatis sensu territi ardentiores ad illum preces fundamus, & in posterum minus simus confidentes. Alterum est, quòd cum tentatione faciat euasionem, vt & onus impositum sustinere, & cum illo ad metam nobis propositam euadere possimus. Ergo modum quoque tentationibus nostris Deus statuit, ne diutius quàm par est illis premamur. Vbi meminisse prodest, nos singulis momentis ad finem tendere, Deo item infinitas esse rationes, quibus viam euadendi nobis aperiat, etiamsi nos nullam cernere possimus. Qui enim per medium mare olim populum suum educere potuit, is nos quoque per morbos, famem, gladios & ipsam mortem in tutum potest collocare. Quid, quòd non rarò hostium opera in suis seruandis vtitur? Dauidem certè per Philisteos è Saulis manu liberatum fuisse legimus, cùm nulla alia effugij via pateret. Et huc pertinet, quod in Apocalypsi scribitur, de terra, quæ fluuium absorbuit, quem draco euomuerat, vt Ecclesiam abriperet atque extingueret. Fit hoc, quando homines terreni & carnales hostium Ecclesiæ consilia turbant, & eorundem vires frangunt, non quidem iuuandæ veritatis studio, sed suis affectibus ducti. Sic olim Parthi multas ab Ecclesiæ ceruicibus persecutiones remouerunt. Et nostro seculo quot flumina impiorum, qui aduersus veritatem conspirauerunt, vel Turcarum subitæ irruptiones, vel inter ipsos coniuratos exorta bella absorbuerunt? Debet horum consideratio nos excitare, vt tam fideli Deo ipsi quoque fideles simus: deinde constantes reddat in tentationibus, neque de euentu dubitemus. Ita enim afflictionum IESV CHRISTI socij efficimur, vt cum eodem olim regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Isa. 49.

Zach. 2.

Apoc. 12.

HOMILIA LII.

Quapropter dilecti mei, fugite ab idololatria. Vt peritis loquor, iudicate vos quod dico. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnũ corpus multi sumus: nam omnes ex vno pane participamus.

Diligenter & prolixè Paulus aduersus eos disputat, qui ad superstitionem institutis idololatrarum epulis communicabant. Et vt maiori cum fructu disputationem perficiat, ab eorum argumentis exorsus est, quibus illi factum suum tuebantur. Præcipuum hîc erat, quod absque conscientia idoli & nulla superstitiosa opinione imbuti accederent, ideoq; carnibus illis non aliter quàm vulgaribus & prophanis vescerentur. Alterum, quòd hoc omne facerent amicitiæ & pacis conseruandæ studio, ne ciues suos & Romanos magistratus irritarent, sed his omnibus magis

propitijs vterentur. Iisdem ergo rationibus illi pugnarunt, quibus hodie multi sua cum alienis superstitionibus consortia excusant. At Paulus ad illas sic respondet, vt quàmuis per Concessionem conuiuia illa inter res medias aut indifferentes numerare videatur, ipsis tamen non conuenire doceat, vt illis intersint: eò quòd Christiani hominis sit, fratrum infirmorum rationem habere, & à licitis quoq; interdum abstinere, ne quem illorum suo exemplo offendat. Quæ admonitio vt efficatior esset, generalem doctrinam grauissimis veterum Israëlitarum exemplis confirmatam interposuit, qua eorum confidentiam reprimit, qui se eò vsq; profecisse arbitrabantur, vt nullum ex lapsu fidei periculum ipsis esset timendum. His absolutis, nunc propius cum illis congreditur, & id quod faciebant, reuera idololatriæ speciem esse docet, & proinde etsi nullum præterea scandalum accedat, nulla ratione excusari posse. Quàmuis autem grauitas sceleris reprehensionem acerbissimam mereretur, eam tamen prudentia & lenitate sic temperat, ne qui inter illos erant morosiores, irritati prorsus resiliant.

Christiani ab omni cultu idololatrico abstineant.

Propositio aut status omnium, quæ sequuntur, est, vt ab omni cultu illicito aut idololatrico Christiani homines sibi caueant. Id verò non sine amica fraterni amoris significatione enunciat, & ex illis, quæ hucusque dicta sunt, sic infert: Quapropter dilecti mei, fugite ab idololatria. Quod perinde est, ac si dixisset: Cùm demonstratum sit abunde, quàm grauibus & horrendis exemplis Deus sui populi leuitatē & contumaciam olim punierit, & quò delapsi sint, qui omnibus veræ pietatis adminiculis aduersus omne genus tentationū suffulti esse videbantur: nullus certè vobis socordiæ locus reliquus est, sed omni cura atque studio vos anniti decet, vt ab idololatria procul fugiatis. Fugiendi autem verbo vti voluit, cùm mitiora magisq; vulgaria non deessent, vt ostendat, eos qui Christo nomen dederunt, idololatriam, ceu scelus nocentissimum, cum animi horrore detestari debere. Atqui non ignorabat, illos neque Dijs gentium, neque simulachris eorum, quicquam tribuere: sed solis conuiuijs illis & ludis interesse, quæ in sacris gentium (vt supra diximus) instituebantur. Nihilominus tamen idololatriam esse dicit, quam fugere & abominari debeant. Vbi nemo illum acerbius locutum esse putauerit. Nam dicti huius ratio (si rem penitius intueamur) facilè patebit. Vt enim homo ex anima & corpore constat: ita vtramq; partem Deus sibi vendicat. Duplex ergo Dei cultus est: Internus, qui in veritate & Spiritu consistit: Externus, qui circa ceremonias siue actiones externas versatur. Et quàmuis interno Deus præcipuè & verè delectetur, externum tamen propter nos instituit, vt per hunc animus, qui ferè terrenis studijs immersus hæret, ad cœlestia excitetur, & vt quam animo concepimus religionem, externis hisce actionibus testemur. Quia ergo cultus ille externus ad fidei confessionem facit, quam necessariam esse alibi docuimus, nullo modo omitti debet. Eadem est idololatriæ & superstitionum ratio, in quibus similiter simulachrorum cultum internum & externum videre licet. Internus enim est, quando præter Deum vnum & verum animo aliquid concipitur, cui fidimus, in quo speramus, & quod cultu diuino dignum esse sentimus. Externus multiplex est, & cum sacrificijs omnia alia continet, quæ circa creaturarum & idolorum cultum fieri consueuerunt: qualia sunt, dies festi, epulæ sacræ, ludi, genuflexiones, capitis apertio, insolitus ædium & viarum ornatus, & quæcunque alia sunt huius ordinis. Vt ergo Deum verum colere dicitur, qui cultui per illum instituto cum pijs operam dat, & ea facit, quibus ille internam religionem testari iussit: Ita idololatriæ reus est, quisquis idolorum cultui & idololatrarum sacris vel minima ex parte communicat. Et quàmuis alter ille hypocrisi peccare possit, dum veri Dei cultum falsò simulat, & animum ab eo alienum habet: hic tamen culpa non liberatur, etiamsi animo ab idolis abhorreat, quia corpus quoque ab horum cultu subducere, & soli Deo consecrare debemus. Huic enim negatur, quicquid simulachris impenditur. At in hoc Corinthij palàm peccabant, cum conuiuijs & ludis interessent, quos idololatriæ appendices, imò non minimam illius partem fuisse, supra ostendimus. Rectè ergo clamat Paulus: Dilecti mei, fugite ab idololatria: & paucis verbis disertè docet, non posse eos verè Christianos agere, nisi totis animis abhorreant à superstitionibus vniuersis, seq; ipsos quoad corpus & animum puros & immaculatos seruent.

Externa sacra nō excusantur per animi intentionem.

Nos autem obseruemus, idem omnibus dici, qui hodie vel Missas in aliorum gratiam audiunt, vel quibuscunque alijs sacris Papisticis intersunt. Excusant quidem illi animum suum, & hunc

& hanc ab omni superstitionis consensu alienum vni autem vero Deo consecratum esse gloriantur. At quia Deo externum quoq; cultum debemus, non excusari possunt actiones externæ, si aliò dirigantur. Frustra autem illi puritatem animi iactant. Qui enim hanc verè custodiunt, ijs visu & auditu intolerabile est, quicquid Deo displicere, & in veri cultus contumeliam fieri sciunt. Et vt quæ verè casta & mariti sui amans est, nihil patienter audire potest, quo pudicitiam suā tentari sentit: ita qui animos suos Deo verè consecrauerunt, ijs horrori est quicquam videre, quo mens ab illo auocatur. Exempla, quæ huc faciunt, multa & illustria in Martyribus habemus, qui eò vehementius in gentium idololatriam inuehere soliti fuerunt olim, quò magis se ad illam solicitari & vrgeri sentiebant. Tantus certè in illis veræ fidei & religionis ardor fuit, vt non leuissima aliqua actiuncula, imò ne dissimulatione quidem aut silentio ignauo superstitiones idololatrarum probare voluerint.

At ne præter causam Corinthios idololatriæ accusare putetur, argumentis grauissimis illos conuincere instituit, quæ vt plus apud eos ponderis habeant, præfatiuncula vtitur, qua beneuolos simul & attentos facit. Dicit enim: Vt peritis loquor, iudicate vos quod dico. Peritos vocat, eò quòd mysteriorum religionis nostræ, quæ sub Sacramentis teguntur, non ignaros esse sciret. Simul autem sciolos illos, quos nimia suæ scientiæ fiducia inflabat, vt illa rectè vtantur admonet, & causæ suæ bonitatem demonstrat, quando eiusmodi esse docet, vt non vereatur iudicium de ea illis ipsis deferre, quos accusabat. Itaque verborum sensus est: Scio vos intelligere quid in Sacramentis nostris profiteamur, & quid nominis Christiani professio requirat. Liberius ergo agentem ferte quæso, & cur non feratis me, cùm vos ipsos non detrectem huius causæ iudices habere? Equidem facilè, quid hîc statui debeat, intelligetis, si animi oculos aliquantisper à cupiditatum carnalium illecebris attollere libeat.

Excitat ad diligentem huius causæ cognitionem.

Suo autem exemplo nos docet Apostolus, verbum Dei in Ecclesia sic proponi & tractari debere, vt aduersarijs quoque notum fiat, nos verum & rectum docere. Nam nisi illorum animi conuincantur, nihil vnquàm proficiemus. At hominem eò adducere tam difficile est, quàm sepiam capere. Quia vt hæc suo atramento sese occultat, vt piscatoris manu elabatur: ita ex semetipso subinde aliquid parturit homo, quo tam sibijpsi quàm alijs nebulas offundat, & agnitam quoque veritatem obscuret, ne hanc fateri & se victum esse agnoscere cogatur. Hîc igitur multo studio & exquisita diligentia opus est verbi administris, vt prahensum arctius stringant, & in lucem protrahant, vt proprij animi iudicio damnetur, & ita resipiscat. Verumtamen eosdem animum probè intendere oportet, ne exemplum Pauli temere imitando seipsos & veritatem in periculum adducant. Fit hoc, quando de rebus controuersis iudicium illis defertur, quos eò vsque in impietate profecisse constat, vt eis non graue sit propriæ conscientiæ dictatis contradicere. Obseruandum hoc propter eos, qui à nobis hodie contendunt, vt Episcoporum & Cardinalium iudicio, qui in Concilijs ex Pontificis Romani authoritate consident, doctrinam nostram submittamus, neque hoc nobis debere iniquum aut graue videri, quando Paulus aduersarios suos causæ præsentis iudices constituat. Atqui dispar multùm est ratio. Primùm enim Apostolo res fuit cum peritis rerum, & qui gentium Deos cum suis idolis iampridem damnauerant, sola autem leuitate, vel incogitantia potius peccabant. Nobis autem cum illis lis est, qui veritatem vel ignorant, vel ignorare consultò & affectatè volunt, ideoque superstitiones apertas contra propriæ mentis sententiam perfricta fronte tuentur. Deinde hanc solam causam, quæ ad ipsos potissimùm pertinebat, illorum iudicio defert: nostri autem illi hoc flagitant, vt totius doctrinæ nostræ, imò Sacræ etiam Scripturæ iudices ipsos agnoscamus. Quod cùm absque manifesta diuini nominis contumelia, & totius Ecclesiæ periculo fieri non possit, cautione & prudentia singulari opus est.

Verbum Dei vt proponi debeat?

Quid verò illud est, de quo Corinthios iudicare iubet Apostolus? Argumentum ex vsu Cœnæ Dominicæ sumptum adducit, & vt quod dicit probè penes se expendant hortatur. Non est autem nobis hoc oscitanter prætereundum, quòd ex Sacramentis argumentatur. Est enim hoc vulgare admodum Apostolis. Nam simili ratione cap. 1. per Baptismum eos confutat, qui in sectas scissi, alio quàm solius Christi nomine gloriabantur. Et in epistola ad Romanos, eiusdem

Argumento à Cœna Christi petito confutat aduersarios.

Baptismi mysterium interpretans docet, Christiani hominis esse, vt in Christi mortem sepultus peccato moriatur, & cum illo ad vitæ nouitatem resurgat. Et ad Colossenses cum Baptismo circumcisionem coniungens, hoc ipsum grauiter suadet. Quid, quòd supra ex paschali epulo argumentum profert, quo monet, vt expurgato & procul eiecto veteris hominis siue peccati fermento, vitam omnem in azymis veritatis & synceritatis transigant? Taceo infinitos alios locos. Quòd si veteris Ecclesiæ Patrum siue doctorum libros euoluamus, huius generis multa est inuenire. Nec enim solùm vitæ & morum præcepta ex Sacramentorum vsu deriuant, verumetiam contra hæreticos ex illis rationes depromunt, quibus præcipua fidei nostræ capita, Christi diuinitatem nimirum & veram incarnationem, adhæc vtriusque naturæ in vna persona proprietates & inconfusam distinctionem, tuentur. Ex quibus apparet, Sacramentorum cognitionem olim omnibus vulgarem fuisse, & hodie etiam quæ in illis fiunt, vulgò quibusuis Christum profitentibus nota esse debere. Quia enim vt nostræ tarditati succurrant data sunt, & ijsdem Deus suas promissiones obsignat, nosq; nostri officij admonet, deniq; cùm Christianæ societatis (vt mox dicetur) tesseræ sint, nihil turpius, indignius & absurdius fingi potest, quàm si illorum sensum & vsum non intelligant, qui Christiani dici & haberi volunt. Confutatur ergo veteris & Apostolicæ Ecclesiæ exemplo Pontificum tyrannis, qui cùm validissimum sui regni præsidium in vulgi ignorantia & inani persuasione consistere sciant, Sacramenta quoque obscura & omnibus ignota esse voluerunt. Et vt populo persuaderent, nemini licere, vt ea penitius cognoscat, miracula in illis finxerunt, quæ neque sensu neque ratione compræhendi possint, adhæc in eorum administratione lingua peregrina vsi sunt, cui susurros, gesticulationes & tantumnon saltationes theatricas admiscuerunt, quæ apud rerum imperitos nihil præter stuporem quendam & rei non intellectæ stultam admirationem pariunt. Et ne ab aliquo iniuriarum genere abstineant, hanc suam audaciã Christi dicto excusant, qui Sanctum canibus proijci prohibuerit. Ergo illis canum loco sunt ij, in quorum gratiam æternus Dei Filius non solùm Sacramenta instituere, verumetiam proprium corpus & sanguinem pro peccatis eorum hostiam facere dignatus est. Et hi sunt, qui nos hodie sacrilegos dicunt, quosq; infelix mundus colit & adorat.

κοινωνία communionem, non communicationem significat.

Sed audiamus Pauli argumentum, cuius Antecedens in præsenti his verbis proponit: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quibus postea infert: Non debetis ergo de poculo dæmonum quoque bibere, deq; eorundem mensa edere. At nunc ante omnia obseruari debet, Latinos interpretes hîc communicationis vocabulo vsos esse, quo rei alicuius in multos distributio significatur. Inde verò error exortus est, vt Paulum de corporis & sanguinis Christi distributione loqui plerique putauerint, quæ per Ministri manus fiat. At Græca vox κοινωνία, non communicationem, sed potius communionem significat, quam aliqui ex iure aut pacto inter se habent, & ideo rectius per Societatis vocabulum redditur. Et ita à Latinis quoque scriptoribus vsurpari constat: Notum est enim illud Ciceronis: Inter quos est communio Legis, inter eos communio iuris est. Itaque communio propriè societatem eorum significat, qui certis legibus & conditionibus rem aliquam participant, aut inter se communem habent.

Communio quid sit?

Sic communio aut societas mercatorum esse dicitur, qui eiusdem negotiationis socij lucrum & damnum, quod negotiando faciunt, ex pacto commune habent. Et milites communionem inter se habent, qui ea conditione armorum societatem inierunt, vt præda vel spolia per ipsos acquisita in commune deponi, & in singulos distribui debeant. Neq; aliter Apostolos hac voce vti, multis testimonijs probari potest. Nam huius epistolæ cap. 1. scribitur: Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filij ipsius, IESV CHRISTI. *Quo loco Vetus interpres Societatem dixit. Et in epist. ad Galatas Iacobus, Cephas & Ioannes Paulo & Barnabæ dextras κοινωνίας dedisse dicuntur societate nimirum his legibus inita, vt hi quidem inter gentes, ipsi verò inter Iudæos Euangelium prædicarent. Et pro Philippensibus gratias agit Deo Apostolus, quòd in communionem Euangelij peruenerint, id est, bonorum omnium socij facti sint, quæ nobis per illud in Christo offeruntur. Ioannes quoq; in sua Catholica cap. 1. κοινωνίας vocem eodem sensu subinde repetit, & hunc finem Apostolis propositum esse ait: Vt & vos communionem habeatis nobiscum, & cõmunio nostra sit*

cum

cum Patre, & cum Filio eius IESV CHRISTO. Et mox: Si dixerimus nos κοινωνίαν, id est, societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur. Quibus adde quod Paulus in post. ad Corinth. se à Macedonibus rogatum esse scribit, vt susciperet κοινωνίαν, id est societatem ministerij illius, per quod ipsi egenis in Syria fratribus præsidium pecuniariũ submittere decreuerãt. Sunt huius generis etiam alij loci, sed sufficiunt isti ad demonstrandum proprium huius vocabuli sensum. Quòd si quis obijciat, Communicationẽ cum cõmunione aut societate coniunctam esse, vtpote quæ huius effectum sit: id nos minimè negamus, imò in eo maximè gloriamur, quòd Christi corpus & sanguinem nobis cõmunicari scimus. Communicationem verò illam non externis symbolis aut actioni, quæ in Cœna fit, alligandam esse dicimus, eò quòd tota spiritu perficiatur, & à nobis non aliter quàm fide possit percipi, sicuti suo loco pluribus dicetur.

Vt autem nunc ad præsentis loci tractationẽ accedamus, Cõmunio sanguinis & corporis Christi dicitur credentiũ societas vel cœtus & Ecclesia, qui cum Christi corpore & sanguine communionem habent, eò quòd his in cruce pro illis traditis redempti sint, & ijsdem alantur ad vitã æternam. Cuius cõmunionis non symbolum modò, sed vinculum quoq; externum, est Cœna Dominica, & ideo ex hac argumentũ suum Apostolus deducit. Vtq; hoc firmius sit & efficatius, de poculo & pane seorsim & distinctè loquitur, vtroq; nimirũ symbolo eandem cõmunionem denotari docens. Poculum (inquit) benedictionis, cui benedicimus, id est, poculũ istud, quod ab ipso Christo nobis destinatum est, & quo nos ex eius institutione vtimur, vt illo cum solenni gratiarũ actione ipsius beneficium celebremus, qui sanguinẽ suum pro nobis fundere, & ex peccati mortisq; seruitio redemptos sibi cohæredes facere dignatus est: nonne est cõmunio sanguinis eius? Similiter panis, quem in eadem Cœna frangimus, nonne est cõmunio corporis eius? Id est, nonne hoc ipso, quòd ex vno poculo omnes bibimus, & ex vno pane omnes edimus, publicè testamur, nos ad vnam & eandem societatem aut cœtum pertinere, & quidem ad eorũ cœtum, qui CHRISTI IESV corpore & sanguine redempti sunt, vt & cum illo & ipsi inter se cõmunionem habeant? Et hunc verborum suorum sensum Paulus ipse ostendit, quando Expositionis loco subijcit: Quoniã vnus panis, vnum corpus multi sumus, Id est, Quemadmodũ vnus panis in Cœna mystica apponitur, & hic ex multis granis vnus panis factus est: ita nos quoq;, etsi multi, & quoad alias conditiones multũ quoq; inter nos diuersi simus, vnus tamen cœtus, vna societas, vna Ecclesia, imò vnũ corpus sumus. Et mox huius quoq; dicti rationem reddit: Quia ex vno pane participamus: ex eo nimirum, qui Christum, verum illum panem vitæ, nobis repræsentat, & sigillum seu tessera est salutiferæ illius communionis, quæ nobis cum illo primùm, deinde in illo cum omnibus credentibus intercedit. Iam ergo verborum Pauli sensum tenemus, quæ ab alijs aliter explicari non ignoro, sed hunc & simplicissimum & à superstitiosis multorum de Cœna mystica opinionibus alienissimum esse, fatebuntur opinor, quicunque rem ipsam, de qua agitur, propius inspexerint.

Cõmunio corporis & sanguinis Christi.

Quoad verò institutũ Apostoli, argumentum in ijs demum, quæ proximè sequũtur, absoluitur. Id verò eiusmodi est: Quicunq; cum Christi corpore & sanguine communionem habent, & in illo cum tota credentium multitudine vnum corpus facti sunt, ij sacris alienis nequaquã communicare debent, neq; etiam salua religione Christiana id facere possunt: Atqui vos cum Christi corpore & sanguine cõmunionem habetis, & vnum corpus cum credentium Ecclesia iam pridem estis facti: Ergo nefas fuerit aliquam cum idololatrarũ sacris habere cõmunionem. Maiorem non probat, quia omnibus satis nota est, & ad eius confirmationem hoc vnum sufficit, quòd Deus nos totos sibi vendicat, neq; aliqua nostri pars in nostro arbitrio est sita, vt eam ab illo vel in speciẽ alienare liceat. Adde tamen & hoc, quòd qui alienis sacris cõmunicant, ij in vtramq; partem claudicando, primùm quidem professionem Christianam violant, deinde verò Ecclesiæ vnitatem scindunt, & confusionis authores sunt, quæ vt multos infirmiores offendit, ita tandem prophanũ omnis religionis contemptum parit. In Minore autem probanda insistit, & huc totus hic locus pertinet. Nam proprio testimonio eos conuincit, quando communionem hanc cum Christo & Ecclesia eius publicè testentur, quoties ad mensam Domini cum alijs credentibus accedunt. Ita verò animos eorum magis ferit, & simul sceleris atrocitatem amplificat, quòd mensæ dæmoniorum (vt infra loquetur) participes fiant, qui cum Christi mensa communionem habere velint.

Argumentum Pauli.

Vna omnium credentium Ecclesia.

Est autem totus hic locus multa consideratione dignissimus, eò quòd præcipua Ecclesiæ mysteria continet, ex quibus & Sacramentorum proprius vsus, & vniuersa salus nostra dependet. Et primò quidem admonemur, credentium omnium vnam modò esse Ecclesiam, quæ ideo in Symbolo Apostolico Catholica, id est, vniuersalis dicitur, quòd ad eius societatem omnes omnium nationum homines pertineant, quotquot eam fidem profitentur, quæ in illius articulis traditur. Et hoc illud est, quod vetustissimus scriptor Irenæus, Barbaros quoq; & ab omni literarũ cognitione alienos, qui ex Apostolorum traditione ita credunt & sentiunt, Ecclesiæ germana membra esse, & Deo probari scribit. Admonet hoc, quàm diligenter sibi à sectis cauere debeant, qui Ecclesiæ titulo gloriantur. Quia enim hæc (vt diximus) vna est, imò corpus vnum est, ipsa quidem lacerari non poterit, ab eius autem societate separentur oportet, quicunque in sectas abeunt. Ab ea autem separari non possumus, nisi etiam bonorum tam corporalium quàm spiritualium, quæ credentibus communia sunt, participatione nosmetipsos spoliemus.

Vinculum coniunctionis credentium Christus est.

Secundò vinculum vnitatis aut cõmunionis illius verum & internum nobis in Christo monstratur, qui corporis & sanguinis sui pretio redemptos ita sibi consecrat & vnit, vt ijdem inter se quoque per vnum & eundem spiritum coalescant. Quæ causa est, quòd ille non fundamentum modò ecclesiæ, verumetiam angularis lapis, & quidem supremus, imò caput ipsum dicitur: vt nimirum eum esse sciamus, qui Ecclesiæ membra omnia, summa, media, infima, inter se commodissimè connectit, & eadem suo spiritu viuificat & gubernat. Exponit mysterium hoc Paulus diligenter in Epistola ad Ephesios his verbis: Christus est caput, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, ad suijpsius extructionem per charitatem. Ex quibus satis constat, nos non posse inter nos coalescere, nisi singuli prius Christo vniantur, adeoque incorporentur: quod non alia ratione fieri potest, quàm per fidem, quæ ita nos ei inserit, vt ipse in nobis agat, & nos in illo viuamus. Id verò vt consolationem dulcissimam affert pijs & verè credentibus (quomodo enim de salute sua dubitent, aut mundi conatibus siue minis terreantur, qui se Christi membra esse sciunt) ita omnes eos arguit, qui ecclesiæ membra dici & haberi volunt, ita verò viuunt, vt se à Christo & eius spiritu alienissimos esse nimis apertè testentur. Putrescunt membra, in quibus vitales spiritus agere desinunt, & qui non totum corpus perire volunt, ea resecare solent: Ita qui Christi spiritu non reguntur, ij neque vitam in seipsis habent, neque pro membris suis eos ille agnoscit, sed procul abiectos æterni ignis supplicio mulctat.

Ephes.4.

Sacramentorũ vsus.

Lib.19.cap.11.

Cæterum quia homines sumus, qui externis rebus duci & moueri solent, tam in colligenda quàm conseruanda Ecclesia sua externis ritibus atque symbolis vtitur. Nam vt D. Augustinus contra Faustum Manichæum scribit: In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm: & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Et sanè si omnium gentium historias euoluamus, nulla fuit vnquam, quæ non certis quibusdam ritibus siue ceremonijs in religionis eiusdem communionem vel societatem externè coaluerit. Et habuit olim vetus Ecclesia sub Mose Circumcisionem, Paschale epulum, dies festos & sacrificia, quæ omnia vnitatis symbola erant, ne in diuersos greges distraherentur: & imprimis huc faciebat, quod vno templo & vno altari contentos esse voluit Deus, ne ipse etiam religionis prouehendæ zelus scismata aut sectas inueheret. In nouo autem testamento vetera quidem illa sublata sunt, quia quæ illis adumbrabantur Christus aduentu suo impleuit, alia autem instituta sunt (vt rursus Augustini verbis vtar) virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, Baptismus nimirum & Cœna mystica. Quæ veteribus efficaciora & vtiliora dicit Augustinus, quia quæ illis futura adumbrabantur, ea nostris hisce iam exhibita & præstita esse docentur. At si verum & proprium Sacramentorum vsum spectes, idem nostrorum est, qui olim veterum fuit, & quem tribus capitibus complecti possumus. Primò enim Dei promissiones. & secundùm has præstitum in CHRISTO IESV *humanæ redemptionis beneficium, communionem denique illam indissolubilem,*

dissolubilem, quam cum Christo, vt membra cum capite suo habent obsignant. Quod quia non imaginariè, sed verè faciunt, fidem simul confirmant, & fidei contemplatione nobis præsentia sistunt ea, quæ maximis locorum spatijs dista... Secundò gratiarum actioni seruiunt, de quo Christus in Cœna suæ institutione diserte loquitur, quando bis dixit: Hoc facite in mei commemorationem. Quæ verba Paulus sic exponit: Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate vsquequò venerit. Ideo Paulus poculum benedictionis dixit, & veteres Cœnam totam ab hoc vsu Eucharistiam vocarunt, quod Latinis Gratiarum actionem significat. Et panum benedictionis meminit Socrates lib. 7. cap. 12. de Chrysantho Nouatianorum Episcopo loquens. Quia autem gratiarum actio Deo gratißimæ victimæ instar est, ijdem frequenter Sacrificij nomen Cœnæ tribuunt, non quòd ibi Christum aut quiduis aliud pro peccatis nostris offerri crediderint, sed quòd exhibitum salutis beneficium sacrificio laudis celebrari scirent. Continet hic Cœnæ vsus confessionem publicam fidei, quando nos CHRISTVM IESVM redemptorem & seruatorem nostrum agnoscere profitemur: simulque admonet, ne alienis sacris communicemus. Postremò Sacramenta Ecclesiam visibiliter colligunt, vt modò ex Augustino docuimus. Etenim per Baptismum in huius societatem adoptantur, quicunque huius membra sunt: & ijdem postea societatis illius & communionis studium publicè testari solent, quoties cum alijs credentibus ex vno eodemque pane edunt, & ex eodem poculo bibunt. Quod si verè & non fucato animo faciant, verè etiam membra corporis Christi sunt, & eius spiritu viuunt. Ideo D. Augustinus, cùm hæc Pauli verba adduxisset, Vnus panis, vnum corpus multi sumus, subitò exclamat: O Sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat: accedat, credat, incorporetur vt viuificetur, &c. Ista verò eorum sententiam confutant, qui cùm Christum sola fide apprehendi audiunt, mox Sacramenta pro inutilibus atque superuacuis negligunt. Gloriantur quidem illi de fidei virtute, sed à fide se alienißimos esse produnt, cùm ea contemnant, quæ vt fidei exercitium & nostræ in ipso communionis externum vinculum sint, Christus instituit. Quid verò de illis dicemus, qui non contenti ecclesiam factiosis Lutheranorum, Zuinglianorum & Caluinistarum nominibus in sectas scidisse, ipsa Cœna, quæ Christianæ communionis vinculum esse debebat, ad contentiones instaurandas atque fouendas abutuntur? Dedit horum intemperies plus mali ecclesiæ, quàm vllis piorum lachrymis pro merito deplorari poßit. Vtinam illis vel nunc tandem illud Pauli in mentem veniat: Si alius alium mordetis & deuoratis, videte ne vicißim alius ab alio consumamini. Agnoscant ergo singuli ineffabile Dei beneficium, qui nos Filij sui vnigeniti morte redimere, & in hoc vnum corpus facere dignatus est. Tueantur ergo huius corporis vnitatem, neque alienis sacris sese polluant: sed vnum IESVM CHRISTVM salutis suæ authorem agnoscant, huic vni fidant, hunc colant & obseruent, vt illius spiritu viuant, & cum eodem in cœlis regnent: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Galat. 5.

HOMILIA LIII.

Videte Israelem, qui est secundum carnem: Nonne qui edunt victimas, participes sunt altaris? Quid ergo dico? idolum aliquid esse? aut quod idolis immolatum est, aliquid esse? Imò quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: nolim autem vos participes dæmoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. An prouocamus ad æmulationem Dominum? num validiores illo sumus?

ETsi Deus hominem ab initio rerum statim ad cultum suum destinarit, & religio (vt Lactantius & alij veterum rectè definierunt) sola verè proprium illud sit hominis, quo à bru- De ira Dei Cap. 7.

tis animalibus distinguitur: non tamen alia in re frequentius & turpius, quàm in illa, errari consueuit. Causa errorum est, quòd plerique carnis rationem sequuntur, quæ non modò Deos falsos concipit, & cultus quoque ex semetipsa quotidie nouos fingit, verumetiam suadet, vt religionem ex hominum arbitrio & priuata vtilitate metiamur, ideoq; in aliorum gratiam, quorum fauor & amicitia nobis commoda & necessaria videtur, multa admittamus, quæ verum Dei cultum corrumpunt, aut etiam omnino euertunt. Peccant in eo multi hodie, & maxima ferè illorum secta est, quibus stultum videtur ad vnam eandemque religionis formam omnes homines astringere velle, cùm in vnaquaque Deus coli & placari possit. Ita verò religionem inter res medias & indifferentes numerant, in quibus licet pro nostro arbitrio ludere: quod non aliud est, quàm religionem omnem tollere, vt alibi demonstrauimus. Et in illo Corinthij quoque vehementer falsi sunt. Vt enim ethnicis & idololatris, quibus permixti viuebant, magis propitijs vterentur, ad sacrificiorum epulas accedebant, idque non sine graui infirmorum scandalo. Et habebant isti eadem planè argumenta, quibus hodie sese excusant, qui papisticis sacris communicare non verentur. Sed Paulus omnia illa grauiter admodum confutat, & nuper demonstrare cœpit, salua religione fieri non posse, vt qui Christo per fidem insiti, Ecclesiæ Sacramentis communicant, alienorum quoque sacrorum sese participes faciant. Id verò in præsenti amplius confirmat, & ita huius argumenti tractationem concludit.

Quicunq; alienis sacris communicant, religionis quoq; totius participes fiunt, cuius illa sunt.

Quia enim quod nuper dixerat, idololatriæ participes fieri eos, qui ad conuiuia idololatrarum accedunt, durius dictum videri poterat, probat modò eos omnes, qui alienis aut externis sacris quacunque ratione communicant, totius etiam religionis, cuius illa sacra sunt, socios atque consortes fieri. Et vt nuper communionem Cœnæ Dominicæ adduxit, ita nunc in Iudæorum sacrificijs idem fieri docet, vt eandem omnium religionum rationem esse ostendat, quoad sacrorum externorum communionem. Videte (inquit) Israelem, qui est secundùm carnem, &c. Sic vocat Iudæos, qui illo tempore viuebant, & sacra Leuitica mordicus retinebant: quibus alibi opponuntur veri Israelitæ, quos filios promißionis dicit, quia promißiones de Christo vera fide amplexi erant. In præsenti autem simul obiter inanem illorum gloriationem, qua sese venditabant, perstringit. Superbiebant enim primò natalibus, quòd ex patribus sanctißimis originē ducerent: deinde sacris, quæ olim ab ipso Deo per Mosem maioribus ipsorum tradita fuerunt. Vtrunq; verò carnale erat: quia neq; fidem patrum imitabantur, neq; sacrorum illorum finem atq; scopum obseruabant, Christum videlicet: quem si ab illis auferas, nihil præter expiationes & iustificationes carnis continent, quæ ad animam minimè pertingunt, vt prolixè in epistola ad Hebræos Apostolus docet. Consultò autem sic loquitur de Iudæis, qui tunc erant, ne illorum sacris aliquid tribuere putetur, quæ in Christi morte abrogata esse sciebat. Inde verò generalis doctrina peti debet, inanem esse coram Deo omnem carnis gloriationem, neq; ad salutem aliquid facere, ex quibus nam nati simus, aut quales dicamur: sed in hoc versari salutis cardinem, vt in Christo renati, veros & germanos Dei filios nos esse demonstremus. Demonstrationis autem huius argumenta sunt, constans & syncera fides in Christum, & quæ ex hac nascitur vitæ sanctitas atq; dilectio non simulata. Qui his destituuntur, ij Christiani secundùm carnem sunt, & quoad ipsos non nisi carnale est, quicquid circa religionem faciunt.

Qui ex altari edunt cum Iudaica religione participant.

Iosue 22.

At quia hæc alterius loci sunt, audiamus quid de illis Paulus dicat. Nonne qui edunt victimas, participes aut socij sunt altaris? Altaris nomine religionem Iudaicam vniuersam intelligit, qua illi simul omnes in vnum Ecclesiæ corpus colligebantur. Ideo enim vnicum templum, & vnicum altare illis esse voluit Deus, vt in religionis vnitate facilius contineri possent. Ideo cùm Rubenitæ, Gaditæ & dimidia Manasseorum tribus post occupatam & diuisam terram Chanaan ad sua redeuntes ad Iordanis limitem aram ingentem & altißimam ædificauissent, reliqui Israelitæ illos dignos putarunt, quos ob violatam religionem à Deo traditam bello aggrederentur, neq; prius illis placati sunt, quàm vbi aram illam, non vt illic sacrificia fierent, ædificatam esse audiuerunt, sed potius, vt posteritati instar testimonij publici esset, quòd Transiordani quoq; Iudæi ad tabernaculum Domini, quod in terra Chanaan locum habebat, pertinerent. Itaq; verborum Pauli sensus est, eos qui ad Iudæorum epulas sacras, quas illi (vt supra diximus) ex

sacrificijs

sacrificijs gratulatorijs instituebant, accumbunt, eo ipso totam Iudæorum religionem probare, seq; huius socios atq; consortes profiteri. Nam nisi id facerent, imò nisi secundum Legem ritè prius purificarentur, nunquam fuissent admissi. Ex eo autem Corinthios colligere vult, ipsos similiter superstitionum atq; totius idololatriæ gentium consortes fieri, si cum his festa conuiuia celebrent. Id verò per interrogationem enuntiat, vt væhementius arguat sciolos illos, qui cùm sublimioris scientiæ gloriatione turgerent, nondum eò vsque profecerant, vt proprium vsum externorum sacrorum intelligerent: qui est, quòd consensus in religione symbolum sunt, nosque visibili (vt sic dicam) vinculo constringunt cum illis, quorum sacris communicamus. Facit etiam ad argumenti vim, quòd apertè de illis Iudæis loquitur, qui tunc suis ceremonijs contumaciter addicti, Christianam religionem vbiq; locorum persequebantur. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Sat scio, si quis vos, qui Christum profitemini, Hierosolymam proficisci, sacrificijs Iudæorum solennibus adesse, & conuiuijs quoq; eorundem sacris accumbere iuberet, vos id nunquam esse facturos. Nolletis enim altaris, id est, religionis Iudæorum participes aut socij videri. Cur ergo ô boni, non eadem ratione vtimini, quoad gentium sacra & idololatriam? Annon enim idolorum quoq; participes estis, si ad conuiuia acceditis, quæ in illorum honorem instituuntur? Etenim si Ecclesiæ Christianæ socij censentur, qui ad eandem Christi mensam cum alijs credentibus accedunt: si item Iudaicarum superstitionum consortes fiunt, qui illorum sacrificijs communicant: fieri non potest, quin cum ethnicis quoque & idololatris communionem habeant, quotquot illorum epulis sacris intersunt. Nam cùm inter homines salis & mensæ communio amicitiæ arctioris symbolum sit, hoc ipsum in religione quoq; obseruari debet, tam propter veterem & communem omnium gentium in hoc more consensum, quàm quòd Deus ipse communionem religionis, tùm in veteri testamento tum in nouo conuiuijs sacris adumbrari voluerit. In summa hoc omnium animis infixum esse vult Apostolus, externa sacra communionem habere cum tota illa religione, cuius sacra sunt. Sententiæ huius ratio certa & euidens est, quòd ceremoniæ omnes ad fidei confessionem pertinent, & cõmunionis vinculum sunt externum. Falluntur ergo væhementer, quicunq; externa illa nequaquam ad animam vsq; pertingere putant, & hanc ab omni superstitionis labe puram & immunem esse sibijpsis persuadent, licet eosdem cum impijs dies festos agant, ritusq; eosdẽ exerceant. Atqui fieri non potest, quin polluantur, quotquot sacris alienis cõmunicando in eam societatem siue cõmunionem peccant, quæ nobis in Christo, omnis sanctificationis authore & mediatore, cum tota credentium Ecclesia intercedit. Quod vnum si paulò attentius & maiore cum studio aliqui obseruarent, minus haud dubiè indulgerent sibijpsis in ijs, quæ contra religionis Christianæ leges faciunt.

Sed est hîc obseruatu digna locutio, qua altaris participes fieri, aut cum altari eos communicare dicit, qui victimas edunt. Respondet hæc ijs, quibus supra vsus est, cùm de pane & poculo mystico Cœnæ Dominicæ loqueretur. Illic enim κοινωνίαν vel communionis vocem posuit, hic κοινωνοὺς dicit, eorum nimirum, qui ad communionem pertinent. Et perinde est, ac si hîc quoque dixisset: Nonne epulum sacrum, quod ex victimis gratulatorijs instruitur, communio altaris est? At quomodo epulum istud aut eius esus communio altaris erat? Num quòd in eo ipsum altare comederent realiter, essentialiter & substantialiter? Nequaquam: Sed quòd ita testarentur se illius Ecclesiæ membra esse, cuius vinculum externum (vt supra monuimus) altare illud erat, & quæ suam sanctificationem, salutem & vitam ex isto altari deriuari credebat. Ad eundem ergo modum nos quoque cum Christi corpore & sanguine communionem habemus, quando panem mysticum edimus, & poculum illud benedictionis bibimus: non quòd corpus illius naturale essentialiter & oraliter (vt quidam loquuntur) manducemus, & verum eiusdem sanguinem, qui ex vulneribus eius fluxit, realiter bibamus: sed quòd eius ecclesiæ membra sumus, quæ Christi corpore & sanguine redempta, ex eodem vitæ spiritum haurit, qui in singula eius membra redundat. Quod propter eos annotamus, qui ex locutionibus cùm Christi tum Apostolorum de Cœna carnis Christi corporalem præsentiam atque manducationem colligere satagunt, nobis autem Tropum obijcientibus perinde vociferantur, ac si nihil huius in scripturis vspiam dicatur, in cuius expositione Tropum quærere oporteat.

Vt Iudæi altaris participes fuerint?

Gentes dæmonijs sacrificauerunt.

At poterant Paulo Corinthij obijcere: Si eadem est idolothytorum, quibus ethnici in suis epulis vescuntur, quæ Mosaicarum victimarum & Cœnæ Dominicæ ratio, ideoq́ nos illorum esus idolorum & idololatriæ consortes facit, & polluit, certè idolis vim aliquam inesse necesse est, neque omnino nihil erit, quod de Dijs gentium, in quorum honorem illa prostant, passim dicitur. Quapropter ne sibijpsi contrarius esse putetur, qui supra dixerat idolum nihil esse, inania quoque esse Deorum fictitiorum nomina: nunc isti etiam obiectioni occurrit, & ex eo quòd idola nihil sunt, non id sequi docet, quòd indifferens sit carnium sacrificaturum esus, sed longè aliud, quo nihil grauius & atrocius fingi poterat: nimirum, quòd dæmoniorum consortes fiant, qui illis vescuntur. Et ne quid dissimulare putetur, ipse sibi obijcit, quod illi dicturi erant. Quid ergo dico? idolum aliquid esse? aut quod idolis immolatum est, aliquid esse? &c. Quasi diceret: Nolim ex meis verbis aliud, quàm ego dixerim, colligi. Iam antea enim vobiscum testatus sum, idola nihil esse in mundo, & proinde carnes quoque, quæ illis immolantur, quoad essentiam suam, non mutari, neque ex idolis aut eorum Dijs, qui nusquam in rerum natura sunt, aliquam vim vel polluendi vel sanctificandi contrahere. Et quod nuper dixi, hoc ipsum adhuc constanter affirmo. Quod autem vos inde colligitis, licere victimarum, quæ illis immolantur, carnibus perinde vt alijs vulgaribus vesci, id ego pernego. Imò quia neque idola, neque Dij illorum aliquid sunt, ex eo ego pronuntio, quòd quæ gentes immolant, dæmonijs immolent, & non Deo: Ego autem nolim vos participes dæmoniorum esse. Fuit hoc grauissimum dictu, quod & ethnicos & Christianos vehementer offendere potuit. Nam vt aliâs diximus, gentium religio Romani Imperij authoritate nitebatur, & in ipsa Corinthiorum vrbe cum imperio erat Achaiæ Procos. Romanus, penes quem omnis erat rerum potestas. Quàm verò indignè hoc illos tulisse putamus, qui in Deorum cultu nati & enutriti erant? Quas item multorum Christianorum voces fuisse putas, quando hoc dici audiebant, quod solum poterat omnium ethnicorum animos contra ipsos in rabiem accendere? Verumtamen dicit istud Paulus, quem nihil horum latebat, quia sic dicto opus erat propter effrenem multorum licentiam, qui nihil non sibi permittebant. Prudenter autem vsque ad finem huius tractationis dictum istud differre voluit, vt prius rationes dilueret, quibus aduersarij nitebantur, & eorundem animos ad penitius agnoscendam sceleris atrocitatem præpararet.

Qualis dicendi libertas ministros deceat.

Est ergo hoc memorabile libertatis ecclesiasticæ cum vera prudentia coniunctæ exemplum, quod ministri ecclesiarum sibi proponant. Ne quid autem in aliquem æquo grauius dicant, obseruent Paulum nihil hîc dicere, quàm quod prius in sacris literis dictum fuisse sciebat. Nam in Leuitico Deus dicit: Ne vltra sacrificent sacrificia sua Seijrim, post quos scortati sunt. (Leuit. 17.) *Hebræis autem Seijrim dæmones dicuntur, & ij quidem propriè, qui cultoribus suis hirsuti & villosi instar hircorum apparere solebant, quales in poetarum fabulis Panes & Satyri describuntur. Et Moses in Cantico suo Israelitis defectionem à vero Deo ad Deorum fictitiorum cultum exprobrans, inter alia inquit: Sacrificauerunt dæmonibus, non Deo.* (Deut. 32.) *Mox verò rem apertius explicans addit: Dijs, quos non nouerunt, nouis item qui nuper exorti sunt, quos patres vestri nihil reueriti sunt. Nihil ergo ex suo capite finxit Paulus, neque disputationis feruore abreptus tam grauem sententiam pronuntiauit, sed (quod olim Prophetis dictum fuit) ex ore Domini verbum sumpsit, id est, ex scripturis, per quas nobis Deus loquitur.*

Qua ratione dicantur gentes dæmonibus sacra fecisse?

Non autem temere gentes dæmonijs sacrificauisse dicuntur. Nam etiamsi longè alia fuerit animi ipsorum intentio, vt nimirum Deo vero cultum exhiberent, minimè tamen id assecuti sunt, cùm in Dei cognitione errarent, religio autem siue cultus absque illius cognitione non possit consistere. Deum enim eiusmodi finxerunt (de melioribus & sanioribus loquor) qui ipse solus non omnibus sufficiat, quæ ad totius mundi gubernationem pertinent, sed qui Dijs subsidiarijs vtatur, inter quos partes mundi & quæ in hoc fiunt, ceu prouincias quasdam distribuerunt, vt alibi fusius est dictum. Deinde tam summum illum Deum, quàm alteros illos simulachris varijs adumbrare & exprimere conati sunt, idq́ue tanta cum licentia & temeritate, vt non hominum modò, verumetiam quadrupedum, volatilium, serpentum, piscium denique formas illis tribuerent. At quia Deus eiusmodi nullus est, Dij verò illi subsidiarij multò minus sunt, nihil etiam

fuerunt

fuerunt simulachra, quæ illis ponebantur. Quorsum ergo tendebat totus ille cultus templorum, altarium, dierum festorum, sacrificiorum, conuiuiorum solennium, omnium denique, quæ ab hominibus superstitiosis solebant fieri? Non vtique ad verum illum Deum, omnium Creatorem & gubernatorem, qui ista non potuit probare, cùm eius naturæ & voluntati apertè repugnarent. At neque falsi illi Dij & fictitij istis rebus colebantur, cùm illi nusquam in rerum natura essent. Reliquum ergo est, vt totum hunc cultum ad se rapuerint mali dæmones, qui miseris errorum & superstitionum authores erant, & simulachris sese insinuabant, vt alia quidem loco mouerentur, alia quærentibus responsa darent, multa sudarent, minaci gestu capita concuterent, & infinita alia facerent, quæ homines vel terrore & metu, vel spe bona & gaudio replebant. Sic ergo sub religionis & diuini cultus prætextu hoc demum effectum dedit Satan, quod iam inde ab origine rerum ambiuit, vt nimirum Deo similis fieret, & eius loco ipse coleretur. Id autem iusto iudicio permisit Deus, vt infelix mundus pœnas daret suæ contumaciæ, qua ipsum neque in operibus suis sese manifestantem agnoscere, neque in Verbo suo loquentem audire voluit. Dignus ergo fuit, qui in reprobum sensum traditus diaboli ludibrium fieret: & ideo non per sceleris amplificationem, sed verè & propriè loquitur Spiritus Sanctus, quando gentes dæmonibus sacra fecisse ait.

Continet autem hæc consideratio generalem doctrinam, & vtilißimam cognitu: Ne de religione & Dei cultu secundùm nostri animi aut aliorum intentionem iudicemus. Deus enim cùm per se inuisibilis & humanæ etiam menti incompræhensibilis sit (quo nomine lucem inaccessam habitare dicitur) non aliter à nobis quàm in Verbo suo verè & certò cognosci potest. Vnde sequitur, neque etiam verè illum coli posse, nisi ea ratione, quam nobis in Verbo suo reuelauit. Itaq; cultus falsus, erroneus, superstitiosus, vanus & noxius est, quemcunque homines ex semetipsis instituunt. Nam quæcunq; aut qualiscunq; sit eorum intentio, cultus tamen eiusmodi omnis ad diabolum redundat, qui solus illo oblectatur, eò quòd ex hominum erroribus atq; interitu voluptatem capiat. Id verò non de prisca modò gentium idololatria, aut eorum superstitionibus intelligi debet, qui hodie inter Orientales populos & terras nuper inuentas Deos falsos sub horribili imaginum terrificarum specie colunt: verumetiam de illis cultibus, qui inter Christianos quoque iam aliquot sæculis in vsu fuerunt. Nam hi quoque Deum sibi fingunt, qui imagine exprimi possit, & qui ex hominibus Semideos quosdam faciat, quorum opera in rerum administratione vtatur. Cultum ergo exercent, qui totus ferè simulachrorum cultura, altarium & templorum ornatu, Missæ sacrificio, suffitibus crebris, diebus festis, cantu, organorum multipici harmonia, ludis denique & omnibus alijs rebus constat, quibus olim gentes suos Deos colebant. Et cultum illum partim Deo vero impendunt, partim in Diuos cœlites & Angelos distribuunt. At non recipit illum Deus, qui iam olim talia ipsi obtrudentibus dixit: Quis requisiuit ista de manibus vestris? Et Angelos diuinis honoribus coli nolle eius testimonio probatur, qui olim Ioanni visionum maiestate abrepto, vt ad pedes ipsius sese prosterneret, dicebat: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora. Et Apostolus Angelos scribit ministratores spiritus esse, qui ministerij causa mittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Quoad Diuos, ij quidem cùm in terris viuerent, egregiam Deo operam nauarunt, vt quàm plurimos ad veram eius cognitionem atque cultum adducerent, se autem adorari & coli adeò noluerunt, vt intolerabile scelus illis visum sit, si quos tale quid tentare viderent, sicuti Ioannis & Petri, Pauli & Barnabæ exempla testantur: at nunc in cœlis ab omni rerum humanarum cura liberi beata immortalitate fruuntur. Magnam ergo illis iniuriam faciunt, quicunque tales iam esse fingunt, qui diuinos honores ambiant, & à nobis inuocari velint, cùm neminem defunctorum vnquam ab aliquo veri Dei cultore inuocatum fuisse legamus. Cùm ergo neque Deus, neque Angeli, neque Sancti qui in cœlis agunt, ea ratione coli velint aut poßint, quid restat, quàm vt cum D. Ambrosio dicamus, sub tegmine simulachrorum diabolum coli, cui per eiusmodi cultum lusus iucundus & optatus exhibetur? Qui plura de hac re audire volet, D. Augustinum legat in Enarratione Psal: 96: vbi de Angelis simul & Sanctis eorumq; cultu prolixè disputat.

De religione non iudicandū nostri animi intentione.

1. Tim. 6.

Apoc. 22. & 19.

Heb. 1.

Acto. 3. et. 14.

Non possumus simul Christo & dæmonijs communicare.

Porrò Conclusionem huius argumentationis infert Apostolus, qua simul exponit quod dixerat, Nolim vos participes dæmoniorum esse. Et ne ipsum satis pro imperio loqui putarem, neque aliqua certa ratione niti, mox subijcit: Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Nisi quis miretur, quomodo eos id posse neget, quod subinde faciebant? Imò hoc nomine illos ipse accusat, quòd cùm ad Cœnam Christi mysticam accederent, & in illa fidem Christianam profiterentur, nihilominus tamen idololatrarum sacris communicarent. Sed in præsenti non tam de externa actione Cœnæ loquitur, quàm de vera communione Christi & Ecclesiæ, quam in Cœna nobis referri & visibiliter confirmari supra diximus. Perinde ergo ista dicuntur, ac si quis mulieri dicat: Non potes in thoro coniugali iacere, simulque vagis libidinibus vacare: Item: Non potes anulum, coniugij arrham, gestare, & simul amatorum munusculis superbire. Eodem sensu Corinthij admonentur, veram illam communionem, quæ credentibus cum Christo intercedit, ipsis constare non posse, quoad dæmoniorum participes aut consortes fuerint. Vt enim nulla communio est Christi et Belial: ita illi fidem seruare non possumus, si vel minima ex parte huic adhæreamus. Et ex Eliæ Prophetæ dicto constat, Deũ non probare eos cultores, qui in vtrumque latus claudicãt, & non ipsum solum ex toto corde & tota anima diligunt. Vides hoc loco, quàm procul Prophetæ & Apostoli ab eorum sententia abfuerint, qui hodie impios & indignos corpus Christi edere, & eiusdem sanguinẽ bibere contendunt. Vt enim Christo simul & diabolo cõmunicemus, impossibile dicit esse Paulus: At impij cum diabolo cõmunicant: Ergo iisdem cum Christi corpore & sanguine communio nulla esse potest.

Diabolus ritus à Deo traditos imitatur.

Psal. 11, 6.

Pulchre autem Conclusionem vtrique symbolo Cœnæ Dominicæ applicat, vt euidentius constet diaboli astutia, qui in constituendo idolorum cultu morem sanctorum patrum, imò ipsius Christi exemplum secutus est, quod is in Cœna sua obseruari voluit. Vt enim patres olim in suis epulis sacris à calice gratiarum actionis exordiebantur, cuius Dauides quoque in Psalmis meminit, & quo Christum Cœnam paschalem exorsum fuisse Lucas scribit: ita ethnici quoque in sacrificijs suis & conuiuijs, quæ ex carnibus immolatis instituebantur, libationibus certis Deos illos inuocare & placare solebant, in quorum honorem sacrificium totum vnà cum conuiuio illo erat institutum. Exempla & testimonia huius rei in scriptoribus, & quidem in Poëtis maximè, passim sunt obuia, vt eorum commemoratione nequaquam sit opus. Libationes ergo illas poculum dæmoniorum dicit, sicuti epulum illud vniuersum mensam dæmoniorum appellat. Nec temere dæmoniorum mentionem tertiò repetit, cùm hæc sola ab omni alienæ superstitionis commertio eos absterrere posit, qui non omnem religionis sensum exuerunt. Non possunt enim non ad diaboli recordationem exhorrescere homines Christiani, qui Dei Filium ideo in mundum venisse sciunt, vt illius opera destrueret, & nos sui sanguinis pretio ex illius tyrannide liberaret.

Pauli doctrina ad nos quoque pertinet.

Gen. 35.

1. Sam. 7.

At meminisse oportet, Paulum hoc loco nobis quoque loqui. Nec enim nos ad suam communionem Christus admittet, nisi prius alienis superstitionibus ex animo renuntiemus. Nam cùm semetipsos abnegare debeant qui germani illius discipuli esse volunt, quantò magis alia omnia relinquant oportet, quæ fidem in ipsum aliquo modo labefactare possunt? Vidit hoc olim Iacob patriarcha, qui cum tota familia ascensurus in Bethel, vt ibi sacra faceret Deo, qui eodem in loco promissionem venturi Christi cum ipso instaurauerat, hoc ante omnia curauit, vt Deos alienos & quæcunque ad horum cultum faciebant abijcerent. Et Samuel Dei fœdus cum populo innouaturus, ab hoc ipso initium fieri voluit, & ideo dicebat: Si toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos & Astaroth è medio vestri, & præparate cor vestrum ad Dominum, & ei soli seruite. Sunt ergo reuera miseri & infelices, qui hodie in hominum superstitiosissimorum gratiam Missas audiunt & alijs simulachrorum cultibus communicant, simul autem ad Domini quoque Cœnam accedunt, & cum illo communionem habere volunt. Possent quidem illi sese impudenter in Ecclesiæ consortium ingerere, Christianorum nomen nobis inuitis vsurpare, Sacramento corporis & sanguinis Christi communicare, cum ipso Christo autem communionem veram habere non poterunt, neque eius corpore & sanguine ad vitam æternam frui, cùm fide vera destituantur, quæ sola communionis illius

illius veræ vinculum est. Quid igitur illi aliud faciunt, quàm quòd semetipsos ab ea communione excludunt, ex qua omnis nostra salus dependet? Rectè ergo olim sanctissimi Reges sacra aliena extirparunt, vt solius veri Dei cultus locum haberet. Rectè olim Constantinus & Theodosius fecere, quorum ille quidem templa idolorum clausit; hic verò sub Iuliano rursus aperta funditus euertit. Rectè D. Ambrosius Symmacho sese opposuit, qui Romanorum nomine apud Imperatores petebat, vt sacra vetera, & inter hæc Victoriæ aram instaurare liceret. Et hodie Christianos magistratus pro suo populo imprimis excubare conuenit, vt non obiter modò Veritatis doctrina prædicetur, verùmetiam omnis superstitionis species atque occasio tollatur.

Deus non prouocandus ad æmulationem.

Cæterùm non ignorabat Paulus, multis hæc omnia leuicula putari, & hos adhuc suis rationibus insistere, quibus factum suum tuebantur: quapropter altius nunc insurgens, graui & horribili sententia illos territat. An (inquit) prouocamus ad æmulationem Dominum? num validiores illo sumus? Quasi diceret. Cùm ista sic sese habeant, & non solùm manifesto Dei verbo, verùmetiam omnium sæculorum exemplis abunde probata sint, quid opus est rationibus atque argumentis humanis contendere? An nondum intelligitis vobis non mecum, neque cum vllo alio mortalium, sed cum ipso Deo rem esse? Num igitur cum illo litigare, & ita illum ad æmulationem & iram iustam prouocare vultis? Et si hic vobis animus est, dicite quæso, quibus argumentis eius veritatem expugnare, aut quibus viribus & armis illius potentiam vincere possitis, si semel iusta ira inflammatus su[illegible] iudicium in vos stringere incipiat? Stultus & insanus putatur, qui hostem se potentiorem lacessit: & vos Deum, qui nutu suo cœlum terramque concutit, in certamen prouocare non veremini? Proprie autem verbo παραζηλοῦν vtitur, quod de ijs dicitur, qui non ad iram quamlibet, sed ad æmulationem prouocant aliquem, quæ iram iustam parit. Faciunt illud impudicæ mulieres, quæ non contentæ fidem coniugale violauisse, insuper in mariti conspectu cum adulteris suis comessantur, ludunt, & quiduis faciunt, quo illos irritari sciunt. Et seruit toti huic negotio Metaphora ista, propter coniugium spirituale, quod nobis cum Deo intercedit, qui vt in Lege prohibet, ne Deos alienos coram facie eius nobis fingamus, ita se zelotypum esse profitetur, qui istud nullo modo ferre possit aut velit. Quid verò aliud faciebant Corinthij, quando à mensa Domini ad Deorum falsorum sacra atque conuiuia transibant? Annon similes erant adulteræ, quæ à viri mensa vel etiam thoro coniugali surgens cum adultero palàm miscetur? Neque poterant hanc perfidiam excusare aut extenuare, cùm in simili causa iisdem verbis Moses contra Iudæos vtatur, ad quæ Paulus in præsenti alludit. Vide Deuter. 32.

Quomodo Deus prouocetur ad æmulationem?

Rursus autem obseruabis, hoc ipsum omnibus dici, qui ea in disceptationem vocant, quæ Deus in Verbo suo disertè pronuntiauit. Vult enim is nobis firmum ratùmque esse, quicquid dixerit, & eius voluntas nobis summæ rationis loco esse debet, ad quam confirmandam nullis præterea argumentis opus sit. Nefas ergo fuerit cum illo disputationem instituere, quasi nos aliquid melius, vtilius aut commodius excogitare possimus. Est autem huius doctrinæ vsus multiplex. Et primo quidem ad vitam & mores debet accommodari. Sunt enim hîc multi nimium artificiosi in excusandis sceleribus, quæ contra expressam Dei voluntatem designant. Sed tunc cogitare oportet, humanum quidem esse peccare: at peccatum defendere velle id verò θεομαχεῖν est, id est, cum ipso Deo bellum suscipere. Fecit hoc olim Cain & post hunc Pharao, Saul & plures alij, quorum omnium infelix fuit exitus. Imprimis autem in religione hoc obseruari debet, quæ nisi ad Dei nutum instituatur, ne nomine quidem hoc digna est. At hanc omnem certis capitibus olim Deus compræhendit, quorum summa in Decalogo & in Symbolo quod Apostolorum vocant, continetur. Quàm multos autem hodie est videre, qui illa palàm negant, aut spinosis disputationibus inuoluunt, vt eorum loco sua figmenta possint rudi vulgo obtrudere? Quid verò de illis dicemus, qui cùm se rationibus & argumentis destitui sentiant, ad vim conuersi ferro & igne de ijs decerni volunt, quæ ad Dei cultum & æternæ salutis negotium pertinent? Fit istud passim hodie, & istis ferè rationibus pugnant, qui Romani Pontificis primatum, Missæ sacrificium, imaginum cultum, ignem purgatorium, indulgentias papa-

les & sexcenta alia aduersus manifestum Dei Verbum tuentur. Sed omnes isti Deum ad æmulationem prouocant, & aliquando magno suo malo experientur, quàm nullæ ipsis aduersus illum vires sint. Nec enim dormit, qui olim per Dauidem dixit: Zelus domus tuæ comedit me. Et exempla sunt cùm vetera tum recentia, quæ his fidem possunt facere. Debet ergo hoc Apostoli dictum semper in auribus & animis nostris sonare, vt partim nos admoneat, quid in re quaque facto opus sit: partim vt ex eo consolationem petamus aduersus eos, qui nobis propter fidem in vnum Deum & propter verbum eius negotium faciunt. Nec enim nobiscum, qui vt oues mactationis sumus, illis res est, sed cum æterno Dei Filio, IESV CHRISTO, cui omne iudicium dedit Pater, & potestatem omnem in cœlo & in terra. Huic facile fuerit, & illorum proterui am frangere, & ecclesiam suam tueri, quam sanguinis sui pretio redemptam sibi despondit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Psalm. 69.

HOMILIA LIIII.

Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est. Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius. Quòd si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. At si quis vobis dixerit, Hoc idolis immolatum est: ne edite, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius. Conscientiam autem dico, non tuam, sed illius alterius: Cur enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Et si ego per gratiam participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago?

QVamuis Deus, qui spiritus est, mente & spiritu adorari atque coli velit, plurimum tamen refert, vt externa religio rectè instituta sit: partim quidem propter nos, quos externis exercitijs in cœlestium & spiritualium contemplationem excitari oportet: partim propter ipsum Deum, qui cùm ipsa sit veritas, nihil à nobis fictum aut simulatum vult fieri. Vehementer ergo & perniciosè errant qui de animi integritate & fidei synceritate ita gloriantur, vt in externis sibi nihil non licere putent, & quorúmuis arbitrio sese accommodent. Quia enim illa ad fidei quoque confeßionem faciunt, in qua ingenuam fortitudinem atque constantiam Christus requirit, magno studio nos anniti decet, ne quid dicamus vel faciamus, quo hæc labefactetur, aut cum aliorum scandalo in suspicionem veniat. Et huc referri à nobis debet tota hæc Pauli Apostoli de idolothytis tractatio: In qua nuper ostendit, eos qui circa illa sibi indulgent, rem præstitu impoßibilem tentare, vt nimirum germana Ecclesiæ Christi membra sint, & simul dæmoniorum participes fiant: & vt huius audaciæ atrocitatem melius exprimeret, disertè pronuntiauit, eos qui id faciunt, ipsum Dominum ad æmulationem & quasi ad certamen prouocare, cuius non poßit non infelicißimus, quoad ipsos, euentus expectari. Poterat hæc comminatio abundè sufficere ijs, qui serio pietatis & gloriæ Dei studio tanguntur: at quia aduersarij noua quotidie effugia captabant, rursus ad præcipuas eorum obiectiones respondet.

Repetit obiectionem de libertate Christiana.

Initiò autem ad illud redit, quod in tota hac causa aduersarij nunquam non in ore habebant: Christianis nimirum hominibus ex iure libertatis per Christum partæ licere omnibus, quæ à Deo data sunt, tutò vesci, neque illos vllis legibus, quoad ciborum delectum, teneri. De quo etsi supra quoque Cap. sexto & nono dixerit, hîc tamen quæ tunc dicta sunt repetit: eò quòd vix quicquam tam difficile est, quàm fræno certo carnem continere, ne libertate Christiana in licentiam

centiam abutatur. Vt verò minus odij habeat tractatiò, in seipsum hoc omne transfert, & in propria persona loquens ait: Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Primùm libere & ingenuè fatetur quod illi iactabant, vt ostendat, se Christianorum libertati nihil prorsus derogatum velle, quò minus hæc pijs salua maneat. At ex altera parte mox docet, non ideo quiduis esse faciendum, neque Christianum hominem decere, vt sua libertatis iure semper & apud omnes vtatur. Causam huius exceptionis allegat, quòd non omnia conducant, neque etiam omnia ædificent. Potest autem hæc causæ redditio tam ad eos, qui libertate sua licentius vtuntur, quàm ad alios extendi, quibus cum illis res est. Quoad illos enim, satis constat, non semper ipsis vtile esse, vt faciant quicquid licet: sed vtilius interdum esse, vt cupiditates suas arctioribus habenis coërceant. Quia quò magis indulgemus carnis nostræ desiderijs, eò magis illa accendimus, vt tandem in illicitis quoque nobis dominentur. Fit ergo plerunque quod Clemens olim prudenter admodum & verè dixit. Qui faciunt quicquid licet, huc cito delabuntur, vt faciant quod non licet. Est enim (vt aliâs monuimus) insatiabilis hominum cupiditas, & vt flamma vorax, quoad materiam sibi obiectam habet, subinde latius serpens, absque omni discrimine proxima quæque corripit: ita carnis affectus modum nesciunt, & indulgentia nimia confirmati, ne ab illis quidem abstinent, quæ tam diuinis quàm humanis legibus prohibentur. Ita verò libertas in turpissimam seruitutem degenerat, quæ facit vt carnis & affectuum plus quàm belluinorum mancipia fiant, qui in spiritus libertate soli Deo seruire & propriæ saluti consulere debebant. Quem ergo fructum ex libertate sua recipit, qui eius persuasione deceptus ea designat, quorum ipsum non potest non pudere, si resipiscat, & quæ præsens illi exitium afferunt, si in ijs pergat? Quoad alios autem, res est manifestior: quia qui adhuc in fide infirmiores sunt ij non possunt non offendi, si quos absque omni ratione licentius agere videant: qui verò à fide prorsus sunt alieni, ij ex eo calumniandi occasionem arripiunt. Vtrumque verò non ædificat, sed destruit potius, & Euangelicæ doctrinæ cursum remoratur. Vult ergo, vt gratis quidem animis agnoscamus libertatis per Christum nobis quæsitæ beneficium, eius verò vsum pro temporum, locorum & personarum ratione restringamus, vt tam nostræ quàm multorum aliorum vtilitati seruiat: & ne quis etiam vtilitatis nomine abutatur, de ea se loqui docet, quæ cum ædificatione in vera fide coniuncta est. Etenim si bonus paterfamiliâs, etsi merum in sua domo imperium habeat, non tamen temere quiduis facit, sed familiæ et totius rei domesticæ rationẽ habet ne quid huic incommodet: quantò magis hoc Christianos homines obseruare decet, qui etsi in domum Dei adoptati sint, vt spiritu filiorum Dei & communi cum his bonorum cælestium hæreditate fruantur, Christo tamen subiecti sunt, qui ferre non potest, vt vel domus suæ ordo & administratio turbetur, vel quisquam ex ipsius domesticis nostra licentia pereat?

Ideo generalem sententiam subijcit Paulus, qua omne id comprehendit, quod in hac causa dici poterat. Nemo (inquit) quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est. Sua quærere dicuntur, qui suis modò commodis student, nulla aliorum ratione habita. Est hoc commune vitium nobis à natura insitum, vt (quod Comicus olim obseruauit) omnes sibi melius esse velint, quàm alteri. Et tanta huius philautiæ vis est, vt religionem quoque corrumpat, quo nullum fingi potest efficatius vnitatis & communionis vinculum. Facit enim, vt sub huius prætextu plerique priuatum commodum quærant, & suam licentiam saluti aliorum præferant. At hunc affectum à Christianis hominibus Paulus alienissimum esse vult; vt qui aliorum potius quàm suis priuatis commodis intenti esse debeant. Et huius præcepti sui rationes grauissimas adducere poterat, quas tamen breuitatis causa omittit. Primò enim (quod philosophi quoque monuerunt) constat, neminem mortalium sibi soli natum esse, sed partem nostri sibi vendicare parentes, partem aliam natale solum, partem verò amicos. Imò eos demum Dijs simillimos fieri dixerunt, qui quàm plurimis benefaciunt. Ergo in communes humanitatis leges peccare dicimus eos, quicunque ita sibijpsis solis priuatim viuunt, vt alios omnes securè negligant. Deinde vrget nos charitatis fraternæ Lex, quam ea conditione nobis Christus commendauit, vt tunc demum nos discipulorum & amicorum loco habiturus sit, si alij alios diligamus, sicuti

Nemo quod suũ est quærat.

ipse nos dilexit. Ideo Paulus, cùm hanc ipsam causam in epistola ad Romanos ageret, Christi exemplum adducit, quod omnes imitari debeant. Debemus (inquit) nos qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipsis. Vnusquisque enim vestrûm proximo indulgere debet in bonum, ad ædificationem: Nam & Christus non indulsit sibijpsi, &c. Et sanè si huius exemplum diligenter excutiamus, illum nihil suijpsius causa, sed omnia propter nos fecisse videbimus. Propter nos enim cùm in forma Dei & Patri æqualis esset, humiliauit sese, & non homo solùm factus est, sed serui formam assumpsit, vt nos Dei filios & suos cohæredes faceret. Propter nos peregre & sub censu natus est, vt patriam nobis in cœlis pararet, & ex diaboli tyrannide miseros eriperet, virgamque exactoris illius improbissimi (vt olim Isaias promiserat) confringeret. Propter nos pauper factus est, vt nos æternis regni cœlestis thesauris beatos faceret. Propter nos genus omne iniuriarum sustinuit, vt nos æternæ damnationis ignominia liberaret. Propter nos denique acerbam & infamem in ara crucis mortem subijt, & pro nobis peccatum factus est, vt nos per ipsum iustitia Dei efficeremur. Ad tanti ergo exempli imitationem sese accingere debent, quicunque germani eius discipuli esse volunt: & pudeat ipsis aliquid graue & iniquum videri, quod Dei Filium pro nostra salute fecisse vident. Deniq; ædificatio nobis studiorum & actionũ omniũ finis atque scopus sit, & ita à salutis tramite nequaquam aberrabimus. Sunt hæc quidem dictu facilia, & (cùm in genere tractantur) auditu quoquè iucunda sunt: at si cùm his nostri sæculi mores conferas, paucos reperies, qui ab illicitis & inconceßis abstinere velint in eorum gratiam, quos publica multorum licentia offendi audiunt. Sentient illi aliquando, quid sit Christi nomine ad eorum destructionem abuti, quos ille proprij sanguinis pretio redimere dignatus est.

Rom. 15.

Isa. 9.

Occurrit quæstionibus ex foro & priuatis conuiuijs petitis.

Cæterùm vt ad Pauli institutum & præsentis argumenti tractationem redeamus, noua difficultas & periculum ineuitabile ex publico more pijs obijciebatur, quæ nouas obiectiones aut quæstiones pariebant. Nam vt in historijs est videre, solebant interdum sacrificia liberaliter & tanta cum multitudine victimarũ fieri, vt earum carnes in epulo sacro simul omnes absumi nõ possent. Tunc ergo quæ reliquæ fiebant, in macello publice vendebantur, & ex his collecta pecunia ad sacerdotes redibat. Et huius moris D. Augustinus in expositione propositionis 78. ex epistola ad Romanos meminit. Accedebat huic mori alius quòd aliqui ex carnibus victimarum partem aliquam domum deferrent, vt domesticos suos, qui epulo sacro non potuerant interesse, eius ita participes facerent. Ex quo inter Christianos consuetudinem natam esse verisimile est, vt ex pane & poculo Cœnæ Dominicæ aliquid ad eos, qui domi ægrotabant, allatum fuerit: quod non aliud fuit, quam ex Cœna publica priuatam facere, & multis superstitionibus occasionem præbuit. Erant itaque immolatitiarum carnium tam in foro quam in ædibus priuatis omnia plena, vt illarũ esum omnino vitare impoßibile esset. Hinc ergo quidam occasionẽ arripiebant, vt Paulũ rẽ obseruatu impoßibilẽ & Christianis hominibus indignã præcipere clamarẽt. Quia enim et in macello immolatitiæ carnes inter vulgares promiscuè vẽdũtur (dicebãt) et in priuatis quoq; conuiuijs apponuntur, in vniuersum caueri non poterunt, nisi ab omni carniũ esu abstinere, adhæc omnem hominum consuetudinem fugere libeat. At quid hoc aliud est, quàm libertatem Christianam prorsus abrogare, & quoad ciborum delectũ Christianis iugũ imponere Mosaico illo longè intolerabilius, eò quòd simul amicitiã inter homines è medio auferat? Habebãt hæc magnũ momentũ apud rerũ imperitos, nec dubium est hisce clamoribus multos vehementer offensos fuisse, vt Pauli doctrinam indignius ferrent. Quapropter ne quid intactum relinquat, quo vel infirmiores offendi, vel gulæ dediti calumniandi et tergiuersandi occasionem arripere possent, doctrinam hanc quæstionibus istis applicat, & quid in vtroque casu Christiani obseruare debeant, diligenter docet.

Distinguit inter macellum & idolorum templa.

Et de primo quidem breuius agit his verbis: Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini enim est terra & plenitudo eius. Distinguit inter idoleum siue templum idolis consecratum, de quo supra, & macellũ seu forum publicum, in quo omnis generis carnes venduntur. Illud enim pro sacro habebatur, & absque controuersia sacræ dicebantur carnes, quæ illic apponi solebant: macellum verò inter locos prophanos numeratur, & in eo cuiuis licet emere, quæ vitæ sustentandæ seruiunt. Quoad ergo macellum, conscientias omni-

mem

mini vis solicitudine liberat, & apertè monet, ea quæ hucusq; de vitandis carnibus immolatitijs dicta sunt, non debere in forum vsq; extendi, vbi quod in idoleo sacrum erat, iam omnium vsui expositum est, & proinde sacrum esse & haberi desijt. Imò edite (inquit) quicquid illic venditur, nihil interrogantes propter conscientiam. In Græco ἀνακρίνειν habetur, quod est intra semetipsum hærere, & in vtramq; partem ratiocinari, liceat ne an minus aliquid facere. Eiusmodi ergo hæsitatione in ijs, quæ publicè venduntur, nequaquam opus esse ait, propter conscientiam, id est, quoad causam religionis, & quatenus ipsis cum Deo res sit, qui animi puritatem maximè requirit. At quia impossibile est, hominem in animo suo securum & tranquillum fieri, nisi de Dei voluntate certus sit, doctrinam hanc spiritus sancti testimonio confirmat, quòd in Psalmo 24. habetur. Composuit illum Dauid, cùm templi sedem aut locum ipsi Deus monstrauisset: ideoq; prima eius parte eorum superstitioni occurrit, qui religionem certis locis alligare student, & vt illorum opinionem falsi arguat, dicit: Domini est terra & plenitudo eius: orbis & qui eum inhabitant: Ipse enim super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Quia autem plenitudo terræ Hebræis omnem rerum creatarum abundantiam significat, qua Deus illam ornauit & instruxit, non præter rationem Paulus dictum istud huic causæ accommodat, in qua de libero ciborum quorumuis esu disserit. Cæterùm primo intuitu non admodum bona aut probabilis consequentia esse videtur. Domini est terra & plenitudo eius, Ergo omne quod in foro vænit edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Diceret enim illusor aliquis Lucianicus: Quid ad te ô bone, quòd omnis terra & quæcunq; ea continentur, Domini sunt? Num ideo tibi omnibus illis, vt proprijs, vti licebit? Quin potius illa tua esse demonstras?

At hîc duo oportet tenere, & mox patebit Pauli argumentum validissimum esse. Primum, quòd ideo hæc omnia Domini esse dixit Dauid, quia ille omnium creator est & conditor. Constat autem Deum quæcunq; fecit, bona fecisse, ita vt ex semetipsis nihil impurum aut vitiosum habuerint. Nam vidit Deus (inquit Moses) omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum. Cùm ergo res creatæ omnes per se bonæ sint, & eædem in Dei possessione atq; protectione maneant, vtut illis homines mali abutantur, in semetipsis polluti non possunt, quin pijs bonæ sint. Istud ergo superstitioni eorum medetur, qui carnes ex idolis aut immolatione, quæ idolis fiebat, aliquam pollutionem contrahere suspicabantur, & ideo ab illis abhorrebant, etiamsi vel in macello venderentur, aut in priuatis conuiuijs apponerentur. Alterum, quòd quæ Domini sunt, ad eos quoque pertinent, quos ille pro suis agnoscit. Nam initiò omnia propter hominem facta sunt, & Deum tunc scimus dixisse: Faciamus hominem in imagine nostra, secundùm similitudinem nostram; & dominetur in piscem maris & in volucrem cœli, & in iumentum, & in omnem terram, & in omne reptile, quod reptat super terram, &c. Quam Dei bonitatem Dauid in Psalmis considerans, exclamat: Ecquid est homo mortalis, vt eius memineris? & filius hominis, vt eum inuisas? Paululum siquidem est, quòd Deo inferiorem illum fecisti, gloria & decore cinxisti eum: Constituisti eum dominum super opera manuum tuarum, cuncta pedibus eius subiecisti: Greges & armenta vniuersa, etiam pecora campi, &c. Et quàmuis dignitas ista per peccatum euersa sit, inq; eius locum successerit maledictio, quæ hominibus omnia infesta reddit: hæc tamen nunc in solis impijs hæret, pijs autem & credentibus in illud antiquum restituit Christus, qui nos sanguinis sui lauacro purificatos Patri ita reconciliauit, vt ex eius manu nos accipere sciamus, quæcunq; ad huius vitæ sustentationem faciũt, ideoq; nobis pura, & proinde licita & concessa sunt omnia, quæ cum gratiarum actione sumimus. Quibus adde, nos ea conditione in filios adoptatos esse à Deo, vt Christi fratres atq; coheredes simus. Quia ergo illi omnis potestas data est in cœlo & in terra, nosq; cœlestis regni hæreditatem olim cum illo possidebimus, æquum certè est, vt quoad in terris viuimus, rebus creatis libere fruamur, quoad illis ad vitæ nostræ sustentationem opus fuerit. Verè ergo & rectè Paulus argumentatur.

Debet autem ex hoc loco generalis doctrina peti, nullius conscientiam nouis legibus de ciborum delectu, aut discrimine esse grauandam. Si enim carnes, quæ prius impijs vsibus & idololatriæ consecratæ erant, Christianis hominibus licitæ fuerunt & mundæ, quantò minus ea prohiberi debent, quæ ne abusu quidem vllo polluta sunt? Et cùm Deus ipse homini omnium, quæ ipse creauit, vsum fecerit, sacrilegij species est, id cuiquam negare aut eripere, quod Deus dedit. Rursus, quia re-

Christiani omnium domini sunt.

Gen. 1.

Psal. 8.

Contra ciborum delectum.

gnum Dei non est cibus aut potus, temeritas inexcusabilis fuerit illud absque Dei verbo in ciborum quorumcunque abstinentia monstrare. Qui enim nos sumus, vt in regno Dei leges condamus nouas, easque Dei legibus contrarias? Non temere igitur Apostolus in priori ad Timotheum dæmoniorum doctrinam esse dicit, quæ à cibis certis abstinere iubet, quos in nostrum vsum Deus condidit. Atque vnum hoc abunde arguit incurabilem Pontificum contumaciam, qui in tam clara Euangelij luce, quæ vulgò omnibus nota est, adhuc traditiones suas firmas & ratas esse volunt. Nimium ergo simplices sunt, qui illos in suis Concilijs de reformanda ecclesia seriò cogitare putant.

1.Tim. 4.

De priuatis conuiuijs.

Porrò ad alteram quæstionem de conuiuijs priuatis accedamus, quam pluribus & diligentius tractat. Sic enim scribit: Quòd si quis infidelium vos vocat (videlicet domum suam, non in idolæum aut epulum sacrum) & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam: At si quis vobis dixerit, Hoc idolis immolatum est: ne edite, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam, &c. Primò, si vultis ire, inquit. Ergo liberum illis facit, vt ad eiusmodi conuiuia honoraria & amica accedant, vel minus, prout ipsis commodum videtur. Locutione autem ista admonet, vt probè apud se dispiciant, & nihil faciant absque certo consilio. Nam in vniuersum ab omni infidelium congressu abstinere, minimè consultum est: quia qui hoc faciunt, simul omnem ipsos lucrifaciendi occasionem negligant, oportet. Rursus qui hîc temerarij & leues sunt, ij ferè periculis sese implicant, & interdum fidei naufragium faciunt inter pocula, dum multa præter officium dicunt & faciunt ipsi, ad multa etiam impiè facta conniuent, multa item turpiter dissimulant, ne parum commodi aut grati hospites videantur. Verus ergo & proprius conuiuiorum vsus spectari debet, qui est, vt primò quidem amicitia conseruetur: deinde vt occasionem habeamus in viam reducendi eos, qui hactenus aberrauerunt, vtque maiori erga eos libertate possimus vti. Instituuntur interdum etiam, vt cum amicis gratias agamus Deo pro singulari aliquo beneficio, quo nos ornare dignatus est. Sic Abrahamus conuiuium magnum instruxisse legitur, cùm filium Isaacum Sara ablactaret. Et huius generis multa inter pios & sanctos olim facta fuisse & adhuc hodie fieri videmus. Neque peccant statim, qui ab infidelibus vocati veniunt. Nam Christum eiusmodi conuiuijs non semel interfuisse scimus, quando à Scribis & Pharisæis vocabatur. Licet ergo etiam hodie Christianis hominibus eodem animo & instituto ad eorum mensam accedere, qui à nobis in religione dissentiunt, non tamen omnino hostiliter affecti sunt, sed nostram præsentiam atque colloquia ferre possunt. Et constat hîc sæpe optatas occasiones offerri, quibus multi ad Christum adducuntur, multi mitiores fiunt & Veritati magis propitij. Vbi verò spes nulla est aliquos lucrifaciendi, periculum autem multiplex sese offert, ne quid à nostra professione alienum facere aut ferre cogamur, satius fuerit à conuiuijs & reliquis commercijs impiorum non necessarijs abstinere. Hæc si hodie omnes diligentius expenderent, mox viderent quid ipsis in hoc casu sit obseruandum, & fortassis minus delectarentur eorum mensis, quos constat omnia insidiosè agere, & omnem quærere opprimendæ veritatis occasionem.

Gen. 21.

Distinguit inter priuata conuiuia.

Cæterùm distinguit inter ista conuiuia Paulus, & casum ponit duplicem. Primus est, quando nulla de cibis mouetur quæstio aut controuersia, sed hi omnes apponuntur vt vulgares & soliti cibi. Tunc (inquit) edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Sensus est: Nolim vos curiosos aut solicitos esse, quænam aut quales sint carnes quæ apponuntur. Nam siue immolatitiæ fuerint, seu minus, vobis tamen fraudi esse non possunt, cùm vt vulgares ex solito more apponantur, & vos ijsdem absque omni superstitione, vt vulgaribus vescamini. Ita verò & conscientijs Christianorum consulit, & simul monet, ne ipsi conuiuia, quæ honoris aut amicitiæ ergô instituta sunt, temere turbent, & ex illis rixandi materiam venentur. Meminerint ergo Christiani homines, hoc loco generalem regulam præscribi, ne ipsi sine causa lites moueant inter eos, qui amicitiæ siue honoris causa ipsos vocarunt. Solent hoc quidam morosiores æquo, qui vt singularis sanctimoniæ & pietatis existimationem sibi parent, nihil non in quæstionem vocant, disputationes intempestiuas passim instituunt, & tantum non rationes totius œconomiæ exigunt ab ijs, à quibus amicè vocati sunt. Solent isti morositate sua sæpe eos offendere, qui attrahi & lucrifieri poterant, si ipsi se commodiores præberent. Quàm verò ridiculi sunt Anabaptistæ, qui si lautioris fortunæ homines ipsis hospitium præbeant, & cibos quoque delicatiores apponant, auidè quidem illi ventres suos farciunt, nihil

Anabaptistæ.

interrogantes

interrogantes propter conscientiam: at vbi eò deuentum est, vt hospiti pro accepto beneficio gratias agere debeant, tunc aliquem ex suo grege subornant, qui vultu ad seueritatem & tristitiam composito, in delitias inuehitur, temperantiam Apostolicam laudat, & tandem infelicem illum hospitem accusat, vt acerrima reprehensione dignum propter ea, quibus illi gulam & ventrem suum distenderunt. Mirificum hominum genus, quibus meritò Satyricum illud occinas:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Sed alterum casum videamus, quem sic proponit: At si quis vobis dixerit, Hoc idolis immolatum est: ne edite. Abstinere iubet, si quis alius de cibi genere sermonem moueat, qui disputationi aut controuersiæ occasionem præbere possit. Causam verò adducit: Ne scilicet edant propter illum qui indicauit, & propter conscientiã. At ne sibijpsi contrarius putetur, mox Expositionis loco subijcit: Conscientiam autem dico, non tuam, sed illius alterius. Ergo ne hîc quidem propter cibum alicuius conscientiæ laqueum inijcere vult, & quàmuis abstinere iubeat à cibo post eiusmodi indicium factum, disertè tamen testatur, hoc non ideo fieri debere, quòd cibus per se immundus & illicitus sit, sed ne qua scandali occasio illi detur, qui istud indicium fecit. Is enim aut Christianus erit, aut ethnicus. Si Christianus, haud dubiè infirmus erit, cùm quæstionem de cibo moueat, & ideo cauendum erit, ne per nos offendatur. Sin ethnicus fuerit, periculum est ne malignè & insidiò se captet calumniandi occasionem, qua & suam idololatriam defendat, & Christianam religionem omnium ludibrio exponat. Et verisimile est, frequentes in multorum ore fuisse sermones istos: Videtis ne qualis sit noua hæc Christianorum religio? Deos nostros publicè proscindunt, imagines his positas detestantur, sacra quoq; fugiunt, neq; in templis nostris volunt accumbere. At si qui illis domum suam vocatis carnes ex victimis reseruatas apponant, iam his vesci nulla ipsis religio est. Quis ergo non videat, homines istos gulæ potius & ventris studio quàm religione duci? Hæc (inquam) & his similia tunc vulgò ferebantur: & ideò rectè admonet Paulus, vt abstineant, quàm primùm de cibo quæstio mota fuerit, ne scientes volentes idolorum sacrificijs vel minima ex parte communicare videantur. Et rationem subijcit grauem: Cur enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Id est, cur ego occasionem dem, qua vel infirmus in fide, vel ethnicus, quorum conscientia nondum probè instituta est, in libertatem nostram sibi iudicium sumant, & eam suis cauillis proscindant atque damnent? Damnabatur enim, quando illi gulæ & ventris studio eos duci dicebant, qui sua libertate inconsultius vtebantur. Addit: Et si ego per gratiam participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago? Per gratiam nos participare dicit cibis, vt singulare illud Christi beneficium exprimat, qui & maledictione sublata, & legis maceria disrupta, fecit, vt creatorum omnium vsus iam nobis licitus & sanctus sit. Vult ergo ne tantum beneficium, quo cum gratiarum actione vti debemus, nostra licentia & abusu calumnijs eorum exponamus, qui omnem nos calumniandi occasionem venantur, vt nos impios sacrorum omnium contemptores esse probent. His verò rursus interserit testimonium Psalmi, quod prius adduxerat: Vt nimirum doceat, tam eos qui edunt, quàm qui non edunt, nunquam non meminisse debere, cibos omnes nobis ex Dei manu obtingere. Hoc enim vt ad gratiarum actionẽ nos excitat, & temperãtiam commendat: ita superstitioni quoq; medetur, ne cibum aut potum qualemcunq; aliquid ad æternam salutem conferre putemus. Cur enim hoc credat, qui cibos omnes à Deo esse, & ex huius benedictione sanctos esse nouit? Sed & consolationi seruit dictum istud: quia admonet, non defore nobis victum in hoc penu Domini, tam magnificè instructo, licet à quibusdam abstineamus, quæ non sine scandalo à nobis vsurpari possunt.

Rursus verò doctrinam generalem nobis Apostolus proponit, quæ in omnibus Dei donis obseruari debet: Vt nimirum illis cum gratiarum actione vtamur, & ita quidem, vt vsus hic noster aliorum quoq; bono seruiat. Hoc enim charitatis lex monet, illud autem religio exigit, quæ Deum omnis boni largitorem agnoscere docet. De his autem nos sæpius admoneri vtile est, quia hîc vulgò peccatur. Est enim (vt alibi monuimus) infinita hominis cupiditas, & quàm primùm à Deo oculos reuocat, varijs illecebris inescata, facit, vt ad fastum & voluptates illicitas ijs abutamur, quibus ante omnia Dei gloriam, deinde nostram atq; aliorum salutem prouehere debebamus. Fit hoc non in ijs modò, quæ ad victum pertinẽt, verumetiam in opibus, honoribus, corporis forma &

Nemo sciens communicet idololatriæ.

Vt omnibus Dei donis vti debeamus.

valetudine bona, deniq; in omnibus, quæ nobis ex Dei gratuita liberalitate obueniunt. Est hoc scelus graue admodum, & non postrema causa est malorum, quibus mundum ingratum Deus affligit. Si enim supplicio digni sunt, qui dona regia turpiter polluunt, quis extra culpam vos esse dixerit, qui Dei donis tam turpiter abuti non verentur? Quod verò præcipuum huius loci caput est, docemur, ita cum infidelibus esse versandum, ne minima ex parte fidei nostræ confeßionem labefactemus: quin testemur potius dictis & factis, nos ab omnibus abhorrere, quæ Christi merito & fidei in illum quicquam derogant. Quam regulam si sibi obseruandam proponant, qui hodie ad mensas Monachorum & Abbatum vt muscæ ad mulctra conuolare solent, mox sentient, se non admodum gratos conuiuas esse. Quid multis? Actionum & studiorum nostrorum omnium finis & scopus nobis sit gloria Dei, & vt nos CHRISTO IESV approbemus, in magno illo die, quo veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LV.

Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Estote sine offendiculo & Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius vtilitatem, sed multorum, vt seruentur. Imitatores mei estote, sicut ego Christi.

QVoniam Paulus epistolam hanc ideo scripsit, vt qui in Corinthiacam ecclesiam irrepserant errores corrigeret, multis hucusq; de ijs disseruit, qui contra fidei Christianæ professionem idololatrarũ sacris communicabant, cùm ad conuiuia illorum accederent, quæ ab illis in Deorum suorum honorem instituebantur. Erat vitium hoc non graue modò, verumetiam vulgò apud plerosq; in vsu erat, & plausibili libertatis Christianæ prætextu, deinde pacis etiam publicæ & charitatis studio defendebatur. Ideo multis & grauibus argumentis docuit, ipsos rem Christianis hominibus indignißimam facere. Nam primò ostendit Christianæ libertatis ius nequaquam in eo consistere, vt quæcunq; libet faciamus; sed vt externis & indifferentibus vtamur, prout nobis & fratribus videmus conducere. Ex eo igitur concludit, quòd etsi per se licitum esset ad conuiuia eiusmodi accedere, Christianorum tamen esse, vt ab illis abstineant, quando constet infirmiores quidem in fide hoc exemplo offendi, gentes autem & idololatras in suis superstitionibus confirmari. Deinde rem ipsam aggressus, docuit societatem hanc alienorum sacrorum per se impiam ac detestabilem esse: Per hanc enim eos participes fieri mensæ dæmoniorum, & apertè in fidei confeßionem peccare, quam Christiani in omni casu puram & illibatam seruare debeant. Postremò ad quæstiones quæ hîc moueri poterant, respondit, quid nimirum in foro, quid item in conuiuijs priuatis obseruari debeat. At videbatur res ista nonnullis leuior & minoris momenti esse, quàm quæ tam prolixè & solicitè tractari deberet. Idcirco nunc epilogum inducit, quo docet, non temere se de his tam diligenter egisse: quando hac tractatione contineantur, quæcunque ad vitam rectè & sanctè instituendam faciunt. Primò enim à specie ad genus transit, & regulam præscribit vniuersalem, quam in omnibus actionibus suis debeant obseruare. Deinde hanc proprio exemplo confirmat. Postremò suum quoque exemplum breui sententia illustrat, quæ totius Christianismi summam continet.

Vitæ Christianæ regula.

Primum his verbis explicat: Siue igitur, editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite: Estote sine offendiculo & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Sub Edendi & Bibendi vocabulis Synecdochicè omnes hominis actiones quotidianas, & quæ ob vulgarem vsum plerisque nullius momenti esse videntur, comprehendit. Horum autem potius quàm aliorum meminit, quia de idolothytorum esu hucusq; disseruit, & vt ostendat Christianos homines sui officij in illis etiam meminisse debere, quæ nobis, quoad externum vsum, cum impijs quoq; & incredulis cõmunia sunt. At ne minutioribus illis intentus, alia quæ grauiora sunt, negligere putaretur, addit: Siue quid facitis,

facitis, qualecunq; scilicet illud sit, siue magnum, siue paruum, siue ad Dei cultum, siue ad vitæ consuetudinem & mores pertineat. Verborum ergo sensus est hic: Possum fortaßis quibusdam æquo curiosior videri, qui de cibis tam prolixè disputarim. Sed si rem ipsam expenderitis, & quis hominis actionum omnium scopus esse debeat probè consideraueritis, nihil absq; graui causa abs me dictum esse intelligetis. Est enim homo ad Dei gloriam conditus, de qua cùm hic agatur, huius vtiq; ratio inprimis erit tenenda. Adhæc Christiani hominis est cauere, ne quem dicto aut facto offendat. At eo, quod hactenus fecistis; tam Iudæos quàm Græcos, imò multos etiam ex Ecclesiæ membris adhuc infirmioribus, offenditis. Annon ergo digna est res, quæ diligentius consideretur, ne libertas in licentiam abeat, & ne dum hominum amicitiæ studetis, à Dei gratia excidatis? Non temere autem Iudæorum, Græcorum & Ecclesiæ Dei meminit. Scimus enim Iudæos illo tempore paßim ethnicis permixtos habitauisse. At non poterant illi non offendi, quando Christianos, qui religionem suam Mosis & Prophetarum testimonijs niti gloriabantur, videbant ad idolothytorum epulas accedere. Cogitabant enim, illos Mosem & Prophetas falsò allegare, cùm altaria & idola non horrerent, quæ illi excindere, & ne aurum quidem, quod aliquando idolorum cultui seruijt, in vsus priuatos transferre iußerunt. Similiter exemplum hoc ethnicos quoq; remorabatur, quo minus relictis erroribus ad Christum transirent. Ex illo enim colligebat, simulachrorum cultum non adeò graue scelus esse, & Christianos morositate potius quàm religione aliqua illum damnare. Ad ecclesiam deniq; scandalum istud redundabat, quia (vt modò diximus) infirmiores in fide offendebantur, qui potius confirmari debebant, & simul hostibus dabatur occasio, qua religionem Christianam calumnijs suis vulgò suspectam & inuisam facerent. Deut. 7.

Est autem hæc admonitio nobis diligentius consideranda, eò quòd duobus capitibus omnia complectitur, quæ in omnibus vitæ nostræ actionibus atq; studijs obseruari debent. Primum est, vt omnia faciamus ad gloriam Dei. Ab hac autem orditur, quia qui huius studio tenentur, ij nunquam admittent, vt beneficiorum Dei aut libertatis Christianæ abusu illa in periculum veniat, & hostium calumnijs exponatur. Vt verò illi ante omnia studeamus, Lex naturæ admonet, quæ præcipit, vt filij suos parentes, serui suos heros in honore & pretio habeant. Quantò autem maiori iure hoc à nobis Deus requirit, qui nos cùm nulli essemus, creauit, & ex luto factos in summam dignitatem euexit, adeoq; in homine omnium creaturarum domino, suæ potentiæ & maiestatis simulachrum extare voluit? Superat tamen hæc omnia, quòd perfidè lapsum non modò in dignitatem suam restituit, sed cùm aliter nobis succurri non posset, quàm Filij vnigeniti sanguine, hunc pro nobis in mortem tradere dignatus est, imò hunc potius flagellatum, consputum, spinis coronatum, denique in sublimi cruce inter latrones nudum videre maluit, quàm nos in exitio relinquere, quod ipsi nostris sceleribus nobis accersiueramus. Nec enim eam modò dignitatem restituit, ex qua Adamus exciderat, sed in filiorum numerum adoptauit, & Filij vnigeniti cohæredes fecit. Meritò igitur Paulus monet, vt vicißim nos quoq; illi totos consecremus, & omnia faciamus ad ipsius gloriam. Conuenit admonitio hæc cum Christi præcepto, qui discipulis in Euangelio dixit: Vos estis lux mundi: Splendeat ergo lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Fit hoc, quando vera Dei & voluntatis eius cognitione illuminati, affectus carnis subigimus, omnia verò facimus ad illius præscriptum, vt nostro exemplo illi quàm plurimos adducamus. 1. Christianus omnia faciat ad gloriam Dei. Matth. 5.

Potest ergo hoc latißimè per omnes huius vitæ actiones extendi. Nam vt ab eo, de quo hic agitur, exordiamur, glorificatur Deus edendo & bibendo, si illum cibi atq; potus largitorem agnoscimus, eidem pro hisce donis gratias agimus & eius beneficentiam prædicamus: si item illis temperanter vtimur, & nostro exemplo alijs authores sumus similia faciendi: deniq;, si ex nostra abundantia pauperum inopiam subleuamus, vt hi quoq; nobiscum lætari, & pro ijs, quæ à nobis acceperunt, Deo gratias agere poßint. Secus fit, si diuites illos auaros & epulones, quorum Christus meminit, imitati, gulæ & ebrietati studeamus, vsum donorum Dei nobis solis vendicemus, & egenos atq; famelicos, ceu nihil ad nos pertinentes, negligamus. Tunc enim & ipsi multa facimus, quibus Dei gloria obscuratur, & pauperibus, qui iam ante iugum egestatis impatientius ferunt, occasionem damus, vt aduersus Deũ murmurare & eius dispensationem, ceu iniquam accusare audeat. Esus & potus.

Coniuges. Poteſt idem de coniugijs dici. Glorificatur enim in his quoq; Deus, quando hic eorũ author eſſe agnoſcitur, quando ſecundùm leges ab ipſo latas contrahuntur, quando coniuges illi ſeruiunt, domum bene adminiſtrant, liberos in Dei cognitione & timore educant, denique quando toti in hoc ſunt, vt ipſi piè viuant, & poſteros ſui ſimiles relinquant, in quibus Dei veri noticia atque cultus conſeruetur. His rebus olim Abraham ſtuduit, & hoc nomine plus laudis meruit, quàm vlli mortalium vtriuſque ſexus, qui in cœlibatu aut virginitate vitam ſuam tranſegerunt. At qui belluarum inſtar ſolo libidinis æſtro impulſi conueniunt, aut diuitiarum atque honorum amore potius quàm pietatis & ſobolis ſtudio ducuntur, ij plerunque ita viuunt, vt & in ipſis religio Chriſtiana malè audiat, & poſteros relinquant Dei & ſacrorum omnium contemptores. Quod de his dicitur, hoc ipſum ad opifices & agricolas pertinet, quibus vberrima Deum glorificandi materia propoſita eſt. Meminerint modò iſti, Deum eſſe, qui ſua benedictione labores ipſorum fœcundos atque felices reddat, & abſque illius nutu nihil nobis feliciter ſuccedere. Ita enim intelligent, pietati ſtudendum eſſe, & ſimul ab omni dolo atque impoſtura abſtinebunt, & in vnum Deum intenti, alios quoque ſuo exemplo ad huius cultum prouocabunt. At qui iſtorum obliti, ſuo labore atque induſtria opes coaceruare ſtudent, ij plerunque multa iniquè & iniuſtè contra charitatis leges deſignant, eoque plures offendunt, quo maiori audacia fidem in Deum veram ſunt profeſſi.

Opifices & agricolæ.

Imprimis autem huius regulæ aut admonitionis meminiſſe debent ij, quos ideo ſupra alios homines Deus eminere voluit, vt ſuæ gloriæ vindices atq; tutores conſtitueret. De Eccleſiarum miniſtris & principibus loquor, adeoq; omnibus, qui in aliquo reipub. gradu conſtituti ſunt. Diſcant illi non alium ſuæ gubernationis finem ipſis propoſitum eſſe debere, quàm vt Deus emineat, Verbum eius locum habeat, & illius legibus omnes viuant. Hoc ſi effectum dare ſtudeant, maximam ex eo authoritatem ſibi accedere ſentient. Dei ſiquidem promiſſio eſt: Honorantes me honorabo. Sed vtinam hoc omnibus perſuadere tam facile eſſet, quàm dicere. Queruntur quidem de collapſa miniſterij dignitate qui in Eccleſia docent: magiſtratus item & legum exiſtimationem iam pridem elanguiſſe clamant, qui rempublicam adminiſtrant. Et meritò quidem atque verè iſtud vtrinque dicitur. Sed vnde ô boni, contemptus iſte naſcitur? Magna quidem populi licentia eſt: ſed ne in vobis maior ſit videte. Quotus quiſq; veſtrum quacunq; facit, ad gloriam Dei facit? Annon plериq; diuitijs cumulandis inhiant, ludis & voluptatibus ſunt dediti, Dei gloriam negligunt, & religionem vel omnino aſpernantur, vel ſub eius plauſibili prætextu aliena inuadunt, & ferè ne à ſacrilegijs quidem abſtinent? Vident hos fures multi ex Verbi adminiſtris, & currũt cum illis, ſicut Deus in Pſalmo loquitur. Hæc & alia huius generis fiunt, & adhuc de conculcata ordinum ſuperiorum authoritate quiritamur?

Eccleſiæ & reipub. præfecti.

1. Sam. 2.

Pſalm. 50.

Alterum huius admonitionis caput eſt, vt ſine offendiculo ſimus. In Græco ἀπροσκόπους eſſe iubet, id eſt, tales, ad quorum exemplum nemo offendere, aut in eo mali anſam arripere poſſit. Erat autem neceſſarium hoc adijci, ſiquidem prius illud, de quo iam diximus, locum habere debet. Nam impoſſibile eſt ad Dei gloriam id fieri, quod alios in illius cognitione & cultu deteriores reddit, aut ſaltem remoratur. Sed vt primo membro Dei gloriam nos ante omnia quærere docuit: ita hoc ſecundo Legem charitatis fraternæ nobis commendat, quæ imprimis ad hoc nos aſtringit, vt nemini alicuius ſcandali ſimus authores. Pertinet huc, quod in Lege Deus pronuntiat: Ne maledicas ſurdo, neque offendiculum ponas coram cæco, quin potius timebis Deum tuum. Quòd ſi verò ſcelus eſt cæco lapſus aut ruinæ cauſam dediſſe: quantò grauius peccare eos putabimus, qui ignorantes & rerum imperitos ſuo exemplo in errores præcipitant, qui animæ exitium pariunt? Et debet hîc diligenter obſeruari diſtinctio, qua Paulus ceu ſufficienti partium enumeratione vtitur. Eſtote (inquit) ſine offendiculo & Iudæis, & Græcis, & Eccleſiæ Dei. Ita enim omnia, quæ tunc erant, hominum genera nominare voluit, ne quem adeò vilem aut abiectum putemus, vt nobis quiduis in illum liceat. In hoc enim à pleriſque peccatur, quod vix aliquem dignum arbitrantur, vt in ſuis rebus agendis aliquam eius habeant rationem. In alio enim vetus gentis odium, in alio familiæ ignobilitatem, in alio veteres iniurias & neſcio qua ſexcenta alia cauſantur. At Paulus in præſenti Iudæos nominat, qui vt religionis Chriſtianæ hoſtes acerrimi, & proinde odio digni erant: ita impunè contemni & negligi poterant, cùm Romanis &

2. Chriſtianus nemini ſit ſcandalo.

Leuit. 19.

Iudæi.

uis & reliquis gentibus æquè inuisi essent. Deinde Græcorum meminit, quo nomine ethnicos homines & adhuc Deorum fictitiorum cultibus deditos intelligi, sæpe diximus. Erant ergo hi Turcis qui hodie regnant, peiores. His coniungit Ecclesiam Dei, vt ostendat non modò fratrum rationem esse habendam, ne per nos offendantur, verumetiam exterorum, qui negligi salua pietate non possunt, quando nostrum est nouos subinde Christo discipulos adducere. Ecclesiam verò in genere dicit, quia tunc illa offenditur, quando alicui ex eius membris scandalum præbetur. Vt enim qui digitum vulnerauit, corpus hominis læsisse dicitur, & verè quidem, quando digitus corporis pars est, quæ absq; illius mutilatione truncari nequit: ita Ecclesiam offendit, quisquis vilißimo illius membro lapsus author est. Disertè vero Ecclesiam Dei nominat, vt cogitemus, iniuriam istam ad hunc redundare, qui illam Filij sui sanguine redemptam suum fecit peculium. Græci. Ecclesia Dei.

In horum consideratione hodie versari debebant Christiani homines, & viderent, quàm procul absimus à regula Christianismi, quam nobis omnibus Apostolus præscribit. Constat omnibus simulachrorum cultu tam Iudæos quàm Turcas offendi, & hanc præcipuam esse causam odij implacabilis, quo Christianam religionem prosequuntur. At quis obsecro principum Christianorum, imò quis ex Episcoporum aut Pontificum numero hucusq; prodijt, qui de scandalo hoc contra Dei verbum inducto, remouendo cogitarit? Idem de impuro sacerdotum cœlibatu, de Abbatum mollitie, de Episcoporum fastu & potentia dicere possumus, & infinitis alijs, quæ cùm per se impia, nefaria, scelerata sint, & insuper Iudæos, Turcas & plurimos ex Christianis offendant, tamen non feruntur modò, sed suos quoq; defensores habent, per quos tutius fuerit nouas superstitiones inuehere, aut quouis alio scelere in Christianæ charitatis & sanctitatis leges peccare, quàm de illis abolendis sermonem facere. His adde eos, qui cùm in repub. & Ecclesiæ ministerio constituti sint, & purioris doctrinæ studium profiteantur: ita tamen viuunt, vt illorum exemplis bonæ leges eneruentur, & omnis ministerij ecclesiastici authoritas paulatim intermoriatur. Nolunt hi omnes Paulum amicè concionantem & monentem audire: sed nunquam effugient illud Christi tonitru, dicentis: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Item: Quisquis offenderit vnum ex paruulis istis, qui in me credunt, præstiterit ei, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundo maris. Vide Matth. 18.

Sed ad Paulum redeamus, qui abs se præscriptam Legem siue regulam proprio exemplo confirmat: id verò non arroganter facit, sed partim ex officio, vt qui gentium doctor & magister erat à Deo constitutus: partim quia sic res exigebat, eò quòd multi quererentur abs se plus quiddam, quàm ab alijs postulari. Dicit ergo: Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius vtilitatem, sed multorum, vt seruentur. Quibus verbis ita dicere videtur: Non debet cuiquam vestrûm graue aut iniquum videri, quod iubeo. Iniqua enim & intolerabilia mandare verè dici possunt, qui ipsi nihil eorum præstant quæ iubent. At qui ipse suo exemplo alijs præit, illo nomine accusari non potest. Id verò me hucusque fecisse cùm apud vos tum apud alios, nemo opinor negabit. Nam per omnia omnibus placeo, id est, omnibus indulgeo & placere studeo, neq; meam ipsius vtilitatem aut commodum priuatum quæro, sed ita me omnium moribus accommodo, vt ipsi salutis in Christo participes fiant. Et hæc quidem absq; vanitatis & arrogantiæ suspicione illi dicere liberum & tutum erat, cùm hæc omnibus nota essent, omniumq; animis adhuc hæreret exemplum singulare zeli apostolici, quo per sesquiannum inter illos vsus erat, cùm nulla priuati commodi spes affulgeret. Paulus doctrinam proprio exemplo confirmat.

Quo loco rursus admonemur, quàm referat, vt qui alijs præsunt, non authoritate modò & imperio vtantur seuerius, sed potius pastorum aut viæ ducum instar exemplo suo præeant. Nihil enim ad mouendos vulgi animos efficatius est. Rursus, cùm omnes homines natura licentiæ appetentes sint, vndiq; causas obseruare atq; etiam auidè venari solent, quibus suam rebellionem atq; inobedientiam excusent. Inter has autem iustißimas & sufficientes esse putant, si illos ipsos licentius videant viuere, qui alios in officio continere debebant. Ergo si hi ipsi in officio faciendo diligentes sint, & quod ab alijs exigunt ipsi sedulò præstent, tunc non modò occasionem calumniandi proteruis illis & rebellibus eripiunt, verumetiam eos, in quibus spiritus generosioris scintilla aliqua adhuc reliqua est, suo exemplo accendunt, & simul ignauis & tergiuersatoribus pu- Qui alijs præsunt, exemplo suo præeant.

dorem aspergunt, qui inuitos cogit officium facere. Exempla huius rei in militia passim occurrunt, vbi ducis aut imperatoris tolerantia atq; fortitudo frequenter omne laboris tædium atq; omnem mortis metum ijs abstergit, qui stationem suam iamiam deserturi esse videbantur. C. Marium certè Plutarchus scribit, cùm Metelli legatus esset in bello Iugurtino, militum animos sibi deuinxisse, quòd eodem cum illis pane vesceretur, humi inter illos cubaret, & in fossis vel aggeribus ducendis operam communem præstaret, inq; periculis ab hoste imminentibus inter primos semper conspiceretur. His enim exemplis adducti, illum sibi Imperatorem dari postulauerunt, & ipse ijsdem postea ad omnes labores atq; pericula promptis & strenuis vsus est. Atqui eadem est militiæ spiritualis ratio, cuius duces populo suo verbi administros Christus constituit. Sibijpsis ergo illi ista accommodent, ne de ipsis idem quod de Iudæorum scribis dici possit: quòd nimirum sarcinas graues & portatu difficiles aliorum humeris destinent, quas tamen ipsi ne minimo quidem digito attingant. Cogitent autē hanc inexcusabilem esse doctrinæ & verbi Dei prophanationem, si quod magno conatu docent, proprio exemplo destruant. Hinc enim verbi contemptus nascitur, quem Deus in ipsis punire solet, sicuti in Iudæorum sacerdotibus apud Malachiam & in Euangelica historia est videre. At non minus ista ad se transferre debent, qui magistratum gerunt, vt & ipsi populo boni exempli authores sint, & quam ab alijs requirunt vitæ honestatem ipsi in dictis suis præstare studeant. Hic obedientiæ publicæ fons simul atq; neruus est validissimus. Nec enim vlla disciplina tam arcta fuerit, quam non patienter ferat populus, si principes suos ijsdem secum legibus viuere videat. At qui sibi propter dignitatem, qua supra alios eminent, plus licere putant, hoc vnum inde referunt, quòd & legibus suis authoritatem derogant, & seipsos non contemptos modò, verumetiam inuisos & exosos reddunt. Possumus idem de parentibus dicere, & omnibus ijs, quorum curæ tenera ætas commissa est. Tunc enim pueri obedientiæ & virtuti rectè assuescunt, si non modò præcepta audiant, sed huius viuum exemplar in illis sibi propositum videant, à quibus instituuntur. Interim verò quicunq; aliorum imperio subsunt, meminisse debent, non ideo sibi quiduis licere, si illi licentius agant, à quibus ipsi reguntur. Manet enim nihilominus ordo à Deo institutus, & malis quoque præpositis obtemperandum est in ijs, quæ bene præcipiunt, aut quæ salua pietate & conscientia possunt fieri. Ideo Christus de scribis in Mosis cathedra sedentibus dicebat: Omnia quæ dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite: sed secundùm opera eorum ne feceritis. Et in repub. raro feliciter cedunt seditiones, quæ contra principes quantùmuis malos & improbos excitantur. Deus enim propter aliquorum malitiam ordinem abs se institutum turbari non vult: neque tamen ipsi rationes desunt, quibus tyrannorum petulantiam coerceat.

Matth. 23.

Malach. 2.

Quomodo Paulus omnibus placuerit

Cæterùm in præsenti diligentius paulò videre oportet, quomodo Apostolus per omnia omnibus placuerit. Sunt enim qui eius exemplo abutuntur, vt ea excusent, quæ in hominum gratiam præter omne officium faciunt. Sed ad ipsos pertinet, quod idem Paulus ad Galatas scribit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ad huius verò loci interpretationem facit, quod supra cap. 9. dixit: Cùm liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt plures lucrifaciam. Et factus sum Iudæis vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: ijs qui sub Lege sunt, ac si essem sub Lege, vt eos qui sub Lege sunt lucrifaciam. Ex legibus vt exlex (cum non sim exlex Deo, sed sublex Christo) vt lucrifaciam eos qui sunt exleges. Factus sum infirmis vt infirmus, vt infirmos lucrifaciam: Denique omnibus factus sum omnia, vt omnino aliquos seruem. In quibus primò obseruabis, Paulum ista fecisse tantùm in rebus medijs atque indifferentibus, & tunc quidem, quando absque aliquo scandalo infirmioribus indulgere potuit. Itaque in præsenti loco Paulus per vtilitatem suam non aliud quàm libertatem intelligit, qua (vt eodem cap. audiuimus) ex Christi instituto non minus quàm reliqui Apostoli vti poterat. Sed in eo omnibus placere studuit, quando libertate sua quasi neglecta sese instar serui omnium captui atque moribus accommodauit, ne cui ad salutem tendenti impedimento esset. Deinde quando suum commodum se quæsiuisse negat, disertè sese ab adulatorum numero eximit, qui dum omnibus indulgent & gratificantur, non nisi quod suum est quærunt: vt nimirum amicos sibi parent, in honore sint & pretio, imprimis autem vt ex alieno otiosi viuant. Tales olim pseudoprophetæ fuerunt, & quos

Paulus

Paulus alibi canes dicit, eò quòd præter ventrē nihil aliud quærant. At isti dū omnibus blandiuntur, & sibi bene esse volunt, plerunq; seipsos atq; alios in exitiū adducunt. Ideo de illis Deus per Isaiam olim dicebat: Popule mi, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorū dissipant. Postremò, quid illud est, quod alijs conferre voluit Paulus sua indulgentia? Vt seruentur, inquit. Non ergo vllorum hominum prauis cupiditatibus inseruiuit, sed eorum salutem sibi omnium suarum actionum atq; studiorum finem siue scopum proposuit. Hæc singuli obseruare debent, ne arbitrentur locum hunc ijs patrocinari, qui in religione leues & ambigui, pro potentiorum arbitrio in singulas horas mutantur. In ijs quidem, quæ nostri iuris sunt, laudem meretur facilitas atq; indulgentia: at vbi expressum Dei mandatum intercedit, ibi meminerimus non licere nobis ab eo latum vnguem vel ad dextram vel ad sinistram deflectere. Isa.56. Phil.3. Isa.3.

Obseruemus præterea hoc loco communem vitæ Christianæ regulam præscribi, quæ est, vt quisque non suam, sed aliorum vtilitatem quærat, & pro virili omnium salutem adiuuare studeat. Hoc enim (vt mox audiemus) nos Christo simillimos facit, & nisi hoc studio teneamur, inutilia erunt quæcunq; alia facimus. Docet hoc Christus non obscurè in talentorum parabola. Illic enim seruus inutilis & æterno exitio dignus iudicatur, qui neque heri bona suffuratus erat, neque turpiter dilapidauerat, sed humi defossa seruarat, vt sortem integram restitueret. Damnatur tamen quòd otio suo consuluit, neque cum lucro ad herum retulit, quod negotiandi causa acceperat. Vult ergo nos Deus non de nostra solùm, verumetiam aliorum salute solicitos esse: & ideo ita res hominum mutuo quasi nodo inter se constrinxit, vt in aliorum commodis nostrum inclusum sit, & ij demum sibijpsis optimè consulant, qui aliorum vtilitati student. Sic opifices, etsi diuersa artificia exerceant, alij tamen alios iuuant, & pauci sunt, qui aliorum opera & auxilio carere possint. Idem in repub. cernitur, vbi ordines quidem diuersi sunt, singuli tamen ab alijs iuuentur oportet, siquidem suam dignitatem seruare velint. Qui verò vt sibijpsis consulant, alios negligunt, ijs ferè accidit quod illis, qui incendio in vicinia exorto domi suæ sese includunt, ne cum aliqua sua molestia ijs locum dare cogantur, qui incendiū restinguere conantur. Vt enim flammis iam tecta omnia superantibus ad illos quoque incendium diffunditur, vt cum fortunis omnibus pereant: ita qui aliorum vtilitatis & salutis causa nihil molestiæ aut periculi subire volunt, ferè periculis inextricabilibus sua illa ignauia sese implicant. Semper ergo animis nostris obuersetur Pauli exemplum, qui de aliorum potius quàm propria vtilitate solicitus, quàm plurimos seruauit, & sibijpsi cum salute gloriam immortalem acquisiuit. Regula communis præscribitur omnibus. Matth.25.

At ne quis illum arrogantiorem diceret, qui suum exemplum omnibus proponeret imitandum, aut aliqui simpliciores eodem per κακοζηλίαν, id est, stultam aut prauam imitationem abuterentur, diligentius rem explicat, & tam seipsum quàm omnes alios ad Christum remittit, dicens: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Breue dictum, quo totam philosophiam Christianam comprehendit, & seipsum communi cum alijs regulæ subijcit, simulq; multis superstitionibus occurrit. Sunt enim, qui priscorum Sanctorum admiratione capti, nihil non sibi faciendum esse putant, quod illos fecisse audiunt. Quæ causa est, quòd multa ineptè, multa ridiculè, & (quod pessimum est) multa superstitiosè faciant. Et hinc ferè originem habuit vita monastica, quam multi ideo amplexi sunt, quòd olim sanctißimos homines in locis desertis vixisse & miraculis claruisse audirent. Sed vt de primis illis siue Monachis siue Eremitis nihil dicamus, quos partim temporum illorum iniquitas & immanis tyrannorum crudelitas, partim propria fidei imbecillitas & tormentorū metus eò adduxit: hoc solum quæro, quid vnquam huius CHRISTVS IESVS fecerit? Num hic quoque ab hominum consuetudine abhorruit? Num solitarius vixit? Certè neminem tam impudentem esse arbitror, qui hoc ausit affirmare. Quicunq; ergo hoc vitæ genus hodie sequuntur, ij neq; veri Sanctorum imitatores sunt, neque huic regulæ insistunt, quam in præsenti Paulus præscribit, & cuius summa est, vt quisque non suam ipsius vtilitatem quærat, sed aliorum, vt seruentur. Debet autem huius eò maior apud nos esse authoritas, quod cum Christi regula conuenit, in Euangelio dicentis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Vnde sequitur, nullius hominis, quantumuis sancti & de re Christiana optimè meriti, exemplum nobis imitandum esse, nisi quatenus illum Christi Exempli sui rationem exponit. Luc.9.

vestigia secutum esse videmus. Itaque iudicio certo & diligenti hîc opus est, ne temere ab exemplo argumentemur. Nam si id liceat, iam aperta quoq; scelera suam excusationem habebunt, cùm in sanctis aliquando locum inuenerint. Semper ergo meminerimus, in sanctis quoq; suos esse neuos, quos Scriptura commemorat, non vt imitemur, sed vt illorum consideratio nos cautiores reddat. Vitæ verò exemplum omnibus numeris absolutum nobis in Christo propositum esse sciamus, quod & nos imitari, & ad eius regulam omnia aliorum dicta & facta examinare debemus.

Quid imitandũ sit in exemplo Christi?

Porrò non minus consideratione opus est, quid nam in Christi exemplo imitari debeamus. Errant enim hîc nonnulli vehementer, qui ex ijs leges fingunt, quæ ille aut miraculosè fecit, aut pro sua vocationis ratione: Prioris generis est, quòd ieiunium quadragesimale omnibus obtrudunt, eò quòd Christus in deserto diebus quadraginta ieiunauisse legitur. At hoc non sine miraculo factum fuit, quod non magis imitari possumus, quàm si ad illius exemplum leprosos mundare, paralyticos sanare aut mortuos excitare conemur. Deinde vt demus illum simul exemplum præbuisse, noluit tamen ieiunij formam, quæ tempore certo & ciborum superstitioso delectu definiatur, præscribere, sed perpetuum temperantiæ & sobrietatis studium commendare omnibus, qui in huius vitæ palæstra versantur. Nõ ergo vltra Christi institutum extendi debet illius exemplum, sed in ieiunijs regula seruetur, quam Matth. 9. cap. discipulis tradidit. Alterius generis est cælibatus Christi, quo multi impurum illud vitæ genus tueri student, quod in Papatu monachi & sacrificuli sequuntur magna cum thori coniugalis ignominia. Atqui vt cælebs viueret Christus, peculiaris eius vocatio requirebat, quæ fuit, vt germanos Dei filios procrearet, qui nõ ex viri aut mulieris voluntate, neque ex vlla carnis commixtione, sed ex verbi immortalis semine per spiritus virtutem generari solent. Nihil ergo hoc ad cælibatus monastici commendationem, quasi in hoc sita sit hominis Christiani perfectio. Itaque ad ea solùm regula ista extendi debet, quæ Christum nobis in exemplum fecisse constat. Loquitur de his ipse apud Matthæum dicens: Discite à me, quòd mitis sim & humilis corde. Et Zebedæi filijs primatum in suo regno ambientibus exemplum suum proponit, vt quemadmodum ipse non venerit vt sibi ab hominibus in mundo ministraretur: sed vt ipse alijs ministraret, ita illi non vt supra alios emineant quærere, sed in hoc potius esse debeant, vt quàm plurimis inseruiant. Quæ omnia postremò confirmauit, quando discipulorum pedes abluit, & se exemplum illis præbuisse ait, vt quod ipsum fecisse vident, ipsi quoq; faciant. Pertinent autem hæc omnia ad dilectionem fraternam, cuius fidissima nutrix est humilitas & officiosum sibi mutuò inseruiendi studium, ideoq; rectissimè à Paulo exponuntur, qui ad Philip. sic scribit. Explete gaudium meum, vt itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes, & sententijs vni. Nihil gerite per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisq; se præstantiorem existimet: ne sua quisq; spectetis, sed vnusquisq; etiam quæ sunt aliorum. Enimuero is sit affectus in vobis, qui fuit, & in IESV CHRISTO, &c. Continetur sub his vitæ innocentia, quæ in toto Christi exemplo elucet. Adhæc in morte, resurrectione & ascensione idem exemplum nobis præbuit, vt nimirum ipsi quoq; carnem crucifigamus, peccato moriamur, in ipso autem resurgamus ad vitæ nouitatem, in qua terrenis omnibus calcatis ad cælestia contendamus. Adde his patientiam in aduersis quæ similiter in illo perfectissima fuit. Hæc & alia huius generis olim sancti Dei cultores sibi imitanda proposuerunt, in quibus & nos eorũ imitatores esse conuenit. Ita verò absoluit Paulus tractationem de idolothytis, cuius hic nobis vsus esse debet, ne libertate nostra abutamur ad carnis licentiã, & primò quidẽ fidem in IESVM CHRISTVM puram, eiusq; confessionem illibatam seruemus: deinde nemini demus aliquam scandali occasionem, sed quoad eius fieri potest, infirmorum ædificationi studeamus, nouosq; indies ei adducamus discipulos. Sic Paulum verè imitabimur, imò ipsius CHRISTI IESV imitatores erimus, qui spiritu suo animatos ad regni sui cælestis hæreditatem euehet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Ioan. 1.

Matt. 11. et 20.

Ioan. 13.

Phil. 2.

CAPVT

CAPVT XI.

HOMILIA LVI.

LAudo autem vos, fratres, quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis. Velim autē vos nosse, quòd omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecorat caput suum. Omnis verò mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum. Nam id vnum ac idem est ac si rasa esset. Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur. Quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.

DISPVTAVIT *hucusq; Paulus aduersus eos, qui contra professionis Christianæ leges sacris ethnicorum, aut saltem festis atq; sacris eorum conuiuijs communicabant. Sequitur nunc quarta huius epistolæ pars, in qua cœtus ecclesiasticos instituit, & diligenter de omnibus agit, quæ in illis præter decorum fiebant. Primum vitium in vestitu erat, in quo à viris simul & mulieribus partim superstitione, partim luxu & mollitie vehementer peccabatur. Nam vt aliâs diximus, Corinthi emporium fuit totius orbis celeberrimum. Vndiq; ergo illuc confluentibus peregrinis, luxus indies augebatur, tum in alijs rebus, tum maximè in vestitu, in quo ex innata leuitate sibijpsis nimiùm licenter indulgere solent, qui diuitijs abundant, & præ alijs eminere volunt. Maior tamen erat superstitionis culpa, quòd nimirum eodem habitu, & fortaßis ijsdem quoq; gestibus, in cœtibus sacris vterentur, quibus à pueris in gentilismo assueuerant. Et hoc potißimum spectasse videtur Apostolus, quando viros aperto capite, mulieres autem velato orare & prophetare iubet. Nā vt Plutarchus in Problematibus scribit, solebant viri inter gentes, & imprimis quidē ij, qui Romanorū legibus viuebant, Deos suos velatis capitibus adorare, & inter sacra vestem ad aures vsq; attollere, partim quidem, vt eo gestu & habitu se humiliores redderent: partim ne inter precandū triste quid aut ignominiosum aliunde auribus occurreret, quo animi deuotio turbaretur. Meminit huius ritus Vergilius quoq;, qui Helenum Æneæ sic dicentem introducit:*

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.

E contra mulieres ferè paßis capillis sacra celebrauisse, cùm ex alijs locis, tum ex eodē Poëta colligi potest, qui funus Polydoro instauratū & circa hoc facta sacrificia describens, inter alia dicit:

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Quia ergo non tam luxu quàm superstitione peccabatur, & hac etiam in re ethnicorum atq; infidelium similes erant ij, qui iam Christo nomen dederant, Paulus hanc causam diligenter & grauiter tractat, docens tam viros quàm mulieres decere, vt modestiæ & honestati in habitu quoq; studeant, imprimis autē, vt inter sacra Christiana ne habitū quidē gerant cum infidelibus & idololatris communē. Estq; doctrina hæc hodie etiā non minus necessaria quàm vtilis: quando multi eorum, qui Euangelium profitentur, inter orandum Papistas imitantur, ad nolarum pulsum capita aperiunt, & vix à Diuorum inuocatione sibi temperant: multi vestes quoq; Papisticis superstitionibus consecratas Ecclesijs ad Euangelij regulam reformatis obtrudunt: pleriq; verò in vestitu quotidiano non infidelium modò quibus cum viuunt, similes sunt, verumetiā Turcas & quosuis alios vestitu referunt. In quo non fastu modò peccatur, sed effreni petulantia et impudentia ità luditur à plerisq;, vt nesciam si quid ante hac vnquam Sol viderit, quod cum illorū leuitate conferri queat. Videntur quidem ista non magni momenti, & ideo ridentur ferè virorum grauium

admonitiones. Sed aliter indicabunt, qui Paulum de his agentem diligentius audiuerint.

Paulus correptionem à laude orditur.

Orditur autem tractationem hanc à laudibus Corinthiorum, vt eos magis attentos & sibi beneuolos reddat, qui propter ea, quæ hucusq; dicta sunt, animo alieniori esse poterant. Laudo verò vos, fratres (inquit) quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis. Duo in illis prædicat. Primum, quòd omnium meminerint, quæ ab ipso acceperant. Est hoc in toto religionis & salutis nostræ negotio imprimis necessarium. Nam præcipuum, quod à nobis exigitur, est obedienia fidei. At quomodo hanc præstabit, qui eorum ne recordatur quidem, quæ in mandatis accepit? Ideo Christus in sementis parabola primum genus eorum, qui verbum absque fructu audiunt, eos facit, qui semen excipiunt in viam, vbi ab auibus deuoratur, aut hominũ illac iter facientium pedibus conculcatur: eos nimirum intelligens, qui vel prauis cogitationibus, vel diaboli suggestionibus, aut impiorum illusorum dicterijs locum dant, quæ omnia eò illos adducunt, vt verbi Dei prorsus obliuiscantur, neque dignum putent, in cuius considerationem intenti esse debeant. Alterum est, quòd traditiones retineant, sicuti eas illis tradiderat. Quibus verbis vera obedientiæ Christianæ ratio aut modus exprimitur. Sunt enim qui in genere quidem retinent quæ ab Apostolis tradita sunt, sed non eo modo retinent, quem illi præscripserunt. Exempla huius passim hodie occurrunt, & in hoc ferè errant, qui præ alijs apostolici dici & haberi volunt. Causa huius mali est carnis nostræ confidentia, quæ non contenta suis finibus, in diuinis quoq; vult sapere, & ea pro suo arbitrio mutat & detorquet, prout sibi commodũ esse videtur. Meminerimus ergo nos nihil dum præstitisse, nisi quæ Deus nobis mandat, ea ratione & modo exequamur, quem idem ille nobis præscripsit: nec licere nobis in diuinis aliquid mutare, vel addere vel adimere: sicut non vno loco Moses admonet.

De traditionibus Apostolorum.

Cæterùm abutuntur hoc loco aduersarij nostri, quibus cum Scriptura Sacra lis est. Nã Paulum traditionum meminisse aiunt, earum videlicet, quas non scripto, sed viua voce tradiderit, & quas deinceps posteri à suis maioribus quasi per manus acceperint. Ex eo autem colligunt, Apostolos non omnia literis compræhendisse, quæ creditu & obseruatu necessaria sunt. Quo fundamento iacto, mox illi superstruunt suas Missas, confessionem auricularem, absolutionem priuatã, satisfactiones, purgatoriũ ignem, Diuorũ merita atq; intercessionem, simulachrorũ cultũm, cœlibatũ, ieiunia, & sexcenta alia, quæ nulla scripturarum authoritate probari posse sciunt. Quicquid enim nullis Apostolicorũ scriptorum testimonijs defendi potest, id traditionem Apostolicã esse aiunt, quæ non minorem authoritatem mereatur, quàm ea, quæ in illorum libris habentur. Adhæc Corinthios hoc potißimùm nomine commendari dicunt, quòd traditiones Apostoli retinuerint. Quibus & illud addunt, quod idẽ ad Thes. scribit: State fratres, & tenete traditiones, quas edocti estis siue per sermonẽ siue per epistolam nostram. Et his quidem facilè fucum faciunt simplicioribus atq; rerũ imperitis. Sed si rem ipsam propius inspiciamus, facilis est ad ista responsio. Primò enim traditionum illarum certum numerum nobis ostendi petimus ex vetustis Ecclesiæ scriptoribus, & vt id fiat omnino opus est, ne in immensum illæ excrescant, & veræ à falsis obruantur. Quòd si verò hoc illi conati fuerint, quas obsecro illi nobis dabunt, quæ hodie ab illis ipsis obseruentur? Dicant ergo nobis, cur eas ipsi aboleuerint? cur non reduci curent abolitas? Deinde dicimus, traditiones Apostolicas, vel consentire ijs, quæ illi scripserunt, vel ab ijs dissentire. Si conueniunt, cur non scriptis eorum contenti sumus? & quæ stultitia est, ab incerto traditionum titulo pendere, & non potius ijs insistere, quæ in sacris literis disertè exprimuntur? Quòd si traditiones aliquæ cum doctrina Scripturæ sacræ pugnant, nos illas Apostolicas esse negamus, Apostoli enim Spiritum veritatis acceperunt, qui sibiipsi contrarius esse non potest, nisi ex eo mendacij Spiritum fingere libeat. At si omnia ea, quæ hodie sub traditionum Apostolicarum nomine venditantur, ex ordine consideres, multa ineptiora esse videbis, quàm quæ Apostolorum grauitati conueniant, pleraq; autem cum ijs ex diametro pugnare, quæ in illorum scriptis continentur.

2. Thes. 2.

Veterũ de traditionibus apostolicis sentẽtia

Quòd si veteres audire libeat, qui Apostolorum temporibus proximi vixerunt, non alias illi Traditiones agnouerunt, quoad doctrinam, quàm fidei Christianæ articulos, qui Symbolo continentur, quod vulgò Apostolorum dicimus. Cuius rei testimonia luculentißima apud Irenæum habentur. Nam lib. 1. cap. 2. sic scribit: Ecclesia per vniuersum orbem vsq; ad fines terræ dispersa, ab Apo-

ab Apostolis ac ipsorum discipulis eam accepit fidem, quæ est in vnum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: Et in vnum IESVM CHRISTVM, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute. Et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispensationis mysterium & aduentum, &c. Et idem Libro tertio, capite quarto, apertè ostendit, fidem hanc esse traditionem illam Apostolicam, quæ à fidelibus passim retineatur. Nam inter alia sic dicit: Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi TRADITIONIS, quam tradiderunt ijs, quibus committebant ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem & veterem TRADITIONEM diligenter custodientes: In vnum Deum credentes, fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per CHRISTVM IESVM, Dei Filium: qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, &c. Conueniunt his per omnia, quæ D. Cyprianus Martyr de Symbolo Apostolicæ fidei, & ante hunc Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum, de Regula fidei, tradidit. Ergo quoad fidei & salutis doctrinam traditiones Apostolorum nullas agnoscimus, quàm quæ Symbolo continentur, quod totius doctrinæ illorum Compendium aut Epitomen dicere possumus. Quoad verò externam Ecclesiæ formam non inficiamur, illos passim multa tradidisse de ordine cœtuum ecclesiasticorum, de Sacramentorum administratione & tota Ecclesiæ Oeconomia. In quibus cùm non possit eadem vbique gentium forma obseruari, sic illa instituerunt, prout vrbis aut gentis alicuius conditionem requirere videbant. Et constat omnibus seculis, Ecclesias in his libertate sua vsas fuisse, & proinde iniquos nimiùm esse, qui hodie vel sub traditionum Apostolicarum nomine, vel quocunque alio prætextu omnes ad eandem formam astringere conantur.

Nunc peculiari consideratione dignum est, quòd etsi Corinthiorum Ecclesia tot vitijs atque erroribus polluta esset, eam tamen Paulus non solum Ecclesiæ titulo dignatur, verumetiam laude dignam iudicat, eò quòd abs se traditam fidei Christianæ summam & Ecclesiæ formam huc usque retinuissent. Quo exemplo discimus, propter quorundam publica vitia, non debere totas ecclesias damnari, aut bonos quoque abijci, qui cum illis versantur. Debent quidem ecclesiarum vitia obseruari & notari, sed in eum finem, vt emendentur. Ideo Verbi sui administros Episcoporum & Speculatorum titulis exornat. At vitia non alio animi proposito obseruare, quàm vt aduersus bonos quoque, & aduersus totas ecclesias calumniandi occasionem inuenias, id verò diabolicum est. Nam diabolum hac ratione in cauillandis Dei operibus vti constat, quòd quæ in illis aliunde irrepserunt vitia in ipsius opificis contumeliam exagitat. Nunquam autem nobis excidere debet, Ecclesiam Dei aruum siue agrum esse, neque aliam esse eius conditionem, quoad in terris militauerit, quàm quæ nostrorum agrorum est. Vt hi ex maledictione, qua terram Deus mulctauit, sua sponte herbas noxias & inutiles gignunt: ita ex innata nobis vitiositate pessimi fructus nasci solent, & quidem in sanctissimis quoque hominibus, qui hoc minimè diffitentur. Accedit huic domestico malo hostis Satan, qui si vel tantillum dormiamus, Zizania sua spargit, quæ vnà cum bono semine succrescunt, & in toto hoc agro sæpius dominari videntur. Nunquam ergo absque næuis & vitijs grauioribus est Ecclesia: quod prolixè demonstrari poterat, si quis eius historiam iam inde à Patriarcharum temporibus vellet percurrere. Sed sufficiat nobis eius Ecclesiolæ exemplum, quam ipse Dei Filius, IESVS CHRISTVS, in terris agens habuit. In qua procul dubio optimi omnium fuerunt discipuli, quos vt orbis terrarum doctores essent, destinauerat. Quàm multis verò, quamque grauibus vitijs illi simul omnes laborarunt? Verumtamen hos mundos esse dicit propter Verbum suum, cui locum dabant, & quod fide apprehenderant. Quid ergo obstat, quò minus hodie etiam Ecclesiam inter eos esse sentiamus, qui etsi multa habeant repræhensione digna, Verbo tamen Euangelij locum dant, & à Christo traditam fidei atque religionis formam retinent?

Ecclesiæ non totæ damnandæ propter quorundam uitia.

Ioan. 15.

Debebant ista diligentius considerare, nostri temporis Donatistæ, qui temere nimis totas vrbes & gentes damnant, in quibus Dei Verbum prædicatur, Sacramenta ritè administrantur, pre-

Contra Anabaptistas.

ces publicæ habentur, & pauperibus non illiberaliter subuenitur, legibus denique bonis & sanctis scelera prohibentur atque puniuntur. Hæc omnia illi pro nihilo ducunt, nisi nouus quidam magistratus constituatur, cui in ipsos quoq; principes ius sit; eos non modò corripiendi, verumetiam excõmunicandi. At velim vnum saltem exemplum ab eis produci vel Veteris vel Noui Testamenti, quo suam illam dictaturã probare possint. A prophetis quidem reges magna cum libertate officij admonitos, & propter sua vitia correptos fuisse scimus: at ab ijsdem nullum vnquam à sacrorum communione exclusum fuisse legimus. Nec quicquam huius Apostoli fecerunt, & qui his proximi successerunt. Obijciunt illi nobis D. Ambrosium, qui Theodosium Imperatorem excommunicarit, vt octo totis mensibus à templi ingressu arceretur. Sed qui historiæ eius circumstantias omnes expenderit, Theodosij pietatem potius quam Ambrosij factum probabit, qui optimũ & de Ecclesia præclarè meritum Imperatorem Thessalonicensium seditiosorum & spurcissimorum Sodomiæ propugnatorum ludibrijs obiecit. Sed quia de his alibi dictum est, nolo nunc plura addere.

De habitu virorum & mulierum in templis

Sed ad Pauli doctrinam de virorum & mulierum habitu accedamus, cuius hæc summa est: Viri dum orant & prophetant, caput aperire debent: è contra mulieres inter orandum & prophetandum sint capite operto siue velato. De hoc autem potissimùm agit, quia (vt initiò monuimus) in eo maximè peccabatur. Nos verò hinc generalem doctrinam petere debemus: decoro & honestati studendum esse in cœtibus ecclesiasticis. Qui in regum conspectum prodeunt, vt coram illis de rebus alicuius momenti disserant, non modò verba probè meditantur, sed vestitu quoq; & gestibus vtuntur decenter, ne illorum oculos offendant. Atqui in Ecclesiæ cœtibus Christus ipse præsens adest, Rex & Sacerdos summus atq; æternus: & in ijsdem de rebus agitur omniũ maximis, ex quibus omnis nostra salus dependet. Procul ergo abesse debet omnis leuitas & petulantia, qua homines mundo dediti in vestitu vti consueuerunt. Cur enim hìc nobis indulgeamus, quando Deus ipsa quoq; loca, in quibus propter religionis exercitia conuenitur, sacrosancta esse vult, & ab omni prophano vsu aliena? Christus certè cùm templum Hierosolymitanum repurgauisset, ne vas quidem qualecunque per illud gestare permisit. Cur ergo corpora sua, quæ viua Spiritus sancti templa sunt, immodico ornatu & superbia armis dedecorent, qui in cœtus sacros veniunt, vt in Dei conspectu appareant?

Marc. 11.

Exercitia Veteris Ecclesiæ.

Interim obiter nos hic locus admonet, quæ externa veteris Ecclesiæ exercitia fuerint. Duorum enim meminit Paulus, ad quæ olim in cœtus sacros Christiani conuenerunt. Primùm, Orationis aut precum. Nam etsi priuatim in his assidui esse debeamus, prodest tamen publicè multorum preces simul coniungi, vt (quod olim Tertullianus dixit) quasi manu facta & coniunctis copijs Deo instemus, cui vis hæc imprimis grata est, vt quæ fidei ardentis indicia habet, & quòd mutuis exemplis singuli magis accenduntur atq; confirmantur. Alterum est Prophetia. Est hæc non modò futurorum prædictio, aut huius facultas, sed etiam Scripturæ sacræ tractatio, vt infra Cap. 14. audiemus. At quia hæc non minus ad auditores quàm ad doctores pertinet, prophetare etiam dicuntur, qui Scripturarum interpretes audiunt. Et ideò hìc mulierum prophetantium meminit, quibus tamen in cœtibus publicis loqui non permittit Apostolus, vt suo loco videbimus. Est autem verbum Dei præcipuum, quod Ecclesia habet. Nam vt per hoc suum animum atq; voluntatẽ nobis Deus declarat: ita neq; vllus cultus neq; preces illi gratæ sunt, nisi secundùm illius præscriptum dirigantur. Porro appendices Verbi sunt Sacramenta, quorum hìc non meminit, cùm quia sub Verbo comprehenduntur, adeoq; Verba sunt visibilia: tum quia hìc de ijs solis agit, quæ quotidie debent in Ecclesia fieri. Nam non semper administrari possunt Sacramenta, neque etiam vt quotidie administrentur opus est. Imò prodest in his modum adhibere, ne relicto Verbo externis hisce symbolis superstitiosè inhæreamus, vel nimius vsus contemptum pariat. Alia autem est precum & Verbi Dei ratio, in quibus nihil huius timeri potest. Semper enim precibus est opus, & quo magis in his assidui sumus, eò magis in fide confirmamur. Semper etiam nos doceri, admoneri, corripi & consolationibus pijs confirmari oportet: neq; potest Verbi nausea siue fastidium facilè nasci, cùm in illo iucundissima sit varietas, qua nostro ingenio Deus sese accommodat. Quid multis? Veterem illam simplicitatem in Ecclesia retinere studeant, qui Deo probari volunt: procul autem arceantur, qui noua figmenta obtrudunt, & relictis grauioribus illis &

maximè

maximè necessarijs, circa res vanissimas & prorsus inutiles occupantur. Sed tempus est, vt argumenta videamus, quibus suam hanc traditionem Paulus confirmat.

Primum à Dei instituto & ordinatione desumit, quæ est, vt nullus inter homines gradus sit aut ordo, qui non caput habeat proprium, cui subesse, & quod pro virili ornare & colere debeat. Verba eius sunt hæc: Velim autem vos nosse, quòd omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Christum omnis viri caput esse dicit, quia ille in hoc sexu supra omnes eminet: vt si quis quærat, quis virorũ omnium princeps meritò dici debeat? non alius, quàm Christus nominari possit. Itaq; dictum hoc non ita accipi debet, quasi Christum ad solos viros pertinere, Apostolus docere velit. Hîc enim non de salutis æternæ negotio agit, sed de solo externo & politico ordine, quo inter homines Deus distinxit, & Christum propter sexum viris adnumerat. Quoad verò regnum illius spirituale, ex quo salus nostra dependet, in illo non est vir nec fœmina (vt alibi Paulus docet) & ad omnes credentes ille pertinet, cuiuscunq; sexus, loci aut ordinis fuerint. Similiter (inquit) caput mulieris est vir. Ita enim Deus instituit, cùm Euæ diceret: Ad virum erit respectus tuus, & ipse tibi dominabitur. Et quod hîc vno verbo dicit Apostolus, id in epistola ad Ephes. multis exponit. Dicitur autem vir caput mulieris, non modò propter imperium, aut quòd hæc ancillæ aut mancipij loco ei esse debeat, sed quòd cum virtute & sapientia præesse, & capitis instar tam sibijpsi quàm vxori, quæ vnum cum ipso corpus est, consulere debet. Addit his tertium gradum: Caput Christi Deus. Quod dictum Ariani olim & Eunomiani extra Pauli institutũ detorquentes, Filium creaturam & non eiusdem essentiæ atq; dignitatis cum Patre esse contendebant. At noluit hîc Paulus de Patris & Filij diuinitate verba facere: sed quod dicit, id ad personam Mediatoris referre oportet, secundùm quam Filius assumpta humanitate sese Patri subiecit, vt & hunc se maiorem, imò ab hoc se missum esse, & doctrinã suam, non suam sed Patris esse testetur. Ea igitur ratione Deus caput Christi est. Quòd si Deitatẽ ipsam consideres, ibi nihil alio vel maius vel minus occurret, sed ipsum Christum audies dicentem: Ego & Pater vnũ sumus: Qui me vidit, Patrem vidit, &c. Non debent ergo Pauli verba ab eius instituto in alienum sensum trahi. Videtur autem Christi mentionem ideo facere, vt argumentum, quod hinc ducere instituit, magis amplificet propter eos, qui politicos & œconomicos ordines per Christum sublatos esse arbitrantur. Quasi diceret: Deus adeò neminẽ inter homines esse voluit, qui non capiti certo subesset, vt ne Filius quidem Dei in carne manifestatus hanc gloriam vsurparit. Quantò magis igitur aliorum hominũ fuerit, vt singuli caput suum agnoscant, idq; debito honore & cultu prosequantur? Hoc autẽ fundamento iacto infert: Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecorat caput suum: Omnis verò mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum. Argumentum ita formare poteris: Nemo caput suum dedecorare debet, ne à Deo institutũ ordinem turbet, de quo modò diximus: At vir operto aut tecto capite orans siue prophetans caput suũ dedecorat, & hoc ipsum mulier facit, quæ nudato capite orat aut prophetat: Ergo viri quidẽ aperto, mulieres autẽ operto siue velato capite orare et sacra omnia peragere debent.

Tam viri quàm mulieres caput suum debent honorare.

Galat. 3.

Gene. 3.

Ephes. 5.

Ioan. 10. 14.

Sed hîc quæstio nascitur: Quomodo vir caput suũ dedecorare dicatur, si illud operiat aut tegat? quomodo item mulier suũ caput dedecoret, si illud denudet aut aperiat? Respondeo Paulum ex illius seculi consuetudine argumentum petere. Nam illo tempore capitis apertio dignitatis & imperij symbolum erat, velum verò subiectionis. Itaq; verborum istorum sensus est: Viros sibijpsis iniuriam facere, si caput velando in sacris cœtibus dignitatẽ & eminentiam suam, qua eos Deus ornauit, diffiteantur: iniuriam verò illã in ipsum Christum redundare, quem totius virilis sexus caput & principem esse, supra dixit. Potest his addi, quod Christus nobis hanc gratiam & dignitatem meruit, vt iustificati ex fide pacem habeamus apud Deum, & proinde in eius conspectu intrepidi possimus comparere. Eam ergo dignitatẽ inter orandum & in cœtibus sacris viri aperto capite profiteri debent, ne eam dissimulando beneficium à Christo nobis collatũ negare, aut saltem extenuare videantur. Similiter mulier (inquit) suũ caput ignominia afficit: quia dum aperto aut nudo capite incedit, sibi quodammodo ius & imperium in virum vendicat, & tantum non publicè suam rebellionẽ profitetur, quòd nimirum excusso iugo diuinæ ordinationis pro suo arbitrio omnia velit agere. Id verò fieri non potest absq; manifesta viri contumelia, quem pro suo capite & domino debeat agnoscere.

Apertio capitis, imperij & dignitatis symbolum.

Rom. 5.

Vestitus nostri seculi portentosus.

Videntur hæc leuicula & vix digna esse, de quibus publicè in Ecclesia sermo fiat. Sed rem propius considerantibus mox patebit, hæc & maximum momentum habere, & nostris temporibus imprimis conuenire. Viros enim Apostolus suam dignitatem prostituere, & Christum ignominia afficere dicit, qui more patrio pileati & velato aut inuoluto capite in cœtibus ecclesiasticis comparebant. Quid ergo illum dicturum putabimus, si hodie ministros Ecclesiarum vel Papistico habitu vti, vel militari veste, aut mercatoria, vel etiã militariter incedere: vulgus verò Christianorum cum luxu petulantiam extremam coniungere videret: dum horum alij plumis struthionum, gallorum, caponum & gruum pileos suos exornant: alij ijsdem cornua aut auriculas asininas affingunt: alij gentium peregrinarum & Christiani nominis hostium vestitu superbiunt? Nam vt de solis Germanis nostris dicamus, non sufficiunt amplius petulantissimis hominibus, quæ iamdudum ab Italis, Hispanis, Gallis & alijs finitimis gentibus quasi mutuò sumpserunt, nisi ex Tartaris & Turcis galeros in portentosam altitudinem acuminatos accersant, quibus ita superbiunt, quasi & corporis staturæ aliquid inde accedat, & victoriæ aduersus Turcas trophæa capitibus suis gestent. Est hoc magnæ leuitatis argumentum, & vtinam non peius aliquod omen subsit. Si enim capitis velatio subiectionis symbolum est, vereor Turcarum tyrannidi subijciendos tandem fore eos, qui illorum pileos sibijpsis spontè accersunt.

Viri inhonestius se gerentes in Christũ peccant.

Habet præterea locus iste generalem doctrinam, in Christum ipsum iniurios esse viros, qui inhonestius & indecentius sese gerunt. Nam dignitatem suam prostituunt, in quam ipsos Deus euexit, & in qua erga suas vxores viuum Christi simulacbrum esse debebant. Erat hoc illis diligentius considerandum, qui non solùm indecoro vestitu sese ridiculos præbent, verumetiam vxores suas adeò iniquè & inhumaniter tractant, vt diaboli exemplum sibi imitandum proposuisse videri possint. Similiter mulieres hîc discant, sibi non laudi, sed summo dedecori esse, si viris suis dominari velint, & suum illud dominium vestitu, moribus, gestu, aut etiam verbis asperioribus ostentent. Dum enim viros aliorum contemptui & ludibrijs exponunt, simul sibijpsis proteruiæ impudentiæ & impiæ temeritatis notam inurunt. Quis enim pias, religiosas, pudicas dixerit eas, quæ à Deo institutum ordinem tam petulanter conculcant? Quantò rectius Sara, quæ cum Abrahamo suo omne genus molestiæ patienter tulit, & hunc suum dominum agnouit? Hoc certè nomine illa[illegible] Spiritus sanctus per Petrum Apostolum commendat. Nec est quòd virorum duritiem & iniquitatem prætexant, quæ dominium impatientius ferunt. Nec enim maritorum vitijs ipsarum superbia & arrogantia excusatur. Nam qualis qualis sit vir, caput tamen est mulieris. Quin ergo ad proprij corporis constitutionem respiciunt superbæ illæ, quæ omnem dominandi occasionem tam auidè venantur? Annon suis quoque vitijs & morbis caput laborat? Num verò propterea à manibus laceratur? num aduersus illud pedes extolluntur. Imò quò periculosiores illius morbi sunt, eò promptius in illo curando & fouendo reliqua membra suum officium faciunt. Idem ergo mulieres obseruent, quibus cum viris iniquioribus res est. Exemplum habent in Abigaele, quæ immortalem laudem meruit sua modestia, qua virum Nabalem, durum & ineptum patienter tulit.

Gene. 18. 1. Pet. 3.

Quàm dedeceat mulieres nudo capite prodire.

At quia mulierum superbia difficilius domatur, de his prolixius disserit Paulus, & in præsenti aliud argumentum subijcit ex communi sensu desumptum, quo docet, quàm indecorum & absurdum, adeoq; naturæ legibus aduersum sit, si mulier nudo aut non velato capite in publicos cœtus prodeat. Nam hoc (inquit) vnum & idem est, ac si rasa esset. Et id exponens addit: Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur. Quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur. Argumentum est eiusmodi: Turpe & indecorum nimis censetur mulierem radi, quam natura capillis longioribus ornauit: At quæ non velatur, rasæ similis est: Ergo caput velare aut tegere debet. Videri poterat argumentum hoc non satis firmum, vel etiam ridiculum esse, cùm quæ aperto capite prodire gaudent, in capillis nutriendis & ornandis tam curiosæ & solicitæ sint, vt nihil minus quàm rasæ possint censeri. Sed Paulus non quid mundo videatur, sed quid Deus velit atque iubeat, respicit. Is enim (vt paulò ante diximus) mulierem viri imperio subesse vult, & capillis densioribus demißioribusq; sexum illum donauit, vt naturalis veli loco sint, & quò minus illas subiectionis illius pudeat. Si quæ ergo velum capitis, quod vsitatum subiectionis symbolum est, abijcit,

abijcit, ac certè eodem iure capillos quoque, qui velum naturale sunt, abijcere poterat. Et quamuis illum faciat, quin potius calamistris & odoribus comas mirificè plantet atq; exornet, in Dei tamen conspectu pro rasa reputatur, id est, pro ea, quæ excusso iugo sibi imperium & dominium vendicet, & proinde ea sibi sumat, quæ penes virum esse debent. Hæc (inquam) Paulus respondens, non sine indignantis specie dicit: Si non velatur mulier, etiam tondeatur. Nec temere tanta grauitate & vehementia vtitur, cùm sciret olim Deum per Mosem eiusmodi Legem tulisse: Mulier ne gerat arma vel habitum viri, neque vir induatur veste muliebri: quoniam abominabilis est Domino Deo tuo, quisquis illa fecerit. Deut. 22. cap.

Hæc vt insolentem mulierum nostri seculi luxum arguunt: ita fœdam & absurdam Papistarum superstitionem confutant, qua in virginibus Christo consecrandis vtuntur. Paulus mulieres velatis capitibus esse vult, nimirum more patrio & honesto, & absurdissimum turpissimumque esse dicit, si quæ tondeatur aut radatur. At in Papatu nouum pro virginibus coniugium commenti sunt, quo illæ Christo desponsantur. Quod dum fit, velum quidem peculiare accipiunt, comas autem abscindunt, quibus natura eas velari voluit. Id verò ad coniunctionem illam spiritualem cum Christo necessarium esse aiunt, & non minimam meriti partem in hac sua tonsura collocant. Quis verò non videat, quàm hoc pugnet cum Apostolorum traditionibus, quas isti homines nunquam non in ore habent? Paulus enim (vt modò diximus) cum indignatione & Sarcasmo mulieres tonderi iubet, si velari nolint: illi verò hoc seriò & sub religionis prætextu præcipiunt. At quid de Apostolis dico, quorum authoritatem illi iampridem conculcarunt? Cur non Conciliorum Canones audiunt, quibus quod faciunt disertè prohibetur? Tradunt enim historiæ sub annum Christi CCCLX. regnante Constantio, Eustachium quendam Sebastiæ Armeniorum episcopum de vitando coniugio & carnium esu, & ne mulieres comam haberent, leges tulisse. Conuenerunt aduersus illum episcopi alij in Gangrensi Synodo, inter cuius Canones decimus septimus sic habet: εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσχημα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω. Quorum verborum sensus est: Si quæ mulier propter putatitium religionis exercitium capillos tondeat, quos Deus vt per hos subiectionis admonetur dedit, ea vt quæ preceptum subiectionis dissoluerit, anathema esto. Hæc ideo commemorare libuit, vt omnes videant, quomodo res subinde in peius prolapsæ sint, & quòd nos non primi hominum ineptissimorum superstitiones damnemus, sed olim damnatas prohibeamus. At quoad huius loci institutum agnoscere nos decet singulare Dei beneficium, qui cœtus sacros instituit, quibus ipse medius interesse, & suorum preces audire solet. In his assidui sint Christiani homines, & ita se gerant, vt tam mares quàm fœminæ dignitatem suam tueantur, quam illis meruit IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Contra tonsuram mulierũ.

HOMILIA LVII.

Vir enim non debet velare caput, cùm is imago sit & gloria Dei: at mulier gloria viri est. Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos. Verumtamen neque vir absque muliere, neque mulier absque viro, in Domino. Sicut enim mulier ex viro est: ita & vir per mulierem: omnia verò ex Deo. Apud vosipsos iudicate, num decorum sit mulierem non velatam Deum orare? Anne natura quidem ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem, comatum esse dedecori sit: contra mulieri, comatam esse gloriæ sit? Nam coma pro velamine data est ei. Quòd si quis videtur contentiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.

Christianos quidem homines omni loco & tempore honestati studere decet, & curare ne quid sua professione indignum faciant: imprimis tamen hoc obseruandum est in cœtibus Ecclesiæ publicis. Nam vt in his ad preces & Dei cultum conuenitur: ita promissionẽ IESV CHRISTI habemus, quòd ipse nobis adesse, & quæ illic fiunt Patri accepta facere velit. Quæ causa est, quòd in Lege multa de cœtibus præcipiuntur, & Prophetæ non vno loco grauiter eos accusant, qui ad sacra publica non ea fide & reuerentia veniebant, quam Deus requirit. Non temere ergo Paulus, cùm Corinthiorum Ecclesiam à vitijs, quæ in eam irrepserant, repurgare instituisset, de cœtibus ecclesiasticis peculiari studio & diligentia agit, & quæcunq; in his perperam fiebant, corrigit. Primum in his erat, quòd tam viri quàm fœminæ habitu vterentur, qui Christianam professionem minus decebat: illis quidem caput operientibus eo ritu, cui in gentilismo assueuerant, & qui (vt nuper diximus) cum luxu superstitionem quoque coniunctam habebat: his verò petulanter nimis aperto capite & superbo capillorum ornatu formam suam ostentantibus. De vtrisque ergo grauiter agit, & ab initio ostendit, Deum ita instituisse, vt vnusquisq; hominum ordo caput habeat, quod honore & cultu debeat prosequi: Non decere igitur viros, vt suum caput, Christum, hoc ritu gentilitio dedecorent: neq; mulieres, vt in sexus virilis contumeliam sibi id sumant, quod virorum est, quos pro suo capite debeant agnoscere. Sequuntur alia argumenta, quibus & viros & mulieres fortius vrget, & simul locum istum absoluit.

Vir est imago Dei.

Primùm ad viros redit, & quid illos deceat, ostendit: *Vir non debet velare caput*, quando nimirum in Dei conspectum venit ad orandum aut prophetandum. Ratio: *Quia imago Dei est & gloria Dei.* Loquitur autem Paulus, non de illa imagine Dei, quæ in hominis mente potissimùm sita est, & quam in primi parentis lapsu destructam & obliteratam Christus postea in nobis instaurauit (quoad hanc enim, etiam mulieres piæ & Christianæ imago Dei sunt) sed de principatu & eminentia, in quam Deus virum constituit, vt non solùm in alias creaturas, verumetiam in mulierem ius habeat & imperium, adeoq; mulieri Deus sit, dum illam regit, tuetur & illius saluti atque honori consulit. Sic Moses Pharaoni in Deum datus fuisse dicitur, eò quòd diuina authoritate armatus cum illo agebat. Vt verò argumentum, quo hic Apostolus vtitur, illustrius & efficatius sit, virum gloriam Dei quoque esse ait. Causa huius dicti est, quòd Dei gloria maximè elucet in principatu illo & potestate, in quam homo euectus, ab omnibus creaturis suspicitur, colitur, obseruatur, timetur, iuuatur. Quantam enim eius maiestatem, authoritatem, potentiam, sapientiam esse oportet, qui hominem caducum, mortalem, infinitis casibus obnoxium & (si corporis vires spectemus) reliquis animalibus longè inferiorem, ad tam sublime fastigium euehere, & authoritate armare potuit, quæ truculentissimis quoque bestijs formidabilis est? Ex eo certè apparet, illum reuera Dominum exercituum esse, qui omnibus creatis pro suo nutu vtatur. Vt ergo Regis gloria sunt principes & præfecti prouinciarum, qui cum authoritate præsunt: ita meritò gloria Dei vir dicitur, qui suæ dignitatis memor, eam, vt par est, tuetur. Hinc autem colligit Apostolus, non debere viros suæ dignitatis insignia negligere, neque ethnicorum similes fieri, qui cùm neque Deum neque suam gloriam rectè agnoscant, præ seruili metu velatis capitibus sua sacra peragunt: sed potius ingenua & liberali capitis apertione suam illam præeminentiã testari. Quemadmodum enim coram rege in maiestatis solio sedente prouinciarum præsides, præfecti, tribuni, militiæ duces, equestris ordinis viri & quicunque alij cum sui ordinis aut muneris insignibus apparent, neque probaretur, qui præposteræ humilitatis prætextu illa tunc absconderet, quando ad regis gloriam ea proferre decebat: ita Christiani homines in sacris cœtibus, in quibus summus ille Rex regum præsidet, suæ etiam dignitatis insignia nequaquam debent dissimulare, sed ijs vti ad illustrandam eius maiestatem, qui illos tanto honore & gloria dignatus est.

Exod. 7.

Dei paterna erga nos bonitas.

Venit nobis hoc loco consideranda admirabilis & plus quàm paterna bonitas Dei, qui cum nullius egeat, hominem tamẽ ad suam imaginem condere dignatus est, & in eodem suam gloriam vult elucere: imò hunc suam gloriam dicere dignatur, qui nisi ipse eum fecisset, nullus erat in rerum natura. Magnum hoc, si primam hominis originem & vnde is desumptus sit, consideres. Maius autem multò est, quòd imaginem hanc, quam nostra culpa deleueramus, Filij sui sanguine instau-

[illegible] quid gloriæ veræ & solidæ nobis deesset, nos sibi fratres & regni sui cœlestis [illegible] facere dignatus est. Superant hæc rationis humanæ captum, quia inter homines nemo [illegible] qui pro filio rebelli & contumaci tantum facere vellet. Dauid equidem prioris illius dignitatis, qua omnium creaturarum princeps homo factus est, consideratione abreptus exclamat: Quid est homo mortalis, vt memoriam eius habeas, & Filius hominis, vt eum inuisas? Quid [illegible] dicere conuenit? Aut quibus verbis, imò quibus cogitationibus eam, quæ in CHRISTO [illegible] nobis facta est, Dei beneficentiam prosequi poterimus? Veruntamen etsi nos hîc verba [illegible] animi facultates deficiant, prodest tamen de his sæpe cogitare: Vt nimirum nostræ dignitatis [illegible], hanc nulla re indecora aut inhonesta prophanemus. Prophanatur hæc (vt aliâs [illegible]) intemperantia & ebrietate, libidine & scortatione atque adulterijs, auaritia & nimio [illegible] huius seculi studio. Qui enim his indulgent, ij animos quasi è cœlis detractos in lutum fœdissimum [illegible], & excusso spiritu adoptionis, qui idem libertatis spiritus est, seipsos diaboli [illegible] faciunt, quibus nihil fœdius, nihil miserius, nihil infelicius excogitari potest. Prophanant quoque dignitatem suam, qui vestitu indecoro aut etiam superstitioso vtuntur. Vt enim [illegible] decoris non magnam rationem habet, quæ meretricio cultu sese venditat: ita non magni [illegible] Christiani hominis dignitatem, qui vestibus sese ornant, quæ Christianam professionem [illegible] decent. Atqui tales sunt, quæ vel superbiæ & libidini seruiunt, vel superstitiosam cultus [illegible] persuasionem coniunctam habent. Et hoc videns Paulus, de capitis habitu, qui non magni [illegible] esse videri poterat, tam diligenter disserit. Quòd si verò ille Apostolo dignus visus est [illegible]hensione, quid de illis dicemus, qui formas vestium quotidie peregrinas accersunt, aut ipsi no[illegible], quibus forma quoque totius corporis ita mutatur, vt quiduis aliud potius quàm [illegible] videri possint? Fuit leuitas ista omnibus seculis non solum extremæ corruptionis, verum [illegible] imminentis excidij argumentum. Exemplo nobis sit Hierichuntis excidium, inter cu[illegible] chlamys Babylonica numeratur, ita nimirum luxum & fastum in vestitu perstringente [illegible] sancto, quo præter alia scelera peccarunt. In Romana historia Lucullus habetur, vir alio[illegible] & benè de republica meritus, qui purpureas chlamydes ducentas ad spectacula sce[illegible] Prætori commodato misit. Quo exemplo historici docent, qui tunc Romanæ vrbis mores fue[illegible], quando plurimarum gentium spolijs ditati, luxu & fastu omnes diffluebant. At mox secu[illegible] ciuilia bella, quæ finem non habuerunt, donec res ad Monarchiam deuenit, quæ penes ho[illegible] crudelissimos plerunque fuit, qui sua libidine tandem seipsos & Romanum Imperium pes[illegible]dederunt. Et vt ad sacra redeamus, nonne Sophonias Propheta minatur, Dominum visita[illegible] esse omnes eos, qui habitu peregrino vestiuntur? Quæ omnia si cum nostri seculi moribus [illegible]ntur, facilè videbunt cordati quique, quid nobis hodie sperandum sit, quando alij quidem [illegible] & monstrifico vestitu religionem mentiuntur, alij verò [illegible] vestium formis petulantia lu[illegible], vt cum pudore sensum quoque communem abiecisse videri possint. Debebant hîc suam au[illegible] interponere Christiani principes, quando ad Verbi Dei prædicationem plerique obsur[illegible]. Sed quid de illis dicere opus est, quando monstra eiusmodi ferè ex aulis eorum, ceu ex e[illegible] Troiano, prodeunt?

Hominis dignitas vestitu indecoro prophanatur.

Iosu. 7.

Soph. 1.

Cæterùm ad Paulum reuertamur, qui deinde mulieres aggreditur, & aduersus has plura ar[illegible] adducit, eò quod sexus iste (vt nuper monuimus) & procliuior est ad luxum atque fa[illegible], & in eo defendendo contumacior. Olim certè propter legem Oppiam publicè tumultuatum [illegible] à mulieribus Romanis, adeò vt absque pudore per forum & omnes vrbis regiones discurrerent, [illegible] obuios prehensarent, hoc vnum rogantes, vt ipsis auro & purpura pro suo arbitrio vti, & [illegible] sumptuosis per vrbem vehi liceret. Et qui fœminarum in Græcia mores fuerint, quanta [illegible] Corinthi regnauerit, historiæ non vno loco testantur. Rectè ergo Paulus singulari [illegible] in causam istam incumbit. Propositio & summa doctrinæ eius est: Mulier potestatem habere debet in capite. Potestatis vocabulo Metonomicè vtitur, per rem signatam signum intelli[illegible]. Ita enim dicit Velum capitis, quod subiectionis, vel potestatis viri in mulierem symbolum [illegible] diximus. Quòd si verò mulieres in ornatu capitis, quæ præstantissima corporis pars est, [illegible] & humilitatem profiteri debent, quanto magis in reliquo corporis cultu hoc fieri con=

Mulier potestatem in capite habeat.

Liuius lib. 34. ab vrb.

Isa. 3.

uenit? Ideo Isaias Propheta, cùm sui seculi mulierum luxum & mollitiem reprehensurus, à capite exorsus esset, inde per totum corpus ad imos pedes vsq; descendit, & singulorum membrorum ornatum commemorat, quem Deus ab illis ablaturus sit, vt pro musco sit tabes, pro cinctura dissolutio, pro opere calamistri caluitium, pro fascia pectorali saccus, & pro venustate adustio. Arguit autem hic locus indomitam mulierum nostri seculi petulanciam. Iubet Paulus, vt potestatem, cui subsunt, capitis velo testentur, & ita seipsas ad humilitatem commonefaciant. At hodie vix alia corporis parte magis ad fastum ornantur. Aliæ enim crispantibus capillorum cincinnis faciem totam ad lenocinium componunt: aliæ mytris aut vittis aureis atq; gemmatis capillos includunt: aliæ pileolis virilibus vtuntur, quibus frequenter plumas quoq; addunt, ne quid desit, quod ad testandam animi leuitatem faciat: multæ sibijpsis tantumnon cornua fingunt, dignæ quæ fœnũ in cornibus illis gestarent, vt prouerbio dicitur. Sunt hæ omnes Apostolici præcepti parum memores, & dum præ alijs superbiunt, hoc vnum inde præmij reportant, quòd se à Christiana modestia alienissimas esse testantur, & proinde indignas, quæ in Ecclesia locum habeant. Sed audiamus rationes, quibus sententiam suam Paulus probat.

Mulier gloria viri est.

Prima est, quòd vt vir gloria Dei est, ita mulierem gloriam viri esse dicit. Ratio huius dicti est, quòd in muliere apparet, quanti virum faciat Deus, quando ei talem vitæ omnisque fortunæ sociam & tale adiutorium coniungere voluit. Vt enim subditorum opulentia, industria, dignitas, maiestatem principis qui in tales imperium habet, maximè commendat: ita viri dignitas inter ea, quæ ad huius vitæ vsum spectant, maximè in eo elucet, quòd hanc illi subiecit Deus, quæ & ipsa immortalitatis capax est, & olim cælestis regni hæreditatem possidebit. Id verò in eum finem Paulus adducit, vt mulieres sui officij memores, re ipsa præstent quod dicuntur, & omnia sua ad illustrandam & prouehendam viri gloriam conferant. Vbi imprimis obedientia opus est, qua sibijpsis quoque gloriam parant. Vt enim subditorum honor & gloria præcipua est, si magistratui aut principibus suis sese obedientes præbeant: ita mulieris decus summum est viro obsequi eiusque iussis parère. Obedientiæ coniuncta sit sedulitas & industria in re domestica, cuius cura mulieres imprimis decet, & quæ ad augendam mariti gloriam plurimùm confert. Ideo

Prou. 31.

Propheta, cùm matronam sedulam & fidelem multis commendauisset, tandem infert: Nobilis est in porta maritus eius, dum sedet inter senatores regionis. Exempla, quibus id probari poterat, quotidie multa occurrunt. E contra videmus multos omnibus contemptui esse propter vxorum fastum, petulantiam & negligentem rei domesticæ administrationem. Quia verò contemptus ille in illas ipsas redundat, imò ipsis omnium hominum odia parit, & pleriq; tales mulieres extrema detestatione dignas iudicant, fœminas Christianas semper meminisse conuenit, suam gloriam cum viri gloria coniunctam esse, & proinde huic ipsas debere studere.

Mulier vnde & quare facta sit.

Secundam rationem ex creatione communis omnium nostrûm matris, Euæ desumit, sic dicens: Non est enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Quibus verbis ad primam originem mulieres remittit, vt vnde sint, & in quem finem condita sint, meminerint, & proinde minus superbiant. Simul autem duo argumenta comprehendit, quorum alterum à causa materiali, alterum à finali sumitur. Ad vtriusque confirmationem facit creationis historia, quam Moses sic describit: Et dixit Dominus Deus: Non est bonum, vt homo solus sit: faciam illi adiutorium, quod sit coram illo. Et paulò post: Immisit Dominus Deus somnum in Adamum, qui obdormiuit: & tulit vnam ex costis eius, carne eius locum concludens: & ædificauit Dominus Deus costam, quam sumpserat de homine, in mulierem, & adduxit eam ad hominem, &c. Verè igitur in præsenti Paulus dicit, mulierem ex viro originem ducere, & propter virum esse conditam. Atqui cõmuni sensu constat, causam finalem omnibus alijs præstare. Quantò igitur vir mulieri præstabit, qui materiam quoq; ex qua illa formaretur præbuit? Inde verò sequitur, intolerabilem esse insolentiam, si fœminæ contra viros efferantur, & subiectionis symbola reijciant.

Viduas & virgines idem decere quod maritatas.

At hîc obseruemus, ista de toto sexu dici, & proinde ad virgines quoq; & viduas debere extendi. Nam etsi hæ viros proprios non habeant, quibus coniugalia officia præstent, viros tamen omnes propter sexus eminentiam reuereri, & modestè atque humiliter cum illis versari debent:

neq; ea

negent illis negare officia, quæ saluo pudore præstari possunt. Talem virginem olim Rebeccam fuisse legimus, & eas viduas Paulus commendat, quæ hospitales sint, quæ item sanctorum pedes abluant, & afflictis subueniant. Hodie à multis peccatur, quæ non alium suæ virginitatis aut cœlibatus finem sibi propositum habent, quàm vt liberius, imò licentius & petulantius viuant, virosq́; simul & iuuenes omnes ludibrio habeant. Quòd autẽ mulieres suæ originis atq; finis Apostolus admonet, hoc ipsum omnes homines ad se debent transferre, vt nunquam nõ cogitent, quæ ipsorũ origo aut pristina vitæ conditio fuerit, & ad quid nunc à Deo destinati sint. Hæc meditatio Dauidem post amplissimas victorias inter opes & delitias regni in officio continuit: quòd nimirum cogitaret, se ex opilione ad fastigium illud euectum esse, non vt sibi viueret aut genio suo indulgeret, sed vt populum Domini pasceret. Quòd si idem semper animo voluant qui vel in repub. vel Ecclesia præsunt, mox videbunt, sibi nihil otij concessum esse, multò minus autem licere, vt populi simplicitate abutantur, cùm ipsi propter populum, non hic propter ipsos, ordinati sint.

Gen. 24.
1. Tim. 5.

Tertiæ rationis loco Angelos adducit Paulus, propter quos mulier caput velare debeat. Quem locum alij aliter exponunt: ego simpliciter de bonis Angelis hoc dici sentio, quos Ecclesiæ præsides ac tutores à Deo datos esse, ex Daniele constat, & quos singulis piorum adesse, scriptura non vno loco testatur. Notum enim est quod in Psalmis dicitur: Castrametatur Angelus Domini circa eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Item: Angelis suis præcipiet de te, vt in omnibus vijs tuis te custodiant: Manibus suis gestabunt te, ne ad lapidem pes tuus offendat. Quibus adde illud Apostoli, qui de Angelis dicit: Nonne omnes sunt ministratores spiritus, qui ministerij causa mittuntur propter eos, qui heredes erunt salutis? Consentit his omnibus quod Christus de paruulis in Euangelio pronunciat: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Sunt hæc testimonia non clara modò, sed infinitis exemplis confirmata, quæ cùm alibi commemorauerimus, hic breuitatis studio omittimus. Meminit autem istorum Paulus, vt eas fortius compescat, quæ sibi nihil non licere putant, neq; rationes facilè admittunt. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Si quam non mouet suæ creationis consideratio & hominum respectus, saltem Angelos vereatur, & pudeat hos suæ petulantiæ testes facere, qui piorum cœtibus intersunt, & qui vt ordine & decoro gaudent, ita confusione & inhonestis rebus offenduntur.

Angeli cœtibus sacris intersunt.
Psal. 34. & 91.
Heb. 1.
Matth. 18.

Rursus autem hoc loco consideranda nobis venit hominis dignitas, cuius præclarum & illustre argumentum est, quòd Angelos suos nobis Deus custodes atque ministros dedit: quasi parum esset, quòd hominem creaturarum, quæ in terris sunt, omnium principem constituit. Soletur hoc nos in omni periculorum genere. Nullum enim tam graue est, quod non facilè vnicus aliquis Angelus, si ita velit Deus, propulsare possit. Simul autem istorum meditatione vtamur, vt Apostolus monet: Vt nimirum honestati & sanctitati studeamus in omnibus, ne nos nostra petulantia tam fido, tamq; necessario Angelorum præsidio spoliemus. Nam hoc sublato, quid reliquum est, quàm vt communis hostis diaboli insidijs expositi anima & corpore perdamur? Poterat seria huius rei consideratio nos à multis absterrere, ad quæ præcipites ferimur: sed ea est multorum stupiditas, vt de rebus maximè necessarijs nunquam cogitent, & ideo in ipsius Christi & Angelorum eius conspectu impudenter designent, quorum eos coram hominibus vel minima authoritate præditis, imò vilissimis quoq;, puderet.

Hominis dignitas.

At non ignorabat Paulus, esse nonnullos, qui quæcunq; in hanc sententiam dicuntur, insolentius in muliebris sexus contemptum rapere solent, mulieres quoque nonnullas his ita deijci, vt se Deo minus curæ esse arbitrentur, qui proximus ad impatientiam & desperationem gradus est. Ideo per digreßiunculam interserit admonitionem, qua & viros ferociores reprimit, & mulieres infirmiores consolatur. Veruntamen (inquit) neq; vir absq; muliere, neq; mulier absq; viro in Domino: Sicut enim mulier ex viro est, ita & vir per mulierem: omnia verò ex Deo. Quorum verborum hic sensus est. Quamuis hæc ita se habeant, vt hactenus dixi, non tamen idcirco viri ferocius efferri debent, & mulieribus ceu vilissimis mancipijs abuti, quasi non in alium finem conditæ sint, quàm vt ipsorum libidini seruiant. Nam olim quidem in primorum parentum creatione hoc factum, vt mulier ex viro desumpta atq; formata sit: at nunc si Domini institutum respiciamus, neque vir absque muliere, neque hæc sine viro consistit. Imò vt mulier ex viro primam originem du-

Virorum ferociam reprimit, mulieres autẽ infirmas solatur.

xit: sic vicißim vir per mulierem generatur: omnium verò author Deus est, qui & viros & fœminas creat, & vtrisque suum officium præscripsit. Est argumentum hoc eius simile, quo hodie ferè vtimur aduersus insolentes & scurriles muliebris sexus contemptores atque osores, quando eos interrogamus: Annon ipsorum quoq; mater fœmina fuerit? Quàmuis quod hic dicitur, neq; virum absq; muliere, neque hanc absq; illo esse in Domino, ad redemptionem per Christum factam referri poßit. Quia enim is totius generis humani seruator est, viri autem huius dimidia tantummodo pars sunt, nequaquam à Christo excludi debent mulieres, ex quibus ipse homo nasci, & quas (vt alibi monuimus) sibi familiarißimas habere dignatus est, vt non solùm miraculorum, verumetiam mortis & resurrectionis suæ testes essent. Quàm ergo indigna & inexcusabilis petulantia est, eas aspernari & insectari scurriliter, quas pro sororibus in Christo agnoscas oportet, siquidem ipse per illum seruari velis? Interim admonet nos locus iste, tam virorum quàm mulierum esse, vt ad Dei institutum respiciant, & secundùm hoc vtrinq; sortem suam sedulò tueantur. Occurrit hîc primum, quòd neq; vir absq; muliere, neq; hæc absq; illo consistit. Vterq; ergo sexus alterius opera & auxilio indiget. Id verò non debet malum necessarium dici (vt quidam ex gentium sapientibus olim senserunt) sed singulare Dei beneficium agnoscatur, qui vt humano generi & communi paci consuleret, viros & mulieres ita erga se inuicem obstringi voluit. Ex hoc ergo alterum sequitur, quòd vt vnius eiusdemq; corporis membra vtrinque officij sui meminisse debent, sic vt vir quidē capitis officium fideliter præstet, mulier verò instar corporis hunc obseruet, colat & adiuuet sedulò. Vtrinque autem fide & charitate temperent molestias, quas coniugium secum trahit. Sed de his alibi plura diximus.

A naturæ ordine argumenta petit.

Cæterùm quia Corinthiorum licentia eò vsq; excreuerat, vt Paulus sibijpsi satisfacere nō posset, post digreßiunculam istam ad institutū redit, & ad naturam magistram eos remittit, qui rationes ex Verbo Dei petitas hucusq; noluerant obseruare. Et quod solent qui causam optimam sustinent, illos ipsos iudices facit, dicens: Apud vosipsos iudicate, num decorum sit, mulierem non velatam Deum orare? Annon natura ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem comatum esse dedecori sit: contra mulieri comatam esse gloriæ sit? Nam coma pro velamine data est ei. Quo loco comatos dicere videtur eos, qui in nutrienda coma sunt delicatiores. Alioqui apud Græcos comam gestare per se dedecori non erat. Homerus enim Achiuos frequenter καρηκομόωντας, id est, capite comatos dicit. Et notum est Lycurgi institutum, qui ne Spartani comam deponerent prohibuit: quòd illa formosis quidem maiorem gratiam addat, deformes autē terribiliores reddat. Apud Romanos autem tondendi mos serò demum admissus est, quando teste Plutarcho tonsores anno demum ab vrbe condita CCCCLIIII. ex Sicilia P. Ticinius Mena adduxit. Meo igitur iudicio locus hic de molliculis intelligi debet, quos veteri prouerbio notatos fuisse legimus: Vnico digitulo scalpit caput. Hos autem ab ipsa natura damnari Paulus non temere pronuntiat. Quid enim minus virile est, quàm re fluxa & inani, imò corporis excrementis superbire, quæ si quid strenuum & arduū agere oporteat, plus incōmodi quàm cōmodi affert? Quis enim Absolomum nescit, cui ad miraculū vsq; enutrita cæsaries tandem laquei loco fuit, ex quo suspensus miserè perijt? Alia autem mulierum ratio est, quas natura pluribus & longioribus capillis exornauit, idq; non sine causa. Nam coma (inquit Paulus) mulieri pro velamine data est. Ista verò ad illius institutū probè faciunt. Si enim viro non licet naturali coma superbire, multò minus peregrina & superba capitis ornamenta aliunde accersere debet. Rursus cùm Deus comam mulieri pro velamine dederit, eo ipso satis apertè illam admonere voluit, eam minimè decere, vt nudo & aperto capite sese ostentet, sed potius vt subiectionis memor, Dei instituto sese accommodet.

Naturæ exempla arguunt peccatores.

In genere autem admonemur, quàm parum excusationis habeant, qui aliquid præter officiū faciunt. Quod enim in præsenti causa Paulus dicit, hoc in multis alijs est videre. Annō natura per corporis nostri formam eos arguit & accusat, qui terrenis modò studijs immersi diuina & cœlestia negligunt? Potuit hoc Ouidius obseruare, qui hominem cum alijs animantibus conferens ait:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumque tueri
Iußit, & erectos ad sydera tollere vultus, &c.

Similiter annon apes & formicæ ignauos accusant, qui in otio torpent, deinde verò circa aliorum opes tumultuantur? Adde, quòd natura duce omnes eos peccati pudet, qui non hominem prorsus exuerunt. Senserunt pudorem hunc primi parentes, & hodie intra semetipsos eo suffunduntur sceleratissimi quiq́; imò hæc illis causa est, quòd Euangelij lucem oderunt, quia (vt Christus ait) opera sua praua nolunt argui. Quæ ergo excusatio illis reliqua est, si ea nihilominus designant, quorum ipsos pudet, & de quibus à propria conscientia accusantur? Quòd si ad præsentem causam accedas, nonne natura nos admonet, ne vestitu immodico & luxurioso superbiamus? Quem enim facinorosum dabis, quem vinculorum suorum non pudeat? At quid aliud sunt vestes, quibus tunc demum primos parentes quasi vinctos & inuolutos fuisse scimus; postquàm peccati sui conscios suæ nuditatis puderet, cùm prius ipsis propria innocentia aduersus omnem ignominiæ metum sufficeret? Quæ ergo dementia est in illis gloriam & honorem quærere, quæ nos nostræ vitiositatis & pœnarum, quas meruimus, admonere debebant? Rursus, & quod nam in rerum natura est animal, quod sui corporis formam mutatam velit? Simia certè, qua nullum animal est deformius, nihil huius conatur, imò sua illa forma, vt præstantissima delectari solet. Quis ergo sanæ mentis dicat eos homines, qui vestitu peregrino & petulanti formam corporis nouam sibi accersunt, & monstra potius quàm homines videri malunt? Possent huius generis multa adduci, sed sufficiat occasionem dedisse ijs, qui salutis curam non omnem abiecerunt.

Nunc cū Paulo vela colligamus, qui breui & graui sententia eos coërcet, quos sciebat in vrbe opulenta & voluptatibus dedita non facilè adduci posse, vt mores longa consuetudine inueteratos mutarent, aut petulantiæ suæ modum præscribi paterentur. Sic autem dicit: Quòd si quis videtur contentiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem nō habemus, neq; Ecclesiæ Dei. In Græco φιλόνεικος habetur, quæ vox litium & contentionum amantem seu cupidum significat. Sunt tales, qui contradicendi studio delectantur, neq; tacere possunt, etiamsi rationibus & testimonijs idoneis sese destitui videant. Effecta huius vitij sunt, quòd nouitati student, ritus receptos & bonos absq; causa è medio sublatos volunt, in quæstionem quoq; vocant quæ per se minimè ambigua sunt, deniq; ceu Ate quædam pomum contentionis per omnes ecclesias circumferunt. Si qui inter vos (inquit Apostolus) sunt tales, quibus non sufficiunt rationes ex Dei instituto, ex communi sensu & naturæ legibus productæ, cum illis porrò contendere non libet: sed hoc vnum eis respondemus, neq; nos Apostolos, neque Ecclesias hanc consuetudinem habere, vt cum rixatoribus contentionis restim ducamus, & omissis ijs quæ ad Ecclesiæ ædificationem faciunt; circa lites inutiles & nunquam finiendas occupemur. At hæc dicendo simul docet, eiusmodi homines indignos esse, quibus respondeatur. Nos ergo Pauli exemplo discamus; quid hodie agendum, quando eiusmodi rixatorum plena sunt omnia, quibus nihil arridet quod veteris Ecclesiæ simplicitatem resipit; sed suis argutijs omnia inuoluunt & obscurant. Vrgeantur tales Verbi Dei authoritate & firmis rationibus, vt intra animos suos conuincantur. Quòd si cedere nolunt, reliquantur Domini iudicio, ne cum ipsis litigando occasionem meliora agendi negligamus. Nihil etenim apud illos proficias, qui Marcelli similes censeri possunt, de quo Hannibal dicebat, sibi cum eo hoste rem esse, qui neq; victor neq; victus quiescere posset. Imò verè stulti illi sunt, quorum similes fiunt (vt Solomon inquit) qui ipsis secundùm stultitiam eorum respondent. Hoc si nostro seculo in multis controuersijs esset obseruatum, minus esset scandalorum in Ecclesia. Cæterùm quoad Pauli institutum, discant Christiani homines honestati studere, & superstitionis omnem speciem fugere. Quod vt semper fieri debet, ita maximè in sacris cœtibus. In his manus puras & castas attollere cōuenit, & ita nos gerere, vt digni censeamur, quos Pater ille cœlestis exaudiat propter nomen Filij sui vnigeniti, IESV CHRISTI, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Contra contentiosos.

HOMILIA LVIII.

Hoc verò denuntians non laudo, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Primùm enim cùm conuenitis in Ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliquam partem credo. Oportet enim etiā

hæreſes inter vos eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos. Itaq; cùm conuenitis in vnum, hoc non eſt Dominicam Cœnam edere: Nam vnuſquiſq; propriam cœnam præoccupat in edendo: & hic quidem eſurit, ille verò ebrius eſt. Enimuero num domos non habetis ad edendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent? Quid vobis dicam? Laudabo vos? In hoc non laudo.

Argumentum ſecundæ partis huius Cap.

PRima huius Capitis parte cum illis egit Apoſtolus, qui in cœtibus ſacris habitu à Chriſtiana profeſſione alieno vtebantur, & multis argumentis docuit, quid hîc tam viros quàm mulieres deceat. Nunc ad aliud tranſit, quod grauioris momenti erat: Nimirum ad Cœnam IESV CHRISTI *myſticam, in qua non minus luxu & faſtu peccabant, & eò vſq; progreſſi erant, vt quod faciebant, non amplius Cœna Dominica dici mereretur. Opus ergo erat diligenti & acriori medicina, quam hoc ordine adhibet. Primò vitium aut abuſum Cœnæ, quem inuexerant, arguit & grauiter accuſat. Deinde primam Cœnæ inſtitutionem exponit, & ad huius formulam eos reuocat. Poſtremò monet, quid ſinguli facere debeant, vt hoc ſacro epulo dignè & cum fructu fruantur. Eſt autem in tota hac tractatione nobis obſeruanda diaboli improbitas, qui huic Sacramento tam citò inſidiatus eſt, & verum eius vſum peruertere ac abolere ſtuduit. Vidit enim eo gratam & cum fide coniunctam mortis Chriſti commemorationem contineri: quæ & fidem noſtram confirmat, & nos in officio continet, ne vel Chriſto neglecto poſt ſuperſtitiones exorbitemus, vel ſub illius velamine & prætextu licentiæ carnis indulgeamus. Quapropter viuentibus adhuc Apoſtolis, oculatis Chriſti teſtibus, hoc conari auſus eſt: & quàmuis Paulus hoc Cap. Corinthios, & cum his omnes Chriſtianos ad primam Cœnæ inſtitutionem reuocet, & huic quaſi aſtrictos eſſe velit, non tamen tanta fuit apud poſteros eius authoritas, quò minus multa zelo quidem pio & bono, inconſulto tamen, facta ſint, quæ tandem ſuperſtitiones nocentiſſimas pepererunt. Romanis certè Epiſcopis hunc morem fuiſſe Irenæus apud Euſebium teſtatur, vt Epiſcopis aliarum Eccleſiarum Romam venientibus Euchariſtiam, ceu pacis & conſenſionis ſymbolum, ſolenniter tranſmitterent. Tertullianus verò in libro de Monogamia mulierculas Euchariſtiæ reliquias in ciſtis aſſeruare ſolitas fuiſſe ſcribit: cuius rei Cyprianus quoq; meminit: Heſychius autem in Leuitico, illas à quibuſdam exuſtas fuiſſe, Nicephorus verò Conſtantinopoli à pueris è ludo euocatis conſumptas tradit. Hieronymus author eſt, aliquos voluiſſe, vt in nuptijs illa in ædes priuatas deferretur, nimirum vt illas auſpicatiores faceret. Ambroſius item fratrem ſuum Satyrum inter nauigandũ Euchariſtiam ex collo geſtauiſſe narrat. Cypriani verò temporibus eadem infantibus quoq; data eſt: quod Caroli Magni temporibus adhuc aliquibus in locis obſeruatum eſſe legitur. Quid, quod aliqui mortuos baptizarunt, & Euchariſtiam ijſdem in os dederunt? qui mos in Concilio Carthaginenſi abrogatus eſt. Fuerunt item, qui vt ſe à crimine obiecto purgarent & ſuam teſtarentur innocentiã, Euchariſtiam cum ſolenni proteſtatione ſumebant. Inſtituti quoq; (vt alibi monuimus) presbyteri pœnitentiarij, qui ad Cœnam Domini acceſſuros probarent. At quid horum Chriſtus docuit, cùm illam in ſuæ mortis commemorationem inſtitueret? Aut quid huius tradiderunt Apoſtoli? Fuerunt ergo hæc præludia ſuperſtitionis maioris & idololatriæ, quæ tandem ſecuta eſt, quando Euchariſtiam in ædiculis ſacris adſeruare, adorare, in proceſſionibus circumferre, feſto in eius honorem inſtituto colere Innocentius* III. *& Honorius* III. *atq; Vrbanus* IIII. *Pontifices mandarunt. Hæc ideo commemoramus, ne cui mirum videatur, poſteris temporibus horribilem illam Cœnæ prophanationem introductam fuiſſe, quæ totum Chriſti meritum euertit: neue offendamur, ſi etiam hodie inter eos, qui Euangelij doctrinam profitentur, multi contentionum & implacabilium inimicitiarum materiam arripiunt ex illa, quæ concordiæ & vnitatis Chriſtianæ vinculum eſſe debebat? Excitemur potius horum conſideratione, vt diligentes ſimus in retinenda apoſtolica doctrina, quæ nobis hodie non minus, quàm olim, neceſſaria eſt. In præſenti primam huius tractationis partem videbimus, in qua primùm in genere Corinthios Paulus accuſat: deinde ad ſpecies deſcendit, & quibus vitijs Cœnam polluant, docet: tandem acerrimè in illos inuehitur.*

Eccli. hiſt. 5. Cap. 26.

Quoad

Quoad primum, hoc in illis repræhendit, quòd cœtus ecclesiasticos, absque fructu agant, neque ad eum finem dirigant, propter quem sunt instituti. Vtitur autem graui præfatiuncula, quam huius Capitis initio opponit: Hoc verò denuntians non laudo, &c. Quasi diceret: Laudaui quidem vos, quòd traditiones meas in reliquis obseruetis, at quod nunc vobis denuntiaturus sum, id eiusmodi est, vt laudare nullo modo possim. Quid verò illud est? Quòd non in melius, sed in deterius conuenitis: vel quòd non cum emolumento, sed cum detrimento conuenitis, id est, quòd cœtus vestros ita agitis, vt non proficiatis in vera pietate (quod vnicè erat spectandum) sed potius ex illis reditis deteriores. Quo loco ante omnia obseruabimus, non statim omnino irrepræhensibiles & in omnibus perfectos esse, qui in aliquibus à Spiritu sancto commendantur. Laudauit nuper Corinthios Paulus, & merito quidem, quòd ab ipso traditam doctrinæ formam retinerent: at eosdem nunc acriter repræhendit, & vituperio dignos esse docet, quòd in re maximi momenti scopum, qui omnibus Christianis propositus esse debet, non respicerent. Ita non vno loco Israëlitæ laudantur, et hos Deus modò suũ filium primogenitũ, suũ peculiũ, suũ regnũ sacerdotale dicit: ijdẽ verò alibi filij defectores & degeneres, populus Gomorrhæus, & Chananæorum Amorrhæorumque similes dicuntur. Quod ipsum de Dauide dicere possumus, quem alibi Deus virum esse testatur secundùm cor suum: sed idem postea in adulterium lapsus grauem correptionem meruit. Seruiunt hæc nobis aduersus Romanenses, qui quòd Paulus eius Ecclesiæ fidem in toto orbe prædicari dixit, sibi eam prærogatiuam vendicant, quòd errare non possint, & quod omnes Ecclesiæ Romanis Pontificibus parêre, & eorum doctrinam atque placita sequi debeant. Sed probandum prius erat, eandem esse adhuc in Romana ecclesia doctrinæ & fidei formam, quæ olim fuit, quando illam tanto præconio dignam Paulus iudicauit. Quod cùm nunquam probaturi sint, & res ipsa diuersum loquatur, non est quòd maiorum laudes ad se rapiant.

Reprehendit, quod cœtus agant absque fructu.

Roma. 1.

Imprimis autem Verbi administri exemplum Pauli imitari discant: vt quæ laude digna sunt laudent, vt sic fortius excitentur, & facilius in officio contineantur, qui ingenui sunt: simul autem diligenter curent, ne ad ea conniueant, aut etiam turpi adulatione excusent, quæ repræhensionem merentur. Peccant in hoc multi hodie, qui in magnis viris propter priora merita in remp. & Ecclesiam ea non excusant modò, sed tantumnon laudibus vehunt, quæ publicè & magna cum libertate corripi debebant, vt quod ex illorum exemplo nascitur scandalum, è medio tolleretur. Sunt hi canes muti, qui vt Heroum & principum amicitijs sese insinuent, ministerij libertatem produnt, & perfidiosa indulgentia eos perdunt, quorum honori & existimationi se consulere aiunt. Longè aliter olim Prophetæ, vt Paulò ante de Dauide diximus, quem post tot labores, pericula, victorias, triumphos & egregia in populum Dei merita, Nathan ob adulterij & homicidij scelus durissime corripuit, & ita in viam salutis reuocauit eum, qui rerum securus alioqui periisset. Sic cum Ezechia, laudatissimo principe, Isaiam egisse legimus. Quid, quòd Christus Petrum, quem paulò ante beatum pronuntiauerat ob fidei veræ confessionem, mox Satanam dicit, eò quòd ipsum à morte ex Patris decreto subeunda dehortaretur? Hæc exempla Ecclesiarum ministri sibi imitanda proponant. Etenim cum inter amicos fidos & ingenuos admonendi & reprahendendi libertas seruari soleat, & eadem amicitiæ vinculum sit firmissimum, quanto magis illã Ecclesiæ pastores seruare debent, & illa suum erga illam amorem atque fidem testari?

Ministri vt in laudibus & vituperio aliorum versari debeant.

Præterea diligenti obseruatione dignum est, quòd Paulus Corinthios non hoc nomine reprahendit, quòd in conuentibus ecclesiasticis frequentandis negligentiores essent, sed quòd nihil proficerent in illis, neque meliores inde redirent. Sunt enim cœtus sacri propter nos instituti, & quæcunque in illis fiunt, à Deo tradita sunt, vt nobis adiumento sint ad pietatem & salutem æternam. Possunt ista omnia tribus capitibus compræhendi, Verbi Dei prædicatione, Sacramentorum vsu & Precibus publicis. At prædicationis verbi vsus est, vt in Dei cognitione proficiamus, vt cognitio hæc fidem in Deum & timorem eiusdem in nobis augeat, ex quibus deinde vitæ nouitas & vera sanctimonia nascuntur. Sacramenta autẽ Verbi appẽdices sunt, quibus Deus promissiones suas obsignat, & quæ nobis in Christo Filio suo exhibuit beneficia, sensibus quoque externis repræsentat. Ergo illa quoque si rite vsurpentur, fidem nostram iucundissima contemplatione exercent atque

Cœtus instituti, vt in illis proficiamus.

confirmant, simulque nos obstringunt ad fraternæ dilectionis & sanctimoniæ studiū. Precum verò exactissima formula est, quæ in Oratione Dominica habetur, quæ vt omnia complectitur, quæ nobis publicè & priuatim quoad corpus & animam necessaria sunt: ita epitome vel compendiū dici potest omnium Psalmorum & precationum, quibus olim sanctissimi homines apud Deum vsi sunt. At quid aliud illa docet, quàm vt vnum Deum, qui in cœlis est, pro patre nostro agnoscamus, illum vnū colamus, nominis eius gloriam illustrare studeamus, regno illius locum demus, voluntati eius iustæ & bonæ nos totos submittamus: vt denique ab illo accepto corporis & animæ alimento, inter suos mutua dilectione coalescamus, inuidiam, odium & vindictæ cupiditate totis animis profligemus: denique tentationibus prauis & harū authori, diabolo, omnibus tam animi quàm corporis viribus resistamus? Hæc (inquā) cùm in sacris cœtibus tractetur, nō possunt nō meliores fieri, qui his animum attendunt, neque circa vanas aut turpes quoque cogitationes peregrinantur. At est hoc vitium nimis vulgare, quemadmodum in sementis parabola Christus admonet. Et olim apud Prophetas Deus de Iudæis non semel conquestus est, quòd ad sacra quidem publica & ad Verbum eius audiendum conuenirent, nihil autem proficerent in solida pietate. Ideo per Isaiā clamabat: Quum venitis vt coram me compareatis, quis id postulat à manu vestra, vt conculcetis atria mea? Et apud Ezechielem eiusmodi hypocritarum mores graphicè describit his verbis: Et tu fili hominis, filij populi tui colloquuntur tecum iuxta parietes & in ostijs domorum loquitur alter ad alterum, quisque videlicet ad proximum suum dicendo: Venite quæso, & audite, quod nam Verbum egressum sit à Domino. Et veniunt ad te secundùm ingressum populi (id est, turmatim sicuti populus ad opus aliquod publicum confluere solet) sedentque coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, quos tamen non faciunt: quandoquidem subsannationes ore suo concinnant, & post auaritiam suam vadit cor eorum. Et ecce tu illis es vt author carminis amatorij voce suaui modulans, & vt instrumentum musicum, quod scitè pulsatur: audiunt ergo verba tua, sed ea non faciunt, &c. Quæ verba si ad nostri sæculi mores transferas, videbis nihil aptius, nihil verius & magis proprium de illis dici posse. Et tales ferè sunt, qui reliquis meliores possunt censeri. Cæterùm quia Corinthij non modò securitate & Verbi contemptu peccabant, sed alijs quoque vitijs corrupti ex cœtibus suis deteriores abibant, nunc illa Paulus recenset, vt quid hîc ipsis cauendum sit, intelligant.

Isa. 1. Ezech. 33.

Scismata in cœtibus accusat.

Primum his verbis enuntiat: Primùm enim cùm conuenitis in ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliquam partem credo. In Græco σχίσματα habetur, quæ vox Latinis quoque Theologis in vsu est. Quæ verò scismata ista siue dissidia Corinthiorum fuerint, sub initium epistolæ audiuimus: quòd nimirum in sectas scissi à doctoribus suis denominari volebant. Scribit enim illic Apostolus: Declaratū est mihi de vobis, fratres, à domesticis Chloes, quòd lites sint inter vos: Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollos, ego verò Cephæ, &c. In præsenti autem ad culpæ aggrauationem facit, quòd dissidia ista ab ipsis in Ecclesiam, imò in Cœnam mysticam inferri dicit, quæ concordiæ symbolum est, vbi vno spiritu omnes tanquam eiusdem corporis membra animari & idem in Christo sentire debebant. Atqui solet hoc fieri, vt qui semel inter se scissi partium studia fouere incipiunt, non in externis modò & prophanis rebus, verumetiam in ipsa religione, & in ijs, sine quibus salus nostra non consistit, dissidia & scismata illa exerceant. Exemplum huius mali nimiùm infelix hodie nobis exhibet Sacramentaria contentio, quæ factiosis Lutheranorum & Zuinglianorum, siue Caluinistarum nominibus eò vsque exarsit, vt alij alios communione Cœnæ indignos iudicent, & eos pro fratribus agnoscere nolint, qui eundem cum ipsis Christum profitentur. Ideo Christus iam mortem aditurus tam diligēter & solicitè precabatur Patrem, vt suos omnes vnum faceret. Et admodum necesse est, vt summo studio vigilemus aduersus insidias diaboli, qui hoc imprimis effectum cupit, vt nos quacunque occasione in partes scissos ab Ecclesiæ vnitate, & sic eadem opera à Christo capite & vnico omnis salutis authore auellat. Nam ex hisce Apostoli verbis satis constat, inania esse externa religionis exercitia, vbicunque scismata regnant: imò non solùm nihil proficiunt in cœtibus sacris homines factiosi & litibus dediti, verumetiam deteriores fiunt. Abutuntur enim ad scismatum defensionē Verbo Dei & sacris symbolis, & quia hæc omnia pro se facere arbitrantur, obstinatiores fiunt indies,

Ioan. 17.

dis, & simul contendendi libidine sensus religionis paulatim extinguitur. Passime ergo de tota Christi Ecclesia hodie merentur, qui infelix illud de re Sacramentaria dissidium fouent, & authores sunt multis, vt etsi ad eandem mensam Domini accedant, diuersis tamen nominibus appellari velint, & eos odio prosequantur, quos pro fratribus in Christo debebant agnoscere. Quid enim illi aliud faciunt, quàm quòd progressus multorum in vera pietate impediunt, & ijsdem noxia reddunt quæ nobis salutis adminicula esse debebant?

At ne Apostolus durius quid dixisse & omnes vno reatu inuoluisse videretur, simul dicti huius mitigationem subijcit, qua insontes à culpa eximit, & infirmos consolatur, ne offensi vel desperent, vel ecclesiam deserant. Et aliquam partem (inquit) credo. Quasi diceret: Non quidem vos simul omnes dissidijs studere puto, verumtamen non omnino vanum esse credo, quod tam certis authoribus didici: neque mihi dubium est, esse inter vos, qui dudum suscepta partium studia fouere pergant. Id verò probat, addens: Oportet enim etiam hæreses inter vos esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Hæresis vox grauior & atrocior est quàm scismatis. Hoc enim ex quacunque alienatione animorum nascitur, vt cùm aliqui vel ex odio pastorum aut morositate propria illos audire nolunt, vel cum his aut illis sacra communia habere dedignantur, & ita secessionem ab Ecclesia faciunt. At hæresis ex dissensione in doctrina nascitur, & pertinaciam coniunctam habet, qua quod semel aliqui tradiderunt, tueri satagunt, & alios quoque in errorem abducendo apertas sectas inuehunt. Vult ergo Paulus sic dicere: Non nouum aut insolens mihi videtur quod de vobis audio, neque quisquam piorum istis dissidijs ita offendi debet, vt propter ea vel de Euangelij veritate dubitare, vel Ecclesiæ societatem relinquere velit. Nec enim vestra sors potior est quàm aliarum ecclesiarum, quæ grauioribus quoque malis sunt obnoxiæ. Nam vt Christus ipse monuit, est quidèm Ecclesia Dei ager, sed in hunc sua zizania quoque Satan seminat, & proinde in hoc sæculo seges ab omni vitio pura sperari non potest. Et vos ipsos adhuc grauiora certamina manebunt, quando malè feriati quidam portentosis dogmatibus ecclesias in partes distrahent. At tunc memineritis, hoc ita fieri oportere, & non sine certo prouidentiæ Dei consilio fieri, qui talia permittit, vt qui probati, id est, in fide verè instructi & constantes sunt, manifesti fiant inter vos. Quoad enim in otio & alta pace ecclesiæ degunt, veri Christiani hypocritis & probi reprobis permixti viuunt, & nonnunquam hi illis meliores videntur. At cùm grauiores aliqui doctrinæ articuli & ipsa fidei Christianæ capita in contentionem veniunt, mox apparet quinam Christũ verè & ex animo amplexi sint, qui item falsa & inani fidei professione hactenus Ecclesiæ fucum fecerint. Neminem ergo aliorum siue leuitas siue contumacia offendere debet, sed curent singuli, vt huic remedio, quo suam Ecclesiam Deus purgare & pios ab impijs simulatoribus secernere solet, sese animo forti & inuicta fidei constantia accommodent.

Mitigat accusationem.

Matth. 13.

Est autẽ diligentius expendenda locutio Apostoli: Oportet etiam hæreses inter vos esse, &c. Hac enim & alijs similibus multi abutuntur, vt hæreses & quæuis alia scelera excusent. Si (inquiunt) hæc aut ista fieri oportet, quis quò minus fiant prohibebit? Et cùm necessitate ad ista homines ferantur, cur illos accusamus, aut supplicio dignos censemus? Denique cùm ista omnia piorum bono fiant, cur de illis querimur? At Paulus sic loquendo nos nequaquam ad diuinæ prouidentiæ arcana remittere voluit, sed potius necessitatis huius causas in ipsis hominibus monstrare, & simul Dei bonitatem commendare, qui rei malæ euentum bonum facere consueuit. Nam vt modò diximus, in Ecclesia externa semper probis & germanis Christi discipulis reprobi quidam permixti sunt. Non item feriatur Satan, qui vt omnem nobis nocendi occasionem auidè captat, ita vbique eos inuenit, qui ipsi aures simul & animum præbent. Quid verò hinc aliud sperari potest, quàm vt dissidia, factiones, hæreses & graues ecclesiarum motus sequantur? Est ergo locutio hæc ei similis, qua Christus vtitur dicens: Necesse est, vt veniant scandala. Vbi necessitatis istius causas non in Deo altius scrutari opus est. Quid enim aliud fiat, quando malorum & improborum maximus vbique est numerus, & qui illis sunt meliores ad malum tamen natura procliues sunt, & proinde malorum exemplis facilè permouentur? Sed mirum est istos homines scripturæ locutionibus tam pertinaciter abuti, cùm multæ similes nobis in quotidiano vsu sint. De eo enim, qui perpotat, ludit, scortatur, inutilem seruorum turbam alit, & alia huius generis facit,

Necessitas prouidentiæ non excusat improbos.

Matth. 18.

dicimus: Hunc hominem ad inopiam & egestatem redigi necesse est. De intemperanter item viuentibus: Hos oportet in febres, podagram, intercutem & alios morbos incidere. Quis verò hæc audiens de occulta Dei prouidentia disputationem instituit, vt istos excuset? Cur ergo id facimus in ijs, quæ ad animam spectant, vbi scelerum & perditionis causæ non minus euidentes sunt in hominibus, quàm in alteris illis inopiæ & morborum causas hærere nemo negat? Quòd verò ex scandalis, dissidijs, hæresibus ad electos bonus aliquis fructus redundat, hoc non illis acceptum ferri debet, neque ideo istorum culpa liberantur: sed Dei bonitati & sapientiæ illud omne transcribendum est, qui sic res omnes gubernat & moderatur, vt quæ per se mala, scelerata & noxia sunt, ijs qui ipsum diligunt adiumento sint ad bonum. Exempla, quibus hoc illustrari poterat, passim occurrũt, & imprimis huc pertinent, quæ in Iosephi à fratribus venditi, & Christi per Iudam proditi historia habentur. Fratribus certè culpam deprecantibus Iosephus dicit: Vos equidem cogitauistis aduersus me malum, at Deus cogitauit idipsum in bonum, vt faceret quemadmodum hodie apparet, & seruaret in vita populum multum. Christus quoque se ex æterno Patris decreto per discipulum prodi & infami supplicio mori oportere non vno loco testatur. At idem in vltima Cœna ait: Væ homini illi, per quem Filius hominis proditur, &c. In publicis quoque ecclesiæ persecutionibus hoc ipsum cernitur, quas accidere necesse est propter nos, vt hypocritæ eijciantur, & qui dormitant excitentur, adhæc electorum fides illustrior fulgeat: nec ideo excusati sunt impij tyranni, quos innatum veritatis odium in rabiem istam adducit. Discant ergo singuli intra hos limites sese continere, vt Deum quidem mali nullius authorem faciant, eius verò bonitatem & sapientiam exosculentur, qui quod malum est nobis in bonum conuertere potest: & ex eo in omni genere tentationũ consolationem capiant.

Gen. 15.

Videamus nunc alterum vitium, quo circa Cœnam Corinthij peccabant. Erat hoc totius Cœnæ immutatio quædam, & talis quidem vt non amplius Cœna Dominica dici mereretur, quam illi agebant. Id his verbis enunciat: Itaque cùm conuenitis in vnum, hoc non est Dominicam Cœnam edere, &c. Quasi diceret: Conuenitis quidem in Ecclesiam, vt qui mensæ Christi participare, mortis eius memoriam celebrare, vosq; mutuò ad fidem & dilectionem fraternam excitare atque exercere velitis: Sed quod tunc facitis nihil minus est quàm Cœna Domini, neque eam vos manducatis. Id probat argumento à contrarijs: Nam vnusquisque propriam Cœnam præoccupat in edendo, & hic quidem esurit, ille verò ebrius est. Ostendit ipsorum ritum à Christi institutione alienissimum esse, & adhunc modum argumentatur: Christus vnam & eandem mensam omnibus suis communem esse voluit, & adeò non distinxit inter diuites & pauperes, vt ne inter seipsum quidem & discipulos, quoad externa symbola, discrimen esse voluerit. Quid, quòd ne Iudam quidem, iam proditorem & hostem, exclusit? At vnusquisque vestrûm pro suarum facultatum ratione aut animi sui arbitrio Cœnam propriam instituit, ad quam quos ipse vult inuitat, & hi deinde comessantur intemperatissimè, multis interim esurientibus, qui & ipsi nihil habent, & à vobis, qui opulentiores estis, negliguntur: Ergo vestra hæc conuiuia nihil cum Christi Cœna habent commune. Vel si breuius velis, argumentum ita formabis: Christi Cœna, non priuata aut alicui propria, sed toti Ecclesiæ communis est: Vos Cœnas habetis priuatas aut proprias: Ergo non editis Cœnam Domini.

Cœna mutationem accusat.

Cæterùm vt rem omnem rectius intelligamus, primitiuæ aut veteris Ecclesiæ morem nosse oportet, ex quo prophanus iste abusus Cœnæ apud Corinthios enatus fuit. Solebant Iudæi (vt aliàs diximus) ex Dei instituto gratulatorijs sacrificijs conuiuia coniungere, ad quæ amicos & vicinos vocabant: & imprimis pauperum rationem illos habere iusserat Deus, si ad hunc modum in eius conspectu conuiuari vellent. Imitati sunt hunc morem per κακοζηλίαν gentes, vt in festis & sacrificijs celebrioribus publicas epulas instituerent: quibus viscerationes possunt adnumerari, quæ apud Romanos in ferijs, quas Latinas dicebant, et in funeribus seu exequijs illustrium personarum solebant facere. Hinc occasionem arripuerunt Christiani homines, & ne in læta hac redemptionis per Christum factæ commemoratione, quoad pauperum curam, Iudæis & gentibus inferiores viderentur, qui inter illos opulentiores erant, domo afferebant epulas, ad quas post peractam Cœnam Domini tota Ecclesia vocabatur, & in his promiscuè diuites cum pauperibus discumbebant

Vnde Cœna ex publica facta sit priuata.
Deut. 14. et 16

bant. Dicebantur conuiuia illa Agapæ, id est, charitates, tanquam charitatis fraternæ symbolum & tessera. Meminit illarum in sua epistola Iudas Apostolus, & Petrus in posteriori, Cap. secundo. Et earundem Tertullianus quoque diligentem mentionem facit, vt quæ ipsius tempore adhuc in vsu fuerunt. Habuit ergo res ista initium ex bono zelo, sed (vt inter opulentos, fastui & delitijs assuetos, fieri solet) apud Corinthios mox in fœdum abusum degenerauit. Opulentiores enim neglecto proprio Cœnæ Dominicæ vsu, sub illius prætextu sua symposia agebant, & soli cum suis (vt diximus) luxuriosè nimis conuiuabantur, illis interim non sine publica contumelia famescentibus, in quorum gratiam potissimùm Agapæ illæ initiò institutæ fuerant. Itaque in vno facto multiplex scelus concurrebat. Primò enim non alienum à culpa fuit, quòd Christi instituto aliquid addiderant, & cùm infinitæ aliæ rationes essent subueniendi pauperibus, hanc delegerant, quæ ab exemplo Christi alienissima erat, qui cùm Cœnam suam instituere vellet, Paschale epulum prius abrogauit. Alter error fuit, quòd ex publica & communi Cœna priuatam quisque sibi fingebat. Sequebatur ex hoc gulæ & ventris studium, quod cùm in omni reliqua vita vituperio dignum sit, in sacris execrationem extremam meretur. Erat his coniunctus pauperum contemptus, quos non negligebant modò, verumetiam pudefaciebant, cùm vel ipsa Cœna eos hîc sui officij admonere posset. Nam vt decimo Cap. dixit Apostolus, vnum corpus sunt, qui ex vno pane Domino edentes vnam & eandem in illum fidem profitentur. Hæc omnia Paulus in præsenti accusat, & eos Cœnam Dominicam habere negat.

Periculosum est in institutis diuinis aliquid mutare, &c.

Est hoc memorabile exemplum, quo docemur, quàm periculosum sit diuinis institutis aliquid ex nostræ rationis placito siue arbitrio assuere. Solet enim nobis hîc imprimis insidiari Satan, vt externis sacris vel mutatis vel abolitis religionem quoque internam ex animis nostris aboleat. Neque hîc quid velit, apertè semper significat, sed in angelum lucis transformatus pietatem simulat, & sub huius prætextu persuadet, vt à Deo traditos ritus vel mutare, vel additionibus aut ademptionibus nostris corrũpere audeamus. At quàm primùm hîc sibi aliquid homo permittit, indies longius progreditur. Est enim insatiabilis humani ingenij audacia, & mirificè suis inuentis circa Dei cultũ delectatur. Exempla in veteri testamento plurima habentur, quæ docent, quòusq; illorũ nimia licentia progredi soleat, qui Dei verbo nõ omnino destituuntur. Quid verò posteris tẽporibus acciderit, notius est, quàm vt multis commemorari oporteat. Non temere ergo Deus humanas traditiones passim damnat, & inutiles sibique abominabiles esse testatur omnes cultus, qui secundùm illas instituuntur. Semper ergo meminerimus, non esse faciendum quod nobis bonum videtur in oculis nostris, sed Dei verbo esse insistendum, à quo nefas sit ad dextram vel ad sinistram deflectere. Vide Numer. 15. Deut. 4. & 12.

Corinthios negat edere Cœnam Domini.

Præ alijs autem hîc considerari paulò attentius debet, quòd disertè negat Corinthios edere Cœnam Dominicam. Visum hoc fuit haud dubiè plerisque durum dictu. Dicit tamen, & dicti sui rationem habet sufficientem, quòd non sequerentur Christi institutum, quo vera & perfecta Cœnæ agendæ ratio continetur. Enimuero communi sensu hæc ratio nititur. Cur enim Dominicum dicatur, quod a Domini voluntate & institutione discrepat? Pertinet igitur hoc ad omnes, qui vel in Cœna sacra, vel in alijs Dei ordinationibus ab illius verbo discedunt. Quid ergo de Missa dicemus, quam Cœnæ Dominicæ loco sacrificuli celebrant, quæ non modò ipsis propria & priuata facta est, sed sic mutata quoq; vt neq; nomen Cœnæ retinuerit, neq; aliquod huius vestigium in illa appareat? Et quod in præsenti Paulus reprehendit, illic cum maiori fit impudentia. Quis enim nescit luxum vestitus sacri plus quàm theatricum, altarium & in his prostantium imaginum ornatum, candelabrorum & calicum multo auro rutilantium splendorem? quæ omnia superstitiosi homines contra veteris Ecclesiæ morem inuexerunt. Quis verò ex illa edit & bibit? Soli sacrificuli, spectante tota Ecclesia, cui nihil quàm oculos non nisi breui momẽto pascere licet. Quòd si quando publicæ & solennis communionis dies adest, iam ne tunc quidem Cœna integra populo distribuitur. Alteram enim speciem (vt vocant) poculum videlicet benedictionis subtraxerunt iampridem contra Christi mandatũ, qui de poculo dixit: Diuidite hoc inter vos, & bibite ex eo omnes. Quàm turpiter verò ex Missa sua belluẽtur & comessentur, omnes norũt, qui funera ab illis deduci, exequias, octauas, tricesimas et nunquã nõ redeuntia anniuersaria festa celebrari viderũt. Hîc ceu ad

Matth. 26.
Mar. 14.

in.

cadauer corui & vultures conuolant, magno cum boatu defunctum cient, inde ad pocula & epulas ruunt, à quibus rarò nisi prius bene madidi & distenti discedunt, esurientibus sæpe & luctu contabescentibus viduis & orphanis, qui ad ista impensas conferunt. Quid, quod hoc prætextu frequenter totas hæreditates intercipiunt? Negent ista fieri, si possunt. At qua fronte negabunt, quod in totius mundi theatro iam sæculis aliquot factum est, & quod hodie adhuc fieri omnes vident? Quid ergo Paulum ad ista dicturum putas, si ea videret? Num hos Cœnam Dominicam manducare diceret? Non equidem arbitror. Et hi tamen sunt, qui nos Sacramentorum hostes & sacrilegos esse dicunt, eò quòd primam Christi institutionem reuocamus. At non soli illi in culpa sunt, sed ex nostris etiam nonnulli eodem reatu tenentur, qui nouam Cœnæ peragendæ formam instituunt, panis fractionem prorsus auferunt, fines denique & vsus illius mysterij fingunt, quorum nullam mentionem Christus vnquam fecit, cùm illud institueret. Videant illi, ne dum aliquid emendare volunt in Domini instituto, idem illis dici poßit, quod in præsenti Corinthijs dicitur.

Acriter in Cœnæ prophanatione inuehitur

Sed redeamus ad Pauli verba, qui rei indignitate motus acerrimè & plenis (quod aiunt) velis in illos inuehitur. Primùm: Enimuero num domos non habetis ad edendum? Ostendit hoc illos præter omnem neceßitatem facere, cùm (si omnino conuiuari velint) non desint domus aliæ priuatæ & publicæ, in quibus id facere poßint. Et ita loquendo simul docet non hunc Cœnæ dominicæ

Ioan. 6.

vsum esse, vt in ea edamus & bibamus ad corporis satietatem, sed vt animis altius eleuatis cibũ eum quæramus, qui & ipse non perit, et eos, qui ipsum verè edunt, pascit et alit ad vitam æternam. Denique hoc dicto Agapas quoque illas, de quibus supra diximus, è loco sacro & cœtibus ecclesiasticis omnino sublatas esse vult, quàmuis eas bono & sancto zelo institutas esse sciret. Vbi admonemur, non debere aliquem pudere, si mutare aut abrogare iubeatur, quod sine Dei Verbo institutum aliquam boni speciem habet. Si enim quæ Deus ipse instituit, Satan peruertere & in vsum peßimum detorquere potest, quid de nostris institutis nobis polliceri poßumus, quæ bonæ etiam intentionis excusationem amittunt, si per Dei Verbum meliora edocti cedere nolumus? Sed pergit Paulus, & vehementius sermonem intendens ait: Num ecclesiam Dei contemnitis? Ergo contumelia hæc nõ in paucis hærebat, sed in totam Ecclesiam redundabat, cùm & hanc Sacramento omnium nobilißimo spoliarent, & in eius conspectu turpißimis cupiditatibus indulgerẽt. Atqui idem omnibus dicitur, qui Dei instituta peruertunt, & in Ecclesiam inuehunt quæ ipsorũ affectibus arrident. Quid ergo de illis dicemus, qui sacra omnia venalia habent, & omnes ritus eò dirigunt, vt suæ auaritiæ & libidini satisfiat? Gloriantur isti Ecclesiæ titulo, & huius pastores haberi volunt: sed si vnquam de illa seriò cogitarent, eam non ita haberent ludibrio. Non fallent autem oculos Domini, qui Sponsæ suæ factam iniuriam, inultam abire non sinet. Addit ad huius amplificationem Apostolus: Et pudefacitis eos, qui non habent. Scelus est graue pauperem negligere. At eundem ludibrio habere flagitium est nulla venia dignum. Qui pauperi illudit (inquit Solomon) probro afficit factorem eius. Augetur tamen & hoc scelus, si istud inter media sacra, & in Ecclesiæ conspectu fiat, vbi nullum diuitis & pauperis, docti, & indocti, nobilis & plebei discrimen esse debet, quoad mysteriorum regni Dei communionem. Obseruabis autem hîc eos quoque perstringi, qui in Ecclesia vestium luxu superbiunt, in subsellijs altioribus sese toti cœtui, vt Semideos quosdam, conspicuos ostentant, & ijsdem arma seu gentis suæ insignia affigunt. Habent hi suos defensores, imò (ne quid intactum impollutumque Antichristus relinqueret) adiuuerunt istorum fastum sacrifici & monachi, & pretio illis vendiderunt loca illa, ex quibus sese ostentarent. Habent isti omnes fidem Domini nostri IESV CHRISTI cum respectu personarum: quod quàm à fidei ingenio alienum sit Apostoli paßim docent, imprimis autem huc faciunt, quæ Iacobus in sua epistola sub initium Cap. secundi prolixè tradidit. Deinde ijdem pauperes, non solùm pudefaciunt, sed ijsdem impatientiæ etiam authores sunt, vt Dei iudicia & eius prouidentiam audacius accusare incipiant. Vides ergo quàm multa scelera in vno concurrant, & demonstratione ampliori non opus est, vbi res ipsa loquitur.

Prou. 17.

Audiamus Paulum ita concludentem: Quid vobis dicam? Laudabo vos? In hoc non laudo. Atqui in huius epistolæ exordio, eos non laudauit modò, verumetiam dignos iudicauit, quorum nomine gratias ageret Deo, qui illos omni scientia & cognitione liberaliter donauisset. Et sub huius

in exordio initium eos laudauit, quòd ab ipso acceptas traditiones fideliter seruarent. In eo autem, de quo hic agitur illos laudare non potuit. Causa, quia quod faciebant, id ab instituto Christi alienum erat, vt ex ijs patebit, quæ proximè sequuntur. Meminerint exempli huius ministri Ecclesiarum, vt neq; laudent neque defendant quod cum verbo Dei non conuenit, quocunq; exemplo & prætextu, aut quibuscunque rationibus pallietur. Vt enim verbum suum in Ecclesia Deus audiri vult, ita nihil sibi gratum & acceptum habet, quod illi aduersatur. Discant præterea omnes alij quoque, ab eodem verbo pendere, & in sacrorum symbolorum perceptione per fidem in vnum IESVM CHRISTVM respicere, vt per hunc alantur & seruentur, qui solus panis ille viuus est, in quo vita vera potest inueniri. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LIX.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quòd Dominus IESVS ea nocte, qua proditus est, accepit panem, & gratijs actis fregit, ac dixit. Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cænassent, dicendo: Hoc poculum est Nouum illud testamentum in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.

QVamuis Deus, qui spiritus est, in spiritu adorari & coli velit, neque vllis officijs corporeis opus habeat, idem tamen propter nos ritus aliquos externos tradidit, quibus promissiones suas obsignat, beneficiorum ab ipso acceptorum memoriam commendat, & nos nostri officij admonet. In illis igitur magna diligentia opus est, ne eos vel impiè negligamus, vel aliquo abusu siue prophano siue superstitioso corrumpamus. Quàm primùm enim hoc fit, interna quoque animi religio consistere non potest, ideoq; sensim omnis Dei cultus intermoritur. Exempla huius generis in Veteri testamento passim occurrunt, quæ commemorare longum foret. Imprimis autem memorabile est, quod in Corinthiorum Ecclesia accidit. Cùm enim illi primùm bono zelo Cœnæ Domini mysticæ aliquid addidissent, mox eò vsque progressi sunt, vt Paulus eorum intemperantiam grauissimis & tantumnon Tragicis verbis reprehendendam esse duxerit. Fuit inter hæc grauissimum, quòd eos non Dominicam Cœnam edere, sed comessando & conuiuando propria gulæ & ventri indulgere dixit. Hoc vt abs se verè dictum esse demonstret, & simul rationem ostendat, qua tam turpem & pernitiosum errorem corrigere possint, nunc eos ad primam huius Sacramenti institutionem reuocat, & eandem diligenter exponit, vt ex huius consideratione discant, quàm procul ab eo recesserint, quod Christus in sua Ecclesia perpetuò voluit obseruari.

Priusquam verò rem ipsam aggrediamur, singulari consideratione dignum est Pauli exemplum, quo vera ratio abolendi siue corrigendi abusus omnes continetur. Est hæc, vt relictâ procul omni humana ratione siue authoritate ad Dei verbum recurramus, & quid ille constituerit, quidue à nobis fieri velit consideremus. De hac olim Deus populum in Lege admonuit, quando iussit, vt causas obscuriores aut difficiliores ad locum Tabernaculi aut Templi referrent, & de illis Sacerdotem summum consulerent, quem ipse inter se & illos quasi internuntium aut interpretem constituisset. Et ideo Malachias dicebat: Labia Sacerdotis custodient scientiam, Legemq; ex ore eius requirent: Nam Legatus est Domini exercituum. Isaias item sui seculi homines, sub Achaz rege ad Deorum alienorum oracula & illorum mystas siue diuinatores confugientes, his verbis compellat: Quòd si dixerint vobis, Sciscitamini à Pythonicis, diuinis, qui mussitant, & susurrant: Annon quæq; gens suos Deos consulit? Num pro viuis ad mortuos? Ad Legem & testimonium. Qui non dixerint secundùm verbum hoc, ijs non erit lux matutina. Quod si

Ratio vera corrigẽdi abusus.
Deut. 17.
Malach. 2.
Isa. 8.

Christum ipsum spectemus, hunc quoque hanc regulam secutum fuisse patebit, licet æterna Patris sapientia sit, & pro imperio ac propria authoritate de quibusuis pronuntiare posset. De diuortijs enim interrogatus, ad primã coniugij institutionem aduersarios suos remittit, & vt hæc pijs omnibus rata & salua esse debeat, docet: neque hîc aliquid vel publico exemplo, vel veteri consuetudini tribuit, quæ absque populi odio atque inuidia non poterat aboleri. Similiter à Sadducæis de mortuorum resurrectione requisitus, non rationibus aut argumentis agit, quæ infinita & firmissima afferre poterat, sed Deum Patrem inducit, qui defunctos viuere, & se illorum Deum esse, olim testatus est. Idem fecit, quando Scriba quidam de primo mandato quæstionem mouit. Et ne Apostoli sibi plus quiddam licere putarent, peculiari Lege illos astrinxit, ne quid doceant, quàm quod ab ipso traditum acceperint. Rectè ergo Paulus, Corinthijs in Cœnæ mysticæ negotio errantibus primam huius institutionem ob oculos ponit, & huic cedere vult receptum & plerorũq; authoritate confirmatum illius Ecclesiæ morem. Quod exemplum si hodie omnes sequerentur, qui nostri seculi de doctrina & religione controuersias componere student, mox pacem & concordiam ecclesijs restitutam videremus. At quia pleriq; vetustatem, Patres, Concilia, Principes, Reges, Pontifices & nescio quam Apostolicam successionem tonant, non mirum est, paucos illorum statutis & decretis obedire, errores autem & abusus quotidie confirmari. Solent enim qui verè pij sunt, ad solum Deum respicere, & nisi huius vocem audiant, acquiescere non possunt. Vani autem & quos Regum mundiq; fauor transuersos abripit, illorum decretis sibi standum esse arbitrantur, quos præ alijs authoritate & potentia eminere vident. Posset hîc latissimè extendi oratio, & Pauli exemplum controuersis articulis omnibus applicari, sed sufficiat cordatis ansam præbuisse. Omnes autem administri verbi, ita sibi in suo munere versandum esse meminerint, vt cum Paulo apud ecclesias suæ fidei creditas dicere possint, se nihil tradidisse, quàm quod à Domino IESV CHRISTO acceperint. Nunc ad rem ipsam accedemus, in qua explicanda breuiores erimus, eò quod pleraq; quæ hîc dici poterant, iam ante in D. D. Marci & Ioannis, Euangelistarum expositione dicta sint. Compræhendemus autem totam hanc causam tribus capitibus. Primò, quid sit de quo hîc agitur, & quid nobis Christus tradiderit, docebimus. Secundò ritum & ordinem, quo Christus in hoc mysterio vsus est, inspiciemus: vt ex eo nobis constet, quis ritus hodie etiam in ecclesia obseruari debeat. Tertium, quod nostrum hîc sit officium explicabit.

Matth. 19.

Matth. 22.

Cœna Domini ca quid sit?

Quoad primum, vulgò inter Christianos Cœnæ nomen obtinuit, & Paulus ipse hoc cap. Cœnam Dominicam dixit. Causa nominis est, quòd Christus illam post tempus vespertinum, iam nocte imminente instituit. In quo nos non ita hærere oportet, vt hodie etiam non nisi noctu eam celebrari debere putemus, ne nomen cum re ipsa pugnare videatur. Quod enim Christus fecit, non sine certis rationibus factum est. Primò enim paschale epulum, cui illa substitui debuit, non alio tempore, quàm sub noctem agere licebat: qua de re expressum Domini præceptum apud Mosem extat. Deinde in postremum vitæ suæ actum huius mysterij institutionem differre voluit propter discipulos, quos tunc habebat, & nos: vt illi quidẽ mox in eius morte impleri viderent, quod nunc mystica hac actione adumbrabatur: nos verò in maiori pretio & honore habeamus, quod nobis à Filio Dei tunc traditum esse audimus, quando imminens vitæ periculum illum de propria salute potius quàm de nobis instituendis cogitare iubebat. Itaque meritò apud Apostolos & omnem posteritatem tanta fuit exempli Christi authoritas, vt actionem hanc, quocunque tempore celebretur, κατ' ἐξοχὴν Cœnam Dominicam dixerint. Iidem tamen eius celebrationem ad tempus nocturnum aut vespertinum astringere noluerunt: eò quòd scirent, Christum nos à dierum obseruatione liberauisse, vt liberum sit iam Christianis hominibus sacra mysteria obire, quandocunque sibi commodissimum esse, & ad ædificationem quàm maximè seruire vident. Vt ergo non peccarunt veteres Christiani, qui persecutionis tempore nocturnos cœtus egerunt, vt verbum Dei audirent, simul precarentur, & mensa Domini communicarent (quod hodie etiam pij multis in locis ob tyrannorum in ecclesiam grassantium iniquitatem facere coguntur) ita neque nos peccamus, qui tempore matutino, cœtibus ecclesiasticis destinato & ad omnia seria magis idoneo, Cœnam hanc sacram sumimus.

Nunc

Nunc illud potius tenere conuenit, Cœnam istam minimè vulgarem, sed IESV CHRISTI Cœnam esse, quæ sub vilissimorum symbolorum specie mysteria saluberrima comprahendat. Docent hoc ipsius Domini verba, qui idem præceptum bis inculcat, dicens: Hoc facite ad mei recordationem. Quod item de pane dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Et de poculo: Hoc poculum est Nouum illud testamentum in meo sanguine. Vel vt Marcus recitat: Hic est sanguis meus, qui est Noui testamenti: qui pro multis effunditur. Quæ omnia si probè considerentur, quid sit Cœna docent, & definitionem eius nobis constituunt veram, simplicem & perfectam, quæ eiusmodi est: Cœna est actio sacra, in qua ex Christi mandato panem & vinum inter nos distribuimus & sumimus, ad recordationem mortis ipsius, qua is Nouum testamentum compleuit ratumq; fecit. Cœnæ definitio.

Quo loco Noui testamenti ratio nobis consideranda venit, quam Paulus in epistola ad Hebræos diligenter ex Ieremia explicat. Quia enim veteres Iudæi fœdus siue testamentum Dei, quod cum patribus ipsorum fecerat, sua perfidia & inobedientia violarant, nouo opus erat. Id per Ieremiam Dominus pollicetur, cuius summa est: Ego ero Deus eorum, & ipsi erunt mihi populus, id est, peculium meum & filiorum instar, quos & in hac vita mea gratiæ donis ornabo atq; tuebor, & olim regni mei cœlestis hæredes faciam. Et quia huic promissioni obstare poterant peccata, quibus nos à Dei regno excludi omnes scripturæ testantur, addit: Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum nō recordabor amplius. Atqui nihil aliud his omnibus continetur, quàm quod olim Abrahamo & reliquis patribus promissum fuit. Cur ergo testamentum Nouum dicitur? Primùm, propter instaurationem veteris illius pacti siue testamenti, cuius Deus omnino oblitus esse videbatur, cùm populo in Babylonem abducto vrbs & templum in ruinis iacerent, & fœda esset cùm reipub. tum Ecclesiæ totius dissipatio. Deinde, quòd nouum populum Deus adoptare, & Filij sui regnum per omnes gentes extendere voluit. Postremò, propter nouam Ecclesiæ & externæ religionis faciem. Oportebat enim abolitis tristibus & cruentis ceremonijs, & operosa illa cultus Leuitici celebratione sublata, religionis formam faciliorem & Sacramenta iucundiora & mitiora substitui. Quod Christum in ipsa Cœna facere cœpisse videmus, quando in locum epuli paschalis & sanguinis agni, qui postibus aspergebatur, lætam suæ mortis recordationem sub panis & vini symbolis instituit. Non temere igitur Nouum testamentum dicitur pactum illud, quo salutem & vitam æternam Deus nobis promisit. At quia totam hanc salutis nostræ rationem testamento complecti voluit, mortem testatoris intercedere necesse erat, quando ad promissæ aut legatæ hæreditatis possessionem nemo venire potest, quoad ille in viuis fuerit. Porrò Deum mori impossibile erat, cuius vera & essentialis proprietas est, non modò immortalem, sed ἄφθαρτον, id est, nulli prorsus corruptioni obnoxium esse. Filium ergo Dei vnigenitum, & Patri coëssentialem, in mundum venire & hominem fieri oportuit ex æterno Patris consilio, vt qui Deus verus æternus & immortalis est, in assumpta hominis natura mortem subiret, & morte sua testamentum illud ratum faceret, nosque in regni cœlestis possessionem induceret.

Noui testamenti ratio. Heb. 8. & 9. Ierem. 31.

De hoc igitur nos Christus admonet, quando Nouum testamentum in sanguine suo fundari dicit, & huius symbolum in poculo mystico nobis propinat. Verborum itaque eius hic sensus esse videtur: Scitis quæ humani generis calamitas fuerit, quod propter peccata à regno Dei exclusum, & ad inferos damnatum fuit. Remedium in humanis nullum est. Vnica autem salutis spes in Noui illius testamenti promissione habebatur, quam per Prophetas vobis Deus proposuit. At dilata hucusque res fuit, & quàmuis legata esset miseris mortalibus æternæ salutis hæreditas, ad hanc tamen nemo admittebatur, cùm testamentum illud nondum confirmatum aut ratum esset. Nunc verò optatus ille dies illuxit, nunc tempus illud diu expectatum appropinquauit, quo ego mei corporis & sanguinis pretio totius mundi peccata redimā, & mea mortis intercessione testamentum illud complebo, vt posthac liber vobis sit ad regni cœlestis & vitæ æternæ hæreditatem aditus. Vtq; minus dubitetis, en vobis meæ mortis, imò corporis & sanguinis mei, certissima symbola. Accipite ergo panem hunc, & edite: accipite poculum hoc, & ex eo bibite: quodq; nunc facitis, id vobis solenne sit, & in posterum quoq; ex meo mandato facite. Quotiescunq; autem feceritis, Expositio verborum Cœnæ.

meminisse vos velim, vos mei corporis & sanguinis pretio redemptos, & salutem omnibus numeris perfectam per me vobis partam esse, deniq; vos in me habere panem & potum vitæ, qui vos inter huius seculi palæstram alat, recreet & seruet ad vitam æternam. Itaq; non in symbolis istis hærete, sed quando panem & poculum sumitis, simul corpus & sanguinem meum fideli mente concipite, quæ pro vobis in mortem tradita salutem vobis instaurarunt, &c.

Finis Cœnæ præcipuus, & qui ex hoc dependent.

Hæc & quæcunq; præterea in hanc sententiam dici possunt, paucis hisce verbis Christus comprehendit. Ex quibus colligimus præcipuum Cœnæ huius finem atq; vsum esse recordationem & commemorationem mortis Domini. Vbi nemo putauerit, nos de otiosa & inani recordatione loqui, qualis est rerum nihil ad nos pertinentium: sed eam intelligimus, quæ per fidem in Christi morte intenta, illum ipsum cum omnibus bonis suis apprehendit, adeò vt nobis vnitus nos alat & seruet ad vitam æternam. Hunc autem vsum & finem Cœnæ proprium & principalem esse dicimus, quia huius solius Christus meminit, his dicens: Hoc facite ad mei recordationem. Et Paulus post expositam institutionis Cœnæ historiam illud ipsum repetens ait: Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec veniat. Viderunt hoc veteres, qui actioni huic Eucharistiæ nomẽ indiderunt, quod gratiarum actionem sonat. Cæterum ex hoc fine alij dependent, vel potius cum eo coniuncti sunt. Inter quos primus est fidei in Christum professio publica. Secundus, quòd in vnum Ecclesiæ corpus colligimur, & (vt supra Paulus dixit) multi vnus panis efficimur: quo nomine illam veteres σύναξιν dixerunt. Tertius, quòd nos officij multiuariam admonet. Docet enim, eos qui Christum redemptorem profitentur, & de eius mensa edunt atq; bibunt, nullis alienis sacris communicare debere: quando fieri non potest, vt simul mensæ Christi & mensæ dæmoniorum participes simus. Deinde innocentiæ & sanctitatis studium nobis Cœna hæc commendat. Si enim seriò profitemur, nos pretioso Christi corpore & sanguine redemptos esse, simul vtiq; intelligemus, anniti nos debere, vt sanctitatem & dignitatem illam sedulò tueamur, in quam nos ille collocauit. Præterea ad fouendam & seruandam charitatẽ Cœnæ vsus plurimũ prodest. Quomodo enim possint odium & simultates admittere, qui se in Christo eiusdẽ corporis membra factos esse cogitant? Quomodo item non omne odium ex corde expuant, qui non ficta fide cum reliquis eundem Christum profitentibus ad eius mensam accedunt? Exhibet ergo nobis Cœna amplissimam cogitandi nosq; ipsos exercendi materiam in omnibus ijs, quæ tam præsenti quam futuræ vitæ seruiunt, in qua qui diligentiores paulò fuerint, ij nunquam dicent, nos nihil præter otiosam mortis dominicæ commemorationem agnoscere.

Fines Cœnæ fictitij confutantur.

Confutantur autẽ hoc loco, qui alios Cœnæ Dominicæ fines atq; vsus fingunt, aut ab alijs confictos defendunt. Inter quos detestabilis maximè est eorum audacia, qui illam totam in sacrificium commutarunt, in quo Christum quotidie pro peccatis viuorum & mortuorũ immolari aiunt. Quod quid aliud est, quàm sacrificiũ corporis & sanguinis Christi in cruce factũ euacuare et irritum reddere? Proximi his sunt, qui etsi illos tã impij erroris pudeat, & Christũ denuo sacrificari negent, sacrificij tamẽ per illũ facti applicationem fieri contendunt. At ne hoc quidẽ in Cœnæ suæ institutione ille docuit. Sacrificium autem & omne meritũ Christi nobis per Euangelium applicari, à nobis autem fide apprehendi constat, iuxta illud: Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. Errant etiam, qui corpora nostra pane & vino hoc mystico ad resurrectionem pasci docent: quasi verò non eorum quoq; corpora resurrectura sint, qui & Cœnæ nunquam communicarunt, & à fide Christiana prorsus alieni sunt. Similis propè illorum error est, qui ex Cœna viaticum quoddam finxerunt, quo iam morituros instrui oporteat: & ij in domos priuatas illam deferentes ex publica priuatam faciunt. Quod ipsum quoq; ab Apostolis nusquam factitatum esse legimus. Iacobus quidem ad ægrotantes presbyteros aut verbi ministros accersiri iubet, qui pro illis orare & eos oleo inungere debeant in nomine Domini (quod sanationis symbolum fuit olim, cùm adhuc dona illa peculiaria & miraculosa vigerent) at Eucharistiæ ad eosdem deferendæ mentionem facit nullam. Scimus quidem superstitionẽ hanc vetustissimã esse, & huius mentionem apud Cyprianum quoq; fieri: sed quia eam Apostoli ignorarunt, nos eam meritò reijcimus, vt & multa alia, quæ olim quidam vel superstitione vel zelo inconsulto decepti fecerunt. Nostro autem seculo omnium abusuum circa Cœnam causa est præcipua, falsa

Iacob.5. Mar.6.

& erronea Pontificum doctrina, qua toti mundo persuadere conati sunt, ipsissimum Christi corpus verum & naturale in Cœna ministrorum manibus contrectari & exhiberi, sumi item & verè atq; corporaliter edi ab omnibus, qui ad illam accedunt. Quorum errorem multi etiam ex nostris profitentur, qui corporalem IESV CHRISTI præsentiã finem Cœnæ præcipuum esse clamant, quasi ideo hæc instituta sit, vt in ea à nobis corporaliter inueniri, prehendi, palpari, ore deniq; percipi & manducari queat. Et hi dum illis contradicimus, nos testamentum filij Dei violare, & Christum mendacij arguere vociferantur. Hinc deniq; sub renascentis Euangelij lucem exorta est infelix illa contentio de Sacramentis, quæ multorum oculos ita perstringit, vt in sola symbola & quam ipsi sibi imaginantur corporis Christi præsentiã intenti, Cœnæ vsum proprium negligant, & in charitatem fraternam maximè peccent, cuius illa vinculum esse debebat. At quid obsecro horum dixit Christus? Certè si eius verba examines, nihil huius sonant, neque nobis aliud ille mandauit, quàm vt hoc faciamus ad sui recordationem.

Objiciunt nobis aduersarij: Atqui de pane loquens dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. De poculo item: Hic est sanguis meus, &c. Sunt hæc verba clara, perspicua, diserta, & verbum substantiuum, Est, omnem Tropum excludit, vt aliter quàm sonant, accipi non possint. Agnoscimus et nos Christi verba, neq; ea mutata, multò minus sublata volumus, vt quidã impudentissimè calumniantur. Quod autem illi per verbũ substantiuum, Est, Tropum omnem excludi aiunt, id illis dare non possumus. Ioannes Euangelista dixit, Verbum caro factũ est. Quæ locutio plus quiddã sonat, quam si verbũ carnem esse dixisset. Si quis tamen literam pertinacius vrgere velit, in hæresim incidet, & Christi Deitatẽ abnegabit, vt quæ mutationem passa, & in humanam naturam conuersa sit. Necessariò igitur ad Tropũ confugere oportet, & cum Paulo locutionem istã exponere, qui æternum Dei Filium semen Abrahami assumpsisse scribit. Itaq; verbum caro factum dicetur, non conuersione (quam verborum litera exprimit) sed assumptione carnis vt iã Deus & homo sit, qui prius homo solùmmodo erat. Et quia huius generis de semetipso multa dixit, in quibus literam vrgere absurdum foret, hîc quoq; res ipsa, de qua agitur, propius inspici debet, vt ex ea verborum sensum proprium colligamus. Atqui in eo nobis cum aduersarijs conuenit, Christum hîc Sacramentum instituisse. Ergo locutiones istæ Sacramentales sunt, & pro communi Sacramentorum ratione exponi debent. Constant autem Sacramenta duabus rebus, Signo externo & Re interna seu spirituali, quæ per signum adumbratur: & quia inter duo hæc analogia est propriissima arctissimaq; fit, vt signo rei signatæ nomẽ communicetur. Potest hoc infinitis Scripturæ testimonijs & exemplis demonstrari. Hac enim ratione Circumcisio fœdus Domini, epulum paschale transitus Domini, sacrificia peccata & peccatorum expiatio, arca deniq; testimonij Dominus exercituum dicuntur. Quid, quòd Paulus in proximo cap. petram, quæ Israëlitis desertum errantibus potum profudit, Christum fuisse dixit? Baptismum item regenerationis & innouationis lauacrum, deniq; peccatorum ablutionem Apostoli dicere consueuerunt: quod secundùm literam nõ accipi debere, eorum vita probat, qui etsi baptizati sint, veterem tamen hominem in se regnare patiuntur, & toti peccatis seruiunt. Neq; tamen falsi arguitur Spiritus sanctus. Reuera enim ablutionis peccatorum & regenerationis certissimum sigillum & pignus est Baptismus, eiusdem verò fructus nõ nisi in electis et credentibus sese exerit. Hæc cùm in locutionibus illis omnes obseruare possint, neque de ijs aliqua sit controuersia, cur absurda & impia expositio videtur, si panem corpus Christi, & vinum sanguinem eiusdem dici dicamus, eò quòd corporis & sanguinis eius symbola sunt, quæ totum mortis Christi fructum nobis & adumbrant & obsignant?

Respondent ad ista aduersarij: Veteris quidem testamenti locutiones figuratas esse & secundùm analogiã, quæ inter signa & res signatas est, exponi debere fatemur. Illic enim res tam manifesta est, vt de eo ambigere nemo possit, nisi qui plus quàm Iudaico errore velit salutẽ in pecudũ sanguine & rebus perituris collocare. At hîc nulla ratio nos cogit, vt quæ Christus iã moriturus locutus est, aliter quàm verba sonant, intelligamus, ideoq; nefas fuerit alium sensum illis affingere. His responderi poterat, nos necessitate cogi, vt in locutionibus Christi de Cœna Tropum statuamus: quia nisi id fiat, flagitium iubere videbuntur: quæ nota figuratas locutiones agnoscere docet Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. Sed quid dicetis ô fratres, si demonstremus nos

Hoc est corpus meum, &c.

Verba Cœnæ per Tropum exponi necesse est.

rationibus grauissimis cogi, vt locutiones Christi de pane & vino Cœnæ per Tropum exponantur, & nisi id fiat, præcipuos fidei Christianæ articulos labefactari & salutis nostræ fundamenta conuelli? Exordiamur autem ab his verbis, de quibus controuertitur, in quibus Diuos Euangelistas Tropũ & figuratam locutionem agnouisse, vel ex eo patet, quòd in ijs recitandis non ea curiositate vsi sunt, vt iisdem omnino verbis & syllabis omnes insistendum putarint, sed alij alijs breuiores sunt, alij verba quædam mutarunt, aut aliter reddiderunt, sicuti in ijs fieri solet, quæ figuratè dicta, alium quam literalem sensum requirunt. Matthæus enim & Marcus, Christum de pane dixisse scribunt: Accipite, edite, hoc est corpus meum: nec quicquam præterea addunt. Lucas autem adijcit: Quod pro vobis datur. Quam particulam Paulus quoq; aliter reddit, nimirum: Quod pro vobis frangitur. Priores ergo duo panem simpliciter à Christo corpus suum dictum esse testantur. Lucas autem, ne quis in panis symbolo hæreret, ad mortem Christi nos remittit, & huius corpus pro nobis traditum esse ostendit, vt intelligamus fructum huius mysterij non ex actione ista mystica, sed ex morte pendere, in quam seipsum Filius Dei pro nobis tradidit. Paulus item fractionis meminit. Hoc est (inquit) corpus meum, quod pro vobis frangitur: Quod absque Metonymia exponi non potest. Nam corpus Christi neque frangi debuisse, neque etiam fractum fuisse in cruce, Ioannes Euangelista testatur. Paulus ergo ad corpus Christi transfert, quod in eius symbolo, pane nimirum, fit quando Cœna peragitur: vt ita nos distributionis & communionis admoneat, qua credentes omnes tam illo quàm bonis eius omnibus fruuntur. Scio aliquos fractionis vocabulum ad acerbissimum illud mortis genus referre, quo corpus eius tantumnon contusum atq; contritum sit: sed neq; hi Tropum omnem effugiunt, quia tunc Paulus amplificatione aut hyperbole vsus dicetur ad exprimendam mortis Christi acerbitatem. At ego non libenter quocunq; sensu corpori eius fractionem tribuerim, cùm hanc Spiritus sanctus tam disertè neget, vt typum quoq; olim in agno paschali extare voluerit, quo verum agnum Dei nihil huius passurum esse adumbrabatur.

Verba poculi.

Quòd si ad poculi verba veniamus, illic & maior diuersitas, & Tropi plures occurrent, vt mirum sit aliquos tam vecordes esse, vt nos odio dignos dicere ausint, qui illa figuratè accipienda esse dicimus. Nam Matthæus illa sic enuntiat: Hic est sanguis meus, qui est Noui testamenti, qui pro multis effunditur, in peccatorum remissionem. Marcus cum illo per omnia consentit, nisi quòd postremam de remissione peccatorum particulam omittit. Lucas verò verba ista sic recitat: Hoc poculum est Nouum illud testamentum in sanguine meo qui pro vobis effunditur. Et cum hoc idem omnino Paulus dicit, omissa tamen etiam postrema illa particula, Qui pro vobis effunditur. Quid ergo hîc faciemus ô fratres? Clamabimus ne: Verba sunt diserta, propria, rotunda, neque aliter quàm secundùm literam debent accipi? Atqui Euangelistarum & Apostolorum authoritas hoc dicere non sinit, qui illa aliter atque aliter recitauerunt. Num verò aliquos eorum vel memoria lapsos esse, vel priuata temeritate quædam mutauisse, aut alia supposuisse dicemus? Absit. Ita enim tota, quam nobis tradiderunt & proprio sanguine obsignarunt, salutis ratio in dubium veniret? Quid ergo restat, quàm vt fateamur, hoc ex singulari Spiritus sancti consilio factum esse, qui futuras super hac re contentiones & multorum superstitionem præuidens, admonere nos voluit, vt neque in literam, neque in externa symbola nimis intenti simus, sed rem ipsam propius inspiciamus, de qua agitur. Ideo quod Matthæus & Marcus pro communi Sacramentalium locutionum more simpliciter enuntiarunt, id Paulus & Lucas Spiritu dictante sic reddiderunt, vt & Tropum in Christi verbis latentem ceu digito monstrarent, & totius negotij fructum traderent, denique nobis authores essent animos altius euehendi ad eorum contemplationem, quæ per symbola panis & vini significantur. Primò enim poculi voce vtuntur, continente nimirum pro re quæ continetur: quæ aperta Metonymiæ species est. Deinde quod alibi dicitur: Hic est sanguis meus, qui est Noui testamenti: illi reddunt: Hoc poculum est Nouum illud testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur. At sic loquendo nos tantumnon excitant & monent, vt non tam ad effusi sanguinis historiam, quàm ad illius fructum siue effectum respiciamus, qui in peccatorum nostrorum remissione consistit, ex qua Noui testamenti completio, de qua ante diximus, dependet. At quis hîc non videt effectum pro causa efficiente

efficiente aut materiali poni? Frustra ergo illi homines nobis succensent, quòd Christi verba mutemus, & Tropum obtrudamus, vbi rei veritas nullum admittat. Quin potius Euangelistis & Apostolis litem moueant, qui Christi verba sic interpretantur, vt nos à crassis corporeæ manducationis & potationis cogitationibus ad veram & salutarem Christi & bonorum eius perceptionem excitent, quæ in spiritu per solam fidem fit.

Cœnæ finis figuratas locutiones esse docet.

Deinde non verborum modò horum varietas, sed ipsius etiam Cœnæ finis & vsus nos cogunt, vt à crasso & literali sensu recedamus. Hic enim non coporis, sed animæ negotium agitur, neque ad vitam hanc corruptibilem, sed ad cœlestem atque æternam alimur. Atqui vt anima non carne aut sanguine vescitur: ita neque cibo vllo corporeo ad cœlestem & spiritualem illam vitam opus est, & ad hanc per Christum sustentemur oportet, qui panis ille vitæ nobis est factus, quatenus è cœlo in mundum veniens ex nobis carnem assumpsit, quam pro nobis in mortem tradidit, vt ipse hoc mysterium Ioan. 6. cap. interpretatur. Quid ergo de corporali manducatione, quæ ore & dentibus fiat (vt quidam nostrorum aduersariorum loquuntur) contendimus? Deinde præcipuum Cœnæ finem, Christi & mortis eius recordationem & cum fide coniunctam commemorationem esse nuper audiuimus, in qua nos exerceri conuenit, donec ille (vt Paulus mox docebit) è cœlo veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Quid verò opus erat vel præsentis corporis memoriam instituere, vel venturum expectare, si hoc ipso corpore nobiscum iam agit, quod ex Virgine assumpsit, & in quo nobis salutem vitamq́ æternam meruit?

Finis incarnationis Christi.

Adde his tertio loco finem incarnationis Christi, quem non alium constituere possumus aut debemus, quàm qui ab ipso nobis in vtriusque testamenti libris monstratur. Est is, quòd ex nobis illum sumere oportuit, quod pro peccatis nostris offerret, & vt morte sua Nouo Testamento suum quasi effectum daret, quo cœlestis regni hæredes scripti eramus. Nullus ergo carnis Christi vsus est extra nostræ redemptionis negotium, quod ipsius verbis probatur, qui de crassa carnis suæ manducatione disceptantibus dicebat: Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quicquam, &c. At redemptionem humani generis plenam & omnibus numeris absolutam in ara crucis factam esse, ipse iam moriturus disertè testatus est. Vnde sequitur Carnis eius præsentiam in terris posthac minimè necessariam esse, & proinde eos nimium ridiculos sese præbere, qui pro re non necessaria tam hostiliter digladiantur. Confirmatur hoc argumentum ipsius Christi verbis, qui nobis expedire dicit, ne posthac in mundo sit: quod non aliter quam de corporali præsentia potest intelligi: eò quòd nisi sua diuinitate, virtute & merito nobis perpetuò adsit, perijmus.

Corporis Christi conditio.

Postremò corporis Christi conditio nos cogit, vt quod de pane & vino Eucharistico dicitur, per Metonymiæ tropum exponamus. Verum enim corpus ille ex Virgine assumpsit, cui nihil eorum defuit, quæ corporibus humanis propria sunt. Fuit enim ex membris suis compactum, ossibus suffultum, neruis & iuncturis inter se colligatum, carne denique & pelle vestitum. Idem cibo, potu, quiete & somno opus habuit. Adhæc quæ proprijssima est corporum proprietas, suo semper & certo in loco fuit, vt nemo illud vnquam vel miraculose, vel ex peculiari quadam prærogatiua, ad aliquod temporis momentum simul pluribus in locis visum fuisse dicere possit. Etsi verò in resurrectione infirmitates, quæ ex peccato nobis inhærent, exuerit, & proinde glorificatum iam neque cibo & potu, neque quiete aut somno, illi sit opus, carnem tamen & ossa vnà cum membris omnibus retinuit, eaq́ue non visibilia solùm, verumetiam palpabilia discipulis coram exhibuit, eorumque veritatem per totos dies quadraginta infinitis argumentis tam apud discipulos, quàm apud alios fratres (vt Cap. 15. dicetur) probauit. At quò nam abijt tandem corpus illud? Num euanuit nullo post se relicto testimonio, quo docemur vbi posthac quæri debeat? Nequaquam. Sed videntibus discipulis in cœlum, æternæ nimirum beatitudinis mansiones (sicuti prius promiserat) ascendit, & Angelos post se reliquit, qui hæsitantibus rem omnem exponerent. De quo adeò non dubitarunt Apostoli, vt Petrus dixerit, eum oportere cœlo capi vsque ad diem restitutionis omnium. Et Paulus alibi nos illum è cœlo expectare ait, vt mortalia nostra corpora conformia faciat corpori suo glorioso. Neque hîc eos audire oportet, qui per nescio quam dispensationẽ hæc facta dicunt, & Ascensionem non aliud quàm prioris, quam in

Acto. 3.
Philip. 3.

terris hisce habuit, conditionis mutationẽ fuisse somniant. Horum enim narratio cum tota Euangelicæ historiæ expositione coniungitur: vt si quid hîc non verè factum dicamus, iam illam totam in suspitionem & dubium vocauerimus. Et inter fidei apostolicæ articulos hi ex ordine recensentur, quibus illum ipsum Christum, qui crucifixus, mortuus, sepultus & tertio die resuscitatus est, in cœlum ascendisse fatemur, illic autem sedere ad dextram Patris omnipotentis, & venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos. Non possumus ergo crassam corporis eius præsentiam vllam in terris statuere, siue in Cœna siue extra Cœnam, nisi aut illum cœlo detrahere, aut corporis eius veritatem negare, & illud omnipræsens, siue (vt cum crassis & ineptis ineptè loquamur) Vbiquarium fingere velimus. Scimus aduersarios ad personalem humanitatis & diuinitatis vnionem, deinde ad Dei omnipotentiam & ad miraculum confugere. Sed ad illam iampridem abunde responsum est: quoad illa verò, respondemus, ridiculum esse omnipotentiam vrgere, vbi de voluntate Dei nobis non certò constat: miracula autem fingere, quæ nulla visuntur aut sentiuntur, & quorum scriptura nusquam meminit, plus quàm scurrilis & circulatoria audacia est. Itaq; iustis & grauibus causis moti, dicimus, Panem & Vinum Cœnæ Dominicæ corpus & sanguinem Christi appellari, eò quòd horum symbola & certa nostræ redemptionis per Christi mortem factæ sigilla sint: & (vt cum Apostolo nostro loquamur) quia cõmunio sunt corporis & sanguinis Christi, id est, eius communionis sigilla sunt, quæ nobis cum Christo intercedit, qui vt caput nostrum est, ita nos suum corpus fecit, vt simus caro ex carne eius, & os ex ossibus eius. Monemus autem Christianos homines, ne signa pro rebus accipiant, quam miserrimam animarum seruitutem esse, Augustinus docet: neq; in signis Christum quærant, sed animis supra cœlum euectis, illic eum fide apprehendant. Ita enim salutariter manducatur, quod ipsum quoq; Augustinus monuit, dicens: Quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti. Poterant autem quæ hucusque diximus infinitis veterum patrum testimonijs probari: sed quia hæc alibi recitauimus, eadem hîc repetere non est opus. Nunc ad reliqua progrediamur.

Ritus & ordo Cœnæ Dominicæ.

Sequitur enim in Christi actione considerandum, quo ordine & ritu solennem hanc suæ mortis recordationem instituerit. Conuenit cum discipulis in certum locum. Cœtum itaq; egit sacrum, in quo de rebus diuinis & maximè serijs tractaretur. Deinde ab epulo paschali exorsus, inter edendum de sua morte & eius fructu, de fidei constantia, de charitate, patientia in cruce & alijs multis concionatus est, quæ in ipso seruari volentibus necessaria sunt. Inter hæc accepit panem, gratias egit, fregit, fractumq; discipulis distribuit, quos iussit accipere, edere, ea verba addens quæ hucusque exposuimus. Inde similiter poculum quoq; illis porrexit, in quo maiori diligentia monuit, imò iussit, vt ex eo omnes bibant: Nimirum quòd præuideret, nouissimis temporibus venturos, qui sacrilego ausu poculum mysticum vulgo Christianorum surriperent: quod vt iam pridem nonnulli conati fuerant: ita in Constantiensi Concilio publica authoritate sanciuerunt, vt posthac sub altera modò specie laici communicent. Postremò, vbi hymnum dixissent, cum discipulis ad montem olearum exiuit, vbi sibi ab hostibus insidias structas esse non ignorabat. Et hæc quidem Christus fecit. Docent autem ista, quis Cœnæ ritus sit optimus, & qui in Ecclesia perpetuò retineri debeat. Is nimirum, quo Christus vsus est, & quem Apostoli ab illo acceptum ecclesijs tradiderunt, vt in præsenti Paulus testatur. Debet igitur in cœtu sacro Cœna celebrari, quia nihil hîc priuatum agitur. Præcedat concio sacra de ijs, quæ ad huius mysterij expositionem & verum eius vsum maximè pertinent. Inde ea ratione panis & poculum Domini distribuantur, qua ipse illa distribuit. Ea autem fideles suis manibus excipiant, edant & bibant cum gratiarumactione: quæ cùm omnibus epulis semper adhiberi debeat, hîc sine scelere negligi non potest.

Matth. 26.

Ritus simplex excusatur.

Videtur quidem ritus iste simplicior & abiectior, quàm qui tanto mysterio respondeat: imò multi nos rusticos & inciuiles nimiùm esse aiunt, dum ista secundùm Christi exemplum peragimus. Sed non debent hæc quenquam mouere. Nec enim humano splendore regni Dei mysteria commendantur: & si ritum hunc diligentius excutiamus, plenum maximorum mysteriorum inueniemus, quæ singula nos & officij admonere, & consolationibus dulcissimis in fide confirmare possunt. Panis & vinum enim Christum nobis figurant, qui & panis vitæ, & vinum illud dulcissimum

cissimū est, de quo solo verè dicitur, quòd Deum & homines exhilaret. Hæc dum nos Christus accipere iubet, non obscurè seipsum nobis offert, & tam certum est illum cum bonis suis omnibus nostrum esse velle, quàm symbola hæc manibus nostris tenemus. Non dubites ergo, vt manibus panem & poculum tenes, ita te per fidem ipsum Christum habere. Fractio autē panis vt Christi mortem adumbrat, ita dum per nos fit, peccatorum confessioni seruit, & nos eos esse admonet, qui mortis illius authores fuerimus, quando propter nos illum mori oportuit. Et dum ista inter se distribuunt fideles, communionis admonentur, quæ ipsis in Christo intercedit: docentur item, ne singuli propriam modò salutem curent, sed alios quoq; in Christi & salutis societatem adducere studeant. At non modò manibus suis sacra symbola accipiunt pij, sed ex Christi mandato illa edunt & bibunt. Quo docemur, non sufficere vt Sacramenta sumamus, aut Christi nomen vel ore, vel quocunq; alio modo circumferamus: sed salutis nostræ cardinem in hoc versari, vt Christus fide vera apprehensus in nobis viuat & agat, nosq; toti in illū transformemur. Hæc & alia huius generis ritus iste Cœnæ continet, qui primo aspectu contemptus, vel etiā ridiculus videtur. Et in hunc peccant, qui ex Cœna publica priuatā faciunt, qui sine Verbi prædicatione eam celebrant, qui fractionem panis ex illa auferunt, & rotundas crustulas prius domi parant, quibus in eius administratione vtantur: qui distributionē quoq; abolent, dum ipsi singulis panem in os ingerunt, & ipsi poculum aliorum labijs admouent, nec patiuntur, vt quis ex vulgo sacra symbola contingat: qui denique extra vsum Cœnæ illa asseruant, auro & gemmis venerantur, adhæc cum theatrica pompa circumgestant. Quid enim horum Christus fecit? aut quid huius ecclesijs tradiderunt Apostoli? Excusant illi ista, quòd sic honorem & authoritatē Sacramentis conciliare oporteat. At nostrum non est Dei institutis aliquid addere, quæ nisi hominibus ob illius authoritatem in pretio sint, nos ascititio illo fuco nihil proficiemus. Videant autē illi, ne dum à Christi formula & exemplo discedunt, idem illis dici possit, quod Corinthijs: quòd nimirum non manducent Cœnam Domini, & ne loco Christi Deum illum Mayzim adorent, quem Daniel Antichristo tribuit, qui illum auro, argento, gemmis & alijs rebus pretiosis veneraturus sit. Iudic. 9.

Accedamus nunc ad tertium & postremum nostræ tractationis caput, quod est de nostro in Cœna peragenda officio. Etsi enim ritum externum probè obseruemus, nihil tamen hoc profuerit, nisi id præstemus, cuius causa actio hæc instituta est. Id verò Christus ipse non disertis modò verbis, sed etiam iterum repetitis exprimit, dicens: Hoc facite ad mei recordationem. Quæ verba Paulus exponens ait: Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec venerit. Sub morte comprehenduntur quæcunque hanc præcesserunt & secuta sunt. Nam vt mori posset, hominem fieri oportuit. Non autem profuisset nobis illius mors, nisi secuta fuisset resurrectio ex mortuis & ascensio in cælos. Agitur ergo hîc de toto nostræ redemptionis mysterio, ideoque pie & prudenter à maioribus nostris institutum est, vt in actione Cœnæ Symbolum, quod Apostolicum vocant, recitetur, quò facilius omnes in memoriam reuocent, quæ propter nos æternus De Filius fecit & passus est. Recordationi autem publica beneficij tanti prædicatio & pro eodem gratiarumactio accedat. Eam tamen non in solis verbis consistere putabimus, sed animum totum à nobis requirit Dominus, neque illi satis grati erimus, nisi nos ita ei addicamus, vt quemadmodum ille pro nobis vitam & sanguinem profudit: ita nos quoq; omnia nostra pro ipso impendere, & pro eius gloria mori parati simus. Huc veteres respexerunt, quando Cœnam Eucharistiam dixere, vnde etiā apud illos Sacrificium dicta fuit: non quòd in ea Christum sacrificari, aut sacrificium eius, quod in ara crucis factum est, nobis applicari sentirent: sed quòd gratiarumactionem Deo sacrificium omnium gratissimum esse scripturæ passim doceant. In hoc ergo nos intentos esse decet, quoties Cœnā hanc celebramus, vt animo syncero & sancta fide prædicemus mortem Domini, qua ille nos ex peccatis, morte, inferis & vniuersa diaboli tyrannide redemit. Etenim tam eximium, tam salutare, tam multiplex est beneficium istud, vt nullæ hominum linguæ illud dignè, & vt par est, laudare possint. Quod ergo nobis deest, solenni hac actione sarciamus, quam ipse nobis in eum finem commendauit. Quòd si verò mortem Domini annuntiare debemus, nimiùm importuni & inepti sunt, qui Cœnæ negotium mirificis de Christi maiestate, corporis glorificati omnipræsentia, sessione item eiusdem ad dexteram Pa- Officium nostrum in Cœna.

tris disputationibus ita implicant & inuoluunt, vt plerique & mortis eius obliuiscantur, & neglecto huius mysterij fine charitatis Christianæ vinculum abrumpant. Sed eo deueniant oportet, qui in Dei institutis plus sapere aut videre volunt, quàm ipse per Verbum suum nobis tradiderit.

Cœna omnibus commendatur.

Porrò obseruabimus Paulum hîc omnibus Christianis loqui, & proinde præceptum hoc generale esse, quo iubet, vt actionem hanc mysticam in memoriam & gratam prædicationem mortis Christi celebremus. Quoad enim in hac vitiosa et mortali carne viuimus, multa sunt, quæ sanctissimos quoque in salutis via remorantur. Ideo fides nostra nunquã non opus habet Verbi & Sacramentorũ adminiculis. Quapropter vehementer errant, qui ista ceu superuacanea aut minus necessaria negligũt. Faciunt hoc multi nostro seculo, qui Verbum quoddã internũ fingunt, quod neque ex scripturis neque alicuius hominis voce, sed solius spiritus reuelatione discatur. Eo autẽ prætextu deceptos Satan immani et pernitiosa persuasione inebriat, vt se Verbũ illud assecutos esse, & ad perfectionis Christianæ metã peruenisse arbitrentur. Itaque ecclesias omnes præ se contemnunt, Verbi prædicationem negligunt, Sacramentorum vsum rident, denique omnia pietatis & religionis exercitia pro puerilibus quibusdam hominum nondum in Christo perfectorum crepundijs ducunt. Sed dum alijs præstare volunt isti homines, se ab omni religione alienissimos esse produnt. Quis enim vel cognitione Dei vera imbutos, vel serio illius timore præditos esse dixerit eos, qui eius instituta pro inutilibus aut superuacaneis contemnunt? Longè aliter senserunt veteres illi cultores Dei, quorum fidem scriptura tam magnificè prædicat. Sacrificandi morẽ minimè neglexit Abrahamus, quem à patribus acceperat, & idem iam propè centenarius circumcisionẽ admittere non recusauit, licet fidem suã Deo iampridem probatam, seque propter hanc iustificatũ esse non ignoraret. Dauid quoque vir secundùm cor Dei, in exilio suo nihil molestius sensit, quàm quòd à sacris cœtibus & externi cultus exercitio se exclusum videret. Et Paulus etsi non definiat quoties in anno Corinthij Cœnam celebrare debeant, tamen cùm, QVOTIESCVNQVE, dicit, nõ obscurè innuit, ipsos vna Cœna in anno nequaquã contentos esse debere. Cùm enim in vera religione nimiùm frigidi simus natura, & licet multi nobis stimuli adhibeantur, vix tamen in officio contineri possimus, quid de nobis fiet, si spontè abijciamus quæ nobis Deus adhibet adminicula? Neminem ergo istorum hominum exempla moueant, qui magno suo malo sibijpsis blanditias faciunt: quin potius meminerimus nullam in veræ religionis exercitijs diligentiam nimiam, & nemini quantùmuis perfecto Cœnæ Dominicæ vsum superuacaneũ esse posse. Nam vt rectè in hunc locum Theodoretus annotauit, post aduentum Domini demum nõ amplius opus erit symbolis, aut signis corporis, cùm scilicet ipsum corpus apparebit. Et ideo Paulum iussisse idem testatur, vt Cœna hac vtamur donec ille venerit. Facit tamen particula ista etiã ad fidei & spei nostræ cõfirmationem, quando cogitamus nos non circa eius memoriam occupari, qui nostri immemor nunquam ad nos rediturus sit, sed illius, qui etsi corpus ex hoc infelici & perituro mundo supra omnes cœlos in beatæ immortalitatis locum euexerit, nobis tamen suo spiritu & virtute adest, vt nos alat, seruet atque tueatur: quique olim è cœlis venturus est in nubibus, vt nos ad se transferat. In omnibus ergo istis Dei bonitatem agnoscamus & prædicemus, qui nostræ saluti simul & fidei infirmitati tam variè consultum voluit. Accommodemus autẽ nos eius institutis, & externis hisce fidei exercitijs ita vacemus, vt interim animis supra cœlos euectis per fidem CHRISTO IESV verè fruamur ad vitam æternam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LX.

Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculũ Domini indignè reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indigne, iudicium sibijpsi edit & bibit, non discernens corpus Domini.

QVoniam Corinthij sacrosanctam Domini nostri IESV CHRISTI Cœnam fœdè & turpiter prophanarant, vt iam nihil minus quàm Cœnam Dominicam edere viderentur, Paulus

Paulus vt tanto malo medeatur, primò quidem eos grauissimè corripit, deinde verò ad primam huius Sacramenti institutionem eos reuocat, ita nimirum monens, vt formam & ritum à Christo traditum constanter seruent, neque hunc vllis additionibus corrumpi aut mutari sinant. Est hoc obseruandum in omnibus Dei institutis, neque alia est tutior & certior expeditiorque erroris & abusus tollendi ratio, quàm vt videamus, non quid hominum iudicio probetur, aut longo vsu receptum atque confirmatum sit, sed quid Deus instituerit, & quid is fieri velit. At quia difficile est homines à publicis erroribus in viam reducere, subijcit modò grauem admonitionem, qua primum in genere agit de vitio, quo circa Cœnam peccatur, & quanta sit illius atrocitas docet: deinde remedium siue consilium adhibet: postremò supplicij comminatione terret eos, qui contumaciores erant. Est autem locus hic eò maiori diligentia considerandus, quòd generalem & imprimis necessariam doctrinam continet, quomodo vnusquisque ad Cœnam aut mensam Domini sese præparare debeat.

Generale in hac causa vitium, quo alia omnia continentur, est indignè edere & bibere de mensa Domini mystica. De hoc Paulus sic pronuntiat: Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Infert ista commodè ex ijs, quæ proximè præcesserunt, quasi diceret: Cùm æternus Dei Filius, qui pro nobis homo fieri nosq; mortis suæ merito seruare dignatus est, Cœnam hanc ad sui recordationem instituerit, nostrum verò in ea celebranda officium sit, eius mortem cum fideli & seria gratiarum actione predicare: denique cùm panem hunc & hoc poculum corporis & sanguinis sui sacra symbola esse voluerit, & ea corpus suum & sanguinem suum dicere dignetur, etiam atq; etiam vobis cauendum erit, ne ea indignè vsurpetis. Si enim sapientissimus ille Solomon prudenter monuit, vt qui ad principis mensam accumbunt, diligenter aduertant, quæ coram ipsis apponuntur: quanto magis hîc cura & diligentia opus est, quando ad mensam Regis regum & Domini dominantium inuitamur, vt cogitemus quid isthic agatur, qualis cibus nobis apponatur, & qua reuerentia in eo sumendo debeamus vti? Qui enim hîc indignè ederit aut biberit, is non in panem aut vinum peccat, sed in ipsum Domini corpus & sanguinem, &c.

Generale vitium in Cœna.

Prouerb. 23.

Hîc ante omnia tenere oportet, quid sit indignè edere & bibere ex Cœna Domini. Potest id ex contrario facillimè intelligi. Dignè vsurpari dicitur res aliqua, quando ad vsum suum proprium destinatur, idq; legitimo suo modo & ordine. Sic dignè vestibus vtuntur, qui obseruata decori & honesti ratione ijs corpus aduersus cæli iniuriam muniunt, & ea tegunt, quæ natura tecta esse voluit. Cibis item reliquis dignè vescuntur, qui illis corporis vires sustentant, & eosdem sumunt temperanter & cum gratiarum actione. Et coniugium dignè contrahunt, qui in Dei institutum intenti hoc spectant, vt illicitas libidines deuitent, sobolem legitimam Deo procreent, & vitæ sociam habeant, qua adiuti fortunam omnem facilius & patientius ferant. Eadem est omnium aliorum ratio. In religione autem dignè fit, quod ex fide fit secundum verbi Dei præscriptum. Quicquid autem absque fide fit, vel ex nostri capitis arbitrio, vel secundum hominum traditiones, id omne peccatum est, erroneum est, & Deo non potest placere. Trasferamus ista nunc ad Cœnæ institutionem, & mox res omnis patebit. Est hæc actio sacra (vt nuper diximus) in qua ex Christi instituto panem & vinum inter nos distribuimus & sumimus ad recordationem mortis ipsius, qua is Nouo Testamento suum effectum atque complementum dedit, vt cohæredes ipsius efficeremur. Seruit ergo Cœna hæc, quoad nostrum in ea officium, professioni fidei, & eadem ad sanctitatis, innocentiæ vitæ & dilectionis mutuæ studium obstringimur. Quoad verò eius ritum & ordinem, hunc ipse Christus tradidit, quem ab illo acceptum Euangelistæ & Apostoli diligenter descripserunt. Dignè igitur edunt & bibunt, qui ritum à Christo traditum obseruant, fidem verò quam profitentur, reuera animo conceperũt & tenent, atq; eandem morum innocentia, dilectionis fraternæ officijs, tota deniq; vita exprimunt. E contra indignè de mensa ista edunt & bibunt, primò qui à Christi institutione discedunt, dum vel ritum externæ actionis mutant, vel fines Cœnæ alios constituunt. Fit hoc multiuariàm, vt in præcedenti sermone diximus. At omnes isti non edunt Cœnam Domini, quando talis dici non potest, quia non secundùm formam ab ipso præscriptam peragitur. Proximi his sunt, qui fide destituuntur, qui non eiusdem

Quid sit indignè edere & bibere.

sunt ordinis. Alij enim ne historicam quidem fidem habent, sed pro fabulis & figmentis ducunt, quæcunq; ex scripturis prædicari audiunt: alij verò etsi Christum hominem factum esse, miraculis claruisse, & tandem à suis proditum & in cruce crudeliter occisum esse minimè negent, hæc tamen ipsa ad se nihil pertinere putant, & proinde eorum commemoratione non magis quàm alicuius peregrinæ historiæ commouentur. His coniungi debent, qui etsi hæc omnia fateantur, adeò tamen non gratos se præbent Domino, vt potius vitæ impuritate & effreni morum licentia meritum eius, quantum in ipsis est, conculcent, adeoq; ipsum (vt in epistola ad Hebræos scribitur) denuo crucifigant. Ad horum ordinem pertinent, qui in quocunq; scelere absq; pœnitentia pergunt, & quàmuis in Cœna fidem & innocentiæ studium cum alijs pijs profiteantur, mox tamen vt canes ad vomitum redeunt, & ijsdem quibus antea sceleribus vacant. Faciunt hoc, qui ebrietati & gulæ studio ita addicti sunt, vt ne illo ipso die, quo Cœnæ communicarunt, à comessationibus abstineant: quò fit, vt sæpe vino superati ea dicant, & faciant, quæ non hominē decent, nedum Christianum hominem. Qui pharmacum sumunt, solent eo die ab omnibus abstinere, quibus pharmaci vis & operatio impediri potest. At isti cum pharmacum sumant, quo nullum in rerum natura pretiosius & salutarius est, quo nimirum fides exercetur & confirmatur, quo conscientiæ afflictæ exhilarantur, & quo totus homo ad Christianæ pietatis officia obeunda alacer & strenuus redditur: mox tamen cum ratione pudore etiam excusso, ad pocula ruunt, ibi cum sui similibus ad diabolicum inebriandi certamen descendunt, impudicis cantilenis seipsos & alios ad libidinem accendunt, insanis item clamoribus, execrationibus & deierationibus tàm sibijpsis quàm toti viciniæ molesti sunt. Quis obsecro tales panem hunc mysticum dignè edere, & ex Domini poculo dignè bibere dixerit? Maior est eorum impudentia, qui illo ipso tempore ad scorta reuertuntur, vt stupris & adulterijs Veneri cultum exhibeant, qui paulò ante se Christi membra esse professi sunt. Pertinent ad eundem catalogum auari, qui etsi cum pauperibus communicent ad mensam Domini, eosdem tamen pro fratribus non agnoscunt, clamores eorum surdis auribus transire sinunt, adhæc vsurarijs suis artibus atq; imposturis populum vniuersum crudeliter spoliant atque deglubunt. De his omnibus loquitur Augustinus lib. 2. contra literas Petil. cap. 55. scribens: Indignè manducant, qui corpus & sanguinem Christi in Sacramento manducant & bibunt, membra autem eius toto orbe diffusa in Euangelio non agnoscunt. Sed quid opus est singulos ex ordine recensere? Indignè hîc edunt & bibunt, quicunque pœnitere nescij ita viuunt, vt diaboli potius quàm Christi membra aut serui censeri possint. Nam etiamsi tales Christianam fidem profiteantur, Sacramentis communicent, & vel volentes vel coacti ad nuptiale illud conuiuium Christi veniant, carent tamen veste nuptiali, & proinde in tenebras exteriores suo tempore eijcientur.

Reus corporis & sanguinis Domini.

Scio hoc nonnullis durius dictum videri, qui Christiani nominis professionē ad omnia scelera tegenda & excusanda sufficere putant. Sed audiant illi Paulū huius sceleris grauitatem exponentē, & mox videbunt nihil temere aut præcipitantius à nobis pronuntiatū esse. Quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculū Domini indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Id est eiusdem criminis reatu tenebitur cum Iuda, qui Christum prodidit: cum Iudæis & militibus, qui eius corpus flagellarunt, consputrunt, vulnerarunt, in crucem suffixerunt, & eiusdem sanguinem fuderunt. Est hoc quoq; dictu & auditu grauissimum, ratio tamē huius pronuntiati certa est, & communi sensu confirmata. Vt enim qui Imperatoris aut Regis statuam euertit, coronam cum sceptro in lutum abijcit, tabulas regias cum suis sigillis discerpit & conculcat, læsæ maiestatis crimen incurrit, & non in saxa, aurum, gemmas, membranas & ceram, sed in ipsum Regem siue Imperatorem peccauisse iudicatur: Ita qui Sacramenta indigno atq; impio abusu prophanant, non in panem & vinum, sed in illorum authorem, Dominum iniurij sunt, & ea ipsa Dei dona conculcant atq; polluunt, quæ his repræsentantur & obsignantur. Ideo qui olim Circumcisione abusi sunt, ij fœdus salutis violauisse, & in ipsum Deum perfidi fuisse dicuntur. Et cùm Christus sibi factum iudicet, quod vni alicui suorum fit, num aliter æstimaturum putamus Cœna sua abusum, quo sacra sui corporis & sanguinis symbola & redemptionis nostræ, quæ per ipsum facta est, sigilla prophanantur? Non temere igitur hoc dictum Paulo excidit, quòd reatu corporis & sanguinis Christi teneatur, qui hunc panem indignè ederit, & poculū hoc Domini indignè biberit.

Cæterùm ex eo colligunt nonnulli, corpus & sanguinem Christi symbolis ita connexa esse, vt illa impij quoque cum his verè & realiter edant atque bibant. Nam qua alia ratione (inquiunt) reus sanguinis & corporis Christi fit impius, nisi illa ederit & biberit? Sed est hoc nimis friuolum, & non contentiosis sufficere poterant similia siue exempla, quæ paulò ante adduximus. Nec est quòd illi occlament, exempla ista esse de rebus prophanis, longè aliam verò esse rationem diuinorum atque cœlestium mysteriorum. Nam vt discrimen, quod inter diuina & humana est, minimè negamus: ita in scripturis tam Veteris quàm Noui testamenti obseruauimus, Spiritum sanctum humano more nobiscum loqui, & in tradendis Sacramentorum mysterijs non solùm captui nostro, verumetiam receptæ inter homines consuetudini sese accommodare. Quid autem tam vulgare & vsitatum est, quàm quòd reus læsæ maiestatis dicitur, qui principis sigillum siue statuam violauit, etiamsi principem ipsum nunquam attigerit, & fortaßis ne viderit quidem? Quo sensu hæc etiam Apostoli verba accipi debere, multæ grauesque rationes nos admonent. Prima est, quòd Paulus Christi venturi, non autem iam corporaliter præsentis meminit. Secunda, quòd in tota hac tractatione panem & poculum nominat. Quoties hunc panem ederitis, & poculum hoc biberitis, &c. Et hîc: Quisquis ederit panem hunc, & biberit hoc poculum Domini indignè, &c. Et mox: Probet seipsum homo, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Ita verò loquitur Apostolus, quàmuis sibi cum ijs rem esse sciret, qui de Cœna hac minus honorificè sentiebant, adeò vt nihil discriminis ferè facerent inter hanc & vulgare aliquod siue prophanum epulum. At quantum ponderis admonitioni huic accessurum erat, si dixisset: An nescitis ipsum Christum realiter, corporaliter & substantialiter vobis præsentem adesse? adeoque panem hunc iam non amplius panem, sed ipsißimum corpus Christi esse, in poculo autem hoc non vinum, sed ipsißimum Christi sanguinem, quo redempti estis, contineri? Cur ergo tam indignè ista tractatis? Cur vos tanto scelere polluitis, sacrosanctum illud corpus indignè manducando, & sanguinem eiusdem indignè bibendo? Hæc & huius generis multa dici poterant, si eadem Pauli de hoc mysterio, quæ hodie multorum est, fuisset sententia. Sed noluit hyperbolicis locutionibus vti, ex quibus superstitionis aliqua occasio enasci poterat: & si huius exemplum aliqui ex patribus secuti fuissent, qui vt Cœnæ mysticæ authoritatem maiorem conciliarent, crassè nimis locuti sunt, minus errorum & superstitionum in Ecclesiam irrepsisset. Sed de his aliàs: quoad verò præsens institutum, docent locutiones istæ Apostolicæ, impios in Cœna præter panem & vinum nihil accipere, nihilominus tamen corporis & sanguinis Christi reatu teneri. Probatur id tertia ratione euidentißimè, quæ est, quòd Christi caro & sanguis non aliter quàm per fidem eduntur & bibuntur. Docet hoc ipse Ioan. sexto Cap. vbi promiscuè edendi, bibendi & credendi verbis pro ijsdem subinde vtitur. At impios fide destitui, notius est quàm vt demonstrari debeat. Quomodo igitur corpus Christi edent, & eius sanguinem bibent, cùm os illud non habeant, quo solo hæc edi & bibi possunt? Adde his quarto loco, quòd Christi corpus nunquam inutiliter, multò minus cum pernitie aut ad hominis exitium sumitur. Est enim huic coniunctus Spiritus Christi, qui porrò ab illo separari non potest. Quisquis ergo illud accipit, idem Spiritum quoque Christi accipiat oportet, quo animatur, vt in illo vitam nouam viuat. Ideo ipse in loco supra citato dicebat: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in ipso. Sicut me misit Viuens ille Pater, & ego viuo per Patrem: ita & qui ederit me, viuet ipse quoque propter me. At impij neque Christum in seipsis manentem habent, neque ipsi in illo manent, multoque minus in illo viuunt: Ergo neque eius corpus edunt, neque sanguinem bibunt, licet externis symbolis communicent.

An impij edant corpus Christi?

Quòd si autem de impiorum manducatione omnino digladiari libet ijs, qui puriorem Euangelij doctrinam profitentur, quid adhuc Scholasticos Doctores & ineptos Monachos ridemus, qui disputare solent, quid mures & tineæ comedant, quando panem Sacramenti arrodunt? quid item canes, auiculæ, simiæ & quæcunque alia sunt animalia? Quis enim nescit impios omnibus animantibus brutis deteriori loco esse? Ipse etenim Deus hæc illis longè præfert, quando per Prophetas ait: Agnouit bos herum suum, & asinus præsepe domini sui: at Israël non agnoscit, populus meus sese non intelligit. Item Ciconia in aëre nouit tempora sua: turtur, grus & hirundo

Isa. 1. Iere. 8.

obseruant tempus profectionis suæ: at populus meus non agnoscit iudicium Domini. Quòd si dicas: Cœnam Dominicam propter homines, non autem propter animalia bruta institutam esse, & proinde superuacaneas esse quæstiones, quæ de illis mouentur: idem ipse tecum fateor, at simul me iam habere dico quod quærebam. Quia enim Cœna non propter impios, sed solos electos & fideles instituta est, perperam & intempestiuè disputatur, quid in hoc sacro epulo impij comedant, in quo nulla ipsis pars est, & ad quod neque os illud neque attractiuam illam facultatem afferunt, quibus solis caro & sanguis Christi percipiuntur. Ingerunt quidem sese vt subdolæ vulpes hypocritæ, impudenter canum instar sese intrudunt scelerati multi & pœnitere nescij, violenter etiam vt lupi & leones multi irrumpunt, quos nullæ admonitiones neque comminationes ministrorum absterrere possunt, quò minus Cœna Dominica abutantur: sed hi omnes cùm à fide alieni sint, nihilo plus inueniunt, quàm bruta illa, quorum ingenium & mores referunt. Imò eò perniciosior illis est esus iste, quia reatu corporis & sanguinis Domini sese alligant, vt damnationi & exitio ipsis seruiat, quod pijs ad salutem est traditum.

Sacramentorũ virtus non pendet ab hominibus.

Rom. 3.

Obijciunt hîc rursus aliqui: Ergo Sacramentorum virtus & ipsius Dei fides ab hominibus pendet? Quibus ego respondeo, Nequaquam. Noui enim illud Pauli de Iudæis dicentis: Quid tum si quidam illorum fuerunt increduli? num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Vt ergo Deus per Euangelium in Filio suo IESV CHRISTO salutem omnibus verè offert, eius autem non nisi credẽtes participes fiunt, reliquis proprio vitio in sua incredulitate & pertinacia pereuntibus: Ita Sacramenta redemptionis per Christum factæ sigilla sunt vera & certa, quibus gratiæ suæ promissiones Deus omnibus hominibus obsignat, quibus item Christus toti mortalium generi testatur, se esse panem illum & potum vitæ, quo vno ad vitam æternam seruemur: fructum tamen illorum soli ij percipiunt, qui ore fidei simul Christum apprehendunt: non autem illi, qui impia nausea pleni cibum illum vitæ respuunt, symbolis autem alias ob causas pro sua libidine abutuntur. In ipsis ergo perditionis culpa hæret, & neque Deo neque Verbi eius aut Sacramentorum impotentiæ adscribi debet. Poterant hæc multis Scripturæ & patrum testimonijs probari, sed cùm quæ hucusque dicta sunt sufficere possint ijs qui veritatis cognitionem ex animo quærunt, ad alteram huius loci partem transibimus.

Vt caueri possit indignus Cœnæ esus.

Pergit enim Paulus & vitio huic generali remedium quoque aut consilium generale adhibet, in cuius cognitione omnes diligenter versari necesse est. Nisi enim hîc probè instructi simus, facile fuerit, dum vnum vitium vitare volumus in contraria multa incurrere: quod hodie non paucis accidere videmus. Quando enim proponuntur hæc, quæ hucusque exposuimus, multi scelerum aut propriæ indignitatis conscientia territi, à Cœnæ huius vsu prorsus abstinent, ne corporis & sanguinis Domini reos sese faciant. Alij verò, quos propriæ iustitiæ fiducia cõfidentiores facit, cõmunionem publicam fugiunt propter sceleratos aliquos, qui in Ecclesijs passim visuntur. Metuũt illi, ne eandem cum his Cœnam sumentes simul sceleribus quoque eorum communicent. Et hinc olim Confessio auricularis suum initium habuit, qua nonnulli putabant hoc caueri posse, ne quis indignè ad mensam Domini accederet. Cui errori hodie nouam occasionẽ struunt, qui sub plausibili disciplinæ ecclesiastiæ cprætextu Excõmunicationẽ tuentur & vrgent, qua à Sacramentorũ societate eos excludant, qui ipsis minus probati videntur. Sed quid Paulus, qui in Corinthiaca Ecclesia omnis generis vitia atque scelera regnare sciebat? Vno verbo rẽ maximi momẽti expedit, simulq; omnium istorum erroneas sententias iugulat. Probet (inquit) seipsum homo, et ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Hominis vocabulo vtitur phrasi Hebraica, pro eo quod nos vnusquisq; dicimus. Sensus ergo est, non opus esse, vt Christiani homines hinc inde sciscitatum discurrant, num ad Cœnam satis idonei sint, vel in aliorum personis soliciti hæreant, num tutò cum illis possint communicare: sed vnumquenque in seipsum descendere & seipsum explorare deberi, priusquam ad hanc mensam accedat.

Cõfutãtur, qui propter alios à Cœna abstinent.

Confutãtur hoc loco, qui alios potius quàm seipsos probare satagũt, et si quos ad Cœnã admitti videt, quos ipsi indignos iudicant, mox præcipiti iudicio totã illã Ecclesiã dãnant, & ab ea secessionẽ faciũt. Tales olim Donatistæ fuerũt, quorũ errorẽ hodie Anabaptistæ instaurãt, qui multos sub plausibili

plausibili sanctitatis prætextu seducunt, quibus persuadent, ita omnino fieri oportere, ne cum sceleratis vnum corpus fiant, & eorum peccatis communicent. Faciunt hi quod nusquam iubentur. Nec enim vt aliorum vitam & conscientias exploremus iubet Paulus, sed vt singuli seipsos probent. Et notum est illud Christi: Ne iudicate, vt ne iudicemini. Et cum Cœna charitatis fraternæ vinculum externum esse nobis debeat: faciunt isti quod ab illa est alienissimum. Charitas enim non temere damnat, sed benè sperat de omnibus: non abijcit, sed colligit: non traducit fratrum scelera, neque theatrica ex illis qui ea agnoscunt spectacula facit, sed multitudinem quoq; peccatorum operit, vt ex Solomone Petrus annotauit. Conantur denique quod factu impossibile est. Quis enim nouit ea quæ sunt in homine præter spiritum hominis, qui in ipso est? Et Deum solum cordiũ & renum scrutatorem esse scripturæ passim docent. Damnantur præterea illi totius Veteris & Noui testamenti consensu, atque omnium sæculorum exemplis. Quis enim sanctorum olim propter alios, quos vitæ minus probatæ esse videbat, vel à Circumcisione vel ab alijs sacris vnquam abstinuit? Et vt Prophetas taceamus, qui cum illis ipsis sacrificia & dies festos egerunt, quorum scelera suis concionibus grauissimè accusabant, nonne Christus ad dies festos Hierosolymã ascendit, sacris interfuit, & Pascha cũ ijs celebrauit, quos propter indomitã contumaciã exitio suo proximos esse sciebat? Idẽ nec Ioannis baptismũ horruit, quem multi hypocritæ, multi palàm flagitiosi recipiebant, quo deniq; tingebantur, quos ipse Ioannes progeniẽ viperarum vocabat. Quòd si ad primam Cœnam accedamus, quales obsecro primi Christi conuiuæ, discipuli nimirum fuerunt? Et nonne illis Iudas interfuit, fur & proditor? Neque tamen hunc Christus exclusit, neque propter illum à mensa alij discipuli abierunt. Scio quid hîc aduersarij obijciant, Iudæ peccatum adhuc occultum fuisse, & ideo illum neque à Christo eijci debuisse, neque à discipulis communionem cum illo potuisse vitari. Sed mirum est homines doctos & iudicio præditos effugia huiusmodi quærere. Num verò Christus Iudæ scelus ignorabat? Attamen illum epulo paschali primùm, deinde suæ etiam Cœnæ adhibere dignatus est. Adhæc discipulos quoque scelus hoc non latuit, cùm Christus illud tam disertis verbis argueret, & ipsi ex eo dolorem vehementem conciperent. Sed sceleris authorem non agnoscebant, inquis. Hoc vt demus, adeò nihil iuuat aduersarios, vt potius ex eo plus periculi fuerit, si cum impijs Sacramentorum communione vti nefas est, cùm nescirent à quo potissimùm sibi deberent cauere. Nihil ergo est quod illi dicunt, ne primæ Cœnæ exemplo conuincantur. Sed imponit plerisque falsa persuasio, in Sacramentorum vsu ita vniri & coniungi homines, vt aliorum quoque peccatis communicent, qui cum malis & impijs Cœnam Christi mysticam celebrant. Est autem persuasio hæc vanissima. Nec enim hîc scelerum communio fit, sed earum rerum, à quibus salus nostra dependet, & quæ ad fidei confessionem faciunt. Hîc etiamsi Ecclesiæ oculos fallant impij, hoc tamen pijs fraudi esse non potest, quando illi præter externa symbola nihil accipiunt, alienissimi autem sunt ab ijs, quibus pij sub Christo capite in vnum corpus coalescunt. Et hoc paulus probè intellexit, qui ideo mox dicet: Qui edit & bibit indignè, iudicium sibijpsi edit & bibit. En sibijpsi iudicium edit impius hypocrita, non tibi, non mihi, non vlli alij piorum, qui sacra hæc cum fide & vt par est vsurpant. Hæc diligentius expendant omnes, quos vel propriæ iustitiæ fidutia, vel inutilis & præposterus metus decipit, vt sibi à publica communione abstinendum, vel ab Ecclesijs discedendum esse putent, ne aliorum peccatis polluantur. De seipsis potius omnes soliciti sint, seipsos probent & examinent seriò, Dei autem iudicio relinquant eos, quos abs se corrigi non posse vident.

Matth. 7.
1. Cor. 13.
Prou. 10.
1. Pet. 4.
1. Cor. 2.

Confutantur præterea hoc Pauli consilio, qui priuatam singulorum præparationem ad Cœnã vrgent, cuius præcipuam partem constituunt Confessionem auricularem, per quam in cordium quoque & cogitationum arcana penetrant. Quorum tanta est in suo hoc more tuendo seueritas, vt neminem ad huius Sacramenti communionem admittant, nisi qui prius delicta sua, sacerdoti confessus sit, & ab eo absolutionem priuatã acceperit. Quid verò huius in præsenti Paulus iubet, cùm ex professo docere instituerit, vt singuli sese præparare debeant, ne indignè de mensa Domini edant & bibant? Aut quid simile factum in veteris populi ecclesia, vbi purificationes & præparationes frequentiores simul & operosiores fuisse scimus? Ibi tamen nulla vnquam in vsu fuit priuata peccatorum confessio, neque aliquem propter peccata à communione sacrorum vnquam ex-

Confessio auricularis & priuata singulorũ ad Cœnam præparatio, &c.

clusum fuisse legimus. In primitiua quoque Ecclesia nihil huius inuenitur, neque ex scripturis probari potest, vnquam penes ministros eam potestatem fuisse, vt ipsi examen priuatum haberent eorum, qui communicaturi erant, & vt ipsi qui nam digni, quiue indigni essent, pronuntiarent. Valuit enim apud omnes Spiritus Sancti consilium, qui per Paulum monuit, vt vnusquisque seipsum probet atque scrutetur. Posteris demum temporibus, quando crescente superstitione Sacramentis nimium tribui cœptum, tunc exclusiones eorum institutæ sunt, qui publicè peccauissent. Additæ simul satisfactiones, quibus non Deo, sed Ecclesiæ satisfieret, priusquam ad eius communionem rursus admitterentur. Et vt Sozomenus scribit, episcopi Nouatianorum importunitate coacti presbyteros ordinarunt, qui pœnitentiam agentibus præessent. Erant hi spectatæ pietatis viri, prudentes & commissi arcani fideles custodes. His priuatim confitebantur, qui peccatorum conscientia sese premi sentiebant. Præscribebant illi satisfactionum formam, & certum pœnitentiæ illius tempus definiebant, quo euoluto ad Cœnæ communionem denuo illis accessus patebat. Habuit ergo mos iste initium non malum, & bono zelo moti episcopi ista constituerunt, vt Nouatianis silentium imponerent, qui orthodoxas Ecclesias pro impuris damnabant. At quia suum potius zelum, quàm Dei Verbum, secuti sunt, & totum hoc institutum, non diuinum, sed humanum fuit, mox fructus quoque peperit, ex quibus plus scandali enatum est, quàm ex sceleribus publicis, quæ illi hac ratione coërcere voluerunt. Cùm enim in Constantinopolitana vrbe mulier quædam genere illustris à presbytero pœnitentiario iussa esset ieiunijs & precibus frequentioribus vacare, & ideo in templo præter morem diutius & sæpius moraretur, accidit vt cum diacono stupri consuetudinem haberet, & in hoc tam turpi flagitio depræhenderetur. Commouit tanti sceleris indignitas totum populum, & ministerij ecclesiastici dignitatem væhementer labefactauit. Quapropter Nectarius, eius vrbis Episcopus & diaconum scortatorem loco mouit, & presbyteros pœnitentiarios sustulit, monentibus nonnullis, vt vnumquenque propriæ conscientiæ relinqueret, neque aliquam remoram poneret ijs, qui ad Cœnam Domini mysticam accedere volunt. Mansit tamen mos iste (vt idem author perhibet) in Occidentalibus Ecclesijs, & imprimis Romæ, quæ iam tunc incipiebat mysterium iniquitatis operari, & postea hoc ferè medio tyrannidem in omnium hominum conscientias obtinuit. Mox autem grauiores multò errores secuti sunt, inter quos intolerabilis est, quòd satisfactionibus, quæ in Confessione auriculari mandantur, meritum adscripserunt, & ijsdem peccata expiari docuerunt. Quid, quòd hac ratione, quasi per cuniculos, in Regum, Imperatorum & quorumuis aliorum arcana penetrarunt Pontifices, quod vnum toti mundo formidabiles facere potuit? Si quis verò stupra, adulteria, incestus, rapinas, hæreditatum interceptiones, & alia huius generis enumerare velit, quæ Sacrificuli & Monachi impuri sub Confessionis prætextu designarunt, dicendi exordium citius quàm finem inueniet. At hi sunt humanorum inuentorum fructus. Et cùm hæc lippis atque tonsoribus nota sint, mirum est, non modò Pontificios tantum errorem tueri, verumetiam in reformatis Ecclesijs inueniri aliquos, qui ad illum viam denuo sternant suis priuatis præparationibus & priuatis absolutionibus, quas pertinaciter defendunt.

Lib. 7. Cap. 16. Socrates lib. 5. Cap. 19.

Fatemur equidem, sæpe homines ita perplexos esse, vt vel ministrorum Ecclesiæ vel aliorum cōsilio eos subleuari necesse sit. Quos monemus, vt quando sibijpsis non satisfaciunt, ab illis consiliū petant, qui instructiores sunt, vtque ad priuatam sui Pastoris institutionem recurrant. Vt verò Ecclesiarum ministri aliquem cogant, & nouum sibi in hominum conscientias ius atque imperium vendicent, nullo modo probare possumus. Quin potius Paulum nobis etiam loqui putamus, qui si quid huius deberet fieri, minimè id taciturus erat, maximè cùm ad eam Ecclesiam scribat, in qua scelera grauissima regnabant, & in qua à plerisque prophano Cœnæ abusu hucusque peccatum fuerat. Vult tamen ille, vt quisque seipsum probet, nec aliquem vlterius grauari vult. Hoc enim examen vt tutissimum, sic etiam certissimum est. Quis enim suam ipsius conscientiam fallere poterit? Enimuero etsi hoc interdum conentur impij & scelerati homines, nihil tamen proficiunt. Inuitis enim illa obrepit, accusat, arguit, conuincit, vt non temere eam mille testium loco esse veteres dixerint. In alijs verò hominibus examinandis facilè fallimur. Vafrum est enim cor hominis & inscrutabile inquit Ieremias. Ideo & illi nobis imponere possunt.

possunt, & pœnitentiam simulare, quæ apud ipsos nulla est, & vt iam verum nobis fateantur, tamen qui & quales in posterum futuri sint, scire non possumus. Adde his, quòd qui ad Ecclesiam & Sacramentorum communionem allici debebant, importunis illis & iniquis exclusionibus arcentur: prohibentur denique peccatores, ne cum reliquis mortem Domini prædicent, quod opus Deo gratissimum est, & ab omnibus exigitur, qui Christo nomen dederunt. Fit denique, vt ferè Pharisæi hypocritæ omnium optimi iudicentur, qui superbis illis alienæ fidei dominatoribus sese approbare possunt, excludantur autem publicani, qui animo verè contrito clamant: Domine, propitius esto mihi peccatori. Verum me dicere fatebuntur, quotquot Ecclesias illas propius inspexerint, in quibus illi dominantur. Quotquot ergo & priuatæ singulorum saluti, & publicæ Ecclesiarum paci aut quieti consultum volunt, ij Pauli consilium sanctum ratum habeant, neque aliquos ab vsu mensæ Dominicæ arceant, quàm eos, qui seipsos probare non possunt: quales sunt infantes & pueri, furiosi & rationis vsu destituti, & qui à Christiana religione prorsus alieni sunt, aut saltem prima eius rudimenta nondum intelligunt.

Porrò hic singuli intelligant oportet, in quo nam probatio nostriipsius consistat, & quomodo fieri debeat. Qui aurum probare volunt, Lydio lapide & igne vtuntur, quibus explorant, num adsint ea, quæ auri propria sunt. Ita hic ad Verbi Dei ignem, qui simul indicis aut lapidis Lydij instar est, nosmetipsos examinari oportet, num ea nobis insint, quæ in Cœna profitemur. Sunt hæc (vt nuper audiuimus) fidei in vnum IESVM CHRISTVM, sine qua recordatio & prædicatio vera mortis eius fieri non potest: abnegatio superstitionum & falsorum cultuum, vitæ innocentia morumque sanctitas, dilectio item mutua & fraterna, qua qui multi sumus, in vnum corpus coalescimus, adeoque panis vnus efficimur. Hæc si in nobis non ficta aut fucata deprehendamus, periculum non est, qui tutò & cum fructu ad sacram hanc & salutarem mensam possimus accedere.

Probatio hominis in quo consistat?

Vbi simul obseruari debet, non requiri à nobis perfectionē angelicam. Nec enim Angelis aut spiritib. cælestibus Cœna à Domino instituta est, sed hominibus, qui vt omnes in peccato cōcepti et nati sunt: ita etiā natura infirmi atq; imperfecti sunt. Ideo in præsenti Paulus non ait, Qui indignus hūc panē edit, &c: sed, Quisquis ederit panē hunc, & hoc poculū Domini biberit indignè, &c. Ad actionem ergo Cœnæ, non ad edentium & bibentium personas indignitatem hanc restringit. Nam si nos respicias, quis obsecro dignus inuenietur, quem æternus Dei Filius suo corpore et sanguine pascat & alat ad vitam æternam? Nonne omnes cum Centurione illo Euangelico exclamare cogemur, Domine, non sumus digni, sub quorum tectum tu ingrediaris? In hoc ergo huius rei cardo versatur, ne indignè tanta tractemus mysteria, licet nos indignissimi simus, quibus illa committuntur. Id verò cauebitur, si (vt diximus) nihil dolo malo fiat, & non falsa aut hypocritica sit, quam illic facimus, professio: & si peccatum non patiamur regnare in mortali corpore nostro, sed aduersus illud gladio Verbi Dei pugnemus, & in precibus feruentes simus, quibus & remissionem peccatorum, & Spiritus sancti gratiā & fidei augmentum à Deo petamus. Qui ita in suum conspectum veniunt, eos non abijciet Dominus, qui vt laborantes & oneratos ad se vocat: ita neminem ad se venientem reijcit, & linum fumigans non extinguit, neque arundinem quassatam conterit. Exempla in Euangelio passim occurrunt, sed sufficere nobis potest, quod in prima Cœna proponitur. Quales enim tunc fuerunt discipuli? Certè vt Iudam nunc omittamus, reliqui omnes magnis & grauibus peccatis obnoxij fuêre, imò inter cœnandum enormiter peccarunt. Nam contentionem de primatu, toties à Christo sopitam, instaurant, quæ animos ambitiosos, superbos & contentiosos arguit. Et tanta apud eos fuit istorum affectuum vis, vt nec tristissima mortis Christi iam imminentis commemoratio, quam ille tunc faciebat, ambitiosos illos spiritus reprimere potuerit. Accessit mox confidentia, qua elati Christo de ipsorum fuga & dispersione concionanti contradicunt: Vbi Petrus non modò Domino sese contumaciter opponit, verumetiam insolenter se omnibus alijs præfert, eosque præ se contemnit; quos pro fratribus debebat agnoscere. Taceo nunc turpem fugam, qua post paucules horas dispersi, Christum inter medios hostes reliquerunt. Taceo turpiorem & cum aperta impietate coniunctam Petri abnegationem, qua Christum etiam abiurauit. Attamen hos omnes ille non mensa modò sua dignatus

Nemo imperfectione sua terreatur.

Matth. 8.

Ioan.13. & 15. est, verumetiam mundos esse dicit propter Verbum suum, quod ipsis annuntiarat, & cuius semina illi intra animos suos constanter seruabant, vt vt ab innata vitiositate superati subinde delinquerent. Neminem ergo sua vel infirmitas vel imperfectio, imò neque ante commissorum scelerum recordatio terreat. Patent verè & ex animo pœnitentibus diuinæ gratiæ fores. Et fides quantulacunque sit, ad Christum appræhendendum satis potens est & efficax, qui quæ nobis desunt sua perfectione sarcit atque supplet, peccata autem nostra sanguine suo eluit, ne in rationem apud Deum veniant, simulque gratiæ huius sigillum atque testimonium sensibile in Cœna nobis exhibet, qua nos intrepidè & fide certa vti conuenit.

Pœnæ indignè manducantiũ. Quoniam verò omnibus sæculis inueniuntur, quos non multùm mouet sceleris atrocitas, tales Paulus ad Dei tribunal citat, & supplicij denuntiatione terret, dicens: Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibijpsi edit & bibit, non discernens corpus Domini. Iudicij nomine pœnam ipsam intelligit, quæ partim æterna est, qua impij & pœnitere nescij mulctantur: partim temporaria, qua pij in hoc sæculo castigantur, quando indignius Cœnam tractant. Et hoc Corinthijs accidit, quos lue & peste punitos fuisse audiemus propter huius Sacramenti abusum. Causam verò pœnæ subijcit his verbis: Non discernens corpus Domini. Corpus Domini vocat panem mysticum, quem corporis Christi Sacramentum esse iam ante diximus. Discernunt ergo corpus Domini in Cœna, qui dignitatem tanti mysterij rectè expendunt, & panem hunc à reliquis cibis vulgaribus distinguunt, sic vt eo non ad corporis alimoniam vtantur, sed animæ causam hîc agi cogitent, adeoque credunt hîc nobis Christi symbola proponi, quibus hic testetur, se panem illum vitæ esse, qui suos alat & seruet ad vitam æternam. Non discernunt autem corpus Domini, qui panem hunc à vulgari nihil differre putant, & ad Cœnam perinde vt ad epulum prophanum ruunt, quod Corinthios fecisse supra audiuimus. Iudicium itaque tales sibi edunt & bibunt, non quòd panis iste & hoc poculum per se mali aut noxij quid contineant, sed quòd illi abusu prophano sibi noxia reddunt, quæ Dominus salutis nostræ ergô instituit. Ita huius loci sensum D. Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas exposuit, vbi inter alia sic scribit: Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens dominicum Sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguinis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat. Corpus & sanguinem Domini etiam indignè manducantibus fuisse dicit, quia Sacramenta ipsa in se non mutantur, etiamsi impij (vt supra demonstrauimus) res ipsas non percipiant. Vnde idem Pater alibi dicit Iudam accepisse quidem panem Domini, non autem panem Dominum. Quòd verò iudicium & pœnas minatur Paulus ijs, qui indignè edunt & bibunt, non temere facit, & multis exemplis id probari poterat. Quia tamen domestico exemplo Corinthiorum huic comminationi fidem faciet, nunc plura adducere non est opus. Hoc potius non oscitanter consideremus, quid hodie nobis sperandum sit, quando alij Cœnam Domini sibijpsis quæstum faciunt, alij sacrificium ex ea fabricant in meriti Christi contumeliam, multi verò ex eadem rixandi materiam venantur: plerique autem illam aut contemnunt, aut superstitiosius externis symbolis tribuunt, quæ apud vnum Christum quæri debebant? Hæc nobis emendanda erant, siquidem vndique nobis imminentem Dei iram placare aut effugere vellemus. Hîc ergo studium omne intendant cum verbi administris Christiani principes. Coniunctis autem precibus omnes Deum orent, vt hic omnium mentes illuminare & ad veræ pietatis atque pacis studium flectere dignetur, vt idem sentiant & loquãtur in Filio eius & redemptore nostro IESV CHRISTO: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Lib.5. Cap. 8.

HOMILIA LXI.

Propterea multi inter vos sunt infirmi & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicaremus, non iudicare-

caremur. Sed cùm iudicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad vescendum, alius alium expectate. Quòd si quis esurit, domi edat: ne ad iudicium conueniatis. Reliqua verò, cùm venero, constituam.

QVoniam Corinthij Cœnam Domini nostri Eucharisticam fœdißimè prophanauerant, vt iam à prophano, vel etiam luxurioso conuiuio nihil differret, Paulus multa huc vsq; adduxit, quibus hoc vitium corrigere studuit. Primò enim grauiter eos reprehendit, quòd opulentiores cum pauperum & totius Ecclesiæ contemptu sub Cœnæ prætextu ventri & gulæ indulgerent, adeò vt multis esurientibus ipsi inebriarentur. Inde primam huius Sacramenti institutionem exposuit, vt ex ea illius verum vsum simul & dignitatem intelligerent. Tertiò, vt singuli sese ad hoc epulum sacrum præparare debeant, docuit, ne indignè ad hoc accedendo in ipsum Christum peccent, seq; ipsos corporis & sanguinis eius reos faciant. Postremò, quia aliquos scelerum atrocitate non multum moueri sciebat, ostendit eos, qui de mensa Domini indignè edunt & bibunt, sibijpsis iudicium accersere, & proinde pœnas graues Deo esse daturos. Docet autem hic ordo Pauli, in Ecclesia abusus & errores sic accusari debere, vt simul ad Dei instituta homines remittantur, adhæc rationibus validis vrgeantur, vt sese illis accommodent. Obseruarunt hunc ordinem olim Prophetæ, & in multis alijs causis Apostoli: & nisi eundem sequantur qui hodie docent, non multùm proficient.

Quia verò quod de iudicio & pœna dixerat, à nonnullis facilè poterat eludi & rideri, præsenti & domestico exemplo eos conuincit, & se non temere hoc dixisse probat. Propterea (inquit) multi sunt inter vos infirmi, & inualidi, & dormiunt multi. Quasi diceret: Ne putetis me sine causa vestrum hoc delictum tam multis exaggerare, & minas pœnásue fingere, quibus vos immerentes terream. Scio enim quanti Deus faciat abs se instituta sacra, & quòd illa contemni aut prophanari nequaquam patiatur. Et vos nisi toti obstupuissetis, poteratis manifesta iudicij & iræ diuinæ indicia inter vos animaduertere, quæ vos de Deo placando admonerent. Vnde enim euenit, quòd multi inter vos grauibus, adhæc nouis & insolitis morbis excruciantur? quòd lectis quasi affixi diutißimè decumbunt, nec vlla remediorum ope possunt subleuari? quòd deniq; multi dormiunt, id est, morte immatura & præpropera è medio tolluntur? Ex eo nimirum, quòd professioni vestræ minus respondetis, & cùm in multis alijs officium negligitis, tum maximè in Cœna Dominica, quam abusu non minus impio quàm turpi atq; inhonesto prophanauistis. Voluit autem tam disertè loqui Apostolus, quòd videret eos neq; peccatum suum agnoscere, neq; causam pœnarum, quas iam tunc luebant, obseruare. Ea est enim nostri ingenij corruptio, vt quemadmodum in peccatis nobis ipsis blandimur, ita quando à nobis pœnas exigit Deus, quiduis potius quàm eas peccatorum pœnas esse fatemur. Plerique enim, qui ad Epicureismum inclinant, omnia fortuitò fieri sibijpsis persuadent. Alij sese aliorum exemplis excusant, qui nihil huius patiuntur, cum eadem faciant. Quòd si qui pœnas propter peccata infligi credunt, ij in alios potius quàm seipsos respiciunt, quorum scelera suis grauiora esse arbitrantur. Denique vt malæ indolis pueros pudet fateri se virgis cæsos esse, eosdem verò suæ nequitiæ & contumaciæ non pudet, quò minus in illa pergant: Ita plerique hominum affecti sunt, vt absque Dei & piorum reuerentia suis cupiditatibus indulgeant, & peccata peccatis accumulent, nolint autem ex eorum numero videri, propter quos Deus calamitates publicas immittat. Hîc ergo ministros animo præsenti & ingenua dicendi libertate armatos esse oportet, vt peccata arguant, pœnarum causas apertè prodant, & improbos illos hypocritas siue tergiuersatores in rem præsentem adducant, ne quid amplius negare poßint. Sic olim Prophetas fecisse scimus. Cùm enim sub Achabo Deus Israeliticam terram siccitate & fame annorum aliquot affligeret propter impios cultus, quos Baali instituerant, nequaquam illud propterea fieri putabat Achab, qui præcipuus erat tanti mali author, sed Eliæ obuius factus huic omnem hanc calamitatem acceptam ferens, clamabat: Tu ne ille es, qui conturbas Israelem? Quid verò ad hoc Propheta? Ego non turbo Israelem, sed tu & domus patris tui, cùm deserueritis præcepta Domini, & tu incedis post Baalim. Et mox conuocatis totius

Domestico exemplo terret Corinthios.

populi comitijs, publicè ostendit quantum hucusq; peccauerint, & quid porrò facere debeant. Exempla huius generis multa passim apud Prophetas inueniuntur, quorum fortitudinem & libertatem Apostolos quoq; imitatos fuisse, non hic modò locus, verumetiam primæ illorum conciones testantur, quibus Hierosolymæ Senioribus, sacerdotibus totiq; populo indignum facinus, quod in Filium Dei commiserant publicè exprobrarunt non sine graui pœnarum comminatione, quas non aliter quàm per pœnitentiam effugere possint. Et sanè hæc compendiosissima ratio est, qua homines adduci possunt, vt peccata sua agnoscant, deq; Deo placando cogitent.

Abusus Sacramentorum punitur.

Exod. 4.

Leuit. 20.

1. Sam. 4. 5. 6.

Debet autem ex hoc loco generalis doctrina peti, Deum Sacramentorũ abusum atq; prophanationem impunitam non dimittere. Olim certè Circumcisionem sub capitis pœna sanciuit, & exemplum cumprimis memorabile in Mosem ædidit, quem ex Madian in Ægyptum redeuntem interficere voluit, quòd filium sibi apud exteros natum non circumcidisset. Aaronis autem filij, Nadab & Abihu, igne cœlitus immisso crudeliter combusti sunt, eò quòd ignem alienum seu prophanum ausi essent intra tabernaculum in Dei conspectum afferre. Quid verò Israelitis acciderit, qui arcam fœderis, præsentiæ diuinæ symbolum, proprio instinctu in castra detulerunt: quid item Philistæi passi sint, qui eandem bello captã in templum Dagonis collocarũt, in primo Samuelis libro prolixè describitur. Et in Prophetarum sermonibus satis euidenter apparet, quàm indignè tulerit Deus, si quando Iudæi templo & sacrificijs abs se institutis ad peccandi licentiam abusi sunt, vt in ijs scelerum suorum prætextum quærerent. Quid ergo nostri seculi calamitates miramur, quando horribilis omnium Sacramentorum abusus vnà cum prophano Verbi contemptu vbiq; dominatur?

Baptismi abusus.

Nam vt à Baptismo exordiamur, quot modis ille vitiatus adeoq; prophanatus est apud eos, qui se solos Ecclesiam esse sibi persuaserunt? Instituit hunc per Ioannem Baptistam Dominus, quem simplici ritu in Iordane ad se venientes tinxisse legimus. Et Christus eius formulam discipulis præscribens baptizare iussit in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti. Quem ritum absq; omni superstitione seruarunt Apostoli, adeò vt non in ædibus modò priuatis, verumetiam ex itinere aqua temere oblata eos baptizarint, quos iam fide illuminatos esse videbant. Quod non ideo dico, quòd hodie idem fieri velim, vbi Ecclesiæ constitutæ sint, & festinatione illa nequaquam opus est: sed vt ostendam quàm studiosi sanctæ simplicitatis fuerint Apostoli. At quid hodie in Papatu fit? Exorcismis primò peculiaribus aqua præparatur, deinde admiscentur sal, oleum, sputum denique, ne quid sordium desit. Vbi verò ad actionem ventum est, iam rursus noui exorcismi infanti, tanquam à dæmone obsesso adhibentur, & multa superstitiose, multa impiè, multa ridiculè fiunt, quæ si omnia commemorare vellem, in immensum extenderetur oratio. Vnum tamen omitti non potest, quòd contra Pauli doctrinam (quam Cap. 14. audiemus) omnia hæc lingua peregrina fiunt, quæ à nemine astantium, & sæpe ne ab ipsis quidem sacrificulis Baptismum administrantibus, intelligitur. Quòd si ad nos transeas, quis non damnet leuitatem, qua in testibus, quos patrimos & matrimas vocant, adhibendis multi vtuntur, qui vel solum quæstum captant, vel inani gloriæ student?

Cœnæ Dominicæ abusus.

In Cœna autem quanta proh Deum corruptio, cuius species vix quisquam omnes enumerauerit. Ex Cœna enim publica priuatum epulum fecerunt, quo vnus solus reliquis spectantibus fruitur. Deinde hoc quoq; in sacrificium commutarunt non sine notoria sacrificij Christi in cruce oblati contumelia. Adde his quæstum, quem inde vberrimum faciunt, & vt is vberior sit, mortuis applicant, quod non nisi viuentibus à Christo est traditum. Omitto nunc luxum vestium, altarium ornatũ plus quàm prophanum, & non sine sacrilegio ademptum laicis poculi Dominici vsum, & infinita alia, quæ totam illam actionem ita deformant, vt ne minimum quidem Cœnæ Dominicæ vestigium illic videas. Imò ne quis hanc apud eos requirat, nomen quoq; mutarunt, vt iam Missa dicatur, quod Apostoli modò Cœnam Domini, modò Fractionem panis, veteres autem propter vsum & finem eius Eucharistiam & Synaxim dixerunt. Quòd si verò illos ipsos de Missæ vocabulo interroges, vix habent quòd respondeant, & non vna eademq; est omnium sententia. Alij enim illud Hebræum esse aiunt, & oblationem spontaneam significare. Alij doctiores à gentibus nomen hoc desumptum esse affirmant, apud quos peractis sacris præco publicus, quem grammatea dicebant, clamabat, λαοῖς ἄφεσις, id est, populis missio, scilicet datur, vt ad sua singuli redeant. Hinc

Missæ vocabulum.

morem apud Christianos quoq; obtinuisse dicunt, vt finito hoc nouo sacro, per Diaconum pronuntietur: Ite, missa est: & inde toti huic actioni nomen esse inditum. Quis verò probauerit, homines Christianos ritus aliquos ab idololatris & ethnicis mutuari, imò sacris suis inde nomina accersere? Et quid hæc aliud quàm extremam Cœnæ Dominicæ prophanationem arguunt? At ne hîc quidem substitit istorum hominum temeritas, qui vt quæstum facerent maiorem, ex semetipsis Sacramenta noua finxerunt, in quibus eadem corruptio deprehendetur, si ea ad Verbi Dei regulam examines. Quòd si autem rursus ad nos oculos conuertas, qui purioris doctrinæ & reformationis nomine gloriamur, paucos certè reperies, qui ad Cœnam Domini ea reuerentia, qua opus erat, accedant, cùm apud plerosq; hypocrisis & securitas nimia, apud alios petulantia effrenis dominetur. Hinc ergo est, quòd bellis & seditionibus assiduis, fame rerumq; penuria, morbis incognitis, peste deniq; continua, & infinitis alijs calamitatibus infelicem mundum Deus affligit. Quæ omnia aduersarij Euangelio accepta ferunt & nobis, qui veteres ritus aboleuerimus. At vt nos non omnino extra culpam esse iam ante fassi sumus, ita illam in nobis hærere, nullo autem modo Euangelicæ doctrinæ adscribi debere testamur. Vtrinq; tamen vrgens nos Dei iudicium dissimulare aut negare non possumus, quando non ijs modò plagis mulctamur, quas paulò ante recitauimus, verumetiam ea videmus fieri, quæ Paulus gentibus propter idololatriam accidisse scribit, vt nimirum in reprobum sensum traditi seipsos ignominia afficerent. Fit hoc apud aduersarios, quando parentes liberos suos in monasteria detrusos tantumnon scientes ad omnem libidinem prostituunt. Et nos simile quid sentimus, quando qui idem sentiunt, idem tamen non possunt loqui, & cum magno suo dedecore digladiantes hostibus iucundissimum spectaculum præbent. Erant igitur abusus & errores illi corrigendi, si nosipsos pœnis, & Christianum nomen publica ignominia liberari vellemus.

Sed ad Paulum redeamus, qui morborum & luis inter Corinthios grassantis causam apertius exprimit, & sic quidem, vt simul remedium & consolationem dulcissimam adhibeat, dicens: Etenim si nosipsos dijudicaremus, non iudicaremur. Seipsum iudicat, qui vitam & mores totumque suæ naturæ ingenium rectè inspicit, seq; cum omnibus suis studijs & actionibus ad præceptorum Dei regulam examinat, peccata sua agnoscit, & ea in semetipso damnat, deniq; ex ea cognitione humiliatus in Dei conspectu resipiscit. Ita semetipsum Paulus dijudicauit, quando carnem & huius cupiditates cum Lege Dei conferens dicebat: Noui quod non habitet in me, id est, in carne mea bonum. Sensus ergo verborum eius in præsenti est: Si ipsi peccata nostra agnosceremus, deq; illis emendandis seriò cogitaremus, non opus esset vt suum iudicium in nos exerceret Deus, & flagellis meritis castigaret. Ita verò socordiam illorum accusat, quæ cogant Deum in ipsos seuerius animaduertere. Ne tamen pij hinc colligerent, ipsis simul omnibus pereundum esse (quis enim coram Deo consistat, si is iudicio nobiscum velit contendere?) mox consolationem subijcit: Sed cùm iudicamur, id est, cùm iusto & seueriori Dei iudicio affligimur, tunc à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. Erudiendi verbo paternum in nos Dei affectum simul & vtilitatem afflictionum exprimit, vt postea pluribus dicetur. Continet enim locus hic doctrinam non minus necessariam quàm vtilem de afflictionibus, quæ tam pijs quàm impijs in hoc seculo accidunt, cuius partes ex ordine considerabimus: Quis eas immittat? Deinde quæ illarum causa sit quoad nos? Tertiò, in quem finem nobis immittantur? Postremò, qua ratione illas præuenire possimus ne incidant, vel iam imminentes auertere?

Causam luis apud Corinth. grassantis indicat.

Primum disertè & vno verbo Paulus explicat, dicens: Cùm iudicamur, à Domino erudimur. Deus ergo is est, qui castigat & affligit, nec aliquid hîc fortuitũ censeri debet. Est enim is creator & gubernator rerum omnium, neq; eorum opificum similis est, qui ædificia magno quidem labore & industria extruunt, eadem verò deinceps vt nihil ad se pertinentia negligunt: sed quæ ille condidit, seruat quoq; & singula certo consilio & ordine ad suum finem destinat. Itaq; vt Christus ipse in Euangelio docet, eius prouidentia ad auiculas, ad coruorum pullos, ad flores in agris nascentes, imò ad capillos capitis nostri extenditur, vt hos quoq; in numerato habeat. Num ergo ille bella, famem, pestem, feras, tempestates aduersas, & quæ aliæ sunt huius generis calamitates in nos temere grassari pateretur? Aut num aliquid absq; eius permissione in nos posset Satan? Ideo Amos

Deus immittit afflictiones.

Amos 3. dicebat, non esse malum, id est, calamitatem aut infortunium aliquod in ciuitate, quod non faciat Deus. Et passim in Prophetis ille hostes è longinquis regionibus sibilo euocare, locustas, brucos, famem, pestem & sterilitatem adducere dicitur. Et Anna mater Samuelis canit: Dominus occidit, 1. Sam. 2. & viuificat: deijcit in barathrum, & rursus eruit. Est hoc diligenter tenendum, quia si nulla alia consolatio accedat, hoc vnum nos ad patientiam erudire & in omnibus aduersis plurimùm confirmare potest. Quia enim iustus est Deus, nemini iniuriam facit, neq; dubitare debemus, nos quæcunq; mala accidunt multifariàm meruisse, licet ipsi propter philautiam, quæ nos excæcat, illorum causas non semper possimus in nobis ipsis animaduertere. Rursus cùm pater sit, & quidem humani generis amantissimus, minimè nos perditos vult, sed vt postea sequetur, omnia eò dirigit, vt saluti nostræ prouehendæ seruiant. Rectè igitur Iob, fortissimus ille patientiæ athleta in suis calamitatibus non ad hostes Chaldæos & Sabæos respiciebat, neque in ventorum & tempestatum procellis hærebat, sed in Dei prouidentiam intentus dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Quem Dauid imitatus, Semei maledici hominis conuitia patientissimè tulit, quòd Deum impiorum quoq; linguas in sua potestate habere, & illis ad suorum correptionem vti sciret. Quòd si nos inspicias, hunc omnis impatientiæ & fremitus aut murmuris fontem esse patebit, quòd plerique in proximis causis hærentes summum omnium quæ fiunt authorem Deum negligunt.

Causæ afflictionum. At quia Deus (vt modò diximus) iustus est, non temere calamitates & aduersa immittit, neq; aliquem immerentem affligit. Ideo quæ afflictionum causæ sint quoad nos, secundo loco videndum est. Has etiam in præsenti Paulus indicat, peccata nimirum, & quòd homines non seipsos dijudicant, id est, securi rerum peccata sua nō agnoscunt, sed quasi re bene gesta sibipsis tunc quoq; blandiuntur, quando Dei oculos quàm maximè offendunt. Consentit his tota scriptura sacra, quæ per peccatum mortem, & quæcunq; hanc comitantur, in mundum ingressa esse docet, vtpote terræ sterilitatem, agriculturæ labores, curas rei domesticæ, partus dolores, educationis liberorum molestias, famem, bella, aëris incommoda, tempestates & alia, quæ singula referre longum foret. Et vt ad singularia exempla descendamus, propter primi mundi scelera diluuium immissum fuisse, non solùm Moses, verumetiam prophani scriptores testantur. Libido item effrenis, pauperum contemptus, inhospitalitas & quiduis agendi licentia Sodomis & vicinis vrbibus excidium cælitus attulit. Pharaonem quoq; cum Ægyptijs suis propter innocentis populi crudelem oppressionem horrendis plagis à Deo mulctatos fuisse legimus. Ita Chananæos propter incestus, veneficia, fatidicas artes, iniustas cædes, rapinas & alia huiusmodi scelera excisos fuisse Dominus per Mosem non vno loco docet. Et ne quis ista & alia huius generis singularia quædam exempla putaret, ex quibus vniuersalis doctrina minimè peti debeat, in Lege multis docetur, Deum morbis insolitis, cæli intemperie, gladio, fame, peste, deniq; ferarum incursionibus in omnes eos animaduersurum esse, qui ipsius præcepta improbè transgressi fuerint. Et Legis interpretes Prophetæ hoc ipsum vnanimi consensu testantur. Ieremias certè cum sui populi scelera recensuisset, mox infert: An super his non Ierem. 5. visitarem, ait Dominus, & gentem huic similem non vlcisceretur anima mea? Sed quid multis opus est, quando hanc notitiam omnium hominum animis ita inscripsit Deus, vt gentes quoq; istud minimè ignorauerint? Ideo enim in publicis & priuatis calamitatibus ad libros Sibyllinos, ad Deorum oracula, ad vates & Sacerdotes suos recurrebant, vt scirent, quo scelere potissimùm Deos suos offendissent, & qua ratione ijdem possent placari. Hoc ipsum ergo nobis certò persuasum sit, quicquid aduersi accidit, id nos peccatis nostris meruisse. Quod adeò verum est, vt ne in sanctissimis quidem negari possit. Et hoc in semetipso Dauid obseruans, non solum propter adulterium & Psalm. 51. indignam Vriæ cædem se supplicio dignum esse fatebatur, verumetiam propter innatam vitiositatem, in qua conceptus & natus erat. Et notæ sunt illæ sanctorum preces: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quoniam in tuo conspectu nulla caro iustificabitur. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis consistet? Neq; opus est, vt manifesta semper sint scelera. Sufficit enim, quòd hæc in carne nostra latent, & frequenter ne illa erumpant, Deus aliqua calamitate illa præuenire & carnis cupiditates coërcere solet. Ista ergo nobis in mentem veniant, quoties aut morbis, aut fame, aut facultatum nostrarum iactura, aut tempestatibus noxijs, aut bellis, aut persecutionibus,

bis, exilio, vel quacunq; alio aduersorum genere mulctamur. Ita enim deprehendemus nobis iniuriam non fieri, quando haec & his grauiora partim peccatis, partim nostra in his corrigendis socordia meremur. Et reuera stulti atq; iniqui sunt, qui quasi ipsos iniquius tractet Deus, quaerunt, vbi hac aut ista meruerint. Quin tuam conceptionem, natales, pueritiam, cogitationes, cupiditates, sermones, studia, & actiones omnes inspice, & Dei longanimitatem potius miraberis, qui talem huc usq; tulit, & nunc non pro meritis punire, sed ad poenitentiam inuitare satagit.

Et hoc illud est, quod tertio loco considerandum esse diximus, in quem finem videlicet Deus nos afflictionibus & aduersis exerceat. Cùm iudicamur (inquit Paulus) à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. Graecum verbum παιδεύειν eiusmodi eruditionem siue institutionem significat, qualem parentes liberis suis adhibere solent, quae plerunq; cum correptione & castigatione coniuncta est. Exprimitur autem hoc loco discrimen, quod est inter afflictiones piorum & impiorum. Peccant enim tam hi quàm illi, & saepe eadem flagitia designant. Sed impij mera malitia & affectuum libidine abripiuntur, neq; aliquo tanguntur poenitentiae sensu. Imò admoniti & correpti recalcitrant, & aduersus ipsum quoq; Deum insurgunt. Quae causa est, quòd illos ferè libidini suae Deus permittit, vt (quod de Amorrhaeis dicitur) iniquitatis mensuram impleant, & tandem dignis poenis, id est, exitio sempiterno mulctentur. Pij verò non deuota malitia, sed ex carnis infirmitate & qua omnibus innata est naturae corruptione peccant, & quia semen filiorum Dei (vt Ioannes inquit) in ipsis manet, admonitionem & correptionem admittunt, quae illos in peccatis perseuerare non finit. Quia tamen interdum securiores sunt, tunc suas virgas Deus exerit, quibus ad peccati agnitionem & poenitentiam illos excitat. Et hoc illud est, quod Petrus dicit, iudicium ferè à domo Dei incipere, & vt ita fiat omnino necesse est. Primùm ne Deus iudex iniquus esse videatur, qui quod in alijs punit, in suis dissimulet, aut etiam probet. Deinde, vt in suis toti mundo exemplum proponat, quod eludere aut contemnere nemo possit, secundùm illud: Si hoc fit in viridi, in arido quid fiet? Et si iustus vix seruatur, impius vbi comparebit? Postremò, vt priusquam impiorum excidium appropinquat, suos erudiat ad poenitentiam, ne cum infelici mundo condemnati aeternis inferorum cruciatibus mulctentur. Quapropter duo ex hoc loco colligi debent, cognitu & obseruatu admodum necessaria.

In quem finem Deus affligat?

Gen. 15.

1. Ioan. 3.

1. Pet. 4.

Primum, afflictiones piorum non esse irati Dei argumentum, qui perdere velit, sed potius paternas virgas & remedia necessaria, quibus carnis & affectuum petulantia coërceatur. Irascitur quidem suis quoq; Deus, sed vt pater filijs, & in ipsa ira misericordiae suae memor est. Nouit enim (vt Dauid inquit) nos terram & puluerem esse. Quia tamen indulgentia nimia perituri eramus, amorem & misericordiam salutari seueritate temperat. Et huc pertinet, quod in epistola ad Hebraeos scribitur: Quem diligit Dominus, castigat: & flagellat omnem filium, quem recipit. Si castigationem sustinetis, vt filijs ita se offert Deus. Quis enim est filius, quem non castiget pater? Quòd si estis absq; castigatione, cuius participes sunt omnes, nempe spurij estis, & non filij. Deinde corporum nostrorum habuimus castigatores patres, ac reueriti sumus: annon multò magis subijciemur Patri spirituum, & viuemus? Nam illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum nostrum, ad hoc vt participes simus sanctimoniae ipsius. Omnis autem castigatio in praesens quidem non videtur esse gaudij, sed tristitiae: at postea fructum tranquillum iustitiae reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati, &c. Haec qui attentius considerant, ij in omni tentatione dulcissimam consolationem sentiunt, quae ipsos succumbere non finit.

Afflictiones impiorum non sunt argumentum Dei irati.

Psal. 103.

Heb. 12.

Alterum est, ne filiorum huius seculi prosperitate offendamur, aut hac illecti illorum sectemur amicitiã & studia. Quia enim vasa irae & ad interitum destinati sunt, vt porci saginantur, eoq; magis ad interitum festinant, quò felicius (vt carni videtur) carnis voluptatibus indulgent. Exempla passim occurrunt ebrium, qui cum suo splendore & fortunis omnibus subitò pereunt, quando hominum beatissimi esse videntur. Idemq; omnes cum Dauide dicere possumus: Vidi impium fortem, & sese diffundentem instar lauri virentis: Et transiuit, & ecce non erat: quaesiui eum, & non est inuentus. Rectè igitur Asaph, cum impiorum gloriam successus & splendorem multis exposuisset, tandem illorum sorte diligentius perspecta infert: Certè velut in lubrico constituisti eos, deijcies illos praecipites, vt planè vastentur. Vt vastati sunt, penè in momento temporis? perierũt,

Nemo impiorum felicitate offendatur.

Psal. 37. & 73.

& terroribus consumpti sunt. Non aliter quàm somnium, quod auolat postquam quis euigilauerit, despicatas reddes Domine in ciuitate imagines illorum, &c. Horum consideratio nos excitet, vt impijs suam illam momentaneam prosperitatem relinquamus, ipsi autem Mosem imitati malimus affligi cum electis Dei, & patienter feramus quæcunq; is imponit, vt nostræ saluti consulat.

Qua ratione afflictiones auerti poßint?

At non obstat hoc, quò minus aduersa auertere aut declinare studeamus, modò id recta cum ratione fiat. Disputatur de eo multis hodie, sed ab omnibus ferè erratur. Alij enim ad externa præsidia confugiunt, & quasi cum Deo certamen suscepturi, eius iudicijs se subducere conantur. Alij propria nituntur industria. Multi suis meritis, aut etiam inani ceremoniarum splendore Deum placare student. Sed vana & inutilia sunt hæc omnia. Itaq; Paulum audiamus, qui sic ait: Si nosipsos dijudicaremus, non iudicaremur, id est, tunc non cogeretur Deus suo iudicio in nos animaduertere, & plagis seuerioribus socordiam nostram punire. Intelligit autem Paulus pœnitentiam, cuius hoc principium est, si in seipsos descendant homines, peccata sua agnoscant, & illa in semetipsis damnent. Hinc enim fit, vt ad Deum conuertantur, qui ad se conuersos facilè in gratiam recipit. Est hæc generalis doctrina, & vnica declinandæ iræ Dei ratio, quam scriptura paßim præscribit. In Lege certè Deus se plagas denuo ablaturum esse pollicetur, si illis emolliti & domiti ad ipsum conuertantur. In Prophetis autem non semel clamat: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et apud Ezechielem, se peccatorum non amplius recordaturum ait, si peccator vias suas emendauerit. In nouo autem Testamento Ioannes Baptista à pœnitentia doctrina prædicandi initium fecit, & hunc secutus Christus Apostolis vt idem faciant præcepit. Estq; doctrina hæc confirmata omnium seculorum exemplis, sed potest hîc nobis sufficere vnicus Iudicum liber, qui Israelitas quoties à Deo recesserunt, in hostium manus traditos esse, eosdem verò semper liberatos esse testatur, quàm primum ad illum redierunt. Erat hoc nobis publicè & priuatim obseruandum hodie, & mox finem videremus calamitatum, quæ totum ferè orbem Christianum affligunt. At quia hîc nimiùm socordes sumus, & pauci sunt qui seipsos dijudicent, non mirum est, si idem nobis, quod Corinthijs accidat.

Zach. 1.
Ezech. 18

Conclusio tractationis de Cœna.

Sed ad Paulum redeamus, qui & ipse ad hypothesim redit, & huic admonitionem hanc amicè admodum accommodat: Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad vescendum, alius alium expectate, &c. Quasi diceret: Cùm Deus in Ecclesia sua velit omnia cum decoro & ordine fieri, & CHRISTVS IESVS Cœnam suam, vt toti Ecclesiæ communis, non paucorum priuatum epulum sit, instituerit, huius instituto vos accommodate, vt quæ iam vobis imminent mala poßitis auertere. Quare quoties conuenitis in cœtum sacrum, vt Eucharisticum hoc epulum celebretis, alij alios expectate, ne conuentus & actio illa vobis in iudicium & condemnationem cedat, dum à Christo institutum ordinem turbatis. Quòd si quis esurit, aut ea est valetudine, vt diutius expectare non poßit, is domi prius edat, ne quid in cœtu sacro Christiana religione indignum facere cogatur. Docet autem hæc repetitio, quàm necesse sit, vt in Ecclesia, & quidem imprimis in Sacramentorum administratione, omnia decenter fiant, neue à Christi ordinatione discedatur. Id enim fieri non potest, quin nos illo sapientiores putemus, & simul cum inobedientia manifesta coniunctum est.

Est autem hîc obseruatu dignum, quòd non rigidè exigit, vt non nisi ieiuni ad Cœnam Domini accedant: sed permittit, vt si neceßitas aut corporis valetudo sic moneat, aliquid cibi prius domi sumatur. Arguit ergo Paulus suo exemplo eorum superstitionem, qui peccatum mortale esse aiunt, si quis ante communionem aliquid edat. Non probandi quidem qui solius ventris & gulæ studio prius comessantur, & vix satis sobrij ad sacrum hoc Christi epulum veniunt. Id enim animos parum religiosos arguit. At si valetudo, aut alia neceßitas sic iubeat, nimis temerarium fuerit id damnare, quod Deus nusquam prohibuit. Hoc potius curent singuli, vt mens ipsis sit sobria quam neq; malarum cupiditatum vertigo hinc inde rapiat, neque superstitio aut incredulitas à veritatis via abducat.

Aduentum sui pollicetur.

Restat huius tractationis conclusio: Reliqua verò, cùm venero, constituam. Aduentus sui meminit, vt studiosius corrigant quæ hucusq; in ipsis reprehenderat. Abutuntur autem hac clausula Papistæ, vt Missam suam tueantur, quam à Paulo apud Corinthios tunc institutam fuisse contendunt. Sed est hoc nimis ridiculum. Cur enim ad primam Cœnæ Dominicæ institutionē eos reuocauisset,

uocauisset, si quid voluisset instituere ab illa prorsus alienum? Deinde si Missam instituerunt Apostoli, qui fit, quòd vetustissimi scriptores, & qui ad illorum tempora proximè accesserunt, nullam eius rei mentionem faciunt? Et si aduersariorum historicos audiamus, illi ipsi Missam non ad vnum authorem referunt, sed centonis instar à multis Pontificibus consutam & nouis subinde additamentis auctam esse scribunt, donec formam, quam nunc habet, obtinuit. Loquitur ergo Paulus de ijs, quæ ad decorũ & ordinem in Ecclesia pertinent, quoad docendi aut prædicandi modum, Sacramentorum administrationem, preces publicas, & quæ alia sunt eius generis. Non potest in his idem ordo & eadem forma seruari, sed pro ratione locorum, temporum, hominum illa constitui debent, prout maximè videbitur ad ædificationem facere. Id verò quia nemo facilè fecerit, nisi coram Ecclesiæ aut populi alicuius conditionem videat, Paulus in suum aduentum istud reijcit. Rursus autem suo exemplo eos arguit, qui Ecclesijs quas nunquam viderunt, pro imperio præscribunt, & ad vnam eandemq; formam omnes reducere conantur. Ita verò libertatem Ecclesiarum euertunt, quam in externis illis seruari vtile & necessarium est, quò minus illorum obseruatio in superstitionem degeneret, & in ijsdem salutis fiduciam collocent homines, quæ in vnius Christi merito nobis reposita esse debet. Nos verò ex his, quæ hucusque de Cœna Domini ab Apostolo dicta sunt, discamus in omni externo cultu ad Dei voluntatem & huius institutionem respicere. Externa autem hæc meminerimus fidei exercitia & promissionum Dei atq; exhibitæ in Christo salutis sigilla esse. Ita ergo illis vtamur, vt nihil cum prophano contemptu aut turbulenta confusione fiat. Salutis verò authorem agnoscamus vnum solumq; IESVM CHRISTVM, qui hanc nobis sanguinis sui pretio acquisiuit, & in se credentes suo spiritu in illius via dirigit, ne vnquam excidant, sed in ipso æternùm seruentur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT XII.

HOMILIA LXII.

Porrò de spiritualibus [donis] fratres, nolim vos in ignorantiâ versari. Scitis quòd Gentes eratis, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini. Quapropter notum vobis facio, quòd nullus per Spiritum Dei loquens dicit IESVM anathema: & nemo potest dicere IESVM dominum, nisi per Spiritum sanctum.

QVARTA huius epistolæ parte Paulus de cœtibus ecclesiasticis & vitijs illis agit, quibus illorum verum vsum Corinthij corruperant: & hactenus quidem de vestitu indecoro primùm, deinde de Cœna Domini nostri IESV CHRISTI disseruit. Nunc verò de donis spiritualibus incipit agere, vt quæ illic concurrebant vitia corrigat. Quæ tractatio per tria capita proximè sequentia extenditur, & (vt Chrysostomus quoq; annotauit) multis obscurior, nonnullis autem superuacanea esse videtur, quia dona ista non in tam frequenti vsu sunt hodie vt olim, multa autem prorsus cessarunt. Olim enim cum Baptismo Spiritum sanctum recipiebant credentes, qui sese signis externis & operibus eximijs declarabat: inter quæ præ alijs vsitata erant donum linguarum & prophetia, quæ non solùm vulgarem Scripturarum cognitionem, verumetiam eas interpretandi & ex illis vaticinandi facultatem continebat. Exempla eius rei Lucas proponit in Cornelio Centurione atque domesticis eius, in Ephesijs item & Samaritanis ciuibus: & eòdem referri debet, quod Paulus Galatis dicit: Hoc solum cupio discere à vobis, Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Arguit enim eorũ stupiditatem, quòd à pseudoapostolis se ad Legis opera reduci paterentur, cùm fidei doctrinam Spiritus sancti missione & huius excellentissimis donis confirmari sensissent, quale nihil vnquam circa Legis doctrinam

Argumentum trium capitum sequentium.

Acto.10. & 19
Galat.3.

fieri viderant. Nam præter ea, quorum modò meminimus, multa alia accedebant, & (vt infra dicetur) alij quidem dabatur sermo sapientiæ, alij sermo cognitionis, alij dona sanationum, alij miraculorum facultas, alij discretio spirituum: adhæc alijs plura simul, alijs pauciora obtingebant. Hîc autem non vno modo peccabatur. Alij enim dona ista ambitiose ostentabant, & propter ea sibi in fratres imperium sumebant, & ita simul Deum, à quo illa acceperant sua gloria fraudabant, Ecclesiam verò eorũdem vsu priuabant. Alij verò insolentia istorum irritati ipsis inuidebant. Multi quoque pusillanimitate sua superati, se à Deo negligi, neq; germanæ Ecclesiæ membra esse arbitrabantur. Itaq; dissidiorũ & scismatum causa erant dona ista, in quibus ipsi simul omnes Dei gratiam agnoscere, & per illa in vnum corpus arctiori vinculo coalescere debuissent. Accedebat aliud quoq; vitium, quòd in illorum delectu peccarent, & vel ostentationis vel commodi alicuius priuati causa affectarent viliora & minus vtilia, neglectis præstantioribus, ex quibus publica Ecclesiæ ædificatio & priuata singulorum salus maxima ex parte dependet. Hîc ergo diligenti institutione opus erat, & ideo Paulus causam istam prolixè tractat. Primò enim authorem istorum donorum nobis ostendit, Deum, qui Spiritus sui virtute ea conferat. Deinde eorundem diuersitatem exponit. Tertiò quæ inter illa alijs præstent, docet. Postremò de vero illorum vsu disserit. Neq; nobis hodie doctrina ista inutilis & superuacanea videri debet. Nam etiamsi miraculosa illa dona, quorum nunc non tantus porrò vsus est, ferè omnino cessauerint, nec etiam absq; nostro labore & industria subitò nobis obtingat rerum agendarum cognitio atq; facultas: sunt tamen adhuc dona, quibus & Ecclesiarum ministros & singulos credentes instructos esse oportet, & quæ nostro labore atq; studio nunquam obtinebimus, nisi his Dominus Spiritus sui virtute benedicat. Et quia hodie non minus ambitione, inuidia, pusillanimitate alijsq; vitijs peccatur, nobis etiam remedio opus est, quo omnibus istis occurratur.

Doctrina de donis Spiritualibus necessaria est.

Orditur autem à breui præfatiuncula, qua doctrinam istam, vt cognitu dignam atque necessariam commendat. Quoad verò (inquit) dona illa spiritualia fratres, nolim vos in ignorantia versari, sed potius vos illorum authorem finem & vsum scire velim, vt quid in illis potissimum spectari debeat, intelligatis. Nec temere hoc dicit Apostolus. Hinc enim omnium rerum abusus originem ducit, quòd pauci Deum omnis boni largitorem agnoscunt, neque in quem finem is omnia nobis largiatur, obseruant. Et quis obsecro tam impudens esset, vt vel frugibus ad ebritatem & intemperantiam, vel corporis forma atque valetudine ad libidinem, vel opibus ad luxum, vel sapientia ad imposturas, vel potentia & authoritate ad communis patriæ oppressionem abuteretur, si ista omnia à Deo dari, & in eum finem dari cogitaret, vt & ipsius gloria in nobis illustretur, & ijsdem Ecclesia ædificetur, & multi alij adiuuentur? At quia hæc paucissimi intelligunt, aut saltem intelligere & obseruare nolunt, fit, vt se non Deo aut alijs hominibus, sed sibi solis natos putent, & proinde donis omnibus pro sua libidine abutantur. Semper ergo hanc cantilenam omnes sibi occinant. Vnde habes ea, quibus ante alios excellis? In quẽ vsum illa data sunt? Cur ergo ea tibi soli vendicas? Cur nulla vel Dei vel hominum ratione habita, ijs pro tuo arbitrio abuteris?

Paulus nõ vult aliquem esse ignorantem.

Est præterea obseruatu dignissimum Pauli exemplum, qui de donis spiritualibus verba facturus, non paucos aliquos sibi deligit, quos solos dignos iudicet, qui illorum rationem omnem atque vsum intelligant: sed totam Ecclesiam instituit, & neminem, qui illius membrum sit, in ignorantia vult versari. Eadem omnium Apostolorum mens fuit atq; sententia, qui quæcunq; ad Regni Dei cognitionem & æternam hominis salutem faciunt publicè omnibus prædicauerunt. Sciebant enim sibi à Christo dictum esse: Docete eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Et quia ijdem nouerant, Christi Spiritu omnes eos donatos esse, quotquot in illum credunt, neminem eorum cognitione indignum iudicarunt, quæ Spiritus ille in electis operatur. Posteris demum temporibus exorti sunt Pontifices & horum assentatores, qui non minus impium quàm odiosum & contumeliosum discrimen illud Laicorum & Spiritualium inuexerunt, & horũ quidem titulo eos solos dignati sunt, qui rasi & vncti in illorum verba iurarunt, reliquum verò Christianorum vulgus tanquam prophanum & Christi Spiritu destitutum illorum libidini subiecerunt. Et quasi hoc parũ esset, locum quoq; peculiarem sibijpsis in templis delegerunt, à quo ferreis cancellis incluso reliquos omnes excluderent.

derunt. Adhac libros sacros ex vulgi manibus excusserunt, indignum rati, vt diuinæ voluntatis mysteria ab alijs legerentur, quàm quos ipsi illorum cognitione dignos iudicauissent. Sunt hæc tyrannica planè, eoq; intolerabiliora, quia non de fortunis & huius seculi vita, sed de æterna hominis totius salute agitur. Ita verò fieri oportebat ab ijs, quorum regnum maximè in populi ignorantia consistit. Quis enim illorum tyrannidem patienter ferat, qui Christianæ libertatis cognitionem vel mediocrem habeat? Quapropter vt primùm aliquos ad Scripturæ sacræ lectionem attentiores esse, aut de salutis ratione diligentius inquirere sentiunt, mox verba ista audias: Hæc spiritualia planè sunt, & proinde eorum tractatio ad solos spirituales pertinet, &c. At cur non cum Paulo dicũt: Quoad dona spiritualia, nolumus vos in ignorantia versari?

Sed ad rem ipsam Apostolus accedit, & ab authore siue efficiente causa donorũm omnium exorsus, hunc ostendit esse vnum Deum, qui illa nobis ex gratuita misericordia largiatur. Ex eo autem concludere vult, illis nos piè & religiose vti debere. Itaq; summa argumenti eius est: Quæcunque hominibus ex Dei gratia obtingunt, ijs nemo ad ostentationem siue priuatam gloriam cum aliorum contemptu debet abuti: Atqui spiritualia illa dona, vtpote cognitio linguarũ, prophetia, spirituum discretio & quæcunq; sunt alia huius generis, nobis ex gratuita Dei liberalitate dantur. Ergo non ambitiosius ostentari, nec quisquam, qui illis minus instructus est, ideo insolentius contemni debet. Simul autem authoris omnium donorum cognitio alteris quoq; illis seruiebat, qui ijs inuidebant, quos pluribus & excellentioribus donis cernebant esse instructos. Nemini enim ea, quæ ipsi à Deo donata sunt, inuidere possumus, nisi simul Deum iniquitatis & insipientiæ accusare libeat, qui sua dona iniustè aut imprudenter dispenset. Cæterùm dona illa omnia à Deo dari, duobus argumentis Apostolus demonstrat.

Author donorum omnium Deus.

Primùm ex pristina eorum conditione petit, dicens: Scitis quòd Gentes eratis, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini. Gentes dicit fuisse, vt vna voce comprehendat veri Dei ignorantiam, superstitiosos cultus, & quòd tanquam abdicati à Deo nullam æternæ salutis societatem cum filijs eius habuerant. Ita enim gentes alibi describit, vt quando Ephesijs dicit: Mementote vos aliquando Gentes in carne, qui dicebamini Præputium ab ea quæ vocatur Circumcisio in carne, & quæ manibus fit: Vos (inquã) illo tempore fuisse absq; Christo, abalienatos à repub. Israelis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo. Et rursum eosdem ad vitam professione Christiana dignam exhortans, ait: Obtestor vos per Dominum, ne amplius versemini sicuti reliquæ Gentes versantur in vanitate mentis suæ, cogitationem habentes obscuratam, & abalienati à vita Dei, propter ignorantiam, quæ est in ipsis ex obduratione cordis ipsorum: Qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos dediderunt proteruiæ ad patrandam impuritatem omnem certatim, &c. Et hæc omnia in præsenti vno quasi verbo comprehendens dicit, eos ad idola muta abreptos fuisse temere, prout rapi contigisset, id est, absq; omni consideratione rectè ne an perperam ducerentur. Istorum autem eos admonet, non vt ignominiosè illis insultet pristinã conditionem exprobrando: sed vt Dei gratiam illis cõmendet, & efficacius exhortetur, vt in donis illis spiritualibus officium suum fideliter faciant. Ex his enim argumentum præsenti instituto cõmodissimè seruiens colligi potest ad hunc modum: Quicunq; ad idola muta absq; ratione abripiuntur, ij ex semetipsis non percipiunt ea, quæ sunt Spiritus Dei, neq; propria industria aut virtute donã illa spiritualia possunt assequi: Atqui vos ad idola muta abripiebamini temere, nec quicquã ea in re pensi habebatis: Ergo nihil donorum spiritualium ex vobisipsis habetis, sed quicquid horum apud vos extat, id ex Dei dono & liberalitate accepistis.

Probat à pristina conditione.

Ephes. 2. & 4.

Quòd verò eos ad muta idola abreptos fuisse dicit, id non vno modo factũ fuisse patebit, si gentium mores & studia diligentius consideremus. Primò enim huc oracula pertinent, secundùm quæ Reges quoq; potentissimi & qui respub. clarissimas administrabant, omnia sua dirigere soliti fuerunt. Reddebantur ea apud simulachra ferè ea, quæ vel vetustate, vel opere & artificio, vel loci celebritate, aut etiam miraculis cõmendabantur: & mirificè in his cum hominibus superstitiosis Satan lusit. Nam vt modò diximus, ijs etiam, qui authoritate & potentia præstabant, author fuit, vt simulachra muta consulerent. Id verò non absurdum modò, verumetiam à communi sensu alienum erat. Qui enim muti sunt, ij plerunq; surdi etiam esse consueuerunt. Simulachra autem cùm ex

Gentes ad idola muta raptæ fuerunt.

inanimata materia constarent, non modò muta & surda erant, sed simul omni alio quoq; sensu atq; motu destituebantur, vt non temere de illis diuinus ille Psaltes dicat: Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & nō vident. Aures habent, & non audiunt: habent nasum, nec odorantur. Manus habent, nec palpant: pedes habent, nec ambulant, neq; sonum edunt suo gutture. Quid verò stultius est, quid absurdius & risu dignius, quàm eum de re aliqua magni momenti interrogare, qui neque audit quod dicitur, neq; ad quæstionem propositam potest respondere? Cùm autem id fecerint qui consilio, prudentia & rerum vsu præ alijs excellebant, quis obsecro negauerit eos diabolica virtute aut tyrannide temere abreptos fuisse? Quod eò manifestius apparet, quòd sæpe non contenti vno oraculo, plura quæsiuerūt, nec viderunt se fidem derogare ijs, quos primò sciscitati fuerant. Est eius rei memorabile exemplū in Lacedæmoniorum historia. Cùm enim Agesilaus bellum contra Persas animo concepisset, vt Græcos, qui Asiam incolebant, in libertatē assereret, primò Iouis Dodonæi oraculum consuluit: qui vt rem istam pro sui animi sententia gereret iussit. Id verò responsum non sufficere putarunt Ephori, quorū consilio ipsi etiam reges regebantur. Itaq; vt Delphicū quoq; oraculum quæreret iusserunt, & ita Agesilaum à patre Ioue ad filium Apollinem remiserunt, imò dubiā vocarunt eius fidē atq; authoritatē, quem gentes omnes publicè patrem hominumq; Deumq; esse profitebantur. Quid hîc stultius, quid à religione & pietate magis alienum fieri poterat? Ipse certè Agesilaus, quo erat ingenij acumine præditus, tam Ephororum superstitiosam stultitiam, quàm oraculorum simul omnium fidem ludibrio habuit, quando ad Delphos profectus, quæstionē ita proposuit: Apollo, idem ne tibi videtur quod patri? Et huius generis exempla plura adduci poterant, quæ vel cæcam illorum hominum stupiditatem, vel etiam voluntariam insaniam arguunt: vtriusq; autem illis author fuit diabolus, vt vel scientes vel nescientes in pericula ruerent, & imposturis atque fraudibus delectarentur.

Psalm. 115. & 135.

Quòd si verò ad eos transeas, quorum opera & ministerio diabolus in reddendis oraculis vsus est, manifestior erit infelix illa tyrannis, qua in homines miseros desæuijt. In Delphico enim oraculo Pythia mulier diuaricatis cruribus tripodi imposita Spiritu diabolico (quem infelices illi Deum suum Apollinem esse putabant) implebatur, & huius impatiens totaq; mente alienata eum excutere cupiebat, modò caput horrendo gestu & ore spumanti concutiens, modò voce fremens, tandemq; victa versus fundebat obscuros & ambiguos, quos ne ipsa quidē intelligebat, & ex quibus sensus certus vix vnquam poterat elici. In alijs etsi diuersæ essent concipiendi spiritus vaticinantis forma, furor tamen idem fuit, qui ita omnes exagitauit, vt eorum quæ dixerant nunquam recordarentur. Fuit ergo raptus iste verè violentus, & non alij quàm diabolico spiritui tribui debet, cùm constet, Deum suos vates non crudeliter tractare, nec furoribus horrendis exagitare, sed Spiritus sancti luce dirigere, quæ rationis vsum illis nequaquam adimit, & tam illos ipsos quàm alios ipsorum opera eorum cognitione instruit, quæ ipsos scire refert.

Ritus, quo oracula reddebantur.

At quid de vatibus dicere opus est, quando in ipso cultu Deorum non obscura argumenta inueniuntur, quibus diaboli tyrannis agnosci potest, qua miseri illi exagitati & oppressi fuerunt? Constat enim sacra quædam & dies festos non ab alijs celebratos fuisse, quàm ab ijs, qui aut veris furoribus tunc temporis corripiebantur, aut saltem se furere ac insanire simulabant: qualia lupercalia fuerunt, in quibus iuuenes caprinis pellibus velati & faciem sanguine inuncti discurrebant, obuios quosq;, & imprimis fœminas tam steriles quàm grauidas loris cædentes, vt hæ quidem facilius partu leuarentur, illæ verò fœcundæ fierent: Bacchanalia item, in quibus mulieres thyrsis armatæ & pellibus vestitæ non per vrbis modò, pudore omni abiecto, verumetiam per campos & syluas discurrebant, furiosis clamoribus Batchum cientes, ideoq; Græcis Mænades, quasi furentes, dictæ sunt. Multa quoque horum similia in alijs etiam sacris acciderunt, quorum maxima pars semper petulantibus ludis ac impudicis saltationibus peracta fuit, vt iam de conuiuijs luxuriosis & plus quàm barbara humanarum victimarum crudelitate nihil dicamus, cùm alij hospites temere oblatos, alij seruos, alij homines maleficos, multi proprios liberos in Deorum honorem immolarent. Et vt nihil horum factum fuisset vnquam, simplex tamen ille idolorum cultus, non obscurum argumentum fuit, homines illos neq; sanæ mentis & rationis motu, neq; Dei spiritu ductos, sed spiritu malo & humani generis inimico raptos fuisse: quando incorpoream & incorruptibilem

Cultus idololatrici apud gentes.

bilem æterni numinis naturam materia corruptibili & humana arte, eiusdem verò mores & facultates forma hominis caduci, aut etiam bruti animalis, exprimere conati sunt. Et quis obsecro sana mente eum vti dixerit, qui manuum suarum opus colit & adorat? qui lapidi aut ligno loquitur? qui ab eo opem petit, in quo ne motus quidem ille est, quem in culice aut vermiculo omnium minutissimo esse videmus? Non temere certè à Propheta dictum est, Simulachrorum similes fieri eos, qui illa colunt.

Porrò non debet hoc loco negligi, quòd cùm Paulus crassissimos gentium errores & turpissima quæque scelera producere posset, quibus probaret eos nihil boni habere, quod non ex gratuita Dei misericordia seu liberalitate accepissent, eorum tamen solummodo meminit, quæ circa idolorum cultum acciderunt. Est enim idololatria omnium scelerum grauissimum, & multorum aliorum fœcundissima mater. Primùm enim hominem totum à Deo abducit, & ideo fornicatio spiritualis dicitur. Deinde cultum omnem euertit, qui (vt olim Lactantius monuit) nullus esse potest, vbicunque simulachra sunt. Quia enim hæc cum mendacio coniuncta sunt (sicuti ex nomine eorum apparet) ille autem ipsissima & æterna Veritas est, fieri nequit, vt hic illis colatur. Adde his, quòd cultus ille omnis (vt Cap. decimo prolixè demonstrauimus) dæmonijs impenditur, quæ hac ratione sese insinuare solent, vt quod iam inde ab origine rerum ambiuerunt, ita impetrent. Præterea animum hominis ab idolis transuersum abripi, vel etiam totum auferri, Hoseas testatur, & res ipsa abunde docet, quando (vt modò diximus) ea fiunt, quæ non à ratione solùm, verumetiam à communi sensu & pudore aliena sunt. Denique, quia tales Dei gloriam atque maiestatem commutant cum forma hominis mortalis & peccatoris, imò cum formis brutorum animalium, dignissimi certè sunt, qui in sensum reprobum traditi seipsos sceleribus atrocissimis turpissimisque polluant, sicuti Apostolus ad Romanos testatur. Ista autem ita considerari debent ô fratres, vt non solum quæ olim fuit, infelicem gentium conditionem & immensam Dei gratiam, qui tales ex erroribus & interitu eripere, & donis sui Spiritus ornare dignatus est, agnoscamus: verumetiam intelligamus hæc omnia non minus ad nos pertinere, qui & ex gentibus oriundi sumus, & postremis hisce temporibus in similes tenebras demersi, Dei similem clementiam experti sumus, qui nos quoque in lucem & libertatem asseruit, & Filij sui cognitione illuminauit, in quo salutem veram Regnique sui hæreditatem possidebimus. Quæ consideratio nos excitare debet, vt dignitate nostra minimè superbiamus, sed donis acceptis vtamur ad Dei gloriam & multorum ædificationem: fugiamus autem veteres illas idololatriæ & superstitionum sordes, in quibus pereundum nobis erat, nisi inde illius gratuito beneficio essemus extracti.

Idololatria scelerum omnium grauissimum.

Sed transeamus ad alterum argumentum, quo Paulus probat dona spiritualia à solo Deo nobis dari. Infert hoc ex priori, dicens: Quapropter notum vobis facio, quòd nullus per Spiritum Dei loquens, &c. Sensus est: Quoniam hæc fuit vestra conditio, eademque omnium est, qui Christi Spiritu adhuc destituuntur, hoc vobis persuasissimum esse volo, quòd vt nemo, qui per Dei Spiritum loquitur, IESVM anathema dicit: ita vicissim nemo eundem potest dominum dicere, nisi per Spiritum sanctum illuminetur, qui eius linguam excitet & regat. Anathema sumitur pro eo, qui execratione & exitio dignus est. Itaque IESVM anathema dicere idem est, quod blasphemiam aut conuitium contra illum proferre, aut eius merito vel gloriæ quocunque modo detrahere. At eundem dominum dicere est, non modò honorificè de eo loqui, sed ex animo agnoscere, quòd Dominus, id est, vindex & redemptor noster sit, cui nos fidem, amorem, reuerentiam & obedientiam debeamus, secundùm illud: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri nō dabo. Isa. 42. Intempestiuè ergo hoc loco aliqui quæstionem de impijs aut hypocritis mouent, num hi quoque Spiritu sancto ducantur, quando Christum dominum dicunt? & cur eos ille pro suis non agnoscat, sicuti apud Matth. 7. Cap. habetur? Hîc enim de verè pijs sermo est, qui quod ore profitentur, ex animo credunt, & argumentum formatur à comparatis, quòd cùm Christum ne profiteri quidem possimus absque Spiritus sancti virtute, multò minus nos ex nobisipsis habere dona illa, quibus ille cultores suos exornat. Quoad hypocritas, non negamus, hoc etiam Spiritus sancti opus esse, qui linguas eorum propter alios moderatur & regit, vt Christo testimonium ferant, etiamsi ipsi à fide alieni sint. Nec enim plena virtute apud omnes agit Spiritus ille, & aliud est donum

Christi cognitio non obtingit absque Spiritus virtute.

cognitionis illius vulgaris, quæ non semper cum fide coniuncta est, aliud verò donum regenerationis, quæ totum hominem Christo vendicat. Illud olim Iudas habuit, & non nisi ex Spiritus virtute Christi Euangelium prædicauit, sicuti & illi, de quibus ad Philippenses scribit Paulus, quòd per æmulationem & contentionem Christum prædicent. Et commendatur in eo Spiritus sancti virtus, qui impiorum quoq; & hypocritarum linguis ad illustrandam Dei gloriam potest vtiliter abuti. Quid ni enim hoc faceret, qui diabolo quoq; veri confessionem extorquere potest, & ex ore infantium atq; lactentium laudes Dei eliceret?

Naturæ humanæ vitiositas.

Docet autem nos locus iste, quanta sit nostra imbecillitas & naturæ nostræ deprauatio, quando ne ore quidem Christum profiteri possumus, nisi Spiritus sanctus nos excitet, & linguam nostram moderetur. Probatur id exemplis sanctissimorum hominum. Querebatur Moses, se linguæ esse impeditioris, nec posse loqui. Sed eidem respondet Dominus: Quis dedit homini os? & quis facit mutum ac surdum? videntem & cæcum? nonne ego Dominus? Vade ergo, & ego adero ori tuo, doceboq; te quæ loquaris. Quicquid ergo Moses rectè fecit & locutus est, hoc Dei opus fuit, qui Spiritu suo eius mentem atq; linguam direxit. Idem de Ieremia, Isaia & reliquis Prophetis, ipsis denique Apostolis scriptum legimus: ideoque Dauid olim orabat: Aperi Domine labia mea, vt os meum laudem tuam annuntiet. Et Paulus communibus Ecclesiæ precibus se adiuuari voluit, vt sibi daretur apertio oris, id est, facultas libere & commodè dicendi ea, quæ dici oportebat. Etenim quid ex nobisipsis faceremus in vera fidei prædicatione aut confessione, qui nisi diuinitus illuminemur, neque Deum Patrem, neque Filium eius IESVM CHRISTVM nouimus? Huius enim verba sunt: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Item: Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Nisi ergo Dei Spiritus sese animis nostris insinuet, & linguas nostras regat, quod de illo loquamur non habebimus. Admonent nos ista, ne meritum statuamus in operibus nostris, & ne in ijs quidem, quæ ex fide promanant, aut ipsa etiam fidei confessione. Quia enim fides ipsa donum Dei est, ab eodem accipiamus oportet, quicquid ex fide rectè aut bene facimus. Quid ergo gloriamur operibus nostris, quasi ex propria virtute aut industria fiant? Docet præterea locus iste, ne aliorum quidem donis tantum tribui debere, vt illis seruiliter adhæreamus, aut propter illos in sectas scindamur: quod apud Corinthios factum fuisse, initio Epistolæ huius vidimus. Quin potius in omnibus illis Dei bonitatem atque gratiam prædicemus, cui vni omnis gloria debetur.

Exod. 4. Ierem. 1. Isa. 6. Matth. 10 Psalm. 51. Ephes. 6. Ioan. 6. Luc. 10.

Regula tã nos ipsos quàm alios probandi.

Proponitur item nobis hoc loco regula, ad quam nos ipsos probemus & alios, num Spiritu sancto ducamur. Est hæc non vtilis modò, verumetiam necessaria, siue nos ipsos siue alios spectemus. Nam quoad nos, nisi Spiritum Christi habeamus, non sumus eius membra siue fratres. Imò quia idem ille adoptionis Spiritus est, neq; Dei filij erimus, nisi per illum excitati clamemus: Abba pater. Expendant ista non hypocritæ modò, qui Christi nomine nequicquam gloriantur, verumetiam qui conscientiæ angustia oppressi de electione sua dubitant, & Dei arcana curiosius scrutantur. Nam vt id facias minimè opus est: In teipsum descendito, & quid de Christo sentias vide. Hic enim est liber ille ciuitatis Dei, in quo ciuium Regni cœlestis nomina adscripta sunt: quia in illo electi sumus (vt alibi Paulus ait) priusquam mundus hic conderetur. Itaq; si illum dominum tuum agnoscas atq; fatearis, ampliori cura minimè opus erit, cùm illud Spiritus sancti in te agentis opus sit. Id ergo tibi sufficiat, teq; consoletur, etiamsi quoad reliqua dona, te multis alijs inferiorem esse sentias. Nam quantulacunq; sit fides nostra, ad Christum amplectendum sufficiens erit, qui nostras infirmitates sarciet, peccata nostra conteget, & nos ex manibus suis eripi nunquam patietur. Quòd si quibus donis alijs opus erit aliquãdo propter aliorum salutem, quos per nos Deus sibi vult lucrifacere, illa quoq; adijcientur. Interim nostra sorte contenti, nostro nos pede metiamur, nec plus affectemus quàm Dominus dederit.

Rom. 8. Ephes. 1.

Vt doctrinæ probari debeant? 1. Thess. 5. 1. Ioan. 4.

Deinde regula ista propter doctores opus est, ne qui nos fallant. Nam alibi quidem monet Apostolus, ne extinguamus spiritum, néue prophetiam contemnamus, idem verò omnia probare iubet, & quod bonum fuerit tenere. Et Ioannis præceptum est: Dilecti, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint. Et mox regulam huius probationis istam tradit: Omnis spiritus, qui

tus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: At quicunque spiritus non confitetur IESVM CHRISTVM in carne venisse, is ex Deo non est, &c. Conueniunt ista planè cum eo, quod in præsenti Paulus dicit. Nam incarnationis mysterio Ioannes omnia complectitur, quæ in carne assumpta Christus fecit & passus est, quorum omnium hic finis & scopus ipsi fuit, vt noster dominus fieret, id est, vt nos ex peccato & morte redemptos suum peculium, imò sponsam suam Regnique sui cohæredes faceret. Si qui ergo huius Spiritu aguntur, ij omnem doctrinam ad eum scopum dirigent, vt ille solus emineat, & ab omnibus agnoscatur Dominus, Rex & Sacerdos, in quo vno salus mundo parta sit. Quotquot autem huius gloriam atque meritum nostrorum operum meritis obscurant, ab illo abducunt, & alias salutis consequendæ rationes comminiscuntur, ij mendacij spiritu aguntur, impostores & Antichristi sunt, quos nemo audire debet, nisi qui sciens perire velit. Discant etiam ex hoc loco omnes homines de vita & moribus tam suis quàm aliorum iudicare. Nam qui his Christum referunt, & huic Domino suo obsequium omne fideliter præstant, eos illius Spiritu regi certissimum est. Si qui verò eius Verbum fastidiunt, nomen eius proscindunt, vel eo ad execrationes & deierationes abutuntur, fidei denique Christianæ professionem scelerum licentia prophanant, ij Spiritu Dei destituantur oportet: imò hi Spiritus impuri & diabolici organa sunt, quorũ neq; exemplo neq; successibus quisquam offendi debet. Porrò qui præcipuus & verus huius loci scopus est, quicunque se Christi cognitione illuminatos esse sentiunt, & hunc profitentur, ij sibi istud ex Dei gratia obtigisse cogitent. Huic ergo grati sint; & in fide constantes donis illius vtantur ad eius gloriam atque aliorum ædificationem. orent autem indesinenter pro fidei augmento, vt per omnia aduersa eluctari, & tandem ad portum æternæ felicitatis appellere possint, quam nobis ille sui sanguinis pretio acquisiuit, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Vt de vita & moribus iudicari debeat.

HOMILIA LXIII.

Discrimina autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & discrimina ministeriorũ sunt; sed idem Dominus: & discrimina facultatum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Vnicuique verò datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. Nam huic quiden per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij verò sermo cognitionis per eundem Spiritum: alij verò fides per eundem Spiritum: alij verò dona sanationum per eundem Spiritum: alij verò facultates potentiarum: alij verò Prophetia: alij verò discretiones spirituum; alij verò genera linguarum: alij verò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim vnicuique sicut vult.

QVemadmodum Deus bona sua, imò seipsum quoque totũ, nobis gratuita liberalitate offert atque communicat: ita vt nos illis rectè & piè vtamur præcipit, neque vlla re perinde vt ingratitudine & donorum suorum abusu offenditur. Exempla, quæ hoc probent, in omnibus historijs occurrunt, & quotidie multa fiunt, quæ docent, eos plerunque & sibiipsis & alijs nocere, qui in illis suam potius libidinem quàm Dei voluntatem sequuntur. Cæterùm hîc quàm maximè elucet nostræ naturæ prauitas, quæ neq; beneficiorum Dei consideratione, neq; aliorum exemplis corrigi potest, quò minus hîc multiuariam peccetur. Alij enim dona eius prorsus contemnunt, & imprimis quidem ea, quæ ad animũ excolendum faciunt. Alij tanquam proprijs superbiunt, & non contenti Deum sua laude spoliauisse, simul illis ad proximi contemptũ atque depreßionem abutuntur. Rursus alij horum insolentia irritati aduersus Deum murmurant. Fit ergo, vt quæ concordiæ & pacis vinculũ esse debebant, dissensionis & dißipationis Ecclesiæ causa sint. Quod apud Corinthios factum fuisse, nuper audiuimmus. Ideo Paulus hanc causam multis ac diligenter agit. Et initiò

statim docuit, omnis boni authorem in nobis esse Deum, nos autem nisi eius Spiritu innouemur atque regamur, ne linguam quidem in Christi laudes aut nominis sui confeßionem posse soluere. Poterat hoc vnum modestiam & gratitudinem ijs suadere, qui serio gloriæ Dei studio tanguntur. Sed quia multos diuersitas donorum & quæ in eorum distributione cernitur inæqualitas offendit, nunc de hac etiam disserit, vt demonstret, hanc non obstare, quo minus illa concordiæ & publicæ omnium ædificationi seruire debeant.

Dona Spiritus diuersa sunt.

Primò fatetur dona ista diuersa esse, & diuersitatem istam in genere exponit, dicens: Discrimina autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & discrimina ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & discrimina facultatum sunt, sed idem est Deus, qui efficit omnia in omnibus. Discrimina esse ait, partim quòd ipsa dona non sunt eadem, neque eiusdem generis: partim quòd non vni omnia, neque eadem omnibus dantur. Habent autem verba hæc non omnino obscuram præoccupationis speciem, qua illis respondet, qui de inæqualitate querebantur, & ita dicere videtur Apostolus: Scio ipse & fateor etiam quod obijcitis. Sed si discrimina donorum videtis, cur non simul illa omnia ex vno eodemque Spiritu manare animaduertitis? Si ministeria diuersa esse cernitis, cur non omnibus illis vni & eidem Domino seruiri obseruatis? Si denique facultatum discrimina vobis indigna videntur, cur non Dei virtutem agnoscitis, quæ sola in omnibus illis omnia efficit? Sed præstat singula, quæ hîc dicuntur, inspicere.

Author donorum omnium Deus.

Vbi rursus primo loco author istorum omnium occurrit, in quo diuersis vocabulis siue nominibus vtitur. Nam primò Spiritum, deinde Dominum, postremò Deum nominat omnia in omnibus efficientem. Ex his mysterium Trinitatis quidam ex Patribus non malè collegerunt. Nam Deum vnum esse constat, & nunquam non verißimum erit quod Moses dicit: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. (Deut. 6.) *Et idem Paulus apertè hîc fatetur, quando Deum esse ait, qui omnia in omnibus agat. Verumtamen idem hîc personas euidentißimè distinguit, dum Spiritum nominat, deinde Dominum, tertiò Deum, Patrem nimirum intelligens: non quidem eo sensu, quòd Spiritum & filium neget Deum esse, sed potius, vt omnia ad Deum illum vnum referre doceat, cuius vnitas in personis trinis consistit, inter quas nulla alijs vel minor est, vel dignitate inferior. Nam etsi inter illas distinguat, eandem tamen dignitatem & potentiam omnibus tribuit.*

Discrimen veræ & falsæ religionis.

Est ergo hîc nobis obseruandum discrimen inter religionem veram & falsam. Hæc in diuersitate illa donorum tam spiritualium quàm corporalium, & eorundem diuersis effectis, non potest Deum vnum agnoscere, sed multis Dijs opus esse arbitratur, & ideo non multos modò, verumetiam ferè inter se dißidentes fingit. Sic olim gentes totam hanc mundi machinam, vt patrimonium quoddam, inter Saturni filios distribuerunt, Iouem quidem cœli & orbium cœlestium, Plutonem terræ, Neptunum maris dominum constituentes, & istorum sorori, Iunoni, aërem addixerunt, eò quid hic omnibus illis simul inseruiat. Et rursus ne isti singuli in suis illis prouincijs nimium occuparentur, plures alios eis addiderunt, quorum alius igni, alius morbis, alij frugibus, alij rebus bellicis præessent: adeò vt nihil in rerum natura fuerit, quod non ab aliquo proprio Deo conseruari & regi fingerent. Quis enim omnes Deos Maiores, Minores, Medioxumos, Panes, Naiades, Dryades, Hamadryades, omnia denique fluuiorum, fontium, lucorum, vrbium numina enumeret? Nec tamen hoc satis fuit hominibus superstitiosis, nisi Deos quoque inter se ambitiosè dißidentes atque pugnantes fingerent. Poetæ equidem Iunonem, Venerem & Palladem sub iudice Paride de forma contendentes describunt. Homerus Deos è cœlis in castra & ad arma vocat, & hos quidem pro Troianis, illos verò pro Græcis dimicantes inducit. Vergilius Neptunum Æolo iratum fingit, quòd ipso inscio maria ventis turbauisset: & idem Iunoni perpetuam cum Venere litem tribuit, dum hæc Aeneam seruare & imperio donare, illa verò eundem perdere studet. Ridicula hæc sunt, obseruatu tamen digna, vt videamus nihil à religione tam alienum esse, quàm Deorum multitudinem statuere: quia vt primùm hæc admittitur, confusio illa & ambitiosæ concertationes non possunt euitari. Quapropter non aliud certius falsæ religionis argumentum est, quàm si mundi huius gubernatio non ad vnum Deum refertur, sed in plures distribuitur. Quòd cum in Papatu quoque fiat, vnum hoc nos abunde docet, quid de illo iudicare debeamus.

Etenim vera religio vnum Deum in adorando & sacrosancto Trinitatis mysterio agnoscit, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, qui vt omnium creator est, sic omnia gubernat & seruat, omnia denique agit in omnibus, cùm in ipso viuamus, moueamur & simus. Et qua is natura atque essentia vnus est: sic vna quoque sibique perpetuò constans illius voluntas est, quam per Verbum suum in Scripturis manifestauit, vna quoque & perpetua est cultus diuini totiusque gubernationis Ecclesiasticæ ratio siue forma, quam idem ille nobis præscripsit.

Quoad ergo præsentis loci argumentum, ista consideratio plurimum facit ad seruandam Ecclesiæ concordiam. Quia enim vnus Deus omnium donorum author est, vnus omnium in Ecclesia ministeriorum siue functionum dominus, vna omnium facultatum siue effectorum causa efficiens, quis non intelligat, omnium facultates atque studia ad vnum eundemque scopum dirigi aut collimari debere? Quamobrem ex diuersitate illa donorum non dissensionis materia peti debet, sed potius consensus studium accendi, vt singuli quod habent ad publicam communis Ecclesiæ salutem conferant. Exempla, quibus istud docemur, in natura rerum & ijs etiam, quæ humana industria fiunt, plurima habentur. Nam si tellurem inspicias, quàm multa plantarum genera in eodem horto reperies, quæ cùm colore, odore, forma, altitudine multum inter se differant, adeò tamen nullam confusionem pariunt, vt potius hortum totum varietate ista mirifica, quasi veste vna exornent, & amæniorem reddant. Similiter quanta est inter voces Musicas differentia, quàm multiplex in instrumentis Musicis chordarum diuersitas, quam varium in tubis atque tibijs sonorum discrimen? At si ista omnia rectè gubernentur, admirabili symphonia siue concentu aures demulcent, & licet vox alia altius assurgat, alia submissius feratur, hæc tardiori quasi passu cunctetur, illa volubili quadam celeritate varietur, vnum tamen concentum eumque suauissimum efficiunt. Quæ ergo insania est, ex vnius Dei donis diuersis dissensionum materiam petere, aut Deum, qui vnitatis atque concordiæ verus author est, talem fingere, qui diuersitate ista Ecclesiam scindere aut inter homines contentionum semina spargere cupiat? Discant ergo singuli, non solum quid ipsis datum sit videre, verumetiam aliorum dona obseruent, & omnium istorum datorem vnum esse cogitent: & mox sentient, omnium idem studium, studiorum omnium eundem scopum esse debere. Est hoc ad deprimendas superbiæ cristas efficacissimum argumentum. Cur enim aduersus alios insolentius efferatur, qui & se nihil ex seipso habere sentit, & alios quoque homines Deo non minus cordi esse videt? Eadem consideratio simul in officio nos continet, ne cui inuideamus, quæ ipsi à Deo data sunt, neque impatientius feramus nostram tenuitatem. Nam licet non eadem mensura omnibus dona sua Deus distribuat, neminem tamen idem ille præterit, quin vnicuique det, quod ad salutem consequendam & ad obeundam functionem, quam sustinet, potest sufficere. Placent sibijpsis mirificè qui à magnis Regibus munera honoraria accipiunt, & eam sibi gloriam præcipuam esse putant, quòd ab his digni iudicentur, qui ipsorũ liberalitate ornari mereantur. Quantò autem excellentior gloria est, hominem miserum & mortalem diuinis atque spiritualibus donis à Deo donari, qui vt iustus, sic etiam sapientissimus est, vt iudicio suo falli non possit? Certè qui hoc vnum non oscitanter expendunt, ij mox videbunt, se adeò nullam habere de sua tenuitate quiritandi occasionem, vt potius gratijs dignè agendis non possint sufficere: neque iam alijs plura illa & excellentiora dona inuidebunt, sed potius illud Christi in mentem reuocabunt: Omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur. Itaque toti in eo erunt, vt suo dono quantulocunque bene vtantur: quæ vnica & facillima est ratio, qua Dei dona in nobis augeri solent.

Diuersitas donorum concordiæ seruit.

Sed videamus etiam, quod alterum huius loci caput est, quibus nominibus dona illa Apostolus describat, de quibus hîc agitur. Primùm χαρίσματα dicit, vt gratuita Dei misericordia siue liberalitate ea nobis conferri ostendat. Eo autem nomine sapientiam, scientiam, prophetiam, linguarum cognitionem & alia comprehendit, quæ postea ex ordine enumerabuntur. Commendatur autem hoc loco Dei bonitas atque fides planè paterna, qui Ecclesiam suam ab initio statim donis necessarijs atque mirificis instruere voluit, vt scandalo mederetur, quod ex illius contemptibili specie aut leuibus principijs nascebatur. Faciunt huc quæ de Apostolis &

Dona spiritus χαρίσματα dicuntur.

primitiua Ecclesia in Actorum libro scribuntur. Etenim res ridicula & absurda videri poterat, IESVM hunc Dei Filium & humani generis redemptorem dicere, quem ante dies quinquaginta omnes in cruce mori viderant, & cuius resurrectio nullis idoneis testibus (si mundi iudicio causam examines) probabatur, negabatur autem à militibus, quibus contradicere non erat tutum. Huic igitur scandalo remedium adhibuit Deus, linguarum donum, solidam item Scripturæ veteris cognitionem, atque miracula: quæ ipsos etiam sacerdotes & Seniores perplexos fecerunt, quando ista in illis cernebant, quos ab ineunte ætate homines idiotas & illiteratos fuisse constabat. Similiter odio & excidio digna videri poterat tota illa credentium multitudo, qui primi Christo nomen dederant, & procul dubio armis præsidum subitò oppressa fuisset (quod illo tempore multis accidisse scimus, qui impostores & pseudoprophetas secuti in locis desertis confluebant) nisi illos authoritate singulari Deus armauisset, adeò vt in ipso templo possent tutò versari, & ita formidabiles essent, vt nemo aliorum se illis coniungere auderet. Quàm multa autem fuerunt, quæ Ecclesiæ exitium minabantur, & quæ effugere nunquam potuissent, nisi aliquos prophetico Spiritu donasset Deus, qui Ecclesiam de insidijs hostium, de periculis, de fame futura admonebant: qualem Agabum fuisse legimus & alios, qui Antiochiæ eodem dono excelluerunt. Et huius generis exempla in historijs Ecclesiasticis passim habentur, nec desunt nostro sæculo, quæ Ecclesiam Deo non minus curæ esse docent, quando inter medios hostes tutò degit, aut insidias sibi structas admirabili industria eludit, denique sub crucis vexillo perpetuos quasi triumphos agit de hostibus suis. Ex his ergo consolationem petamus publicè & priuatim, ne vel de Ecclesiæ salute dubitemus, vel segniores simus in ijs obeundis, ad quæ nos Dominus vocat. Qui enim nos negotijs magnis destinat, idem donis quoque instruet ad illa necessarijs. Nec est, quòd aliquem sua terreat indignitas: quia enim χαρίσματα sunt, non quid ipsi mereamur videt Dominus, sed quibus opus sit nobis, per quos aliquid effectum dare vult. Id verò nos simul officij admonere debet, ne quod meritum hîc statuamus, & propriæ dignitatis fiducia elati aduersus Deum aut homines superbiamus. Et debet hoc ad omnia extendi, quæcunque vel in animo, vel in corpore, aut etiam reliquis fortunis, eximia & præclara habemus. Quid enim ex omnibus his nostrum dicere possumus, qui nudi ex vtero matris nascimur, nec quicquam proprium in hanc lucem afferimus, præter naturæ totius vitiositatem, quæ ex Adamo in nos omnes est propagata? Rectè ergo supra dictum fuit ab Apostolo: Quid habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, ac si non acceperis? Admoneat ergo nos χαρισμάτων, id est, donorum gratuitorum vocabulum, vt modestiæ studeamus, & Deo grati simus, deque vero potius donorum omnium vsu, quàm nostra gloria cogitemus.

Ministeriorum discrimina. Secundo loco discrimina ministeriorum Paulus numerat: quo nomine functiones ecclesiasticas intelligit, quas non eiusdem generis esse alibi ostendit, vbi alios quidem Apostolos, alios verò Euangelistas, alios autem Prophetas, alios doctores aut Pastores fieri scribit. Omnium verò istorum functiones, & quæcunque aliæ sunt eius generis, ministeriorum voce comprehendit, quia per illas Deo & Ecclesiæ seruitur: quod in epistola ad Ephesios clarius explicat. Nam cùm functiones istas ex ordine recensuisset, eas institutas ait ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, &c. Rursus verò hoc solum sufficere poterat, ne quis vel insolentius efferatur, aut alijs suam conditionem inuideat. Si enim ministeria sunt gradus isti omnes, quos in Ecclesia sua Deus instituit, ministri & serui sint oportet, quicunque in illis sunt constituti. At quid turpius est, quàm seruum insolentiorem esse, & aduersus domesticos aut conseruos suos superbire? Intolerabilia certè bonis & cordatis omnibus videntur esse seruorum imperia, & eadem multis regnis exitium peperisse, historia testantur. Rursus quam stulti sunt, qui alicui suum in Ecclesia gradum inuident, cùm hunc ille retinere non possit, nisi & tibi & mihi, omnibus denique seruiat, qui Ecclesiæ Christi membra sunt? Debent autem huius probè meminisse omnes, quibus gubernacula Ecclesiæ credita sunt, ne ex ministerio suo dominium siue imperium faciant. Quia enim illa Christi hæreditas siue κλῆρος est (quo nomine Petrus quoque eam appellat) nemo absque scelere eius dominium sibi vendicare poterit. Et qui illud audent, mali illi atque perfidi coloni sunt, qui (vt in parabola Christus admonet)

Acto. 5.

Ephes. 4.

1. Pet. 5.

admonet) ipsum occisum volunt, vt hæreditatem & possessionem vineæ possint sibi vendicare. Quod verò de Ecclesiæ ministris dicitur, id etiam ad se pertinere sciant viri principes, qui Rempub. gubernant. Nam licet illos authoritate & potentia Deus armauerit, ijdem tamen (vt ad Romanos Paulus docet) ministri Dei sunt: ministerium verò eorum in eo consistit, vt populi pastores agant, quorum cura atque studio ille conseruetur. Est hæc illorum gloria præcipua, qua seipsos spoliant, quicunque sibi tale ius & imperium vsurpant, vt omnia sibi licere existiment, & nunquam non tyrannicum illud in ore habeant: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Quid enim in illis reliquum manet, cuius nomine coli & obseruari mereantur, si Dei serui & pacis siue salutis publicæ ministri esse nolunt? Luc. 20.

Cæterùm quoad Ecclesiæ gubernationem, obseruabis cum donis ministeria coniungi. Vt ergo donorum vsus circa ministerium versatur, vt sic illorum fructus ad multos alios redundet: ita cauendum est, ne quod ministerium temere alicui credatur, nisi quem donis ad illud necessarijs satis instructum esse constet. Si enim in familia bene constituta non cuique seruulo quodlibet officium committitur, sed industriæ, ingenij & virium corporis diligens ratio habetur: quantò magis hoc in Dei familia obseruari debet, vbi de publica & priuata plurimorum salute agitur? Viderunt hoc Apostoli & primitiuæ Ecclesiæ fideles, qui in ministrorũ ordinatione precibus ac ieiunijs vacabant, etiamsi eorum qui ordinari debebant probitas atque fides omnibus abunde perspecta esset. Qui mos si hodie etiam obseruaretur, Ecclesias melius constitutas haberemus, & maiori cum fructu Verbum Dei prædicaretur. Dona & ministeria coniunguntur.

Admonet præterea locus iste neminem debere alienam functionem temere inuadere: Quia enim ministeriorum discrimina sunt, vnusquisque suo sese pede metiatur, & Spartam suam exornet. Nam nisi functionum discrimina retineantur, ipsius Dei ordo turbatur, & res tandem in tyrannidem erumpit, aut saltem in ἀναρχίαν, siue confusam quiduis audendi licentiam, quæ omni tyrannide est nocentior. Etenim quantum mali hæc pariat in Repub. nemo ignorat. In Ecclesia autem eò grauius est periculum, quòd cum fortunis totus homo, quoad corpus & animam, periclitatur. Quòd si verò ad hunc locum Ecclesiæ Papisticæ constitutionem examines, quantum Deus bone, quamque horribilem rerum omnium confusionem atque licentiam reperies. Ministeriorum quidem titulis adeò gloriantur, vt ipse etiam Pontifex Maximus Seruus seruorum velit dici: qui tamen aliorum humeris sublimis gestatur corona triplici redimitus, qua triplex imperium in cælos, terram atque inferos ostentat. Neque eo contentus, Reges quoque potentissimos ad pedum suorum oscula inuitat, & si quos ad obsequium hoc contumaciores esse videt, eos anathematis fulmine percussos pedibus quoque impuris conculcat. Nec multò modestiores sunt, qui ab illo dignitatibus ecclesiasticis exornantur. Quòd si ministeria ipsorum consideres, præter vetera illa, quorum supra ex Paulo meminimus, alia innumera illi confinxerunt. Sunt enim inter eos Ostiarij, Acoluthi, Exorcistæ, Suffraganei, Decani, Archipresbyteri, Confessores, Cantores, Diaconi, Archidiaconi, Subdiaconi, Presbyteri, Sacellani, & nescio qui alij sexcenti, quorum nomina recensere longum foret. Et quàmuis ministeria hæc inter se distincta esse ipsi quoque fateantur, in ijsdem tamen admirabilis confusio cernitur: quando non rarò vnus aliquis in ecclesijs procul dissitis diuersas functiones, aut potius inanes diuersarum functionum titulos sustinet, & in hac quidem Ecclesia Præpositum, in illa Decanum, alibi verò Archidiaconum, & rursus alibi alium gradum dignitatis occupat. Cùm autem omnium locorum Ecclesiæ vnicam illam constituant, quam ideo Catholicam dicimus, quis obsecro dicere poterit, illos discrimina hæc ministeriorum obseruare, de quibus hoc loco Paulus loquitur? Nemo functionem alienam inuadat.

Tertium verò duobus istis addit, discrimina facultatum. In Græco ἐνεργήματα ponitur, quæ vox internam illam Spiritus Sancti virtutem denotat, quæ ministros ad functiones suas aptos atque idoneos reddit, imò quæ in illis agit, vt quod in mandatis habent, fideliter & magno cum successu perficiant. Et quia hanc quoque isto loco numerat, vbi de donis Dei Spiritualibus disserit, quæ ad Ecclesiæ gubernationem necessaria sunt, non obscure docet, illam quoque non nostrò Discrimina facultatum.

iuris aut arbitrij esse, sed totam ex Dei arbitrio pendere. Facit huius consideratio multùm ad deprimendum confidentiæ cristas. Nam etiamsi in Ecclesia locum honoratiorem obtineas, & donis necessarijs instructus sis, nihil tamen proficies, nisi diuina illa Spiritus Sancti vis accedat, quæ ministerium tuum efficax reddat.

1.Cor.3 Non est enim aliquid qui plantat vel rigat,

Psal.127. nisi Deus incrementum dederit. Et nisi Dominus ædificauerit domum, nequicquam fatigantur quotquot eam augere volent. Itaque si quid per nos rectè & cum laude fiat, gloriam hanc omnem Deo tribuamus, qui nobis Spiritus sui ἐνέργημα dedit, vt ministerium nostrum efficax esset.

Finis donorũ et ministeriorũ.

Seruiat hoc quoque consolationi, ne temere offendamur, si quando vel nosipsos vel alios in Ecclesiæ ministerio minus videamus proficere. Quid enim nos aliud quàm laborem & industriam nostram conferre possumus, ita nos mouente & agente Dei Spiritu, sine quo ne illud quidem possumus? Sufficiat ergò hîc nobis, si de nostra fide & industria nobis bene conscij simus, euentum verò omnem Deo permittamus, qui labores nostros & studia ad eum, quem ipse sibi proposuit, scopum diriget. Nam etsi nullus, aut perquàm exiguus nostri studij fructus sequatur, non tamen primi sumus, quibus hoc accidit, sed sors ista nobis cum sanctißimis Dei Seruis, Prophetis atque Apostolis, communis est: quos non semel de auditorum suorum vel contumacia vel etiam paucitate conquestos fuisse legimus. Quid autem de illis dico, quando tam paucos fuisse constat, qui Christo docenti crediderint, cùm is doctrinam suam miraculis infinitis confirmaret? Debebant istorum meminisse, qui hodie de Euangelij doctrina ex auditorum moribus iudicant, imò illam apertè damnant, quòd non omnes ab erroribus superstitionum & scelerum licentia conuertantur. Obijciunt hoc nobis multi, qui & ipsi nulla siue religionis siue pœnitentiæ cura tanguntur: & imprimis hîc sibijpsis applaudunt Anabaptistæ, & eo argumento doctrinam nostram omnem erroris conuinci posse putant, quòd paucißimi ab ea discedant meliores. Quos omnes nos ad Christum & Prophetas atque Apostolos remittimus, vt causam hanc cum illis disceptent, priusquam nobis litem moueant.

Enumeratio donorum Spiritualium.

Porrò finem tam donorum quàm ministeriorum atque facultatum omnium Paulus subijcit, dicens: Vnicuique verò datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. Habent hæc aliquam Præoccupationis speciem, qua illis occurrit, qui sua dona minoris faciunt, eò quòd se paucioribus instructos esse vident. Cur enim contemnatur, quod certo Dei consilio in vsum bonum atque vtilem nobis datum esse audimus, quantulumcunque illud sit? Vocat autem declarationem seu manifestationem Spiritus ipsa dona & horum effecta, eò quòd qui in cordibus credentium habitat Spiritus Sanctus, per illa sese exerit, vt alijs quoque hominibus eius gratia siue virtus innotescat. Nec enim otiatur ille, aut ignauus quiescit, sed effectis diuinam eius virtutem referentibus sese declarat. Vnde colligimus, Spiritu Christi omnino destitutos esse omnes eos, qui vitam viuunt impuram & ab ijs studijs alienam, quæ nobis ille in Scripturis præcipit. Loquitur autem Apostolus de publica vtilitate, quæ in Ecclesiæ augmento siue ædificatione habetur, de qua supra ex Epistola ad Ephesios diximus. Non potest ea consistere nisi paci & concordiæ publicæ omnes studeant: & hîc maximè locum habet, quod historicus ille Romanus olim dixit: Concordia paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Vnde sequitur, eos Dei donis turpißimè, & non sine sacrilegio abuti, qui illa insolenter ostentando authores sunt, vt Ecclesia in partes aut sectas scindatur. Semper ergò hic nobis scopus propositus sit, vt quæcunque nobis à Deo data sunt dona, non nobis solis data esse cogitemus, & proinde illa in eum finem dirigamus, vt multi alij per nos lucrifiant, & Ecclesia nouis quotidie augmentis crescat.

Sapientia & scientia.

Pergit autẽ Paulus et dona illa Spiritualia quasi per partiũ enumerationẽ exponit: nõ quidẽ omnia, sed quæ potißima & Ecclesiæ præ alijs necessaria sunt, in quibus etiã à Corinthijs maximè peccabatur æmulatione atque contentionibus. Sic enim ait: Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo cognitionis per eundem Spiritum, alij verò fides per eundem Spiritum, &c. Repetit subinde Spiritum omnium illorum datorem, quia quòd hunc minus respicerent Corinthij, illis hucusq; ad ostentationem cũ multorum contemptu atq; scãdalo abusi fuerãt.

Primo

Primo autem loco sermonem sapientiæ ponit phrasi Hebraica, pro ipsa sapientia: secundo sermonem scientiæ siue cognitionis. Quæ duo etsi idem significare videantur, differunt tamē inter se. Scientia enim circa rerum scitu necessariarum cognitionem versatur: Sapientia verò earundem vsum quoq; compræhendit, & docet vt illas vtiliter ad suum scopum siue finem dirigere debeamus. Neq; semper in omnibus duæ istæ dotes ingenij coniunctæ sunt. Vt enim Hannibalem vincere quidem posse dicebat quidam, nescire autem victoria vti: ita multos est videre, qui rerum scientia & cognitione præclara prædití sunt, qui tamen iudicio destituuntur, & ijs etiam ad aliorum ædificationem & Ecclesiæ vtilitatem nesciunt vti, quæ probè intelligunt. Est ergo vtrumq; donum Ecclesiæ necessarium, eò quòd Regnum Dei non in sermone consistit, sed in virtute. Et admonet hoc sciolos, ne rerum scientia superbiant sed ijs locum dent, quos rerum vsu & prudentia magis instructos esse vident. Sapientia & scientia.

Tertia in hoc catalogo fides est: non quidem iustificans illa, qua Christum iustitiæ & salutis authorem vnicum appræhendimus (hæc enim omnibus Christianis communis est, neq; sine illa aliquis seruatur) sed ea, per quam miracula fiunt, de qua etiam in sequenti cap. dicet: Si habeam fidem totam, adeò vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et ista fidei virtus non omnibus datur, sed ijs solis, quorum opera & ministerio peculiari ad alios lucrifaciendum Deus vult vti. Fides.

Quarto loco dona sanationum ponuntur, quæ fidei huius, de qua diximus, effecta dicere licebit, sicuti ex Christi verbis patet: Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis, super ægrotos manus imponent, & bene habebunt, &c. Et olim quidem miraculosis illis sanationibus opus erat, vt Christi virtus clarius innotesceret, & plures ad eum amplectendum excitarentur: hodie autem inter Christianos homines illis minimè opus est, qui Euangelij doctrinam profitentur, cuius illa quasi sigilla fuerunt. Qui ergo illa adhuc requirunt, ij se ne principia quidem Christianæ religionis adhuc tenere produnt, & proinde non digni sunt, qui Christianorum nomine censeantur. Dona sanationum.

Quintum locū facultatibus potentiarū tribuit. In Græco δυνάμεις leguntur, quæ vox excellentiorem illā & potentiorem Spiritus Sancti virtutem denotat, quæ non solùm morbis medetur, verumetiā malos homines pœnis coercet, & dæmonia expellit. Huius exemplū Petrus ædidit, quando Ananias et Sapphira vxor eius, eò quòd Spiritui Sancto mentiti essent, morte subitanea corruerunt: Paulus item, quando Elymā Magū cæcitate percussit, & quando puellā tacere coegit, quæ malo dæmone agitata ipsi & Syllæ collegæ suis clamoribus infesta erat. Huc deniq; mihi pertinere videtur, quod de quibusdā Satanæ tradendis scribitur. Nisi enim mox manifestū aliquod vindictæ diuinæ exemplum secutum fuisset, impijs facile erat minas omnes scurrilitate sua eludere. Et voluit olim Ecclesiam suam hac potestate armare Deus, cùm nondum penes Christianos esset ius gladij, neq; alia ratione vel hypocritæ vel palàm improbi ac scelerati coerceri possent. Hodie illa minus opus est, apud eos, qui rempub. habent, in qua principes præsident Christiani, qui omnes illos pœnis ciuilibus, quas Deus in Lege nobis præscripsit, vel in ordinem redigunt, vel (si ita opus sit) è medio tollunt. Scio quidem Anabaptistas hanc potentiam Spiritus ostentare, quando Satanæ tradi eos vociferantur, quos à sua Ecclesia aut communione excludunt: et eos multi imitantur, qui in rebuspub. bene constitutis hoc fieri oportere putant, quod in Ecclesijs sub impiorum tyrannide periclitantibus necessariò obseruatur. Sed caueant illi diligenter, ne dum non necessaria inuehere student, respub. turbent, & Ecclesias dissipent potius quàm colligant. Facultas potentiarum.

Sexta in hoc numero Prophetia est, quæ alibi quidem Scripturæ Sacræ interpretationem & eius ad rem præsentem applicationem significat: hic autem ea facultas intelligitur, qua ex reuelatione Spiritus futura cognoscuntur, de quibus vel totam Ecclesiam vel aliquos priuatim admoneri necesse est. Hoc dono Apostolorum temporibus Agabus excelluit, & plures alij, qui Paulum Hierosolymam ascendentem in omnibus propè ciuitatibus de vinculis & afflictionibus admonebant, quas illic passurus esset. In quorum ordine etiam Philippi filiæ censeri debent, de quibus Lucas in Actis disserit. Singulare item prophetiæ exemplū fuit, quòd instante obsidione vrbis Hie- Prophetia.

rosolymæ, Ecclesia oraculo admonita trans Iordanem Pellam vsque emigrauit. Durauit huius doni vsus diu in veteri Ecclesia, quando insidiarum plena erant omnia, & multa restarent ex priscis vaticinijs, quæ nondum erant impleta. Hodie facilius illo possumus carere, quando pleraq; iam finem suum attigerunt, ex Scripturis autem peti possunt, quæcunque nobis scitu necessaria sunt. Hîc autem diaboli audacia atque astutia sese prodit, qui cùm humani ingenij curiositatem probè perspectam habeat, sibi hanc facultatem vendicat & ipse suos prophetas excitat nimirum ariolos, astrologos, et illicitarum artium sectatores, quos olim Deus in Lege sua damnauit, & quibus in Christi Ecclesia locum fore Micheas Propheta negat. Et mirum est, inter Euangelicæ fidei professores inueniri aliquos, qui iudiciariæ astrologiæ ita addicti sunt, vt in rebus arduis ex ea potius quàm ex Sacris literis consilium petant. At qui hoc faciunt, ferè idem patiuntur, quod Babyloniorum ariolis atq; magis Isaias minatur.

Mich. 5.

Discretio spirituum. Septimo loco discretiones spirituum ponuntur, & donum illud intelligitur, quo doctores veros à falsis discernimus. Est hoc imprimis necessarium, eò quòd Christus non vno loco falsos doctores fugere iubet, & quòd ijdem absque manifesto salutis periculo admitti non possunt. Ergo commune hoc præceptum est, quo omnibus Christianis mandat Apostolus, ne cuiuis spiritui credant, sed spiritus probent, num ex Deo sint. Et spiritus vocabulo hîc Apostoli vtuntur, quia nihil tam vulgare & tritum est, quàm quòd impostores Spiritum Dei iactare, & suis figmentis illius authoritatem prætexere consueuerunt. Et quia ijdem pellibus ouium quoq; vestiuntur, non facilè ab omnibus agnosci possunt, & quotidie multos de eo conqueri audimus, quòd nesciant, quem in tanta doctorũ inter se dissidentium turba debeant audire ac sequi. At isti ferè sibijpsis difficultates fingunt, dum in homines respiciunt, quæ vel nullæ omnino, vel certè pauciores essent, si vnũ Deum audirent nobis per Filium suum in Euangelio loquentem. Oues meæ (inquit Christus) vocem meam audiunt. Et quia ipse est via, veritas & vita, idem etiam certissima & infallibilis est discretionis istius regula: vt nimirum Dei Spiritu eum duci sentiamus, qui vnum Christum prædicat, & salutem omnem in illo monstrat, rursus autem non dubitemus maligni spiritus organa esse omnes eos, qui nobis extra Christum nouas salutis rationes, & nouos fidei articulos comminiscuntur. Quia tamen omnis ista facultas hoc loco inter dona spiritualia numeratur, verbi Dei studio preces coniungere nos oportet, vt Deus suo Spiritu mentes nostras illuminet, vt ipsum nobis loquentem audiamus atq; agnoscamus.

1. Ioan. 4.

Ioan. 10.

Genera linguarum. Octauum locum in hoc catalogo linguarum genera obtinent, quarum cognitio olim necessaria fuit, quando ex Iudæa egressi Apostoli ac viri Apostolici omnibus gentibus prædicare iubebantur: at hodie donum hoc non tam necessarium est, eò quòd iam omnes Ecclesiæ vno ore & vna lingua vnum Christum sonant, & lingua Chananæa loquuntur, vt Isaias olim dixit de Ægyptiorum ad fidem Christianam conuersione vaticinans. Supplet doni huius defectum hodie admirabile illud & planè diuinum artis Typopraphicæ inuentum, quo fit, vt minimo sumptu & labore libri sacri & horum interpretes latissimè sparguntur, & vnus aliquis domi suæ residens eodem temporis momento inter gentes procul dissitas concionetur.

Isa. 19.

Interpretatio linguarum. Addit his postremo loco interpretationem linguarum, quæ cum priori idem esse videtur, ab eo tamẽ differt, quòd prius istud simplicem linguarum cognitionem denotat, hîc autem ea facultas notatur, qua quæ ipsi intelligimus, alijs etiam interpretari, & in multorum vsum accommodare possumus: quod nisi fiat, non multum vtilitatis linguarum notitia nobis adferet. Et olim quidem miraculosè donum istud linguarum conferebatur, quando prædicandi vel Euangelizandi necessitas nullam moram admittebat: hodie autem etiamsi miraculosa illa omnium linguarum cognitio non amplius necessaria sit, tamen Hebrææ & Græcæ linguæ vsu Ecclesia omnino carere non potest, eò quòd his nobis descripti sint libri sacri, quibus Dei verbum & per illum nobis manifestata salutis ratio continetur. Et notum est illud Augustini, quod inter decreta sua Pontifices referri voluerunt: Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita nouorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Quia autem nullius cognitio miraculosè absque nostra industria atque studio nobis obtingit, scholas aperiri oportet, in quibus viri docti & pij tàm linguas quàm artes alios tradunt, quibus Ecclesia Dei ædificatur. Vidit

Dist. 9. Ca. Vlt.

tur. Vidit hoc olim Iulianus apostata, qui Christianos procul à scholis arceri voluit, vt tandem propria ignorantia seipsos & fidem Christianam euerterent. Quare non minus prudenter quàm piè à maioribus institutum est, vt scholæ paßim Ecclesijs celebrioribus coniunctæ essent, ex quibus doctores subinde noui defunctis aut rude donatis succederent. Quæ cura hodie etiam cùm Ecclesiarum pastoribus tùm principibus Christianis commendatißima esse debet. Interim meminerint omnes, ne nunc quidem absque Spiritus gratia aliquem vel linguæ peregrinæ cognitionem, vel germanum Scripturæ sensum consequi posse. Christum ergo, qui nobis à Patre sapientia factus est, scholarum suarum præsidem agnoscant Christiani homines, & qui in illis versantur, precibus aßiduis à Deo lucem illam ingenij flagitent, quæ eorum cognitionem nobis reuelat, quæ cognitu necessaria sunt. Quod ipsum de omnibus alijs donis debet intelligi, in quibus nostra industria siue studium nostrum hodie requiritur. Nam perpetuò ratum manet, quod alibi Paulus dixit: Quid habes, quod non acceperis? &c.

Nunc autem obseruabis, eiusmodi donorum distributionem hîc describi, quæ nemini mortalium omnia, sed singula singulis, aut saltem aliqua modò singulis tribuit. Vt ergo non omnis fert omnia tellus: ita neminem inuenies facilè, qui omnibus donis Spiritus Sancti instructus sit. Nam licet alij alijs plura accipiant pro suæ vocationis ratione (vt in talentorum parabola Christus docet) omnibus tamen certa mensura datur Spiritus, solus autem Christus est dilectus ille & vnigenitus Dei Filius, qui absque omni mensura Spiritus plenitudinem poßidet, de qua nos omnes accepimus. Est hoc notius quàm vt multis demonstrari oporteat. Facit autem ista consideratio multùm ad deprimendam eorum insolentiam, qui dum se præ alijs omnibus instructos esse sibi persuaserunt, sibi solis viuere incipiunt, & omnes homines nimium insolenter præ se contemnunt. Nam vt plurima habeas, quibus alij destituuntur, habent tamen hi quoq; nonnulla, quæ tibi desunt, & propter quæ ipsorum ministerio tibi opus est. Potuerunt hoc in ijs quæ soli corpori seruiunt, obseruare Poetæ & Philosophi, qui mutui huius auxilij neceßitatem per cæci & claudi typum adumbrarunt, quorum hic quidem ab altero gestatur, ille verò huius oculis aut visu regitur. Itaque mutuat hic oculos, mutuat ille pedes. Quod cùm in omnibus alijs rebus fiat, nimium stulti sunt, qui perinde superbiunt, ac si sibijpsis ad omnia sufficerent. Quin potius in ista donorum inæqualitate consilium Dei agnoscimus, qui hoc quasi ineuitabili neceßitatis vinculo nos ad concordiam obstringere voluit. Cur enim huius studium negligant, qui nisi ab alijs iuuentur, suam functionem feliciter obire non possunt?

Non vni omnia dona dantur.

Ioan. 1.
Matth. 25.

Sed audiamus huius locis conclusionem: Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim vnicuique, sicuti vult. Repetit vnicum istorum omnium authorem atque datorem, Spiritum Sanctum, cuius diuinitas rursus exprimitur, quando eum ista efficere ait: in eiusdem verò libera voluntate siue arbitrio omnem huius distributionis atque inæqualitatis causamcommonstrat. Spiritus vnus & idem (inquit) ista efficit, & vnicuique vel singulis distribuit, non prout nos volumus, sed sicuti ipse vult. Est hoc breue dictum, sed quod omnia complectitur, quæ ad huius causæ cognitionem pertinent. Primò enim ne ijs superbiamus admonet, quæ ex Spiritus Dei liberalitate accepimus: sed potius de vero illorum vsu soliciti simus. Deinde sectas prohibet, ne seceßionem ab Ecclesia faciant, qui nisi cum vno illo & eodem Spiritu, qui in credentibus agit, communicent, filij Dei non erunt. Postremò ne quis alteri inuideat, monet, aut de donorum inæqualitate conqueratur. Tu enim quis es, qui Deo obloquaris, aut Spiritum Sanctum ad rationem reddendam adigas? Num oblitus es, nos lutum esse in manu figuli illius, qui primum hominem creauit? Cur ergo lutum figulo dicit, Quare me sic fecisti, illum verò sic? Vel num oculus tuus ideo malus est, quòd ille beneficus sit? Cogitent ergo omnes, nos de donis istis quiritari non posse, nisi simul horum largitorem, Deum in ius vocemus. Quod cùm non modò absurdum & inhonestum, verumetiam impijßimum sit, illius potius agnoscamus beneficentiam donis autem eius sic vtamur, vt ijs & Ecclesia ædificetur, & in nobis glorificetur nomen Domini & Seruatoris nostri IESV CHRISTI: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Voluntas Dei distributionis donorum regula.

Rom. 9.
Matth. 20.

HOMILIA LXIIII.

Sicut autem corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius multa cùm sint, vnum sunt corpus: ita & Christus. Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus: siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & omnes in vnum Spiritum potati sumus. Etenim corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dicat pes, Quia non sum manus, non sum ex corpore: num ob id nō est ex corpore? Et si dicat auris, Quia non sum oculus, non sum ex corpore: num ob id non est ex corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore, sicut voluit. Quòd si omnia essent vnum membrum, vbi corpus? Nunc verò multa quidem membra sunt, vnum verò corpus.

SIcuti Deus bonitatem suam eo argumento potißimùm declarat, quòd seipsum & bona sua spiritualia nobis communicat: ita hoc euidens imprimis est nostræ prauitatis indicium, quòd ex eius donis aduersus ipsum & quosuis alios homines tumultuandi occasionem arripimus, quæ nos tam ipsi Deo quàm hominibus obstringere debebant. Est vitium hoc admodum frequens. Quia enim dona Spiritus non eadem mensura omnibus distribuuntur, fit, vt qui plus acceperunt, alios contemnant: qui verò minus, inuidia ringantur, adhæc contra Deum murmurent, & ab Ecclesia secesßionem faciant. Fiebant ista omnia apud Corinthios. Ideo Paulus causam hanc diligenter tractat: & nuper docuit, esse quidem discrimina donorum, & eadem inæqualiter à Deo distribui, id verò non obstare, quò minus illa concordiæ seruire debeant. Hanc doctrinam nunc simili ex rerum natura desumpto illustrat, de corporis humani fabrica, quo in epistola ad Romanos etiam cap. 10. est vsus. Licet enim ijs, qui salutis mysteria tractant, argumentis atq; similibus ex rerum natura petitis vti. Hoc enim frequenter olim prophetæ & Christus factitarunt. Imò est hoc quoque præclarum bonitatis Dei argumentū, qui vt nostro captui sese accommodet, nihil à nobis exigit, quàm cuius exempla in rebus vulgo cognitis ac vsitatis habentur. Hîc autem cautio adhiberi debet, ne exemplis ex hominum consuetudine petitis ea probare velimus, quæ in sacris literis nusquam traduntur. Faciunt hoc, qui hodie Diuorum intercesßionem similibus ex Regum aula desumptis asserunt: Quibus alibi ex Isaia respondimus, per quem Dominus ait. Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; viæ meæ sunt viæ vestræ, &c. Vide Isa. 55.

Ecclesia corpori humano confertur.

Sed accedamus ad locum Pauli, cuius summa est: Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius, multa cum sint, vnum sunt corpus: ita & Christus. Continetur his verbis propositio bipertita, cuius pars prima est: Vnum corpus, multa habet membra. Altera, multa membra vnum sunt corpus. Vtramq; partem vno verbo ad causam præsentem applicat: Ita & Christus. Christi enim nomine non eam modò personam, quæ Deus & homo est, sed totum illud corpus Ecclesiæ mysticum intelligit, quod non ex solis fidelibus, verumetiam capite constat. Nam quemadmodum (vt Chrysostomi verbis vtar) corpus & caput vnum hominem constituunt: sic Ecclesia & Christus vnum sunt. Et vt non propriè corpus, sed truncus dicitur, cui caput ablatum est: ita non amplius Ecclesia dici meretur, quæ capiti Christo non cohæret, sed ab hoc auulsa eius etiam spiritu destituitur. Itaq; huius dicti sensus est: Christum esse instar corporis, quod ex multis membris constet, quæ vni capiti adhærent siue connexa sunt. Ex eo autem postea hoc quoq; colligit, quòd Ecclesia sit vnica, etiamsi fideles sint multi, qui donis & functionibus differant, imò Ecclesiæ vnitatem ex hac fidelium diuersitate constare. Ex quo rursus sequitur quod ad hanc causam imprimis pertinet, ipsum Christum diuidi & distrahi, quando propter membrorum atq; donorum discrimina aut diuersitatem Ecclesia distrahitur. Ideo supra sectarijs dixit Apostolus: Num diuisus est Christus? Quod vtinam diligentius expenderent, qui hodie

qui hodie Christianam Ecclesiam in Benedictinorum, Bernhardinorum, Franciscanorum & alio rum sexcentorum ordines distrahunt.

Debet igitur hoc loco considerari articulus fidei, quem in symbolo apostolico profitemur: Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Vnam fatemur esse Ecclesiam, non plures. Ideo articulus iste in Constantinopolitano Symbolo sic habetur: Credo in spiritum sanctũ, qui locutus est per Prophetas in VNAM catholicam & apostolicam Ecclesiam. Vt enim Christus caput est vnicum, ita corpus quoq; vnicum habet. At corpus istud est Ecclesia, quod in Scripturis tam disertè traditur, vt demonstratione ampliori nequaquam sit opus. Ergo illam vnam esse, necessariò sequitur. Et ideo eam vulgo catholicam, id est, vniuersalem dixerunt, quia etsi propter locorum aut gentium discrimina, hæc quidem Corinthiorum, illa Romanorum, hæ item Macedonicæ, illæ Asiaticæ, Germanicæ, Anglicæ, Gallicæ, Polonicæ Ecclesiæ dicantur, omnes tamen illæ ad vnicam illam pertinent, ad hanc vnam respiciunt, in eadem omnes conueniunt sub vno capite IESV CHRISTO, cui singuli fideles ita vniuntur, vt non solùm omnes eius spiritu viuant & regantur, verumetiam (quod alibi Paulus annotauit) sint os ex ossibus eius, & caro ex carne eius. Et hæc illa coniunctio est, quam Scriptura Veteris & noui testamenti per coniugium adumbrat.

Ecclesia vna est omnium credentium.

Ephes. 5.

Quo in loco imprimis tenendum est, connexionem atq; vnionem istam spiritus virtute constare, non autem corporali aut carnali præsentia. Nam spiritus virtute fit, vt quemadmodum qui in diuersis loci habitant fideles, omnes vnum corpus sunt & eiusdem Patris filij: ita ijdem omnes Christo quoq; cohæreant, qui suo corpore in cœlis agit, quò illum ascendere viderunt Apostoli. Et cur hoc alicui absurdum videatur, quando in coniugij, quod inter homines intercedit, consideratione simile quid occurrit? Nam qui illo vinculo semel constringuntur, ij iam non duo sunt sed vna caro (vt Christi verbis vtar) nec vlla locorum distantia obstat, quo minus vna caro aut corpus vnum dicantur, etiamsi interdum diuersis in locis degant, imò alter coniugum ab altero longis terrarum & nationum interuallis disiungatur. Quòd si verò coniugalis vinculi tanta vis est, quod cum vitæ huius curriculo tandem abrumpitur, an minorem putabimus esse mystici illius coniugij dignitatem atq; efficatiam, quod æternum manet, & quod per mortem adeò non dissoluitur, vt hac interueniente propius & arctius cum Christo sponso nostro coniungamur? Quod vnum si rectius expenderent omnes, mox pateret, quàm crassus atq; absurdus illorum error sit, qui de carnali & reali aut essentiali corporis Christi in pane mystico præsentia contendunt. Atqui vt nobis Christus præsens sit, vtq; nobis cohæreat potius quàm pani necesse est, & eundem nobis ceu caput corpori connexum esse atq; indiuulsè adhærere Scriptura docet. Quis verò siue veterum siue recentium, qui sano iudicio vsi sunt, vnquam disputauit, An nos simus reale illud & naturale Christi corpus, quod ex Maria virgine natum est, quod in crucem suffixum mundi peccata expiauit, quod in sepulchro ad tertij vsq; diei exortum iacuit, & quod nunc in cœlis gloriosum & incorruptibile viuit atq; triumphat? Quis (inquam) hominum vnquam ita delirauit, vt tale quid ei vel per somnium in mentem venerit? Quæ ergo dementia est, panem, qui ore perceptus & dentibus contritus in stomachum transmittitur, in eam dignitatem euehere, vt ipsissimum Christi corpus esse putetur, pro ipso deniq; Christo, Deo & homine, adoretur?

Connexio siue vnio Christi et Ecclesiæ spiritu constat non corporali præsentia.

Sed vt ad tractationem de Ecclesia redeamus, simul huius quoq; dignitatem Paulus exprimit, quæ rectè cognita dulcissimam consolationem parit. Nam non modò corpus Christi, sed ipse Christus dicitur. Quia enim hic in omnibus & singulis membris suis agit, in ijsdem etiam ipse agnosci & censeri vult. Et ideo sibi factũ reputat, quod suis fit, qui ipsi per fidem sunt insiti. Hinc locutiones istæ in Scripturis habentur: Qui vos tangit, tangit pupillã oculi mei. Item, Saul Saul, quid me persequeris? Et rursus: Quod vni ex minimis hisce fecistis, mihi fecistis. Ista nos consolentur, ne vnquam Christum, qui nunc in cœlis residet, nostri immemorem esse putemus. Quomodo enim suijpsius, id est, corporis sui ille obliuiscatur? Sed ne quidem dubitare debemus, nos eius protectione iam nunc frui, dũ in huius mundi stadio certamus, olim verò omnibus malis exemptos vitam in cœlis immortalẽ et verè beatã acturos esse cum illo, qui discipulis dixit: Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Item: Volo Pater, vt vbi ego sum, illic etiã sint quos dedisti mihi. Ioan. 12. & 17.

Ecclesiæ dignitas.

Zach. 2.
Actor. 9.

Papa nõ est caput Ecclesiæ.

Confutatur etiam huius loci consideratione Pontificum insolentia, qui se caput Ecclesiæ esse dictitant. Si enim CHRISTVS IESVS Ecclesiæ suæ ita coniunctus siue vnitus est, vt cum ea vnum & idem corpus esse dicatur, eius caput Papa esse aut dici non potest, nisi Christi quoq; caput sit. Quid verò magis absurdum magisq; insolens fingi vel excogitari potest? Ex eo enim colligeretur, Christum ex Pontifice spiritum vitæ haurire, adeoq; ex illo vitam motumq; accipere. Quòd si hoc negent, iam Christum quoq; caput Ecclesiæ fatendo, hanc bicipitem constituent. Itaq; si non vllum aliud argumentum extaret, vnum hoc sufficeret ad demonstrandum, sub Pontificum titulo latere, imò potius palàm sese exerere ἀντικείμενον illum & magnum Christi atque Ecclesiæ suæ aduersarium, qui sese extollit aduersus omne id, quod Dei aut numinis nomine censetur 2. Thessal. 2.

VnumEcclesiæ corpus ex multis membris constat.

Porrò quod proposuit Paulus, demonstrare incipit, & primò vnũ corpus ex multis membris constare, aut multa membra habere docet, quæ prima propositionis pars fuit. Etenim in vno Spiritu (inquit) nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & omnes in vnum Spiritum potati sumus. Ex Sacramentis argumentatur, quæ Ecclesiæ tesseræ & gratiæ Dei atq; totius redemptionis nostræ sigilla sunt. Et primò quidem de baptismo loquens, nos omnes in vno Spiritu baptizatos esse scribit, ea locutione totum baptismum comprahendens, qui non sola aqua, sed etiam huic coniuncta Spiritus virtute constat. Hac enim fit, vt qui externo aquæ baptismo in externam Ecclesiæ societatem adoptantur, simul etiam verè inserantur in corpus Christi mysticum, & huius germana membra fiant. Ideo ad Romanos scribens, nos in Christi mortem baptizari dixit, & ita cum eo coalescere, vt tam mortis quàm resurrectionis eius participes efficiamur. Et in epistola ad Ephesios vnitatem istam diligentius exprimens ait: Vnum est corpus, vnus Spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ: Vnus Dominus, vna fides, vnus baptismus, vnus Deus & Pater omnium, &c. In præsenti autem particulam vniuersalem, OMNES, per distributionem explicat, addens: Siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi. Duobus membris maxima, quæ tunc erant, personarum discrimina compræhendit: Alterum erat nationis, quo omnes totius orbis populi in Iudæos & Gentes siue Græcos diuidebantur: Alterum conditionis, quòd alij liberi essent, alij serui. Quòd si verò ista non possunt Ecclesiæ vnitatem scindere, quò minus ex istis vnum corpus coalescat, quantò minus igitur donorum diuersitas obstabit, quæ ex eodem Spiritu promanant, & eiusdem fidei symbola sunt atq; adminicula? Debet ergo istorum consideratio nos admonere, quàm putida ac detestabilis sit eorum superbia, qui aliquos propter gentem, ex qua natus est, vel conditionem obscuram & abiectam, non autem impiam, vt sua societate aut communione indignum fastidiunt, quem non fastidit Deus, & quem sui corporis membrum Christus agnoscere dignatur.

Rom. 6.

Ephes. 4.

Vnus omnium membrorũ Ecclesiæ Spiritus.

Cæterùm ex Cœna quoque Dominica argumentum adducit: Et omnes in vnum Spiritum potati sumus. Alij ex Græcis Scholijs legunt ἓν πόμα ἐποτίσθημεν εἰς ἓν πνεῦμα, id est, vno poculo potati sumus in Spiritum: vel εἰς ἓν πόμα, id est, in vnam potionem, siue in vnum poculum. Sed nolim temere mutare vsitatam & receptam lectionem, cùm non inutilis aut ab instituto Apostoli aliena sit antithesis corporis & Spiritus. Vt ego prius nos in vnum corpus baptizatos esse dixit, ita nunc in vnum quoque Spiritum potatos esse scribit: quod præsenti argumento probè seruit. Docet enim nos ita vnum corpus in Christo factos esse, vt vno quoque & eodem Spiritu omnes viuamus atque ducamur. De eo autem nos Cœna Domini mystica admonet, in qua ex vno poculo omnes bibimus, vt ita testemur nos vnum corpus esse, & omnes vno Christi Spiritu recreari atque animari ad vitam æternam. Per Synecdochen verò solius poculi meminit, non vt Cœnam distrahat, aut alterutram speciem (vt vulgò loquuntur) ceu superuacaneam & inutilem negligi posse doceat (quod nouissimis temporibus Pontificij doctores tradiderunt) sed quia poculi symbolum præsenti instituto melius seruiebat: cùm in sanguine, qui per poculum adumbratur, spiritus vitæ sedem habeat. Notum est enim illud Dei dictum, quo sanguinem ipsam animam esse pronuntiat. In præsenti autem sic ista Paulus proponit, vt ostendat, eos in professionem fidei & nominis Christiani peccare, qui propter donorum diuersitatem inter se scinduntur, & Christianæ societatis seu vnitatis vinculum abrumpunt. Est enim vnus & idem omnium credentium Spiritus, vna

Deut. 12.

vitur, vna item eademque omnium anima, quæ & συμπαθείας illius mirifica causa est, de qua suo loco dicetur. Ad hunc ergo locum referri debent admonitiones & adhortationes apostolicæ, quibus vnitatem fidei & sententiarum nobis Spiritus sanctus commendat. Ad Philippenses certè Paulus scribens: Tantum (inquit) vt dignum est Euangelio Christi vos gerite, vt siue venero & videro vos, siue absens fuero, audiam de rebus vestris, quòd stetis in vno spiritu, vno pariter animo decertantes per fidem Euangelij. Et paulò post: Explete gaudium meum, vt itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes vnanimes & sententijs vni. Similiter Ephesios quoque studere iubet, vt seruent vnitatem spiritus per vinculum pacis. Sunt hæ admonitiones hodie admodum necessariæ, & vtinam earum diligentius meminissent, qui vt vel suæ vel eorum existimationi consulant, in quorum verba semel iurauerunt, Ecclesias omnes rixis & contentionibus nunquam finiendis turbare solent.

Philip. 1. & 2.

At in toto hoc Pauli argumento singularem considerationem meretur, quod in baptismo simul & Cœna spiritus mentionem facit. Nam in vno Spiritu omnes baptizari, & in vnum Spiritum omnes potari scribit. Quibus locutionibus admonemur, omnem Sacramentorum efficaciam siue virtutem à Spiritu promanare, non autem in externis symbolis aut ceremoniarũ actione consistere. Nam per Baptismum quidem cooptamur in externam ecclesiæ societatem, sed corpori Christi mystico non inserimur, vt germana eius membra simus, nisi Spiritus virtutem in nobis agentem sentiamus. Sic in Cœna, panis & vinum symbola quidem sunt vnitatis nostræ, sed eadem nihil ad salutem æternam conferunt, nisi per alimentum illud mysticum, quod nobis Christus in seipso exhibet, in vnum corpus vnumque spiritum coalescamus. Denique vt regeneratio, quæ per Baptismum adumbratur, spiritu constat: ita alimento quoque spirituali nos ad vitam æternam ali atque sustentari necesse est. Ideo Christus Capernaitas (vt alibi quoque monuimus) de carnali esu seu manducatione altercantes, ad spiritum remittit, dicens: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Et Petrus cùm nos per Baptismum seruari dixisset, mox subiecit: non quo sordes carnis abijciuntur, sed quo fit, vt conscientia ab vno Deo pendeat, & in hoc vno acquiescat. Paulus item cùm de lauacro regenerationis verba fecisset, ei illico addit renouationem Spiritus sancti: ita nimirum docens, lauacri nomine Spiritum, per regenerationem verò non aliud quàm hominis totius innouationem intelligi debere. Sunt hæc diligentius obseruanda propter eos, qui symbolis aut elementis omnem vim siue efficaciam tribuunt, & illa pro rebus, quæ ijs adumbrantur, accipiunt: Est hæc animarum seruitus miserrima, vt D. Augustini verbis vtar. Quid enim miserius aut infelicius animæ accidere potest, quàm si elementis adhæreat ipsa, quæ spiritus est omnibus elementis præstantior? propter illa denique terris adfixa maneat, quorum adminiculis totus homo ad spiritum deduci debebat?

Omnis Sacramentorum vir tus ex Spiritu est.

Ioan. 6.

Sed & Anabaptistarum sacrilega temeritas hîc confutatur, qui ne Baptismus infantibus communicetur prohibent. Atqui tota illius virtus atque dignitas ex Spiritu dependet, cuius illos participes esse, supra Cap. septimo docuimus. Quæ ergo stultitia est aquam illis negare, quos Dei Spiritus abluere & potare dignatur? Quantò rectius Petrus, qui Cornelium cum domesticis suis ideo baptizandum esse putauit, quòd eos Spiritu iam donatos esse videret? Quid verò de Pontificum audacia dicemus, qui poculum benedictionis mysticum Laicis surripuerunt? Paulus equidem nos vno poculo in vnum Spiritum potari dicit, vt eo argumento demonstret, omnes qui credunt, summos, medios, infimos, doctos & indoctos, vnam esse Ecclesiam, & vnum in Christo corpus constituere.

Contra Anabaptistas.

Sed ad alteram propositionis suæ partem confirmandam transit Apostolus, qua docet multa & diuersa membra vnum corpus constituere, & diuersitatem istam adeò non scindere corpus aut distrahere, vt potius illud seruet: cùm è contra æquabilitas illa, quam nonnulli inconsultius vrgent, illi exitialis foret, si semel admitteretur. Etenim corpus (inquit) non est vnum membrum, sed multa. Argumentum his subest à necessario, quod postea diligentiori expolitione illustrat. Nunc istorum sensus est: Quemadmodum corpus non vno tantùm membro constat, sed multis, imò non posset corpus dici, nisi membra haberet multa, quorum vsus & multiplex & necessarius

Multi & diuersi vnum Ecclesiæ corpus constituunt.

est: Ita Ecclesia non ex vno homine, aut vnico hominum genere constituitur, sed ex multis, neque Ecclesia dici merebitur, nisi ex multis collecta fuerit. At concurrunt hîc duo hominum genera, quibus singulis occurri oportebat. Primum eorum est, qui quòd se paucioribus donis instructos & in inferiori loco constitutos vident, impatientia & pusillanimitate superati, secessionem ab Ecclesia faciunt, & quia in illa non possunt eminere, ne membra quidem eius esse volunt. Est hoc hominum genus nocentissimum tam in Ecclesia quàm in Repub. Tales enim apud Romanos fuerunt Marius, Pompeius & similes, qui rempub. primò turbarunt, deinde totam euerterunt. Simili ambitione Arius olim accensus Ebionitarum & Samosateni hæresim instaurauit, & nocentissimi dissidij author extitit. Et nostro seculo non alia causa Anabaptistarum duces mouit, vt renascentem Euangelij lucem suis furoribus turbauerint. Alterum genus eorum est, qui cum donis maioribus se præstare sentiant, & in loco eminentiori sint constituti, omnes alios præ se contemnunt, nec aliquem emergere patiuntur, vt eandem cum ipsis dignitatem teneat: quales olim in Repub. Sylla & Iulius Cæsar fuisse leguntur, & iisdem vestigijs in Ecclesia hodie cum suo purpuratorum Senatu Pontifices insistunt. Vtrique generi doctrinam hanc applicat Paulus.

Inferiores quoque ad Ecclesiam pertinēt.

Et in præsenti quidem de primis illis agit, vtque minus inuidiæ habeat oratio, prosopopœia vtitur, qua membris in humano corpore constitutis litem hanc adfingit, ita nimirum ambitiosos illos ad naturam, optimam rerum magistram, remittens. Primùm igitur pedes cum manibus conferens ait: Si dicat pes, Quia non sum manus, non sum ex corpore, id est, nihil mihi cum corpore commune est: num ob id non est ex corpore? Quasi diceret: Nequaquam id rectè colligeret pes: nam etiamsi non sit manus, nihilominus tamen ad corpus pertinet, & cum spiritu vitæ participat, qui in alijs membris sese exerit: neque propterea pro inutili aut superuacaneo excluditur, quòd infimum in corpore locum obtineat. Inde ad membra superiora transit, & aures cum oculis confert, dicens: Si dicat auris, Quia non sum oculus, non sum ex corpore: id est, nihil mihi cum corpore cōmune est: num ob id non est ex corpore? Vt ergo pedi non obstat, quòd nō sit manus: ita neque auri, quòd non sit oculus. Istis verò nos alterā similitudinis partem subijcere oportet, vt pro pede intelligamus eos, qui infimum in Ecclesia locum habent, & donis paucioribus siue ignobilioribus sunt instructi: pro manibus autem eos, quorum ministerio plures iuuantur: pro auribus & oculis Verbi administros, episcopos, magistratus, & quicunque toti Ecclesiæ prospiciunt, & ad quos querelæ tam publicæ quam priuatæ deferuntur. Itaque huius loci status est: vt ne quem suæ conditionis pudeat, neue propter tenuitatem suam desperet, aut se Deo minus curæ esse arbitretur. Vt enim situs non obstat, quò minus vnumquodque membrum, corporis pars sit: ita neque gradus indignitas cuiquam vitio erit, quò minus inter Ecclesiæ ciues numerari debeat. Siue enim summus, siue infimus, siue medioxumus sis, Ecclesiæ membrum es: & vt caput, etsi cōrporis totius arcem teneat, pedes tamen minimè negligit: ita Christus, qui Ecclesiæ suæ caput est, ne infimos quidem & hominum iudicio contemptissimos aspernatur: quin potius ijs gaudet, qui in mundo vilissimi habentur. Sufficiat vnicuique, quòd Ecclesiæ membrum sit. Quæ enim maior aut excellentior dignitas homini potest obtingere, quàm si inter Dei domesticos adscribatur? Quæ item felicitas & beatitudo certior atque perfectior? Vidit istud Dauid, & ideo canebat: Quàm sunt amabilia ô Domine exercituum, tabernacula tua? Ardet, & etiam deperit anima mea ad atria Domini: cor meum & caro mea ad Deum viuum clamarunt. Quia potior est dies in atrijs tuis, quàm alij mille: malò ad limen desidere domus Dei, quàm habitare in tentorijs impiorum. Hoc idem votum si in omnium animis arderet, procul dubio tales efficeret, qui & sua sorte contenti nihil prætereà cuperent, & ad quæuis officia proximo præstanda propensissimi essent. Itaque neque aduersus Deum murmurarent, neque alicui suam fortunam inuiderent. Discant ergo singuli in partium corporis sui cōnsideratione diligentius versari. Quis vnquam pedes contra caput insurgere, aut manus in oculos inuolare vidit? Cur ergo tu, qui inferiori loco constitutus es, te superioribus suum gradum inuides? cur in eos odium concipis? cur deiectos & oppressos cupis? Quin potius tu ijs quoque officium præstas, qui te superbè negligunt? Iuua igitur hos quoque, & si non aliud illis potes impendere, saltem precibus à Deo hoc eis impetrare studeto, vt suæ sortis & officij memores suis donis atque dignitate non abutantur.

Psalm. 48.

Cæterùm doctrinam istam amplius confirmat Paulus, & ostendit aliter fieri non posse, siquidem Ecclesia debeat salua & incolumis consistere. Si totum corpus (inquit) oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Ab absurdo argumentatur, æqualitatem non posse induci, nisi multæ aliæ functiones aboleantur, quibus Ecclesia carere non potest. Vt enim si totum corpus, oculo solo constaret, neque auribus, neque manibus, neque pedibus, imò nullis alijs membris locus esset, quæ non minus necessaria sunt: Ita si in Ecclesia omnes Prophetæ essent, iam & magistratus & agricolæ & opifices cessarent, cum infinitis alijs, quorum opera ad vitæ huius conseruationem necessariò requiritur. Quod ipsum de Repub. quoque potest dici. Est ergo necessaria prorsus donorum atq; ministeriorum inæqualitas, quia æqualitas cum præsenti exitio coniunctam confusionem pareret. Etenim vt neque corpus neque membra consistere diu poterunt, si horum diuersæ functiones aboleantur: ita Ecclesiam simul & singula huius membra destruunt, qui sublatis gradibus donorum atque functionum, æqualitatem inuehere student, ex qua præter horribilem ἀταξίαν nihil nascitur. Plato quidem olim in Repub. æqualitatem inter ciues, & bonorum omnium, imò mulierum quoque & liberorum communionem vtilem & necessariam putauit: sed sua ratione multùm falsus est, & eius sententiam sapientissimi quique reprobauerunt. Respub. enim absque diuersis functionibus consistere non potest, hæ autem æqualitatem illam atque communionem procul excludunt. Vinculum verò Reipub. tutissimum atque firmissimum est, Legum & publicæ disciplinæ semper sibi constans & æqualis administratio. Eadem est Ecclesiæ conditio, in qua sufficit fidem omnium eandem esse, & ijsdem fidei atque innocentiæ Christianæ legibus omnes astringi.

Ecclesia, nisi diuersa sint eius membra, non potest consistere.

Confutantur etiam hoc loco Anabaptistæ, qui vt omnes ad prophetandi munus admitti volunt, ita vicissim omnes ad stiuam & opificia manuaria remittunt. Rationes illorum sunt, ex vno Adamo patre omnes nos esse progenitos, vnum corpus esse in Christo, in quo non sit liber aut seruus, mas aut fœmina, vnam denique omnium esse naturam atq; conditionem mortalem. At non debent cum natura & æternæ salutis mysterio confundi externæ functiones, quarum in alijs vita huius negotijs multiplex & necessarius vsus est. Nam vt exemplum sumamus ex vulgo, inter Christianos coniuges eiusdem naturæ & salutis in Christo partæ communio est: nihilominus tamen ex Dei decreto vir mulieri imperat, & hæc illius iussis obedire debet. Atqui eandem rationem in Ecclesia & Repub. esse, ex infinitis scripturæ locis notius est, quàm vt prolixè demonstrari debeat. Non est ergo, quod turbatores istos aliquis audiat, qui sub religionis plausibili prætextu omnem ordinem tam politicum quàm ecclesiasticum fœdè dissipant.

Anabaptistæ.

Redeamus nunc ad Pauli verba, qui partem istam concludens ait: Nunc autem Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore, sicut voluit. Rursus tamen propter morosos & contentiosos quosdam repetit, quod iam ante dixerat, sic omnino fieri oportere. Nam dicit: Quòd si omnia essent vnum membrum, vbi corpus? Equidem huius conditio eiusmodi est, vt absque membris multis & multùm inter se diuersis constare non possit. Vicissim & membra, quàmuis inter se donis & officijs differant, vnum tamen corpus sunt, & se mutuò iuuant, vt postea sequetur. Quod ipsum in Ecclesia quoque fieri innuit, & propterea nostrum esse, vt diuinæ ordinationi nos accommodemus. Obseruabis autem hîc eandem rationem adduci, quam prius allegarat, & eius non aliam causam assignari, quàm liberam Dei voluntatem, cui ita facere visum sit. Eadem ergo nobis quoque sufficere debet. Cum illo enim litigare, impium est. Oremus potius illum, ne ipse contra nos litem suscipiat, & seuerius à nobis exigat nostræ functionis rationem. Meminerimus ergo nos terram esse, agnoscamus autem IESV CHRISTI beneficium, qui nos corporis sui membra fecit, & proinde fideles simus ei, qui nos tanto honore dignatus est. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Dei voluntati omnia tribuit.

HOMILIA LXV.

Non potest autem oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus. Imò multò

potius, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus in corpore inhonestiora esse, ijs honorem ampliorem circumponimus: & quæ sunt in nobis indecora, copiosiorem decorem habent. Nam quæ sunt in nobis decora, ijs decore non est opus: sed Deus simul temperauit corpus, ei cui deerat, copiosiore tributo honore: Vt ne sit dissidium in corpore, sed membra idem curent alia pro alijs. Itaque siue patitur vnum membrum, simul dolent omnia membra: siue honore afficitur vnum membrum, simul gaudent omnia membra.

NIhil inter homines tam vulgare est, quàm quòd à Deo acceptis donis, tam corporalibus quàm spiritualibus, ad suam simul & aliorum pernitiem abutuntur. Fiebat hoc apud Corinthios quoque, & ideo Paulus de donorum Dei ratione & vsu vero diligenter disserit, & doctrinam suam simili corporis humani atque membrorum illustrat, vt nunquam non nobis occurrat de his cogitandi occasio. Id verò sic proponit, vt fidi medici instar simul vitijs occurrat, quibus in hac causa maximè peccatur. Primum, eorum est, qui paucioribus donis instructi, se in gradu inferiori constitutos esse vident. Hi ferè suam sortem impatientius ferunt, & ideo alijs inuident, & quasi non pertineant ad Ecclesiam, omnium aliorum commercia atq; consuetudinem fugiunt: imò frequenter aduersus Deum quoq; murmurant, quasi is iniquè dona sua inter homines partiatur. De his nuper dixit, & quid eos deceat, docuit. Alterum vitium eorum est, qui donorum excellentia & functionis suæ dignitate multis alijs præstant. Hi ferè sibijpsis placent, & quasi sibijpsis sufficiant, alios contemnunt, quasi eorum nullus sit vsus in Ecclesia. Hinc lites acerbißimæ & dißidia exitialia nascuntur: quia natura sic comparatum est, vt ij quoq; qui sua sorte contenti viuere norunt, ab alijs tamen contemni & insolentius negligi nolint. Pergit ergo in proposita parabola Apostolus, & nunc cum istis quoq; agit, & eos grauiter admonet, ne quem se inferiorem contemnant. Estq; pars ista dignißima diligentiori consideratione: quia vt horum insolentiam deprimit, ita alteros illos efficacißimè consolatur.

Nemo contemni debet, qui qualecunq; Ecclesiæ membrũ est.

Propositio est, neminem contemni debere, vel potius aliqua iusta ratione contemni posse, quem Deus fide donare & Ecclesiæ suæ membrum facere dignatus est. Id verò rursus per Prosopopœiam explicat, dum membris sermonem tribuit. Non potest (inquit) oculus dicere manui, Non est mihi opus te: Aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus. Per oculos possunt doctores intelligi, quos in Ecclesia speculatorum loco positos esse, ex Ezechiele constat, & idem Episcopi vocabulum euidenter docet. Manus sunt, quorum opera in rebus administrandis opus est, opifices item & quicunq; alij sunt eius ordinis. Capitis loco sunt omnes, qui in eminentiori dignitate constituti alijs imperant. Per pedes autem vulgus promiscuum rectè intelligemus. Itaque verborum istorum sensus erit: Quemadmodum inter oculos & manus, caput & pedes ingens discrimen est, siue situm membrorum siue eorundem vires atque dignitatem consideres, nullum autem alterius opera & ministerio carere potest: Sic in Ecclesia multùm quidem inter se differunt credentes, omnium tamen vsus est aliquis non vtilis modò, verumetiam ad Ecclesiæ constitutionem atque conseruationem necessarius. Et debet obseruari locutio, Non potest oculus dicere manui, &c. Supra enim scripserat Apostolus: Si dicat pes, Si dicat auris, &c. Illic enim inuidorum aut ex pusillanimitate desperantium verba atque mores expreßit, qui affectu superati multa ineptè & absurdè dicunt & faciunt. At hîc cum superbis & arrogantibus ipsi res est, qui & ipsi multa huius generis dicere solent, ostendit autem hoc illos nulla cum ratione iusta aut saltem probabili facere posse, cùm quotidianus rerum vsus eos conuincat: quo abunde docemur, neminem esse, qui non interdum opus habeat hominum abiectißimorum opera atque ministerio. Sed quod proposuit Paulus, rationibus quoque confirmat, quas ita adducit, vt simul argumenta confutet, quibus confidentes illi seipsos decipiunt.

Primum inter illa est, quòd suam excellentiam cum aliorum tenuitate conferentes, stulta & stolida persuasione sibijpsis persuadent, nihil vtilitatis ad ipsos redire posse ex contemptis illis & obscuris, qui ferè toti ab aliorum authoritate atque consilio pendent. Illis ergo respondet, dicens: Imò multò potius, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt. Est hoc nimis euidens, neque id aliquis negauerit, qui corporis constitutionem diligentius considerat. Infirmißimæ huius partes sunt caput, oculi, aures, nares. Illud enim doloribus & morbis infinitis obnoxium suo languore frequenter totum corpus debilitat, hæc autem facillimè læduntur, neque habent quo se à vi externa defendant. Quid verò ijsdē magis necessarium? Quid enim sine capite reliquum corpus erit aliud quàm truncus exanimis atque putrescens? Quid verò videbunt, audient, odorabuntur manus, tibiæ, pedes, si oculos, aures & nares auferas? Rursus etsi caput cum oculis atque auribus supremum in corpore gradum teneant, membris tamen se multò inferioribus non possunt vllo modo carere. Eadem omnino est ratio inter Ecclesiæ membra. Quid in hac contemptius & infirmius ferè est doctoribus, qui oculorum vices (vt paulò ante diximus) obeunt? Nos (inquit Apostolus) stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: nos ignominiosi, vos gloriosi: Ad hoc vsque tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus, &c. Quod autem de seipso & Apostolis reliquis dixit, hoc imprimis locum habet in alijs, qui ne inter Christiani quidem nominis professores eam dignitatem obtinent, qua olim Apostoli excelluerunt. Quid verò tam necessarium est quàm Verbi prædicatio, quæ si ministros & doctores è medio tollas, nulla erit? Cessante prophetia (Solomon olim dicebat) dißipatur populus. Quia enim per Verbi doctrinam Ecclesia colligitur, eam consistere impoßibile est, si illa cesset. Exemplum eius rei memorabile nobis tempora Heli Sacerdotis exhibent, quando populi Israelitici status infelicißimus fuit, eius autem causa indicatur, quòd Verbum Domini pretiosum, id est, rarum esset: ijs nimirum in suo munere cessantibus, qui illud annuntiare debebant. Rebus autem afflictis tunc consulturus Deus Samuelem excitauit, per quem Verbi prædicatio instauraretur. Et Amos propheta extremum exitium populo denuntiare volens, famem Verbi Dei minatur, quæ infelices hinc inde discurrere cogat, vt aliquam animarum suarum refocillationem inueniant. Id verò Iudæis, qui nostro tempore viuunt, accidere videmus. Quia enim legitima Verbi prædicatione destituti sunt, per fœtidas Rabbinorum paludes atque lacunas volutantur, & exitiali cœno seipsos demergunt, dum animi æstuantis sitim volunt restinguere. Quid multis hodie eueniat, qui cùm Christiani dicantur, Verbum tamen Dei audire nolunt, vel ab eo audiendo principum edictis arcentur, notius est quàm vt commemorare opus sit. Sed vt ad institutum redeamus, etiamsi ijdem doctores quoad suæ conditionis gradum alijs Ecclesiæ membris excellentiores sint, his ipsis tamen carere nequaquam possunt. Quid enim erit doctor absque discipulis? Idem quod pastor absque ouibus, & quod imperator absque militibus. Denique vt in tota rerum natura ferè maior & frequentior vsus est eorum, quæ minus pretiosa sunt (etenim ferro magis quàm auro, lignis magis quàm argento ad res necessarias vtimur: frugibus item multò minus quàm gemmis carere possumus) ita in Repub. & Ecclesia res maximæ plerunque per inferioris gradus homines perfici consueuerunt. Nam vt ad vulgaria descendamus, quis non videt, magis nos ad vitæ communis vsum opus habere agricolis, opificibus, nautis & alijs qui mercede conducti opus faciunt, quàm otiosis illis, qui generis nobilitatem luxu vestium, fastuoso incessu & superbo aliorum contemptu ostentant. Et vt summatim dicamus quod res est, qui diuitijs abundant minus sibijpsis possunt sufficere, quam pauperes, quos sua egestas ingeniosos & ad quemuis laborem industrios atque tolerantes facit: cùm alteri illi omne præsidium in pecunijs habeant, quibus alios conducere coguntur, quorum ministerio res suas conficiant. Sunt etiam exempla, quæ docent, Deum sæpius in populo suo seruando hominum abiectißimorum opera vsum fuisse: vtpote Mosis, Gedeonis, Dauidis, vt de mulieribus nunc nihil dicamus, quarum singularis virtus aliquando eluxit, turpiter cessantibus viris, qui fortißimi & sapientißimi esse videbantur. Quoties item viri multo rerum vsu exercitati non vident neque intelligunt ea, quæ pueris aut hominibus plebeis nota atque perspecta sunt? Id certè in religionis & æternæ sa-

Infirmiora membra magis necessaria.

1. Cor. 4.

Prouer. 29.

1. Sam. 3.

Amos 8.

Matth. 11. lutis causa tam vulgare aut frequens est, vt Christus non dubitarit gratias agere Deo Patri, qui mysteria Regni sui celarit huius seculi sapientes, reuelauerit autem pueris siue infantibus. Quotquot ergo cognitione ista illuminati sunt, ij imprimis necessarij sunt, licet quoad alia homines contemptissimi videantur, nec aliquis est, qui verè dicere possit, se vel hoc vel illo non opus habere. Turpiter autem seipsos fallunt, qui suarum virium atque donorum fiducia ebrij aliquem præ se contemnunt. Poterant hos, nisi communi sensu destituerentur, potentissimorum Regum exempla terrere, qui frequenter vilissimorum hominum ope seruantur: quod olim Xerxi quoque accidisse, historici testantur.

Neminem alterius pudere debet.

Cæterùm aliud præterea vitium est, quo confidentes illi sibijpsis imponunt. Nam aliorum sæpe illos pudet, vel quòd illos egestate premi, vel peccatis aut sceleribus infames esse vident. Rursus ergo hîc quoque nos ad corporis nostri fabricam remittit. Nam in illo etiam partes aliquæ indecoræ sunt, quarum nos pudet. Num verò eas abijcimus? num ignominiosius easdem tractamus? Imò, iaquit Paulus, quæ putamus in corpore inhonestiora esse, ijs honorem ampliorem circumponimus: & quæ sunt in nobis indecora, copiosiorem decorem habent. Prudenter autem ait, Quæ putamus in corpore inhonestiora esse. Quia Deus nihil fecit aut creauit, quod per se turpe aut inhonestum sit: propter peccatum autem fit, vt nos nunc membrorum quorundam pudeat, quæ vel generationi vel excrementorum euacuationi seruiunt. Ideo de primis parentibus priusquam peccassent, scribitur: Erant vterq; nudus, nec erubescebant. Quàm primùm verò ad vetiti pomi esum oculi eorum aperti sunt, pudore suffusi ficuum folia contexuerunt, quibus partes illas velarent. Et durat mos iste etiam hodie, vt non modò tegantur, verumetiam (quod Paulus in præsenti annotauit) ornatu aut decore ascititio ornentur, ne aliqua in illis turpitudo appareat. Et cur idem non in alijs quoque membris fiat, docet: quia quæ in nobis decora sunt, ijs decore aut ornatu alieno non est opus. Adhæc, ne quid hîc temere fieri putemus, Dei constitutionem allegat, qui corpus nostrum ita temperauerit, vt membris quibus naturalis decor deest, copiosiorem tribuerit honorem. Docet hoc communis sensus, cuius non obscura indicia in barbaris etiam hominibus apparent, qui cum propter cœli clementiam, aut nimium calorem corpore nudi incedant, partes tamen illas velo aliquo velare consueuerunt. Vnde colligimus in naturæ leges peccari à Cynicis illis, qui membra ista vel non tegunt, vel tegendo sic exprimunt, vt non situs modò illorum euidentior sit, verumetiam forma turpior appareat, quàm si prorsus nudarentur. Regnat petulantia ista hodie passim inter viros & mulieres. Quis enim illorum brachas ignorat, quas vel pyramidum instar acuunt, vel ad formam belluini alicuius capitis effigiant, aut ea figura repræsentant, quam pictores diabolo affingere solent? Possunt fœditatem istam Turcæ in Christianis hominibus detestari: at nostris principibus oculi desunt, quibus ista videant, imò vtinam non ipsi quoque procul abiecto pudore idem facerent. De mulierum lasciuia pudet dicere, quæ non sunt contentæ mammas & femur quoq; vestitu meretricio ostentasse, nisi incessu quoq; libidinem tam suam quàm spectatorum suorum irritent. Sed sunt hi nouissimorum temporum mores, quibus olim finem imponet Dominus aduentu suo glorioso.

Qui nam imprimis curæ debeant esse omnibus.

Admonemur autem toto hoc loco, quid ijs debeamus, quorum multos pudet, qui Ecclesiæ conditionem non rectè considerant. Sunt inter illos præcipui, pauperes & peccatores. Vtrumque istud hominum genus præ alijs curari debet. Nam quoad pauperes, iuuari debent, ne publica egestatis exempla fiant: quia si negligantur, id sine totius Ecclesiæ ignominia fieri non potest. Discurrunt

1. Pauperes.

enim & passim quiritando suorum duritiem accusant. Quòd si verò ad Papistas vsq; excurrant, multiplex his calumniandi occasio præbetur: nec possunt pro germanis Christi discipulis agnosci, qui fidei domesticos inopes atque famelicos oberrare patiuntur. Accedit his, quòd ex mendicis ferè ἄτακτοι vel inordinati illi homines prodeunt, qui omni tam Ecclesiasticæ quàm politicæ disciplinæ iugo excusso vagantur, & similes sui posteros generant, qui Christiani nominis labes & totis populis tandem oneri sunt. Ideo Deus olim mandauit, ne quis in Israel mendicus esset, ita verò

Deut. 15.

egenis prospiceretur, ne ostiatim victum mendicare cogerentur. Quod quàm diligenter obseruarit primitiua Ecclesia, alibi diximus. Meminisse ergo nos oportet, pauperes Ecclesiæ & eiusdem nobiscum corporis membra esse, inhonestiora quidem mundi iudicio, sed talia quibus nos carere nullo

nullo modo poßimus. Christi enim vox est, quam ex Lege repetitam promulgauit: Pauperes sem per habebitis: & vt eos habeamus necesse est. Primum vt in illis occurrat semper Christi imago, qui pro nobis in hoc mundo egestatem & famem perpessus est. Deinde vt occasio nobis sit exercendæ charitatis, quem ille discipulorum suorum tesseram esse dixit, ex qua agnosci poßint. Deniq. vt in illis ipsum Christum nostra beneficentia recreare queamus, qui se in suas rationes adscribere velle pollicetur, quicquid in illos collatum fuerit. Quod ergo in velandis & exornandis nostri corporis membris inhonestioribus facere solemus, id ipsum in pauperibus iuuandis atq. alendis faciamus, ne egestas eorum nobis aut Ecclesiæ toti sit dedecori.

Quoad verò peccatores & aliquo grauiori delicto infames, magna quidem peccati turpitudo est, cuius illos ipsos tandem pudet, qui aliquando suis desiderijs licentius indulgent. Quam ob rem Paulus rectè dicebat: Quem fructum habebatis ex ijs, de quibus nunc erubescitis? Et supra audiuimus, flagitia publica luctu etiam publico prosequenda esse. Verumtamen charitatis est, illa non odiose diuulgare, sed tegere potius, quoad eius potest fieri, & amicis admonitionibus corrigere, adhæc consolationibus eos confirmare, quos illorum cognitione iam perculsos & territos esse videmus. Et hic in Ecclesia admonitionum quoque publicarum & increpationum scopus esse debet. Quòd si qui priuatim in nos peccauerunt, illis quoque offensam omnem condonare Christus iußit, & ipsi nos ad illud proprijs precibus obstringimus, dicentes: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Neque id facere cuiquam graue aut iniquum videatur. Nam qui nos iniuria affecit, aut frater est, aut à fide & religione vera alienus. Quòd si frater est, eum vlcisci non potes, nisi teipsum lædas, aut saltem aliqua infamiæ notam tibi aspergas. Quòd si Christi ignarus totusq. prophanus est, quid mirum est, si petulantius & insolentius tecum egerit? De Socrate fertur, cùm per forum ambulanti quidam colaphum impegisset, & amici proteruum illum in ius trahere iuberent, illum respondisse. Et quid mihi faciendum esse censeretis ô boni, si me asinus calce ferijsset? an hunc quoque apud iudices accusare deberem? Videbat sapiens vir, hominem absque ratione proteruientem nihil ab asinis differre. Quid ergo nos de ijs sentire oportet, qui religionis quoque cura nulla ducuntur? Quia tamen Paulo de ijs sermo est, qui Ecclesiæ nobiscum membra sunt, eos amore prosequamur tunc quoque, quando aliquid sua professione indignum fecerunt, & curemus ne ipsorum nomen atque fama per nos in periculum grauius adducatur.

2. Peccatores.

Rom. 6.
1. Cor. 5.

Sed præstat finem huius doctrinæ inspicere, quem Apostolus his verbis indicat: Vt ne sit dissidium in corpore, sed membra idem curent alia pro alijs. Subest his argumentum à necessario. Si enim mutua hac cura & solicitudine opus est, ne scisma fiat, id omnino fiat oportet, vbi illa negligitur. At scisma inter membra fieri non potest absque totius corporis destructione. Ergo illud necessario cauere debent, qui corporis saluti consultum volunt. Vidit hoc ipsum olim Menenius Agrippa, quando populum Romanum, qui secessionem ex vrbe fecerat, apologo simili de membris corporis humani cum ventre dissidentibus, rursus cum Patribus conciliauit. Quod ideo commemoramus, vt tantò maior sit apud nos huius doctrinæ authoritas, quando gentes illam agnoscere potuerunt. Etenim eandem esse Ecclesiæ & Reipub. conditionem, quæ corporis & membrorum est, Christus docet his verbis: Omne regnum partitum aduersus sese vastatur: & domus aduersus se partita, cadit. Et notum est illud Pauli: Si alius alium mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alius ab alio consumamini. Exempla, quibus hoc confirmatur, paßim in historijs occurrunt, & vtinam non hodie istud sentiremus cum præsenti potentißimarum nationum & inter has agentium Ecclesiarum periculo.

Finis vnionis Ecclesiasticæ.

Luc. 11.
Galat. 5.

Est ergo diligenter nobis obseruandum Apostoli de vitandis dissidijs consilium, quod subijcit: Membra idem curent alia pro alijs. Et mox infert: Itaque siue patitur vnum membrum, simul dolent omnia membra: siue honore afficitur vnum membrum, simul gaudent omnia membra. Duo præcipit. Primum, vt alij aliorum curam habeant, & non arbitrentur aliorum res nihil ad se pertinere. Cur enim hoc sibi aliquis persuadeat, cum eadem omnium origo, eadem natura, & ijsdem omnes casibus obnoxij simus, nec aliquis sibijpsi poßit sufficere? Imò vt membrum pereat oportet, & simul alia quoque perdat, quod sua quasi statione relicta opem quam alijs debet, negat:

Mutua cura & compaßio commendatur.

Ita seipsos & alios in periculum adducunt, quotquot alios omnes negligunt, & sibi solis viuere instituunt. Quapropter alterum quoq; præcipit Apostolus, quo hîc imprimis opus est: συμπάθειαν nimirum: siue compaßionem, qua fit, vt alius aliorum commodis atq; incommodis afficiatur. Et huius quoque typum in corporis humani atque membrorum constitutione proponit. Siue (inquit) patitur vnum membrum, simul dolent omnia membra: siue honore afficitur vnum membrum, simul gaudent omnia membra. Indefinitè loquitur, vt simul membra omnia & quæcunque his accidere solent comprehendat. Est autem omnibus notum quod hîc dicitur, & in semetipsis singuli quotidie ista experiuntur. Etenim si pes offenderit, aut eius plantæ spina infixa hæreat, mox omnia corporis membra ad opem ferendam properant. Incuruatur dorsum, vt caput ad pedem se propius poßit demittere, manus eundẽ molliter contrectat, intuentur locũ affectum oculi, fœtorem eius nares non fastidiunt. Similiter si oculus periclitetur, manus clypei loco sese obtendunt: & eædẽ tanto studio membris omnibus adsunt, vt in prouerbiũ ea res abierit: Vbi dolor, ibi manus. Non autem ista modò obseruari vult Paulus, sed dum membra in se mutuo συμπάσχειν καὶ συγχαίρειν, id est, compati vel condolere & congaudere scribit, non obscurè innuit, affectiones illas corporis ad ipsum quoque animum pertingere. Etenim cruciatus membrorum animo dolorem afferre, & ideo nobis horrori esse, nemo est qui non in semetipso sentiat. Vicißim animo dolente, ex præcordijs & pulmonibus suspiria siue gemitus ducuntur, collachrymantur oculi, debilitatur caput, cibos fastidit stomachus, corpus denique totum languet, & melancholia superante frequenter letales morbi surgunt. Quòd si animo bene sit & gaudio exultet, mox gaudij istius signa in vultu, sermone, incessu & gestibus apparent. Ideo à Salomone non minus verè quam prudenter dictum est: Cor lætum bonam parit valetudinem, mens autem tristis exiccat ossa. Prouerb. 17. *Vult ergo hoc ipsum inter homines Christianos obseruari Apostolus, vt nimirum alij aliorum damnis atque ægritudinibus afficiantur, & rursus aliorum quoque gaudijs gaudeant. Est hæc causa amoris mutui, & verißima amicitiarum conciliatrix inter eos etiam, qui prius sibi mutuò vix noti erant. Vbi verò secus fit, ibi simultates gliscunt, odia accenduntur, & hæc tandem in apertas inimicitias & dißidia cum publico Ecclesiæ malo erumpunt. Vitabunt hæc omnia facilè, qui diligentius cogitant, quàm arcta cognatione homines inter se Deus constrinxerit. Potuerunt hanc obseruare qui inter gentes mentis oculos paulò altius extulerunt in eorum considerationem, quæ nos facere decet. Etenim memorabilis est M. Antonini Imperatoris sententia,* Lib. 1. de vita sua. *quam contra eos disserens, qui aliorum vel ingratitudine vel malitia se à benefaciendo & amando auocari sinunt, inter alia sic scribit: Ego, qui naturam boni perspectam habeo, quòd honestum sit, & mali quòd turpe sit, ipsamq; eius qui peccat naturam, quòd mihi sit cognata (non quia eiusdem carnis est aut seminis, sed mentis & diuinæ particulæ particeps) à nullo eorum lædi poßum. Neque enim in me turpitudinem aliquam quisquam conijciet. Ei porrò quod mihi cognatum est, neque irasci poßum, neque infensus esse: Vt enim vnus alterum iuuaret in suo opere, eò nati sumus, vt manus, vt pedes, vt palpebræ, vt superiorum inferiorumq; dentium ordines. Quare contra naturam est, vt inuicẽ nobis repugnemus: atqui succensere & auersari se inuicẽ, id quidem est repugnare. Hæc Antoninus, qui in Christianos persecutionem aliquando mouerat, sentire & loqui potuit, quæ hodie à plerisque aut ignorantur, aut saltem contemnuntur, qui in Christi schola præ alijs profecisse videri volunt. Est ergo locus iste totus multa & diligenti consideratione dignißimus. Docet enim nos iudicare de nostri seculi moribus atque studijs, quando omnes ferè homines sibi solis viuunt, sibi prospiciunt, alios verò periclitantes securi negligunt, vt non tam Christianæ cognationis quàm humanitatis atque communis sensus obliti esse videri poßint. Quid verò de priuatis multorum calamitatibus dico, quæ paucißimos mouent, quando plerique Ecclesiarum ruinas & quæ paßim toti nomini Christiano incumbunt pericula siccis oculis intuentur? Et hi quidem optimi sunt, si cum illis conferantur, qui insuper periclitantibus insultant, & afflictis afflictionem addunt. Isti verò quid aliud faciunt, quàm quod Christum in cruce pendentem aceto & felle potant? Meditemur ergo diligente. ô fratres, quid per corporis nostri fabricam nos Dei prouidentia doceat: & cùm nos eodem neceßitatis atque naturæ vinculo obstrictos esse constet, nemo alterum vt nihil ad se pertinentem negligat, sed quisque alium se præstantiorem putet,*

aliorum

aliorum commodis studeat, afflictis autem & calamitosis condoleat: potissima autem nobis cura sit, ne Ecclesiæ vnitatem æmulatione aut contendendi libidine, aut superbo aliorum contemptu scindamus: sed itidem affecti: eandem charitatem habeamus idemque sentiamus in CHRISTO IESV, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXVI.

Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deindè Prophetas, tertiò Doctores: inde Potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores? num omnes sunt Potestates? num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?

EXposuit hucusque Paulus diligenter parabolam de corpore humano & membrorũ eius consensu. Summa illius est, illud etiamsi ex multis membris constet, vnicum tamen esse, membra autem ista inter se vnitatem & concordiam colere, adeò vt nullum alteri inuideat, nullum aduersus alterum insurgat, sed potius alia alijs condolere & congaudere: Omnia verò ista in eum finem dicuntur, vt doceat, idem omnino inter homines Christianos obseruari debere, ne propter donorum & functionum diuersitatem inter se scindantur, sed potius vnanimi studio in commune deponant quicquid à Domino acceperunt, & ita officijs mutuis Ecclesiam adiuuent atque conseruent. Cæterùm poterant ad ista Corinthij obijcere: Multis tu quidem ô Paule, ista declamas & vrges: quid verò illa ad nos? Etenim fiunt ista in humano corpore motu quodam naturali, cuius ratio non alia afferri potest, nisi quòd vna est atque continua totius corporis omniumq; eius membrorum essentia atque connexio, quodque ab vnius mentis consilio omnia illa dependent. Atqui longè alia est ratio hominum, inter quos nihil huius est videre. Nam vt personis separati & distincti sumus: ita singuli suo etiam sensu abundant, & non alienæ, sed propriæ mentis consilio atq; motu feruntur, nec temere prouerbio dicitur: Quot homines, tot sententiæ, suus cuiq; mos est. Itaq; Paulus quæ dixit, nunc causæ præsenti applicat.

Vos autem (inquit) estis corpus Christi, & membra ex parte. Quæ verba cum ijs, quæ præcesserunt, sic cohærent, vt argumentum ex illis eiusmodi formare possis: Quotquot corpus sunt vnum, ij vt membra inter se vnitati & concordiæ studere debent, neque aliquam ob causam temere scindi: Vos estis corpus Christi, & ex parte membra, nimirum Christi & corporis eius, prout cuique datum est pro sui muneris aut officij ratione: Ergo vnanimi consensu vnitatem colere debetis, vt neque inuidia vel odio, neque superbo aut insolenti aliorum contemptu à vobis inuicem diuellamini. Si enim naturæ tanta vis est in omnium animantium corporibus, vt membra inter se consentiant, quantò maior esse debet gratiæ & Spiritus Dei, qui in credentibus agit? Dicitur autem Ecclesia corpus Christi, quia hic illius caput est, ex quo singuli fideles spiritum vitæ, lucis veræ cognitionem, motum denique & bene operandi vires hauriunt. Ex quo sequitur, impios & quotquot à fide alieni sunt, non esse Ecclesiæ membra, etiamsi in eius externa societate agant. Vt enim membrum corporis non amplius dici meretur, quod arefactum aut mortuum non communicat cum spiritu vitali, qui per omnia corporis membra diffunditur: ita fieri non potest, vt Ecclesiæ & Christi membrum sit ille, in quo Christus non agit suo Spiritu, quiq; vitæ illius communis, quam credentes ex illo hauriunt, non est particeps. Debent hoc omnes diligenter expendere ne seipsos inani professionis externæ fiducia decipiant, & hoc ad salutem sufficere putent, si propter Sacramentorum communionem inter Ecclesiæ ciues censeantur. Confutatur etiam hic Anabaptistarum error, qui pios & verè credentes pollui putant, si in Sa-

Corporis simile applicatur Ecclesiæ credentium.

cramentorum vsu cum impijs aut incurabilibus hypocritis communicent. Quia enim hi non sunt germana Ecclesiæ membra, non potest ipsorum improbitas illis fraudi esse, qui vera fide prediti sunt, & Christi Spiritu ducuntur.

Credentes sunt corpus et membra Christi.

Cæterùm præstat hoc loco diligentius considerare incredibilem Dei bonitatem, qui homines in tam sublimem dignitatem euexit, vt Filij sui vnigeniti corpus & membra dicantur. Etenim ne cœli quidem illum capiunt, & (vt Propheta canit) eius gloria atque maiestas cœlis sublimior est. Idem tamen se eò vsque demittit, vt nos inhabitare dignetur, & nos templum sibi faciat. Dictum de hoc supra cap. sexto. At non contentus hac nos dignitate exornauisse, insuper nos Filio suo despondit, vt sicuti per coniugium duo fiunt vna caro: ita nos cum CHRISTO IESV coalescamus, imò eius corpus simus, os ex oßibus eius, & caro ex carne eius, vt ad Ephesios Paulus scribit. Hoc vt mysterium est excellentißimum, quod captum humani ingenij omnem superat: ita beneficium quoque est, cui explicando & prædicando nulla hominis eloquentia sufficit. Finge Regem aliquem potentißimum vxorem sibi deligere humili & obscuro loco natam, quam syncero amore complectatur, & dignitatis suæ bonorumq; omnium consortem habeat. Quis non hoc factum admirabitur? Quis illius bonitatem non prædicabit? Attamen hoc ipsum nihil fuerit, si cum hac Dei bonitate conferatur. Illic enim fortunarum modò diuersitas est, eadem autem est natura vtrinque, cùm vterque homo sit, & vel forma, vel morum similitudo, aut virtutum pulcherrimarum consideratio principem mouere potest, vt talem potius quàm inani natalium & diuitiarum splendore superbientem sibi desponsare velit. At si nos cum Deo conferas, nihil horum reperies. Nos enim varijs casibus obnoxij, omnium indigentes, mortales, adhæc iniusti, impuri, mendaces, & propter inhærentem nobis naturæ vitiositatem æternis inferorum cruciatibus digni sumus, nec idonei, qui ex nobis ipsis aliquid vel cogitemus: Ille verò æternus & extra omnem fortunæ casum constitutus, adhæc bonorum omnium copiæcornu, immortalis, iustus, sanctus, verax, ipsa denique iustitia atque veritas est, sibiq; ipsi solus ad omnia sufficit. Quid ergo illum mouere potuit, vt nos infelices & impuris sanguinibus immersos (vt per Ezech. loquitur) eligeret, & sanguine Filij sui ablutos sibi desponsaret? Nihil certè præter bonitatem & misericordiã, cuius simile exemplum nullũ vnquam Sol iste spectauit. Seruiat ista consideratio nobis in omni tentationũ genere, vt ex ea consolationẽ petamus. Quis enim de Dei clementia dubitet, aut nos ei minus curæ esse arbitretur, qui nos tã arcto tamq; fido vinculo sibi copulauit?

Ephes. 5.

Ezech. 16.

Credentium officia.

At simul nos ista officij admonere debent, quod in duobus potißimùm consistit. Primum est, vt CHRISTO IESV, Filio Dei æterno, fidem seruemus inuiolatam. Hæc enim coniunctionis istius vinculum est, neq; aliud medium inuenitur, quo ille à nobis apprehendi & retineri poßit. Seruant autem illi fidem, qui vt sponsum suum colunt & obseruant, qui ab illo vno pendent, & in ipso vno sibi reposita esse sciunt, quæcunque nobis ad salutem æternam necessaria sunt. Quotquot ergo fiduciam salutis aliò transferunt, & alios sibi seruatores atque vindices fingunt, siue illos ex viuentium siue defunctorum numero deligant, ij vinculum sanctißimi illius coniugij non tam scelerata quam sacrilega perfidia abrumpunt. Et hæc spiritualis illa fornicatio est, de qua Deus frequenter per Prophetas cum Israëlitarum gente expostulat, & propter quam dignos iudicauit, quos abdicatos horribili excidio perderet. Vt autem quæ fidem coniugalem fallere suamque pudicitiam obscœnis amatoribus prostituere audent, simul rem domesticam fœdè dißipant: ita qui à Christo deficiunt & idololatriæ atque superstitionum spiritu ducuntur, ijdem vitam viuunt ab illius spiritu alienam, & vel in omnem scelerum licentiam impudentißimè effunduntur, vel impia hypocrisi Deo & hominibus fucum facere student. Quàmuis ergo in externa Ecclesiæ societate aliquem locum habeant, vera tamen illius membra non sunt, neque in Christi corpore censentur. Alterum est, vt singuli meminerint, se esse membra ex parte, id est, non eos esse, qui vel soli totum corpus constituant, vel sibijpsis ad omnia sufficiant: sed aliorum opera indigere, quibus ipsi vicißim suam operam præstare debeant. Itaque Christiani hominis officium duabus hisce partibus comprehenditur, vt primùm Christo, animarum nostrarum vnico sponso, fidelis sit: deinde vt per charitatem siue dilectionem omnibus pro sua virili seruiat atq; benefaciat.

Priusquam

Priusquam verò hinc discedamus, non inutile fuerit, Chrysostomi expositionem audire, qui postremum hoc membrum, *Et estis membra ex parte*: ad totam Corinthiorum Ecclesiam extendit, quasi hanc Paulus admoneat, vt meminerint, se non solos esse Christi Ecclesiam, sed membrum solummodo Ecclesiæ illius vniuersalis, quæ per omnia tempora ab origine rerum vsq; ad finem seculi, per loca item omnia siue gentes & nationes omnes extenditur. Est sensus iste ab instituto Pauli non omnino alienus, & docet inter Ecclesias quoque non debere locum dari stultæ & ambitiosæ æmulationi, qua alia alij præferatur, aut vna aliqua in alias omnes sibi primatum vendicet. Est enim (vt sæpe iam diximus) vnica Christi Ecclesia, quam ideo Catholicam, id est, vniuersalem dicimus, quia omnium seculorum atque locorum credentes complectitur. Huius membra maiora & generaliora (vt sic loquar) dici possunt Ecclesiæ, quæ per orbem terrarum dispersæ locis distinguuntur. Inter istas quàmuis interdum alia alijs præstet atque celebrior sit propter credentium multitudinem, præclaras Spiritus Sancti dotes, & eximios, qui in ea sunt, Christi seruos, id tamen perpetuum non est, neque aliqua sibi propterea apud posteros quoque eam laudem aut gradum debet vendicare. Solet enim Deus dotes illas sæpe alio transferre, & subitas mutationes facere, ne Spiritum alicui loco astrictum aut alligatum esse putemus. Sic Apostolorum temporibus initio Hierosolymorum Ecclesia excelluit, cùm in ea illi adhuc omnes docerent. Mox huic præferri potuit Antiochena, quæ (vt Lucas scribit) prophetis & doctoribus abundauit, & ex qua Paulus atque Barnabas per Spiritum euocati Euangelium inter gentes longè lateq; prædicauerunt. Sed & Paulus Macedonum Ecclesias, Thessalonicensem videlicet & Philippensem, præ alijs laudat. Posteris temporibus Alexandrina aliquandiu quàm maximè floruit. Quid quòd Hippo, non amplum neque nobile Affricæ oppidum, multis alijs præferri meruit, cùm illic D. Augustinus agens, omnes sui temporis episcopos doctrinæ puritate, studio & diligentia vinceret? Et huius generis exempla plura enumerari possent, quæ docent, Christum in terris hisce nullum sibi locum delegisse, in quo Ecclesiæ suæ perpetua & primaria sedes constitui debeat: quales in regnis huius mundi haberi solent. Id verò omnibus Ecclesijs proprium atque perpetuum est, quòd CHRISTVM IESVM, caput & sponsum habent, & huius corpus atque membra sunt. Qui verò dominium & imperium in alias Ecclesias affectant, ij spiritu Antichristi aguntur, & huic viam sternunt. Imò, vt historia docent, ista æmulatio Antichristum nobis peperit. Viderunt hoc olim optimi quique, & ideo resistendum esse putarunt ijs, qui in Ecclesijs alienis nimiùm audebant. Sic Chrysostomus Epiphanio sese opposuit, viro aliàs docto & bene merito, quòd in causa librorum Origenis per Ecclesias discurreret, & multa faceret contra Canones, Synodos cogendo & suffragia colligendo, inconsultis vel etiam inuitis legitimis Episcopis. Sed & Gregorius ille Magnus Ioanni Constantinopolitano, titulum vniuersalis Patriarchæ aut Episcopi ambienti, fortissimè restitit: & ad ipsum scripta epistola grauiter monet, neminem præter vnum Christum debere vniuersalem Episcopum dici, negatq; vllos ante se Episcopos hunc titulum vsurpauisse. Titulum item dicit esse nouum, stultum, superbum, peruersum, scelestum, prophanum: in quem consentire perinde sit atque fidem abnegare. Et rursus: Ego autem fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit. Et hoc quidem ab eo verissimè dictum est. Nam Ioannes ille Constantinopolitanus non multò post occasionem dedit Bonifacio III. vt honorem istum à Phoca impetraret, eoq; impetrato Antichristus fieret.

Chrysostomi de hoc loco sententia.

Socrat. lib. 6. cap. 14.

Lib. 4. epist. 3[illegible] Item lib. 6. epist. 30.

Sed redeamus ad Paulum, qui præcipua corporis huius mystici, Ecclesiæ Christi nimirum, membra enumerat vnà cum suis ministerijs, ad quæ destinata sint. *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, &c.* Quo loco ante omnia ordo debet obseruari, quo Apostolus in ista tractatione vtitur. Hucusq; enim de donis spiritualibus disseruit, & membra etiam docuit esse diuersa. His nunc demum ministeria & functiones ecclesiasticas subijcit. Ita verò nos de ordine admonet, quem Deus solet obseruare, qui non ordinat Ecclesiæ suæ ministros, nisi quos prius donis necessarijs instruxit. Exempla, quæ huc faciunt, passim habentur in Mose, Aarone, Bezaleele, prophetis deniq; Veteris testamenti omnibus. Quibus Apostoli & Septuaginta illi discipuli adnumerari debent. Imò etsi Apostoli priusquam Christus moreretur, ali-

Membra Ecclesiæ præcipua, cum suis ministerijs.

quod prædicationis Euangelicæ tyrocinium inter Iudæos dedissent, eosdem tamen ab Hierosolyma discedere & inter gentes docere noluit, donec Spiritus donis vberioribus abunde essent instructi. Obseruarunt præceptoris sui exemplum Apostoli in primitiua Ecclesia, sicuti in Matthiæ electione, Pauli item & Barnabæ missione ad gentes est videre. Idem ergo hodie etiam obseruent, qui ius ordinandi ministros penes se esse volunt, ne quem muneri huic non minus periculoso quàm sancto & necessario destinent, nisi quem donis necessarijs instructum esse norint. In eum enim vsum Spiritus Sanctus ab Apostolis Canones certos describi voluit, non fictitios illos & superstitionum ineptissimarum plenos, quos aduersarij nostri pro tuenda Romani Pontificis authoritate nunquam non in ore habent, sed qui apud Paulum in priori ad Timoth. cap. 3. & ad Tit. 1. extant. Quibus meritò adnumeraueris, quæ Petrus postremo cap. prioris suæ epistolæ tradidit. Arguunt ista phanaticorum quorundam impudentiam atque temeritatem, qui cùm neque literas norint, neque fidei dogmata ex ordine teneant, ad docendum excurrunt. Et imprimis Anabaptistarum furores locus iste confutat, qui veterem Ecclesiarũ morem reductum volunt, quo sæpe plures in cœtibus sacris prophetabant ex ordine, neque vident dona illa iampridem cessauisse, quibus Ecclesia tunc floruit. Quia enim ministeria cum donis suis coniuncta vult esse Deus, nemo ad illa aspirare debet, qui non hæc prius sit assecutus. Sed videamus, quæ nam ministeria illa aut functiones sint, quibus Ecclesia olim opus habuit, & quæ hodie etiam retineri debent.

Apostoli. Primus locus Apostolis tribuitur, non quidem aliquo ambitionis affectu, sed quia olim per hos prædicationis initium fieri oportuit. Nomen habent à mittendo, quia IESV CHRISTI legati fuerunt, quos ad omnes gentes per totum orbem proficisci oportuit, vt vbiq; rerum ab illo gestarum testes essent, & Ecclesias passim nouas plantarent. Sub his in præsenti Paulus Euangelistas quoq; compræhendit, quorum peculiarem mentionem facit ad Ephes. 4. cap. Et illis quidem olim opus fuit, quando ne nomen quidem Christi notum erat gentibus: hodie non item, cùm Euangelij doctrina totum orbem personuerit, neq; si illis opus sit, ab aliquo ordinari possunt, eò quòd tales donis linguarum & miraculorum instructos esse oportet, quæ neq; ab homine dari, neq; propria industria acquiri possunt. Quòd si Deo ita visum fuerit, vt Euangelij buccina adhuc semel totus terrarum orbis ante nouissimum Christi finem ad pœnitentiam & fidem veram excitetur, facile ei fuerit deligere, quos ad tantum munus idoneos faciat. Nunc autem obseruemus, quàm impudenter Romani Pontifices cum suis Cardinalibus & Episcopis Apostolicorum nomen sibi arrogent, dum Petri successores dici volunt, in cuius cathedra ipsi sedeant. Atqui cùm certis locis illi sedeant, qua ratione eorum titulos vsurpant, qui quòd legati essent, ita dici meruerunt? Fingunt quidem Petrum totis annis viginti quatuor Romæ resedisse: sed atrocem illi faciunt iniuriam: quia hoc præter omne officium fecisset, cùm eodem quo alij Apostoli mandato esset obstrictus. Sed ipsa Actorum Apostolicorum serie figmentum hoc facilè cõfutatur, vt alibi demonstrauimus.

Prophetæ. Secundo loco Prophetæ collocantur. Dicuntur hi propriè vates, qui spiritu vaticinandi præditi de futuris & cognitu necessarijs admonent, quo dono veterem Ecclesiam floruisse, iam sæpe diximus. At quia in hoc catalogo nullam facit Paulus pastorum mentionem, quos in epistola ad Ephesios Apostolis & Euangelistis proximè subijcit, Prophetæ nomen hîc generalius accipi debere videtur (vt etiam infra cap. 14.) vt nimirum sub eo ordinarios Ecclesiæ Episcopos & pastores compræhendamus, qui populo à sacris concionibus sunt, & Scripturarum arcana dextrè enucleando omnia pro temporum & locorum ratione ad præsentem vsum accommodant. Et huic sensui fauent Commentarij, qui D. Hieronymo tribuuntur. In illis enim sic legimus: Prophetæ sunt, qui explanant obscura Prophetarum, & qui homines exhortantur, sicut alibi dicit: Nam qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, exhortationem & consolationem. Et istis quidem perpetuò opus est, ideoq; Apostoli in Ecclesijs abs sese collectis & plantatis episcopos & seniores constituisse leguntur. Vide Actor. 14. Tit. 1.

Doctores. Tertij in hoc catalago Doctores sunt. Intelliguntur ij, qui in scholis agunt, & Scripturas scholastico more interpretantur. Fecerunt hoc olim Prophetæ, qui non publicè modò ad populum concionati sunt, verumetiam scholas & collegia instituerunt, in quibus priuatim discipulos instituebant, qui Prophetarum filij dicebantur: sicuti in Samuelis & Helisæi historia est videre.

Videbant,

Videbant enim sanctißimi homines quàm referret temporibus illis corruptißimis, quando Sacerdotes & Leuitæ in suo officio cessabant, aliquos à pueris institui, qui populum de Dei voluntate edocerent. Et durauit mos iste inter Iudæos vsque ad Apostolorum tempora, vt tunc quoque fuerint, qui Mosis legem diebus Sabbati in Synagogis exponerent: vt Iacobus Actorum 15. cap. testatur. Quem morem à Iudæis ad Christianos translatum postea fuisse, D. Ambrosius annotauit, & tam ex isto loco quàm alijs similibus satis euidenter apparet. Antiochenam certè Ecclesiam hoc potißimùm nomine Lucas commendat, quòd doctores & Prophetæ eiusmodi plures in ea fuerint. In Alexandria quoque scholam fuisse legimus, in qua Panthemius, Clemens, Origenes & alij floruerunt. Et Nicomediæ schola atque collegium Christianæ iuuentutis fuit, in quo Iulianus institutus, postea ecclesiæ illius lector factus est. Itaque vetustißimum est in Ecclesijs scholarum publicarum institutum, & in hanc curam principes Christiani imprimis incumbere debebant, vt in celebrioribus Ecclesijs scholæ essent, in quibus religionis dogmata diligenter traderentur, & morum disciplina vigeret. Hæc enim fœcundißima sunt Ecclesiæ seminaria: quia ex his prodeunt non modò Verbi Dei præcones, verumetiam reipub. gubernatores, qui cum rerum vsu atque prudentia pietatem coniunxerunt. At hodie plerique curam istam abs se alienam putant, & in re maximè necessaria sumptibus parcunt: vtinam verò ijdem non ferè Ecclesiarum redditus in vsus prophanos, vel etiam inhonestos, transferrent. In scholis autem, quæ habentur, partim effrenis morum licentia regnat, cuius authores sunt non rarò ipsi professores, qui ebrietati & intemperantiæ dediti suo exemplo Christo & Musis consecratos iuuenes corrumpunt: partim stulta & indocta ambitio dominatur. Qui enim non nisi titulotenus Doctores sunt, discipulos quoque sui similes faciunt, qui nihil præter inanes & pretio emptos titulos fastumque intolerabilem ad Ecclesiæ gubernacula adferunt. His maxima ex parte debemus collapsam vbique gentium disciplinam, immanem scelerum licentiam, & contentiones, quibus Ecclesiæ lacerantur, & religio Christiana impiorum ludibrijs exponitur. Orandus ergo est Deus, vt ipse Doctores det fidos, & vt veterem Scholarum disciplinam instauret.

Quarto loco Potestates numerantur, pro ijs, qui potestatem in Ecclesia legitimam exercent. Potestates. Erant hi Seniores, qui disciplinæ præfecti eos corrigebant qui aliquid contra hominis Christiani officium fecissent: impios verò & contumaces maiori Spiritus virtute cohercebant. Erant enim dono singulari armati, vt diabolo quoque affligendos traderent eos, qui admonitionibus & correptionibus non poterant corrigi. Exempla huius potestatis antiquitus ab Elia & Helisæo edita 2. Reg. 1. 2. sunt, quorum ille quidem milites ad se capiendum missos flammis cœlitus immißis combußit, hic verò vrsos euocauit, qui pueros ipsi petulantius illudentes discerpserunt. Eadem virtute aut potestate Petrus Ananiam & Sapphiram occidit, qui Spiritui sancto mentiri ausi fuerant, Simonem item Magum exitio tradidit. Paulus quoque hac potestate aduersus Elymam Magum vsus est, quem oculis priuauit, quod Proconsulem Cypri suis mendacijs decipere pergeret. Idem Hymenæum & Alexandrum se Satanæ tradidisse scribit, vt aliquo supplicio affecti discerent porrò non blasphemare. Et huc etiam referri debet quod in posteriori ad Corinth. contumacibus quibusdam minitabundus dicit: Quòd si venero denuo, non parcam: quandoqaidem experimentum quæritis in me loquentis Christi. His enim non obscurè innuit, se cum verbis coniunctam habere virtutem perficiendi quod dicit, & contemptores suos cohercendi Atq. olim hac Spiritus facultate omnino opus erat, cùm magistratum non haberent Ecclesiæ, & proinde iure gladij non possent vti. Hodie illam requirere non necesse est, quando donum istud Spiritus cessauit, & principes atq. magistratus sunt Christiani qui legibus & publica authoritate quosuis in officio continent, contumaciores verò & præfractos puniunt. Sunt quidem nonnulli, qui ad veteris & primitiuæ Ecclesiæ exemplum Seniores siue Senatum ecclesiasticum instituere volunt, qui in ipsos quoq. magistratus imperium habeat, si quando illi officium non fecerint. Sed prius illos demonstrare oportebat, suis illis Senioribus hanc potestatem esse, de qua in præsenti Paulus loquitur. Quod cùm nullo argumento constet, & nihilominus Satanæ tradant quos volunt, perinde faciunt, ac si qui leprosos mundare, mortuos excitare & alia opera miraculosa facere conentur, eò quòd illa olim in primitiua Ecclesia vulgò facta sunt.

Dona sanationum. Iacob.5.

Quintum locum habent dona sanationum, id est, ij qui dono sanandi præditi erant. Fuit enim hoc quoque inter Christianos homines admodum frequens, & ideo Iacobus in sua epistola monebat: Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei seruabit laborantem. Oleo autem illi ægrotos inungebant, quod sanationis symbolum fuisse, ex Marci sexto Capite apparet: & ideo ne qui in externa illa vnctione superstitiosius hærerent, inuocatio nominis Dei ex fide illi coniungebatur. Vbi obiter discimus, quàm præclaris testimonijs olim fidem Christianam Deus exornauerit, quando homines Christiani in vno Christo reposita sibi habuerunt, quæ prophani & insolentes huius seculi filij magnis laboribus atque impensis quærunt. Extant adhuc hodie Magni illius Persarum Regis Artaxerxis epistolæ, quibus Hippocratem medicum magnis propositis præmijs ad se euocauit, vt autem ille veniret, ab eo impetrare non potuit. Quantò melius ergo Deus illo tempore Christianis consuluit, qui cùm omnium mortalium abiectissimi essent, tam fidum & certum suæ valetudinis præsidium habuerunt in illis, quibus medendi facultas miraculosa data erat, & ea quidem conditione, vt quod gratis acceperant, gratis darent? Etsi verò hoc quoque donum cessauerit, constat tamen medicinam, quæ per media naturalia exercetur, diuinitus conferri: & ea Christianis hominibus vti licet, modò curent, ne quæ in vno Deo collocari debet fiducia, in externis illis hæreat. Ita enim olim Asam Regem peccauisse legimus. Et opus est in Repub. bene constituta medicos fidos & rerum peritos habere, qui consilio suo adsint malè habentibus, ne vel in impostores veneficos incidant, vel ad artes superstitiosas siue illicitas sese conuertant.

Opitulationes.

Sextus locus opitulationes habet: eorum nimirum, qui egentibus opem ferunt, siue illi Ecclesiæ domestici, siue peregrini fuerint. Erant hi quoque admodum necessarij olim, quando feruentibus vbique gentium persecutionibus multi sedibus patrijs pellebantur, multi fortunis spoliabantur, multi morbis correpti neminem ex suis habebant, qui ipsorum curam susciperet. Tunc ergo Diaconos instituerunt Apostoli, penes quos erat pecuniæ publicæ dispensatio. Ijdem viduas ecclesiasticas ad eiusmodi fratrum egentium subsidia destinabant, hospitia item designabant peregrinis. Conueniebat hoc cum Dei instituto, qui mandarat olim, ne mendicus esset in Israele. Et hodie hoc ipsum obseruari debet, quando passim inueniuntur, qui publico Ecclesiæ subsidio opus habent. Itaque laudabile prorsus est Xenodochiorum institutum, in quibus excipiuntur homines peregrini, & morbis affecti curantur, simulq; multorum aliorum egestati subuenitur. Meminerint ergo qui illis præfecti sunt, se munus à Deo institutum & maximè necessarium obire, & proinde in illius administratione fideles sint, & præmium in magno illo die à Christo recipient amplissimum.

Acto.6. 1.Tim.3.5.

Gubernationes.

Septimus in hoc ordine Gubernationes ponit, quibus comprehenduntur viri politici, qui in rebus huius seculi quosuis iuuabant, & causas cognoscebant, si quæ inter Christianos orirentur. Nam vt Capite sexto dictum est, nolebant Apostoli, vt qui Christum profitebantur apud ethnicorum tribunalia de fortunis suis alijsque rebus ad hanc vitam pertinentibus litigarent. Præficiebantur ergo eiusmodi causis viri prudentes & rerum vsu exercitati, quorum authoritate & consilio lites dirimerentur. Ijdem publicè etiam aderant Ecclesiæ, si quid apud Proconsules aut Præsides agendum erat: quod frequenter accidisse, non est dubium. Denique vt nauclerì quidam Ecclesias tunc inter varia rerum discrimina fluctuantes suis consilijs atque prudentia gubernabant. Hodie talibus in publico non ita opus est, quando (vt supra diximus) magistratus Christiani sunt, quorum authoritate ista omnia felicius possunt transigi. Et agnoscere debemus singulare Dei beneficium, qui nouissimis hisce temporibus Ecclesiæ suæ gubernatores cùm politicos tum ecclesiasticos dare dignatur, sicuti olim per Isaiam promisit. Nemo igitur ordinem à Deo institutum facilè turbet, vt calcata principum & magistratuum authoritate Senatum nouum instituat, qui in illos sibi ius & imperium vendicet. Fecerunt hoc olim Episcopi quidam bono fortassis zelo: sed ea res tandem in tyrannidem pontificiam degenerauit, & paucorum ambitio rem Christianam prorsus euertit. Agnoscant vicissim principes, se Ecclesiæ membra, non dominos esse: & proinde suo imperio ad illius defensionem vtantur, atque consilia sua omnia ad hunc scopum dirigant, vt eius ordo atque incolumitas seruetur.

Postremò

Postremo loco genera linguarum ponuntur, sub quibus interpretationis quoq; donum comprehenditur, de quo supra dictum est. Erat vtrumque donum tunc necessarium, quando Euangelij doctrina per paucos Apostolos virosque Apostolicos in toto orbe diuulgari debebat. Hodie sufficit ferè eas linguas tenuisse, quibus in Scripturis exarandis Spiritus Sanctus vsus est, Hebræam nimirum & Græcam: quibus Latinam propter exterarum Ecclesiarum commercium coniungere oportet. Agnoscimus tamen hoc quoque Deo acceptum ferri debere, si cui datum est diuersarum gentium linguis loqui, quæ hodie in vsu sunt. Consultò autem Paulus linguas vltimo in gradu collocat, vt vel hoc argumento doceat, quam stultè faciant Corinthij, dum circa illas tumultuentur, neglectis alijs multis, quæ magis erant necessaria. Obseruabimus autem istos gradus ita enumerari, vt omnium author indicetur Deus. In hunc ergo omnes respicere debent, vt suam fidem atque industriam illi approbent.

Genera linguarum.

Porrò non temere aliquis miretur, cùm Paulo propositum fuerit Ecclesiæ ordines recensere, quibus in eius gubernatione seu administratione opus est, nullam ab eo illorum mentionem fieri, quos in Papatu sub Sacramenti titulo iactare solent. Sunt hi septem numero, Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Isidorus Lectoribus Psalmistas addit, quos postea Cantores dixerunt. Omnes verò istos non modò ab Apostolis institutos olim esse fabulantur, sed ipsum quoque Christum illorum officia obijsse contendunt, quem Ostiarium fuisse aiunt, quando vendentes & ementes templo eiecit: Lectorem, quando in Synagoga Nazarethana locum Isaiæ recitauit: Exorcistam, quando homini muto & surdo adhibita saliua & dicto, Epphatha, auditum atque loquendi facultatem reddidit: Acoluthum, cùm dixit: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: Subdiaconum, quando linteo succinctus discipulorum pedes abluit: Diaconum, quando corpus & sanguinem in Cœna distribuit: Sacerdotem quando seipsum Patri in cruce obtulit. Quod postremum vt nemo nostrum negat, ita reliqua illa tam putida & ridicula sunt, vt confutatione nequaquam opus habeant. Certè vnus hic locus illis conuincendis sufficit. Cur enim istos ordines ab Apostolo omissos esse dicemus, nisi quòd tunc omnibus ignoti, & ne in rerum quidem natura fuerunt? Quod ipsum de Pontificibus Max. de Metropolitanis siue Archiepiscopis, de Cardinalibus, Sacellanis, Monachis & tota rasorum atq; vnctorum colluuie dicimus. Omnes enim illi Antichristi creaturæ sunt, nec digni, qui in Ecclesia locum aliquem habeant. Nobis sufficiat, si in Ecclesia fidi & idonei Pastores atq; Doctores sint, Scholarum item præfecti industrij, magistratus pij, qui & Dei cultum tueantur, & ius dicant, improbos & contumaces dignis modis coerceant, bonos defendant, pauperes verò sibi habeant commendatos.

Ordines Papistici confutantur.

Porrò concludit locum istum Paulus, & docet nemini dona ista simul omnia data esse, nec aliquem inueniri, qui omnibus illis ministerijs obeundis sufficiat. Num (inquit) omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores? num omnes sunt Potestates? num omnes donum habent sanationũ? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur? Interrogationibus vrget, vt proprio testimonio eos conuincat. Quasi diceret: Nemo me ista ex meo cerebro fingere arbitretur: Res ipsa loquitur. Inspicite enim omnes, qui passim sunt, Christianos, vnà cùm ijs qui in Ecclesijs hinc inde ministrant: & mox videbitis, nullum ex istis ministerijs esse, ad quod omnes vocentur. Quis enim Ecclesiam nobis dabit, in qua omnes sint Apostoli, omnes prophetent, omnes docendi facultatem habeant, omnes morbis miraculosè medeantur, omnes linguis loquantur, aut interpretandi dono sint præditi? Quid verò hinc colligit Apostolus? Primum, quod nullum ex donis siue ministerijs istis per se sufficiat ad Ecclesiam constituendam & seruandam. Nam si hoc daremus, iam superuacanea forent reliqua omnia. Vnde rursus sequitur, alios aliorum opera atq; auxilio opus habere: & proinde neminem insolentius efferri debere cum aliorum contemptu, aut cuiquam suum gradum siue dona inuidere. Et huc facit, quòd minora quoque dona repetit, vt vel ea non omnibus communia esse doceat. Exemplo sint nobis ipsi Apostoli: qui etiamsi donis ferè omnibus instructi essent, opus tamen habuerunt Pastoribus, Episcopis, Diaconis, Senioribus, Doctoribus: sine quibus ab illis plantatæ Ecclesiæ non potuissent consistere. Ea denique Ecclesiæ conditio est, quæ Reipublicæ in qua distinctos munerum publicorum gradus esse oportet, quando ne sapientissimus quidem omnia solus obire potest. Deinde hoc quoque ex Pauli verbis

Nemini dona omnia data sunt.

colligitur, dona & ministeria illa non esse eiusmodi, vt sine illis salus nobis constare non possit. Si enim non omnes qui credunt, simul etiam Apostoli aut Prophetæ sunt, licet vtique credere & saluum fieri, etiamsi neque doctorem agas, neque linguarum dono instructus sis. Iustus etenim sua fide viuit, & omnis qui credit in me (inquit Christus) habet vitam æternam: & in Christo non est vllus personarum respectus. Sunt ergo nimium stulti, qui non necessaria ambitiosius affectant, aut illa alijs inuidendo seipsos labore & curis inutilibus, imò noxijs, conficiunt. Ideo deinceps hortabitur Paulus Corinthios, vt procul abiectis inuidiæ & ambitionis affectibus, animum appellant ad dona excellentiora, quæ ad salutem consequendam magis necessaria sunt. Applicent ista sibiipsis singuli, & sua sorte contenti Spartam, quam nacti sunt, diligenter ornent: salutis verò fiduciam omnem collocent in vno IESV CHRISTO, qui suos dum hîc viuunt abundè instruit, & tandem ad se collectos vera felicitate beat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT XIII.

HOMILIA LXVII.

AMbite autem dona potiora, & adhuc viam ad excellentiam vobis indicabo. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & nouerim mysteria omnia omnemque scientiam, & si habeam omnem fidem, adeò vt montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si insumam in alimoniam omnes facultates meas: & si tradam corpus meum vt comburar: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

Argumentum huius Capitis.

QVoniam Corinthij propter dona spiritualia pernitiosè tumultuabantur, adeò vt in sectas scinderentur propter ea, quæ mutuæ charitatis vinculum esse debebant, Paulus diligenter & prolixè de tota ista causa disserit. Et nuper docuit, ita rem esse à Deo institutam, vt nemo credentium donis simul omnibus instructus sit, aut ministerijs siue functionibus simul omnibus adhibeatur. Ex quo satis euidenter colligitur, omnia ista eiusmodi esse, vt ad Ecclesiæ quidem gubernationem atque conseruationem faciant, non autem ad singulorum salutem priuatim necessaria sint: imò sine illis seruari posse eos, qui per fidem in Christum Deo verè reconciliati sunt. Faciebat hoc plurimum ad Pauli institutum, ne qui alijs dona sua inuiderent, aut insolentius superbirent, si pluribus instructi & in altiori gradu constituti essent. His commodè subijcit doctrinam siue adhortationem de donis excellentioribus, quæ omnibus ex æquo necessaria sunt, & quæ omnia sub charitatis titulo comprehendit. Vtilis admodum locus, & multa consideratione dignißimus, quia communi hominum vitio medetur. Vt enim in ijs, quæ ad hanc vitam pertinent, plerique ea affectant, quæ voluptati potius & ostentationi, quàm honestati & valetudini seruiunt: Ita in spiritualibus etiam solet euenire, vt à plerisque pluris fiant quæ carnis curiositati satisfaciunt (qualia sunt vaticinandi facultas, linguarum cognitio, miracula, & quæ alia sunt huius generis) quàm excellentia illa & verè necessaria dona, sine quibus salus nostra non potest consistere: qualia sunt, fides in Deum, Verbum Dei, charitas, vitæ innocentia, patientia & constantia. Et tanta hîc ferè iudicij inopia laboratur, vt multi ex illis doctores quoque æstiment, ipsam verò doctrinam minus expendant. Audiamus ergo Apostolum de hac re grauiter & pulchrè disserentem.

Propositio siue summa adhortationis est: Ambite dona potiora. In Græcis ζηλοῦτε habetur, quo verbo æmulationem requirit. Est hæc cum serio aliquid consequendi studio coniuncta, & fere in-

ut inuidiam parit, si quos alios eodem potiri aut frui videat. Attamen Paulus, cùm inuidiæ & odio mederi instituerit, æmulationem sanctam præcipit, quæ nemini inuidet, & non nisi ea quæ nobis necessaria sunt, & absq; alicuius incõmodo possunt obtineri, affectat, vt & officium faciamus in credito nobis munere, & vnà cum alijs electis salutem consequamur. Sic igitur dicendo cæcam illorum ambitionem perstringit, qua accensi circa linguarum ostentationem toti occupabantur, neglectis alijs multis, quæ magis erant necessaria. Et sensus est: Video vos zelo & æmulatione ardere, & vnumquenque in hoc esse vt præ alijs excellat: & id quidem ferri posset, si absq; inuidia & odio fieret: sed cùm vos scindi videam, hoc vestrum studium non possum probare. Quare si & publicæ concordiæ & priuatæ saluti consultum vultis, hoc agite, vt donis potioribus excellatis, & ijsdem ad Ecclesiæ totius ædificationem vtamini. Et ne dubij aut perplexi hærerent, & nouas quæstiones necterent, mox addit: Et adhuc viam ad excellentiam vobis indicabo, id est, monstrabo vobis, qua ratione eò eniti possitis, vt reuera excellatis, & donis qualibuscunq; cum fructu tam vestro quàm aliorum possitis vti. Id verò de charitate dicit, quæ verè omnibus alijs præstat. Si enim bona quæuis eò præstantiora sunt, quò magis communia sunt & plures iuuant, vix aliquid inuenietur quod cum illa conferri queat. Omnibus enim credentibus communis nota siue tessera est, ex qua pro Christi discipulis agnoscuntur: cùm reliqua dona non nisi pro ministerij ratione distribuantur, ad quod vnumquenque Deus destinauit. Deinde hæc ferè dissidiorum causa siue materia sunt, propter inhærentem nobis naturæ vitiositatem. Charitas autem omnes vnit & constringit, vt idem sentiant atq; loquantur. Adhæc monet nos, vt omnes nostras facultates in publicum conferamus ad prouehendam Dei gloriam & aliorum salutem. Itaq; sanctæ illius communionis vinculum est charitas, dum nemini quod suum est eripit, omnibus autem quæ ipsa habet liberalissimè communicat. Quo nomine nonnulli eam virtutum omnium vitam dixerunt, & ideo Paulus eandem rectè commendat, vt per illam excellere studeamus.

Dona potiora ambire debent Christiani.

Charitas inter dona præstantissimum.

At hîc tenere oportet, quæ vera sit illam ambiendi ratio. Etenim in nobis nihil huius inuenitur, quos innata philautia vrget, vt nostris potius quàm aliorum cõmodis studeamus. Itaq; si primam eius originem scrutari libeat, Dei donum est, vt & fides, ex qua enasci aut deriuari solet. Sunt tamen exercitia quædam, quibus eam assequi & augere possumus. Inter hæc primum est, vt in Dei conspectu humiliemur, & nostri ipsius consideratione fracti contremiscamus ad verbum eius, sicuti Isaias docet. Nam qui ita affecti sunt, apud eos locum habere non potest ambitio, quæ æmulationem atq; inuidiam parit. Accedat frequens beneficiorum Dei recordatio, qui ita dilexit nos, vt Filium suum vnigenitum pro nobis dederit. Quod qui non oscitanter expendunt, ij Deum vicissim diligunt, & proinde in eo omnes quoq; alios complectuntur, quos ille eodem fauore & studio prosequi dignatus est. Et hîc diligenter meditari oportet, quanta sit hominis dignitas apud Deum, etiamsi mundi iudicio vilis & contemptissimus esse putetur. Tanti enim illum fecit Deus, vt Filij sanguine salutem eius redimere voluerit. Imò etiamsi aliquis peccator sit, non tamen illum mox abijcit Deus, sed amicè fouet & suffert, & cum vita hac creatorum quoq; simul omnium vsum illi concedit. Quod vnum eorum inhumanitatê arguit, qui proximum detestantur, & Deo sanctiores videri volunt, dum illum suo amore indignum iudicant. Coniungatur istis mutuæ necessitatis consideratio, quâ nos ita constrinxit Deus, vt alius alterius auxilio atq; opera opus habeat, nec aliquis à nobis absq; nostro incommodo siue periculo possit negligi. Istas meditationes comitentur preces seriæ atque indesinentes, vt Deus suo spiritu nos fulcire & carnis cupiditates noxias ac illicitas restinguere dignetur. Qui (inquam) hisce exercitijs occupantur, ij se indies proficere, & in charitatis studio confirmari sentiunt.

Quomodo charitatem ambire liceat.

Quia verò Paulus nos in hac causa tardiores esse nouit, qui stimulis & incitamentis opus habeamus, præclarum & magnificum charitatis encomium subijcit. Argumentum huius primum est à necessario. Docet enim sine illa aliorum donorum, quantumuis præstantissimorum, vsum omnino nullum esse: quo loco comparationem horum & illius facit memorabilem. Deinde ex proprijs notis siue effectis eam commendat. Postremò ad comparationem prius institutam rediens, illam cum fide & spe confert, quæ donorum præstantissima habentur, & in quo his etiam illa excellat, docet.

Charitatis encomium.

Charitas dono linguarum præstat.

Primùm charitatem cum dono linguarum confert, deq; eo magnificè admodum loquitur, vt illam magis extollat. Ab eo autem orditur, quia linguis maximè superbiebant. Si linguis (inquit) hominum (omnium videlicet, quæ sub cælo viuunt, gentium) loquar, & Angelorum, &c. Prudenter verò sermonem in seipsum transfert, ne alios insolentius contemnere videatur. Et cum hominibus Angelos coniungit, non quòd hi vel corpora habeant, vel linguis loquantur, sed vt dicendi facultatem humana excellentiorem, adeoq; verè cælestem exprimat. Itaq; cum linguarum cognitione eloquentiam omnem comprehendit, & fortaßis eos quoque perstringit, qui visiones Angelorum & colloquia cum spiritibus æthereis iactabant, de quibus in epistola ad Coloss. etiam aliquid dixisse videtur, vbi vt à talibus caueamus monet, qui res nunquam abs se visas magna cum audacia & quasi pro imperio ingerunt & obtrudunt. Fecerunt enim hoc olim inter gentes, qui præ alijs excellere volebant, vt alibi de Minoë, Numa, Sertorio & similibus est dictum. Sectarijs item hoc omnibus seculis familiare fuit. Mahumet certe Alcoranum suum, quo nihil ineptius, nihil magis insulsum magisue impium excogitari poterat, Angeli Gabrielis nomine venditauit, quo cum sibi colloquia priuata intercedere simulabat. De Monachis quid dicere attinet, qui de cœlesti Hierarchia & Angelorum choris, deq; Mariæ Virginis & Diuorum intercessionibus apud Christum tanta confidentia nugantur, vt maiori non possent, si multis annis rerum, quæ in cœlis aguntur, spectatores fuissent. Similis est Anabaptistarum insania, qui Patris reuelationes & voluntatem omnibus suis commentis prætexunt. Sed omnibus istis in præsenti Paulus loquitur: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens siue vlulans. ἀλαλάζειν enim sonum confusum & tumultuarium ædere significat. Loquitur autem de tota charitate, Dei nimirum & hominum, qualis in electis & verè credentibus habetur: qui vt Deum supra omnia diligunt, ita in illo omnes quoq; homines complectuntur. Estq; in singulis comparationis huius membris obseruandum, ne ea accipiamus absq; conditione, quam de charitate itidem repetit: neúe Dei dona absolutè aut temere damnemus, quorum vsus magnus & vtilißimus est, si charitatis regula gubernentur.

Colloss. 2.

De linguis & facultate dicendi.

Gene. 11.

Admonemur igitur hoc loco, quid de linguarum cognitione & tota dicendi facultate sentire debeamus. Initiò terram vnius labij fuisse, Moses tradit: sed propter hominum insolentiam, qui Dei decreto sese contumaciter opposuerunt (quos gentium poetæ per gigantomachiæ fabulam describunt) linguarum diuersitas immissa est, quæ malè susceptum consilium turbauit. Vt ergo tunc peccati pœna fuit, & etiamnum hodie est (quod probè experiuntur, qui inter gentes peregrinas agunt) ita singulare Dei donum est, si cui contingat vt plures linguas audire & profari poßit. Et hoc dono olim Apostolos instrui oportuit, vt Euangelium in toto orbe prædicare, & gentes diuersis superstitionibus inter se scissas ad fidei Christianæ vnitatem adducere possent. Est præterea non minus vtilis quàm præclara facultas bene dicendi, qua commodè & prudenter animi sensus explicatur. Quare hanc quoque discipulis suis Christus pollicetur, & securos esse iubet, si quando fidei & doctrinæ suæ rationem reddere cogantur apud hostes, quos potentia & doctrinæ existimatio formidabiles facit. Et quanta vis sit orationis omnium gentium historiæ exemplis plurimis testantur. Quod enim de Hercule Gallico siue Ogmio Lucianus prodidit, qui homines ab aure reuinctos catenulis ex lingua sua protensis ducat quo velit, hoc ipsum de omnibus intelligi debet, qui totas respub. sua facundia rexerunt, & populi animos pro vt ipsis libebat in quamcunq; partem inclinarunt: qualis apud Athenienses Pericles fuit, in cuius labijs ipsa Pitho siue Suadela residere dicebatur, apud Romanos autem Cicero cum multis alijs. Constat certè hanc philosophiæ partem imprimis excultam semper fuisse ab ijs, qui in Repub. alijs præstare voluerunt. At hîc meminisse oportet, dicendi regulam optimã tutißimamq; esse charitatem. Nisi enim hæc orationi præsideat vt gubernatrix quædam, non inutile modò erit donum istud, verumetiam noxium: quia affectuum libidine abrepta lingua aduersus Deum simul & homines effreni impetu fertur. Exempla huius audaciæ in ijs quotidie cernuntur, qui deierationibus & execrationibus temerarijs assueuerunt: quos si vel verbulo vno læseris, illos horribiles diras & impijßimas voces pleno ore tonare audies. Imò qui hominum cordatißimi & prudentißimi habentur, nisi charitatis regulam sibi sequendam proponant, facundia sua sæpe rempub. in extrema pericula abducunt,

tuit, dum suis potius commodis quàm patriæ consulunt: quod olim Græciæ Oratores fecisse constat. Possunt his falsi prophetæ adnumerari & quotquot alij doctrinam suis affectibus accommodant: qui eò plus nocent, quò plus dicendo possunt. Rectè igitur Propheta & Apostoli admonent, vt linguam frænemus & ori nostro custodiam imponamus. Quod etsi omnibus præcipitur, maximè tamen ad Verbi Dei administros pertinet, qui nisi charitate toti ardeant, nihil proficient docendo. Ideo Christus Petrum abnegatorem non prius in integrum restituit, quàm illum de sui dilectione diligentius examinauisset. Et quàm tenerè populum amarint prophetæ, non modò sermones illorum docent, quibus errantes in viam reuocarunt, verumetiam querelæ acerbissimæ, quibus hominum contumacium interitum deplorauerunt. Quid, quod Paulus anathema fieri cupiebat à Christo, vt Iudæi conuerterentur? Et hos procul dubio imitabuntur, quotquot diligentius expenderint qualis grex sit Ecclesia & quanti eam faciat Deus, qui ipsam Filij sui sanguine redemptam voluit. Non poterunt enim non illam amore summo complecti, qui hoc cogitant, & ita simul ijdem non inani tinnitu aërem verberabunt, sed verba proferent, quæ charitatis igne ardentia & spiritus virtute armata in intimos vsquè cordium recessus penetrabunt, & eos quoque conuincent, quorum contumacia insuperabilis esse videbatur.

Psal. 34. Iac. 3.

1. Sam. 16. Thren. 1. &c.

Quoniam autem hoc loco Paulus de linguarum dono potissimum disputat, possunt ista commodissimè aduersus eos proferri, qui linguas peregrinas in Ecclesiam inducunt. Cœpit id iam olim fieri, quando mysteriū iniquitatis Antichristus operari incœpit, & non sine contentione primatum in Ecclesijs omnibus obtinuit. Vt enim Romani antiquitus in prouincijs sua lingua ius dicebant, quæ ea ratione omnibus passim obtrudebatur: ita posteris temporibus Pontifices, vt suū in omnes imperium testaretur, Latinæ linguæ vsum in Ecclesias inuexerunt. Tunc ergo passim lectiones & cantiones Latinæ institutæ, & eadem lingua Sacramenta administrata sunt. Quod non absque Spiritus sancti suggestione præuidens Irenæus, vetustissimus & verè orthodoxus Scriptor, Antichristi nomen fore dixit, Latinus. Atqui id præter charitatis regulam factum esse, res ipsa loquitur. Qui enim illa ducuntur, ij in dicēdo Dei gloriam quærunt, & populi salutem atque ædificationem suarū actionum omnium scopum sibi proponunt. At quis hoc de illis affirmare possit, qui ita loquuntur, & canunt, vt à nemine intelligi velint? Ergo vt nunc taceamus Diuorum innocationes, scripturarum detorsiones, operum merita & infinitas alias superstitiones, quæ illic regnant, vnicus iste Latini sermonis vsus reprehensionem grauem meretur, & totum illum sacrificorum atque monachorum gregem iure æra tinnientia & cymbala vlulantia dixeris, quorum nullus in Ecclesia vsus sit. Nec puto absq; Dei prouidentia factū esse, vt suo indicio sorices isti sese proderent, quando organorum concentus & campanarum sonitus non postremam cultus diuini partem fecerunt. Poterat tamen ferri stolida istorum hominum arrogantia, nisi tantis Ecclesiæ sumptibus alerentur, & non tam cymbala inaniter tinnientia, quàm vtriculares tibiæ essent, vt qui non nisi benè saginati & distenti sonum edunt.

De linguarum vsu in templis.

Sed ad institutam comparationem redeamus, cuius secundo membro Paulus charitatem cum ijs donis Spiritus sancti confert, sine quibus neq; Ecclesia conseruari, neq; priuata cuiusquam salus consistere potest. Inter ea primum locum prophetiæ tribuit, quam in sequenti Cap. linguis longè præferet. Continet illa Scripturarum interpretationem, vnà cum dono vaticinandi, quod in prima Ecclesia diu floruisse, alibi diximus. Secundò cognitionem mysteriorum & omnem scientiam ponit. Quibus vocabulis sapientiam intelligit, quam rerum omnium tam humanarum quàm diuinarum scientiam dixerunt. Tertiò fidem ipsam nominat, vbi obseruare oportet, fidem bifariam accipi. Primùm prò fiducia gratuitæ misericordiæ Dei, & firmo animi assensu, quo promissiones salutis aut vitæ æternæ apprehendimus. Hæc quia in his Christum apprehendit, qui nobis à Patre iustitia et salus factus est, iustificare & seruare dicitur. Ideo Habakuk dicebat: Iustus fide sua viuet. Et Isaias de Christo: Scientia sua multos iustificabit seruus meus, quorum iniquitates ipse gestabit. De illa item exponi debent omnes illæ promissiones euangelicæ: Qui credit in me, habet vitam æternam. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. Et hæc illa fides est, quam Paulus per charitatem agere dicit, vt illam à mortua & inani persuasione distinguat;

Charitas præstat prophetiæ dono, &c.

Hab. 2. Isa. 53.

Gal. 5.

Deinde est fides quædam particularis, quæ in Christo nihil præter facultatem ædendorum miraculorum apprehendit: & hæc interdum hypocritis quoque datur, vt ex Christi verbis patet, qui in nouissimo die multos dicturos ait: Domine Domine nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuũ multas virtutes fecimus? Quibus ipse respõsurus sit: Nunquam noui vos, &c. De hac fide particulari Apostolus in præsenti loquitur, vt ex adiecta conditione apparet: Adeò vt montes transferã. Hac enim ad verba Christi alludit, in Euangelio dicentis: Quicunq; dixerit monti huic, Tollitor & proijcitor in mare: & non disceptauerit in corde suo, sed crediderit quòd fient quæ dicit, erit ei quicquid dixerit. Est hoc obseruandum propter Sophistarum argutias, qui hoc loco abutuntur, vt iustificationem charitati adscribant, aut saltem hanc fidei συνάιτιον faciant contra Apostolorum doctrinam, qui hominem sola fide iustificari tradunt. Sed extra oleas currunt illi, quando Paulus hîc non de iustificatione, sed de vsu donorum spiritualium, & de Ecclesiæ œconomia siue administratione loquitur. Nec etiam obseruant, iustificationem fidei adscribi, non propter charitatem aut eius opera, sed quia medium vnicum est, quo Christum & in hoc iustitiam & vitam appræhendimus. Obijciunt illi, Paulum loqui de omni fide, & ideo iustificantem quoque illam simul complecti. At nos respondemus, vniuersales particulas non semper ad omnes species alicuius generis extendi, sed frequentius ad eas modò, de quibus agitur, restringi debere. Quia ergo de ea fidei specie hîc sermo est, qua miracula æduntur, Apostolus quoad hanc dixit omnem fidem, pro plena & perfecta. Sic sub initium huius epistolæ Corinthios omni cognitione & scientia plenos esse dixit. Quæ verba si quis ad omnium artium tam liberalium quàm mechanicarum scientiam, aut ad rerum omnium, quæ in natura sunt, cognitionem velit extendere, næ nimium ille ineptus erit aut ridiculus. Sifficiant ista pijs, qui à contendendi studio abhorrent. Nunc ergo quid de fide ista miraculorum dicatur, audiamus: (Si inquit) habeam omnem fidem, adeò vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Cautè & prudenter admodum loquitur, ne Dei donis aliquid detrahere videatur. Nec enim hæc nihil esse dicit, sed se nihil adeoque nullum fore, si charitate destituatur, quæ sola facit, vt reliquis donis rectè vtamur.

Matth. 7.

Mar. 11.

Docemur igitur hoc loco, quid in cognitione rerum cælestium & salutis æternæ, quid item in toto Ecclesiæ ministerio potissimùm spectari debeat: Nimirum, vt charitatis regulam in omnibus sequamur. Est sanè Verbi ministerium inter huius sæculi munera longè præstantissimum. Nam qui illo fungitur, eum legatum Domini exercituum, dicit Propheta. Et notum est illud Christi: Qui vos audit, me audit, &c. Præclara item est rerum futurarum & earũ quæ saluti nostræ seruiunt cognitio. Sed nisi charitate gubernetur, neque priuatæ neq; publicæ aliorũ saluti quicquam conferet. Nam aut ambitionis spiritu hominẽ inflant (quod supra de sciẽtia Paulus dixit) aut ab auaris ad turpẽ quæstũ detorquentur. Exemplũ huius rei memorabile extat in Balaamo. Fuit is vir totius Orientis celeberrimus, & fatidico spiritu oraculũ de Christo et gente Israëlitica verissimum ædidit. Sed quia charitatem non habuit, auaritiæ & quæstus turpis studio superatus, adeò nullus fuit in Dei conspectu, vt eum ab asina argui & corripi voluerit: & tandem gladio cæsus dignas suæ impietatis pœnas luit. Idem de Caiapha & reliquis Iudæorum sacerdotibus atq; scribis dici poterat: quibus rectissimè Simonem quoque Magum adnumeraueris. Quod autem de Ecclesiasticis viris dicitur, non minus ijs conuenit qui in Repub. versantur, qui si à charitate alieni sint, sapientiam simul & rerum vsum in suum & totius reipub. exitium conuertunt. Exempla huius generis in Saule, Ieroboamo, Iuliano, Sylla, Mario, Pompeio, Cæsare, Alcybiade & similibus habentur. Et vtinam nostra tempora nihil simile vidissent.

Charitas regula omnis cognitionis & scientiæ.

Malach. 2.

Erant hæc diligentius obseruanda ijs, penes quos est ministrorum Ecclesiæ & Magistratuum electio. Solent hi ferè generis splendorem, diuitias, vel etiam eruditionem aut eloquentiam suspicere, vel titulis inanibus sese fascinari sinunt. Alij miracula requirunt: quæ vt ab impostoribus sæpe fiunt, ita neque illos ipsos iuuant, qui neglecta charitatis Lege non hoc vnum spectant, vt proximus quisque ædificetur, & Dei gloria prouehatur. Atqui miraculorum & signorum omnium præstantissimum est charitas: quia ex ea germani Christi discipuli dignoscuntur. Quis autem in Ecclesiæ ministerio charitatis studiosos esse dixerit eos, qui locum

Quid in Ecclesiæ ministrorũ & magistratuum electione spectari debeat.

subinde

ſubinde mutant, & quàm primùm pinguioris ſtipendij ſpes ſeſe offert, oues ſuæ fidei creditas deſerunt? Quis item Reipub. fidos putauerit, qui lucri ſtudio ducti ad noua quotidie munera aſpirant? E contra magni facere diſcamus doctores & magiſtratus fidos, qui vel hoc vno argumento charitatem ſuam declarant, quòd multorum inuidiæ & odijs ſeſe ſubijciunt, vt aliorum commodis atque ſaluti conſulant.

Sequitur tertium & quartum iſtius Comparationis membrum, quo ea comprehenduntur, quæ charitatis effecta videri poterant. Inter hæc primum eſt: Si inſumam in alimoniam omnes facultates meas, &c. Poteſt hoc latiſſimè extendi: Vt nimirum de epulis publicis & largitionibus intelligatur, quibus multi apud gentes olim populi fauorem venabantur: & huc pertinent viſcerationes, ſacrificia publica, congiaria, conuiuia, & alia huius generis. Simile quid poſtea inter Chriſtianos factum fuit quoad ἀγάπας, id eſt, epulas, quæ in cœtibus ſacris apponebantur, vt ſupra Cap. vndecimo diximus. Imprimis tamen huc pertinet, quæ ſub eleemoſynæ prætextu in ſolos pauperes diſtribuuntur. Et conſultò videtur verbo ψωμίζειν vti Apoſtolus, quod non alere modò, ſed cibum minutim conciſum quaſi in os ingerere ſignificat. Ita verò cum impenſis quæ fiunt miniſterium promptum ac diligens coniungit: quod Chryſoſtomus annotauit. At quàmuis id faciam (inquit Paulus) nullus inde ad me fructus redibit, ſi abſque charitate id fecero. Quia enim eleemoſynæ à miſericordia nomen habent, quæ proprium & germanũ charitatis effectum eſt, hypocriticum ſit oportet, quicquid huius ſine charitate fit. Exempla paſſim occurrunt, quæ docent fucatam beneficentiam Deo minimè probari: & huc referri debent quæ de Phariſæis Chriſtus apud Matthæum pronuntiat: quæ item de Anania & Sapphira Lucas in Actis prodidit. Quid ergo de illis dicemus, qui ex alieno liberales ſunt, & dum miſericordes videri volunt, crudeliter aliorum fortunas diripiunt, aut vſuris fraudulentis intercipiunt? Volunt iſti prædam cum Deo partiri, vt hoc propitio vtantur: ſed nunquam eos ille probabit, qui manus ſanguine plenas ita abominatur, vt à talium precibus quoque oculos auertat. Rectè ergo Thobias filium ſuum monebat, vt de ſuis facultatibus beneficentiam faceret.

Charitas præſtat liberalitatis operibus.

Matth. 6. Acto. 5.

Iſa. 1.

Confutantur præterea huius loci authoritate, qui opera præparationis excogitarunt, quibus primam gratiam (vt illi loquuntur) mereamur, aut propter quæ fidem nobis Deus largiatur. Nã qualiacunque illa ſint, nihil proderunt, ſi abſque charitate fiant. Atqui ex charitate nõ poſſunt aliquid facere, quotquot fide deſtituuntur: & alibi peccatum eſſe pronuntiat Paulus, quicquid abſq; fide fit. Quæ ergo illa præparatio, quæ non niſi peccatis conſtat? Quæ verò ſtultitia fuerit, vel inſania potius, in peccato meritum fidei aut ſalutis conſtituere? Quid autem de illis dicemus, qui eam demum charitatem cælos mereri docent, ſi qui multa in ſacrificos & Monachos conferant, ideoq; iam morituris ſuadent, vt fraudatis legitimis hæredibus, ignauos illos ventres in bonorum ſuorũ poſſeſſionem ſuccedere patiantur? Sunt hi nequiſſimi impoſtores, qui & fidei fundamenta conuellunt, & charitatem è medio auferunt.

Contra operà præparationis.

Sed poſtremum huius Comparationis membrum videamus: Si tradam corpus meum vt comburar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Pleriq; hoc de martyrio exponunt, deq; ijs, qui morte & ſanguine ſuo teſtimonium fidei ſuæ Chriſto perhibent. At quia tales charitate nõ poſſunt deſtitui, de ijſdem locus iſte non poteſt exponi, niſi Paulum hyperbolicè locutum fuiſſe dicamus. Itaque de illis potius hîc agi puto, qui neque fide neque charitate moti, ſed cæco carnis affectu abrepti ſeipſos in vitæ diſcrimen manifeſtum conijciunt. Fecerunt hoc olim apud Romanos Curtij, Horatij & Decij, qui vitam ſuam pro patria impendiſſe videri volebant, cùm priuatæ gloriæ ſtudio potius abriperentur. Sunt etiam, quos iniuriæ acceptæ impatientia, aut vindictæ cupiditas eò adducit, vt ſibijpſis mortem conſciſcant: quod olim Lucretia Romæ & apud Carthaginenſes vxor Haſdrubalis fecerunt. Empedocles ambitioſa affectatæ ſcientiæ libidine ſuperatus in Ætnæ crateras ſeſe coniecit, & ita perijt. Indicæ fœminæ, vt pudicitiæ ſuæ & fidei coniugalis exiſtimationem aſſerant, in maritorum defunctorum rogos inſiliunt. Quibus adnumerari poſſunt, qui vt ſuperſtitionibus ſuis fidem faciant, diros cruciatus & mortem voluntariam ſubeunt, vt olim Baalis ſacerdotes, qui cultellis ſeipſos fodiebant, & poſtea Donatiſtæ & Circumcelliones; qui percuſſores quærebant, à quibus occiderentur. Imitantur hos ex parte noſtro ſæculo Anabaptiſ-

Charitas cruciatibus et morti præſtat.

sta, furiosum & contumax hominum genus, qui martyrijs gloriantur, quando sua figmenta Scripturis confirmare non possunt. Digni erant omnes isti quibus idem fieret, quod olim quibusdam ex Donatistis accidisse Theodoretus scribit. Cùm enim generosum quendam iuuenem ense porrecto rogarent, vt ipsos occideret, ille prius vinciendos esse dixit, ne qui visa sociorum cæde pœnitentia ducti in ipsum ruerent. Itaque vinculis astrictos virgis egregiè cecidit, & mox illis ita relictis abijt. Sed vt in Pauli verbis progrediamur, istos quoque omnes nullum inde fructum reportaturos esse ait, si absque charitate talia patiantur. Nam vt aliàs ex D. Augustino annotauimus, causa facit martyrem, non supplicium.

Lib. 4. Comp. haret. fabul.

Confutantur igitur hoc loco omnes cultus electitij, qui in corporis castigatione aut exercitijs molestioribus consistunt. Si enim nihil iuuantur qui seipsos in ignem tradunt, quid prodesse poterit, si ieiunijs, vigilijs, cilitijs, chameunijs, peregrinationibus teipsum conficias? Non vult sacrificium Deus, sed obedientiam. At huius summã charitas comprehendit. Nam qui diligit alterũ, Legẽ impleuit, &c. Roma. 13. Et alibi Apostolus corporalẽ exercitationem parum vtilitatis habere ait, pietatem verò ad omnia vtilem esse, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis & futuræ. Huic ergo omnes studeant, quæ vt omniũ virtutũ parens est, ita nihil vitij coniunctũ habet, & durißima quæque nobis leuia & iucunda reddit, imò Deo conformes facit, qui ipsa charitas est. Adhæc quia ex fide emanat, huic testimonium reddit, nosq. germanos IESV CHRISTI *discipulos esse demonstrat. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Cultus electitij confutatur.

1. Sam. 15.
1. Tim. 4.

HOMILIA LXVIII.

Charitas longanimis est, comis est: charitas non æmulatur, charitas non agit perperã, non inflatur, non agit indecorè, non quærit quæ sua sunt, nõ irritatur, non cogitat malum, non gaudet iniustitia, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Omnis quidem Scriptura propter nos data est, et multa tradit, quæ ad vitã rectè instituendã necessaria sunt: Inter ea autem nihil frequentius & diligentius inculcat quàm charitatẽ, monens paßim, vt hanc non ore solùm & verbis, sed reipsa aut factis testemur. Hanc certè totius Legis summã esse Christus testatur, et hoc ipsum Apostoli nõ absq. causa diligentissimè docent. Nã etsi nobis nihil magis necessarium est charitate, eadem tamen nobis admodum difficulter persuaderi potest propter ingenitum nobis philautiæ malũ, ex quo inuidia, simultates, odia, cõtentiones et rixæ, imò frequenter Ecclesiarũ & rerumpub. dißipationes nascuntur. Est ergo locus iste cõsideratu dignißimus. Postquam enim Paulus charitatẽ omnibus anteposuit, quæ vere eximia et præclara sunt, nunc eandẽ ab effectis & fructibus cõmendat, & pulcherrimas eius virtutes ex ordine enumerat, quas Corinthiorum vitijs opponit. Ita verò docet, nihil illa vtilius & magis necessarium esse, ad Ecclesiæ & vnitatis ecclesiasticæ conseruationem. Nobis autem huius loci hic vsus esse debet, vt in hoc quasi speculo nosipsos contemplemur, & discamus, quantum quisque in re Christiana profecerit, quidue sibi adhuc desit. Sed & antidotum saluberrimum hîc nobis proponi cogitemus aduersus animi vitia, quæ plerosque infestant. Etenim qui in illius consideratione se diligentius exercuerint, ij sese neque vindictæ cupiditate, neque ira præcipiti, neque inuidia aut odio, neque superbia aut confidentia, nullo denique cæco affectu abripi vel superari patientur. Non pigeat ergo singula verba siue membra diligentius excutere.

Charitatis fructus & effecta.

Primò charitatem longanimẽ esse ait. In Græco enim habetur, μακροθυμεῖ quod ἀπὸ τοῦ θυμοῦ deducitur. Est autem θυμὸς efferuescentia sanguinis circa cor cum vindictæ cupiditate coniuncta. Inde μακροθυμεῖν siue longanimiter agere dicitur, qui etsi iniurijs prouocetur, primum tamen illum bilis feruorem & animi motum reprimit, & magnanimitate quadam ijs quoque mitem atque beneuolum sese præbet, qui peiora de ipso meriti videbantur. Est hæc patientiæ causa, & ideo interpretes aliqui membrum hoc exposuerunt: Charitas patiens est. Ab eo autem orditur Paulus propter Corinthios, quos diuturnæ rixæ & factiones inueteratæ irritabiles fece-

1. Longanimis est.

piunt vt leues ob causas fratribus succenserent. Ideo remedium huic malo adhibere, & fontem contentionum obturare voluit. Interim meminerimus, nobis quoque hanc curam primam esse debere: Quia nihil tam officit charitati, quàm animus ad iram præceps & vindictæ cupiditas. Sunt enim omnia offensarum plena, ideoque nunquam non occasionem irascedi ac tumultuandi inuenient, qui affectui indulgere voluerint. Semper ergo cogitemus, vindictam ad Dei ius pertinere, nos autem ad beneficentiam ab illo esse conditos. Facilè autem sibi temperabunt, qui vel modicam moram interposuerint iræ, vbi hanc in corde suo ardere senserint. Nam vt subitò accenditur, ita mox extingui potest; si non ipsi illam dictis acerbis & improbis siue crudelibus ausis amplius accendamus. Vidit hoc olim Athenodorus philosophus qui, Augustum monebat, ne iratus aliquid diceret aut faceret, nisi prius recitatis ex ordine vigintiquatuor literarum elementis.

Secundò, Comis est charitas. In Græco habetur χρηστεύεται, id est comem, placidã, cõmodam, facilem & vtilem omnibus sese præbet. At qui tales sunt, ij dem omnia facilè ferunt, & quæcunque sunt in partem meliorem interpretantur. Contrarium huius virtutis est morositas & asperitas ingenij, quà fit, vt neque nos alios ferre possimus, neque alijs nobiscum conuenire possit. Quia autẽ charitas communis Christianorum nota est, parum adhuc in religione Christiana morosi illi profecerunt; & proinde ipsis emendatione seria opus est. Conferet ad hanc plurimum, si primò vnusquisque in seipsum descendat, & proprios mores atque animi affectus diligentius examinet. Mox enim inueniet se quoque hominem & nihil humanum abs se alienum esse. Peccauit itaque in te frater, aut vitio corporis siue animi laborat, propter quod tibi meritò displicere debeat. At fortassis tibi quoque idem vitium, aut simile, aut etiam illo maius adhæret: & quod illi accidit, tibi quoque vel volenti vel inuito accidere potest. Succurrat ergo tibi naturæ Lex: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Huic meditationi alteram de Dei longanimitate coniungito, qualis nimirum ille erga nos sit, & quàm clementer nostris vitijs atque infirmitatibus ignoscat. Quò cumprimis pertinet precatio: Remitte nobis debita nostra, sicuti nos remittimus debitoribus nostris: Quam vnã qui seriò expendunt, ij se omnibus faciles & propitios præbent. 2. Comis est.

Tertiò ait, Charitas οὐ ζηλοῖ, id est, non æmulatur. Est autem ζηλοῦν aliquid cum vehementiori animi affectu desiderare: & tam in bonam quàm malem partem sumitur. In bonam partem, quando eorum, quos bene & fideliter agere videmus, similes fieri cupimus: aut etiã eos iuuare atque prouehere, quos amamus. Sic Corinthios Paulus æmulabatur, vt eos Christo sisteret virginem puram & incorruptam. Et ista æmulatio charitati propriè conuenit. In malam verò partem sumitur æmulatio, quando idem est quod φθονεῖν, id est, inuidere. Id enim ex cæco nostrijpsius amore nascitur, qui homines mouet, vt non modò appetant meliorem sortem, verumetiam ex aliorum felicitate dolorem concipiant. Et tales Corinthios fuisse audiuimus, quos Paulus supra carnales adhuc esse ostendit, quòd zelo siue æmulationi, contentionibus item ac dissidijs locum darent. Isto autem æmulationis genere non in charitatem modò sed in ipsum quoque Deum peccatur, quasi is iniquus suorum bonorum dispensator sit, qui indignis ea largiatur, nobis autem multò dignioribus illa neget. Estque hoc vitium eò nocentius, quòd omnibus naturæ insitum sit, adeò vt eius scintillas, imò effecta potius non obscura, in infantibus quoque appareant. Remedium ergo tanti mali diligenter quæri debet. Vbi primo cogitasse proderit, quod Capite duodecimo Paulus subinde inculcauit, Deum videlicet donorum simul & ministeriorum omnium esse authorem. Quis ergo illum accusare audeat, qui & sapientissimus est, & omnia iustissimè administrat? Deinde hoc etiam animo reputabis, dona quæ iam accepisti præstantiora esse, quàm vt gratijs Deo agendis possis sufficere. Nam vt omnia alia taceamus, quis vnquam illi satis gratus fuit, quòd ab ipso homo creatus & anima rationali atque immortali donatus sit? Fertur pastor quidam conspecto bufone fœdo & immani in largissimum fletum erupisse: quem cùm magni nominis præsul præteruectus interrogaret cur ita fleret, respondit ille: Se suam ingratitudinem, qua Deum hactenus offenderit, deplorare, qui videlicet nunquam expenderit, quantum hoc sit Dei beneficium, qui ipsum hominem, non bufonem, crearit. Quantò putas paupercu lũ illũ meliorẽ fuisse omnibus illis, qui præter hoc amplissimis fortunis ac dignitatibus ornati, de gratijs Deo agendis nunquã cogitant: insuper verò indignè ferunt, si quos ab illo benignius respici

3. Non æmulatur.
2. Cor. 11.
Cap. 3.
Remedium inuidiæ.

vident? Cogitent illi præterea sibi nihil mali aut detrimenti accedere ex aliorũ cõmodis, hos autem propter ista & Deo & ipsis magis quam antea esse obstrictos. Nam ea lege nobis sua bona Dominus largitur, vt ea in commune deponamus, & vt alij per nos iuuentur. Quid, quòd qui inuidia ringuntur, sibijpsis nocent, non alijs? Nam vitam sibijpsis amaram reddunt, iucundo bonorum quæ acceperunt vsu seipsos spoliant, & cor proprium exedendo inuidiæ affectum cibo omnium pretiosissimo saturare student. Quod Satyricus obseruauit, cùm scriberet:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni Tormentum maius.

Superat tamen hæc omnia, quòd ijdem illi Dei iram contra se prouocant, & huius benedictione seipsos priuant: cuius rei exempla in Caino, Saule & similibus horrenda extant. Cùm è contra felicissimè vitam degant, quotquot sua sorte contenti pietatem colunt, & simul aliorum felicitati congratulantur. Vidit hoc Solon, qui à Crœso rogatus vt aliquem beatum ipsi proderet, Aglaum quendam nominauit, qui patrii agelli fines nunquam excesserat, suo nimirum contentus & à curis aliorum omnium liber. At hodie qui Christiani dici volunt, plerisque alijs suam felicitatem inuident, neque se felices fore arbitrantur, nisi illos miseros & infelices videant.

4. Non agit perperam.

Quartò dicit Paulus: Charitas nõ agit perperã, vel vt Græcè scribitur, οὐ περπερεύεται. Chrysostomus id exponens idẽ esse dicit, quod οὐ προπετεύεται quæ Metaphora est ab auibus desumpta, quæ implumes adhuc volare nituntur. Ea ergo voce insolentia notatur & proteruia, quam confidentia parit in ijs, qui sibi omnia licere, seque sibijpsis ad omnia sufficere putant. Tales ferè absque ratione omnia faciunt, inque eo sibijpsis potissimum placent, quòd plus alijs ausint. Sunt ingenia ista reipub. nocentissima, eò quòd vnum hoc vitium virtutes & dotes omnes obscurat atque corrumpit. Laborauit eo olim Alcybiades, & eo abreptus seipsum perdidit, & ingenij animique dotes præstantissimas fœdissime polluit, atque insuper patriam in extremum discrimen adduxit. Similis huic apud Romanos Catilina fuit cum suis coniuratis: quos ferè imitantur hodie, qui generis nobilitate & opibus confisi insolentius agunt, & sibi quiduis audendi licentiam pollicentur. Qui verò in Ecclesia tantum sibi arrogant, ij ferè cum disciplina ordinem omnem & sacra omnia euertunt. Exemplo sunt Corinthij, qui epulas lautiores in cœtus sacros inferendo pauperioribus impatientiæ & murmuris authores fuerunt, & IESV CHRISTI Cœnam mysticam turpiter prophanarunt. Sunt hi omnes à charitatis ingenio alienissimi. Illa enim, quia neminem contemnit, nihil sibi insolentius arrogat: & ideo Paulus hoc loco Corinthijs modestiam commendat: quæ hominũ mentes ceu fræno continet, ne cõtumaciter efferantur. Hîc autẽ ante omnia opus est, vt quisque seipsum probè nouerit, seque non minus quàm qui cõtemptissimi habentur, Dei gratia et Christi merito opus habere intelligat. Meminerint præterea omnes communionem, quæ nobis cum omnibus credentibus in Christo intercedit, pluris fieri debere quam generis nobilitatem aut quæcunque alia sunt huius sæculi priuilegia. Etenim Christi leges vniuersales sunt, & ex æquo omnes obstringũt, qui illi semel nomen dederunt. Omnium verò illarum caput siue summa est charitas. Itaque in Ecclesia ij demum præstantissimi sunt, qui quàm plurimis seruiunt.

5. Non inflatur.

Quintò, Non inflatur Charitas. Est hoc cum priori coniunctum, vel potius est eius antecedẽs. Vnde enim insolentia illa, quàm quòd aliqui inflantur? Est autem locutio hæc Metaphorica, sumpta vel ab vtribus, qui inflati vento turgent: vel à membris vitiosis, quæ ex inflãmatione aut noxijs humoribus intumescunt. Transfertur hoc ad animum, & superbis tribuitur, quos propria persuasio & suijpsius fiducia decipit, vt nihil non sibi tribuant, & ideo sese contra omnes extollant. Ex horum numero scioli illi Corinthiorum fuerunt, de quibus Cap. secundo & octauo diximus. Et horum similes hodie multi sunt, qui quasi dictaturam in Ecclesia gerant, omnibus pro imperio præscribunt, & anathematismis deuouent eos, qui ipsis non in omnibus assentiuntur. Sunt hi quoque alienissimi à charitate, quæ facit vt quisque de semetipso modestissimè sentiat, & alios quoq; omnes amore fido complectatur. Est igitur huius vitij remedium præsentissimum, si nosipsos rectius excutiamus. Tunc enim apparet, nos vtriũ inflatorũ aut partium corporis ex inflammatione tumescentium simillimos esse. Illud enim, cuius fiducia plerique turgent, aut inanis flatus est, aut humor noxius siue sanies, vel etiã pestifera aut letalis inflãmatio. Ad prius pertinent

sunt opes, honores, dignitates, forma, ipsa deniq; vita hominis, quam Iacobus vaporem esse scribit ad exiguum tempus apparentem & mox euanescentem. Ad alterum cæca illa persuasio, quæ ipsum animum extollit altius. Quia enim aduersus ipsum Deum extollitur, non potest non coram illo fœtere, vnde nobis præsens interitus nascitur. Rectè ergo superbia initium peccati dicitur, & exempla sunt in potentissimis Regibus, quæ docent, quàm illa exitialis sit. Iacob. 4.

Sexto, Charitas non agit indecorè. In Græco est, οὐκ ἀσχημονεῖ. Vsus est eadem voce Apostolus supra Cap. septimo de parentibus, qui præter quàm ipsos deceat, filias suas apud se detinent, ne eas nuptui dent. Est autem duplex hujus vocabuli significatio. Prima, vt idem sit quod indecorè seu indecenter agere. In eo peccant, qui sui sexus, ætatis, conditionis nullam habent rationem, & ne eorum quidem, quibus cum agunt: quod ferè proteruis illis & inflatis accidit, de quibus diximus. Altera, vt pro fastidire ponatur, & tunc potest ad homines & ad res transferri. Itaq; secundùm hanc significationem peccatur ab ijs, qui vix aliquem dignum esse putant, cui ipsi inseruiant: quosq; eorum pudet, quæ ex officio facere debebant. In omnibus istis peccabant Corinthij, cum multa præter Christianæ professionis decorũ facerent, indoctos cõtemnerent, & pauperes fastidirent, adeò vt ne in Cœna quidem mystica cum illis vellent communicare. Et vtinam hodie non magnus esset eorum numerus, qui similia faciunt. At istis quoq; malis charitas medetur. Qui enim hanc habent, hi & seipsos inspiciunt diligentius, & simul alios obseruant, ne quem suo officio fraudent: & ideo per illam Apostolus Legem impleri dicit. Deinde quia omnes sibi fratres esse norunt, neminem ita fastidire possunt, vt suo seruitio indignum esse putent. Imò nullius rei ipsos pudet, quàm si quid abs se præter officium factum esse senserint. Et cur non tunc nos nostrijpsius pudeat, quando tales ab ipsa rerum natura arguuntur, cuius singulæ partes officio suo quàm diligentissimè funguntur? Hæc certè causa est, quòd prophetæ ad boues & asinos, ad volucres deniq; eos remittunt, qui in Dei schola erudiri nolunt. Quoad homines verò, non possunt illi aliquem fastidire aut contemnere, cuius operam sibi aliquando vtilem aut necessariam fore cogitant. Quod enim de Leone narrant fabularum scriptores, quem laqueo captum mus liberauit, hoc ipsum multis Regibus accidisse constat, qui hominum vilissimorum beneficio in summis periculis seruati sunt. Xerxes certè, qui mare totum nauibus vt ponte strauerat, paulò post piscatoris opera seruatus est, qui sua scapha exceptum in Asiam traiecit. Et cur nos alicuius hominis pudeat, qui Christum peccatores simul & miserrimos quosque tam benignè complexum esse legimus? Quid verò de illis dicemus, quos rectè facere pudet, & sibi intolerabilem iniuriam fieri clamant, si liberius moneantur, vt officium faciant? 6. Non agit indecore. Rom. 13.

Septimo, Non quærit charitas quæ sua sunt. Sua quærere & curare per se peccatum non est: quin decet potius vt vnusquisq; salutem suam cum timore & tremore operetur: adhæc infideli deteriorem dicit Apostolus eum, qui suis non prospicit. At hîc sua quærere dicuntur, qui non nisi suis commodis student, alios verò omnes inhumaniter negligunt, imò (quod crudelius est) ex aliorum damnis suum commodum venantur. Est hic proprius fructus philautiæ, quæ charitati ex diametro opponitur. Ex illa enim nascuntur calumniæ, vsuræ, rapinæ, furta, obtrectationes & venalia iura. Hinc bella non necessaria, seditiones & Reipub. dissipationes prodeunt. Deniq; de MEO & TVO omnes lites oriuntur, quibus fora & iudicum subsellia perstrepunt. Et si Corinthios spectemus, ex hoc fonte apud ipsos sectæ manarunt, quibus tota eorũ Ecclesia scissa fuit, actiones item illæ forenses, quas apud ethnicorum tribunalia instituebant. Est autem hoc vitium eò nocentius & incurabilius, quòd omnibus innatum sit, sicuti in infantibus est videre. Itaq; magno studio hîc opus est. Vix enim quicquam tam difficile est, quàm cauere ne quis à seipso fallatur: quia impostor ille nunquam discedit, vt Plato quoq; monuit. Proderit autem vehementer, si cogitemus, natura sic comparatum esse, vt nostrum commodum in alterius commodo inculsum sit. Nam eadem inter homines ratio est communionis, quæ inter corporis membra: quo simili supra Paulus vsus est. Et vt incendio exorto, nisi quisq; suum negotium agi putet, & ad illud restinguendũ accurrat, facilè tota vrbs flammis absumitur: ita si vel in ciuitate, vel Ecclesia, vel re domestica, alij alios negligant, dum singuli suis intenti sunt, omnia pessum eant oportet. Romanis certè philautia bellorum ciuilium causa fuit, quæ Rempublicam totam euerterunt. Eadem in Ecclesia olim hæreses & 7. Non quærit quæ sua sunt. In Cratylo.

factiones peperit, quæ illam miserè conuulserunt: quod vnius Arij exemplum abunde probat. Et quid hodie paßim fiat, omnes vident. Rectè ergo Paulus ad Philippenses scribebat: Ne sua quisq; spectetis, sed vnusquisq; etiam quæ sunt aliorum. Quo loco Christi exemplum magnifice proponit & illustrat, vt maius sit huius admonitionis pondus. Vide Philip. 2.

8. Non irritatur. Octauo, Charitatem non irritari dicit. Pertinet hoc ad primi membri expositionem de longanimitate. In præsenti verò per αἰτιολογίαν siue causæ redditionem subijcit: Non cogitat malum, id est, aliena est à prauis & sinistris suspicionibus. Ex quo hoc quoq; sequitur, quòd neq; vindictæ cupida sit, neq; malum malo rependere studeat. Est autem hoc membrum consideratu dignißimū: quia nulla pestis nocentior, nulla charitatis remora efficacior est animo ad suspiciones procliui. Est verò hoc quoq; vitium nobis innatum, & philautiæ fructus est, de qua modò diximus. Vt enim qui furantur, fallunt, libidinibus vagis indulgent, aut alijs vitijs laborant, omnes homines ijsdem studijs delectari putant: ita quia nostri amantes sumus & nostris commodis studemus, ex nostro ingenio alios omnes æstimantes, eos quoq; non nisi sua quærere, & proinde nobis inuidere, bonis nostris insidiari, deniq; eadem quæ nos affectare suspicamur. At qui huic affectui indulgent, hi amicitias arctißimas dissoluunt, neq; vllis beneficijs emolliri possunt, vt meliora de ijs sibi polliceantur, quos suspectos habent. Exempla quotidie inter coniuges æduntur, quos zelotypia vrit, qui quò magis se mutuò amant, eò magis intra animos suos excruciantur, vt amore etiam illo frui nequeant. Quare non imprudenter Cæsar dicebat, se velle domum suam à suspicionibus quoq; liberam esse. In Repub. nihil suspicione nocentius esse, omnium seculorum exemplis abunde probatum est. Hæc Pharaoni & Ægyptijs sæuißimæ illius tyrannidis causa fuit, quæ postea exitium ipsis attulit. Hæc Saulem contra Dauidem extimulauit, imò mouit, vt aduersus Deum impiè insurgeret. Hæc iudiciorum maxima corruptela est, quia iudicum aures calumnijs patefacit, quod olim Apelles typo non minus eleganti quàm vero docuit. Iudicem pingebat pro tribunali sedentem auribus patentißimis, cui à tergo quidem Ignorantia, à sinistris autem Suspicio aßistebat: ad huius tribunal hominem innocentem per capillos attrahebat Calumnia facem ardentem gestans, quam Inuidia, Fraus & Insidiæ comitabantur. Procul verò has sequebantur Veritas & Pœnitentia. Ita nimirum innuens eorum innocentiam, qui suspicionibus & calumnijs circumuenti à iudicibus ignorantibus damnantur, serò tandem patefieri, & tunc inutili ferè pœnitentia duci eos, qui suspicioni nimium indulserunt. Et vt ad homines priuatos redeamus, vt suspicio omnia in malam partem rapit, ita causa est vt amicitiæ semel dissutæ vix vnquam poßint iterum coalescere. Ideo rectè à Menandro dictum est, τὸ δοκεῖν διαβολὴν ἔχει μείζω τοῦ ποιεῖν: innuens ex suspicionibus calumnias plures & grauiores, quàm ex ipsis factis enasci. Nec dubium est hoc vitium apud Corinthios vulgare fuisse, cùm singuli suam sectam euehere studerent. Nos verò teneamus, suspiciones charitati imprimis aduersas esse, & proinde procul arceri debere, ne animis insideant. Cauebitur hoc facilè, si in quibusuis monendis ingenua libertate vtamur, quam Christus commendat, neq; simultates aut odiorum scintillas admittamus. Interim Christianorum quoq; est, ita se gerere, ne quam alijs malè de se suspicandi occasionem præbeant, per quam charitatis vinculum poßit abrumpi.

Matth. 5.

9. Non gaudet iniustitia, &c. Nono, non gaudet charitas iniustitia, congaudet autem veritati. Potest hoc bifariàm exponi. Primò, quòd qui vera dilectione ardent, non gaudeant aliorum sceleribus aut malefactis, quod inuidi solent. Quia enim cupiunt perire eos, quibus malè volunt, ex eorundem delictis atque sceleribus delectationem capiunt, quibus illos sibijpsis odia multorum & exitium accersere vident. At longè alius charitatis affectus est, quæ veritate gaudet, id est, tunc sibi & alijs gratulatur, quando omnia integrè & syncere fieri videt. Quia enim Deum & homines complectitur, non potest non voluptatem ex eo maximam capere, si Dei cultum florere & iustitiæ omnes studere conspicetur. E contra verò ex aliorum interitu tristitiam & dolorem concipit, vt in Samuele, qui Saulis repulsam lugebat, & in Lotho ob Sodomæorum flagitia seipsum exeruciante est videre. Quàm ergò procul à charitate absunt, qui ex benefactis calumniandi occasionem arripiunt? Deinde potest membrum hoc ijs etiam opponi, qui sub charitatis prætextu sceleribus patrocinantur, & quiduis impunè fieri sinunt. At hæc non charitas est, sed perniciosa negligentia siue indulgentia. Nam pater filium, quem diligit castigat. Et Deus, qui ipsißima est charitas, sæpe alienum opus facit (vt

1. Sam. 16.
2. Pet. 2.

Isaia

Isaiæ verbis vtar) vt opus suum facere possit, id est, iratus nobis pœnas infligit, vt gratiæ suæ & bonitati apud nos locum faciat. Quotquot ergo ferre possunt, vt aliqui inter scelerum licentiam pereant, quoad fortunas suas & corpora, ij profectò hominum aut negligentissimi, aut crudelissimi sunt. At quos Christianæ charitatis ardor inflammauit, ij à delinquentibus pœnas exigunt, sed cum dolore & gemitu, atq; in eo patres pios fidosq; imitantur. Aduersus vtrumq; huius membri sensum Corinthij peccabant, qui & scelera grauissima impunè designari patiebantur, & sibiipsis placebant, quando lugere potius debuissent, vt in incesti illius exemplo supra vidimus. Obseruare hoc debent diligenter omnes, qui in publica authoritate constituti sunt, ne vel negligentius agant, vel modum iustæ seueritatis excedant: sed vinitores & agricolas industrios imitentur, qui noxias quidem herbas euellunt, & palmites luxuriantes siue arescentes resecant, cauent autem ne ipsis frugibus malum dent. At moderationis huius regula tutissima est charitas, quæ pœnas quantumuis graues, ijs qui deliquerunt leues & salutares facit. Isa. 28.

Decimo, Omnia suffert Charitas. In Græco est verbum στέγει, quod tegere & ferre aut aliquid sustinere significat, Metaphora ab ædificijs sumpta, quæ fulcris sustinentur & tectis impositis teguntur. Vtrumq; pulchre seruit charitatis ingenio. Hæc enim vt Solomon dicebat, tegit multitudinem peccatorum, nec temere cum proximi ignominia diuulgat, quæ ab ipso præter officium fiunt. Fert item patienter non aduersa modò, verumetiam iniurias & quæcunq; salua pietate ferri possunt, eò quòd Christo & spe præmij futuri nititur. Exemplū huius facilitatis eximiū in Iosepho habetur, qui atroces à fratribus suis & Putipharis vxore sibi factas iniurias ita tulit, vt illorum honori quoq; consuluerit. Similis fuit Mosis erga Israelitas, homines ingratissimos iniquissimosq; patientia. Quibus meritò Dauidem adnumeraueris, qui Saulis iniustam vim tanta lenitate pertulit, vt cum maximè posset, nihil in illum vellet hostiliter facere. Imprimis tamen hîc nobis Christus spectandus venit, qui vt sua iustitia omnium hominum peccata tegit, ita hostes quoq; fert, & ad se conuersos in gratiam recipit. Arguuntur igitur hoc membro, primùm ij, qui aliorum vitia odiosè diuulgant, imò amplificant quoq;, vt maiorem illis ignominiam conflent. Deinde hi quoq;, qui nihil ferre volunt, & leuissimis iniurijs prouocati non solùm aduersus homines insurgunt, verumetiam contra Deum murmurant, nisi is illico vindicem aut vltricem manum exerat. Solent ijdem ferè ea ferre & defendere, quæ minimè ferri debebant: dum neq; gloriæ Dei zelo vruntur, neque aliquam habent publicæ honestatis rationem. Ita verò sese produnt, quòd neque Dei neque hominum amore syncero teneantur. 10. Omnia suffert. Prou. 10. 1. Pet. 4.

Vndecimo, Omnia credere dicitur charitas. Id verò non debet de ijs intelligi, quæ ad fidei & salutis dogmata pertinent. Hæc enim ex Scripturis peti debent, & ne cuiuis spiritui credamus, Ioannes admonet. Adhæc quia charitas ex fide emanat, à Dei Verbo separari non potest, neq; aliquid admittere, quod ab hoc dissentiat. Ad ea ergo hoc restringi debet, quæ nobis in proximi laudem referuntur, aut si qui nobis de sua erga nos voluntate benignè promittunt. In his charitas faciles ac credulos facit, cum à sinistris suspicionibus (vt modò dictum est) sit aliena. Rursus ergo arguuntur, qui nemini fidunt, & semel conceptam suspicionem pertinaciter fouent. Interim nemo putauerit, damnari hîc piam illam prudentiam, qua nos serpentum similes fieri iubet Christus in prospiciendis & cauendis periculis, quæ nobis à fidei hostibus struuntur. Hæc enim vt charitati nihil derogat: ita huius lege ad illam astringuntur omnes, quorum fidei publica salus credita est. 11. Omnia credit.

Duodecimo, Omnia sperat charitas: omnia scilicet quæ de aliquo sperare licet. Non ergo eos probat Paulus, qui temere spes pro sua libidine concipiunt, & vt amantes solent, ipsi sibi somnia fingunt. Sed debet hoc partim ad eos referri, qui nobis reconciliari cupiunt, partim ad quosuis, qui se peccatorum pœnitentia duci testantur, seq; in posterum meliores fore vouent. Imò non obstat pietas, quò minus bene speremus de illis, qui adhuc in peccatis contumaciter pergunt, vel etiam apertum cum Deo bellum gerunt. Sunt enim exempla, quibus docemur, Deum subinde eos conuertere & in gratiam recipere, in quibus nulla pœnitentiæ argumenta cernebantur: neq; nos scire possumus facilè, qui nam in Spiritum sanctum peccent, aut quid de vnoquoq; Deus statuerit. Quoad ergo nobis non reuelatum adhuc est Dei iudicium de aliquo (vt olim Samueli de Saule) meliora de illo sperare licet. Fecit hoc Moses cum Israelitis suis, quem postea Paulus imitatus indesinenter pro Iu- 12. Omnia sperat. 1. Sam. 16.

dæis precabatur. Minimè ergo probari debent, rigidi illi & seueri Catones, qui mox desperant de eorum salute, quos turpius aliquanto lapsos esse vident, & ideo excommunicationes spirant, quando de reducendis peccatoribus cogitare debebant. Tales olim Nouatiani fuerunt, & hos imitantur Anabaptistæ, seditiosum & turbulentum hominum genus, qui sua scelera aliorum excommunicationibus & fucatis de disciplina Ecclesiæ instauranda sermonibus palliare solent. Aliter Christus, qui septuagies septies fratri ignoscere iubet. Et Paulus alibi ministrum eiusmodi requi-
2.Tim.2. *rit, qui malos etiam tolerare possit, & cum lenitate erudire aduersarios, si quando illis det Deus, vt conuersi agnoscant veritatem. Etenim si medici non ante membra resecant, quàm vbi toti corpori exitium imminere vident: nemo cordatus eum pastorem probauerit, qui ab Ecclesiæ corpore illum reijcere volet, qui hoc saluo diutius ferri poterat.*

13. Omnia sustinet. *Postremò additur, Charitatē omnia sustinere. ὑπομένειν dicuntur Græcis, qui sub onere imposito perseuerant, nec vnquam deficiunt. Solet hoc charitas, quæ sibijpsi nunquam satisfacit, & proinde non defatigatur, etiamsi se erga multos frustra laborare videat. Exempla in rebus vulgaribus occurrunt, vbi amore & studio homines detinentur, vt nullius laboris ipsos pigeat. Quòd si hoc*
Luc.21. *in fide fiat, hæc illa patientia est, qua animas nostras possidere nos iubet Dominus. Eadem mouet etiam, ne benefaciendo defatigemur, quàmuis multos ingratos sentiamus. Deniq; hæc virtutes in nobis omnes perficit, & ideo apud Chrysostomum charitas ἀρετῶν ἁπασῶν δημιουργὸς dicitur. Huic ergo studeant, quicunq; Christiani dici & haberi volunt, & hîc ipsius Christi exemplum sibi imitandum proponant, qui suos in finem vsq; dilexit, & se pro illis in mortem tradidit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXIX.

Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue cognitio abolebitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: Cùm autem aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Cùm essem infans, vt infans loquebar, vt infans cogitabam, vt infans sentiebam: postquam autem factus sum vir, aboleui quæ infantis erant. Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout cognitus fuero. Nunc verò manet fides, spes, charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas.

INter ea quæ charitatis vinculum abrumpunt, nihil nocentius est æmulatione & arrogantia. Hæc enim omnes superbè fastidit, illa verò quibusuis inuidet ea, quæ ipsis diuinitus data sunt. Vtroq; autem vitio tunc nocentissimè peccatur, quando in dona spiritualia cadunt, quæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinent. Nam præter id quòd donorum istorum abusus inde nascitur, hinc simul dissensiones prodeunt, quibus Ecclesiæ vnitas scinditur, & hi se mutuò mordent atq; laniant, qui in Christo vnum esse debebant. Exemplo sunt Corinthij, & hodie multa huius generis non sine summo piorum dolore fiunt, quando aliorum quidem ambitione, aliorum autem inuidia contentiones quotidie nouæ excitantur, quibus Euangelij cursus & multorum fides impeditur. Est igitur diligenti consideratione dignissima huius Cap. doctrina, qua Paulus charitatem sic commendat, vt magnificentius commendari non possit. Primò enim hanc cum donis præstantissimis confert, & ijsdem longè præfert. Deinde eiusdem dotes siue effecta omnia ex ordine recensuit, quibus omnia comprehenduntur, quæ priuatim ad vitam rectè instituendam, & publicè ad seruandam pacem Ecclesiæ faciunt. Sequitur tertium argumentum à perpetuitate, quòd nimirum omnibus alijs donis cessantibus ipsa maneat atq; duret.

Charitas à perpetuitate commendatur. *Propositio totius loci est, Charitas non excidit. Exponunt hoc nonnulli, quòd nunquam fallatur aut exorbitet in veri inquisitione, eò quòd etsi nō semper sensum germanum attingamus, non*

tamen

tamen perniciosè errare possint quotquot charitatis regulam in suo sensu sequuntur. Sed si quæ sequuntur propius considerentur, hoc potius dicitur, quod nunquam cesset charitas, sed perpetuò duret. Nam ad collationem donorum spiritualium rediens, per expositionem addit: Siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue cognitio abolebitur. Quæ verba Aposiopesis speciem habent, quæ sic suppleri potest: Charitas tamen non abolebitur, neq; intercidet. Et hic sensus plerisq; veterum placuit. Hieronymus enim exponit: Ipsa sola permanet in futuro: aut certè quæ vera est non finitur. Ambrosius autem: Hæc est, quæ & in præsenti prodest, & in æternum cum Deo permanet. Abolendas autem dicit prophetias, & cessaturas linguas atque cognitionem: quia vbi impletæ fuerint prophetiæ, illis non opus erit amplius: vt neq; linguarum aut cognitionis vsus erit aliquis, vbi perfectionis statum omnes attigerimus. Abolebuntur ergo & cessabunt ista, perinde vt Sole super Orizontem euecto aurora cessare aut euanescere dicitur. Neq; ideo quærere opus est: An ergo non locuturi sint sancti cœlites? Vel an nulla tunc futura sit rerum cognitio? Quis enim mutos fore dixerit eos, quibus omnia membra restituentur? Aut num truncorum loco eos fore putabimus, qui omnibus exoptatam beatitatem iam sunt assecuti? Per linguas autem in præsenti diuersitas illa linguarum intelligitur, quæ nunc cum molestia & incommoditate coniuncta est. Cognitionis autem nomen relatiuè ponitur, pro ipsa cognoscendi ratione, quam vulgò μάθησιν dicũt. Ergo quàmuis in futuro seculo cœlites neq; muti neq; rerum ignari erunt, non tamen illa quæ nunc est linguarum diuersitas erit, vt neq; ea discendi ratio, qua hodie exercemur. Quia enim dona illa omnia huic vitæ seruiunt, & ideo dantur, vt nobis ad fidem excolendam adiumento sint, tunc autem abolita huius seculi conditione salutem plenam assequemur, nulla porrò opus erit institutione, nullo item cognitionis assequendæ studio. Itaq; nihil tunc doctis & eruditis decedet, sed quod nunc laboriosè quærunt & non nisi fide percipiunt, id tunc reuera inuenient atq; possidebunt. Deniq; quia linguarum diuersitas inter peccati pœnas numeratur, nullus illi locus esse poterit amplius, quando perfecta felicitate in cœlesti patria fruemur. Et cur illic linguis diuersis sancti vterentur, quando Ecclesiæ in terris agenti hoc Isaias tribuit, quòd omnes lingua vna locuturi sint: non quidem quo- Isa.19.
ad idioma, sed quoad fidei sensum & Dei glorificandi studium. Quod autem idioma illud futurum sit, & qualem tunc cognitionem habituri sint sancti, quærere curiosum, non autem scitu necessarium est. Quare omissis eiusmodi quæstionibus, hoc potius agamus, vt olim æternis illis bonis frui nobis liceat, quæ suæ mortis merito Christus electis suis acquisiuit.

Pulchrè autem seruit Pauli instituto hoc dictum. Nam Corinthiorum stultitiam perstringit, qui propter dona illa, quæ mox abolebuntur, inter se ambitiosè contendebant, neglecto eo, quod æternum est, & sine quo ne hîc quidem commodè vitam degere possumus. Debet autem hinc generalis doctrina peti, Vt ipsi quoq; non simili stultitia neglectis bonis æternis ac immortalibus, circa euanida huius seculi bona occupemur. Quod vnum si diligentius omnes expenderent, plurimum ad veram pietatem momenti se assecutos esse sentirent. Quid enim in toto hoc mundo stabile inuenitur? Omnis caro fœnis (Clamat ex Domini iussu Isaias propheta) & omnis gloria carnis flos agri. Cui Isa.40.
Solomon consentiens post omnium, quæ magnifica videntur, accuratissimam considerationem dixit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et Paulus supra mundo speciem siue figuram euanidam ac prætereuntem tribuit. Quòd si verò Corinthios reprehensione dignos putauit, qui charitate neglecta, circa linguas & prophetiam aliaq; dona Dei minimè contemnenda occupabantur, quid de illis dicendum erit, qui opes, honores, voluptates deniq; huius seculi bonis æternis atq; cœlestibus præferunt? Quàm enim malefida sit opum possessio, exemplis quotidianis docemur. Honores fluxi sunt, & à vulgi fauore pendent, quo nihil mobilius & instabilius fingi potest. Voluptates verò vt plerunque cum fœditate quadam coniunctæ sunt, ita pudendam sui memoriam relinquunt, vt non possint non erubescere (vt alibi Paulus inquit) qui vitæ in his transactæ recordantur. Nihil ergo Rom.6.
homini Christiano dignius, nihil vtilius, nihil salutarius fuerit, quàm vt regulæ Christi memor, omnibus alijs postbabitis Regnum Dei quærat, & thesaurum sibi in cœlis recondat. Math.6.

Nemo neglectis bonis æternis de perituris contend[at].

Abutuntur autem hoc loco aduersarij, vt Diuorum intercessionem asserant, ex qua deinde eorundem inuocationem colligunt, & sic argumentantur: Abolitis & cessantibus donis alijs omnibus durat charitas in altero quoq; seculo: Charitatis autem opus proprium est bene velle omnibus, & salutem omnium iuuare dictis, factis, precando & intercedendo: Ergo sancti cœlites pro nobis in-

Locus hic non seruit intercessioni Diuorum.

tercedunt, & per consequens etiam à nobis debens inuocari. Sed est hic paralogismus à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Nam ad omnia charitatis officia extendunt & singulis id applicant, quod de illa simpliciter dicitur. Itaq; extra oleas vagantur, dum non insistunt Apostoli instituto. Etenim quàmuis charitas in sanctis maneat, quorum animæ iam in cœlis agunt, non tamen omnia illic faciunt, quæ hîc fecerunt, & quæ nunc in terris ex illius Lege fieri solent. Quia alia est huius præsentis, alia futuræ vitæ ratio. In hac vita charitatis opera sunt, cibum dare esurientibus & sitientibus potum, vestire nudos, hospitio excipere peregrinos & incertis sedibus vagantes, adesse ægrotantibus, tueri viduas ac pupillos, & quæ alia sunt huius generis. In cœlis autem nihil huius fieri potest, vbi nullus fami, siti, egestati, exilio, morbis & miserijs locus est. Deinde inter cœlites summus in voluntate Dei consensus est, quem in oratione Dominica fatemur. Non possunt ergo postulare aliquid, quòd cùm illa pugnet, sed in ea vna acquiescunt, & ex eadem voluptatem capiunt. Neq; ideo minus amant: quia ad seruandam charitatem sufficit, si nobis in genere bene velint, & Dei nomen inter homines sanctificari & glorificari cupiant. Adde his quòd incertum

1. Reg. 8. planè est, an singulorum, qui in terris agunt, res norint. Solomon certè rationem redditurus, cur solus Deus inuocari debeat, hanc affert, quòd solus corda scrutetur, & solus omnium vota exaudiat. Quod ipsum Prophetæ non vno loco annotarunt. Et si statum illum beatitudinis propius consideres, nihil cum eo minus conuenire potest, quàm vt nostris curis & miserijs cœlites occupentur.

Acto. 13. Quid quod Dauidem suo seculo deseruijsse, Paulus in Actis dicit? ita nimirum innuens, illum non habere porrò inter ea quæ in terris geruntur, quod ad ipsius curam pertineat. Atqui eadem est omnium ratio, qui ex hac vita emigrant, quos ideo defunctos dicunt, quòd iam omnibus curis & molestijs exempti atq; liberati sunt. Constat præterea, illorum inuocationem nullis vel testimonijs Scripturæ vel probatorum Dei seruorum exemplis probari posse. Dauid certè in Psalmo 107. omnium ferè catalogum contexens, qui vel domi vel peregrè in aquis aut in terra periclitantur, vel cum morbis, cum egestate aut alijs aduersis confligantur, omnibus hoc vnum tribuit, quòd ad Dominum clamauerint, & per hunc ex omnibus angustijs suis liberati sint. Et rectè quidem hoc dici-

Psalm. 50. tur, quia si qui aliter facerent, ij in Dei præceptum peccarent, dicentis: In die tribulationis inuoca me, & liberabo te, &c. Quòd si verò de intercessione verba facere libeat, hæc ad vnum Christum pertinet, qui vnicus Mediator est inter Deum & homines: apud illum verò intermedijs aduocatis nequaquam opus est, qui omnes eos qui laborant atq; onerati sunt, rectà ad se venire iubet, & neminem ad se venientem reijcit.

Nunc ex parte cognoscimus, &c. Quia verò de hac causa alibi quoq; diximus, nunc ad Paulum reuertamur, qui rationem adducit, cur dona illa prophetiæ, linguarum & cognitionis in futuro seculo aboleri dixerit. Ait: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Ex parte aliquid nouisse idem est quod non totum nouisse. At non omnia nunc à nobis cognosci probat, quia ex parte quoq; prophetemus. Per prophetiam enim mysteriorum & voluntatis Dei reuelatio intelligitur. Quia verò Spiritus nunc ea sola reuelat, quæ nobis in hac vita agentibus cognitu necessaria sunt, sequitur tam reuelationem quàm cognitionem quæ nunc nobis obtingunt, particulares modò, non omnibus numeris absolutas atq; perfectas esse, quibus omnia Regni Dei mysteria comprehendantur. Potest hoc probari exemplis sanctissimorum hominum, quibus multa defuisse ex eo apparet, quòd interdum grauiter lapsi sunt, vt singulari Dei gratia eos instaurari atq; erigi oportuerit. At vbi venerit (inquit Paulus) quod perfectum est, id est, postquam ad statum perfectionis vsq; peruenerimus, tunc quod ex parte est, id est, particularis illa cognoscendi simul & tradendi ratio abolebitur. Debet verò hoc de eo statu intelligi, qui mox à morte inchoatur; perficietur autem in nouissimo die, quando corpora quoq; nobis restituentur, vt totus homo verè felix atq; in æternum beatus sit, neq; vllis scholarum, linguarum aut institutionis adminiculis porrò opus habeat. Debent autem ista ad Pauli institutum referri, quod est, ne qui donis suis superbi alios præ se contemnant, aut illa alijs malignè inuideant. Cur enim alios contemnat, qui ipse adhuc multis destituitur? Aut cur alicui inuideas dona ista, quæ & ipsa imperfecta sunt? Adiuuent potius alij alios, vt simul omnes quotidie in melius proficiamus. Quòd si verò in spiritualibus hisce donis imperfectio tam multa est, quid de ijs dicemus, quæ præsenti

senti tantùm seculo seruiunt, per se autem caduca & fluxa sunt? Sunt ergo reuera stulti & miseri, qui neglectis cœlestibus & æternis bonis circa illa toti occupantur.

Cæterùm quia hæc nonnullis absurda videri poterant, & quidem imprimis sciolis, qui indignissimè ferunt humanæ sapientiæ supercilium detrahi, propositionem suam Paulus similibus illustrat. Primum à gradibus ætatum sumit, quibus vulgò homines proficiunt quoad corpus & animum. Cùm essem infans (inquit) vt infans loquebar, vt infans cogitabam, vt infans sentiebam: Postquam autem factus sum vir, aboleui quæ infantis erant. Huius seculi vitam infantiæ aut pueritiæ confert. Vt enim ætas ista propter imperfectionem, quæ ei coniuncta est, non nisi puerilia sapit, puerilia item cogitat & loquitur, imò balbutit potius: ita nos quoque dum in hac carne viuimus, eius mole & sensibus impediti, non possumus sensus & cogitationes nostras altius attollere, vt cœlestia sapiamus & loquamur, nisi quantum nobis Spiritus Dei largitur, qui vt pueros adhuc infirmis poplitibus vacillantes manu ducit, & mentes nostras, quantum nunc opus est, illuminat. In sua autem persona ista proponit, vt inuidiam declinet, ne de alijs tantum hoc dicere, seipsum verò à communi hominum sorte eximere putetur. Nam vt paulò ante diximus, in sanctissimis quoq; huius imperfectionis aut infirmitatis exempla passim occurrunt. Et quid de alijs aut nobis dicere attinet, quando Paulus, electissimum illud organum gratiæ Dei, qui in tertium cœlum raptus ineffabilia Regni cœlestis mysteria viderat, se infantem esse fatetur comparatione perfectionis illius gloriosæ, quam in altero seculo assequemur? Potest autem ex eo æstimari beatitudinis illius cœlestis excellentia, de qua verissimè Isaias pronuntiauit: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neq; in mentem homini venerunt, ea præparauit Deus ijs, qui ipsum diligunt. Neminem ergo huius seculi afflictiones terreant, quæ (vt alibi Paulus ait) cum futura illa gloria nullo modo conferri merentur. Sed neq; huius vitæ delitijs nos inescari patiamur, vt propter eas velimus cœlestia negligere. Nam qui hoc faciunt, ij reuera stolidi illi Lotophagi & infelices Circes socij sunt, qui in haris & caulis atq; ferarum septis volutari malunt, quàm ad patriam illam beatissimam contendere.

Præsens vita infantiæ confertur.

Isa. 64.

Rom. 8.

Sequitur alterum simile, quo infantilis huius aut puerilis cognitionis rationem reddit, dicens: Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm, videlicet cernemus: Et mox hoc ipsum exponens addit. Nunc agnosco ex parte, tunc autē agnoscam prout cognitus fuero. Duo tribuit cognitioni, quam nunc habemus. Primum, quòd similis sit visioni, quæ in speculo cernitur. Id verò non ipsas res, sed imagines rerum videndas exhibet. Alterum, quòd ænigmatica sit. Est autem ænigma oratio siue quæstio obscurior, quæ verbis tropicis res tegit, vt planiori interpretatione opus habeant. Vtrumq; negotio de quo hîc agitur, probè conuenit. Deus enim, qui natura inuisibilis est, nobis dum in carne viuimus, seipsum per verbum & opera sua reuelat. Sub verbo Sacramenta quoque comprehendimus. At omnis ista cognitio tenuior, imo obscura & quasi ænigmatica est, si cum perfecta illa conferatur, qua olim donabimur. Tunc enim coràm Deum ipsum intuebimur facie ad faciem, sicuti est. Et facit ad huius loci expositionem quod Ioannes in sua epistola scribit: Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quod erimus: scimus autem quòd cùm ipse patefactus fuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et in præsenti Paulus addit: Imò tunc cognoscam, prout cognitus fuero, id est, sicuti edocebor ab eo, qui & nunc me nouit, & cognitione, quæ huic vitæ congruat, dignatur, tunc autem se totum mihi reuelabit, vt (quod Dauid olim dixit) in eius vultu gaudiorum atq; bonorum omnium satietate fruar. De qua visione illud etiam Iobi exponi debere videtur: Spectabo Deum è carne mea, quem ego mihi contemplabor, & non alius: quod vnicum meum est desiderium. Iob. 19. cap. Scio quosdam multis disputare de facie Dei, & num contemplatio illa mente sola, aut simul etiam oculis corporis fiat. Sed sunt hæ hominum otiosorum disputationes. Sufficiat nobis, quòd Scripturæ docent, felicitatem illam non minus ad corpus quam ad animum pertinere, & proinde illius quoq; sensibus (qui tunc purissimi & ab omni affectu vitioso purgatissimi erunt) perceptum iri. Nam quòd illi obijciunt, Deum oculis corporeis non posse videri: nequaquam ad alterum seculum extendi debet, in quo omnis illa infirmitas abolebitur, qua nunc impedimur, quò minus à nobis ille conspici possit.

Cognitio, quæ hîc contingit, imperfecta.

Aenigma.

1. Ioan. 3.

Psal. 16.

Est tamen paulò diligentius excutiendum, quod dicitur nos nunc ex parte duntaxat, & vt

Num dubia & imperfecta sit cognitio, quæ ex Scripturis petitur?

in speculo aut ænigmate, id est, obscurius & imperfectius cernere. Ex eo enim aduersarij nostri occasionem arripiunt oblatrandi Scripturis, quasi hæ doctrinam contineant obscuram, imperfectam, imò dubiam & incertam: Quo fundamento non minus impiè quàm infeliciter iacto, duos errores illi superstruunt pernitiosissimos: Vnum, laicos à Scripturarum lectione procul arceri debere, ne rerum dubij opiniones falsas de religione concipiant, & hæretici fiant. Alterum traditionibus opus esse, & certam mysteriorum Scripturæ cognitionem ab ijs petendam esse, qui Ecclesiæ gubernaculis præsident. Hinc illa de scrinio pectoris summi Pontificis, deq; Patrum & Conciliorum authoritate, cui ipsas Scripturas subijciunt. Sed facilè illa diluuntur. Paulus enim hoc loco ex collatione præsentis & futuri seculi loquitur, non autem dubiam vel imperfectam esse docet eam cognitionem, quæ ex sacris libris petitur, quoad salutis consequendæ rationem, & ea quæ nunc nobis cognitu necessaria sunt, futuram verò illam certiorem, pleniorem & perfectionem fore dicit, vt quæ non solùm coràm videbit & intelliget omnia, verumetiam appræhendet, Deoq; præsenti fruetur, qui omnis felicitatis est Colophon.

Scripturæ dignitas. Leuit. 18. — *Quòd si de Scripturarum dignitate & authoritate dicendum sit, non potest negari, has doctrinā perfectam & sufficientem continere. De Legalibus enim præceptis dicitur, quòd in eis vitā habeat quisquis illa fecerit. Quòd ergo ex eis vitā non haurimus, nō Legi, sed nostræ vitiositati acceptū ferri debet, qua impediti nō facimus quæ Lex iubet. Verumtamē hîc quoq; nobis Scriptura succurrit, dum Christum tradit, qui nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est.* 1. Cor. 1. 2. Tim. 3. *Ideo Paulus totam Scripturam diuinitus inspiratam, & proinde vtilem esse dicebat ad id, vt homo Dei perfectus sit, & ad omne opus bonum instructus. Quoad homines quantùmuis præstantissimos, nihil illi nos docere possunt, quàm quod reuelante Spiritu ex Scripturis sacris hauserunt.* Ezech. 3. Matth. 28. Galat. 1. Matth. 15. *Ideo Prophetæ olim verbum ex ore Domini petere iubebantur, & Apostolis Christus dicebat: Docete gentes, quæ ego vobis tradidi. Quòd si qui diuersum quid tradant, ij Paulo teste, anathema censeri debent. Et hominū traditiones ad cultū Dei nihil conferre, Christus ex Isaia apertè testatur. Itaq; obseruemus diligenter & exosculemur Dei bonitatem, qui vt nostræ infirmitati consuleret, discendi rationem tutissimam nobis proposuit. Etenim si per Angelos nobiscum ageret, facilè nobis imponere poterat Satan, qui se in Angelum lucis potest transformare. Sin verò occultis reuelationibus & somnijs vteretur, hîc quoq; non rarò cogitationes propriæ fucum facerent: & exempla sunt, quid multis accidere soleat, qui mente alienati aut debilitati sibijpsis imaginationes mirificas fingunt. Ergo ne quid huius pateremur, certis capitibus siue principijs omnem fidei & salutis nostræ doctrinam Deus complexus est, Decalogo nimirum, Oratione Dominica & Symbolo Apostolico. Eadem quoq; literis mandata prolixè exposuit, & exemplis infinitis illustrauit. Instituit item ordinarium Ecclesiæ ministerium per quod doctrina ista publicè prædicetur: iudiciū verò penes Ecclesiā esse voluit, ne qui plus æquo sibi tribuerent. Vt deniq; fraus omnis facilius caueretur, lingua vulgari in his semper vsus est. Hanc ergo rationē sequamur, & Deo grati simus. Quòd si quid nunc nobis obscurius videtur, neminē id offendat: quando in alijs omnibus, quæ creditu & cognitu necessaria sunt, nihil obscurum est, nihil ambiguū, nihil imperfectum: qualia sunt, Deū esse qui omnia creauit, quiq; abs se creata gubernat & seruat. Filiū Dei pro nobis hominē factum esse, eundem nos mortis suæ merito redemisse, resurrectione sua mortē vicisse, ascensione cælorū portas reclusisse, & illic nostrum aduocatū agere, qui Ecclesiam simul suā tueatur. Hæc & alia huius generis, plenè & dilucidè in Scripturis traduntur. Quis autē & qualis Deus sit in sua essentia, quis incarnationis Filij Dei modus, quæ Regni cælestis forma & œconomia, vel Hierarchia, ea etsi nusquā exprimantur, neminē id mouere debet. Nā vt illa sciamus, nunc minimè opus est, consoletur aūt nos, quod olim coràm omnia spectabimus, quando in Regni Dei possessionē veniemus.*

Fides, spes, charitas, donorum omnium summam & scopū habent. — *Porrò concludit Paulus encomium istud charitatis, in quod digressus fuit: Nunc verò manet fides, spes, charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas. Manere dicit hæc tria respectu aliorum donorum: quia etiamsi in hac carne viuentibus neq; linguarum cognitio, neq; prophetia, neq; miraculorum facultas, aut vllum aliud simile obtingat, tria tamen ista Christi seruos nunquam destituunt, imo necessaria sunt, simulq; ad salutem consequendam ipsis possunt sufficere: cùm è contra alia illa multis conferantur, quos æternum exitium manet, vt iam sæpe diximus. Itaq; sensus*

istorum

istorum verborum est: Si omnium donorũ ratio subducatur exactißima, omnibus cessantibus hæc nobis summa reliqua erit, neq; aliorũ alius vsus est, quàm vt fidei & spei confirmandæ seruiant, & charitatis organa sint, per quæ illa quàm plurimos adiuuet. Et hæc illa sunt, quibus carere non possunt vnquã, qui Deo seruire & seruari volunt. Fides enim est animi assensus, qui certa & indubitata fiducia CHRISTVM IESVM, *& in hoc promißiones Dei omnes, simulq; Deũ ipsum apprehendit. Spes verò perseuerantia est, qua bona, quæ nobis promissa sunt, expectamus: & illa vt ex fide nascitur, ita hanc vicißim erigit atq; confirmat, ne tentationũ ponderi succumbamus. Per charitatem autem fides agit, et eadem actionum omnium fidißima est moderatrix. Ideo de hac in præsenti adijcit: Maxima autem harum trium charitas.*

Quod dictum nõ debet simpliciter accipi, sed respectu eorũ quæ præcesserunt, ne ab Apostoli instituto discedamus. Loquitur enim de Ecclesiæ œconomia aut gubernatione, deq; ratione pacis in Ecclesia conseruandæ, quæ simul mores & totius vitæ actiones in se comprehendit. In his palmam charitati tribuit, quia omnes alias dotes Spiritus moderatur, vt aliorũ ædificationi & saluti seruiant. Quòd si de ipso salutis mysterio & illius causis exactius disserere libeat, fides supra omnia alia longè excellit. Ex hac enim charitas illa gemina Dei & hominũ nascitur, quæ aut nulla aut fucata erit, si fidẽ sustuleris. Hæc quoq; sola Christũ apprehendit, qui nobis à Deo iustitia, sanctificatio & redemptio factus est, & in quo vno vita salusq; omnis habetur. Fides item victoria nostra est, qua mundũ vincimus, & per omnia salutis obstacula eluctamur. Per hanc quoq; solam in filios Dei renascimur, & Regni cœlorũ efficimur hæredes. Debent ergo Pauli verba non vltra scopum, ad quem ille respexit, extendi: & proinde turpiter paralogizant, qui illis ad euertendã fidei iustificationem abutuntur. Charitas (inquiunt) maior aut præstantior est quàm fides & spes: ergo charitas iustificat, aut saltẽ ad iustificationem plus confert quàm fides. Est hæc quoq; fallacia dicti secundùm quid ad dictũ simpliciter, perinde ac si quis argumentetur: Aurum pretiosius est pane: Ergo melius alit & nutrit hominem aurũ quam panis. Item, Rex præstat sutore: Ergo melius quàm hic conficere poterit calceos. Iurisperitus excellit nautã: Ergo ad nauim gubernandam magis idoneus erit. Quis verò nõ rideret ita argumentantem, aut communi sensu destitutũ negaret? At nõ minus ridiculè isti colligunt. Paulus enim de Ecclesiæ gubernatione disserit, in qua licet charitas fidem excellat, nòn debet tamen hoc ad iustificationem trahi, in qua omnis gloria fidei debetur, nõ propter vllum opus externũ, sed propter assensum illum animi, quo Christũ, qui nostra iustitia & vita est, apprehendit. Quia verò de his sæpe dictũ est ista modò sufficiant. Discamus potius hoc loco, quibus potißimùm studere debeant Christiani homines. Prima ijs cura sit, vt Christum vera fide amplexi ex eius verbo regenerentur in filios Dei. Deinde, vt spe firma suffulti per omnes huius vitæ procellas atq; certamina eluctentur. Postremò, vt charitate duce actiones suas omnes sic instituant, ne per ipsos vel priuatæ amicitiæ dissoluantur, vel Ecclesiæ pax turbetur. Hæc propria sunt religionis Christianæ exercitia, quibus si qui vacant, ij & in hoc seculo vitam beatam & tranquillam degunt, & olim in cœlis viuent atq; regnabunt cum CHRISTO IESV, *Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Vt charitas fide et spe maior esse dicatur.

CAPVT XIIII.

HOMILIA LXX.

SEctamini charitatem, ambite autem spiritualia, magis tamen vt prophetetis. Nã qui loquitur lingua, nõ hominibus loquitur, sed Deo: nullus enim audit, spiritu verò loquitur mysteria. Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationẽ, & consolationẽ. Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: qui verò prophetat, Ecclesiã ædificat. Velim aũt omnes vos loqui linguis, magis tamẽ vt prophetetis: Maior enim est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi si interpretetur: vt Ecclesia ædificationem accipiat:

Argumentum huius capitis.

PAVLVS Apostolus diligenter admodum & prolixè disserit de donis spiritualibus, quibus Ecclesiam suam Deus exornat & instruit. Causa illi fuit, quòd Corinthij propter illa inter se crebris rixis & contentionibus tumultuarentur, cùm alij quidem illa insolentius ostentarent, alij verò ea ipsis inuiderent. Primò igitur docuit, authorem illorum esse Deum, qui ea per suum spiritum conferat, quiq; omnium sit Dominus. Inde colligit, hunc vnum ante omnia spectari debere, vt illis ad huius gloriam vtantur: Deinde diuersa esse ostendit, & à Deo non sine certa ratione inæqualiter distribui, vt charitatis vinculum sint, dum quisq; alterius opera indiget. Et ea occasione in charitatis laudes digressus est, quas magnificè celebrauit. Sequitur tertia huius tractationis pars, qua docetur, quæ nam inter dona illa alijs præstent, & quod nã præcipuum sit, cui reliqua omnia debeant seruire. Et hîc palmam tribuit Prophetiæ aut Scripturarum tractationi, de cuius vero vsu atq; ratione disseret, quæ perpetuò in Ecclesia seruari debeat.

Quæ dona præcipuè quæri debeant?

Transitione verò vtitur commodissima, qua præcedentia cum ijs, quæ sequuntur, pulchrè connectit, dicens: Sectamini charitatem, ambite autem spiritualia, magis tamen vt prophetetis. In Græco legitur διώκετε, quod nõ obiter aliquid sectari, sed persequi significat. Ergo ardentissimum charitatis studium illis commendat, quasi diceret: Cùm tantus tamq; necessarius illius vsus sit, vt ei meritò in Ecclesiæ gubernatione prima gloria tribuatur, vestrum fuerit, illam omni studio sectari, & (quod prouerbio dicitur) vela & remos intendere vt eam assequamini: quod tum fiet, si ipsi omnibus alijs charitatis officia præstetis, & ita illos ad vos redamandum pelliciatis. Hoc enim verè Christianum certamen est quando mutuis amicitiæ officijs certatur, & nemo ab altero vinci vult. Neq; obstabit hoc, quò minus alia quoq; dona spiritus sectemini, imò vt ea quoq; zelo & æmulatione sancta ambiatis iubeo, cùm illa quoque à Deo dentur, & suum habeant vsum in Ecclesia. Imprimis tamen hoc agite, vt prophetetis. Ita verò admonet, prophetiã inter dona spiritualia præstantissimũ esse, cui illa omnia ancillari debeant: id quod huius tractationis caput est.

Charitas nõ excludit alia dona, sed regit.

At nunc obseruemus, charitatem sic à Paulo laudari, vt interim non damnet alia dona, quibus Corinthij turpissimè abutebantur. Quæ enim Deus in vsum bonum largitur, ea non debent pro malis aut noxijs abijci propter eos, qui ijsdem ad suum aut aliorum exitium abutuntur. Nã si id facere semel instituamus, iam omnes tam animi quàm corporis dotes, vnà cum fortunis omnibus & toto terræ prouentu damnare cogemur. Quàm multos enim est videre, qui prudentia, rerum vsu, eloquentia & authoritate sua rempub. euertunt? Quàm multis verò sua forma & integra valetudo libidini & fastui seruit? Et quanta cum ingratitudine multi frugibus ad turpem quæstum abutantur, aut intemperanti earum abusu seipsos impiè perdant, non opus est commemorare, cùm hoc neminem latere possit. Eadem est aliarum quoq; rerum ratio. Olim enim artium studijs & bonis artibus homines ambitiose superstitiosi abusi sunt, dum humanis traditionibus Ecclesiam grauarunt non sine luculento purioris religionis dispendio. At si ista omnia propterea damnare libeat, iam ingratitudine peccabimus, & Deum faciemus scelerum authorem, quod sine manifesta impietate fieri non potest. Tutissimum ergo fuerit regulam à Paulo nobis præscriptam sequi, vt quæuis Dei dona pio & ardenti zelo sectemur, quatenus id nostra nobis vocatio permittit, omnibus verò vtamur ex charitatis præscripto, quæ nos falli aut errare non patietur. In huius autem studio summam industriam adhibeamus necesse est, cùm tam multa sint, quæ charitatem turbare possunt. Nam vt de iniurijs nihil dicamus, quarum plena sunt omnia, plurimum hîc nocet philautiæ affectus, qui ita ferè in nobis dominatur, vt tunc quoq; nostrum commodum quæramus, quando alijs benefacere aut prodesse videri volumus.

Prophetia præstat linguis.

Quia verò prophetiæ donum omnibus alijs anteposuit, nunc eius rationem reddit, & hanc omnibus Ecclesiæ exercitijs longè excellentiorem esse argumentis solidissimis probat. Intelligit autem per prophetiam (vt ex eius verbis mox patebit) non miraculosum illud vaticinandi donum, quod tunc in vsu fuisse scimus, sed publicam Scripturarum tractationem, adeoq; totum munus docendi, quo Dei voluntas exponitur ad Ecclesiæ totius ac singulorum membrorum eius institutionem & ædificationem. Vtq; illustrior sit illius dignitas siue præstantia, eam cum dono linguarum confert diligenter: quod ideo inter alia potissimùm deligit, quòd circa linguas imprimis occuparentur Corinthij, vt quæ ostentationi & ambitioni eorum maximè seruirent. Ita enim natura comparatum

parentum est, vt ignobile vulgus maximi faciat quæ non intelligit, & proinde sæpius contemptis donis præstantioribus, ea quæ minoris momenti sunt, stolida ignorantia admiretur. Quid verò Paulus? Qui loquitur lingua, scilicet peregrina seu aliena, is non hominibus loquitur, sed Deo. Et huius dicti rationem subijcit: Quia nullus audit, id est, nemo intelligit, vt vel sensum eorum quæ dicuntur, aut aliam aliquam vtilitatem ex illis percipiat. Sed spiritu, id est, afflatu doni illius spiritualis loquitur mysteria. Ita verò dicit vel res prorsus arcanas & à nemine cognitas, vel ipsa salutis mysteria, quæ in Ecclesia non celari, sed publicè proponi debent, & sic quidem, vt ab omnibus intelligantur. At qui prophetat, is loquitur hominibus, id est, in vsum & vtilitatem hominum: & loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem, id est, ea loquitur, quibus homines ædificantur in Dei cognitione, quibus item excitantur ad pietatem, & quæ ipsos in periculis & tentationibus confirmant. Et hoc ipsum clarius exponens subijcit: Qui loquitur, seipsum ædificat sibi soli vtilis: at qui prophetat, Ecclesiam ædificat. Quantum ergo (vt Chrysostomus ait) discrimen est inter vnum hominem & totam Ecclesiam, tanto præstantior est prophetia dono linguarum.

Admonemur igitur hoc loco, nihil in Ecclesia præstantius & excellentius haberi prædicatione verbi Dei. Per hanc enim ille nobiscum loquitur, & voluntatem suam nobis reuelans se nos amicorum loco habere testatur. Per eandem nos alit, pascit, dirigit & confirmat in consilijs et actionibus omnibus. Ideo vt huic functioni authoritas maior accederet, Deus ipse primũ doctorem egit in Paradiso, quando primos parentes in peccatũ fœdè prolapsos verbo suo de sorte futura admonuit, & seminis ex muliere nasciturі promissione consolatus est. Deinde omnibus seculis idẽ ad hoc munus homines præstantissimos et sibi præ alijs charos destinauit: quales Patriarchæ fuerũt, deinde Moses, post hunc Prophetæ, quos Petrus sanctos Dei homines dixit. Taceo nunc Danidem et Solomonem, quorum hic Regum opulentissimus, ille verò victoriosissimus fuit, vterq. autẽ plus gloriæ ex doctrina verbi Dei habent, quam Psalmis & alijs scriptis compræhensam ad posteros transmiserunt, quàm ex suis victorijs, triumphis, thesauris & toto illo apparatu, quo suam magnificentiam ostentarunt. Hæc enim omnia, etsi toti mundo olim admirationi fuerint, iampridem tamen vnà cum ipsis extincta sunt: doctrina autem eorum adhuc hodie in omnium ore & manibus versatur, & omnibus ad vitam piè instituendam & æternam felicitatẽ consequendam vtilissima est. Quòd si ad noui Testamenti historiam accedamus, ipse Dei Filius in carne manifestatus docendi ac prædicandi muneri imprimis vacauit, & eius gratia se in mundum venisse testatur: quo nomine olim à Mose magnus ille Propheta dictus fuit, quem omnes audire debeant. Idem illi postea discipulos destinauit, quos peculij instar sibi ex toto hominum genere selegerat, & iisdem de Regno suo sciscitantibus hoc regnum ipsorum fore respondit, vt Euangelium in toto orbe terrarum prædicent, & ita omnibus æternæ salutis administri sint, qui illud fide vera amplectuntur. Discant ergo omnes magni facere tantum Dei beneficium, qui verò ad hoc munus destinati sunt, non moueantur iniquis hominum iudicijs, qui illud explosum aut extinctum vellent. Quia enim per illud salutem nobis offert Deus, Satan illi omnibus seculis insidiatus est, & huius ingenium referunt, qui hodie calumnijs suis verbi prædicationem exosam, & eius ministros omnibus suspectos facere student. Sed neminem ista offendant. Fit enim in hac idem, quòd in multis alijs. Nam si communis vitæ studia inspiciamus, pluris fiunt mercatores opulenti, quàm opifices, qui manuum labore victum sibi quæritant: maior item est apud plerosq. militum sanguinariorum quàm agricolarum dignitas. At si rem ipsam æstimemus, hi omnibus illis digniores, honestiores, reipub. item vtiliores & magis necessarij sunt. Quod etsi omnes norint atq. sentiant, proprio tamen iudicio plerìq. seipsos fallunt. Quid ergo miramur, si simile quid fiat in ijs, quæ ad salutem æternam spectant, cuius mysteria humani ingenij captum longè excedunt?

Prædicationis verbi Dei præstantia.

Ioan. 15.

2. Pet. 1.

Deut. 18.

Actor. 1.

Docet præterea locus iste, quibus partibus constet ministrorum Ecclesiæ aut doctorum officium. Vbi ante omnia obseruari debet, quòd hominibus loqui debent, non sibijpsis, aut lignis siue lapidibus, neq. inani verborum strepitu aërem ferire, sed in hoc esse, vt omnia ad auditorum captum atq. institutionem accommodent. In ipso igitur limine (quod dicitur) offendunt, qui suis modò commodis studendo totum ministerium sibi quæstum faciunt. Quid verò loqui debeant, tribus

Quibus partibus constet functio ministrorum.

1. Aedificatio. capitibus Paulus comprehendit. Primũ est aedificatio, id est, doctrina, quae ad aedificationem facit. Ea est qua Dei cognitio plantatur, fides itē, timor & cultus Dei, & quaecunq; alia ad pietatē & vitā Christianam pertinent. Vtitur autē aedificandi Metaphora Apostolus, quia Ecclesia domus Dei est, quae in eum finem verbi praedicatione & Sacramentis colligitur, vt in ea Deus suo Spiritu agat, & illic Regni sui thesauros deponat, quos in Symbolo Apostolico sub Remissione peccatorum gratuita, futurae Resurrectionis spe & vita aeterna comprehendimus. Fundamentũ huius aedificij Christus est, vt ipse apud Matth. testatur, & supra cap. 3. Paulus demonstrauit. Huic (1. Pet. 2.) per Euangelij doctrinā ceu viui lapides superstruuntur quotquot credunt: quia per fidem ipsi inseruntur, & in eo coalescunt. Hinc doctores in Scripturis aedificantes dicuntur, et Apostolus ideo seipsum architectum vocat. Horũ est ante omnia curare, vt bonum fundamentũ ponant, ipsum videlicet Christum, qui alibi fundamentũ Prophetarum & Apostolorum dicitur. (Ephes. 2.) Deinde vt super illud vnum aedificent, neq; ei admisceant stipulas, foenũ, arundines, ligna aut quicquam aliud à Christo alienũ. Adhaec operi sedulò instent, et simul curent, ne illud clàm actis cuniculis Satan suffodiat, neúe tempestatũ turbinibus & procellis euertatur, ne deniq; aliqui vt arena sine calce sua sponte labantur atq; deficiant. Meminerint itē ministri assidua & perpetua aedificatione opus esse, partim quòd credentium infirmitas nouam quotidie instaurationem requirit: partim quòd nouos subinde lapides sancto huic aedificio imponi oportet, vt plures ad Christũ indies colligantur, & Regnum eius perpetuò propagetur. Sed elucet hoc loco Satanae astutia, qui vt omnes homines in hoc studio remissiores atq; segniores faceret, aedificia quaedam templorũ, turrium, collegiorum & sacellorum excogitauit, quae aeterna dicũtur, et magnis impensis struuntur, neglecto interim hoc spirituali templo Domini, quod ferè in ruinis totũ iacet illic, vbi insana ista aedificandi libido dominatur. Nā aut aedificatores omnino nulli sunt, aut perfidi sunt, qui (vt de Iudaeorũ Sacerdotibus Scriptura loquitur) reiecto illo pretioso lapide fundamenti, salutis praesidiũ omne in rebus inutilibus atq; perniciosis monstrant. Caueant ergo sibi ab istorum exemplo, qui aedificationem loqui voluerint. Alterum ministerij ecclesiastici caput est Exhortatio. (2. Exhortatio.) Opus hac propter eos, qui non statim obediunt quando edocentur de ijs, quae ad salutē consequendam necessaria sunt. Natura enim tardiores sumus ad coelestia, & (quod nocentius est) insuper peccatis & erroribus delectamur. Opus igitur peccatorũ & errorũ redargutione, opus increpatione, correptione & adhortatione: cuius exempla grauissima habemus in Prophetis, quos Deus olim speculatorũ instar tubā verbi sui inflare iussit, vt quosuis ad officiũ faciendũ excitarent. Imitati sunt hos passim Apostoli, vt nunc de Christo nihil dicamus, cuius adhortationes grauissimae apud Euangelistas leguntur. Vehementer ergo errant, qui hodie nihil huius volunt fieri, sed quasi nuda simplexq; doctrina sufficiat, indignissimè ferunt omnem correptionem atq; adhortationem. Quàm verò hae necessariae sint, crescens quotidie immanissimorum scelerum licentia & omnium hominum mores corruptissimi abunde testantur. (3. Consolatio.) Quia verò Ecclesia multos habet, qui tentationibus & omni afflictionum genere exercentur, tertium caput adijcitur, Consolatio: ad quam pertinent, quae de boni & fidi pastoris officio apud Ezechielem dicuntur, quando se illum fore pollicetur Dominus, qui perditas oues requirat, expulsas reducat, saucias liget & infirmas roboret. Et in horum consideratione ministri Ecclesiarũ sic versari debent, vt semper meminerint, se tunc demũ fideles Deo fore, si in populi studia atq; mores totis animis intenti, pro auditorum & temporũ ratione ista omnia quàm diligentissimè proponant, vt simplices quidem & rerum ignari erudiantur, tardiores verò & obstinati vrgeantur, afflicti verò & trepidi consolationibus pijs erecti spem bonam concipiant. Huc referri debent, quae de verbo Dei rectè secando Paulus Timotheo scribit, & quae Christus sub oeconomi sui parabola tradidit 2. Timoth. 2. Matth. 24.

(Linguarum dignitas commendatur.) Sed ad Paulum redeamus, qui ne linguas in genere aut simpliciter damnare putetur, per Praeoccupationem subijcit: Velim autem omnes vos loqui linguis, magis tamen vt prophetetis. Etenim credibile est, multos qui linguarum cognitionem & excellentiorem doctrinam alijs inuidebant, hanc occasionem captauisse, vt quaecunque sunt huius generis dona pro inutilibus, vel etiam noxijs eijcerent: quales hodie etiam inueniuntur homines barbari, linguarum & bonarum artium hostes, qui vt propriam ignorantiam tegere possint, in literarum studia & scholas

perinde

perinde inuehuntur, ac si non aliæ nocentiores sint veræ religionis pestes. Quibus omnibus hoc Pauli votum possumus opponere, qui vt omnes linguis loquerentur optauit. Habuit autem eius voti causas multas & graues. Erat enim hoc præclarum & memorabile donum Dei, non Apostolis modò & viris apostolicis necessarium, sed non minus vulgo credentium vtilissimum. Commendabat enim Euangelicæ doctrinæ excellentiam, & testabatur eam diuinam esse, & totam huius causam cœlitus gubernari. Deinde ad Scripturæ veram intelligentiam plurimum facit linguarum cognitio, qua qui destituuntur, ij cæcorum & claudorum instar alienis oculis vident, & alienis pedibus ambulant. Præterea nullus inuidiæ ac æmulationi locus reliquus esse poterat, si omnes eodem dono fuissent instructi. Quia ergo hodie etiam in eruendis Scripturarũ arcanis magnus Hebrææ & Græcæ linguæ vsus est, vt iam de mutuis hominum & gentium diuersarum commercijs nihil dicam, nimiùm profectò barbari sunt, qui scholas & bonarum artium studia odiosius exagitare non verentur.

Elucet autem in Pauli exemplo syncerae charitatis ingenium reuerà ἄφθονον. Qui enim ea ardent, ij quæ bona & vtilia sunt, omnibus communia esse cupiunt, vt ad plures eorum fructus redeat. Ita Moses olim omnes Israelitas Spiritu Dei donari optabat, vt ad prophetandum idonei fierent. Neque Elizæo Elias succensuit, quando suum spiritum in se duplicari petebat. Et quanto studio Prophetæ simul omnes & Apostoli sibi reuelatam diuinæ voluntatis cognitionem toti populo communicauerint, eorum scripta & conciones abunde testantur. Arguit hoc Pontificum arrogantiam, qui quæcunque sunt huius generis sibi solis & suis creaturis vendicant, Sacrificis nimirum, quos tonsura & vnctio ab ipsis excogitata à vulgo Christianorum segregat aut distinguit. His enim solis per illos Scripturas sacras legere, & ijsdem solis totam Cœnam Domini vsurpare licet. Imò hos solos spirituales dicunt, & ijsdem locum quoque in templo proprium dicarunt, vt gradibus aliquot altiorem, ita ferè ferreis quoque cancellis interseptum. Denique vt soli dominari possint, non optant cum Paulo Apostolo, vt omnes linguis loquantur & prophetent, sed contra proprios Canones linguarum cognitionem omnino sepultam volunt, & ijsdem nefas videtur, si quis ex populo Christiano de fidei mysterijs & religione orationem instituat. Vident enim fortissimum sui regni fulcrum in populi ignorantia positum esse, & ideo illum aliqua cognitione instrui non possunt ferre.

Paulus omnes sibi pares fieri optat.

Num. 11.

August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 11.

Porro omissis istis, Paulum rursus audiamus, qui ne hoc suo voto eorum ambitionem confirmare videretur, qui linguas superbè & cum aliorum contemptu ostentabant, illud moderatur adiecta correctione: Magis tamen vt prophetetis. Et huius quoque rationem reddit: Maior enim est qui prophetat (nimirum, quia toti Ecclesiæ loquitur) quàm qui linguis loquitur, nisi si interpretetur vt Ecclesia ædificationem accipiat. Interpretatio enim clauis instar est, quæ nisi adhibeatur, non aliquis vsus esse potest Verbi Dei lingua peregrina & ignota prædicati aut propositi: Imò thesauri abstrusi instar erit, quem omnes ignorant, aut ad quem nemo potest penetrare. Simul apparet in Apostoli verbis, non vnum idemq́ donum fuisse tunc temporis Linguis loqui & Interpretari: vt & hodie multos inuenias, qui linguas norunt, nihil tamen præstare possunt, si animi sui sensum in publico proferre debeant.

Prophetiæ magis vacandum quam linguis

Imprimis autem nos de proprio & germano linguarum vsu hic locus admonet, qui est vt prophetiæ, id est, Scripturarum interpretationi seruiant, & sic Ecclesiæ ædificationem adiuuent. Confutatur ergo illarum abusus, qui ita in Papatu obtinuit, vt in Ecclesiasticis cœtibus omnia linguis peregrinis, Latina præsertim, peragantur. Est is cum multiplici errore coniunctus. Primò enim pugnat cum fine, in quem cœtus sacri à Deo instituti sunt. Est ille, vt homines Verbo Dei doceantur quæ huius voluntas, quæ item vera sit salutis consequendæ ratio: deinde vt Sacramenta administrentur cum publica beneficiorum Dei & redemptionis per Christum factæ commemoratione: vt item preces fiant publicæ, & simul Deo gratiæ agantur, & eius nomen prædicando alijs exemplo simus, quo & ipsi ad eius cognitionem atque cultum excitentur. Quid autem horum lingua peregrina fieri poterit? Deinde sepelitur hac ratione Verbum Dei, vt plerique illud ignorent. Quod quid aliud est, quàm lucem ipsam obscurare, & pios gladio illo spirituali exarmare, quo solo diabolus profligatur & vincitur? Præterea contra Dei & Angelorum exemplum

Linguarũ proprius vsus.

istud fit. Ille enim lingua vulgari olim cum patribus priuatim & cum toto populo publicè locutus est: & (vt infra audiemus) pœnam minitaturus, se lingua peregrina vsurum esse dicit. Et de Angelis nuspiam legitur eos alia lingua locutos fuisse, quàm quæ illis nota erat, quibus cum agebant. Adde his, quòd cum Deo luditur, si in eius domo lingua loquamur, quam eius domestici non intelligunt: imò quam sæpe ne illi quidem intelligunt, qui ea inter legendum & canendum vtuntur. Esset hoc in bene constituta domo intolerabile alicui patrifamiliâs, si quid huius œconomi facerent & qui alijs rebus agendis præfecti sunt. Num verò Deum id ferre posse aut velle putabimus? Denique nihil huius vnquam in veteri Ecclesia factitatum est, nisi hoc allegare libeat quod in præsenti Paulus tanta cum grauitate reprehendit: & qui hodie in Græcia, in Ægypto & Æthiopia, in toto denique Oriente agunt Christiani, sacra sua idiomate vulgari ac omnibus noto peragunt. Solus Romanus Pontifex Occidentalibus Ecclesijs, quarum caput seipsum constituit, Latini sermonis vsum obtrusit: vt vel hoc argumento constet, illum Antichristum dici debere, cui Latini nomen fore, olim Irenæus, vetustißimus & orthodoxus Ecclesiæ scriptor, prædixit. Neque satis illi visum est, si sacrifici Latinè loquerentur & canerent, sed à rudi etiam vulgo preces priuatas eadem lingua recitari voluit. Sunt hæc absurdißima, si vel communem sensum iudicem adhibeas. Excusant tamen illi factum, vel potius pertinaciter defendunt. Dicunt enim, multa in sacris libris contineri, quæ populo edicere non satis tutum sit, inter precandum verò sufficere bonam animi intentionē, etiamsi quid preceris non intelligas. Sed prius illud falsum & blasphemum est, postremum verò hoc adeò puerile & ridiculum, vt mirum sit tale quid posse in mentem venire hominibus, qui soli sapere videri volunt. Nec enim fieri potest, vt bona sit animi intentio absque attentione diligenti & seria deuotione. Quid verò attendet, aut quo medio animi deuotionem excitabit, qui quid ipse loquatur, aut quid alij dicant nō intelligit? Itaque vnum hoc abunde docet, quàm fallantur spe sua, qui sibijpsis de isto hominum genere aliquid boni pollicentur, quasi serio Ecclesiæ reformandæ studio flagrent, quando tot iam annis ab instaurata Euangelij doctrina adduci non potuerunt, vt abusum hunc tam manifestum, tam crassum & absurdum corrigere in animum induxerint.

In Ecclesia quis maior sit alijs?

Priusquam verò dicendi finem faciamus, videndum etiam quis verè magnus, aut etiam reliquis maior sit in Ecclesia, vel Christi Regno. Est hoc consideratu dignißimum. De eo enim olim pugnatum inter Apostolos, cùm Regni huius rationem adhuc ignorarent. Et hanc ipsam concertationem in veteri Ecclesia magnos motus dedisse scimus, dum inter Episcopos alij alijs præstantiores esse voluerunt. Tandem dignitatem hanc partim artibus insidiosis, partim aperta vi obtinuerunt Romani Pontifices, qui hodie Maximi & Ecclesiæ Caput dicuntur: & extat Bonifacij octaui Canon de Maioritate & obedientia, cuius summa est, supremam rerum potestatem penes Pontificem esse, & proinde de neceßitate salutis esse, vt illi omnis anima subiecta sit. Et ne Reges & Imperatores se exemptos putent, gladios duos fingit, quorum alter in Pontificis solius, alter verò in Imperatoris quidem manu sit, sed non nisi pro Pontificis arbitrio moueri aut exerceri debeat. Similiter Pontificem Luminare maius siue Solem, Imperatorem verò
Luc. 22.
Luminare minus aut Lunam dicit, vt illum supra hunc eminere ostendat. Sed longè aliter Christus, qui eum in Ecclesia sua alijs maiorem fore olim docuit, qui omnibus alijs seruiat. Quis verò ille est? Id in præsenti Paulus docet, quando eum qui prophetat omnibus alijs eo nomine præfert, quòd toti Ecclesiæ loquatur, quæ ex ipso ædificationem accipiat. Quò Christus quoque respexit, quando Ioannem Baptistam prophetis omnibus anteposuit: nimirum quòd etsi hi omnes docuerint sui seculi homines, ille tamen ipsum propius monstrauerit, & totam diu expectatæ salutis rationem clarius exposuerit. Maioritas ergo (vt illorum vocabulo vtar) non in huius seculi dignitatibus aut opum splendore consistit, neque certo alicui loco alligata est, sed ex ministerij fide & docendi sedulitate tota dependet, & alijs præferri meretur, qui maiori cum fructu docet, & plures Christo lucrifacit. At si ad hanc regulam examinentur Romani Pontifices, mox apparebit eos ne minimos quidem, imò omnino nullos esse in Ecclesia, cùm nemini seruiant, neminem doceant, sed plus quàm barbarico fastu sese supra omnes alios extollant, adhæc ceu canes quidam in præsepi diris latratibus & morsibus crudelißimis obstent, ne quis alius docendi munus fideliter obeat.

beat. Neminem ergo illorum insolentia moueat, gratias autem agamus Deo, qui nos ex istorum tyrannide liberauit, inq́; libertate illa constanter seruiamus Domino & seruatori nostro IESV CHRISTO: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXI.

Nunc verò fratres, si veniam ad vos linguis loquens, quid vos iuuabo, nisi vobis loquar aut per reuelationē, aut per cognitionē, aut per prophetiā, aut per doctrinam? Atqui inanima quæ sonum edunt, siue tibia sit siue cithara, nisi distinctionē tonis dederint, quo modo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara? Etenim si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos nisi bene significantem sermonē edideritis, quomodo intelligetur quod dicitur? Eritis enim in aerem loquentes. Tot, prout inciderit, genera vocum sunt in mundo, & nihil est mutum. Nisi igitur sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus fuerit: Ita & vos.

VT homo propter naturæ suæ vitiositatem, quæ ex primo parente in nos deriuata est, nihil boni habet ex semetipso: ita neque donis à Deo acceptis bene vti potest, nisi singulari Spiritus luce gubernetur: & plerique vel negligentia peccant, dum sibi creditum talentum cum malo illo seruo defodiunt: vel malitia, dum illis ad quæstum siue ad inanem ostentationē abutuntur. Quòd si hoc in ijs fiat, quæ ad Ecclesiā pertinent, nihil huic nocentius potest accidere. Tunc enim Veritatis doctrina deprauatur, ordo omnis turbatur, & confusio inducitur cum horribili dissipatione cùm sacrorum omniū tùm ipsorum fidelium coniuncta. Exemplum huius mali in Corinthijs habemus, quorum Ecclesiam omni cognitione & scientia excelluisse, & præclaris donis à Deo ornatam fuisse, iam sæpe audiuimus. Inter illa autem linguarū quoq; donum fuit, quo tunc tempori Euangelij sui prædicationem Christus cōmendabat. At quia illi his ambitiose abusi sunt, non modò in sectas scissi fuerunt, verumetiam in cœtibus sacris & toto religionis externæ exercitio omnia confusè & absque fructu faciebant. Ideo Paulus hoc Capite multis hanc causam agit, hoc imprimis vrgens, ne linguas inutiliter ostentent, sed his prophetiam longè præferant, per quam Ecclesia in veritatis cognitione, fide & pietate ædificetur. Et quia linguas, nisi ad hunc finem dirigantur, nuper inutiles esse dixerat, id nunc exemplis atque similibus confirmat. *Linguæ inutiles, nisi prophetiæ seruiunt.*

Orditur autem à seipso, & proprium exemplum adducit, vt causa hæc minus inuidiæ ac odij habeat. Nunc verò fratres (inquit) si veniam ad vos linguis loquens, quid vos iuuabo, nisi vobis loquar aut per reuelationem, aut per cognitionem, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Poterat dicere Apostolus: Scio venisse ad vos post meum discessum, & quotidie in cœtibus vestris prodire sciolos quosdam, qui linguarum variarum cognitione sese venditant, suamq́; eruditionē sermone peregrino non sine magna omnium admiratione ostentant: sed scire velim, quid nam omnes isti vobis prosint, & quam ex illis vtilitatem capiatis? At quia hoc odiosum fuisset, & ipse simul in suspicionem incurrere poterat, quasi odio suorum æmulorum talia diceret, & Ecclesiæ ipsorum hanc laudem inuideret, hoc omne in se transfert. Si ego (inquit) nunc ad vos redirem, & omnium earum gentiū linguis vobis concionarer, quas toto mei apostolatus tempore lustraui, quis inde obsecro ad vos fructus rediret? Sed nolo ego de eo pronuntiare, vos ipsos appello, vos in hac causa testes simul & iudices audire cupio. Certè nihil ex meis contionibus meliores abibitis, neq; profectum aliquem facietis, nisi vobis loquar (lingua videlicet vestra vulgari) aut per reuelationem, aut per cognitionem, &c. Fuit hoc argumentū vt euidens, ita satis firmum & efficax ad conuincendam illorum insaniam, qui inani linguarū ostentatione superbiebant. At nos hodie ex verbis istis non minus validè argumentari possumus: Si tantus Apostolus absq; fructu Ecclesiæ lingua peregrina loqueretur, quantò minus præstabunt stupidi illi Alcinoi & ignaui Penelopes sponsi, qui hodie in templis boant, & Psalmodias atq; lectiones Latinas faciunt? *A proprio exemplo.*

Ministrorum scopus sit prodesse Ecclesijs.

Interim suo exemplo Paulus omnes Verbi administros sui officij admonet: vt nimirum non alio animo aut instituto ad Ecclesiam veniant, quàm vt huic prosint, & eam ædificent. Etenim multi currunt & in ministerium seipsos intrudunt, non autem vt alijs fructum aliquem afferant, sed vt quæstum sibi faciant & suas res agant. Tales olim Prophetarum tempore fuerunt, de quibus per Ieremiam & Ezechielem Deus queritur: Currebant, & non mittebam eos. Item, Væ pastoribus, qui pascunt seipsos, &c. Et Apostolis adhuc docentibus non defuerunt canes muti, quorum Deus venter erat, & qui nullo vel Dei vel Ecclesiæ zelo ducti per æmulationem & contentionem concionabantur, de quibus in epistola ad Philippen. grauiter Paulus pios admonet. Et hodie in Papatu multi veniunt ad Episcopatus, Canonicatus & ad Ecclesiarũ pinguissima stipendia, sed quotus quisque cum Paulo seipsum aut alios interrogat: Quid vobis prosum? quæ mei est in Ecclesia vtilitas? Quid autem de illis dico, quando neque inter nostros, qui Euangelij precones haberi volunt, omnes hæc cura tangit? Si enim de eo vel semel seriò cogitarent, non possent tantum temporis ignauo otio, infructuosis peregrinationibus, vel discursionibus potius, gulæ item & comessationibus tribuere. Meminerint ergo omnes isti, se ideo missos & ordinatos esse, vt aliquam Ecclesiæ vtilitatem afferant. Est hæc CHRISTI IESV sponsa, quam cùm proprij sanguinis pretio redemerit, eam inutilibus nugis lactari non sinet. Itaque hanc quæstionem nobis semper occinamus ô fratres: Quid proficis hæc aut ista dicendo? Quid iuuant Ecclesiam concertationes istæ de rebus abstrusis, quæ paucissimi intelligunt? quid vtilitatis capiunt pij ex ceremonijs theatricis, ex imaginibus, ex organorum strepitu, ex sumptuoso templorum ornatu? Quod autem de Ecclesiarum ministris dicimus, non minus ad se pertinere putabunt viri principes, & quotquot ad Rempub. administrandam vocati sunt. Ita enim ipsi quoque seipsos ad curam diligentiorem excitabunt, & ad publicam salutem plurimùm conferent.

Ierem. 23. Ezech. 34.

Partes & ordo prædicationis euangelicæ

Obseruabis præterea hoc loco, quas partes faciat Apostolus prædicationis Euangelicæ, aut quomodo huius ordinem atque finem definiat. Nisi (inquit) vobis loquar per reuelationem, aut per cognitionẽ, aut per prophetiam, aut per doctrinam. Ambrosius hæc omnia vnum & idem esse existimat, sed non temere inter ea Apostolus distinguit, vt simul de ordine admoneret, quo minister debet progredi inter docendum, vt ad finem eum perueniat, quem Deus ipse ministerio Ecclesiastico præfixit. Ante omnia reuelatione opus est. Quid enim ex semetipso docebit alios, qui nisi diuinitus illuminetur, neque Deum Patrem neq; Filium nouisse potest? Nemo nouit (ait Christus) quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater nisi Filius, & cuicunq; voluerit Filius reuelare. Et idem Petro qui ipsum ingenuè erat confessus, dicebat: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Ideo olim Prophetæ Verbum ex ore Domini petere iussi sunt, & Apostolis Spiritus Veritatis datus est, qui ipsis suggereret ea, quæ populo proponerent. Hic ergo preces nobis commendantur, quibus non modò generalem Verbi Dei cogntionẽ petamus, verumetiam quid quouis loco & tempore facto & dicto opus sit. Reuelationem cognitio sequitur, quam illius effectum rectissimè dixeris. Et hæc quoq; nõ minus necessaria est. Quid enim dicet, qui nihil nouit, nihil intelligit? Ideo Apostolis dicebat Christus: Discipulos facite omnes gentes, docentes eos seruare quæ ego vobis tradidi. Requiritur autem hîc Scripturæ sacræ studium, quia per illam nobis loquitur Deus, & ideo Paulus Timotheum suum, quem à pueris in sacris literis institutum esse sciebat, grauiter monet, vt lectioni sedulò incumbat. Tertium locum habet prophetia, quæ dextera est & propria Scripturarum interpretatio, per quam Dei voluntas eruitur & reuelatur, futuri quoque rerum euentus non obscurè prædicuntur, vt ex his consilia quoque de rebus agendis peti possint. At nullus istorum omnium vsus est, nisi alij de ijsdem edoceantur. Nam vt Solomon ait, sapientiæ reconditæ & thesauri abstrusi nulla est vtilitas: cui Satyricum illud consentit: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Ideo doctrinam quoque subijcit Paulus, quæ singula ista auditoribus applicat pro locorum & temporum ratione, vt singulorum institutioni, vitæ denique & morum emendationi seruiant. Et hæc illa pars est, in qua Ecclesiæ & singulorum eius membrorum ædificatio potissimùm consistit. In istis ergo ministri omnes sese exerceant: nam sine his nihil proficient, imò ab illis requiretur sanguis eorum qui in suis siue sceleribus siue superstitionibus pereunt.

Matth. 11. 16.

Quod

Quod autem proprio exemplo docuit Paulus, id per simile illustrat, quod ab instrumentis Musicis est desumptum. Dicit enim: Atqui inanima, quæ sonum ædunt, id est, quæ humano artificio sic fiunt, vt vel inflata vel tacta sonent, vtpote tibia aut cithara, aut quodcunq; aliud huius generis, nisi distinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara? id est, quis intelliget, quid sonus iste velit? Et vt de tuba loquar, cuius multiplex vsus est, dum ea vel signum prælij ineundi datur, vel receptui canitur, vel cœtus publici conuocantur, quis obsecro hac audita ad prælium armabitur, nisi eum modum siue tonum audiat, qui prælium inituris occini consueuit? Ita & vos nisi bene significantem sermonem ædideritis, quomodo intelligetur quod dicitur? Certè eritis in aerem loquentes, id est, frustra & absque omni fructu loquemini, vt qui vestris orationibus non in auditorum animos penetrabitis, sed aerem solum inutili verborum à nemine intellectorum strepitu ferietis. Subest autem huic similitudini argumentum à comparatis, siue à minori ad maius: Si in Musicis instrumentis hoc requiritur, vt quàmuis vocem non ædant articulatam, distinctam tamen ædant, vt cuius argumenti sit cantus ille intelligatur: quantò magis in Ecclesia Dei hoc obseruari debet, vt omnes quid illic dicatur & agatur intelligant? Hîc enim cœlestis illa & diuina Musica exercetur, de qua verè dici potest, quod de Orpheo & Amphione olim poetæ fabulati sunt: quòd scilicet feras cantu suo cicurauerint, quòd fluminum cursus inhibuerint, saxa traxerint & arborum truncos. Nam per Dei Verbum, si dignè tractetur, belluini animorum motus & minis æstuantia corda placantur, ruentes in vindictam animi cohibentur, & in misericordiam mutuamq; concordiam trahuntur, qui prius lapidibus duriores & truncis stupidiores videri poterant. Adde huic argumento alterum quoque: Si homo tibijs, citharæ, lyræ, tubæ & similibus instrumentis vocem certam magno studio & labore affingit, qua toni eorum dignosci poßint: quàm absurdũ & ridiculum fuerit, si homines vocibus incertis & ignotis linguis confusum quid sonent, quod à nemine intelligatur? Item: si inanima ista sonum ædunt, quem auditores intelligunt, quis non graui reprehensione dignos iudicet homines, qui cùm anima immortali & rationali à Deo donati sint, ita tamen loqui gaudent, vt quid nam dicant ignoretur? A simili instrumentorum musicorum.

Non temere autem hoc simili Paulum vsum esse putabimus. Probè enim & eleganter ecclesiastici ministerij vsum & ministrorum officium adumbrat. Tibia multos & varios canendi modos admittit, varijs item chordis cithara aut lyra constat. Ita non vnus est prædicandi Verbi Dei modus, sed in vna sæpe concione mirifica cum harmonia concurrunt doctrina, admonitiones, hortationes, increpationes, comminationes & consolationes. Deinde vt non satis est temere inflauisse tubam aut tibiam, vel incerto tactu digitorum citharæ chordas percurrisse, sed illas distinctè inflare, has autem certo ordine tangi oportet: Ita nondum officio suo defuncti sunt, qui Dei Verbum vtcunque prædicant, aut ex Scripturis detonant quicquid illis in buccam venit: sed cordatè & prudenter ea afferre oportet quibus maximè opus est, quæq; loco præsenti & tempori seruiunt. Quod ipsum Christus admonet, quando œconomum requirit, qui familiæ suæ cibum in tempore depromat. Prædicandi modus multiplex.

Imprimis tamen huc pertinet tubæ similitudo. Huius vsum præcipuum in militia esse constat. Atqui militia est vita hominis super terram, eò quòd hostem habemus communem, quo nemo crudelior, nemo improbior, nemo magis inquietus aut melius instructus fingi potest. Est is Satan, qui & primos parentes in exitium adduxit, & nunquam non rugientis leonis instar oberrans quærit quem deuoret. Habet is à partibus suis mundum hunc, per quem modò illecebrarum laqueis nos tentat, modò minis & omni periculorum genere territat. Et quæ eius est improbitas atq; astutia, ipsis quoq; cordibus nostris sese insinuat, vt nostræ carnis affectibus, imò nostra ratione & intellectu, in nobis oppugnandis vtatur. Quamuis autem hîc tota salus nostra periclitatur, multi tamen securi nimis dormiunt, multi metu superati aut voluptatum illecebris ducti stationem turpiter deserunt, multi animo plus quàm proditorio cum hoste paciscuntur, & non consulto Imperatore nostro IESV CHRISTO, vel etiam illo inuito, pacem cum illo faciunt, cum quo ne inducias quidem vnius horæ Christiano homini habere licet. Hîc ergo speculatores & tubicines suos Deus constituit, qui securos & dormientes excitent, qui oscitantes de periculo Tuba ministerij ecclesiastici typus.

admoneant, qui de statione deserenda cogitantibus prælij ineundi signum dent, qui cum hoste colludentes aut paciscentes vrguant, & vbiq; instent, ne improbus ille hostis de Christi Ecclesia triumphare possit. Tubicines illi precones Verbi sunt, quibus apud Prophetam dicitur: Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam. Item: Ad palatum tuum adhibe buccinam. Ab omnibus ergo istis hoc requiritur, vt clarè & distinctè prædicent, & quod res est dicant, ne quis ipsorum negligentia aut perfidia pereat. Huc pertinent, quæ prolixè traduntur. Ezech. 3. & 33. Cap.

Isa. 58. Hos. 8.

Contra cantū & organa papistica.

Possumus autem totum hunc locum non absq; certa ratione contra eos proferre, qui in Papatu cantum peregrinum in Ecclesiam inuexerunt, & imprimis quidem contra vsum organorum in templis. Pauli enim argumentum in eo consistit, quòd Musicæ ignotæ & non intellectæ nullus vsus sit. Quod communi omnium consensu ita receptum est, vt in prouerbium abierit, quo dicimus, Occultæ Musices nullum esse respectum. Cui Ouidianum illud consentit:

Tu licet & Thamyram superes atque Orphea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna Lyræ.

Atqui à Musica ignota siue occulta nihil differt cantus qualiscunq;, qui non intelligitur. Quis verò alius est totus ille, qui in Papatu auditur? Est equidem mos canendi in Ecclesia vetustissimus, apud Orientales imprimis. Et Plinius Secundus, cum ad Traianum Imperatorē scriberet de Christianis, hoc inter alia eis tribuit, quòd Christo Deo suo antelucanos hymnos canant. Sed cantus ille primùm lingua vulgari fiebat, deinde voce modicum modò deflexa, vt à simplici verborum recitatione non multum differret: cuius rei mentionem facit luculentam D. Augustinus, qui D. Athanasium Alexandriæ episcopum hoc nomine commendat. Et D. Hieronymus in Commentarijs in epistolam Pauli ad Ephesios, Musicam illam artificialem apertè damnat, vt quæ theatris potius quàm Ecclesiæ conueniat, vbi Regni cœlorum mysteria tractantur. Eius verba sunt: Canere & psallere & laudare Dominum magis animo quàm voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur: Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli: audiant hæc quibus Psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, &c. Quæ verba Pontifices inter decretorum suorum Canones referri debere censuerunt: à quibus non multum abludunt, quæ ijdem ex Gregorio suo Magno adducunt: qui non obscurè fatetur, non rarò fieri, vt cantor minister Deum moribus corruptis stimulet aut irritet, dum populum voce blanda delectat. At hodie in Papatu non linguis modò peregrinis canitur, verumetiā voces tanto artificio miscentur, vt ne cantores quidem ipsi verba numeris suis semper applicare possint. Neq; hoc satis visum fuit, nisi organa quoq; inueherēt, verè & propriè sic dicta, quando in vno opere organico omnia ferè instrumenta Musica habentur, quæ vocibus infinitis & harmonia admirabili simul perstrepunt. Id verò inuentum esse non adeò vetustum, ex historijs apparet. Nam vt Marianus Scotus annotauit, sub annū Domini DCCLVI. organa eiusmodi, prius in Occidente nunquam visa Constantinus, cognomento Copronimus, Pipino misit, quando Romanæ etiam Ecclesiæ ritus & ceremoniæ primùm in Franciam translatæ & susceptæ sunt. Illorum verò concentum artificiosum quotus quisq; ex sacrificorum numero intelligit, vt nunc de rudi vulgo nihil dicam? Obijciunt illi nobis Dauidis exemplum, & illa ex Psalmis adducunt: Laudate Deum clangore tubæ, laudate eum nablo & cithara: Laudate eum tympano & tibia, laudate eum in choris & organo: laudate eū in cymbalis bene sonantibus, &c. Sed nos simpliciter respondemus, non decere vt ceremoniæ Veteris Testamenti in nouum transferantur, cùm nullum eius rei exemplū Apostoli nobis præbuerint, & vetus Ecclesia ceremonijs simplicissimis contenta non alium quoq; cantum habuerit, quàm qui pronuntiationi similior fuit quàm cantioni. Verumtamen quoad cantum ecclesiasticum, scimus D. Augustinum olim dubium hæsisse, an vtilius sit eum in Ecclesia retineri, aut inde eijci: quando constat, pios quidem illo vehementer affici, & sæpe ex eo nouam fidei alacritatem concipere: alios autem, qui mundi voluptatibus addicti sunt, non aliud quærere, quàm vt aures inani oblectatione demulceant. Potest tamen non inutiliter ferri meo iudicio, modò locorum & gentis cuiusq; diligens ratio habeatur, & tria

Confes. lib. 10. cap. 33.
Ephes. 5.
Distinct. 92.
Psalm. 150.

tria hæc obseruentur. Primum, vt non sit immodicus, neue canendo absumatur tempus quod Verbi prædicationi debebat impendi. Alterũ, vt lingua vulgari canatur, quam omnes intelligant. Postremum, vt numeri sint simplicißimi, qui nec verba atq; sententias artificiosa nimium vocum volubilitate obscurent, neq; animi attentionem remorentur, aut hunc aliò abripiant.

Ab exemplo omnium vocũ, quæ in rerum natura sunt.

Sed ad Paulum redeamus, qui tertio loco communem omnium vocum rationem adducit, inquiens: Tot, prout inciderit, genera vocum sunt in mundo, & nihil est mutum. Id est, Natura sic est comparatum, vt & gentes singulæ suam habeant linguam peculiarem, & animalia singula vocem edant, qua dignoscuntur, imò inanimatis quoq; (vt modò diximus) voces affingi solent certæ, distinctæ & quæ à quouis intelligi possunt: deniq; nihil in tota ferè rerum natura mutum est, quod scilicet non intelligatur. His infert: Nisi igitur sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus fuerit: Ita & vos. Quibus verbis hoc omnino dicere videtur: Quàm ergo absurdum & indignum fuerit, homines Christianos, qui eiusdem gentis sunt & simul agunt, non habere inter se linguam, quæ ab omnibus percipi & intelligi poßit? Quæ enim gens ita desipit, vt ius sibi dici velit linguà peregrina? Quæ igitur dementia est, in Ecclesia iura & leges Dei, ex quibus vniuersa salus humani generis dependet, linguis ignotis proferri? Sed & animalia bruta ex suis vocibus dignoscuntur, dum boues mugiunt, leones rugiunt, canes latrant, lupi vlulant, vrsi vncant, pantheres cauriunt, lynces orcant, apri frendunt, cerui glocitant, equi hinniunt, asini rudunt, oues balant, sues grunniunt, vulpes ganniunt, mures mintrant, serpentes sibilat, ranæ coaxant, & inter aues quoq; suis singulæ vocibus vtuntur. Cur ergò sic loquatur homo, vt quis sit, aut quid sibi velit, nemo intelligat? Cæterùm sic ista pronuntiat Paulus, vt simul acriter pungat Corinthiorum stultitiam, qui dum inani linguarum ostentatione laudem & gloriam venabantur, sibijpsis infamiam accersebant. Nam addit: Nisi sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus fuerit. Ita & vos, scilicet barbari vobis inuicem eritis, si quæ dicuntur ignoretis. Ita locũ hunc olim aliquos distinxisse, Theophylactus testatur, & ipse contextus distinctionem hanc requirit, si attentius ista cum ijs quæ sequuntur, conferamus.

Barbari qui olim dicti.

Cæterùm vt Strabo Geographiæ suæ libro 14. de Caribus scribens testatur, barbari olim dicebantur ficto vocabulo ad soni imitationem, qui verba Græca duriter & difficulter pronuntiabant: quod ferè peregrinis omnibus solet accidere. Quia autem Græci propter bonarum artium studia & eloquentiam soli sibi videbantur diserti esse & ornatè dicere, & reliquas gentes præ se contemnebant, easdem simul omnes per ignominiam barbaras vocabant. Quod ipsum postea Romani quoq; fecerunt, quando rerum domini facti imperium suum per totum ferè orbem terrarum longè lateq; extenderunt. Tunc enim barbari à Latinis quoq; dici cœperunt, quotquot illud non agnoscebant. Pulchrè autem & in loco Paulus Corinthiorum sciolos de isto admonet. Quasi diceret: Videte quæso diligentius, quàm egregiam laudem ex vestra hac linguarum ostentatione referatis. Annon vos Græci ignominioso vocabulo soletis barbaros dicere peregrinos omnes, qui aut malè pronuntiant Græca verba, aut eadem omnino non intelligunt? Quæ igitur stultitia est, vosipsos ex disertis Græcis barbaros facere, adeò vt non exteris, sed vestris hominibus tales esse meritò videamini? Si enim vobis barbarus est, qui lingua ignota loquitur, eadem omnino ratione vos quoq; barbari eritis, dum lingua vtimini, quam vestræ gentis homines non intelligunt. Nam quæ tunc quoad sermonis vsum, inter vos & peregrinos est differentia? Aut quid respondebitis, si quis vos vocum naturam & vsum inuertere dicat? Has etenim ideo inuentas & datas esse vestri quoque philosophi tradiderunt, vt affectionum in animo latentium signa sint, quibus illæ exprimatur. Quis ergo vos loqui aut sermone vti dixerit, si à nemine intelligamini? Fuit argumentum hoc haud dubiè efficacißimum apud eos, qui summam laudem in multiplici rerum disciplina & eloquentia collocabãt. Solet autem hoc ipsum omnibus ijs accidere, qui peregrinitatem in sermone aut pronuntiatione, in vestitu, in moribus deniq; affectant. Faciunt id ferè nostro seculo, qui generis nobilitate & vetustate gloriantur, & in sua gente aborigines haberi volunt. At cùm ijdem neq; patrio vestitu induantur, neq; recepta apud suos pronuntiatione vtantur, adhæc mores peregrinos & plerunq; non satis laudatos inuehere studeant, quis obsecro pro talibus agnoscat, quales videri volunt? quis eos non dixerit odio & contemptu dignos esse?

Vsus linguæ peregrinæ ab Ecclesia alienißimus.

Quoad verò huius loci argumentum, non obscurè colligi potest, nihil ab Ecclesia Christiana magis alienum esse, quàm vsum linguæ peregrinæ & incognitæ. Ecclesia enim (vt alibi dictum est) corpori confertur, in quo membra omnia inter se communionem habent eiusdem spiritus, eiusdem naturæ simul & fortunæ. Ita enim in Ecclesia quoq; pij omnes de eodem spiritu, eadem doctrina & ijsdem Sacramentis communicant, imò eiusdem vitæ & salutis cohæredes sunt. Vtq; in externis aut prophanis hominũ commercijs vinculum communionis sermo est: ita illic quoq; per Euangelij prædicationem omnes gentes ad societatem hanc spiritualem vocantur, vt cum electis Dei omnia Regni cælestis bona communia habeant: & ijdem simul omnes vno corde in vnum Christum credunt, vno spiritu eundem colunt, & ore vno confitentur. Quò Esaias respiciens olim Ægyptios quoque lingua Chananæa, id est, lingua populi Dei locuturos prædicebat, vbi ad Christum essent conuersi.

Isa. 19.

Quotquot ergo lingua peregrina docent, aut in Sacramentorum administratione sermone ignoto vtuntur, nonne communionis Christianæ vinculum, quantum in ipsis est, abrumpunt? nonne seipsos ex Christi ciuibus barbaros faciunt? aut saltem alios pro barbaris habent, à quibus ipsi nolunt intelligi? Desinant ergo nobis litem mouere Romanenses Episcopi, quòd ab eorum Ecclesia defecerimus. Ipsi enim dum in templis Latinè loquuntur, Latinè canunt, Latinè Mißant, Latinè baptizant, Latinè denique sacra omnia administrant, omnium nationum homines barbarorum loco habent, qui indigni sint quibus cum sacrorum commercium habeant. De L. Philippo Consule in Romana historia scribitur, cum aliquando arrogantius dixisse, sibi Senatu alio opus esse. Cùm verò dictum hoc indignius ferret L. Crassus, eidem mox ille manum inijci iußit. At Crassus reiecto lictore, Non es mihi (inquit) Philippe Consul, quia nec ego tibi Senator sum. Laudata fuit & hodie adhuc laudem meretur libertas ista, quâ vir grauißimus ad tuendam Senatorij ordinis & Reipub. dignitatem vsus est. Cur ergo nobis non liceat Romanensibus illis & horum Creaturis dicere: Non estis nobis Pontifices aut Episcopi, quia nos vobis non sumus Christiani? Aut cur vos pro pastoribus agnosceremus, qui nos ouium loco non habetis? Vel num doctores nostros putabimus eos, qui à nobis non volunt intelligi? Ferunt quidem illi indignißimè hanc nostram libertatem, vt qui regno malè vsurpato nimis diu assueuerunt. At pijs non minus graue est, si linguis ignotis obtundantur, si Verbo Dei spolientur, aut id sepeliri, vel quacunq; ratione obscurari sentiant. Neminem ergo istorum clamores moueant, meminerimus potius nos oues IESV CHRISTI *esse, & proinde huius vocem sequamur, qui pastor non minus fortis & potens quàm bonus est, quiq; nos ex manibus suis eripi nunquam patietur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXXII.

Quandoquidem spiritus ambitis, ad ædificationẽ Ecclesiæ quærite ut excellatis. Quapropter qui loquitur lingua, precetur vt interpretetur. Nã si precer lingua, spiritus meus precatur, sed mens mea est infructuosa. Quid est igitur? Precabor spiritu, sed precabor etiã mente: psallam spiritu, sed psallam etiam mente. Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? siquidem quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alius non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quòd magis quàm vos omnes linguis loquar: Sed in Ecclesia malim quinq; verba mente mea loqui, vt & alios instituam, quàm decem millia verborum lingua.

PAulus aduersus ambitiosam peregrinarum linguarum ostentationem, quæ plerisq; Corinthiorum vehementer peccabant, sic agit, vt illas quidem non damnet, sed suum eis inter χαρίσματα seu gratuita Spiritus sancti dona locum relinquat, monet autem eas ideò dari, vt Scripturarum interpretationi & doctrinæ seruiant: vnde colligit, hoc potius spectari debere, vt illis per prophetiam ad

tiam ad publicam Ecclesiæ ædificationem vtantur. Et hactenus quidem similibus & exemplis docuit, linguas omnino inutiles esse, nisi ad illum finem & scopum dirigantur. Istis verò locum hunc, quem modò recitauimus, subijcit, quo hoc ipsum multis explicat, & apertius quid fieri debeat docet.

Principiò ex ijs, quæ proximè præcesserunt, infert denuo statum huius tractationis. Quandoquidem spiritus ambitis, ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt excellatis. Spiritus dicit ipsa dona Spiritus sancti, & imprimis quidem linguas, de quibus in præsenti agitur, & quarũ cognitionem, seu potius ostentationem, illi ambitiosius affectabant. Habent autem verba hæc grauem admonitionem, quam sub specie Concessionis acriorem facit, quasi diceret: Non equidem obsto, quo minus quæuis charismata siue dona Spiritus ambiatis: imò ab initio illa magno studio & zelo sancto quærere iussi. Sed hîc velim vos in eum finem respicere, qui omnibus in Ecclesia Christi seruientibus propositus esse debet. Est is ædificatio Ecclesiæ tam totius quàm singulorum, qui in ea agunt: & in eum quoq; finem Deus dona sua largitur, non vt nostræ ostentationi aut gloriæ priuatæ seruiant. Quapropter si omnino excellere libet, aut multis alijs præstare, hoc agite, vt ad ædificationem excellatis. Vt enim in Regni administratione alijs præstantior est, qui illius fines legitimè propagat: & vt in Scholis meritò is præfertur, qui sua industria plures reddit doctiores: Ita in Ecclesia verè excellunt, qui quàm plurimos adducunt ad illius societatem, & iam ante adductos in agnita veritate confirmãt. Hic verborum Apostoli sensus est: ideoq; non suadet eis ambitiosam supra alios eminendi cupiditatem: sed præposterum illorum studium corrigit, vt intelligant, quàm procul adhuc absint ab ea gloria, quàm venabantur: cùm hactenus suæ potius gloriæ, quàm aliorum ædificationi & publicæ multorum saluti studuerint. Aedificatio Ecclesiæ quærenda.

Continetur ergo his verbis axioma cumprimis memorabile, quod omnium Christianorum animis inscriptum esse debet, imprimis autem eorum, qui vel in Repub. supra alios eminere cupiunt, vel ad Ecclesiæ gubernacula sedent. Est enim gloriæ studium omnibus natura insitum, & vt Cicero scribebat philosophos illis ipsis libris, quos de contemnenda gloria scribunt, nomina sua inscribere, & eo ipso gloriam venari: ita eos etiam hac cupiditate titillari videmus, qui mundo mortui videntur, & qui de carnis & affectuum mortificatione nunquam non disputant. Nascitur autem ex hoc principio pessimorum vitiorum seges, vtpote fastidiosus aliorum contemptus, simultates, odia, contentiones & infinita alia, quibus Reipub. tranquillitas & Ecclesiarum pax turbatur. Fons autem siue origo omnis mali est, quòd pleriq; sibi persuadent, se nisi alijs oppressis, eminere aut excellere non posse. Itaq; si omnes intelligant, veram & tutissimam excellendi rationem in aliorum ædificatione consistere, & vt quisq; quàm plurimis prosit, mox vitij huius remedium habebunt præsentissimum. Nam Dei gloriam suæ præferent. Deinde proximum quenq; iuuare incipient, & quò diligentius istud fecerint, eò clarius intelligent quàm procul adhuc absint à meta perfectionis: imò videbunt sibi singulis momentis aliquod nouum negotium incidere, quod nouos labores & curas nouas requirat. Vis gloriæ consequendæ.

Cæterùm dicat aliquis Paulo: Quid ergo faciam? An linguarum donum prorsus inutile & infructuosum est? Num contemni debet & abijci? Hanc quæstionem ille præoccupat, dicens: Quapropter qui loquitur lingua, precetur, vt interpretetur. Sensus est: Non dico donum hoc vel inutile, vel aliqua ex parte contemnendum esse. Cur enim hoc dicerem, cùm Deus Euangelij prædicationem hoc miraculo quasi obsignet, & eius vsus nobis, qui inter gentes diuersas prædicamus, non modò vtilis, verumetiam necessarius sit? Sed ne inutiliter & ad solam ostentationem eo vtamini, moneo. Id verò ne fiat, consultissimum fuerit, vt qui se linguarũ cognitione et vsu donatum sentit, Deum sedulò precetur, vt interpretandi quoq; donum obtineat, & ita Ecclesiæ toti exponere possit, quod lingua peregrina locutus est. Ita verò rursus non obscurè innuit, linguæ incognitæ nullum vsum esse, nisi interpres accedat: quod ex quotidiana experientia tam notum est omnibus, vt ampliori demonstratione non sit opus. Linguarum dono coniungatur interpretatio.

Est autem hîc dignissimum obseruatu, quòd ad preces illos remittit, quibus donum interpretandi impetrare à Deo debeant. Facit hoc secundùm Christi promissionem, qua docet, non negaturum illum nobis Spiritũ sanctum, si eum votis ardentibus & sedulis flagitemus. Cui Iacobus Apo- Dei dona precibus acquiruntur.

stolus cõsentiens scribit: Si cui deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat (inquam) omnibus benignè, nec exprobrat, & dabitur ei. Et aliquanto post huius præcepti rationem hanc affert: Omnis donatio bona & omne donum perfectum supernè est, descendens à Patre luminum, &c. Et voluit huius in præsenti meminisse Paulus, quia id faciebat ad deprimẽdum cristas superborum: quia ostendit illos nihil habere in se boni, quàm quod ex Dei liberalitate acceperint. Interim nemo existimet, damnari hoc loco studia bonarum artium, quibus hodie in linguarũ cognitione & interpretatione proficitur. Paulus enim pro sui seculi conditione loquitur, quando cognitio ista per peculiarem Spiritus sancti operationem miraculosè dabatur, & ideo simpliciter ad preces remittit eos, qui illa cupiunt in Ecclesia excellere. Hodie cessauit quidem hoc donum, neq; vt quis omnes linguas nouerit opus est, veruntamen necessaria adhuc est Latinæ, Græcæ & Hebrææ cognitio (quod & D. Augustinus in libris de Doctrina Christiana annotauit) quæ non absq; nostro studio & industria acquiritur. Itaq; istam rationem iuuenes diligenter sequi debent, & simul studijs suis preces coniungere, quando sine Spiritus virtute nihil proficitur. Orent autem, vt non modò istarum cognitionem assequantur, sed etiam vt ijsdem aliquando vti possint ad Ecclesiæ ædificationem. Debet hoc ipsum in omnibus alijs Dei donis obseruari, vtpote prudentia, eloquentia, opibus, bona corporis valetudine, & si quæ alia sunt huius generis. Quia nisi illis dignè vtamur, neq; nobisipsis neq; alijs prosunt: imò nostram ignauiam siue malitiam arguunt, qui cum malo illo seruo Domini talentum defodimus. Nunquam autem illis rectè vtemur, nisi hoc quoq; nobis det Deus, & vitiosos carnis affectus corrigat, quibus transuersi abripimur.

De precibus, quæ lingua peregrina concipiuntur.

Porrò rationem huius præcepti reddit Apostolus: quia nisi interpretatio accedat, inutile & infructuosum sit, quicquid lingua exotica siue peregrina dicitur. Id verò ita proponit, vt ea occasione ad alterum vitium transeat, quo in hac causa Corinthij peccabant, cùm preces quoq; publicas in linguis peregrinis conciperent. Et quia non orationis modò, verumetiam Psalmorum mentionem facit Paulus, credibile est, multos non tam ostentationis quàm superstitionis ergô Psalmos & orationem Dominicam idiomate Hebræo recitauisse: eò quòd lingua ista in populo Dei omnium vetustissima, imò prima fuit, & etiam hodie non immeritò Sancta dicitur, quòd ea Deus ipse olim cum patribus locutus est, in qua Legem quoq; descriptam eis tradidit, deniq; quòd eadem æternus Dei Filius, dum in terris ageret, populum docuit. Dicit ergo Paulus: Si precer lingua, id est, peregrino idiomate, spiritus meus precatur, sed mens mea est infructuosa. Torquent se hoc loco interpretes, & pleriq; ex nostris spiritũ pro flatu & anhelitu oris accipiunt, mentem verò pro ea hominis facultate, qua intelligimus. Et isti Paulum de illis loqui arbitrantur, qui linguis sibiipsis quoq; ignotis precabantur (quod hodie multi ex Monachis & Monialib. faciunt) & id tunc vulgare fuisse aiũt, vt qui donũ linguarũ haberẽt, nõ tamẽ semper intelligerent quæ ipsi dicebant. Sed fuisset id indignũ religione Christiana, & nõ immeritò ridiculi visi fuissent auditoribus Christiani, si psitacorum & picarum similes verba non intellecta protulissent. Imò qui diuino hoc Spiritus sancti afflatu agebantur, non dissimiles fuissent eorum, quos malignus spiritus agit, vt res arcanas & sibiipsis incognitas cum auditorum admiratione enunciẽt, quales olim Phœbades & ἐγγαστρομύθοι fuerunt. Denique non linguarum variarum dono Christianos homines instruxisset Deus, sed potius verum & necessarium sermonis vsum illis abstulisset. Quapropter spiritus vocabulum non alio sensu hîc accipi debet, quàm quo Apostolus toto hoc Capite eo vtitur: pro ipso nimirum charismate aut dono linguarum. Mens verò siue νοῦς (vt Theodoretus exponit) est eorum quæ dicuntur manifestatio, quam alij intelligentiam dixerunt. Et huic sensui fauet quod non multò post Paulus dicet: Malo quinq; verba loqui mente mea vt alios instituam (id est, sic vt mea mens atq; dictorum sensus ab omnibus intelligatur) quàm decem millia verborum lingua, id est, sermone peregrino, quem nemo auditorum intelligit. Itaq; huius loci sensus hic est: Si preces concipiam peregrino & alijs incognito idiomate, Spiritus quidem Dei per donum illud, quod mihi datum est, officio suo fungitur, & verba mihi suggerit idonea, precesque quoad meum sensum & animi intentionem bene dirigit, sed quoad mentẽ & sententiam precationis, ea infructuosa erit auditoribus, neq; aliquis ex ea ad Ecclesiam fructus redibit. Ideo quòd mentem infructuosam fore dicit, ad auditores extendi debet, non ad ipsum precantem restringi. Patet hoc satis euidenter ex eo, quod

quod supra dixit: Qui lingua loquitur seipsum ædificat. At quomodo seipsum ædificabit, qui psittaci instar verba non intellecta deblaterat? Constat præterea quoad preces priuatas, nihil referre qua quis lingua loquatur, modò ex fide precetur, & eo sermone siue idiomate vtatur, qua mentem suam siue animi intentionem se efficacius exprimere posse existimat. In præsenti autem de publicis precibus agitur, aut potius precum publicarum formula, qua ministri populo præeunt. Istæ si lingua ignota concipiantur, nemo eas intelliget præter eum, qui illas recitat, infructuosæ autem erunt auditoribus, quia quid illis postuletur nesciunt. Et hunc sensum ipsa etiam vox ἄκαρπος innuit, qua Paulus vtitur. κάρπος enim vel fruges terræ vel arborum plantarumúe fructum aut prouentum significat. At illa non sibijpsis, sed hominibus & animalibus fructum ferunt. Latinis fructus à fruendo dicitur, & ijdem Carpendi & Decerpendi vocabula ἐκ τοῦ κάρπου deriuauisse videntur, quando illis non aliud significatur, quàm fructum aut vtilitatem ex re aliqua percipere. Græci autem propriè ἄκαρπα dicunt, quæ aliâs ἄγονα vocantur, eò quòd nihil gignant. Quamobrem propria significatione mentem siue intelligentiam ἄκαρπον Paulus dixit, ex qua nullum fructum percipit Ecclesia, etiamsi qui loquitur, probè intelligat quæ dicit. Potest huc non ineptè omnino accommodari quod Christus dicit, se Apostolos mittere vt fructum ferant (non quidem sibijpsis, sed Deo & hominibus) & fructus ipsorum maneat.

Hæc diligentius aliquanto dicenda fuerunt, ne præter rationem ab eorum sententia recessisse putemur, quibus alioqui propter suam eruditionem & præclara in Ecclesiam merita plurimum tribuimus. Continet autem locus iste memorabilem doctrinam, non satis esse, vt ipsi in spiritu Deum precemur atq; colamus, sed in Ecclesia hoc requiri, vt alij quoq; quid fiat aut dicatur intelligant: ne quoad illos infructuosum siue inutile sit quod nos facimus. Sufficiunt ista abunde aduersus precum demurmurationes & Psalmodias, quæ in Papatu fiunt lingua Latina. Si enim infructuosum est quicquid non intelligunt auditores, siue id precatio sit, siue cantus, siue quæcunque alia oratio: quid de illis dici debet, qui ne ipsi quidem quid dicant aut canant intelligunt? Id verò de maiori numero sacrificulorum, monachorum & nonnarum siue monialium verissimè dicitur, quorum omnium inscitia iam olim in prouerbium abijt. Quid, quòd in plerisq; nationibus ex Romanensium Pontificum instituto rustici & opifices orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolicum Latinè proferunt? At si huic errori nulla superstitio neque vllus alius abusus accederet, inutilis tamen est labor iste omnis, neque excusari potest vlla ratione quod à Paulo in præsenti tam manifestè damnatur. Non tamen hîc pedem sistit hominum superstitiosissimorum audacia, quin multa his accedunt, partim inepta & absurda, partim etiam impia. Etenim maior precationum atq; Psalmodiarum pars Diuis nuncupatur, & sæpe tota ferè hora in Litanijs decantandis absumitur, in quibus Diui ex ordine nominantur. Id verò cùm manifesto Dei præcepto pugnat, dicentis: In die tribulationis tuæ inuoca ME, & eripiam te. Cui Christus consentiens, dicebat: Cùm oratis, dicite, Pater noster qui es in cœlis, &c. Sed & meritum preculis illis astringitur, & in numero quoque superstitiosè nimis ineptiunt: quod pharisaicum esse Christus testatur, & ideo multiloquium vitandum esse docet. Adhæc defunctis applicantur preces & Psalmodiæ, & vt olim in funeribus ethnici tibicines adhibebant, ita hodie alijs serio lugenti bus conducuntur, qui voce quidem flebili cantillent, corde autem læto iubilent, & in sinu suo gaudeant, quando hic illis quæstus est vberrimus. Id verò non sine manifesta Christi contumelia fit, cuius merito omne illud derogatur, quod illi suis istis precibus & cantionibus tribuunt. Quàm autem hoc alienum sit à Dei instituto, vel ex eo apparet, quòd Lex Dei Sacerdotes procul à funeribus abesse iubet, ne eorum contactu polluantur. At isti vt vultures ad cadauera mortuorum vndiq; conuolant & non voce modò sua, verumetiam nolarum siue campanarum sonitu ipsum æthera fatigant. Accedit his, quòd hoc prætextu domus viduarum & pupillorum deuorant, quo nomine olim Christus Iudæorum sacerdotes acerrimè reprehendit. Et ista quidem defendunt pertinacissimè, qui Apostolorum successores dici volunt: & quamuis Paulum ista de semetipso dicentem audiant, adduci tamen non possunt, vt errorem tam manifestũ tamq; atrocem corrigere in animum inducant. Seruit enim illorum commodo populi ignorantia, qui facilè oculos aperiret, si vel solam orationem Dominicam aut Symboli apostolici articulos rectè intelligeret. Fuit ergo hoc singulare

In Ecclesia studendum, vt omnes fructum percipiant.

Leuit. 23.

Dei beneficium, quod Germanis semper suo sermone precari & fidem suam confiteri licuit: imò præsagium fuit, ex ea gente exorituros esse tandem, qui superstitiosæ illius tyrannidis fulcra reuellerent. Agnoscite ergo ô Germani hanc gloriam vestram, & Deo grati sitis, nec multùm moueamini impiorum illorum pertinacia, qui quæstum suum publicæ omnium aliorum saluti anteponunt.

Qui erroris conuincuntur, quærant quid debeat fieri?

Etenim Paulus hîc in sua persona loquens longè alios fingit piorum mores, quando mox quæstionem infert: Quid est igitur? Solent enim filij Dei, quàm primùm se errare aut inutiliter laborare sentiunt, quærere, quid Deus velit, & quid ipsos facere conueniat? Ita Iosias Dominum quæsiisse legitur, quod illi omnis pietatis principium fuit. Et de primis credentibus scribitur, quòd cùm se reos occisi Filij Dei factos esse audirent, totis cordibus compuncti, Apostolis dixerint: Quid faciemus, viri fratres? Ipse denique Paulus, quando fulgure prostratus Dominum sibi intonantem audiebat: Saul Saul, cur me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare: illico interrogauit: Quis es Domine? Item: Domine, quid me vis facere? Hoc ipsum ergo in præsenti docet omnes Christianos, quando ipse quid in hac causa fieri debeat, quærit. Licet autem hîc obiter videre corruptissimum nostri seculi statum. Accusantur quotidie superstitiones & abusus horribiles, qui iam seculis aliquot religionem veram deprauarunt, obruerunt & extinxerunt. Ita verò arguuntur, vt plerique eos agnoscant & fateantur. Quis verò ex horum ducibus siue magistris quærit: Quid est igitur? Quid nos facere iubet Deus? Imò plerique illos defendunt, & cùm id rationibus & Scripturarum authoritate non possint, faces & gladios proferunt aduersus eos, qui de Dei voluntate inquirunt. Eadem ratione scelera quoq; accusantur & desperata illa morum corruptio, quæ publicè apud omnis loci & ordinis homines obtinuit. Fatentur hanc quoq; pleriq;, & emendatione omnino opus esse aiunt. Quis autem à semetipso exorsus interrogat, quid faciendum sibi sit? aut qua ratione cum Deo in gratiam possit redire? Quin potius quod Deus nobis spontè offert salutis consilium, pleriq; contemnũt atq; exibilant. Quid ergo miramur mundum in peius proficere, & Dei iram aduersus omnes populos indies magis magisq; accendi?

Donum Spiritus coniungatur cum intelligentia.

Sed Paulum sibiipsi respondentem audiamus: Precabor spiritu, sed precabor etiam mente: psallam spiritu, sed psallam etiam mente. Coniungit spiritum, id est, donum illud spiritus, quo linguis diuersis multi loquebantur, cum mente siue intelligentia, ne linguarum vsum prorsus contemnere videatur, & sensus istorum verborum est: Si omnino libeat peregrina lingua preces concipere aut Psalmos cantare, tunc simul adhibebo intelligentiam, id est, curabo vt interpretem quoque agam, & vt omnes quod dico intelligant. Et cur ita fieri oporteat, rursus graui argumento docet: Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? siquidem quid dicas nescit. Argumentum est eiusmodi. In precibus publicis & gratiarum actione consensus requiritur, vt idem sit omnium animus, eadem mens atq; voluntas. Nec enim temere à Christo dictum est: Si duo ex vobis consenserint in terra, de omni re quamcunq; petierint, fiet eis à Patre meo, qui in cælis est. Atqui inter precantes consensus esse non potest, nisi omnes quid dicatur intelligant: Vnde sequitur, eos qui preces lingua peregrina concipiunt, simul omnem illarũ fructum è medio auferre. Id verò probat publico & recepto apud omnes more Ecclesiæ, qui fuit, vt minister precando præiret, reliqui verò omnes sub finem subijcerent, Amen. Est autem hæc vox Hebræa, nobis idem sonans quod, Ita fiat. Erat ergo nota confirmationis, qua non obiter modò consensum suum testabantur, verumetiam optabant ratum fieri id, quod ille erat precatus, qui formulam illam orationis conceperat. Et constat hunc vetustissimum morem fuisse, vt tota Ecclesia in publicis cœtibus, qui de rebus grauioribus & maioris momenti agebantur, suum cõsensum præberet antistiti, qui vel precabatur, vel quid Deus vellet promulgabat. Obseruarunt hoc ex Mosis præscripto Israelitæ, quando terram ingressi promissam, benedictiones illas solennes Dei & execrationes publicè & solenniter pronuntiari curauerunt. Idem sub Ezra quoque factum fuisse postea, quando hic Legem ex Babylone reuersis proposuit, in libro Nehemiæ scribitur. Et quia initiò Ecclesiæ ferè ex Iudæis colligebatur, à quibus prædicandi initium faciebant Apostoli, idem ille mos in illam quoque introductus, & Hebræa vox AMEN *inter Christianos homines seruata est, vt & alia quædam, quæ à vulgo intelligebantur, vt D. Augustinus in loco*

Matth. 18.

Deut. 27. Iosu. 8.

in loco, quem supra adduximus, admonet. Quia verò hîc benedictionis publicæ meminit, non absque causa aliqui existimant, Paulum non de solis quotidianis precibus, sed imprimis de Cœnæ dominicæ actione loqui. Vt enim hanc Christus in gratam & solennem suæ mortis commemorationem instituit: ita non debet eadem absque publica & solenni benedictione siue gratiarum actione celebrari: qua primitiuam Ecclesiam vsam fuisse, supra Cap. decimo audiuimus. Et memorabilis de hac re locus habetur apud Iustinum Martyrem in secundo Apologetico ad Antoninum Pium Imp. circa finem.

Quòd si verò ista propius consideremus, abunde patebit, eos qui linguas peregrinas in cœtus Ecclesiæ inuehunt, simul & preces publicas impedire, vel inefficaces reddere, & Sacramentorum vsum legitimum impedire. Vtrumque in Papatu fieri tam manifestum est, vt superuacaneum fuerit id velle demonstrare. Scio quid illi obijciant, sufficere bonam animi intentionem, & cùm actiones illæ per se sanctæ, verba item similiter sancta sint, neque de eo populus dubitet, posse vnumquenque tutò & salua conscientia ijs succinere vel subscribere, quæ illic dicuntur & aguntur. Sed est hæc plus quàm calua excusatio, quã Paulus, quasi istorũ temeritatẽ prauiderit, paucis verbis confutat. Tu quidem (inquit) bene gratias agis, sed alius non ædificatur. Ergo non sufficit, vt tu aliquid bene facias & loquaris, nisi per illud alij quoque ædificentur. At qualis ædificatio sperari potest illic, vbi ignorantia regnum obtinet. Idem certè istis responderi poterat, quod Samaritidi Christus dixit: Vos nescitis quid adoratis. Vide Ioan. 4. cap.

Linguæ peregrinæ etiam preces faciunt inutiles.

Priusquam verò hinc discedamus, propius quoq; inspici debet locutio ista Pauli: Is qui implet locũ idiotæ. Nam vox ista propriè hominẽ priuatum significat, qui nullo officio seu munere publico fungitur. Ideo vt Theodoretus scribit, hoc nomine eos quoq; appellabant, qui à militia remoti sibi solis viuebant. Sumitur ergo hîc pro toto populo Ecclesiæ, quẽ ab ijs distinguit, qui interpretum & doctorũ, siue pastorum locum tenebant. Obseruari hoc debet propter Anabaptistas, qui toto hoc Capite abutuntur, vt euincant omnibus in Ecclesia dicendi potestatẽ fieri debere. At Paulus de illis loquitur, quibus hoc datum erat, quòd & donis instructi essent, et legitimè ordinati: Reliquo populo hoc tribuit, vt omnes dicant Amen, & ita quæ à primis illis bene & rectè dicta sunt suo assensu probent. Quod autem postea sequetur, Potestis omnes sigillatim prophetare: id propter charismata siue dona illa peculiaria Spiritus sancti dicitur, quæ tunc admodum vulgaria erant. Quia verò eadem hodie cessauerunt, ridiculi nimium sunt, qui quod olim pro illorum temporum & Christianismi primum nascentis ratione factitatum est, nunc etiam tentare volunt.

Contra Anabaptistas.

Quia autem calumniatorum plena sunt omnia, & aliqui dicere poterant, Paulum ex inuidia hæc dicere, quòd ipse linguarum ignarus earundem cognitionem atque vsum alijs inuideret: præoccupatione suspicionem istam declinat, & simul suo exemplo docet quid omnes facere conueniat. Scribit enim sic: Gratias ago Deo meo, quòd magis quàm vos omnes linguis loquar. Sed in Ecclesia malim quinq; verba mente mea loqui, &c. Quo loco hoc dicere videtur: Nemo putet me meo honori hîc consultum velle, ne qui me eruditiores habeantur. Nam si de linguis certandum sit, ego affirmare possum, me in harum cognitione vobis omnibus esse præstantiorem, & id reipsa hactenus probaui, quando doctrina de IESV CHRISTO per meum ministerium in tota Syria, Arabia, Asia, Græcia, in insulis denique longè lateque propagata est. Possem ergo hoc dono me etiam apud vos ostentare. Sed tam abest à superba & inani ostentatione animus meus, vt in Ecclesiæ cœtibus malim quinque verba mente mea loqui, idest, intelligibiliter, vt mentis meæ sensum omnes percipiant, vtque alios ipse instituam, quàm decem millia verborum lingua siue idiomate peregrino atque incognito.

Paulus inuidiæ suspicionem declinat.

Est autem hoc Apostoli exemplum obseruatu admodum memorabile. Eo etenim admonemur, quatenus & quomodo nobis Dei donis gloriari liceat. Fecit hoc aliâs quoque Paulus, quando in Euangelij contemptum ipsius persona siue authoritas oppugnabatur. Sed tunc videre oportet, vt gloriationem nostram ea modestia & pietate temperemus, qua Paulus in præsenti vtitur. Primò nihil suæ industriæ aut labori tribuit, sed ad Deum authorem omnia refert, & huic se gratias debere fatetur. Est hoc principium recti & legitimi vsus donorum omnium. Quod vnum si diligentius obseruauissent Corinthij, donis suis nunquam tam turpiter tamq; insolenter fuissent

Quomodo liceat gloriari donis Dei.

abusi. Deinde non sui honoris respectum habuit Paulus, sed totius Ecclesiæ, vt hanc ædificaret, & plures quotidie Christo adduceret. Ideo extra Ecclesiam haud dubie cum omnibus lingua ipsorum vsus est: in cœtibus autem sacris ea, quæ vulgaris et pro ratione gentis omnibus nota erat. Diuersum planè hodie Monachi & Sacrificuli faciunt. Nam extra templum nunquam aut rarò Latinè loquuntur, imò ferè vsum eius linguæ non habet aliquem, & ridiculi fiunt, si in homines eruditos incidant, qui eos Latinè loqui cogunt: In templis autem inter homines idiotas, cerdones, sutores, nautas, fœminas & pueros Latinè canunt, Latinè legunt, Latinè missant, baptizant, adiurãt, precantur, Latinè denique omnia dicunt & faciunt. Postremò Paulus eousq; se demittit, vt infirmorum quoque institutioni sese accommodet. Nam vtitur verbo κατηχίζειν, quod de illa propriè dicitur. Non ergo eorum similis fuit, qui dicunt vt dicant, id est, vt tempus extrahant, vel vt suam ostentent eloquentiam siue eruditionem. Atqui nihil isti proficiunt, vt alibi est demonstratum. Debet autem generalis doctrina hinc peti, quam singuli sibijpsis accommodent. Agnoscant se diuinitus accepisse quicquid boni habent. Eo deinde vtantur, non ad ostentationem aut quæstũ, sed in commune deponant, vt toti Ecclesiæ prosint, aut saltem priuatim aliquorum salutem promoueant. Ita fideles IESV CHRISTI *serui erunt, & olim in magno illo die in Regni eius hæreditatem & societatem adoptabuntur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXXIII.

Fratres, ne estote pueri intelligentia, sed malitia pueri, intelligentia verò perfecti estote. In Lege scriptum est: Propterea per diuersas linguas & alijs labijs loquar populo huic, & ne sic quidem me audient, dicit Dominus. Linguæ igitur sunt signum, non ijs qui credunt, sed infidelibus: prophetia verò non infidelibus, sed credentibus. Itaque si eodem conuenerit tota Ecclesia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ, vel infideles, nonne dicent vos furere? Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam, aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & ita occulta cordis eius manifesta fiunt: atque ita procidens in faciem, adorabit renuntians Deum verè in vobis esse.

Ecclesiarum errores et uitia

IN tota hac tractatione de linguis peregrinis & earum vsu in Ecclesia, præter statum ad quem omnia pertinent, obseruatu dignissimum est, quòd viuentibus adhuc Apostolis tam multi tamque graues errores atque abusus in Ecclesias passim irrepserunt. Fuit enim Corinthiorum Ecclesia (vt aliàs diximus) optimè instituta, & quam sedulam atque diligentem absentium quoque curam habuerit Apostolus, totus ferè Actorum liber & eiusdem epistolæ testantur. Attamen nõ modò fœda morum vitia illic succreuerunt, verumetiam cœtus sacri, siue habitum externum virorũ atque mulierum, siue Sacramentorum vsum & docendi modum spectes, ita fuerunt corrupti, vt nihil in illis integrum esset. Nam gentilitio habitu viri & mulieres vestiebantur, Cœna Dominica in epulum conuersa fuit luxuriosum, in locum autem prophetiæ vel doctrinæ prophana & ambitiosa linguarum peregrinarum ostentatio successerat, quà illa tantumnon prorsus abolebatur. Sunt hæc obseruanda, ne offendamur, si quid huius etiam hodie accidit, neue ijs aures præbeamus, qui mox clamant, Ecclesias omnes impuras esse, & ideo secessionem fieri, aut saltem omnes à sacrorum communione eijci vel excludi debere, quotquot vitijs eiusmodi infecti sunt. Quin potius quid Paulus fecerit videamus. Is nemini secessionem suadet, nec aliquem eijcere iussit præter vnum illum, qui ob scelus capitale mortis supplicium merebatur: vitia autem illa corrigi & è medio auferri curat. Factum hoc in multis alijs hucusque, & idem in ista quoq; tractatione fieri videmus. Poterat ea operosior videri, sed si cogitemus, quantum nocuerit abusus ille linguarum, cùm prædicationem Verbi impediret, qua nihil præstantius, nihil magis necessarium habet Ecclesia, quantum

tum item hodie etiam peregrinæ linguæ vsus obsit religioni, mox patebit, hanc Apostoli diligentiam & olim necessariam fuisse, & nos hodie non minus opus habere diligenti omnium, quæ hic dicuntur, consideratione. Postquam autem multis ostendit, quàm inutilis, absurda & noxia sit hæc linguarum ostentatio, nunc ab ea dehortatur, & quidem magno serio, quia id necessitas exigebat.

Propositio huius loci est: Fratres, ne estote pueri intelligentia, sed malitia pueri, intelligentia autem perfecti siue adulti estote, qui iudicio vtamini in rebus agendis graui & maturo. Fratres dicit, quod nomen Christianorum commune est, & sanctissimæ illius communionis vinculum exprimit, quo illi omnes, vt vnius Dei filij, in Christo colliguntur. Ita verò beneuolentiam sibi conciliat, ne se ab ipso prorsus reiectos & damnatos esse putarent. Monet autem, ne pueri sint intelligentia, id est, ne res suas tam pueriliter instituant, vt meritò cordatioribus quibusque ridiculi sint. Erat admonitio ista vtilissima & perquàm necessaria. Fuerunt enim Græci natura leuiores, & (quod plerique historici testantur) ad res serias minus idonei: adeò vt inter ipsos quoque (vt Chrysostomus alibi annotauit) prouerbium publicum iactaretur, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδες, καὶ γέρων Ἕλλην οὐδείς, id est, Græci semper pueri, & nemo Græcus senex. In pueris enim ignorantia est, qua fit, vt res sibi vtiles minus perspiciant, imò de his differentes ægre ferant, ipsi verò molesta & inepta garrulitate omnium aures obtundant. Ijdem, quia iudicio nondum sunt confirmato, facilè sibi quiduis persuaderi sinunt: adhæc picturis, puppis & similibus ineptijs delectantur, denique ab omnibus ea probari volunt, quæ ipsis magnifica videntur. At his vitijs Græcos ferè laborauisse constat. Cicero certè in libris de Oratore, hac eos ineptia laborare scribit, qua nulla maior sit, quòd nimirum quocunque in loco & quoscunque inter homines visum sit, de rebus aut difficillimis, aut non necessarijs disserant. Quo nomine apud Lacedæmonios, qui oratione graui & breui delectabantur, illi semper male audierunt. Hi certè Ctesifontem eiecisse scribuntur, quòd profiteretur, se de re quauis totum diem posse dicere. Dicebant enim, boni oratoris esse, orationem habere rebus parem. Et alius Græculo cuidam de re quauis prolixam orationem pollicenti respondit: Ego ne sutorem quidem probauerim, qui paruo pedi magnum inducit calceum. Quæ ineptia cum procul dubio inter Corinthios quoque regnaret, seipsos tamen quodammodo superabant, cùm in cœtibus Ecclesiæ de rebus sacris & ad æternam hominis salutem pertinentibus sermone peregrino dissererent, adhæc preces quoque linguis non intellectis conciperent: Quasi verò toti cœtui probari deberet sermonis exotici ostentatio, qua ipsi superbiebant. Rectè igitur & magno illorum merito Paulus eos hortatur, ne pueri sint intelligentia, sed Christianæ grauitatis memores curent, ne puerili & vanæ ostentationi indulgendo non tam seipsos quàm religionem omnium impiorum ludibrijs exponant. Nam hoc eos fecisse, ex ijs, quæ mox sequentur, patebit.

Dehortatur ab ostentatione linguarum.

Eadem autē opera simul illis occurrit, qui ad Christiani nominis professionem sufficere arbitrabantur, si cœtibus sacris interessent, & quæ illic proponebantur audirent, preces item suas cum aliorum precibus coniungerent, neque necessarium esse, vt omnes quæ dicuntur intelligant. Quæ persuasio hodie etiam multos dementat, & Pontifices per suos emissarios hoc præcipuè vrgent, simpliciter esse credendum, & eorum conditionem tutissimam esse, qui inter nostri sæculi controuersias fide Ecclesiæ contenti, nihil præterea quærunt aut scrutantur. Per fidem verò Ecclesiæ Romanas ceremonias & ineptias intelligunt. Quò fit, vt multi cæci duces cæcos sequantur, admonitionis Christi immemores, qui ambos in foueam cadere dicit. Ergo nobis quoque Paulum loqui putemus, quando eadem iudicij inopia multi laborant. Debet etiam huc referri, quod Paulus ad Ephesios scribit, ne pueri simus, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ: & quod Ioannes monuit, ne temere cuiuis spiritui credamus, sed probemus spiritus, num ex Deo sint. Quid verò de ijs dicemus, qui hodie, cùm pro adultis & perfectis haberi velint, ad pueriles Papistarum sordes relabuntur, dum in aliorum labore & industria reformatas Ecclesias inutilem templorum ornatum, imagines, organa, cantum figuratum (vt vocant) & histrionicum ministrorum vestitum reducunt? Sunt hæc inutilia prorsus ô fratres, & vtinam non simul noxia quoque essent. Dei Verbum semen illud regenerationis est, in quo adolescere conuenit eos, qui aliquando verè sapere & in viros perfectos in Christo euadere cupiunt. Nihil ad hoc conferunt organorū concentus

Non sufficit cōmunis fidei professio.

Ephes. 4.
1. Ioan. 4.

& Musicæ artificiosæ voluptas, nihil item prosunt vestes theatricæ, imagines verò animos distrahunt, & absque idololatriæ suspicione vix vnquam ferri aut retineri possunt.

Linguæ peregrinæ Dei irati indicium.

Cæterùm probat Paulus, Corinthios pueriliter agere, & proinde admonitione ista opus habere. In Lege scriptum est, Propterea per diuersas linguas & alijs labijs loquar populo huic, & ne sic quidem me audient, dicit Dominus, &c. Argumentũ ex his verbis ita potest formari: Puerile est id affectare, aut in eo gloriam quærere, quod irati Dei argumentum & impietatis pœna est: Atqui linguæ peregrinæ irati Dei indicium sunt, & illis hic ferè sui Verbi contemptum olim vltus est: Ergo plus quàm pueri estis, dum circa illas tanta cum contentione occupamini. Minorem probat ipsius Dei verbis ex Isaia 28. Cap. desumptis. Ea autem sub legis titulo adducit, sicuti & Christus apud Ioannem Psalmi 82. testimonium, quia Prophetæ germani ac veri sunt Legis interpretes. Accusat illic Deus incurabilem eorum contumaciã, qui verbum eius scurriliter contemnebant. Minatur præterea, se illis posthac loqui velle lingua peregrina, id est, hostes è longinquis regionibus adducere, quorum linguam non intelligant, & hos ipsorum concionatores, vel potius concionum atque minarum propheticarum executores fore. Id verò cum minis legalibus conuenit, inter quas ista quoque apud Mosem habetur: Excitabit contra te Dominus gentem è longinquo, ab extremitate terræ, quæ inuolabit vt aquila, gentem cuius linguam tu non intelliges, gentem impudentem facie, quæ faciem senis non reuerebitur, nec miserebitur adolescentis. Ista ergo Paulus Corinthijs applicat, vt intelligant quam stulti sint, sponte id sibijpsis accersendo, quod Deus olim impijs Verbi sui contemptoribus sit minatus. Nec est quòd aliquis obijciat, in Nouo testamento linguas gratiæ Dei testimonium, & necessarium organum fuisse, per quod Euangelij prædicatio per totum orbem terrarum longè lateque diffusa est. Quia enim Corinthij linguis non in eum finem vtebantur, vt Euangelium ad exteros propagarent, sed eius doctrinam inter suos homines, quantum in ipsis erat, illarum vsu obscurabant; certè sibijpsis supplicium struebant ex eo, quod Deus vt saluti plurium seruiret, dederat.

Ioan. 10.

Deut. 28.

Dei dona abusu noxia fiunt.

Solet hoc ipsum omnibus accidere, qui alia quoque Dei dona non dignè æstimant, sed ijs pro affectuum suorum libidine vel ad fastum & inanem ostentationem, vel ad quæstum abutuntur. Exempla huius rei quotidie occurrunt in diuitibus. Etenim opes Dei donum sunt, quo suos quoq; cultores interdum remuneratur, vt in Abrahamo, Isaaco & similibus est videre. Eædem si quis bene illis vtatur, egregium vtilißimumque sunt omnis virtutis organum, imprimis autem beneficentiæ & misericordiæ. Et his conueniunt promißiones, quòd sibi thesaurum in cœlis recondant, & amicos sibi parent, à quibus olim in tabernacula æterna recipiantur. At si qui ex illis luxuriantur & superbiunt, aut illis freti alios opprimunt, vel etiam insatiabili earum cupiditate accensi vsuras voraces & toti reipub. noxias exercent, hi sibijpsis maledictionem, ignominiam & exitium sempiternum accersunt. Istis enim seruiunt Legis maledictiones, & quod Christus in Euangelio clamat: Væ vobis diuitibus, quia recepistis consolationem vestram: Væ vobis qui saturati estis, quoniam esurietis, &c. Et illud Iacobi: Agite nunc diuites, plorate vlulantes super miserijs vestris, quæ aduenient vobis, &c. Eadem ratio est honorum atque dignitatum. Qui his bene vtuntur, Deum sibijpsis indies magis conciliant, qui per prophetam dixit, Honorantes me honorabo. Qui autem his superbi tyrannos agunt, & aduersus ipsum quoque Deum insurgunt, hi ab eo tandem è sedibus suis deturbantur, sicuti Diua Virgo cecinit. Luc. 1.

Matth. 6.
Luc. 12. & 16.
Luc. 6.
Iac. 5.
1. Sam. 2.

Vsus linguarũ & prophetiæ.

Sed in Apostoli verbis pergamus, qui ex ijs quæ modò dixit, argumentum infert eiusmodi: Linguæ igitur sunt signum, non ijs qui credunt, sed infidelibus: prophetia verò non infidelibus, sed credentibus. Ex fine aut vsu linguarum atque prophetiæ argumentatur. Signum enim hoc loco in partem meliorẽ sumit pro miraculoso gratiæ diuinæ testimonio, & ideo illud tam linguis quàm prophetiæ accommodat, quæ ambo dona non sine miraculo dabantur. Infideles autem non dicit hîc reprobos & prorsus alienos à Dei familia; sed eos qui etsi sint ex electorum numero, adhuc tamen ad credendum difficiliores sunt, & proinde signis opus habent, quibus excitentur: quibus non amplius trahi aut moueri opus est alios, qui iam crediderunt. Itaque argumentum Pauli est: Qui verè sapiunt & non puerili leuitate rapiuntur, ij quid ipsis conueniat vident, & omnibus ad suũ finem vtuntur, cui sunt destinata: At linguæ à Deo ideo datæ sunt, vt incredulos excitent, & vt

ex eorum

in eorum miraculoso vsu appareat, Euangelio cælestem atque diuinam doctrinam contineri. Non debent ergo circa hæc occupari, qui fidem iam assecuti sunt. In quorum numero cùm vos procul dubio haberi velitis, non inani & inutili iam vobis linguarum ostentatione superbire; sed vos totos prophetiæ impendere debebatis, quæ credentibus data est; vt ea sese exerceant, & ex ea petant quæ ipsorum institutioni, consolationi & ædificationi seruiunt. Ita verò apertè ostendit, nimium pueriliter vos agere, dum non obseruant quis vtriusque doni finis sit. Vt enim non postrema sapientiæ pars est, causas & fines rerũ obseruare, vt illis rectè vtaris: ita plus quàm puerilis stultitia est, istud negligere et quiduis temere obuiũ arripere. Qui enim id faciunt, ij inopeis opificibus similes sunt, qui quouis instrumento temere vtuntur, nulla vel operis sui, quod faciunt, vel instrumenti ratione habita. Erat autem eò turpior Corinthiorum stultitia, quòd cum alijs Ecclesijs præstare cuperent, cæca ambitione sese ad ea deijcerent, quæ infidelium aut infirmorum adminicula, vel potius prima rudimenta esse debent.

Est autem hîc diligenti obseruatione dignum; quòd Prophetiam ad eos pertinere dicit, qui iam crediderunt, & quidem ad eos imprimis, qui iam non amplius pueri, sed adulti sunt in Christo. Confutat hoc eorum errorem, qui vbi fidem assecuti sunt, inque ea aliquò vsque profecerunt, ita sibi placent, vt & Verbi doctrinam & quæcunque alia sunt fidei atque pietatis exercitia contemnant. Habent hi argumenta, quibus suam impietatem palliant. Fides (inquiunt) sola iustificat, sola item saluos facit. At hæc Dei donum est, neque est volentis aut currentis, sed miserentis Dei, neque ad Christum venit aliquis, nisi quem Pater traxerit. Item: Nihil est qui plantat, aut qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Sunt hæc omnia per se verissima: Sed quod illi ex his colligunt, ideo non opus esse Verbi prædicatione, Sacramentis, precibus publicis, id verò falsissimum est. Fidem enim per Verbi prædicationem dari, Paulus disertè docet, ad Romanos scribens: Quomodo credent ei, de quo non audiuerunt? quomodo audient absque prædicante? Et mox infert: Fides ex auditu est, auditus autem per Verbum Dei. Ideo Christus Apostolis dicebat: Ite in totum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Et tunc demum infert: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Per eandem prædicationem Spiritus quoque confertur, qui trahit, qui volentes & spontaneos facit ex nolentibus, qui currentes instigat, qui denique semen illud regenerationis viuificat & vegetat. Adhæc, quia in credentibus manent peccati reliquiæ, quibus fit, vt frequenter labamur, quotidiana etiã doctrina, admonitione, hortatione, increpatione et cõsolatione opus est. Id pij & electi in semetipsis ita agnoscunt, vt nõ necessariã modò putent doctrinam Verbi Dei, verumetiã illa nihil suauius, nihil iucundius habeant. De illa certè Dauid pronũtiat, quòd magis expetibilis sit, quàm aurum præstantissimum, dulcior itẽ fauis multo melle stillantibus. Ideò precibus quoque suis hoc subinde postulant, vt Deus vias suas ipsis notas faciat, & in semitis suis eos assuefaciat. Sed & Christus hoc filijs Dei propriũ esse ait, quòd Verbum eius audiunt, Pharisæos autem eo argumento probat, non Dei, sed diaboli filios esse, quòd Verbum eius audire dedignarentur. Rectè igitur Paulus, prophetiam in signum gratiæ Dei datam esse ait, quod non possunt hi contemnere, qui gratiæ illius saluberrimam suauitatem semel degustauerunt. Quotquot verò illam fastidiunt & negligunt, ij dum alijs perfectiores volunt videri, seipsos adhuc à Deo alienos, neque dignos esse produnt, qui in eius familia, siue Ecclesia, censeantur.

D[illegible] bu[illegible] opus est ijs [illegible] di[illegible].

Psal. 19. 25. & 119. &c.

Ioan. 8.

Porrò quod antea dixit Apostolus; nunc ὑποδείγματι siue exemplo ceu demonstratione ad oculum facta, confirmat & illustrat. Sumitur autem exemplum ab ijs, quæ quotidie fiebant. Quia enim Christiani homines ethnicis permixti habitabant, frequenter accidebat; vt aliqui vel propria curiositate moti, vel à vicinis & amicis rogati; multi etiam occulta numinis vi ducti in eorum cœtibus venirent, vt quæ illic agebantur & dicebantur viderent. Ex eo igitur casum duplicem fingit Apostolus. Primus ad abusum linguarum refertur, quẽ hucusque reprehẽdit. Esto (inquit) vbi tota vestra Ecclesia in vnum locum conuenerit, ingrediantur aliqui idiotæ aut infideles, qui neque linguas vllas præter vulgarem norint, neque fidem adhuc siue Christi cognitionẽ habeant aliquam: & hi vos omnes audiãt vel simul vel alternis loqui linguis peregrinis, ita vt nec ipsi vos mutuo intelligatis: quæ obsecro vos, illorũ de vobis erit sententia? quid dicẽt? Certè vos furere aut insanire dicẽt. Nec enim sani hominis est, velle in publico cœtu sic loqui, vt à nemine intelligatur,

Exemplo vulgari probat prophetiã linguis præstare.

& loquendo seipsum simul & auditores inaniter fatigare. Quantò minus autem ratione sana ui dicentur, qui multi promiscuè id ipsum faciunt? Id verò non temere diuis Apostolus. Sciebat enim, quid in die Pentecostes accidisset, quando Apostoli multis musto pleni esse visi sunt, cùm linguis peregrinis subitò loquerentur. Et credibile est, apud Corinthios non semel simile quid contigisse, cùm in vrbe luxu & libidine perdita magnus esset hominum prophanorum & perditissimorum numerus. De eo igitur illos admonet, ne temere risum moueant auditoribus, & religionem Christianam stultitiæ & dementiæ suspectam reddant. Et habent ista acrem insitiam puerilis exprobrationem, quando tales esse ostendit, qui non obseruare poßint ea, quorum absurditatem homines prophani & à religione alieni facilè animaduertant.

Acto. 2.

Cauenda sunt, quæcunque lædunt fidei professionem.

Debent autem ex his generalem doctrinam petere omnes, qui Christi nomen profitentur, ne quid in tota sua vita faciant, quod fidei professionem vel minima ex parte lædat. Meminerint ergo, non temere nos à Christo ciuitati conferri, quæ in alti montis cacumine sita latère non potest, et proinde curent, vt operibus suis Deum patrem glorificent. Quia item nos ex hoc mundo Christus selegit, non poterunt excusari, qui cùm huius discipuli dici velint, mundo simul conformes esse pergunt. Lacon quidam interrogatus, cur barbam prolixam nutriret? respondit: Vt canos videns nihil his indignum faciam. Quin ergo sibijpsis occinunt subinde Christiani homines: Cur Christianus diceris? Cur in Christi nomen baptizatus es? Cur cætus sacros ingrederis? Cur Cœnæ mysticæ cum alijs Christi professoribus cõmunicas? Num vt mundo immersus maneas? vt hominũ ambitiosorum & superstitiosorum stolidus sis admirator? vt in caupona, in ganeo inter diaboli fœda mancipia computrescas? vt simul mensis dæmoniorum communices cum ijs, qui Christi meritum iampridem conculcauerunt? Annon potius, vt Christi membrum sis, hunc ore & vita tota loquaris, nec quicquam facias à grauitate Christiana alienum? Etenim si cauere nos decet, ne quid stultè facere aut furere videamur, quantò magis videndum fuerit, ne carnis libidinem, aut turpem quæstum, vel otium ignauum sectemur? Proderit hîc etiam aliorum de nobis iudicia audire & inquirere, vt ex illis agnoscamus vitia, quæ in nobisipsis non animaduertimus: quam vtilitatem ex inimicis etiam capere docuerunt olim gentium philosophi.

Prophetiæ effectus.

Sed alterum quoque casum ponit Apostolus, qui ad prophetiæ commendationem pertinet: Si omnes (inquit) prophetent (non quidem simul omnes, sed per vices & eo ordine, quem mox tradet) ingrediatur autem infidelis aliquis aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, id est, intra animum suum propriæ conscientiæ testimonio conuincitur, & ipsi iam manifesta fiunt, quæ prius in corde eius occulta latebant. Est enim Verbum Dei viuum & penetrantius quouis gladio ancipiti, & pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagúmque & medullarum, discretor item est cogitationum & intentionum cordis. Exemplum huius rei euidens in potentißimo Babyloniorum Monarcha extat. Is cùm somnij sui visione perturbatus sese expedire non posset, nec quisquam sapientum Chaldæorum illius historiam atque interpretationem proferret, vtrumque autem Spiritu verè diuino atque prophetico Daniel exponeret, mox intra animum suum conuictus in faciem procidit, exclamans: Verè Deus vester omniũ Deorum excellentißimus est, & Dominus Regum, & aperiens arcana, &c. Cui simile est quod Hierosolymis ad primam Petri concionem accidisse Lucas in Actis scribit, multos nimirum illo audito animis compunctos consilium salutis postulauisse, & baptizatos Christo nomen dedisse. Et cur quis de Verbi Dei effectu dubitet, quando inter ethnicos philosophiæ purioris fructus non contemnendos aliquando extitisse constat? Erat olim Athenis Polemon quidam perditæ luxuriæ adolescens & infamia gaudens. Is cũ aliquando totã noctem perpotasset, & post ortũ demum Solẽ è conuiuio domũ reuertens, Xenocratis scholam ingrederetur, irridendi potius quã discendi studio, illo autẽ omissa re, quam tractabat, de modestia & tẽperantia disserere inciperet: Polemon mox grauitate sermonis resipiscere coactus, primum coronã capite detractã proiecit, paulò post brachiũ intra palliũ reduxit, deniq; procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad vltimum luxuriam omnem exuit. Et quis dubitet multa olim huius generis facta fuisse, quando Ecclesia mirificis donis florebat, cùm hodie in multis magni Euangelicæ doctrinæ effectus cernantur? Istis verò Paulus Corinthios puerilis ineptiæ conuincit, qui tam stupidi sunt, vt hæc non obseruent, sed potius

Heb. 4.

Dan. 2.

Acto. 2.

Val. Max. lib. 6. cap. 11.

circa

circa ea occupentur, quæ ipsis stultitiæ extremæ suspicionem conflare poßint: Qui haud dubiè acutißimus stimulus fuit apud eos, qui præ multis alijs sapere videri volebant.

Prophetiæ vsus verus.

Porrò simul de verò prophetiæ vsu nos locus iste edocet. Nõ est illa simplex recitatio & interpretatio Scripturarum, sed (vt initio huius Cap. audiuimus) eiusmodi quæ cũ adhortatione & cõsolatione ad ædificationem totius Ecclesiæ & singulorum applicatur. Debet ergo sic exerceri, vt in animos penetret, arguat de peccato (quod propriũ Spiritus sancti in Apostolis opus fore Christus dixit) sic deniq; agat, vt omnes de se dici intelligant. Est enim cor hominis profundũ et inscrutabile, & qui grauißimè peccauerunt, ferè sibijpsis delitias faciunt, vt propria scelera non agnoscãt, aut saltem astutè dißimulent. Vt enim non videmus næuos, qui in facie aut oculis nostris hærent; ita plerique non vident quæ in ipsis vitiosa & reprehensione digna sunt. Imò vt multi cum deformißimi sint, cultu tamen ascititio & fuco formã sibijpsis conciliare student: Ita qui toti vitijs addicti & polluti sunt, mirâ arte illa tegere & occultare consueuerunt. Vtriq; ergo alijs opus habent, qui speculum Verbi Dei vel inuitis obtendant, qui fucum abstergant, laruam detrahant, & latebras quærentes ad Dei tribunal citent. Docet hoc Dauidis exemplum, qui cùm turpi libidine thorum alienum polluisset, & ex adultero nefarius homicida atque populi Dei proditor factus esset, culpam tamen non agnouit, donec per Nathanum conuictus est. Hinc illa prophetarum libertas, qua ex Dei mandato in sceleribus arguendis vsi sunt, & quorum imitatores Apostoli quoq; fuerunt. Atqui hoc illud est, quod totum Verbi ministerium mundo inuisum facit. Sed nihilominus pergere, & cum propheta dicere oportet: Leo si rugiat, quis non expauescat? Dominus Deus locutus est, quis non prophetet? Cui illud apostolicum conuenit: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Itaque ignaui fuci, & ministerij proditores sunt, qui ad scelera conniuent, cum sceleratis colludunt, perpotant, voluptuantur, & ijsdem puluillos consuunt, quibus molliter indormiant. Vide Matth. 24. Ezech. 13.

Ioan. 16.
Iere. 17.
1. Sam. 11. & 12.
Amos. 3.

Auditorũ Verbi officium.

Postremò sui etiam officij auditores hîc admonentur. Agnoscant illi de se agi, neque reluctẽtur conscientiæ, si quando hæc per Dei Verbum excitata illis scelera sua exprobrare incipit: quin potius confiteantur ea, vt Dauid, qui eo se quietem inuenisse & de peccatorum remißione certũ factũ fuisse testatur. Deinde prosternantur in faciem, id est, humilientur in conspectu Dei. Hoc enim gratißimum est sacrificium Deo, qui cor confractum & contritum (vt idem Dauid canit) non negliget. Et hæc vera contritio est, quæ non cilicijs, ieiunijs superstitiosis, aut chameunijs, sed cordis sancta tristitia atq; dolore secundũ Deũ (vt Pauli verbis vtar) constat. Tertiò Deũ adorent, & huius seruitio se totos consecrent. Quod si fecerint, iam procul relicto mundo & huius studijs, Dei misericordiam atque gratiam implorabunt. Deniq; testentur Deũ esse in sua Ecclesia, & ita publicum Veritati testimonium ferant. Hodie vtrinq; peccatur. Multi enim ex ministris non agunt seriò, qui verò hos iuuare & instigare debebant, illis etiam frigidiores sunt. Si qui verò aliquantulum feruent, ij plerisq; exosi sunt, nec multum proficiunt apud eos, quorum animos peßimorum affectuum præiudicia occupauerunt. Atqui ista ingratitudine & contumacia Deus maximè offenditur, & ideo ferè linguis peregrinis loquitur, & concionatores adducit longè rigidiores, vt supra ex Isaia dictum est. Meminerimus ergo Verbi prædicationem non humanum commentum, sed ipsum Dei Filium, IESVM CHRISTVM, cum suo ministerio coniunctum esse, qui olim non temere dixerit: Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit: qui autem me reijcit, reijcit eum qui misit me. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

2. Sam. 12.
Psal. 32. & 51.
2. Cor. 7.

HOMILIA LXXIIII.

Quid igitur est fratres? Quoties conuenitis, quisq; vestrûm canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationẽ habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationẽ fiant. Siue lingua quis loquitur, fiat per binos, aut ad plurimum per ternos, & vicißim: vnus autem interpretetur. Quòd si non sit interpres, taceat in Ecclesia, sibijpsi verò loquatur & Deo.

INter externæ religionis exercitia nihil præstãtius habet Ecclesia quàm sacros cœtus in quibus Verbum Dei prædicatur, Sacramenta administrantur & preces publicæ fiunt. Non absq; causa ergo Sutan, qui hominum perditione gaudet, illis omni tempore insidiatus est, vt eos aut dissiparet, aut ordinem eorum euerteret. Olim enim tyrannos excitauit ex Regum & Imperatorum numero, qui grauibus edictis prohibuerunt, ne qui publicè conuenirent: & illorum vestigijs multi etiã hodie insistunt, qui quouis supplicio dignum scelus esse putant, si qui cœtus agant, in quibus de vera religione disseritur. Satanæ item opus est, quòd multi sublatis veræ pietatis & religionis exercitijs hominum figmenta inuehunt, quæ aut superstitioni aut vanissimæ ostẽtationi seruiũt. Accedit his, quòd turbulentorũ quorũdã hominũ intempestiuis contentionibus nõ rarò in partes populus distrahitur, qui vno corde & vno ore Christũ profiteri & colere debebat. Facta sunt hæc omnia Apostolorũ temporibus, & Exemplũ huius rei memorabile in Corinthijs habetur, qui cùm libertate aliqua præ alijs gentiũ Ecclesijs fruerẽtur, ambitione et æmulatione mutua plurimùm peccauerũt. Fuit autẽ inter alia imprimis repræhẽsione dignũ, quòd immodico & intẽpestiuo peregrinarũ linguarũ vsu prophetiã siue Verbi Dei interpretationem impediebant, qua nihil vtilius, nihil Ecclesiæ magis necessarium est. Ideo Paulus rem istam seriò ac diligenter tractat: & hactenus quidem multis docuit, quantum incõmodi ex isto abusu ad totam Ecclesiam, & ad singulos priuatim redundet, quàm item pueriliter totam religionem Christianam omnium ludibrijs exponant, & sibijpsis infamiam spontè accersant, dum intempestiuè nimis linguarum dono superbiunt. Istis nunc subijcit doctrinam, qua quicquid de sacris cœtibus rectè & benè instituendis dici potest, breuiter & dilucidè duobus capitibus complectitur: quorum altero finem omnium exercitiorum Ecclesiæ indicat, altero ordinem & formam siue rationem tradit, quam pij sectari in illis debeant.

Abundantia donorum in veteri Ecclesia.

Ad primũ pertinet interrogatio, cui ipse mox respõdet. Quid igitur est, fratres? Quasi diceret: Cùm non poßitis negare, à vobis non vno modo esse peccatum, certè emendatione seria & reformatione matura opus erit. Quid ergo fieri oportebit? Dicam paucis: Cùm conuenitis, quisque vestrũ canticum habet, doctrinam habet, linguã habet, reuelationem habet, interpretationẽ habet, omnia ad ædificationẽ fiant. Loquitur pro conditione eius sæculi, quãdo tanta erat inter credentes donorũ Spiritus sancti vbertas, vt nemo in cœtus sacros veniret ἀσύμβολος, qui non aliquid in commune deponeret, quo alij possent ædificari. Oportebat enim ita fieri, vt magis commendaretur Noui testamenti gratia, & Christi Regnum inter mille obstacula, quæ Satan vndique obijciebat, felicius propagaretur. Quàm verò iucundum fuisse putabimus spectaculum, quo pulcherrimum hoc saluberrimumque donorũ suorum certamen Deus exhibebat? Hæc vtinam nobis restituerent hodie, qui veterum cœtuum formam reductam, & cuiuis dicendi põtestatem fieri volunt. Quid enim dicant hodie in publicis cœtibus, qui vix inter amicos priuatim de rebus sacris possunt paucißima effari; quin vel ignorantiam suam, vel balbutiem & infantiam prodant? Fateor quidem nostra culpa ex parte fieri, quòd minus liberaliter Spiritus dona in nos effunduntur, quando plerique in asserenda Dei gloria frigent: at simul non debet dißimulari, hodie non tanta illorum copia opus esse, quando Euangelij doctrina abunde satis confirmata est. Sed quia hæc alterius loci sunt, nunc Pauli verba excutiamus: qui ista sic proponit, vt tantum non protestetur, se dona ista nemini inuidere, neque hoc agere, vt ea ab Ecclesia explodantur, sed vt rectus & legitimus obseruetur illorum vsus, ne inani modò ostentationi, vel etiam æmulationi cæcæ seruiant. Hoc ergo vult dicere: Nõ equidem improbo, quòd tam multis tamque præclaris donis instructi conuenitis, vt vnusquisque aliquid in commune afferat, neque alicui suam laudem inuideo: sed hoc solum moneo, vt vestri simul officij & communis salutis memores omnia faciatis ad ædificationem.

Aedificatio, finis omnium exercitiorum Ecclesiæ.
1.Pet.2.

Discimus igitur hoc loco, quis omnium, quæ in Ecclesia fiunt, finis siue scopus esse debeat: Ædificatio nimirum, quam toto hoc Cap. vrget Apostolus. Ea autem in hoc consistit, vt omnes proficiant in cognitione IESV CHRISTI ac veræ fidei, vtq; noui quotidie discipuli accedant, & qui iam ante crediderũt, magis cõfirmentur. Ita enim ceu viui lapides (vt Petri verbis vtar) coalescũt omnes in domũ illam spiritualẽ, quã Deus ipse inhabitare dignatur. Obseruabis autẽ particulã, Vnusquisq; vestrûm. Est enim hic scopus vnicus & communis omnibus, ad quem omnis loci & ordinis homines collimare debent, non soli Verbi administri, quos Scriptura huius sanctißimi ædificij architectos

chitectos dicere consueuit, vt alibi diximus. Ergo ad magistratus quoque & principes hæc cura pertinet, quorum hæc præcipua gloria est, quòd Deus illos Ecclesiæ suæ nutritios constituit: quo officio tunc demũ probè fungentur, si curent vt sarta tecta maneat ea ædificij huius forma, quam nobis Apostoli, veri illi Bezaleeles, ab ipso Christo traditam reliquerunt. Possunt hîc etiam plurimùm præstare patresfamiliâs, si priuatim domum suam fideliter instituant, imprimis autem liberos suos, quos meritò Ecclesiæ seminarium dixeris. Extant de hoc præcepta Dei, quæ alibi recitauimus. Et in eo diligentißimos fuisse scimus sanctos patres, qui prolis studio & amore hanc ob causam potißimùm arserunt, quòd quàm plurimos ex se nasci cuperent, qui veri Dei cultores essent, & per quos huius cognitio atque cultus ad posteritatem per futura quoque sæcula propagaretur. Sed & priuatim hoc Dei ædificium iuuare possunt, qui cum amicis, cum hospitibus, cum quibusuis obuijs data occasione de religione disserunt, qui errantes in viam reuocant, peccatis deditos ad pœnitentiam hortantur. Imprimis tamen in cœtibus sacris hoc obseruari debet, vbi non aliud quàm Christi & Ecclesiæ negotium agitur. Ex quo etiam hoc colligi potest, nihil in illis fieri aut ferri debere, quod ad ædificationem aliorum non faciat. Quod vnum argumentum sufficiet pijs contra imagines in templis prostantes, contra theatricum Missæ spectaculum, contra lectiones Latinas, contra cantum artificialem siue compositum, organorum concentum, suffitus, lampades, cerea, & sexcenta alia, quæ vel oculos solos pascunt, vel aures deliniunt, ad solidam verò pietatem nihil conferunt.

Psal. 118.
1. Cor. 3.
Isa. 49.

Deinde obseruabis etiam hoc loco, quæ nam illa sint, quæ à Paulo commemorantur ceu instrumenta huius ædificationis. Primò Psalmos nominat. Erant enim tunc, qui non prophano obscœnorum poetarum furore, sed verè diuino spiritu agitati hoc dono pollebant, vt hymnos & cantica meditarentur; quibus & Dei laudes prædicabant, & animos auditorum ad alacritatem in obeundo veri Dei cultu accendebant, conscientias item afflictas consolabantur. Et hoc Spiritus sancti opus esse, in Dauide apparet & pluribus alijs Veteris testamenti prophetis: quibus ex Nouo rectè Zachariam, Simeonem, Matrem virginem & alios connumerauer is, de quibus in præsenti Paulus loquitur. Arguunt autem veterum exempla nostri sæculi poetastros, qui non horum vestigijs insistunt, sed tunc demum ex sua poësi laudem eximiam sibi pollicentur, si veterum Græcorum & Latinorum poëtarum obscœnitatem vincant: eos item, qui linguis vulgaribus cantiones fingunt de impuris atque illicitis amoribus; de stupris item & adulterijs, quæ inter Christianos ne nominari quidem debebant. Secundo loco doctrina ponitur, per quam ipsa docendi facultas, vel etiam dogma aliquod intelligi potest, quod pro temporis ratione clarius explicari & illustrari necesse erit. Nam licet certa & perspicua sint fidei capita & axiomata religionis Christianæ, sæpe tamen casus incidit, in quo admonitione & doctrina siue institutione peculiari opus est. Tertio lingua nominatur, ipsum videlicet donum linguæ alicuius peregrinæ: de quo nunc plura dicere superuacuum esset, cùm toto ferè hoc Cap. de illo disseratur. Quartum locum Reuelatio habet, quæ nimirum peculiari aliquo Spiritus sancti motu siue operatione fit, cuius exemplum in Agabi vaticinio extat, quo Ecclesiam de fame sub Claudio futura admonuit. Idem Pauli quoque vincula prædixit, quibus illum Iudæi constricturi essent. Erat autem hoc quoque donum illo tempore admodum necessarium propter hostium crebras insidias & infinita pericula, quibus Ecclesia tunc obnoxia erat. Quinto subijcitur Interpretatio, quæ tam ad linguas quàm ad obscuriores Scripturæ locos potest referri, de qua alibi quoq; diximus, & plura paulò post sequentur. Sunt autem insuper alia dona Spiritus sancti, sed Paulo in præsenti satis fuit præcipua & quæ magis communia erant recensere; sub quibus reliqua omnia compræhendit.

Aedificationis instrumenta.
1. Psalmi.
2. Doctrina.
3. Lingua.
4. Reuelatio.
5. Interpretatio.

Et rursus debent ista diligentius obseruari propter eos, qui sub prætextu ædificationis quiduis obtrudunt hominibus imperitis, & ea quoque ad istum finem institui posse clamitant, quorum nulla vspiam in Scripturis fit mentio. Hoc enim sophismate imagines, cerea; ipsam denique Missam & omnia alia tuentur, quæ paulò ante recitauimus. At non dicit Paulus: Quoties conuenitis, vnusquisque imaginem habet, cereum habet, Missam habet, Requiem canit pro defunctis, Litaniam habet, &c. Num quia Ecclesia super Christum solum fundatur, & non nisi ex

Contra eos, qui noua figmenta afferunt in Ecclesiam.

Verbi Dei semine nascitur, nunquam poterit ad eius ædificationem facere, quod à Verbi doctrina alienum est. Quotquot verò eiusmodi commenta ad ædificium istud afferunt, ij si non perfidi, saltem inepti illi & ridiculi architecti sunt, de quibus Cap. tertio diximus, qui cùm Christi nomen profiteantur, & Apostolos atque Prophetas in ore habeant, super fundamentū tamen, quod illi posuerūt, stipulas, arundines, ligna putria, vetustate exesos lapides, aut arenā quoq; sine calce cōgerunt. Nobis ergo sufficiant, quæ Apostolis sufficientia & verè idonea visa sunt.

Vt linguis vti debeat Ecclesia?

Caterùm non satis est ea in Ecclesiam afferre, quæ propriè & verè ad huius ædificationem faciunt, nisi eadem recto & legitimo ordine proponantur, vt huic scopo possint conuenire. Ideo applicat nunc doctrinam istam ijs, quæ tunc præcipua erant, Linguis nimirum & Prophetiæ, ostendens quomodo vtroque vti debeant. De linguis sic præcipit: Siue lingua, id est idiomate peregrino quis loquitur, fiat per binos, aut, &c. Quo loco ante omnia obseruabis, Paulum conditionaliter loqui, vt doceat, quid debeat fieri, si omnino velint linguis vti, non autem expressè iubere vel mandare vt illis loquantur. Potest enim Ecclesia fidem habere puram & sanctam, singuli item seruari possunt, etiamsi nemo sit, qui linguarum peregrinarum cognitionem atque vsum habeat. Non enim in sermone situm est Regnum Dei, sed in virtute. Verumtamen quia tunc doni illius vsus erat non contemnendus quoad Apostolos, qui illo non poterant carere, deinde quoad infirmiores in fide, quos signis & miraculis confirmari oportebat, denique singulare ornamentū Ecclesiæ & publicum testimonium erat, quo Deus significabat, se totius negotij Euangelici esse authorē, nequaquam contemni siue explodi debuit. Ideo illud in medio relinquit Paulus, & Corinthijs liberum facit, vt in suis cœtibus doni illius vsum exerceant, seu minus, prout sibi vtile fore putent. Quia verò huc usq; peccauerāt ambitione, et tēpus inutiliter consumpserant, quod exercitijs magis necessarijs debuerat impendi, certam formam siue modū præscribit, quem sequantur, & hunc tribus regulis cōprehendit. Prima est, ne plures loquantur quàm duo aut tres. Quia enim tunc vulgare admodum erat donum istud, si omnes linguis loqui voluissent, qui poterant, totum illud tempus cœtuum sacrorum illis oportuisset tribuere, & ita populus absque fructu discessisset. Altera vt per vices loquantur, ne videlicet confusio fiat: quæ non potest caueri, si multis simul dicendi potestas detur. Imò hoc illud erat propter quod Christiani furere putabantur ijs, qui Dei gratiam in illis agentem non agnoscebant. Tertia, vt quod lingua peregrina dictum est, aliquis interpretetur. Nam nisi id fiat, nullus ex eo ad Ecclesiam potest fructus redire. Ideo mox disertis verbis subijcit Apostolus: Quòd si non sit interpres, taceat in Ecclesia: Nimirum hoc volens, ne quis peregrino & alijs incognito idiomate obstrepat ijs, qui circa meliora occupati sunt. Et ne quis obijceret: Ergó ne sepelire debeo donum Dei? per correctionem addit: Sibijpsi verò loquatur & Deo. Id est, penes se intra animum suum meditetur quacumque lingua velit, quod ad pietatem & religionis exercitium facere putauerit, & Deo gratias agat, proq; fidei incremento oret.

Confusio Papistica.

Quòd si ad has Pauli regulas examines quæ in Papatu fiunt, vix quicquam videbis quod apostolicum dici mereatur. Nec enim contenti sunt linguam peregrinam inuexisse, sed insuper multi simul canunt, & plerumque artificio tam vario & volubili, vt ne ab ijs quidem verba percipi possint, qui linguam Latinam probè nouerunt. Similiter in eodem templo multi simul eodem tempore Missas suas faciunt, vt sæpe vix apud se aliqui constituere possint, quem nam præ alijs spectare siue audire debeant. Et omnia ista sine interprete faciunt, & plerunque tanta est sacrificulorum & Monachorum inscitia, vt seipsos non intelligant. Istis verò ineptijs tempus ita teritur, vt tandem populus absque omni doctrina & consolatione dimittatur. Quis ergo hos Apostolorum successores dixerit, qui tam manifestos abusus pertinaciter tuentur? Quis non populi infelicis calamitatem deploret, qui ab istis quasi naso suspenditur, & superstitionibus non minus ineptis quàm noxijs delectatur?

Quid agendum ijs, qui donis vti non possunt? Matth. 25.

Sed priusquam dicendi finem faciamus, discere nos conuenit hoc loco, quid fieri debet, si quando donis, quæ nobis à Deo collata sunt, non licet in publico vti? Non ideo illa abijcere, aut in terram defodere debemus, sicuti de ignauo illo & malæ frugis seruo Christus loquitur. Multò minus autem animum despondere aut contra Deū murmurare debemus. Hoc enim superbi et ambitiosi so-

lent,

lent, qui sibi intolerabilem iniuriam fieri arbitrantur, si nulla sese occasio offerat, qua fortitudinem aut peritiam & potentiam suam ostentent, alijs interim multa cum laude triumphantibus. Talis olim Alexander Macedo fuit, qui ob patris Philippi victorias animo discruciabatur, quod timeret, eum nihil sibi reliquum facturum esse, in quo facinus aliquod magnum & memorabile aderet. Et Cæsarē illachrymauisse scribunt visis Alexandri statuis, & lectis eius gestis, quod se iam prætergressum illius ætatem nihil adhuc fecisse cogitaret, quod cum illius virtute posset cōferri. At longè alia piorum mens est. Hi enim Deo sese gratos præbent pro acceptis ab illo beneficijs: & si his non aliter vti possunt, pia eorum meditatione seipsos recreant, & in omnem occasionem parati sunt, vt per illa omnibus prosint, nemini autem noceant. Fit ergo, vt dona sua apud tales Deus nequaquam intermori aut perire patiatur, & sæpe præter omnem expectationem pulcherrimas illis vtendi occasiones ipsis offerat, quibus illi sic vtuntur, vt aperta inde referant fidei & industriæ suæ testimonia, & tandem in gaudium Domini nostri IESV CHRISTI admissi, cum eodem viuant & regnent. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXV.

Prophetæ autē duo aut tres loquantur & alij dijudicent. Quòd si quid alij patefactum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis enim sigillatim omnes prophetare, vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant: Et spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. Non enim est confusionis author Deus, sed pacis, vt in omnibus Ecclesijs sanctorum.

Postquam Paulus ambitionem Corinthiorum, qua donis spiritualibus, & imprimis quidē linguis & prophetia abutebantur, grauiter corripuit, concludit tandē totā istam tractationē generali doctrina, qua docet, quis ipsis omnium donorum finis esse debeat, & quæ vera atque tutissima sit illis rectè vtendi ratio. Finem verò omnibus propositū esse vult, ædificationē. Quia enim nō nobis solis nati, adhæc eiusdē corporis membra sumus, in cōmune debet deponi quicquid nobis à Deo datur. Deinde de vsu et exercitio linguarum paucis disseruit, ita tamen, vt abunde cōpræhendat, quæcumque de illo dici possunt. Nunc ad prophetandi rationē accedit, quæ diligētius inspici debet propter Anabaptistas, qui hodie veterem illam formam reductam volunt, & nisi ea restituatur, se iustam & grauem causam habere arbitrantur, vt ab Ecclesijs nostris secessionem faciant.

Obseruari autem ante omnia debet, quòd quid fieri debeat, simpliciter docet Apostolus, neque hic quicquam illorum arbitrio liberum permittit, vt prius fecerat, quando de linguis & earū vsu locutus est. Ibi enim in medio quasi reliquit, vt illis vtantur, seu non vtantur. In præsenti autem & in tota hac tractatione de prophetia sic disserit, vt necessariò eam exerceri debere doceat. Causam si quæras, ea in promptu est: quia sine doctrina, quæ exhortationem & consolationem cōprehendit, neq; Ecclesia aliqua colligi, neque prius collecta gubernari & conseruari potest. Quod sapientissimus ille Regum obseruans, dixit: Cessante prophetia dissipatur populus. Vult ergo Paulus vt prophetent Corinthij, imò vt id omnes possent in votis habuit, quemadmodum Moses olim, qui inconsultum Iosuæ sui zelum reprimens dicebat: Quis det vt omnis populus prophetet, & det Dominus spiritum suum super eos? Præscribit autem Paulus diligenter ordinem & modum prophetandi, & ita quidem hunc tradit, vt & confusionem omnem declinet, & simul suam Ecclesiæ libertatem tueatur, neque tanti tamque necessarij doni effectum siue fructum impediat. Nos singula ex ordine examinemus.

Prophetia necessariò exerceri debet.

Prou. 19. Num. 11.

Primò, qui nam munus hoc obire debeant, docet. Prophetæ autem (inquit) duo aut tres loquantur. Non ait, duo aut tres ex Ecclesia loquantur: sed Prophetas nominat, de ijs nimirum loquens, qui dono prophetiæ instructi, & ab Ecclesia legitimè ad docendi munus ordinati erant. Fuisse enim Prophetas in Ecclesia ordinarios ministros, à communi credentium tur-

Qui nam prophetare debeant?

Ephe. 4. ba distinctos, alibi disertè docet, quando ait, Christum alios quidem dedisse Apostolos, alios vero Prophetas, &c. Porrò hos quoque ad certum numerum astringit, ne si plures ad dicendum surgant, confusio oriatur, & populus diutius quàm par est fatigetur. Obseruabis autem Apostolum loqui pro illorum temporum conditione, quando Christiani ethnicis permixti habitabant, imò magistratibus ethnicis & à fide alienis subiecti erant, & ideo propter pericula, quæ ex hostium fidei insidijs nunquam non ipsis imminebant, non poterant frequentius conuenire in cœtum sacrum. Itaque si quando sese occasio offerret, tunc per horas aliquot conuentus illi extrahebantur, & sæpe Acto.20. totam noctem aut diem durabant, vt videre est in ijs, quæ de cœtu Troadis habito in Actis scribuntur. Quare necesse erat, vt plures essent, qui per vices verba facerent aut docerent, quia vnus non potuisset solus tot horis sufficere. Ij verò non difficulter haberi poterant in tanta, quæ tunc erat, donorum Spiritus vbertate: quando (vt Ioel fore prædixerat) ille liberalissimè ef- Ioël. 2. fundebatur, & passim in omni ætate & sexu inueniebantur, qui prophetandi dono erant instructi. Vbi simul hoc quoque obseruatum fuit, vt quoties in cœtum Christiani conuenirent, certi aliqui deligerentur, qui tunc docendi vices obirent: & ne quis negligeretur, modò his modò illis partes istæ dabantur. Quem morem suo adhuc sæculo seruatum fuisse, Theodoretus scribit, vt ex ordinarijs Ecclesiæ doctoribus alij quidem in hac concione, alij in alia ad populum loquerentur. Quæ ideò monemus, ne quis hodie quoque pluribus ministris putet opus esse, & plures ex ordine ad docendum surgere debere, quando ordinarij cœtus in vrbibus & alijs locis frequentiores, vel etiam quotidiani habentur, & difficile sit populum vltra vnius horæ spatium in templis detinere. Nunc autem hoc loco præcipuè obseruabis, Paulum docendi partes Prophetis tribuere, id est, ordinarijs, & legitimis Ecclesiæ ministris, nec velle vt quiuis temere ad dicendum prorumpat. Nam si hoc permittatur, iam superuacanea & prorsus inutilia sunt, quæcunque de mißione & vocatione ministrorum tam in Veteri quàm Nouo testamento dicuntur.

Ecclesia iudicet de prophetia. Secundò quid alij faciant, indicat. Alij dijudicent (inquit) num ex Dei Verbo deprompta sit, quæ à Prophetis proponitur, doctrina. Id verò factu imprimis necessarium est. Primùm, quia Satan mille artifex sese in Angelum lucis transformare potest. 2. Cor. 11. Deinde, quia nihil tam vulgare est, quàm quod impostores Dei nomen atque Spiritum prætexunt. Sic olim pseudoprophetæ Achabi & Iezabelis temporibus, quando tanta fuit Zedechiæ impostoris temeritas, vt Micheam diuersa à se dicentem in faciem percuteret, adiectis 1. Reg. 22. his verbis: Quà nam transiuit Spiritus Domini à me, vt tibi loqueretur? Et apud Ieremiam de Ilis queritur Dominus, qui quasi ab eo in consilium admißi essent, populo pacem pollice- Iere. 23. 28. etc. bantur, quem ipse iam gladio & exilio destinauerat. Quid verò nobis hodie sperandum sit, Christus ipse docuit, quando prædixit nouißimis temporibus pseudoprophetas & pseudochri- Matth. 24. stos exorituros esse, qui plurimos seducturi sint. Sed aliud quoque periculum est, quod nos cautos & prouidos esse cogit: Nimirum quòd sancti quoque & fideles Dei serui interdum falluntur & errant, quando affectibus suis indulgent, & zelo abrepti sua consilia præ- 2. Sam. 7. cipitant. Exemplum eius rei memorabile in Nathano habemus, qui quod de templo ædificando Dauidi dederat consilium, eadem hora reuocare iussus est, quòd illud inconsulto Domino, suum modò zelum per se bonum & sanctum secutus dedisset. Magna etiam timoris & aliorum affectuum vis est, à quibus ne sancti quidem liberi sunt: qui etiamsi non errent in dogmatibus fidei, in alijs tamen, quæ ad Ecclesiæ gubernationem pertinent, non rarò falluntur. Quapropter necesse omnino est, vt doctrinæ dijudicentur, & extant ea de re alibi quoque præ- 1. Thes. 5. cepta apostolica. In priori enim ad Thessalonicen. scribit Apostolus: Prophetias ne pro ni- 1. Ioan. 4. hilo habeatis: omnia explorate, quod bonum est tenete. Et notum est illud Ioannis: Dilecti, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Sunt autem hîc quædam diligentius excutienda.

Omnium est iudicare de doctrina. Primum, qui nam doctrinas dijudicare aut probare debeat? Nam alij quod in præsenti dicitur, ad eos solos restringunt, qui & ipsi Prophetæ sunt, aut donis peculiaribus instructi in Ecclesia præ alijs excellunt. In qua sententia ex veteribus Theodoretus fuit, qui dijudicandi officium ad eos

ad eos pertinere scribit, qui donum habent discretionis, quod peculiare & non omnibus commune fuisse, supra Cap. duodecimo vidimus: vbi illud ab alijs distinguit, & prophetiæ proximo gradu subijcit. Alij verò hoc omnium esse aiunt, qui docentes audiunt. Et horum sententia probabilior mihi quoq; videtur, quia hîc de communi omnium salute agitur, & absurdum foret, quenquam ab alterius quàm solius spiritus iudicio pendere. Ita enim nobis alios constitueremus nostræ fidei magistros, neque nobis de illius certitudine certum quid possemus polliceri. Sed & Christus Dominus ouibus suis omnibus hoc proprium esse ait, quòd vocem suam norint, hanc solam sequantur, aliorum non item.

Secundum, quò vsq; iudicium hoc siue examen doctrinarum extendi debeat? Nam sunt qui clamant, si hoc statuatur, iam Verbum Dei hominum iudicio subijci. At non hoc vult Apostolus, sed vt de Scripturarum interpretatione & ijs quæ Verbi Dei nomine proponuntur, iudicium fiat. An scilicet quod à Prophetis illis dicitur, cum Verbo Dei conueniat? Quod vt primùm constiterit, iam omnis censura cessare debet, neq; aliud reliquum est, quàm vt omnes per fidei obedientiam sese Verbo submittant, etiamsi omnis sensus siue intellectus nostræ rationis reclamet. Quo loco simul Sophistarum vanitas arguitur, qui Verbo Dei suam authoritatem ex Ecclesiæ iudicio constare garriunt. Atqui nos potius verè dicimus, Ecclesiam non esse nisi eam, quæ ex Dei Verbo renata, hoc solum audit & probat. Vide 1. Pet. 1. — Quousq; iudicium hoc extendi debeat?

Tertium est, vt huius probationis siue examinis regulam videamus. Propria quidem & communis est Scriptura sacra, quam alibi Paulus θεόπνευστον dicit, quòd à Dei Spiritu inspirati homines sancti illius oracula literis mandarunt. Et certum est, falsum atque adulterinum esse, quicquid non ex illa depromitur, aut illius testimonijs firmiter ac solidè probatur. Sed quia Scripturæ latius patent, quàm vt quiuis possit ex illis de doctrina quauis iudicium facere, repetendum est hoc loco, quòd Apostolus ad Romanos prophetiæ regulam constituit Analogiam siue Proportionem fidei: ne scilicet aliquid dicatur, quod pugnet cum huius principijs, quæ in Decalogo, Oratione Dominica & Symbolo Apostolico (quod communem illam & verè Apostolicam traditionem de vera fide esse, Irenæus testatur) continentur. Horum certa notitia, qua nemo Christianus carere potest & debet, cum diligenti consideratione coniuncta non patietur aliquem facilè falli: quando nemo tam stupidus est, quin mox videre possit, an de vno solo Deo adorando & inuocando per vnicum Mediatorem IESVM CHRISTVM sermo sit, vel num Dij plures, & Mediatores etiam alij, noua item & diuersæ salutis acquirendæ rationes commonstrentur? — Regula diiudicationis. 2. Tim. 3. — Rom. 12.

Arguitur itaque toto hoc loco Pontificum tyrannis, qui Ecclesiam hac sua libertate prorsus spoliauerunt, non minus quàm Pharao olim Israëlitas, quos priuilegijs exuit, quæ priores reges illi propter Iosephi merita donauerant. Primò enim penes se esse dicunt totius Scripturæ interpretationem, nec alicui licere, vt ab ipsis editæ sententiæ contradicat. Deinde facultatem docendi siue donum prophetiæ suo chrismati & tonsuræ alligarunt, vt nisi quis ipsorum characterem acceperit, huic in eorum Ecclesia (vt in Apocalypsi traditur) neque emere neque vendere liceat. Tertiò, hos ipsos in sua verba iurare cogunt: quò fit, vt si quando in Veritatis cognitionem perueniant, ea tamen quæ bene sentiunt, proferre non ausint. Postremò, eosdem sacrosanctos fecerunt, quibus nemo contradicere ausit, & quos nefas sit dicto aut facto lædere. Et quia non potuerunt ignorare hominum conscientijs non ita facilè satisfieri, vt aliorum placitis omnibus acquiescant, fidem finxerunt implicitam, quæ cuiuis ad salutem sufficiat: Si videlicet maneat in fide Ecclesiæ, & se cum suo pastore aut Episcopo sentire dicat, etiamsi quæ horum sententia sit, ignoret. Hinc portenta illa errorum, superstitionum, idololatriæ, omnis item licentiæ & nequitiæ prodierunt, quibus colluuies illa rasorum & vnctorum totam Christiani nominis professionem conspurcauit. Neque malorum finis sperari poterit, nisi sua Ecclesiæ libertas restituatur, quã tam Christus donauit. Clamant quidem illi indignum esse vt Laici de spiritualibus iudicent, quia inde horribilis nascitura sit omnis ordinis confusio, & sexcenta alia fingunt, quæ non aliter deuitari possint, nisi ipsis licentia ista salua maneat. Sed vnico argumento, quod hîc nobis Paulus suggerit, omnes istorum paralogismi dissolui & confutari possunt. Voluit Deus vt de suis Prophetis & Apostolis iudicium fieret, de quorum vocatione & missione omnibus constabat: Ergo multò magis de istis iudicari debet, — Pontifices Ecclesiam sua libertate spoliarunt. — Apo. 13.

qui toti mundo innumeras ob causas suspecti sunt. Quod autem illi de populi ignorantia queruntur, eo suam ignauiam atq; perfidiam produnt, qui eos tam turpiter neglexerunt, quos ipsi in fidei principijs instituere debebant, ne iudicando falli possent.

Quando sedentibus in Ecclesia loqui liceat?

Cæterùm vt ad locum præsentem redeamus, fiebat interdum, vt ordinarij illi Prophetæ loci propositi sensum germanum non omnino attingerent, aut non omnia dicerent, quæ de illo vtiliter dici poterant, vel etiam vt alicui ex aßidentibus auditoribus subita & peculiari reuelatione innotesceret, quod præsenti tempore imprimis seruiebat. Docet ergo Apostolus, quid tunc quoque fieri debeat, & sic dicit: Quòd si quid alij patefactum fuerit aßidenti, prior taceat. Sedentes dicit ipsos auditores, idque ex veteri more. Solebant enim considere in sacris cœtibus, qui ad audiendum Verbum Dei conuenerant, vt ipso corporis habitu admonerentur, compositis & sedatis affectibus omnibus ipsos in solius Dei voluntatem intentos esse debere. Sic Maria ad pedes IESV sedisse dicitur, vt docentem audiret. Diuus Ambrosius trium ordinum & distinctorum in templis subselliorum meminit: sed id minus conuenit cum simplicitate veteris Ecclesiæ, quando ab ambitiosa eminendi aut excellendi affectatione ministri alienißimi fuerunt: illius autem temporibus conuenire potest, quando locum proprium & cancellis interstinctum sacerdotes sibi vendicarunt, quem ne Imperatoribus quidem ingredi licebat, vt in historia Theodosij ab illo excommunicati & post octo mensium pœnitentiam indignißimè reiecti apparet. Proderit tamen obseruare veterem morem, vt eo etiam arguatur Papistarum peruersitas, qui summam religionem in eo consistere arbitrantur, si non vno in loco sese contineant, sed per templa discurrant, modò ad hoc, modò ad istud altare missam audiant, nunc huic, nunc illi statuæ cerea suffigant, imò per multa quoque templa vagentur. Quoad verò præsentis loci statum, vult Paulus ijs quoque dicendi potestatem fieri, qui ex vulgo sunt Christianorum, & ne cui cedere dedignetur, qui prior cœperit verba facere.

Anabaptistæ confutantur.

Est autem locus iste diligenter inspiciendus propter Anabaptistas, qui eius authoritate potißimùm nituntur, vt Ecclesias nostras non Apostolicas esse probent. Sed obseruabis primùm, Paulum loqui pro sui temporis ratione, quando Ecclesiæ non tam frequentes erant, maior autem erat donorum Spiritus vbertas. Stultum ergo fuerit, ea velle hodie instituere, quæ olim vsitata fuerunt, cùm longè alia sit nostrorum temporum ratio. Deinde non permittitur sedenti, vt ad dicendum surgat, nisi Propheta ordinarius sensum loci propositi non attigerit, aut omiserit quæ dicenda erant. Adhæc reuelationis mentio fit. Ergo non licuit cuiuis pro suo arbitrio prorumpere, neque semper hoc licuit: sed singularis reuelatio debuit expectari, quæ haud dubiè non facta est, nisi quando ita neceßitas exigebat: vt si quando Prophetæ in officio segniores erant, aut causa aliqua grauior incideret. Adde, quòd in propria modò Ecclesia id licuit, & quidem obseruato diligenter ordinis decoro. Patet hoc in Apostolorum, Pauli & Barnabæ, exemplo, qui etsi à Deo doctores gentium ordinati & publica Ecclesiæ authoritate ad prædicandum emißi essent, Antiochiæ tamen Synagogam ingreßi non antea ad dicendum surrexerunt, quàm post ordinariam Legis ac Prophetarum lectionem à principibus Synagogæ inuitarentur. Denique non in eo consistit hominum salus, vt omnes sint doctores, sed vt veri ac germani sint Christi discipuli, qui Euangelij doctrinam diligenter audiant, eidem credant & vitam viuant Christiana profeßione dignam. In his periculum nullum est, imò ex his salus nostra dependet, & hæc pietas illa est, cui tam huius quàm futuræ vitæ promißiones datas esse, Apostolus docet: Docentium autem conditio periculosißima est, quia in multis labimur omnes, & vix quicquam tam humanum est, quàm errare & falli, ex doctorum autem manibus sanguis omnium eorum requiretur, quos illi negligentia aut incuria sua perdiderint. Rectè igitur Iacobus monebat: Ne sitis multi magistri, fratres mei, scientes quòd grauius iudicium auferemus, &c. Hæc diligentius considerata satis docent, neq; posse hodie commodè fieri id quod fanatici illi requirũt, neq; si omnino fieri deberet, hanc causam esse sufficientem, ob quã ab Ecclesijs nostris discedant. Quòd si qui locum hunc pertinacius vrgere volent, nos eos rogamus, vt reuelationes quas iactant, illis indicijs probent, quibus se à Spiritu Dei agi olim probarunt, qui docendi partes sibi vendicabant. Quod cùm non faciant, neq; poßint facere, quid restat, quàm vt eos ambitionis spiritu exagitari dicamus, quem ab Ecclesia Paulus procul vult eiectum esse.

Acto. 13.

1. Tim. 4.

Ezech. 3.
Iacob. 3.

Porrò

Spiritus non est alligatus personis. Ioan. 3. 1.Sam.10. Matth.7. Apoc. 1.

Porrò quoad Corinthios, credibile est, ambitiosos illos, quorum magnus illic numerus erat, non facilè locum dedisse inferioribus, si quid eis esset reuelatum: Ideo quod dixit, nunc rationibus confirmat. Sunt hæ quatuor numero. Prima, Potestis enim omnes sigillatim prophetare, vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant. Loquitur autem de Spiritus virtute, qui (vt Christus ait) vbi vult spirat, neque vllis personis aut locis alligatus est, quò minus libere agat in omnibus, quos sibi vt organa sua delegerit. Si enim Sauli datus fuit Spiritus Domini, & multos ex reprobis in suo nomine prophetare Christus testatur, quis obstabit, quò minus Spiritus sancti virtus in electis sese exerat, quos ille amans Deo Patri suo Reges ac Sacerdotes fecit? Imò est hoc (vt alibi monuimus) vocum commune piorum omnium, qui non vulgarem consolationem ex eo concipiunt, si quàm plurimos donis Spiritus excellere, & ijsdem bene[...] uti videant. Quia enim toti ardent studio gloriæ Dei, priuatæ gloriæ cupiditatem nequaquam in se dominari patiuntur, vt infelices illi, qui inuidia contabescunt, si qui doctrina aut alijs virtutibus excellunt. Repetit autem Apostolus finem prophetiæ, quem nuper sub ædificationis vocabulo comprehendit, nunc autem huius partes con[s]tituit duas: Doctrinam, qua homines in Dei cognitione & vera fide instituuntur: & Consolationem, qua fidelium animi aduersus tentationum certamina confirmantur. Nec temere fieri putemus, quòd hic repetitur nota vniuersalis, cùm dicit: *Vt* OMNES *discant, &* OMNES *consolationem accipiant.* Nemo enim tam doctus est, qui non ex obscuris & vilissimis possit aliquid discere. Diogenes, cùm puerum aquam manu haurire & ita bibere videret, ab illo didicit, scutella sibi nequaquam opus esse: Ita qui vulgarium hominum dicta & facta non oscitanter obseruant, semper inuenient, quo doctiores fiant & magis confirmentur. Diuus Augustinus se in Scripturis plura nescire quàm scire fatebatur. Et præclarè admodum idem ille Auxilio Episcopo iuueni scribebat: En adsum senex à iuuene coëpiscopo, & Episcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus sum discere. Quod exemplum vtinam obseruent, qui eò arrogantiæ progressi sunt, vt symmystas suos omnes contemnant. Similiter nemo est, qui non consolatione quoque opus habeat: quia in proprijs periculis ferè labascunt & rerum incerti hærent, qui alijs consilio adesse nouerunt.

Epistola 119. & 75.

Spiritus Prophetarum Prophetis subijciuntur. Galat.2. 1.Ioan.4. Galat.1.

Secunda ratio est: Et spiritus Prophetarum Prophetis subijciuntur. Alij hoc dictum de ipsis Prophetis exponunt, qui spiritu miti & placido præditi, non præfractè aut contumaciter sese efferunt, sed libenter locum dent meliora monentibus. Talis Petrus fuit, qui Paulum sibi in faciem resistentem patienter tulit. Sunt qui de singulis hoc interpretantur, quòd Spiritus sui potentes sint, nō autem arreptitijs similes, qui sibijpsis temperare non possint; de quo alibi diximus. Alij spiritus pro doctrina accipiunt, vt Ioannes in loco, quem supra citauimus: Hæc (inquiunt) censuræ & examini subiecta esse debet. Est enim hoc præceptum Dei perpetuum vt doctrinæ probentur, num ex Deo sint. Omnes hi sensus pij sunt, nec aliquid habent absurdi. Postremus tamen instituto Pauli melius conuenit. Vult enim ostendere, neminem tantæ authoritatis esse, vt à censura Ecclesiæ eximi debeat: vtq; emphasim maiorem habeat oratio, spiritum potius quàm doctrinam posuit, quemadmodum alibi Angelum anathema pronuntiat, qui Euangelium aliud ausit prædicare. Nemo tamen hinc colligat, aliquem Prophetam in alios ius habere aut dominium: quia non de subiectione violenta, sed voluntaria sermo est, qua fit, vt se mutuò audiant, & operas suas studiosè conferant ad Christi regnum ampliandum: sicuti inter fidos milites solet fieri, quos nulla imperatoris seueritas aut disciplinæ metus cogit, sed propria fortitudo excitat, vt rem strenuè gerant, seq; mutuum iuuent. Quis ergo Pontifices Dei spiritu agi dixerit, qui nemini subesse, & à nemine dijudicari volunt? Ita certè Balami spiritum referunt, qui ne Dei quidem admonitionibus flecti potuit, vt ab infestandis Israëlitis abstineret. Sed vt ille ab asina correptus fuit, ita frequenter fit, vt insolentes illi ab ijs arguantur, quos paulò ante vix asinorum loco habuerunt. Et hoc dignum est insolentiæ stipendium: quod ferè in repub. quoque & priuatim omnes recipiunt, qui sese supra omnes alios superbè extollunt. Quia enim superbis resistit Dominus, fieri nequit, vt ijdem Dei Spiritu ducantur.

Num. 22. 2.Pet.2.

Tertia ratio est, quòd ita velit Deus. Non est enim (inquit) confusionis author Deus, sed pacis. In Græco legitur ἀκαταστασία, quæ tunc facta dicitur, quando res non manent in statu suo

Deus non est author confusionis.

legitimo & ordinario. Talis in repub. est, quando nemo alium audit, nemo alteri cedit. In Ecclesia verò rectè ἀκαταστασίαν dixeris, si qui omnibus alijs imperare volũt, & pro suo arbitrio quibusuis præscribunt. Turbatur tunc vera Ecclesiæ constitutio, quia consistere non potest ἡ συνταξις illa membrorum, de qua Cap. duodecimo diximus. Simul autem ἀνθυποφορὰν occultam habet hoc dictum, qua illis occurrit, qui confusionem & omnis status turbationem nascituram esse metuunt, si qui inferiores sunt, antistiti suo contradicant. Docet enim, nihil huius euenturum esse, si omnia ex Spiritus Dei suggestione gerantur, seq; mutuò audiant. Qui enim omnia creauit in mensura & pondere, quiq; certa cum ratione omnia regit, idem facilè inter eos consensum conciliabit, qui ipsius præceptis sese accommodant. Et quemadmodum firmißimum amicitiæ retinendæ vinculum est, si liberè & amicè se mutuò moneant, qui se offensos esse sentiant: ita Ecclesiæ consensus tunc demum verè retinetur, quando suas sententias inter se conferunt, qui dissentire videntur. Simul autem admonemur hoc loco, eos nequaquam à Dei Spiritu gubernari, qui turbis & contentionibus student, & has sua insolentia fouent. Vult enim nos in ipso vnum esse Christus Dominus. Obijciunt quidem nobis Papistæ hunc locum, vt Euangelicæ doctrinæ instauratores Dei Spiritu actos fuisse negent, eò quòd Ecclesiæ pacem turbauerint, & dißidiorum in orbe Christiano fuerint authores. Sed non mouet nos huius criminis exprobratio: quia de pace ea loquimur, quæ ex Deo est, & cuius regula est Dei Verbum. Nihil ergo hoc ad eos, qui contra Deum coniurarunt. Vt enim olim turris Babylonicæ ædificatores turbari & scindi vtile fuit: ita istorum quoque consensum turbari oportuit, quia sub huius prætextu horribilis omnium rerum ἀκαταστασία latuit. Quis enim nescit homines relicto Creatore circa creaturarum cultus occupatos, populum Christianum in sectas infinitas distractum, prophanam satrorum omnium nundinationem introductam fuisse, deniq; impurißimos lenones sibi in IESV CHRISTI sponsam ius & imperium vendicauisse; adhæc totum illum Clerum vnctum & rasum, immunitate fictitia & malè vsurpata superbum, contra legitimos magistratus conspirauisse? Oportuit ergo salutiferum illum gladium mitti, qui discordem illam atq; inordinatam concordiam dirimeret, vt omnes in vno Christo conuenire possent. Huc pertinent, quæ habentur Matth. 10. & Luc. 12. cap.

Ab exemplo aliarum Ecclesiarum.

Restat quarta & postrema ratio, quam his verbis comprehendit: Vt in omnibus Ecclesijs sanctorum, scilicet ego doceo, aut fieri consueuit. Potest enim vtroq; sensu hoc accipi: Vel, quòd nihil aliud illis præcipiat, quàm quod alijs quoq; Ecclesijs hactenus mandarit: Vel, quòd non aliud ab ipsis requirat, quàm quod paßim omnes Christiani obseruent. Theodoretus ita exponit: Nihil noui statuimus, sed vos Ecclesiarum leges docemus, quas ipse statuit pacis magister Dominus. Est ergo argumentum ab exemplo, vt nihil habeant ab alijs Ecclesijs diuersum: sed quoad eius fieri potest, se aliarum ritibus atq; moribus accõmodent. Scimus quidem libertatem esse in eiusmodi rebus, neq; eandem ecclesiasticæ œconomiæ formam omnibus Ecclesijs conuenire: Veruntamen non contemni debent aliorum exempla, ne dissensionis suspicio cum scandalo coniuncta infirmis ac rudioribus oboriatur. Tutißimũ autem fuerit ad veteris & primitiuæ Ecclesiæ formam respicere, in qua credentium omnium fuit cor vnum, cùm non aliam fidei suæ & totius œconomiæ regulam haberent quàm Apostolorum doctrinam, quam hi Spiritu authore proponebant. Interim non obscuram exprobrationem habent Pauli verba, qua Corinthiorum ambitionem reprehendit, qui vt supra alios eminerent, singulare quid affectabant: & ideo hortatur, vt alijs sese conformes facere studeant, ne dum peculiare quid sectantur, odium & inuidiam sibi apud omnes Ecclesias concilient. Faxit Deus Pater concordiæ & vnitatis, vt hoc nostro afflictißimo seculo discant tandem omnes vno corde, vno spiritu & ore profiteri IESVM CHRISTVM, qui solus est via, vita & veritas. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum; Amen.

HOMILIA LXXVI.

Mulieres vestræ in cœtibus sileant: nec enim permissum est eis vt loquantur, sed vt subditæ sint, sicut & Lex dicit. Quòd si quid discere volunt, domi suos viros interrogent: Nam turpe est mulieribus

lieribus in cœtu loqui. An à vobis sermo Dei profectus est? an ad vos solos deuenit? Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quòd Domini mandata sunt. Qui verò ignarus est, ignarus esto. Itaque fratres hoc ambite, vt prophetetis, & loqui linguis ne prohibete. Omnia verò decenter & ordine fiant.

IN ijs quæ proximè præcesserunt diligenter & perspicuè docuit Paulus, quo ordine & qua ratione in sacris cœtibus proponi debeant, quæ ad publicam omnium institutionem & ædificationem faciunt. Quia autem magna tunc donorum spiritualium vbertas erat, ne aliquibus obstare videretur, quò minus dono suo vterentur, inter alia dixit: Potestis sigillatim omnes prophetare, vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant. Id verò sic accipi poterat, quasi mulieribus quoq; in cœtu sacro loquendi potestatem faceret. Et credibile est in Corinthiorum Ecclesia ex gentilismo hoc etiam vitium irrepsisse, vt mulieres quoq; docendi partes sibi sumerent. Solebant enim inter gentes ferè oracula Deorum per mulieres edi, vt nunc de Sybillis nihil dicam, quarum maxima fuit autoritas. Similiter sacra quædam solis mulieribus credebantur: qualia fuerunt, Ignis Vestæ, Bona Dea, Cereris item apud Catinenses in Sicilia, & alia infinita. Facile ergo fuit muliebrem ambitionem in Christi quoq; Ecclesia aliquid tentare. Pergit ergo Paulus, & quid mulieres Christianas deceat, docet: deinde tractationem istam de sacris cœtibus tandem absoluit. Argumentum huius loci.

Quoad causam mulierum, statuit suo propositio est: Mulieres vestræ in cœtibus sileant. Poterat hoc durius dictum videri, quasi satis fuisset monuisse, vt modestè, pudicè, tantè & breuiter dicant quod volunt: Sed simpliciter & absolutè præcipit vt sileant. Id verò de ordinaria functione intelligi debet, ne videlicet sibi ius sumant docendi aut disputandi in Ecclesia. Non est ergo, vt hic aliquis Paulo obijciat Mariam sororem Mosis, Deboram, Annam prophetissam, & si quæ aliæ his similes inueniuntur. Quod enim istæ fecerunt, id singulari Dei consilio factum est, & suum vsum habuit peculiarem: & ideo nemo inde colligere debet, quibusuis idem licere, quas sua libido aut garrulitas ad dicendum excitat. Sed rationes audiamus, quibus Apostolus suam Propositionem probat. Mulieres in Ecclesia sileant.

Prima est, quòd mulieres in cœtu loqui nefas sit, eò quòd aliud iubeat Lex Dei, quæ præcipit vt subditæ sint. Argumentum est à repugnantibus, eiusmodi: Dei institutum est, vt mulier viro sit subdita: At docendi munus in Ecclesia species est præfecturæ, & eminentiam sibi coniunctam habet: Ergo ad illud mulieres non debent admitti. Absurdum enim foret, eam in totum Ecclesiæ corpus ius aliquod sibi sumere, quæ ne viro quidem proprio dominari aut imperare debet. Quòd si Legē requiris, de qua Paulus loquitur, extat ea in Genesi, vbi Deus Euæ, quæ viro transgressionis causa fuerat, dicit: Dolorem tuum & conceptum tuum multiplicabo, in dolore paries filios, & ad virum tuum erit respectus tuus, & ipse dominabitur tibi. Est autem obseruatu dignū, quòd ex subiectionis iure Apostolus colligit, mulieres silentiū docere. Eo enim admonemur, hanc demum veram esse subiectionem, si ne loquamur quidem aduersus eum, cui nos Deus subditos esse voluit. Talis est eius subiectionis conditio, qua nos sibi Deus subiecit. Ideo Dauid dicebat: Vtiq; ad Deum silens respicit anima mea. Item: Tibi ô Deus silentium, laus in Zion, &c. Et apud Isaiam contumaciæ detestabilis argumentum adducitur eorum audacia, qui ad Dei Verbum adeò non silebant, vt potius ipsi eius præconibus silentium mandarent. Quod ipsum qui hodie faciunt, ij satis apertè produnt, se Deo debitam obedientiam negare, & proinde in murmuratorum loco censeri debere, de quibus Cap. 10. huius Epistolæ diximus. Debet autem hoc non modò in præceptis aut mandatis Dei obseruari, ne aduersus illa disputare libeat, verumetiam in morbis, egestate, persecutionibus, exilio & omnibus alijs periculis, ne de illis ita conqueramur, vt Dei iustitia siue bonitas à nobis accusetur. Eadem est magistratuum & subditorum, parentum & liberorum, mariti & vxoris, herorum & seruorum conditio. Nec enim verè subditi esse dici possunt, quicunq; obloqui audent illis, quos ipsis Lex Dei præfecit. Probat ab instituto Dei. Gen. 3. Psal. 62. & 65. Isa. 30.

Altera ratio est: Nam turpe est mulieribus in cœtu loqui. Turpe dicitur, quod fit contra legem naturæ & morem receptum: Vtrumque in hac causa locum habet. Quia enim Deus mulieres Ab inhonesto.

subditas esse voluit (vt modò demonstratum est) certè contra Legem naturæ, quæ non alia quàm Dei Lex est, peccant, quotquot in publico dicendi potestatem sibi vendicant. Deinde constat ex historijs, γυναικοκρατίαν apud omnes ferè populos malè audiuisse. Hoc nomine apud Geographos

Mela. lib. 1. cap. 9.

Ægyptij taxantur, quòd mulieres eorum forum & negotia tractarent, viri pensa & domos curarent. Numa Rex sapientissimus, mulieres curiosas esse prohibuit, sobrietatem verò illis præcepit, & ne de necessarijs quoque rebus absente viro loquerentur. Quare cùm posteris temporibus mulier quædam propriam causam in foro dixisset, id portento simile visum est Patribus, & legati missi consultum Deos, quid ea res ciuitati portenderet. Heliogabali quoque imperium cùm multis alijs de causis, tum ob hanc etiam infame fuit, quòd matri permisisset mulierum Senatum instituere, quem per ludibrium Senatulum dixere. At si de serijs mulierem in publico loqui turpe est, quantò grauius reprehendi debent, quæ impudenter hinc inde discurrunt, in publico canunt, mimus agunt, ludunt, saltant, quæq; in conuiuijs inter viros garrulitate sua omnes obtundunt, & ne ab obscœnis quidem dicterijs siue narrationibus abstinent?

Contra Moniales.

Admonet autem nos hic quoq; locus, quid de Papatu & tota, quæ illic exercetur, religione iudices. Ibi enim mulieres in templis canunt, & quidem lingua peregrina, vt nimirum vno actu duo Apostoli præcepta violent. Abbatissæ item sub religionis prætextu ius dicunt, leges condunt, & in ijs quæ ad hoc seculum spectant, viris insolenter dominantur: adhæc Ecclesiarum præfecturas ad se rapiunt, & illarum curam pro suo arbitrio quibus volunt committunt: deniq; mulieribus permittitur, vt in ædibus priuatis baptismum administrent. Sed quid non faciant illic mulieres, vbi Scorto licuit per omnes dignitatis gradus in ipsam sedem Papalem vsq; ascendere? Et hæc cùm iam seculis aliquot facta sint, & adhuc fiant, adeò tamen pleriq; insaniunt, vt Romanam sedem errare posse negent. Quòd si verò mulieribus ecclesiastica negotia tractare nefas est, quid de viris iudicari debet, qui cùm Ecclesiæ antistites haberi velint, muliebria tractant & viris indigna faciunt? In horum numero sunt, qui plus quàm muliebriter in Ecclesia nugantur, cantillant, comuntur, & ceremonijs non minus ineptis quàm anilibus atque nolliculis religionem totam corrumpunt. Sunt hæc indigna ijs, qui publicum grauitatis exemplum omnibus præbere debebant, & præ alijs Legem Dei obseruare, quæ probibet, ne viri muliebri habitu sexum suum dedecorent. Vide Deuter. 22. cap.

Ioannes Octaua PP.

Cæterùm vt ad Pauli constitutionem redeamus, obijceret aliquis: Quid verò, si mulier aliqua non intelligat ea, quæ à ministris in publico cœtu dicuntur, aut de re aliqua graui & cognitu necessaria dubitet? Annon licebit tunc quæstiones mouere, quibus alij quoque instituantur? Ad ista Paulus per Præoccupationem respondet, dum rationibus, quas modò audiuimus, interserit: Quòd si quid discere volunt, domi suos viros interrogent. Non prohibet, quò minus interrogent de ijs, quæ nondum intelligunt. Est enim sexus ille infirmior, & non modò tentationibus pluribus obnoxius, verumetiam ad superstitiones proclinior. Ideò magistris opus habent, quibus cum familiarius conferre possint. Hos ergo illis destinat Paulus: non quidem Ecclesiarum ministros, vt hodie quidam faciunt, qui in omnium ædes penetrant, examina priuata mulierculaarum & puellarum instituunt (id enim alibi impostoribus proprium esse ait, à quibus sibi cauere debeant) sed proprios maritos: vt & illarum pudicitiæ atque honori consulat, & coniugum concordiam foueat, hos autem reddat attentiores in audiendis sacris concionibus. Licet quidem mulieri alios etiam viros graues & peritos rerum, si quæ occasio honesta sese offerat, interrogare, vel etiam interdum Ecclesiæ ministrum accedere, vt ab eo instituatur, vel consolationem accipiat. Sed neq; frequentius id fieri debet, neque inscijs maritis, aut saltem ijs, quibus aliquod in eas ius est atq; imperium. Habet quædam de hac re non indigna obseruatu D. Hieronymus in epistola ad Nepotianum, quem imprimis monet, ne absque arbitris secreta cum muliere quacunque colloquia habeat. Et exempla sunt, quæ docent, quantum mali dederit Confessio auricularis, sub cuius prætextu Sacrificuli & Monachi in mulierum & puellarum arcana penetrarunt, & sæpe cum pudicitia iactura eas dimiserunt abs se, quæ ob leuem aliquam culpam illos conuenerant. Inter nostros autem inueniuntur fœminæ opulentiores, quæ quorundam Ecclesiæ ministrorum amicitiam & familiaritatem eam potissimùm ob causam ambiunt atque colunt, vt eorum authoritate luxum atque fa-

Mulieres ex proprijs maritis discant.

1. Pet. 3.

2. Tim. 3.

stum

suum adversus alios ministros tueantur, qui in illo corripiendo liberiores siue acriores sunt. Nihilergo tam ministris quàm mulieribus tutius est hac Pauli regula, vt nimirum hæ conditionis suæ memores domi se contineant, de rebus cognitu necessarijs viros suos interrogent, & horum voluntati sese accommodent.

Admonet etiam locus iste, quales esse conueniat Christianorum hominum familias. Ecclesiæ & scholæ sint (vt ita dicam) particulares, quibus (vt alibi Paulus admonet) materfamilias suos liberos, socrus, nurum, anus, fœminas, iuuenculas, maritus vxorem & totam reliquam familiam instituat inque officio contineat. Talem olim Abrahami domum fuisse, Deus ipse testatur. Et huc pertinent, quæ passim in Scripturis de liberorum institutione in Lege Dei & Sacrorum vsu habentur. Asaph certè carmine diuino vetera Dei beneficia & iudiciorum eius exempla complexurus, præfatur se hoc ex Dei mandato facere, vt posteri omnes inde virtutis & pietatis documentum petant. Constituit (inquit) Dominus contestatione in Iacob, & legem tulit in Israële, qua præcepit patribus nostris, vt ea nota facerent filijs suis: vt cognoscat ætas postera, filij scilicet qui nati sunt, cùm adoleuerint, narrent eadem filijs suis: ideoque fiduciam suam in Deo ponant, nec obliuiscantur operum Dei, & mandata eius obseruent. Istud vbi obseruatur, ibi in pietate proficitur: quia singuli salis illius euangelici loco sunt alijs, dum pijs admonitionibus eos condiunt, ne in vitijs & erroribus computrescant. At quæ nostri seculi infelicitas est, hodie sal omnis infatuatus est, & ideo collapsa iacet eorum authoritas, qui alios ad pietatem erudire debebant: regnat autem apud omnes ordines petulantia, & in peius plerique proficiunt.

Domus Christianorũ scholæ sint. Tit. 2. Deut. 6. Exod. 13. Psal. 78. Matth. 5. Mar. 9.

Sequitur postrema capitis huius pars, qua totam tractationem de cœtibus sacris absoluit. Eam verò Corinthiorum ingenio atque moribus prudenter accommodat. Erant enim illi ambitiosi nimis atque arrogantes, & indignum putabant, se Apostolorum legibus siue statutis subijci, adeoque sibi licere vt suam Ecclesiam, nulla aliarum ratione habita, pro suo arbitrio regerent. Ergo doctrinæ suæ authoritatem magna cum grauitate astruit, & ab increpatione exorsus ait: An à vobis sermo Dei profectus est? an ad vos solos deuenit? Id est, an à vobis cœpit verbum Dei, adeò vt nullum prius in mundo fuerit? Num hoc ipsum in vobis desijt, vt ad nullos præterea cursum suum extenderit? Num vos soli Christiani estis? aut num in vobis Christianismus totus deficiet? Annon aliæ etiam sunt Ecclesiæ, quæ vobis priores ad Christum conuersæ sunt, & hodie adhuc celebres in fide excellunt? Quæ ergo hæc vestra arrogantia est, qua illas omnes contemnitis, & quasi soli sapiatis, contra aliorum morem, quiduis cuiuis permittitis?

Ambitionem Corinthiorum corripit.

Est autem hæc generalis doctrina, ne aliarum Ecclesiarum iudicia & exempla temere condemnamus. Scimus equidem, libertatem aliquam concessam esse in externis ritibus, pro cuiusque gentis & loci ratione. At illius vsus finis præcipuus est, vt superstitio caueatur, ne quis Dei cultum externis hisce alligatum esse putet, non autem, vt vnusquisque pro suo arbitrio omnia faciat cum superbo & fastidioso aliorum omnium contemptu. Si enim, vt Paulus in epistola ad Romanos monuit, singuli se mutuò προσλαμβάνειν, id est, amicè sibi adiungere debent, quantò magis totas Ecclesias obseruare debemus, ne vel insolentius contemnantur, vel scandalum aliquod ex nobis accipiant? Aut quis tolerabilem putet esse eorum insolentiam, qui sibijpsis in omnes Ecclesias ius sumunt, & eas sibi seruiliter subiectas esse volunt? Quod ergo in præsenti Paulus Corinthijs dicit, hoc ipsum hodie meliori iure Romanensibus dici poterat, qui suis legibus omnes subijci volunt, & de necessitate salutis esse dicunt, vt omnes animæ Romano Pontifici subijciantur. Sed & in eos ista conueniunt, qui quosuis in sui magistri verba iurare cogunt, quasi nefas sit ab ijs vel latum vnguem discedere, quæ ille semel effutiuit. Nec minus illorum quoque ambitio hîc urgitur, qui omnes Ecclesias ad sua œconomiæ siue disciplinæ formam reducere conantur, & disciplinam illic nullam haberi clamant, vbi non omnia ipsorum traditionibus siue statutis respondent. Sed ijdem dignas suæ arrogantiæ pœnas exoluunt, quando qui ab illis veniunt ad exteros, petulantia quosuis alios superant, nec aliquid domo secum adferunt, quàm immanem & intolerabilem optimorum quorumque contemptum, neque vllis aliorum admonitionibus sese coerceri

Nemo Ecclesiarum aliarum exempla contemnat. Rom. 14.

sinunt. Poteſt idem illis etiam dici, qui in libera Repub. nobilitatem ſuam morum petulantiâ oſtentant, & vt ſe à vulgo hominum differre demonſtrent, leges omnes procul abs ſe reijciunt. Quis enim illis non dicat: Soli ne ciues eſtis? ſoli ne in hac vrbe nati eſtis? an ad vos ſolos iura & priuilegia publica pertinent? Vos ne ſoli ciuitatem conſtituitis? ſoli ne eam ſeruatis atque defenditis?

Spiritus oſtentatores perſtringit.

Cæterùm obijciebant Corinthij: Verumtamen ſpirituales ſumus, & tu ipſe dixiſti, ſpiritualem omnia dijudicare, ipſum autem à nemine iudicari? Id verò in ipſos retorquet Apoſtolus, dicens: Si quis videtur Propheta eſſe, aut Spiritualis, id eſt, ſi quis ſe eò vſque profeciſſe arbitratur, vt reuera Propheta aut Spiritualis dici poſſit, is agnoſcat quæ ſcribo vobis, quòd Domini mandata ſunt, id eſt, eo ipſo ſe talem eſſe probet, quòd Domini mandata agnoſcit, & iiſdẽ obtemperat. Quia enim ſingulæ oues vocem paſtoris ſui, IESV CHRISTI, agnoſcere debent, multò magis hoc eos decet, qui præ alijs excellere volunt, dum ſibi in Eccleſia Prophetarum & Spiritualium ius omne vendicant. Ita verò ſuperbos illos oſtentatores perſtringit, quibus nihil in Eccleſia nocentius eſt & exitialius. Et addit: Qui verò ignarus eſt, ignarus eſto. Quaſi dicat: Si quis non vult agnoſcere mandata Domini, age maneat ille qui eſt: ego nolim cum eo præterea contendere, cùm Eccleſiæ illam conſuetudinem non habeant.

Dei authoritate vrgendi ſunt ſuperbi.

Eſt hîc multa obſeruatione dignum, quòd Dei authoritatem ſciolis iſtis arrogantibus obijcit, & huic vni inſiſtens eos fortiter vrget, vt Dei mandata agnoſcant. Dei autem mandata dicit ea, quæ ex Scripturis & recepto paſſim Eccleſiarum more produxit, quæque videbat ad Eccleſiæ ædificationem atque conſeruationem facere. Licuit hoc illi, quia Chriſti Apoſtolus erat, & præſenti Spiritus ſancti virtute ducebatur. Eius autem exemplo admonemur, Dei authoritate pugnandum eſſe aduerſus omnes, qui ſe doctrinæ ſaniori opponunt. Qui enim illam contemnunt, eos certum eſt, nõ eſſe Dei Spiritu præditos. Qui ex Deo eſt, audit Dei verba. Poſſumus ergo iis hodie ſpiritualibus illis in Papiſtica Eccleſia dicere: Si ſpirituales verè eſtis, cur non agnoſcitis ea, quæ olim Prophetæ & Apoſtoli ex Spiritus reuelatione tradiderunt? Cur doctrinam illorum de vno ſolo Deo inuocando, de vno Mediatore Chriſto, de mortis eius merito, de fidei iuſtificatione & ſimilibus articulis, falſi & hæreſeos accuſatis? Quòd ſi illi reluctari pergant, & ignorantiam ſuam arrogantius tueantur, ſuæ illos contumaciæ relinquamus, ſecundùm illud Chriſti: Sinite eos, nam ſunt duces cæci cæcorum. Quid enim porrò ijs facias, quos æternæ veritatis verbum non mouet? Nec eſt, quòd illorum iudicia pij doctores multùm morentur. Paulus pro minimo ducebat, vt iudicaretur ab humano die. Et in poſteriori epiſtola proteruis illis Euangelicæ doctrinæ contemptoribus dicet: Num experimentum quæritis loquentis in me Chriſti? Eadem ratione cum illis etiam agi debet, qui Scripturæ ſacræ authoritatem in dubium vocant, & ipſa fidei atq; religionis principia negant. Philoſophorum axioma eſt, Contra eum non diſputandum eſſe, qui principia negauerit. Nimiùm ergo ſtultus fuerit, qui cum eo contendere velit, qui à Deo ipſo tradita ſalutis fundamenta conuellere audet.

1. Cor. 4.
2. Cor. 13.

Linguas non damnat, ſed prophetiæ ſeruire iubet.

Porrò concludit locum Paulus de vſu donorum ſpiritualium, & ſummam eorum repetit, quæ de prophetia & linguis dixerat: Itaque fratres, hoc ambite, vt prophetetis, & loqui linguis ne prohibete. Fratres dicit, vt increpationem, qua modò vſus erat, mitiget: & ſuo exemplo docet, ſic obiurgari debere eos qui errant, ne interea fraternitatis illius obliuiſcamur, cuius vinculo nos omnes Chriſtus conſtrinxit. Rurſus autem præ omnibus donis ſpiritualibus & exercitijs eccleſiaſticis prophetiam commendat: nimirum, quòd hæc imprimis facit ad Eccleſiæ ædificationem, cui omnia alia ſeruire debent. Cæterùm ne qui imperitiores & elegantioris eruditionis hoſtes hinc occaſione arrepta, linguas prorſus abijcerent, diligenter monet, harum quoque vſum nequaquam prohiberi debere. Nam vt alibi diximus, donum Dei erant ſingulare, quo Euangelij prædicatio vehementer adiuuabatur. At hodie eius longè alia eſt ratio, neq; eius aliquis vſus eſſe poteſt in publicis Eccleſiæ cœtibus: itaque paralogizant papiſtici doctores, quando ex hoc loco colligunt, non debere aliquem prohiberi, quò minus Latinè canat in templis, aut Latino ſermone in Miſſa ſiue in baptiſmi adminiſtratione vtatur. Sed de his abundè ſatis iam ante dictum eſt. Hoc tamen obſeruabis, corrigi quidem à Paulo abuſum linguarum, eaſdem verò nequaquam prorſus aboleri aut reijci.

reijci. Tenenda hæc regula in omnibus, quæ per se bona & licita sunt: vt nimirum abusus tollatur, si quis obrepsit, illa autem seruentur proq; Dei donis agnoscantur: Peccant in eo multi, qui bonas & sanctas Dei constitutiones temere damnant, quando aliquos illis abuti vident. Ita coniugium olim damnarunt aliqui, quos hodie Pontifices sequuntur. Sic eruditionem omnem & scholas abijciunt barbari quidam, quos multorum arrogantia & Sophisticè offendit. Multi quoque Magistratum è medio tolli debere clamant, quòd illius potestas sæpe in tyrannidē degeneret. At id non est errores & abusus corrigere, sed Dei ordinationes euertere, quod absq; scelere fieri nō potest. Singula igitur ad primam institutionē reuocari debent, & ita vtilitatē magnam adferent.

Restat vniuersalis conclusio, quæ ad omnia pertinet, quæ hucusq; ab initio cap. vndecimi de sacris cœtibus dicta sunt: Omnia decenter & ordine fiant. Duo requirit. Primum est, Decorum. Id à philosophis sic definiri Cicero scribit, vt decorum esse velint, quod ita naturæ consentaneum sit, vt in eo moderatio & temperantia appareat cum specie quadā liberali. Porrò decorum, de quo hic agitur, multi in externo templorum apparatu, altarium ornatu, theatrico ministrorum vestitu, luminaribus, imaginum cultu, & similibus alijs constituunt. At non possunt ista propriè sic dici, quia cultui diuino minimè consentanea sunt, quem Christus in Spiritu & veritate, non in externis eiusmodi rebus consistere docet. Itaq; hoc potius præcipit Apostolus, vt omnia fiant pro ratione personarum atq; rerum præsentium. Huc ergo pertinebat, vt viri aperto capite, mulieres autem velato orent, ne quid cum superstitiosis gentium moribus commune habere videantur: vt Cœna Domini publica sit totius Ecclesiæ, non priuata vnius siue alterius: vt in eadem sobrietati omnes studeant, neúe aliqui propter tenuiorem suam conditionem negligantur: vt item qui donis instructi sunt pluribus & excellentioribus, non contemnant se inferiores, hi verò vicißim illis non inuideant, neq; impudentius oblatrent. Et hodie Christianū hominem decet, videre quid agat, & quibus cum agat. In cœtu res sacræ tractantur, auditur verbū Dei, administrantur Sacramenta, fiunt preces publicæ: Ergo non veniendum illuc habitu scurrili, non garriendum in templis, non ludendum, nec quicquam admittendum, quod cum sacris illis exercitijs minus conueniat. Similiter Sabbatum Deus sibi sacrum esse voluit: Ergo nihil eo tempore fieri debet à Dei voluntate & cultu alienum. Ecclesiarum ministros salem terræ & lucem mundi esse Christus ait: Decet ergo hos moderata & circumspecta dicendi libertas, morum grauitas, rerum peritia & singularis fidei virtus atq; constantia. Magistratus Deorum instar fecit Dominus, & eosdem Deorum nomine dignatus est: Horum ergo fuerit, Dei iudicia enuntiare, huius beneficentiam imitari, & dignitatem suam sancta seueritate, sapientia, consilio tueri. Christiani deniq; singuli domi forisq; professionis suæ memores, omnibus quæ ipsis debentur officia fideliter præstent. Hæc omnia vno decori vocabulo Paulus comprehendit.

Omnia decenter & ordine fiant.

Alterum est, Ordo. Nec enim satis est, vt fiat quod fieri debet, sed vt ordine certo & legitimo fiat necesse est. Exempla sunt in quotidiano rerum vsu, quibus hoc probetur. Nunquam opus susceptum feliciter perficiet opifex, nisi ordine recto progrediatur. In agricultura aratio sementem præcedat necesse est, alioqui labor & impensa omnis perierit. In rerum natura nisi ordinarij siderum motus & temporum vices sibi inuicem succedant, mox tota mundi machina dissoluetur. In Repub. item ordine & officiorum distinctione opus esse, nemo non videt. Similiter in re domestica, nisi ordo seruetur, mox omnia turbabuntur, & confusio exitialis sequetur. Idem vt in Ecclesia obseruetur, admodum necesse est. Itaque vt à minimis initium fiat, infantes statim Christo adducuntor, & in Ecclesiæ societatem adoptantor: inde vbi ætate aliquò vsq; progreßi sunt, in Catechesi instituuntor, & ad cœtus sacros assuefiant. In his loca siue sedilia sint distincta virorum atq; mulierum: suum quoq; locum ordinarium doctores habeant, ex quo ab Ecclesia tota conspici & audiri poßint. In docendo item ordo seruetur, quoad scripturarū interpretationem, ne per illas temere vagentur ministri, & frustillatim modò hunc modò illum locum decerpant, quasi alia nequicquam à Spiritu sancto sint tradita. Præcedant preces ad Deum, & ijsdem conciones sacræ claudantor. In Sacramentorum administratione ordo, quem Christus tradidit, obseruetur. Nisi enim id fiat, partim superstitione, partim tumultuaria & exitiali confusione peccabitur. Vt ergo ipsi quoq; locum hunc concludamus, meminerint Christiani homines, cœtus sacros insigne &

Ordini studendum.

præclarum esse Dei beneficium: ideo de illis rectè cogendis & seruandis serio cogitent: orent autem indesinenter Deum, vt hisce turbulentissimis temporibus Ecclesias vbique gentium seruet, & hanc pacem concedat, vt pijs tutò conuenire liceat ad prædicandum nomen filij sui IESV CHRISTI, quem ille nobis redemptorem dedit, vt in ipso coalescamus, & huius vitæ curriculum emensi cum eodem viuamus in cælis: Ipsi debetur benedictio, bonor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT XV.

HOMILIA LXXVII.

DEclaro autem vobis, fratres, Euangelium quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo etiam statis, per quod etiam, siquidem retinetis quo sermone vobis euangelizauerim, seruamini, nisi si frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam: quòd nimirum Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm scripturas: & quòd sepultus est, & excitatus tertio die, secundùm scripturas.

Argumentum huius cap.



CONTINETVR hoc capite quinta huius epistolæ pars, qua de mortuorum Resurrectione Paulus disserit, et eam multis validissimisq; demonstrationibus confirmat. Occasionem illi de hac dicendi dederunt, qui eam inter Corinthios vel apertè negabant, vel saltem in dubium vocabant. Poterat autem mirum videri, inter eos, qui Christi nomen profitebantur, inueniri potuisse, qui præcipuum fidei & religionis Christianæ articulum non reciperent. Sed meminisse oportet, Ecclesias penè omnes tunc temporis ex Iudæis & gentibus fuisse collectas. Inter gentes autem summam doctrinæ existimationem sustinebant philosophi, quorum pleriq; de animarum immortalitate & toto defunctorum statu dubiè loquebantur, nulli autem corporum resurrectionem credebant. Argumentum eius rei euidens est, quòd cùm Paulus Athenis, in schola totius orbis celeberrima, concionem haberet, & in mentionem resurrectionis ex mortuis incidisset, à plerisque cum risu & ludibrio exceptus est. Apud Iudæos autem rerum tunc potiebantur Sadducæi, quibus corpora resuscitari adeò absurdum videbatur, vt animarum quoque immortalitatem, & cum hac spiritus simul omnes tam bonos quàm malos negarent. Facile ergo fuit hunc errorem illis aspergere, qui iampridem à simplici doctrina Euangelij recesserant, & circa inanes atque curiosas humanæ sapientiæ speculationes occupabantur. Est igitur hoc Corinthiorum exemplum perquàm memorabile, quo docemur, quàm periculosum sit à verbi Dei doctrina vel modicum deflectere. Quia enim illo vno continetur rectè credendi atque viuendi regula, fieri non potest, qui nin auia & horribiles tenebras adducantur, quicunque illo relicto, suis ratiocinacionibus indulgent. Et solet ita Deus verbi sui contemptum vlcisci: cuius iusto iudicio factum est, vt in præcipuo fidei & salutis communis articulo errarint Corinthij, qui præ alijs Ecclesijs sapere voluerunt, cum simplex Euangelij doctrina ipsis sorderet.

Actor. 17.

Distributio.

Quia autem circa hunc articulum tota religio periclitatur, Paulus tanti erroris principijs grauiter & magno studio occurrit. Et primò quidem ipsius IESV CHRISTI Resurrectionem multis testimonijs asserit. Deinde ex ea firmiter colligit, nostra quoq; corpora resurrectura esse, & illic aduersariorum obiectiones confutat, quibus hi illam in dubium vocare audent. Præterea modum & ordinem futuræ Resurrectionis exponit. Postremò doctrinam hanc concludit cum graui exhortatione, qua omnes ad fidei constantiam excitat.

Nouitatis suspicionem amolitur.

Orditur à transitione, & quia in dogmatibus fidei atq; religionis nouitas quàm maximè exosa est, initiò statim docet, se nihil nouum afferre, ipsos autem à cœpto fidei cursu deflexisse, quod inconstantiæ seu leuitatis culpa non careat. Declaro autem vobis, fratres, Euangeliũ quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, &c. In Græco contextu verbum γνωρίζω ponitur, nõ quidem in

propria

propria significatione, quasi rem prius inauditam & ipsis incognitam prædicet, sed pro eo quod est in mentem reuocare (qui sensus Chrysostomo placuit) vel pro eo quod aliâs declarare & prolixius siue apertius explicare significat. Itaq; sensus verborum est: Audiuistis & didicistis iampridem quæcunq; cognitu necessaria sunt: quia verò non retinuistis, noua & diligentiori explicatione opus est. Disertè autem ad Euangelium eos remittit, vt non aliam doctrinam se iam proponere velle ostendat, quàm quæ iam ante ab ipso prædicata & ab illis recepta sit. Et habent singula verba Emphasim. Nam declaro (inquit) vobis Euangelium, cuius nimirum prædicationi nos Apostolos Christus destinauit. Et quod nam Euangelium? Primò, quod ego vobis euangelizaui. Deinde, quod vos accepistis, id est, quod vt verum probauistis, & cui credidistis. Tertiò, in quo statis, id est, cuius doctrinam & fidem adhuc profitemini. Nam si propriè loqui voluisset, non equidem stare in Euangelio Corinthij dici poterant, cùm & in Resurrectionis articulo, & multis alijs ab eius simplicitate & veritate deflexissent. Quibus quarto loco addit: Per quod etiam seruamini, siquidem retinuistis quo sermone vobis Euangelizauerim, & non frustra siue inutiliter credidistis. Ita verò paucis verbis tria agit. Primum, ignorantiæ prætextum adimit. Secundò inconstantiam & leuitatem eorum perstringit, qui tam citò se abduci passi sint ab ea doctrina, quam receperint, quam adhuc profiteatur. Postremò, de periculo eos admonet, nimirum, quòd salus ipsis non possit constare, ideoq; fides atq; professio eorum prorsus inutilis futura sit, nisi articulum hunc de mortuorum Resurrectione constanter teneant. Itaq; verborum istorum sensus est: Cùm ego vobis Euangelium plenè & perfectè prædicauerim, non aliqua vobis est ignorantiæ excusatio: cùm autem vos doctrinam illam amplexi fueritis, quæ illa leuitas est, vt eandem modò negetis? Deniq; cùm illa sola vitæ æternæ rationem tradat, cur eam reijciendo spontaneum vobis ipsis exitium accersitis?

Est autem obseruatu dignissimum, quòd in re maximi momenti, non noua figmenta profert, neq; ad hominum quorumcunq; decreta, sed ad simplicem Euangelij doctrinam eos remittit, & quæ prius ipsis tradiderat repetit. Idem supra fecit in Cœnæ negotio, quam illi turpissimè prophanauerant. Nam cùm illorum audaciam acriter corripuisset, tandem infert: Ego quòd à Domino accepi, vobis tradidi. Et mox primam Cœnæ institutionem exponit, & vt huius formulam à Christo traditam seruent, præcipit. Sic Christum fecisse legimus, quando quæstionem de libello repudij siue de diuortijs aliqui mouerunt, vt calumniandi occasionem inuenirent. Debet ergo hoc ipsum in omnibus alijs obseruari, quæ ad fidei & religionis causam pertinent, & de quibus certa Dei præcepta siue statuta habentur. Etenim Euangelij doctrinam certam & perfectam esse constat, cùm eam Dei Filius à Patre acceptam fidelissimè nobis tradiderit. Eius enim verba sunt: Doctrina mea, non est mea, sed Patris qui misit me. Quo dicto eam ab hominum traditionibus ita discernit, vt ne seipsum quidem, quatenus homo est, eius authorem faciat. Et idem in vltima Cœna discipulis ait: Omnia, quæ audiui ex Patre meo, nota feci vobis: adhæc Spiritum suum illis submisit, qui ab ipso tradita fidelissimè suggessit, vt nihil eorum exciderit. Quibus adde, quod Paulus Scripturam θεόπνευστον esse ait, id est, diuinitus inspiratam, & vtilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. Itaque nulla poterit incidere controuersia, quæ non facilè dirimi possit ex Dei verbo, quod in Scripturis reuelatur. Poterat hoc exemplis plurimis illustrari, si ex ordine omnes articulos excutere vellemus, qui hodie sunt in controuersia. Sed quia id nimis prolixum foret, hoc in præsenti monuisse sufficiat, hanc ad veritatis cognitionem viam esse compendiosissimam tutissimamq;, si Dei verbum Ecclesiæ ministri sedulò inculcent & illud vnum prædicent, id verò auditores patienter ferant, & eius dictatis sese per fidei obedientiam subijciant. Neq; hîc aliqua doctorum diligentia debet nimia censeri: quando ea est ingenij humani prauitas atq; tarditas, vt vix quicquam sufficere possit ad reprimendam curiositatem eius, cui plerunq; affectus quoq; pessimi concurrunt, quæ ipsam quoq; mentem transuersum abripiunt. Non pigeat ergo doctores crebrò repetere ea, quæ cognitu & obseruatu imprimis necessaria sunt. Obseruauit hoc Paulus cùm alibi, tum quando Philippensibus dicebat: Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. Et cur eadem semper proferre & inculcare

Ad Euangeliū reuocandi errantes.

Matth. 19.

Ioan. 7.

Ioan. 15. & 14.

2. Tim. 3.

nos pudeat, quando idem Prophetæ & Apostoli factitarunt, & Paulus anathema eum esse dicat, qui præter ea euangelizare audet, quæ Apostoli nobis tradiderunt. Solet illis, qui illud faciunt, accidere, vt circa suæ rationis aut aliorum hominum commenta occupati, non attendant ijs, quæ magis necessaria sunt.

In Euangelio salus habetur.

Actor. 11. et 16.

Debet etiam obseruari, quod Paulus de Euangelio abs se prædicato loquens ait: in quo seruamini. Conuenit hoc cum verbis Angeli, qui Cornelio Centurioni præcipiens, vt Petrum Ioppa ad se accerseret, mox adiecit: Is tibi dicturus est per quæ serueris & tu & tota domus tua. Et ipsi Paulo Angelus ille Macedonum nomine in somnis apparens, dicebat: Veni, & succurre nobis. Rectè igitur hac locutione in præsenti vtitur, cùm ad Romanos scribens dixisset, Euangelium potentiam Dei esse ad salutem omni credenti. Debent ergo locutiones de Euangelio intelligi, quatenus IESVM CHRISTVM prædicat, qui cùm vita & salus sit, omnes eos viuificat & seruat, qui ipsum fide vera apprehendunt. Vnde simul colligimus, nullum aliud esse doctrinæ genus, in quo salus inueniri possit, præter Euangelium, per quod ipse Christus nobiscum loquitur, & nobis seipsum atque salutem offert. Quo nomine Petrus illi dicebat: Domine, quo ibimus? tu verba vitæ æternæ habes.

Vt salus homini obtingat?

Rom. 10.

At hîc non oscitanter attendere oportet, quid fieri oporteat, vt salutem illam assequamur? Paulus se prædicauisse, Corinthios autem Euangelium accepisse, & in illo stare scribit, seruari autem, siquidem retineant quo sermone ipsis prædicauerit. Primò igitur prædicatione opus est. Quomodo enim credent ei, de quo nihil audierint? quomodo autem audient absq; prædicante? Deinde prædicationi credere, & Christum, qui prædicatur, cum fide amplecti oportet. Fidei autem confessio accedere debet, ne ex eorum numero simus, quos sui seruatoris pudet. Sunt hi eorum similes, qui cum ab alijs beneficia crebra accipiant, & ipsis omnino opus habeant, tales tamen videri nolunt, & studiosè cauent, ne quid accepisse videantur. Sunt hi hominum ingratissimi, & indigni quibus benefiat. At quantò detestabilior eorum ingratitudo est, quos æterni Filij Dei pudet, qui se totum pro ipsis tradidit? Ideo Apostolus in loco paulò ante citato fidei confessionem coniungens scribit: Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus: Nempe, quòd si confessus fueris ore tuo Dominum IESVM, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit ex mortuis, seruaberis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nemo tamen professionem externam sufficere putet, sed vt in ea constantes simus, videndum est. Sunt enim qui verbum audiunt, & animo semen illud aliquo modo concipiunt, sed non retinent, neq; fructum ex eo aliquem ferunt, quia (vt in sementis parabola Dominus admonet) vel in viam, vel in spinas, vel in loca petricosa excipiunt: dum videlicet corda adferunt vel patentia quibusuis diaboli & carnis suggestionibus, vel curis huius seculi prorsus obsita, vel dura nimis, aut etiam præcocia, quæ semen illud radices agere non patiuntur. Ideo in præsenti Paulus Corinthios per Euangelium seruari dicit, siquidem illud retineant, & non frustra crediderint. Itaq; animo honesto opus est, quod discendi cupiditate sancta ardeat, semen verbi conceptum seruet, & fructum suum ferat per patientiam. Si enim Corinthijs non profuit, quòd Euangelium Christi profitebantur, & in eo videbantur stare, certè nobis quoq; inutilis erit professio externa, nisi in fide constantes simus, nosq; in Euangelio stare re ipsa demonstremus. Non igitur frustra ab Apostolo dictum esse putabimus: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis. Et à Christo: Qui perseuerauerit in finem, saluus erit: At qui postquam manum aratro admouit, respexerit à tergo, non est idoneus ad Regnum Dei. Matt. 24. Luc. 9.

Luc. 8.

Summa Euangelij.

Galat. 1. & 2.

Cæterùm, quia in Euangelij mentionem semel incidit Paulus, mox summam quoq; eius repetit, vt ea occasione ad præsentis argumenti seu causæ tractationem accedat. Tradidi enim vobis (inquit) in primis quod & acceperam: quòd nimirum Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm scripturas: & quòd sepultus est, & excitatus tertio die, secundùm scripturas. Quo loco rursus ante omnia obseruari debet, quòd non aliud se Corinthijs tradidisse scribit, quàm quod acceperit à Domino, nimirū, quem vnicum sui Euangelij authorē & magistrum fuisse, in epistola ad Gal. multis demonstrat. Ita verò decet verbi administros. Quia enim hos suæ domus dispensatores Deus constituit, nihil huius familiæ depromere debent, quàm quod ex illius penu petitū sit. Et cur aliena obtrudat, cui herus tam diues tamq; liberalis obtigit, qui suis nihil deesse patitur, & suum

& suum potius Filium pro illis tradere voluit, quàm eos esurientes & egenos relinquere? Adde quòd quæcunque aliunde petuntur, reuera non cibus sunt (vt Isaias ait) neque animas saturare possunt: imò plerunq; veneni & toxici instar sunt, quo infelices miserè contabescunt. Ideo Prophetæ olim iussi sunt ex ore Dei Verbum petere: & Apostolos certo mandato Dominus astringebat, vt ea suos auditores seruare docerent, quæ ipse eis tradidisset. Frustra ergo nobis hodie quidam traditiones Patrum aut Ecclesiæ obtrudere conantur. Cur enim patres agnosceremus alios, quàm Apostolos, qui mundum hunc totum (vt sup. Paulus de Corinthijs dicebat) in Christo per Euangelium genuerunt? Nimiùm verò impudentes sunt, qui suis aut aliorum figmentis nomen Ecclesiæ prætexere audent. Quia enim Ecclesia ex Dei Verbo nascitur, & IESV CHRISTI sponsa est, ipsa Leges ab hoc accipere, non autem ex suo cerebro nouas conscribere solet, quas suis obtrudat. Nam probè nouit sibi iam olim dictum esse: Audi filia, & vide, inclina aurem tuam: obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Neque etiam ignorare potest illud, quod ex Isaia Christus repetijt: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Quapropter nemo eorum nugas audire debet, qui sua figmenta proferunt: neque sibijpsi aliquis sub ignorantiæ aut simplicitatis Christianæ prætextu delitias faciat. Nam etsi nos simplices esse velit Dominus, id tamen ad morum ingenuitatem & animos doli expertes restringi debet: in doctrinis autem dijudicandis nos solertes & prouidos esse conuenit, ne impostorum commentis nos seduci patiamur. Sed plura de hac re alibi dicta sunt.

Isa. 55. Ezech. 3. Ierem. 1. Matth. 28. 1. Cor. 4. Psalm. 45.

Nunc quæ illa Euangelicæ doctrinæ summa sit, videamus, quam Corinthijs Paulus tradidit. Comprehenditur ea duobus Capitibus. Primum est, quòd Christus mortuus sit secundum scripturas. Christi voce promissum humani generis seruatorem denotari, sæpe iam diximus: & ad hoc significatum in præsenti etiam Apostolus respicit. Itaque hic verborum istorum sensus est: Docui Messiam illum siue Christum, quem patribus olim Deus promisit, debuisse mori pro hominum peccatis, idq; præstitum esse in hoc IESV, qui ex Maria Virgine hominem assumpsit, & quem nos prædicamus: & hunc non fortuito, aut hostium vi oppressum mortem obijsse, sed secundùm scripturas, quibus æternum Dei cõsilium de humani generis redemptione exponitur, &c. Id verò luculenter & perspicuè doceri imprimis opus erat. Nam IESVM mortuum esse, nemo negabat: imò hoc illud erat, quo Iudæi quàm maximè offendebantur, & propter quod Euangelij prædicatio Græcis stultitia erat, vt primo Cap. audiuimus. De eo autem contendebatur, an Messiam illum mori oportuerit ex æterno Dei consilio, & an Christus infamis & diræ mortis merito peccata mundi expiarit. Id verò Iudæi pertinacissimè negabant, & prophetijs perperam intellectis ad sui erroris confirmationem abutebantur: quales nimirum sunt, quæ de Messia & Regni eius perpetuitate habentur. In Psalmis enim scribitur: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Item: Semel per sanctitatẽ meam iuraui, nequaquam Dauidem fefellero: Semen eius in æternum erit, solium eius coram me vt Sol perstabit: firmum vt Luna manebit, quæ est certus in æthere testis, &c. Cuius generis multa adduci poterant, quæ omnia cùm Iudæi secundùm literam de regno terreno exponerent, nihil absurdius fingi posse ipsis videbatur, quàm si quis IESVM hunc Messiam esse diceret, quem nõ solùm regno caruisse, sed medium inter latrones infamem in ara crucis mortem perpessum fuisse omnibus constabat. Ideo ipse Dominus quoties de sua morte apud discipulos disseruit, semper ferè scripturarum meminit, in quibus illa sit prædicta. Et huc imprimis pertinent prolixæ illæ demonstrationes, quas à mortuis resuscitatus proposuit, quarum summam tandem comprehendit his verbis: Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum, &c. Rectè ergo magistri sui exemplum Apostoli imitati sunt, quando ipsi quoque, vt crucis scandalum remouerent, Christum ex æterno Patris decreto, quod in Scripturis reuelatum est, mortuum esse demonstrauerunt. Loci, quibus hoc probetur, passim occurrunt, & imprimis memorabiles atque perspicui sunt, qui extant, Isaiæ 53. Psalm. 22. Danielis 9. Zacha. 3. & 13. vt iam de typis nihil dicam, qui in Isaaci immolatione, in æneo serpente, agno paschali & omnibus alijs sacrificijs habentur. At quia de his alibi dictum est, ista iam prolixius exponere superuacaneum foret.

Christus mortuus secundum Scripturas.

Psal. 89. 110.

Luc. 24.

p 4

Christus resurrexit secundũ Scripturas.

Alterum prædicationis euangelicæ caput est, quòd sepultus sit Christus, & idem tertio die resurrexerit secundùm Scripturas. Sepulturæ mentionem facit, quia vt hæc illum verè mortuum esse probat, ita resurrectionis gloriam & quæ in hac eluxit diuinam Christi virtutem vehementer illustrat. Oportuit autem Christum, qui pro peccatis nostris victima factus fuerat in ara crucis, à mortuis resurgere, vt mortem deuinceret, & redemptionem nostram compleret: de quo infra suo loco plura dicentur. Et hæc causa est, quòd illius mors & resurrectio semper coniunguntur, eò quòd neque hæc neque illa nobis seruandis sola sufficeret. Rursus verò Scripturarum meminit, quæ illum resurrecturum esse olim prædixerint. Locos alibi annotauimus, & quia sacras literas legentibus nunquam non occurrunt, illos hîc repetere nequaquam opus est. Nunc teneamus, duobus hisce capitibus non modò Euangelium totum, verumetiam summam redemptionis & salutis nostræ contineri. Quia ergo Christus pro peccatis nostris mortuus est, nos omnes peccatores esse fateamur oportet. Nam qui id negare velit, is Christum quoque pro se mortuum esse neget necesse est. Id verò peccati atrocitatem arguit, quæ non potest non maxima & admodum detestabilis esse, quando non aliter quàm morte Filij Dei expiari potuit. Quod vt blanditias peccati & carnis procul repellit, nosq; ne illis locum demus monet: ita omnes alias satisfactiones & omnia merita confutat, quibus homines superstitiosi se seruari posse sibi persuadent. Et sanè stultißimi & mortalium infelicißimi sunt, qui vt plus sapiant quàm Apostoli, quos Deus totius orbis doctores constituit, non contenti doctrina hac simplici & syncera, eam nouis quotidie commentis adulterant. Nos ergo, ne idem nobis quod Corinthijs accidat, stemus in agnita Veritate, & salutis fiduciam collocemus in solius IESV CHRISTI merito, qui pro peccatis nostris secundùm Scripturas mortuus est, & tertio die ex mortuis resuscitatus totam humani generis redemptionem plenißimè absoluit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXVIII.

Et quòd visus sit Cephæ, deinde duodecim illis: Postea visus est amplius quàm quingentis fratribus semel: ex quibus plerique manent vsque adhuc, quidam autem obdormierunt. Postea visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: Vltimò autem omnium veluti abortiuo, visus est etiam mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quod persecutus sim Ecclesiam Dei: Sed gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius erga me non fuit inanis, sed amplius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est. Et ego igitur & illi ita prædicamus, & ita credidistis.

Articuli de Resurrectione vsus.

INter fidei Christianæ articulos non temere præ alijs inculcatur paßim in Scripturis, quo Resurrectionem corporum nostrorum ex mortuis profitemur. Est enim huius multiplex vsus siue fructus. Primò nos plenè redemptos atque seruatos esse docet, quando ne morte quidem vinci aut detineri possumus. Deinde aduersus mortis terrores consolatur, ne his superati aliquid faciamus nostra professione indignum. Adhæc dolorem atque luctum moderatur, quem ex nostrorum obitu concipimus. Præterea voluptatum irritamenta restinguit, & mundi illecebris obstat, ne has æternæ vitæ bonis præferamus. Postremò patientiæ basis siue fulcrum est firmißimum, quo sustentati per omnia aduersa & tentationum varios assultus eluctamur. Huius etenim spe confirmatus Iobus inter dura illa, quæ vndique instabant, certamina, constans in fide perstitit, vt alibi quoque diximus. Eiusdem consideratione Paulus ipse recreatus mortem intrepido animo expectauit, quando Romæ sub Nerone, libidinis & crudelitatis monstro, in carcere detinebatur. Et prophetæ non rarò ex mortuorum resurrectione argumenta petunt, quibus eos consolantur, quos in Babylonem abduci oportebat, aut qui iam illic extorres atque per omnes eius regni prouincias dispersi affligebantur. Ideo huic doctrinæ omnibus seculis Satan insidiatus est. Nam vt nihil

Iob 19.
2. Tim. 4.
Isa. 25. 26.
Ezech. 37.

nihil de gentibus dicatur, inter quas vix aliqua eius mentio facta est inter eos quoque, qui de animorum immortalitate aliquid disseruerunt, inter Iudæos certè, qui Dei peculium esse debebant, Sadducæos fuisse scimus, qui & corporum resurrectionem & animorum immortalitatem apertè negauerunt. Postea inter Christiani nominis professores, apostolis adhuc viuentibus, exorti sunt Hymenæus & Philetus, qui resurrectionem iam factam esse docebant, & ita futuræ illius spem omnem tollebant. Quorum vestigijs hodie Libertini insistunt. Taceo nunc eos, qui etsi illam fatentur, corporum tamen resuscitatorum veritatem negarunt, à quibus non multum dissentiunt, qui nostro seculo Eutychetis de corpore Christi Deificato hæresim instaurant. Scit enim Satan, hoc fundamento euerso, religionem simul omnem corruere, & huic ex hominum animis sublatæ vel Epicuræam quiduis audendi licentiam, vel desperationem exitialem succedere. Quæ causa est, quòd cum apud Corinthios quoque articulus iste in dubium venisset, Paulus de illo multis & prolixè disserit. Et vt doctrinæ isti authoritas maior accederet, initio statim illam Euangelio contineri testatus est, cuius summa duobus hisce articulis, Christi nimirum morte & resurrectione comprehendatur. Quia autem in resurrectione Christi nostræ fundamentum est, illam argumentis pluribus astruit. Initiò enim illum secundùm Scripturas resurrexisse dixit, ne quid nouum aut insolens afferre putetur. Nunc testes producit, qui illum resuscitatum viderint. Debet autem hic ordo in dogmatibus ecclesiasticis obseruari, vt primus locus Scripturis sacris detur, per quas nobis Deus loquitur. Sine his enim nulla erit testium qualiumcunque authoritas, qui cum illis pugnantia dicunt. Nihil ergo hodie proficiunt, qui Patres, Concilia, Canones & sexcenta alia tonant. Ex Dei Verbo controuersiæ de fide & religione decidi debent, cuius Oraculum certum non alibi quàm in Scripturis inuenitur.

Obseruabis autem toto hoc loco, Paulũ non alios quàm oculatos testes adducere, cùm & prophetarum oraculis & argumẽtis siue rationibus firmißimis causam suam probare posset. Ita enim quæstiones curiosorum hominum simul omnes præcidere voluit, simulq́ docere, Christum vero & naturali suo corpore verè & realiter, siue etiam corporaliter, resurrexisse, neque aliquid hîc fingi debere spirituale, quod eius resurrectionem in dubium vocare poßit. Quæ enim spiritualia sunt, & non verè fiunt, sensibus nostris non possunt percipi: at quæ oculis cernuntur, tactui item subiacent, ea reuera sint oportet. Ideo Christus se ex mortuis rediuiuum discipulis suis videndum atq; contrectandum præbuit, ne se spectrum aut spiritum videre existimarent. Et Apostoli, se illum non modò vidisse, verumetiam contrectauisse, adhæc cum illo comedisse & bibisse testantur. Luc. 24. Ioan. 20. 21. Acto. 1. & 10. Resurrectionis Christi testes oculati.

Porro videamus testes istos, qui nam sint, & quo ordine à Paulo producantur. Ex Euangelica enim historia, illum mulieribus primis visum fuisse, constat, quæ ad corpus eius pro more gentis vncturæ ad sepulchrum exiuerant: vt se eius etiam sexus seruatorem esse doceret, per quem peccatum & mors introiuerant. At Paulus virorum solummodo meminit, ne illusoribus testimonia ista eludendi aliquam occasionem præbeat: quod grauitatis & prudentiæ apostolicæ exemplum est. Constat enim multis exemplis, causam per se bonam interdum propter testes suspectam fieri, si tales producantur, quorum fides dubia & incerta est. Et historiæ docent, quàm grauiter in testibus vel admittendis vel reijciendis olim Romani egerint, qui illo tempore rerum potiebantur. Quoad autem huius loci historiam, non temere factum putabimus, quòd Christus non initio statim discipulis suis simul omnibus, sed per interualla nunc his nũc illis se visendum præbuit. Ita enim causam hanc, per se creditu difficilem, agi oportuit, vt primi quique (quod Chrysostomus quoque annotauit) alteris viam sternerent ad tanti mysterij fidem atq; cognitionem. Mulieres. Val. Max. lib. 8. cap. 5.

Primus autẽ sistitur Cephas, quem eundẽ cum Petro esse ex verbis Ioannis Euangelistæ constat, quæ primo Cap. habentur. Facit autem huius rei mentionem Lucas quoque, quando vndecim apostolos duobus discipulis Emmaunte reuersis dixisse scribit: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Est hoc singulare exemplum gratia quo Christum ideo in mundum venisse docemur, vt peccatores saluos faceret. Fuit enim Petrus abnegator Christi, & proinde indignus, quem ille porrò pro suo agnosceret. Verumtamen & Angeli huic imprimis illius resurrectionem mulieres nuntiare iubent, & eidem primo inter discipulos idem ille apparet. Debent ex eo consolatio- 1. Petrus. Marc. 16.

nem petere, quotquot peccatorum suorum conscientia grauantur, ne Christi meritum nihil ad se pertinere existiment: at ijdem Petri studium imitentur, qui etsi ex carnis infirmitate illum abnegauisset, mox tamen peccatum suum amaris lachrymis defleuit, relicto item impiorum impij Pontificis satellitum consortio ad Ecclesiam redijt, alijsq; feruentior primus ad sepulchrum excurrit, cùm illum resuscitatum esse audiuisset. Vide Ioan. 20.

Pauli modestia. Galat. 2.

Habemus prȩterea in Paulo prȩclarum modestiȩ exemplum. Sciebat is multos inter Corinthios inueniri, qui Petri authoritate & nomine aduersus ipsum abutebantur: adhac eidem aliquando in faciem resistere coactus fuit, cùm illum ignaua dissimulatione vti videret, qua multorum fides labefactabatur, Iudȩi autem in suis superstitionibus magis confirmabantur. Attamen neque proprij honoris studio neque veteris controuersiȩ memoria vinci potest, vt ea dissimulet, quȩ ad tanti Apostoli commendationem faciebant. Quòd si simili animorum moderatione hodie omnes vterentur, qui ad Ecclesiȩ gubernacula sedent, minus dissidiorum esset, & maioribus incrementis Christi regnum surgeret, quod nunc ambitiosis Theologastrorum quorundam concertationibus magna cum multorum offensione distrahitur. Quàm verò alieni sunt à Pauli spiritu, qui in viros optime de Ecclesia meritos, & quorum fides in oppugnandis communibus Christi aduersarijs perquam egregia eluxit, & qui iampridem in Christo obdormierunt, dentes Theoninos stringunt, memoriam illorum odiosè laniant, & neminem ferre possunt, qui de illis honorificè sentit aut loquitur? Non sunt hȩc apostolici spiritus sed pectoris ambitiosi & liuidi argumenta.

2. Duodecim discipuli.

Secundo loco Duodecim simul producit Paulus, quorum nomine discipulos illos peculiares intelligit, quos sibi prȩ alijs Christus elegit, vt eorum opera in Euangelij sui prȩdicatione per totum orbem diuulganda vteretur: vnde etiam Apostoli dicti fuerunt. Loquitur autem de ea apparitione, quȩ in ipso resurrectionis die facta fuit, & cuius historia Lucȩ vlt. & Ioannis Cap. 20. describitur. Prȩcessit tamen quod cum Cleopa & eius comite in itinere Emmauntino accidit. Neque pugnat cum Paulo, quòd Ioannes Thomam tunc abfuisse scribit, & quòd Iudas proditor iam ante è medio fuit sublatus. Quia enim duodenarius numerus apud omnes obtinuerat, solent Duodecim dici, etiamsi vnus aut alter ex eo numero desiderentur: neque id ab vsitata dicendi consuetudine alienum est. Apud Romanos certè olim Centumuiri dicebantur, qui iudicijs prȩfecti erant, cùm in eo ordine viri centum & quinq; numerarentur: & Centumuirorum authoritate siue decreto pronuntiata dicebatur sententia, etiamsi plures ex illis non interfuissent. Et in nostra Repub. Diacosiorum siue Ducentorum nomine publica edicta promulgantur, licet rarò contingat, vt non aliqui ex eo numero desint. Ergo minimè opus est hoc loco nodũ in scirpo quȩrere, aut ad solutiones argutas magis quàm solidas confugere, vt vel Matthiã, vel alium aliquem adfuisse dicamus, quando non tàm de numero hic agitur, quàm de ordine eorum, quibus tunc Dominus visus fuit. Nos potius illius bonitatem & fidem consideremus, qui cùm discipulos inter spem & metum fluctuare sciret, illos diutius suspensos tenere noluit: sed eo ipso die suam ex mortuis resurrectionem ita demonstrauit, vt de eius veritate non possent amplius dubitare. Idem ergo neque nobis deerit, si ab eo instituti & confirmari cupiamus.

3. Quingenti fratres.

Tertiò, visus est (inquit) amplius quàm quingentis fratribus semel, ex quibus plerique manent vsque adhuc, quidam autem obdormierunt. Debet hoc de celebri illo conuentu intelligi, quo discipulos in Galilȩa simul omnes collegit, vt inter eos de tota Regni sui administratione dissereret, & Apostolis prȩdicandi Euangelij munus commendaret: quod ad fidem ipsis conciliandam imprimis faciebat. Describit actionem illam Matthȩus sub finem Euangelici sui operis, vnde tota eius historia peti debet. Apparuit autem in ea IESV CHRISTI inuicta planeq; diuina potentia, & euidens regni sui per totum orbem terrarum propagandi argumentum. Illum enim, cùm ad montem Oliueti caperetur, ab omnibus relictum & desertum fuisse scimus: morienti verò nemo prȩter Ioannem adfuit, & Virgo mater cum mulierculis aliquot & notis quibusdam eius, qui eminus spectabant. At nunc paucorum dierum spatio eò vsque excreuit credentium numerus, vt quingenti numerentur, quos Spiritus Sanctus fratres, id est, verè fideles & germanos Christi discipulos dicere dignatur. Plures ergo tunc fuerunt, quàm quando miraculis clarus docebat. Adde

but. Adde his, quòd inter sæuissimas persecutionum procellas, & vndique impendentia pericula istos omnes ita seruauit vt plerique eorum tunc adhuc in viuis fuerint, cùm epistolam hanc Paulus scriberet, quod anno ab Ascensione Christi circiter vigesimo factum fuisse ex coniecturis minimè incertis potest colligi. Itaque per Crucem ille triumphat (vt aliàs diximus) & tunc efficacissimè agit in hominum cordibus, quando extinctus & sepultus esse putatur. Horum ergo meminerimus, quando res Christiana in angustum redacta esse videtur, & omnia nobis exitium inuitabile minantur. Vt enim olim ex paruis atque ignobilibus reliquijs, quas in Iudæorum gente Deus sibi seruauerat, Ecclesia in immensum creuit: ita posteris quoque temporibus idem factum esse legimus, & hodie multa fiunt, quæ nobis spem istam possunt confirmare. Nunquam ergo nobis excidat, Regnum Christi non hominum viribus siue authoritate niti, sed totum à Dei potentia siue nutu pendere.

Quartus producitur Iacobus, cui Christus visus sit. Plerique eum intelligunt, quem fratrem Domini dixerunt, cognomento Iustum, & quem Hierosolymorum episcopum fuisse veteres tradunt. Quod si verum est, non fuit ille ex duodecim Apostolorum numero, quibus minimè licuit sedes certas siue fixas habere, cùm Euangelium hinc inde per totum orbem prædicare deberent. Et Paulus ad Ephesios scribens, inter Apostolos & Pastores (qui & Episcopi dicuntur) euidenter distinguit. At si Hierosolymæ episcopus fuit Iacobus iste, hoc etiam non contemnendum est bonitatis Dei argumentum, qui huic Filium suum ex morte restitutum peculiari visione innotescere voluit, quem ad munus imprimis arduum & periculosum destinauerat. Quis enim non videat, quàm graue & durum fuerit in ea ciuitate Ecclesiam regere, in qua Christi latrones, præsidum Romanorum potentia atque authoritate armati, dominabantur? Quid non illic videre & audire oportuit fidos Christi cultores? Quàm multis quamq; acerbis piorum querelis eum fatigatum fuisse putabimus, qui illic pastorem gregis Christiani agebat? Sed solet Deus viribus & donis necessarijs armare eos, quos rebus magnis destinat. 4. Iacobi.

Quinto loco Apostoli simul omnes producuntur: quo nomine discipulos quoq; Septuaginta comprehendit, quos similiter ad prædicandum emissos fuisse Lucas scribit: nec dubium est, quin eosdem postea sibi adiunxerint Duodecim illi, & prædicandi prouincias inter illos distribuerint, prout rei necessitas postulabat. Quapropter necesse fuit, vt Christus ipsis quoque familiarius innotesceret, & vt testes αὐτόπται siue oculati possent esse Resurrectionis suæ, de qua potissimùm controuertebatur. Vbi obseruatione dignum est, quòd etiamsi Apostoli, quoad dona Spiritus, alij alijs præstantiores fuerint, tamen quoad salutarem & necessariam hominibus Christi cognitionem, æquales aut pares fuerunt, seq; ipsum ille omnibus manifestare dignatus est, vt eadem esset doctrinæ, quæ ab illis prædicabatur, authoritas. Admonemur isto argumento, ne de illa ex hominum respectu iudicemus. Vt enim olim omnes, qui Apostoli erant, & Christum viderant, fidem merebantur: ita hodie etiam quicunque vera Christi cognitione instructi sunt, & legitimè ad docendi munus vocati ab illo accepta prædicant, ij audiri debent. Omnibus enim illis seruit, quod Dominus dixit: Qui vos audit, me audit, &c. Luc. 10. 5. Apostoli omnes, vnà cum LXX.

Postremò testium, quos vidimus, catalogo seipsum quoque Paulus adnumerat, ne ex aliorum relatione de re sibi non satis perspecta loqui videatur: idq; propter æmulos facit, qui vt eius authoritatem eleuarent, ipsum cum Christo versatum esse & hunc vidisse negabant. Ergo eum ex mortuis rediuiuum abs se quoque conspectum fuisse ait. Quando autem id factum sit, non satis constat. Illud tamen certum est, Christum Paulo visum esse ad Damasci vrbem, & eidem tunc promisisse, quòd in posterum quoque ipsi apparere velit. Hoc enim in præclara illa oratione, quam coram Agrippa Rege & Festo præside habuit, disertè testatur. Similiter in alia oratione ad populum Hierosolymitanū, illum sibi in templo oranti apparuisse dicit, & mandatum dedisse, vt relictis Iudæis ad gentes prædicatum abiret. Ex posteriori item ad Corinth. epistola patet, ipsum crebris visionibus confirmatum fuisse, quando laborum & periculorum necessitas tale quid postulabat. Nam quod antea diximus, solet Deus suis seruis adesse, quos rebus grauibus destinauit, ne supra quàm ferre possint, tententur. Christus Paulo etiam visus est à Resurrectione. Acto. 22. 26. 2. Cor. 12.

Scio quid hîc aliqui obijciant: Christum à Paulo videri non potuisse, si ille corpore suo in

Quomodo Paulus Christum videre potuerit?

cœlis, id est, extra hunc mundum corruptibilem agat, & proinde vel hinc petere, Ascensionem non de motu aliquo ex loco in locum alium intelligi debere, sed de mutata corporis Christi qualitate & œconomia, qua factum sit, vt qui prius visibiliter & ratione huius seculi in terris agebat, nunc quidem eas minimè reliquerit, sed vero suo corpore nunc vbique nobis præsens adsit, seq; nobis quando vult videndum, aut etiam contrectandum præbeat. Nam si in cœlis esset corpus Christi (aiunt) neq; Paulus neque Stephanus illic eum videre potuissent, cùm oraculorum acies ne nubes quidem, nedum orbes cœlestes simul omnes penetrare poßit. Quibus ego respondeo, Paulum non tam imprudentem disputatorem fuisse, vt corporis Christi resurrectionem eiusmodi argumento asserere voluerit, quo aut corporis Veritas aut eiusdem Ascensio negetur. Cur enim hoc faceret, qui non vno loco Christum nobis in cœlo, & quidem in supernis locis, id est, in cœlo quod supra nos est, monstrat, & eidem corpus verum tribuit, cui nostra corpora olim conformia fieri oporteat? Non possumus ergo eius verba aliter accipere quàm sonant, cùm de fidei articulo agatur, qui si historiã resurrectionis & corporis Christi veritatem eiusq; naturales siue essentiales proprietates negemus, consistere non poterit. Etsi ergo nobis non constet, quando, aut vbi, qua denique ratione Christum Paulus viderit, illum tamen ab eo visum esse certum est, neq; propterea opus fuerit, corpus Christi vel è cœlis detrahere, vel Vbiquarium siue Vtopicum fingere. Qui enim priusquam Paulus ad fidem conuerteretur, cœlos findere & Stephani oculos ita acuere potuit, vt ipsum à dextris Dei stantem & quasi ad vindictam paratum cerneret: hoc ipsum in Paulo quoq; potuit præstare: imò efficacior fuit consolatio, si in cœlis agentem vidit, quem cœlitus voce sua intonantem audiuerat: Saul Saul, cur me persequeris? Sed omißis contentiosis illis, qui corpus ipsum Christi totum potius negauerint, quàm pro eius corporali in terris præsentia & eiusdem Capernaitica manducatione contendere desinant, Paulum de ista Christi apparitione loquentem audiamus.

Paulus abortiuus.

Vltimo autem omnium veluti abortiuo visus est etiam mihi, ἔκτρωμα, id est, abortum, siue fœtum abortiuum se vocat ratione sui apostolatus siue ministerij. Propriè enim sic dicitur fœtus, qui intra diem à conceptione quadragesimum extruditur aliqua violenta naturæ operatione. Itaq; aliorum Apostolorum respectu, qui cum Christo diutius versati & institutione ordinaria quasi formati fuerant ad docendi munus, potuit Paulus reuera ἔκτρωμα siue abortus dici, qui præter omnem expectationem vocatus, & subitò Christi cognitione illuminatus, adeoq; singulari vi Spiritus Sancti extrusus fuit, vt ex lupo pastor factus, Euangelium magna cum omnium admiratione prædicaret. Voluit autem ita loqui propter æmulos suos, vt ostendat, se quàmuis reliquis Apostolis libenter concedat dignitatem illam, quam ex diuturniori cum Christo consuetudine habeant, tamen, se quoq; eiusdem vteri fœtum, id est, germanum Christi Apostolum esse. Est autem hoc memorabile exemplum gratiæ Dei, quo docemur, quàm facilè huic sit vasa gratiæ suæ facere ex illis, qui iræ & ignominiæ vasa esse videbantur. Quod vt nos aduersus conscientiæ terrores consolatur: ita simul admonere debet, ne de alicuius conuersione aut salute temere desperemus.

Testimonij sui fidem asserit.

Cæterùm non ignorabat Paulus, æmulos suos hoc imprimis agere, vt ipsius testimonium eleuarent: quapropter non minus modestè quàm grauiter eius authoritatẽ siue fidem confirmat. Nam debent quidem ministri humilitati & modestiæ studere, ne quid de seipsis arrogantius loquantur aut sentiant: ijdem tamen suam authoritatem aduersus malignos Verbi Dei contemptores constanter tueri atque asserere debent, ne hoc propter ipsos in contemptum veniat. Hoc olim Prophetas factitauisse scimus, & Christus, quo nemo mortalium modestior fuit & humilior, id ipsum non semel obseruauit. Vt autem res tota sit dilucidior, confert Paulus priorem suam conditionem cum ea, quam tunc sustinebat. Ad priorem pertinet, quòd ait: Ego enim sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus. Et mox causam ipse subijcit: Propterea quòd persecutus sim Ecclesiam Dei. Ex animo igitur & seriò loquitur, non vt Monachi & Pontifices, qui se Minimos & Seruos seruorum dicunt, cùm hoc vnum agant, vt sub inani humilitatis specie omnibus dominentur atque imperent. Eam enim causam adducit, qua verißimè probat quod dicit. Quis enim Ecclesiæ persecutorem dignum esse dixerit, qui subitò Apostolus fiat? Quis lupum, vt pastorem agat, idoneum iudicet? Solet autem Paulus frequenter sui pristini status meminisse, vt Dei gratiam magis commendet: Ideo in præsenti culpam suam minimè extenuat, & eandem absq; omni

exceptione

exceptione sibi soli adscribit. Poterat enim dicere: Nemo me impium Ecclesiæ hostem fuisse putet, qui sciens volens cum Deo bellum susceperim. Quicquid enim feci, ideo feci, vt ijs morem gererem, qui tunc in populo Dei regnabant, & ab his accepto mandato eos persecutus sum, quos illi scismaticos, impios & quouis supplicio dignos iudicabant. Et vt id facerem, zelus gloriæ Dei me mouit, cuius Legem & veterem cultum aboleri videbam, &c. Hæc (inquam) & alia huius generis poterat dicere, si effugia captauisset: sed simpliciter, se Ecclesiam Dei persecutum esse ait: eam nimirum, quam alibi pretioso Dei sanguine redemptam esse testatur. Itaq; scelus longè atrocißimum in semetipso agnoscit, quod hodie etiam in omnibus hæret, qui Euangelicæ doctrinæ sectatores hostiliter persequuntur. Nec enim hîc aliquem excusant Pontificum aut quorumcunq; hominum de nobis iudicia: sed ratum erit, quod olim Christus per Prophetam dixit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et quod ipsi Paulo dictum fuit: Saul Saul, quid me persequeris?

Continet autem hoc Apostoli exemplum generalem doctrinam, vt qui in gratiam à Deo recepti sunt, nunquam non meminerint, qui & quales aliquando fuerint. Ista enim recordatio partim plurimùm facit ad illustrandam Dei gratiam, quæ vnicum nostræ salutis fundamentum est: partim modestiæ admonet, & nos in officio continet, ne vel contra Deum, vel contra aliquem mortalium insolentius efferamur. Vidit hoc Dauid olim, qui frequenter domus patris sui & caulæ meminit, ex qua desumptus & ad throni regalis fastigium euectus fuerat: cuius recordatio illum docilem & disciplinæ atq; admonitionum patientem fecit. Quòd si illi Saulem opponas, mox videbis hunc, qui se aliquando agasonem fuisse oblitus fuerat, intolerabili insolentia aduersus Deum simul & optimos quosq; proteruijsse. Est ergo doctrina hæc admodum necessaria, quam quia pauci obseruant, plurimùm peccatur priuatim simul & publicè. Qui in gratiã recepti sunt, crebro cogitẽt quales aliquan do fuerint.

Priori autem conditioni Paulus præsentem opponit, de qua sic loquitur: Sed gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius erga me non fuit inanis, sed amplius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est. Per Dei gratiam non aliquas animi facultates sibi diuinitus datas intelligit, quibus ipse deinde pro suo arbitrio vsus sit (vt olim Pelagius exponebat) sed gratuitam Dei misericordiam, qui ipsum nihil tale meritum respicere & vas gloriæ ex ipso facere dignatus erat. Quæ enim dignitas, aut quod meritum in ipso esse potuit, qui exhibitam nobis in Christo Dei gratiam hostiliter persequebatur? Præmittit autem hoc membrum, Gratia Dei sum id quod sum, ne vel minimum quid sibijpsi arrogantius tribuere videatur. Rursus autem suo exemplo generalem doctrinam compræhendit, vt nos quoq; quicquid sumus aut habemus, id nos ex gratuita Dei liberalitate habere sentiamus. Hoc enim frænum est, quo arrogantia nostra coercetur, & quo continemur, ne Dei donis insolenter abutamur. Hodie vulgò obtinuit, vt principes & episcopi in titulis suis Dei gratiam prætexant: sed quàm leuiter de illa cogitent, facta eorum abunde testantur. Nam si ex animo faterentur, se regna sua & episcopatus ex Dei gratuito fauore habere, qui indignos in hoc fastigium euexerit, nunquam fastu immani superbirent, & multò minus populum suæ fidei creditum tyrannide opprimerent, exactionibus iniquißimis excoriarent, aut traditionibus superstitiosis grauarent. Præcipuus tamen huius dicti vsus est in salutis æternæ causa, aduersus meritorum suorum ostentatores. Illam enim à sola Dei gratia pendere Paulus alibi ita docet, vt gratiam operibus opponens, illi nullum porrò locum fore dicat, si hæc admittantur. Nam ad Ephesios scribit: Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Et ad Rom. 11. cap. Quòd si per gratiam (scilicet seruati estis) non iam ex operibus: Quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia: Quandoquidem opus iam non est opus. Paulus quod fuit, ex gratia fuit.

Sed & gratiæ Dei effectum Paulus prædicat, dicens: Et gratia eius erga me non fuit inanis, sed amplius quàm illi omnes laboraui: Id verò non ideo dicit, quòd cum Apostolis contentionem suscipere voluerit, sed propter æmulos, qui Apostolorum authoritate ad ipsum opprimendum abutebantur. Id autem ab ipso verè dictum fuisse Actorum liber abunde testatur, & quæ alibi de Euangelio per ipsius ministerium ab Arabia ad Illyricum vsq; longè lateq; propagato leguntur. Neq; ei tutum fuisset tale quid dicere apud Corinthios, inter quos infiniti erant qui omnia eius calumniabantur, nisi labores eius omnibus cogniti & perspecti fuissent. Rursus autem illo exemplo admo- Paulus plus alijs Apostolis laborauit.

nentur ij, qui gratia Dei gloriantur, vt eius specimina certa in suis factis siue operibus exerant. Nam nisi id faciant, tam seipsos quàm alios decipiunt. Accidit hoc ijs, qui fidei professione & gratuita iustificatione superbiunt, cùm nulli in ipsis fidei veræ effectus, nulla iustificationis argumenta in omni ipsorum vita appareant.

Gratiæ est etiã id quod ex fide facimus.

Cæterùm ne hîc quoq; aliquid sibijpsi arrogantius tribuere videatur, per Correctionẽ subijcit: Non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecũ est. Vbi docemur, Dei gratiam ita à nobis agnosci & prædicari debere, vt quicquid à nobis iam fide donatis et ex Dei verbo renatis rectè fit, ad hanc vnam referamus. Nam vt paulò ante monuimus, non ita nos Deus sua gratia donat, vt nos deinde nostro arbitio permittat, qui ex nobis ipsis aliquid facere aut mereri possimus. Etenim si istud fieret, facilis esset salutis nostræ iactura, cùm thesaurum gratiæ Dei (vt in posteriori epistola scribitur) in testaceis vasculis gestemus, & vitæ huius via lubrica sit, multaq; indies nobis obijciantur, ad quæ pedes nostri possunt offendere. Itaq; continua gratiæ Dei operatione nobis opus est, & qui iam fide illuminati sunt, nihil ex seipsis, sed (vt ille dicebat) acti agunt, ideoq; nihil habent, quo in Dei conspectu gloriari possint.

2. Cor. 4.

Apostolorũ omnium eadem doctrina.

Sed ad Paulum redeamus, qui locum hanc concludit his verbis: Et ego igitur & illi ita prædicamus, & ita credidistis. In vnum colligit testimonia, quæ hucusque produxit, omnia, & quàmuis se plus alijs laborauisse dixerit, tamen quoad doctrinam Apostolos omnes æquales facit. Itaque verborum istorum sensus est. Non est quòd vel meum vel cuiusquam alterius testimonium reijciatis, quasi minus fidei mereatur. Nam siue me, siue quemcunque alium ex Apostolorm choro audiatis, omnes idem prædicamus: Christum videlicet & mortuum esse secundùm Scripturas, & resurrexisse ex mortuis, sicuti eadem Scripturæ prædixerant. Neque ista semel modò prædicauimus, sed in hunc vsque diem eadem prædicamus, neque doctrina hæc vnquam mutabitur. Sed & ipsi ita credidistis, siue Paulini sitis, siue Petrini, siue Apolloniani. Non poteritis ergo inconstantiæ & leuitatis notam effugere, si à doctrina & fide semel recepta deficiatis.

Apparet ex hisce verbis Apostolos omnes eandem doctrinam tradidisse, vt qui eodem Christi mandato omnes astricti fuerunt, vt nimirum docerent, quæ ab illo accepissent. Id verò non de sola Resurrectione intelligi, sed ad omnes quoque alios articulos extendi debet. Nec incredibile est, quod de Symboli apostolici articulis ex communi illorum omnium consensu conscriptis vetustissimi Scriptores, Irenæus & Cyprianus tradiderunt. Voluerunt enim hanc fidei regulam esse (vt Tertulliani verbo vtar) quam omnes sequerentur, qui Christiani dici & haberi volunt. Inprimis certè concionibus eorum, quæ Actorum secundo, & tertio capite describuntur, articulos hosce omnes inuenire possunt, qui rem propius inspexerint. Quòd si caput religionis Christianæ consideraueris, Iustificationem nimirum fidei, mirificus in ea doctrina omnium illorum consensus apparebit. Eò autem maior apud nos esse debet doctrinæ apostolicæ authoritas, quòd eidem Veteris testamenti Scriptores, Moses & Prophetæ consentiunt. Sunt ergo ridiculi nimis (ne quid grauius dicam) qui nobis hodie paucorum seculorum præscriptione confirmatum Romanensium consensum obijciunt, aut noua Concilij alicuius determinatione opus esse aiunt, qua de fide & religione certum quid statuatur, quod omnes recipere & sequi debeant.

Apostolorũ doctrina retinenda, &c.

Illud potius tenendum erit, non aliam doctrinam in Ecclesia prædicari & audiri debere, quàm quæ ab Apostolis ex Spiritus Christi suggestione tradita est: Qui verò illam semel receperunt, in ea constantes in finem vsq; perseuerare debent, ne puerorum instar sese à quouis vento circumagitari patiantur. Leuitas enim vt in quauis alia re reprænsionem meretur, ita in religione prorsus inexcusabilis est, vbi de æterna hominis salute agitur, & vbi semel admissus error non aliter corrigi potest, quàm vt ad communem illam fidei regulam redeant, qui vel latum culmum ab ea deflexerunt. Si quis verò hîc audeat fidem Deo datam fallere, quid obsecro ille faciet in alijs, quando ei cum solis hominibus res est? Vidit hoc olim laudatissimus princeps Constantius, Constantini Magni parens, qui exauthorandos esse censuit milites, qui cùm ante Christi religionẽ professi fuissent, in ipsius gratiam Dijs thura adoleuerant. Quis enim Regi (dicebat) fidelas

fideles fore putauerit eos, qui in supremum numen ingrati sunt? Simus ergo constantes, neq; nos diuelli patiamur ab æterno Dei Filio, IESV CHRISTO, *qui & pro peccatis nostris mortuus est, & morte per resurrectionem deuicta nobis salutem veram & regni cælestis hæreditatem meruit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXXIX.

Quòd si verò Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum? Nam si resurrectio mortuorum non est, Christus quoq; non est excitatus. Quòd si verò Christus non est excitatus, inanis sanè est prædicatio nostra, inanis autem est etiam fides vestra: Reperimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, quòd excitarit Christum, quem non excitauit, si videlicet mortui non excitantur. Nam si mortui non excitantur, Christus quoq; non est excitatus. Quòd si Christus non est excitatus, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris: Nempe & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.

OMnes quidem fidei Christianæ articuli diligenter cognosci & frequenti meditatione exerceri debent, vt in illis confirmemur: Verumtamen singulari studio in eo opus est, qui de mortuorum, vel potius corporum nostrorum resurrectione habetur. Vt enim ex eo plurimum consolationis hauritur in omni tentationum genere: ita non alius est, qui ad vitam rectè pieq; instituendam magis conducat. Quia enim præcipua licentiæ scelerum causa est, quòd plerique huius vitæ commodis intenti, futura aut nunquam aut quàm rarissimè cogitant: fieri è contra non poterit, vt præsentis vitæ delitijs & studijs sese inescari atque seduci patiantur, quicunque longius prospiciunt, & pijs promissa æternæ vitæ præmia, simulq; impijs destinatos horribiles atque sempiternos cruciatus frequenter animo repetunt. Adde his, quòd hîc fundatur religionis Christianæ & salutis nostræ summa. Et hoc potissimùm Paulus spectat in tota cap. huius tractatione, quam aduersus eos instituit, qui mortuorum resurrectionem negabant. Docuit ergo primùm, hanc esse Euangelicæ doctrinæ summam, quòd CHRISTVS IESVS *pro peccatis nostris mortuus, propter nostri autem iustificationem ex mortuis excitatus sit. Deinde hanc quoque vnanimem esse totius Scripturæ sacræ doctrinam, quæ in Veteris testamenti libris paßim inueniatur, & quam Apostoli vno ore prædicent. His præmißis nunc ad rem ipsam propius accedit, & aduersarios argumentis validißimis confutat.*

Primò ex ijs, quæ proximè præcesserunt, sic infert: Quòd si verò Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, nõ esse resurrectionem mortuorum? Id est, resurrectionem esse inane commentum, vt quæ neq; sit, neq; vnquam futura sit. Ita verò docet, eos qui resurrectionem negant, simul Euangelio & huius ministris siue præconibus contradicere. Et est hic obseruatu dignißimum, quòd cum simplici dicendi forma vti posset, interrogatione orationem figurat, vt apertius exprimatur rei absurditas & aduersariorum audacia siue impudentia. Emphasim quoque habet particula, Quomodo dicunt quidam inter vos, &c? Nam hoc perinde est ac si diceret: Tolerabile foret, aliquos qui Christianæ fidei mysteria prorsus ignorant, intra cordis sui sensus dubitare de mortuorum resurrectione, vt quæ rationis & intellectus nostri captum longè excedit: sed inueniri aliquos, qui hoc disertè dicant, & quidem inter vos, qui iampridem Christo nomen dedistis, qui in eius cognitione summa cum diligentia instituti scientia & cognitione omni abundauistis, qui deniq; alijs ecclesijs præstantiores videri vultis, id verò nulla ratione vel ferri vel excusari potest.

Resurrectionẽ mortuorum ex Christi Resurrectione colligit.

Quomodo occurrendum ijs, qui fidei articulos negant? 2.Tim.2.

Est autem perquàm memorabile Pauli exemplum, qui nihil dißimulandum esse putauit, quando germanum fidei dogma siue articulum aliqui negare & aduersus eum disputare non sunt veriti. Sciebat enim eiusmodi sermones virus suum quàm latißimè diffundere, & (vt ipse scribit) cancri instar serpere, donec omnem ex cordibus hominum fidei veræ notitiam atque gustum depascat. Fecerunt hoc ipsum in alijs quoque articulis Apostoli, & tales Paulus verbi administros, siue Ecclesiarum pastores constitui vult, qui non modò veritatis doctrinam proponere, verumetiam huic contradicentes rationibus idoneis atque firmis confutare poßint. Neque oscitantius negligi debet ordo iste, quo primùm Apostolorum de Christo resuscitato doctrinam proposuit, deinde verò huic aduersariorum sententiam opposuit, vt ex collatione ista appareat, quàm absurdum sit, aliquid ab illa discrepans proferri ab ijs qui Christiani dici & haberi velint. Eodem ordine etiam hodie procedi debet aduersus omnes eos, qui quodcunque axioma siue dogma Christianæ fidei, quod Apostoli olim vnanimi consensu tradiderunt, negare aut oppugnare audent. Exempli gratia: Si quis nos sola fide iustificari neget, mox illi dicatur: Quomodo ergo Apostoli dixerunt, fide corda purificari? Quid item sibi voluit Paulus, cùm de Christo apud Antiochenos concionem habens, inter alia dixit: Per IESVM hunc uobis annuntiatur peccatorum remißio, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur? Item: Scimus non iustificari hominem, nisi per fidem IESV CHRISTI: & nos in CHRISTVM IESVM credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Ita si quis præter Christum plures alios apud Deum mediatores esse contendat, huic etiam mox obijciatur: Quid igitur Christo respondebis dicenti: Nemo venit ad Patrem, nisi per me? Quid Paulo, qui scripsit: Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominũ, homo CHRISTVS IESVS? Quid Ioanni dilecto discipulo, qui cùm Christus ipsi matrem Virginem commendarit, tamen nõ dubitauit dicere: Si quis peccauerit, aduocatum apud Deũ habemus, IESVM CHRISTVM iustum. Eadem ratione confutari possunt, qui Christum in resurrectione naturales & essentiales corporis proprietates deposuisse, neq; illud in certum beatæ immortalitatis locum extra hunc mundum corruptibilem euexisse, sed omnipræsens fuisse garriunt. Quomodo ergo Angelus corpus illud in sepulchro fuisse negat? quomodo ille à discipulis visus & contrectatus est? quomodo Apostoli illũ supernè in cœlis agere, & olim inde rediturũ esse prædicant? Et sanè non minus insolens est hodie inter Christianæ fidei propugnatores inueniri, qui nouas istas de Christi corpore Deificato chimæras fingunt, quàm quòd olim apud Corinthios fuerunt, qui mortuorum resurrectionem negare audebant. Vtinam verò ad hunc modum sua commenta omnia examinarent nostri aduersarij, qui pro Diuorum cultu nobiscum certamẽ susceperunt, cùm ipsi plerosq; fidei articulos oppugnent, quos illi non ore modò confeßi sunt, verumetiam sanguine suo obsignarunt.

Actor.15.et 13.

Quomodo ex Christi Resurrectione Paulus nostram colligat?

Sed ad Paulum redeamus, qui suos aduersarios ipsius Christi exemplo confutat. Si resurrectio mortuorum (inquit) non est, Christus quoque non est excitatus. Id verò euidentißima et validißima ratione colligit. Nam secundùm dialecticorum regulas, quæ cum sensu communi conueniunt, valet consequentia ab vniuersali ad particulare negatiuè, vt si dicas: Si nulla caro ex suis meritis in Dei iudicio iustificatur, ne Dauid quidem suis meritis iustificatus est. Ad eundem modum in præsenti Apostolus argumentatur: Si nulla prorsus est resurrectio mortuorum, & inane figmentum est quicquid de illa dicitur, certè neq; Christus neq; quisquam alius resurrexerit oportet: At Christum resurrexisse Scriptura docet, & nos testibus plurimis fideq; dignißimis modò probauimus: Ergo est mortuorum resurrectio. Poterat autem aliquod esse huius argumenti pondus, quia cum illis Paulo res erat, qui Christum resurrexisse non poterant negare, cùm Christiani dici & haberi vellent. Cum impijs & à profeßione Christiana alienis aliter fuisset agendum, qui nisi rationibus & argumentis ex rerum natura desumptis conuincantur, nunquam credent.

Potest autem nostrorum corporum resurrectio per Christi resurrectionem validißimè probari. Primò, quia ille caput nostrum est, nos verò eius corpus sumus, quod eius spiritu animatur. Et huc faciunt alij loci, in quibus Apostolus argumentum hoc euidentius tractat. Nam ad Roman. octauo capite sic scribit: Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustificationem. Quibus mox subijcit: Si spiritus eius, qui

excitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis: is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem eius spiritum in vobis. Et cap. sexto: Si coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus. Etenim nisi ista consequentia valeat, Ecclesiam constituemus, cuius caput viuet, membra autem erunt mortua. Deinde, quæcunque Christus fecit & passus est, propter nos fecit & passus est vtpote Mediator Dei & hominum, & ideo illorum omnium effectus in nos redundat, cùm ipse nullius horum indigeret. Vt ergo ipse Filius hominis factus est, vt nos faceret filios Dei: pauper, vt nos bonis cœlestibus ditaret: exul & peregrinus in terris, vt nobis ciuitatem permanentem & patriam in cœlis pararet: contemptus & abiectus, vt nos ad gloriam cœlestem eueheret: vt denique facinorosi instar mortuus est, vt nos à peccati noxa liberatos seruaret: Ita à mortuis resurrexit quoque vt eum destrueret, qui mortis habebat imperium, & vt nos in ipso æternum viuamus. Ideo Paulus rursus in eadem ad Romanos epistola cap. octauo dicebat: Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui: vt is sit primogenitus inter multos fratres.

Sunt hæc diligentius obseruanda propter eos, qui exemplum resurrectionis Christi nihil ad nos pertinere clamant: quia ille non solùm homo, sed insuper Deus quoque sit, qui seipsum propria virtute potuerit excitare: quia item ἀναμάρτητος, id est, ab omni peccato immunis fuerit, ideoque minus etiam iuris in ipsum habuerit mors, quam per peccatum ingressam esse Scriptura docet. Nec enim vt Deus resurrexit, sed vt homo, secundùm quem & mortuus fuerat. Rectè enim Tertullianus hoc mysterium explicans inter alia scripsit: Quomodo autem Christus resurrexit? in carne, an non? Sine dubio, si mortuum, si sepultum audis secundùm Scripturas, non aliàs quàm in carne, æquè resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte, quod iacuit in sepultura, hoc & resurrexit, non tam Christus in carne, quàm caro in Christo. Deinde etsi ipse peccatum nullum fecerit, & verè ἀναμάρτητος dicatur, non tamen sine peccato mortuus fuit, cùm Pater omnium nostrûm peccata in ipsum transtulerit, & (vt alibi Paulus scribit) ipsum pro nobis peccatum fecerit, vt nos essemus iustitia Dei in eo. Vt verò quæ ipsi imputata fuerunt mundi totius peccata, eum non potuerunt detinere in morte: ita neque nos nostra peccata detinere poterunt, quæ illius morte iampridem expiata sunt, & ideo nobis porrò non imputantur. Cur ergo (inquis) adhuc morimur? Propter hærentes adhuc in carne nostra peccati reliquias, quarum tamen non tantæ vires sunt, vt in morte æterna nos possint detinere. Deinde quia mortale hoc & corruptibile, in quo nascimur, aboleri oportet, vt olim immortales & incorruptibiles resurgamus. Postremò, etsi nosipsos non possimus propria virtute excitare, ipsius tamen potentia excitabimur, qua ille sibi omnia potest subijcere. Est ergo hoc Pauli argumentum longè firmissimum: eò quòd Christi resurrectio non solùm nostræ exemplum, sed potius causa efficiens est cum diuina & omnipotente eius virtute coniuncta.

Christi exemplum ad nos pertinere.

Lib. de carnis resurrect.

Faciunt autem ad argumenti huius confirmationem quæ sequuntur. Nam absurda recenset, quæ admittere oporteat, si Christum resurrexisse negemus. Quòd si Christus (inquit) non est excitatus, inanis sanè est prædicatio nostra, inanis autem est etiam fides vestra, &c. Primò prædicationem Apostolorum inanem, id est, fallacem fore dicit, quæ ad scopum suum non pertingat. Loquitur autem de tota doctrina Euangelij, quæ in Christi resurrectionē maxima ex parte refertur: Vt enim resurgeret, prius illum mori oportuit: vt verò mori posset, hominem fieri necesse erat. E contra, vt & incarnatio & mors eius nobis fructuosa & salutaris esset, resurrectionem omnino accedere oportebat. Quis enim iam moriturus vitam sibi ex eo polliceretur, qui hanc sibijpsi non posset reddere? Itaque quotquot illum resurrexisse negant, ij simul eius quoque incarnationem atque mortem, aut saltem (quod magis absurdum magisque impium est) vtriusque fructum siue meritum negant. Rectè ergo Paulus colligit, totam Euangelij prædicationem inanem fieri, si Christi resurrectionem è medio auferamus. Ex eo autem absurdum alterum colligit: Inanis autem est etiam fides vestra. Sunt enim relatiua, Prædicatio & Fides, secundùm illud: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Item Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Quibus postremum illud Christi mandatum consentit: Profecti in to-

Resurrectione Christi negata, negatur tota nostra redēptio.

tum orbem, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Adde his, quòd in mortis articulo nulla fidei certitudo esse poterit, si spem vitæ tollas, quæ ex sola resurrectione concipitur. Fieri ergo non potest, quin hac negata, fidem simul inanem & incertam, vel potius nullam feceris. His verò tertium absurdum Paulus infert: Reperimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, quòd excitarit Christum, quem non excitauit, si videlicet mortui non excitantur. Ita verò loquitur, quia Euangelium (vt aliâs diximus) non simplex narratio est, sed testimonium de Filio Dei, ad quod dicendum Apostoli delecti sunt, quos ipse Christus testes suos vocat. Vos (inquit) eritis mihi testes Hierosolymæ, & in tota Iudæa, &c. Non temere autem inter alia absurda, quæ resurrectionem negantibus obijcit Paulus, hoc etiam numerat, quòd per illos Apostoli insimulentur, quasi falsum de Christo testimonium dixerint. Et Dei testes eos dicit, vt iniuriam hanc in ipsum Deum redundare ostendat.

Quare graue sit negare ea, quæ in Euang. traduntur. 1. Ioan. 5.

Ex eo autem generalis doctrina siue admonitio peti debet, quàm videlicet periculosum sit ea negare, aut in dubium vocare, quæ in Euangelio traduntur. Quia enim huius præcones Apostoli ipsius Dei testes sunt, non potest illud fieri, quin Deus ipse mendacij arguatur. Vidit hoc dilectus ille discipulus, qui ideo sic scripsit: Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: Qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. At quid hodie vulgarius est? quàm ea negare, quæ de CHRISTO IESV vnico humani generis Seruatore ex Apostolorum & Prophetarum libris prædicantur? Quid? nonne inueniuntur, qui Scripturas simul omnes simpliciter negant, & plus quàm scurrili dicacitate explodunt, dum mendacia perinde vt quæ vera sunt, scribi posse clamant? Quid ergo Dei irati flagella admiramur? Inter homines nullum conuitium turpius & illiberalius esse iudicatur, quàm quo quis mendacij insimulatur: quia (vt Cicero olim dicebat) in bonum virum non cadit mentiri emolumenti sui causa. Cur ergo hoc Deo tribuatur, ad quem nihil ex nobis redire potest, si nos quam maximè fallere vellet?

Expolitio prioris argumenti.

Sed pergamus in Pauli verbis, qui per Expolitionem repetit, quod paulò ante dixerat, vt apertius demonstret, totum fidei & salutis nostræ negotium euacuari, si Resurrectio mortuorum negetur. Rursus autem suis quasi gradibus oratio ascendit, vt euidentius pateat aduersariæ sententiæ absurditas. Primò sic ait: Nam si mortui non excitantur, Christus quoq; non est suscitatus. Id verò liberè dici poterat, quia Christum mortuum esse, ne hostes quidē acerrimi religionis Christianæ negabant. Secundò autem infert: Quòd si Christus non est excitatus, inanis est fides vestra, &c. Huius etenim articulus præcipuus est, quo illum resurrexisse fatemur. Quid autem præterea sequitur? Adhuc estis in peccatis vestris. Id est, tenemini adhuc reatu peccatorum vestrorum, neq; eorum remissionem adhuc obtinuistis. Id autem verissimè dicitur, quando per solam eam fidem iustificamur, qua Christum resurrexisse credimus, & ex eo colligimus illum nostrum esse redemptorem. Ita enim in epist. ad Rom. 10. cap. hoc exponit Paulus, dicens: Hoc est verbū Fidei quod prædicamus: Quòd si confessus fueris ore tuo Dominum IESVM, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, seruaberis. Præterea, si in ijs falsi conuincatur Christus, quæ de sua resurrectione dixit, quam nostræ fundamentum esse iam ante diximus, mox omnibus eius promissis fides derogabitur. Adde, quòd si non resurrexit, ne mortuus quidem erit, & proinde peccata quoq; nostra nondū erunt expiata, nosq; eorum reatu adhuc tenebimur. Sed aliud subijcit Paulus, quòd ista omnia longè superat: Nempe & qui obdormierunt in Christo, perierunt. In Christo obdormire dicuntur, qui ea fide decedunt, quòd ille pro ipsis satisfecerit, & quòd per ipsum ex hac lachrymarum valle in vitam æternam transeant, sicuti ipse non vno loco pollicetur. Nam Ioan. 5. cap. ait: Amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Item cap. 6. Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt Filiū, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eū in vltimo illo die. Et rursus cap. 11. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternū. At si ipse Christus (inquit Paulus) nō est excitatus, omnes qui in ista fide obdormierunt, perierint oportet. Nā

spe sua turpiter falsi sunt, quando neq; peccata (vt modò diximus) expiata, neq; mors, quæ per peccatum ingressa fuit, deuicta est. Ita verò ostendit, per illusores istos, qui mortuorum resurrectionem negant, in periculum sine dubium simul vocari omnium eorum salutem atq; famam, qui ante nos decesserunt. Id verò optimum quenq; vehementer mouet. Durum enim est damnare tot bonos viros, qui virtutibus & rebus præclarè gestis insignes fuerunt, & vnà cum illis maiores quoq; nostros, quorum memoria apud nos meritò grata est & honorifica. Ideo nobis hodie argumentum istud obijciunt aduersarij nostri, qui papisticas superstitiones contra Euangelij doctrinam tuentur. Si (inquiunt) falsa est religio, quam hucusq; secuti sumus, perierunt vtiq; maiores nostri & infinita hominum millia, qui iam seculis aliquot mortui sunt, priusquam nouum istud Euangelium prædicaretur, quo Papatus totus oppugnatur.

Quis verò nostrûm illud vnquam dixit? Aut quis tam temerarius, tam inhumanus & barbarus fuerit, vt omnes eos qui toto illo tempore, quo superstitiones Romanæ floruerunt, extincti sunt, simpliciter aut absque omni exceptione damnare ausit? Hoc autem dicimus & constanter affirmamus, per eas superstitiones neminem seruari posse: neque nos pudet cum Apostolis de Christo pronuntiare: Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Neque ipsum Christum mendacij arguere libet, dicentem: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Interim non negamus, toto illo tempore multos in Christo obdormiuisse, id est, in ea fide decessisse, quæ solius Christi pro nobis crucifixi merito nititur, perque illam esse seruatos. Et vt hoc speremus, mouet nos singularis Dei bonitas, qui quæ in Decalogo & Oratione Dominica inque Symbolo Apostolico habentur fidei & religionis Christianæ principia, in tenebris istis conseruauit, vt nunquam ex hominum cognitione aut memoria prorsus deleta fuerint. Sed & hodie plerisque in locis ipsi Papistæ iam morituris Symboli recitatione præire solent, in cuius confessione multi eorum ex hac vita demigrant. Quotquot ergo fundamentum illud hucusque tenuerunt, quàmuis propter temporum istorum iniuriam superstruxerint multa, quæ meritò paleas & stipulas, aut si quid his vilius est, dixeris, attamen in Christo tandem obdormiuerunt, & proinde seruati sunt, sed vt per ignem: quando nimirum in extremo illo mortis agone experti sunt vanam fuisse aliorum omnium fiduciam, salutis verò authorem atque mediatorem esse vnicum IESVM CHRISTVM, qui neminem ad se venientem foras eijcit. Et huius generis exempla hodie passim videmus. Non est ergo quòd nobis aduersarij suis calumnijs inuidiam atque odium concilient. Ipsi potius viderint, qua temeritate nos damnent propter eam doctrinam atque fidem, quam à Prophetis & Apostolis accepimus, & in qua omnes Veteris Testamenti patres obdormierunt, quamq; Martyrum infinita millia sanguine suo obsignarunt. Quoad verò huius loci argumentum, istud firmiter teneamus, salutem nobis constare non posse absque mortuorum resurrectione, quæ in Christo fundata est. Quotquot autem in huius fide moriuntur, ij reuera non moriuntur, sed obdormiunt, olim ad gloriam cœlestem resurrecturi, vt alibi diximus.

Num perierint omnes, qui sub Papatu mortui sint?

Porrò addit his postremum quoque Paulus, quo aduersariorum sententiam validissimè confutat. Si (inquit) in hac solùm vita speramus in Christum, id est, si fides & spes nostra, quam in Christo habemus, non vltra huius vitæ terminum extenditur, neq; fructum aliquem in altero seculo vberiorem percipiemus, miserrimi sumus omniū hominum. Ratio huius dicti euidentissima est. Nec enim communes modò calamitates cum alijs hominibus pij ferunt, verumetiā seipsos vt plurimum vitæ præsentis commodis spoliant, vt futuram illam & æternam assequantur. At nulla huius spes reliqua esse potest, si mortuorum resurrectio nulla sit. Erat argumentum istud tunc temporis efficacissimum, quando nihil tam exosum, nihil cum tot tantisq; periculis coniunctū erat, atq; Christiani nominis professio: vt hodie quoq; eadē multis in locis nullo non supplicio digna esse videtur. Nos autem in hac crucis atq; persecutionum palæstra teneamus, Christianorū hominum felicitatem nequaquam huius vitæ spacijs terminari. In mundo peregrini sumus patriam in cœlis habemus. Quid ergo mirum, si inter impios peregrinantibus multa tristia, multa præter opinionē accidant? Soletur autem nos, quod olim in cœlis simus regnaturi: Neq; eos audiamus, qui spem il-

Christianorum vita non huius seculi terminis clauditur.

lam quacunque ratione labefactare conantur. Sunt hi in Deum blasphemi & in omnes huius cultores iniurij, qui in fide ista obdormierunt, & proinde indigni, qui cum alijs hominibus aëre communi fruantur. Sed olim digna illi recipient suæ impietatis præmia: nobis autem perpetuò rata erit IESV CHRISTI *promissio: Volo vt vbi ego sum, ibi etiam sit minister meus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXXX.

Nunc autem, Christus excitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. Quia enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus, postea qui sunt Christi, in aduentu ipsius.

QVoniam totus in hoc seculo vitæ humanæ cursus laborum & molestiarum plenus est, pij & sancti cultores Dei omnes iam inde ab exordio rerum spem & fiduciam omnem in futuræ vitæ expectatione collocatam habuerunt: quæ causa est, quòd ex mortuorum resurrectione præcipua sumpserunt consolationis argumenta, quibus seipsos in omni tentationum genere confirmarent. Ergo quicunque resurrectionem negant, ijdem illos simul omnes damnant, & religionis Christianæ fundamenta conuellunt. Docuit id nuper Paulus disertis verbis, quando dixit: Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus. Quòd si verò is non excitatus est, sed à morte victus adhuc detinetur, inanis vtique est fides vestra, inanis etiam est Euangelij prædicatio, & nos falsi testimonij crimine tenebimur, idq́ non sine manifesta Dei contumelia, qui nos sibi testes fecit: Denique qui Christo fidunt & viuunt, omnium mortalium miserrimi erunt, cùm & huius vitæ commodis seipsos priuent, & simul ab omni spe futuræ remunerationis excidant. Ex quibus sequitur, nullam esse blasphemiam atrociorem ea, qua mortuorum resurrectio negatur. Ideo Apostoli illam deploratis illis nouissimorum temporum illusoribus tribuunt, ad quorum sermones pij aures obturare debeant. At postquam Paulus tot absurdorum enumeratione aduersariorum ora obturauit, nunc propius ad rem ipsam accedens, mortuorum resurrectionem duobus argumentis validissimis confirmat, & inde transit ad eorum descriptionem, quæ illam comitabuntur, &c.

Christus primitiæ eorum, qui obdormierunt.

Primum argumentum ex ijs, quæ proximè præcesserunt, infert: Nunc autem Christus excitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. Quasi diceret: Cum ita se res habeat, hoc inter homines Christianos firmum ratumq́ teneri debet, IESVM CHRISTVM *non modò pro peccatis nostris mortuum, verumetiam ex mortuis resuscitatum esse, & ideo nos quoque eiusdem virtute olim resurrecturos esse. Id autem probat simili siue exemplo, quando illum primitias eorum factum esse dicit, qui obdormierunt. Alludit enim ad Legem de primitijs, quæ Deuteronomij Cap. 26. prolixè describitur. Secundum hanc frugum primitiæ Deo offerebantur cum publica & solenni gratiarum actione. Ea autem fruges reliquæ omnes sanctificabantur, vt ijs tutò & salubriter frui possent. Constat enim, terram cum omni prouentu suo propter peccatum maledictioni obnoxiam esse, & proinde impuris atque prophanis omnia impura esse. Vt ergo pijs eadem pura atque salubria fiant, Deus se omnium datorem agnosci vult. Quod qui norunt, ij hoc ipsum publicè cum gratiarum actione testantur, ideoque omnibus ex iure diuino salubriter vtuntur. Quò Paulus respexit, quando in priori ad Timotheum de illis vaticinans, qui ciborum discrimina traditури sint, inter alia scribit: Quicquid creauit Deus, bonū est: nec quicquam abijciendum est, si cum gratiarum actione sumatur: Sanctificatur enim per Verbum Dei & precationem. Itaque in primitiarum oblatione præcipuum erat olim gratiarum actio & frugum simul omnium sanctificatio. Illas autem mox plena messis sequebatur. Conuenit autem simile siue exemplum hoc præsenti causæ. Nam vt Theodoretus scribit, primitiæ eandem habent cognationem cum eo,*

1.Tim.4.

Dialog.3. Impatibili.

cuius

tius sunt primitiæ: Ita etiam Christus carnem suam ex nobis assumpsit, & proinde eiusdem nobiscum naturæ particeps factus est. Dum verò illam ex mortuis excitauit, simul totam humanam naturam, quæ prius mortalitati obnoxia erat, sanctificauit siue præparauit, vt immortalitatis capax sit, qua olim suo tempore, ceu messis quædam vniuersalis sequetur. Quò referri debet, quod ipse Christus huius seculi finem & mortuorum resurrectionem messi confert. Habent ergo frugum primitiæ non solùm similitudinem aliquam cum Christi resurrectione, verumetiam ostendunt (quod nuper quoque monuimus) hanc nostræ resurrectionis fundamentum, vel potius causam esse efficientem. Ideo Theodoretus, Christum primitias eorum qui obdormierunt factum esse dicit, quia primus mortis potentiam soluerit, & ideo eius resurrectionem tota humani generis massa sequetur.

Vt verò maior sit huius argumenti fides, Paulus non temere in tota hac causa subinde obdormiendi verbo vtitur, quando de mortuis agit. Est enim locutio frequens admodum in Scripturis, & ea Christum quoq; de Iairi filia & Lazaro Bethaniensi vsum fuisse legimus. Neq; illam gentes omnino ignorauerunt. Homerus certè mortem somni fratrem dixit, nimirum propter similitudinem. Vt enim somnus quieti consecratus totum corpus recreat: Sic sola mors nobis in vitæ huius curriculo laborantibus quietem conciliat, & corpora præparat, vt exuta mortali conditione ad immortalitatem resurgere possint. Ideo Angelus in Apocal. clamat: Beati mortui, qui posthac in Domino moriuntur: Etiam dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis. Deinde, vt somnus non est perpetuus: ita neq; mors corpora nostra perpetuò detinet. Et vt somnus ferè clamore aut agitatione aliqua corporis excutitur: ita olim Christus totius mundi concussione & tuba Dei aut voce archangeli (vt alibi Paulus scribit) mortem discutiet, & hac prorsus abolita corporibus nostris vitam restituet immortalem atq; sempiternam. Debent ista frequenter considerari, vt certam habeamus aduersus mortis terrores consolationem: qua qui destituuntur, ij ferè illis superati ab officio discedunt. At qui in ista meditatione diligentiores sunt, eos mortis recordatio ad officium faciendum magis extimulat, & alacriores reddit. Quoties ergo cubitum imus & quoties manè è lecto surgimus, ista nobis in mentem veniant, ex quibus mox magnum ad verum pietatem momentum nobis accedere sentiemus.

Morientes obdormire dicuntur.
Matth. 9.
Ioan. 11.
Apoc. 14.

Sed ad alterum huius loci argumentum accedamus, quod etiam exemplo à contrarijs desumpto constat. Quia enim per hominem mors, per hominem quoq; resurrectio mortuorum: Sicut enim in Adamo omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Finis huius argumenti est, vt ostendat, non debere cuiquam impossibilem videri mortuorum resurrectionem. In hoc enim ferè offendit ratio humana, quod ipse Paulus non indiligenter obseruauit, quando coram Agrippa rege de fide Christiana disserens, hac vehementissima apostrophe vsus est: Quid? incredibile iudicatur apud vos, quòd Deus mortuos excitet? Docet ergo in præsenti, hoc non debere alicui nouum aut insolens videri, cùm in hominis lapsu & interitu tale quid acciderit. Per hominem enim vnum (inquit) mors totum genus humanum inuasit. Quid ergo nouum aut à ratione alienum, si per vnum è contra nobis omnibus resurgendi facultas parta est? Et vt id rectius intelligatur, per Expolitionem subijcit: Sicut enim in Adamo omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Opponit inter se Adamum, primum parentem nostrum, & Christum, qui alibi alter Adamus dicitur, & hunc simpliciter hominem modò dicit, non vt Deum esse neget, sed quia mors & resurrectio solius humanæ naturæ sunt, diuina autē vt non moritur, ita neq; resurrectione opus habet. Adhæc ad argumenti vim facit hominis Christi vocabulum. Sensus enim est: Si vnius hominis Adami peccatum atq; lapsus potuit omnem posteritatem morti obnoxiam facere, cur cuiquam impossibile videatur vnius Christi iustitiam atq; resurrectionem potuisse omnibus hominibus resurgendi facultatem acquirere? Etenim si hoc negetur, maior peccati per Adamum inuecti vis erit, quàm iustitiæ Dei nobis in Christo exhibitæ. Vis tamen argumenti præcipuè in eo sita est, quòd vt Adam non sibi soli peccator factus est, & mortuus, sed posteros simul omnes secum in exitium traxit: Ita Christus quoque non sibi soli mortuus est & ex mortuis resuscitatus, sed (vt nuper diximus) quicquid fecit, ex æterno Patris decreto propter nos fecit, vt quam nos merueramus peccati pœnam ipse lueret. Si ergo tantum potuit ius naturæ,

Exemplo à contrarijs Resurrectio probatur.

vt qui peccator factus erat & morti obnoxius, ex se non alios quàm peccatores & mortales gigneret: non minoris efficaciæ aut virtutis censeri debet Dei decretum, qui Filij sui vnigeniti mortem & resurrectionem cum omnibus suis effectis ad nos extendi voluit: vt quemadmodum ille ex mortuis in vitam restitutus est: ita nos quoque effractis & abolitis eius merito mortis claustris, olim ad vitam immortalem resurgamus. In Epistola ad Romanos quinto Capite etiam hoc argumentum prolixè tractatur, sed eo loci de vita spirituali & salute æterna per Christum nobis restituta potißimùm agitur: at hoc loco de corporum resurrectione disputat Paulus: & quia hæc impijs quoque & à Christo alienis continget, simpliciter illam ad omnes homines extendit, vt quemadmodum omnes in Adamo mortui sunt, ita omnes quoad corpora olim in Christo resuscitentur.

Discrimen piorum & impiorum in Resurrectione.

Obseruabis tamen discrimen in resurrectione illa vniuersali ingens fore, quia pij & qui CHRISTVM IESVM vera fide amplexi fuerunt, ad cœlestem vitam & sempiterna regni cœlorum gaudia, impij verò & in peccatis suis mortui ad æternos inferorum cruciatus resurgent, verumtamen tam hi quàm illi non alia quàm Christi virtute excitabuntur. Frustra igitur hic nonnulli nodum in scirpo quærunt, dum quæstionem mouent, qua ratione aut quo sensu Paulus omnes per Christum viuificari dicat, cùm plures olim ad mortem æternam damnandi sint, illo nimirum dicente: Multi quidem sunt vocati, pauci verò electi? Sed solent in eiusmodi quæstiones incidere, & sibijpsis retia nectere, qui extra oleas currunt, nec attendunt diligenter qua de re in vno quoque loco agatur. Hìc enim de sola corporum resurrectione sermo est, cuius author est Christus, qui vt impiorum quoque iudex erit, ita horum quoque corpora ex mortuis suscitabit, & immortalia faciet, vt pœnis siue tormentis nunquam finiendis poßint sufficere. Obseruauit hoc in Apostoli verbis Theodoretus, vetus & orthodoxus Scriptor, qui in Epitome diuinorum decretorum sic scripsit: Sicut omnes in Adamo moriuntur, sic etiam in Christo omnes viuificabuntur. Et non dixit, Seruabuntur: sed, Viuificabuntur. Communis est enim resurrectio, post resurrectionem autem fiet distinctio. Et hoc declarauit subiungens: Vnusquisque autem in proprio ordine. Multi enim sunt & eorum qui puniuntur, & eorum qui seruantur, ordines. Pro qualitate enim & quantitate iustitiæ præbebuntur donorum remunerationes: Similiter autem & pro peccatorum differentia, erunt supplicia. Hæc Theodoret.

Summa fidei Christianæ.
1. Omnes in Adamo moriuntur.

Cæterùm comprehendit hoc loco Paulus summam Christianæ fidei, adeoque eorum omnium, quæ de toto salutis nostræ negotio possunt dici. Capita huius tractationis duo sunt. Primum est, quòd omnes in Adamo moriantur. Atqui mortem peccati stipendium esse, omnis Scriptura docet: Ergo ex Adamo peccatores nascimur omnes. In Adamo enim mori dicimur, non quòd ipsi extra omnem culpam constituti illius delictum luamus, sed quòd ex illo in nos deriuata naturæ vitiositas, nos quoque peccatores facit, qui ex semetipsis non aliud possunt quàm peccare. Et consulto hac locutione Spiritus sanctus vti voluit, vt peccati vim exprimat, & vt nos ea perspecta, magis ab illo abhorreamus. Et facit ad huius loci explicationem, quod idem Apostolus ad Romanos Capite quinto scribit, Mortem ab Adamo vsque ad Mosem regnauisse inter eos quoque, qui non peccauerant ad similitudinem transgreßionis Adami. Obseruarunt hoc diligenter veteres, & inter hos Augustinus imprimis, quando per mortem infantium demonstrauerunt peccatum originis & huius atrocitatem, quam Pelagiani extenuare conabantur, vt vires hominis atque arbitrij nostri libertatem stabilirent: quod hodie Anabaptistæ quidam maiori impudentia faciunt, dum se ab omni peccato immunes viuere posse affirmant. Quia enim infantes sæpius in ipso partu extinguntur, sæpius non multis à partu mensibus vitam finiunt, mors autem peccati stipendium sit, illos quoque peccatores esse fateamur oportet, nisi Deum iniustitiæ aut crudelitatis accusare velimus, qui nihil tale adhuc meritos occidat. At illos actu nondum peccare posse constat. Restat ergo, vt potentia peccatores sint, & propter naturæ vitiositatem, quam ex Adamo primo parente omnes contraximus, morte mulctentur, & meritò quidem, cùm vitiositas illa ipsis propria sit, & ipsorum cordibus atque medullis (vt ita loquar) insideat, sicuti ex effectis videre licet, quibus illam abunde produnt, quàm primùm cogitare, sapere, loqui aut aliud quid

quid facere incipiunt. Figmentum enim cordis humani, ipso Deo teste, prauum est à pueritia sua. At si morte digni sunt infantes, quid de adultis dicemus, quorum peccata tam conspicua sunt, vt ne versutißimi quidem hypocritæ illa dißimulare aut prorsus negare queant? Id verò vt nostra iustitiæ meritum euertit, ita salutem nobis ex gratuita Dei misericordia obtingere docet.

Alterum huius doctrinæ caput est, omnes viuificari in Christo, & in solo quidem illo. Nam etsi hoc loco de corporum resurrectione agatur, potest tamen quod hîc dicitur rectißimè de vtraque hominis vita exponi, quando quod nobis in Christo collatum est beneficium, ad totum hominem extenditur. Nam vt mortis suæ merito peccatum mundi expiauit: ita sua resurrectione mortem deiecit atque exarmauit, vt in suos nihil præterea iuris aut imperij habeat. Quotquot ergo ei per fidem veram insiti sunt, ijdem eius spiritu animati ad vitæ nouitatem resurgunt, & tandem in vniuersali illa resurrectione quoad corpora quoque viuificabuntur, vt tam hæc quàm animæ eorum vita cœlesti & æterna fruantur. Ideo Christus olim Marthæ dicebat: Ego sum resurrectio & vita: Estque Christi beneficium multiplex admodum & prorsus liberale. Primò enim homo factus naturam nostram, qua nihil tunc miserius & infelicius erat, sibi vniuit: vt quæ in Adamo tota perierat, suo merito & virtute tota seruaretur. Deinde morte sua peccatum sustulit, quæ nostræ perditionis causa erat, & eadem ratione Legis maledictionem aboleuit. Postremò idem ille tam corpora quàm animas nostras viuificat, vt & in hoc seculo vitam viuamus cœlestem, & olim toti cum illo regnemus. Iure ergo omnes homines ad se inuitat, vt in suo merito quærant quæ sibi ad salutem consequendam necessaria esse sentiunt. Sunt autem hominum stultißimi & ingratißimi, quotquot illo relicto, qui solus fons est aquæ viuentis, hinc inde vagantur, & cisternas sibi fodiunt arentes atque pertusas, quæ aquam ne continere quidem poßunt. Et hi ferè dignas suæ ingratitudinis pœnas luunt. Vt enim non nisi in Adamo omnes moriuntur: ita non nisi in solo Christo vita obtingit illis, qui eum fide vera & constanti apprehendunt. Itaque dum hunc illi respuunt, simul à vita excidant oportet, seque ipsos labore inani & impensis inutilibus fatigant. Rectè ergo in hunc Pauli locum D. Augustinus olim scripsit: Per hanc apostolicam diuinam claramque sententiam satis euidenter elucet, neminem ire in mortem, nisi per Adam, neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe Omnes & Omnes: Quia sicut omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam: sic omnes homines ad secundam, id est, spiritalem regenerationem veniunt, quicunque ad Christum perueniunt. Ideo ergo dictum est & hic Omnes, & ibi Omnes: quia sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur: ita omnes qui viuificabuntur, non nisi in Christo viuificabuntur. Ac per hoc, quisquis nobis dixerit, quenquam in resurrectione mortuorum viuificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est. Hæc omnia Augustini sunt, quæ ideo recitauimus, vt obiter simul doceremus, non nos primos esse, qui homines non nisi per Christum iustitiam atque salutem consequi affirmant, sed hunc veterem & orthodoxum esse Ecclesiæ consensum, quem tunc Christiani doctores tenuerunt, quando minus fuit superstitionum, fidei autem & pietatis zelus ardentior, quàm posteris temporibus, quando vetus apostolicæ ecclesiæ simplicitas paulatim extincta est. Nec periculum est, ne quis ex ista doctrina licentiæ aut impiæ securitatis ansam arripiat. Nam qui illam verè recipiunt, ij dum in hoc corpore mortali sunt, sic viuunt, vt iam nunc Christi viuificantis virtus in eis appareat, dum peccato mortui vitam viuunt nouam & verè Christianam. Vide ad Romanos sextum Caput.

2. Omnes viuificantur in Christo.

Beneficiũ Christi multiplex.

Ad Hierony. Epist. 28.

Ceterùm obijciat aliquis: Si Christus nostræ resurrectionis author est, & in eo omnes viuificantur, cur ergo non, vt ille, tertio nos etiam statim die resurgimus? Cur corpora nostra computrescunt & dissoluuntur? Respondet ergo Paulus huic obiectioni per Præoccupationem: Vnusquisque autem suo ordine, &c. Quasi diceret: Etsi verißimum sit quod dixi, Deus tamen certum resurrectionis ordinem constituit, quem turbari nefas est. Si enim naturæ ordo in omnibus constantißimè seruatur, & certis vicibus hiemi ver succedit, hoc verò æstas excipit, quam autumnus sequitur, qui mox hiemi locum denuò præbet: cur non certus ordo seruetur

Ordo resurrectionis certus.

in eo, quo nihil maius, nihil miraculosius, nihil denique homini salutarius est? Et cùm telluris prouentum patienter expectemus, vt suo tempore illum colligamus, multò magis hunc optatissimum fidei nostræ fructum cum æterna salute coniunctum, non cum præcipiti & impatienti desiderio anticipare velle debemus, sed firma & constanti spe tempus illud expectare, quod Deus tanto negotio destinauit, qui ex ordine abs se constituto nihil prorsus decedere, neque vllo modo eum interrumpi patietur.

Christus primus debuit resurgere.

Quis verò ille ordo est? Primitiæ (inquit) Christus, postea qui sunt Christi in aduentu ipsius. Primitias Christum dicit, vt hunc primum resurgere debuisse ostendat: partim quidem vt membra, id est, singuli homines ex suo capite spem resurgendi certam possent concipere: partim in huius resurrectione pateret, qualis nostra olim futura sit: vera nimirum, qua ea ipsa corpora, quæ nunc gestamus, nobis verè restituentur. Quæ causa est quòd non modò surrexit Christus, verumetiam à resurrectione se discipulis videndum & contrectandum præbuit, adeoq; infinitis demonstrationibus probauit, se corpore suo vero, quod ex Maria virgine assumpsit quodq; suis partibus constat, resurrexisse, non alio aut essentialibus suis proprietatibus exuto: qua de re alibi plura diximus.

Quomodo Christus primus resurrexisse dicatur? 2.Reg.4.13.

Quærunt autem aliqui, qua ratione Christus primus ex mortuis resurrexisse dicatur, cùm ante eius in carnem aduentum aliqui in vitam restituti sint, vtpote filius Sunamitidis, quem Helisæi precibus resuscitatum legimus, & alter ille, qui in eiusdem prophetæ sepulchrum abiectus reuixit, cùm illius ossa attigisset. Et ipse Christus priusquam moreretur Iairi filiam, quæ paulò antequam ad eam venisset, expirauerat, viduæ item Naimiticæ filium, qui iam efferebatur, & post hos Lazarum iam quartum in sepulchro diem agentem excitauit. Sed obseruabis hîc de ea resurrectione agi, qua ad vitam cælestem & immortalem excitabimur. In ea certè primus locus Christo debetur, cùm alteri illi non nisi ad terrenam hanc vitam resurrexerint denuo morituri. Adde, quòd primitias resurrectionis rectè dicit Christum, quia huius virtute omnes illi resurrexerunt, qui ante ipsum excitati sunt. Vt enim mortis eius meritum ad veteris Testamenti patres, imò ad primum parentem nostrum extenditur (quo nomine agnus dicitur mactatus ab origine mundi) Ita eiusdem resurrectio, quoad eius meritum & effectum, istos quoque omnes præcessisse dici potest. Et hæc quidem propter eos dicta sint, qui æquo curiosiores vndique quæstiones captant, & sæpe non multum necessarias.

Apoc.13.

Credentes præcedent in resurrectione alienos à fide.

Sed vt ad ordinem resurrectionis redeamus, secundum locum illis tribuit Paulus, qui Christi sunt in eius aduentu, id est, verè credentibus, quos ille tunc pro suis agnoscet, & sibi cohæredes faciet. Ita ipse sese exponit in priori ad Thessalonicenses, vbi sic scribit: Qui mortui fuerint in Christo resurgent primùm: deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra, &c. Ergo eos Christi esse dicit, qui in fide Christi decesserunt, quia id certissimum electionis argumentum, & infallibilis filiorum Dei nota est, si in ipso mortis articulo vitam in Christo speramus, adeò vt neque vita neque mors nos ab ea dilectione separare possit, qua nos Deus in illo complexus est. Horum resuscitationem sequetur mox subita eorum mutatio, quos dies iste viuos deprehenderit: de quibus infra dicetur. Fruentur ergo tunc ista quoque prærogatiua fideles, vt Christi viuificantis virtus ad ipsos primos redundet, & eos iam vitæ restitutos visuri sint impij, vbi ipsi ex morte prodierint, qui tunc ex eorum conspectu dolorem & horribilem conscientiæ cruciatum concipient, sicuti in libro Sapientiæ scribitur. Addit his in præsenti Paulus: Deinde erit finis mundi scilicet huius, & omnium quæ in mundo sunt. Ita verò impatientiæ medetur, quæ plerunque in aduersis & calamitatibus oboritur, & eò nos adducit, vt cum his vitam simul abrumpere cupiamus. Ea autem occasione in statum futuri sæculi digreditur, de quo in sequenti sermone dicemus. Faxit Deus, Pater misericordiæ, vt Filij sui vnigeniti vera cognitione illuminati vitam nostram ita instituamus, & in eius fide constanti moriamur, vt olim eiusdem virtute ad cælestis patriæ hæreditatem excitemur, cumq; illo viuamus & regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA

HOMILIA LXXXI.

Deinde erit finis, cùm tradiderit regnum Deo ac Patri, cùm aboleuerit omne imperium, & omnem potentiam & virtutem. Nam oportet eum regnare vsquequò omnes inimicos subiecerit pedibus eius. Vltimus autem hostis abolètur mors. Nam omnia subiecit sub pedes eius. Cùm autem dicit omnia ei esse subiecta, palàm est [hoc dici] excepto eo, qui subiecit ei omnia. Postquam verò subiecta ei fuerint omnia, tunc & ipse Filius subijcietur ei, qui subiecit ipsi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.

INter alia, quæ resurrectionis fidem impediunt, præcipuum est, quòd ratio humana inter præsentis & futuri seculi statum non discernit, & in futuro quoque eam putat rerum conditionem fore, quæ nunc in mundo cernitur. Ibi enim absurda multa occurrunt, quæ non aliter declinari posse videntur, quàm si mortuorum resurrectio prorsus negetur. Exemplum huius rei Euangelica historia in Sadducæis proponit, qui contentiones & lites inter coniuges polygamos orituras putarunt, si mortui aliquando resurgerent: & ideo quæstionem de muliere, quæ septem ex ordine fratribus secundùm Legem nupserat, Christo mouerunt. Et horum similes hodie sunt multi, qui quærere audent: Si omnino futura est mortuorum resurrectio, quis tunc erit rerum status? Volent singuli ad sua redire, & rursus occupare quæ prius habuerunt, & in quorum possessionem ipsis defunctis successerunt alij. Ita verò lites nascentur de opibus, dignitatibus, coniugijs, imperijs, regnis. Quid autem de pijs fiet? Hi certè ad eadem certamina rapientur, quæ nunc sustinent, aut etiam bis grauiora. Rursus ergo opus erit precibus, Sacramentis, protectore Christo; deniq; iudicibus & magistratu. Et tale quid gentes olim somniauisse videntur, quando Minoëm, Æacum & Rhadamantem item finxerunt, qui apud inferos iudiciorum præfecti sint. Sed omnibus hisce quæstionibus Paulus occurrit, & primò quidem nullum omnino litibus locum fore docet: deinde futuri seculi statum siue conditionem describit. Occurritur absurdis de vita futura quæstionibus.

Primum vno verbo absoluit: Deinde erit finis, scilicet mundi huius & omnium quæ in mundo sunt. Quia enim resuscitatis mortuis, & immutatis ijs quos dies ille viuos deprehenderit, & singulis ad loca, quæ ipsis debentur, remissis, impleta erunt omnia, nihil quod porrò fiat reliquum erit. Cremabitur ergo tota huius mundi machina, & (vt Petrus scribit) cæli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraq; & quæ in ea sunt opera exurentur. Vnde sequitur nullas de ijs, quæ nunc inter homines vsitata sunt, lites fore aut contentiones. Sunt ergo absurda prorsus neque vllo responso digna, quæ illusores scurræ suis quæstionibus in medium afferunt, vt mortuorum resurrectionem negent, siue in dubium vocent. Confutantur item philosophi, qui mundum hunc æternum esse tradiderunt, vt qui neque creatus sit vnquam, neque etiam finem suum sit habiturus. Atqui creatum olim fuisse, & quidem ex nihilo, Moses disertè ex Spiritus reuelatione prodidit: Finis autem in præsenti Paulus meminit, vt & Christus consummationis huius seculi. Neminem ergo curiosorum & audacium hominum argutiæ moueant, qui vt conscientiæ latranti blanditias faciant, ad eiusmodi commenta conuertuntur. Porrò considerationis huius vsus est duplex. Finis mundi litibus quoq; finem imponet. 2.Pet.3.

Primò consolationi seruit in omni aduersorum siue tentationum genere. Quia enim mundo huic suus iam finis constitutus est, afflictiones quoque & calamitates aliquando desinant oportet. Imò ne diuturnæ quidem esse poterunt, cum vitæ huius curriculum breue sit, vltra quod illæ nõ extenduntur. Tunc autem momentaneas huius vitæ aduersitates, æternum & ipsa (vt ita dicam) æternitate æternius pondus cœlestis gloriæ excipiet, vt Apostolus hic noster in posterioris Epistolæ Cap. quarto diligentius docebit. Afflictiones nõ sunt perpetuæ.

Deindè vitæ totius institutioni ista seruire debent, vt relictis procul huius mundi studijs ad cœlestem vitam aspiremus. Docuit istud Paulus eodem planè argumento supra Capite septimo, vbi mundo nihil præter figuram breui transituram tribuit. Et Petrus cùm ea, quæ modò citaui- Ne ducamur huius seculi studijs.

mus dixisset, mox infert: Cùm igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus & pietatis officijs, expectantes & properantes ad aduentum diei Dei, in quo cœli conflagrantes dissoluentur, & elementa æstuantia liquescent? Et mox hæc quoque subijcit: Sed cœlos nouos & terram nouam secundùm promissum expectamus, in quibus iustitia inhabitat. Quapropter dilecti, hæc expectantes, studete, vt immaculati & incontaminati ab eo reperiamini in pace, &c.

Ne offendamur felicitate impiorum.

Debet autem longius quoque extendi ista doctrina, ne caco carnis affectu decepti eos æmulemur, qui in hoc seculo felices esse videntur. Est hæc admonitio admodum necessaria, quia ad hunc lapidem sæpe, qui optimi & pijssimi sunt, offendunt, vt Asaphi & Ieremiæ exempla testantur. Sed finge aliquem in naui ornatissima, secundo flumine & aura leniter crispante deferri, quem scias mox ex improuiso naufragium facturum esse: Num quæso illi voluptatulam istam inuidebis? num te eadem naui vehi optabis? Annon potius te beatum & felicem diceres, cui contigisset in portu subsistere? Item si domum habitares commodam quidem, sed quam breui conflagraturam aut ruituram esse certò constaret, num in ea securus delitiari posses? Non equidem arbitror. Atqui eadem est mundi huius conditio, imò multò infelicior est. Nam non modò ruina & incendium illud vniuersale eum manet, sed ne nunc quidem, dum maximè floret & triumphat, quicquam habet, quo animus hominis satiari possit. Non id opes possunt, non dignitates, non voluptates: imò omnia ista nos insatiabili cupiditate eò magis accendunt, quò vberius affluunt: & insuper aut curas mordacissimas sibi coniunctas habent, aut cum dolore & lachrymis finiuntur. Incumbit præterea omnibus ineuitabilis moriendi necessitas, hora autem mortis incertissima nos ne momento quidem temporis securos aut otiosos esse patitur: cùm ferè nihil tale opinantibus obrepere soleat. Et si detur vsque ad nouissimum Christi aduentum vitæ dies extendere, attamen tunc finis erit omnium, quæ nunc in mundo nobis tam chara & pretiosa habentur, cum illis autem miserè peribunt & æternum lamentabuntur omnes, qui ijs nimium addicti cœlestia neglexerunt. Hæc qui aliquantò diligentius meditantur, ijs non facilè persuaderi poterit, vt terrena hæc cœlestibus & æternis anteponant.

Status futuri seculi explicatur.

1 Christus tradet regnũ Deo ac Patri.

Sed transeamus ad alterum huius loci caput, quo quod de fine huius seculi dixit, plenius explicatur, & totus futuri seculi status describitur. Duo autem dicit. Primùm: Christus tradet regnum Deo ac Patri, id est, ei, ex quo ipse ab æterno genitus est. Nec enim locutio ista accipi debet, quasi alius sit Deus, alius Pater: cum potius Deum verum Paulus à falsis & fictitijs distinguere voluerit. Abusi autem sunt olim hoc loco Ariani & Eunomiani, vt Filium Patre minorem esse euincerent, & ita argumentabantur: Filius tradet regnum Deo Patri: Ergo quod habet nunc, non nisi à Patre acceptum habet. Item: Qui quod habet, alteri tradere tenetur, eo minor sit oportet: Filius regnum Patri olim tradet: Ergo Patre minor est. At non viderunt Paulum de Christo loqui, quatenus Mediator est inter Deum & homines, & locutiones eiusmodi ad humanam naturam, quam is assumpsit, potissimùm referri debere. Imò non viderunt turbulentissimi homines eodem suo argumento Patrem longè infra Filium deijci. Si enim hic olim regnum ita tradet, vt ipse quoad diuinam quoque naturam regnare desinat, fateamur oportet, Patrem iam nunc non regnare, cùm dies ille nondum aduenerit, neque regnum vnquam habiturum nisi à Filio acceptum. Quid ergo respondebunt huic dicenti: Omnia mihi data sunt à Patre meo? Item: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra? &c. Num Patrem Filio inferiorem factũ dicent, quasi regnum & potestatem ita in hunc transtulerit, vt ipse nunc ijs prorsus careat? Quin potius cum Diuo Augustino dicamus, inseparabilem esse Patris & Filij operationem. Vt ergo Pater Filio omnia dedit, nihil interim sibijpsi adimens: ita vicissim Filius olim Patri regnum tradet, vt tamen ipsius diuinitati & potentiæ nihil decedat. Etenim perpetuò verum ratumque manet quod dixit Christus: Ego & Pater vnum sumus. Item: In principio erat Verbum, & Verbum illud erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.

De Trin. 1. cap. 8.

Sed debet ante omnia Pauli institutum siue scopus respici, qui hoc loco non hoc agit, vt ostendat Pater ne aut Filius maior sit, sed quæ regni Dei in altero seculo conditio futura sit, docere vult. Itaque locus iste bifariam exponi potest. Primùm, vt Regnum sumatur pro populo regni, id est,

id est, pro tota electorum omnium Ecclesia. Hos omnes suo olim sanguine redemptos Christus Patri tradet, vt in ijs tunc regnet Deus, in quibus per vitia prius regnarat diabolus. Quem sensum Commentaria quoque exprimunt, quæ D. Hieronymo adscribuntur. Et fauent ei promissiones: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, sin minus, dixissem vobis. Vado paraturus vobis locum. Et cùm abiero, & parauero vobis locum, rursus veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Item: Ego paciscor vobis prout pactus est mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et rursum: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi, &c. Deinde de regni Christi administratione Apostoli verba intelligi possunt. Est enim illud duplex, Gratiæ nimirum & Gloriæ. Gratiæ regnum ad huius seculi conditionem pertinet, in qua pro nobis adhuc intercedit ille, nosque Patri suo reconciliat: quod facto opus est, quando nouis quotidie delictis Dei oculos offendimus. Sequetur autem in nouissimo eius aduentu regnum gloriæ, qua nos quoque (sicuti promisit) fruemur, & in quo nobis porrò neque aduocato neque vlla intercessione opus erit. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus, quem ipsi quoque coràm intuebimur, vt ex ipso bonorum omnium satietatem longè beatissimam hauriamus. Possunt autem duo isti sensus facilè inter se conciliari, tùm reipsa conueniant, & alter ex altero dependeat. D. Augustinus certè, acutissimus mysteriorum Scripturæ sacræ indagator, vtrumque coniungit, sic scribens: Cùm ergo tradiderit regnum Deo ac Patri, id est, cùm credentes & viuentes ex fide, pro quibus nunc Mediator interpellat, produxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus & gemimus, & transierit labor & gemitus, iam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo ac Patri. Itaque ista regni traditio, de qua in præsenti Paulus loquitur, non aliud erit, quàm administrationis regni Dei, quoad nos, in melius mutatio: quia sublato peccato, carnis vitiositate, mundo item & morte, omnibusque obstaculis, quæ nunc nos remorantur, nulla nobis vllius intercessione, neque aliquo alio salutis præsidio opus erit: eò quod perfecta pace & beatitate sempiterna nullisque fortunæ vicibus obnoxia liberrimè fruemur. Nam vt Regis filius ad tumultuantem prouinciam missus, rebus probè compositis & fracta rebellium contumacia, bonos & fidos regni subditos, quos eadem tempestas simul abripuerat, ad se colligit, totamque prouinciam Patri tranquillam atque pacatam tradit, neque ea traditione ipse minor aut contemptibilior, sed multò gloriosior redditur, vt quæ triumphus potius quàm imperij derogatio dici mereatur: Ita Christus quoque plenè iam peractis omnibus, quæ ad humani generis redemptionem & ad Regni Dei ab æterno decretam constitutionem pertinebant, illud Patri sic tradet, vt ipse cum eodem viuat & regnet in sempiternum. Nec enim irritum fiet vnquam, quod & Prophetæ olim, & postea Angelus Gabriel de regno Christi nunquam finiendo sunt vaticinati.

De Trin. 1. cap. 10.

Simul autem locus iste nos admonet, omnem nostræ salutis causam siue gloriam vni illi transcribi debere. Huius enim vox est, quæ nunquam fallet siue mutabitur: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Etenim dùm in hac carne viuimus, Deum neq; videmus neque agnoscimus nisi in illo, qui est splendor & genuinus aut essentialis character Patris. Deinde cum eodem neq; in gratiam redire possumus nisi per illum, in quo solo nobis Pater placatus est. Olim quoq; in magno illo die nemo nos eidem acceptos sistet, vt regni cælorum hæredes simus, præter ipsum vnum, cuius iudicio omnes homines aut stabunt aut cadent. In illo deniq; vno æternùm seruabimur. Sunt ergo stultissimi miserrimiq; omnium hominum, qui hoc relicto circa vanissima sui capitis figmenta occupantur, quæ ad salutem & animarum tranquillitatem nihil conferunt.

Christo vni debetur nostræ salutis gloria.

Sequitur alterum, quod de futuri seculi conditione Paulus dicit, Quòd nimirum Christus abolebit omne imperium, & omnem potentiam & virtutem. Tribus vocabulis omnia comprehendit, quæ nunc magnifica & eximia habentur. Sunt enim imperia siue principatus Angelorum, de quibus multus apud Danielem sermo est: & horum quidem alij boni, alij mali sunt. In terris item sunt Reges, principes, vrbium magistratus, præsides, iudices & horum omnium ministri. At omnes isti abolebuntur, quoad suas functiones, quarum tùnc nullus vsus erit amplius. Quæcunque enim huius generis sunt, ad vitæ huius præsentis conseruationem & Ecclesiæ in terris adhuc militantis gubernationem faciunt. Itaque abolita prorsus huius seculi conditione & tota hac mundi

2. Christus abolebit omne imperium, &c.

machina, illa etiam omnia simul cessabunt. Nam Angelorum bonorum ministerijs deinceps minimè opus erit, sed hi nobiscum nosque cum illis in Dei conspectu Regni æterni gaudijs fruemur: mali verò omnes cum suo principe ad tartara detrusi cruciabuntur, neque alicui porrò negotium facient. Ita neque magistratibus tunc opus erit, cùm nemo futurus sit qui iniuriam patiatur, & defensionem requirat. Disciplinam quoque siue ecclesiasticam siue politicam aut ciuilem instituere superuacaneum foret, quando vna omnium in cælis gaudentium voluntas, vnum desiderium, vnus affectus erit, cum Dei voluntate per omnia conueniens. Tyranni autem & iniqui principes
Ezech. 32. suas quoque pœnas exoluent apud inferos cum omnibus collecti, qui (vt Propheta ait) terrorem suum posuerunt in terra viuentium. Eadem erit tunc quoque ministrorum Verbi Dei ratio. Quid enim illi docendo faciant, quando nemo erit qui aliquid ignoret, aut quem officij immemorem admonitionibus siue correptione seueriori vrgere oporteat? Quicunque autem in illo munere fideles fuerunt, stellarum instar tunc splendebunt (vt Daniel prædixit) ignaui verò & impostores cum hypocritis pœnas dabunt. Daniel. 12. Matth. 24.

Ista officij admonent omnes eos, qui in aliquo eminentiori gradu constituti sunt. Meminerint, potestatem suam huius modò seculi negotijs seruire, non autem perpetuam fore, diem quoque aliquando venturum esse, quo rationem reddere iubebuntur de omnibus, quæ fecerunt. Bene ergo vtantur potestate illa, & hoc vnum agant, vt quando abolitis omnibus istis dignitatibus ad Christi tribunal stabunt, lætam illam & beatam vocem audiant: Euge serue bone, in pauco fidelis fuisti, super multa te constituam: Intra in gaudium heri tui. Terreat illos vicißim quod tunc ignauis & infidis dicetur, qui in tenebras exteriores eijcientur. Nihil enim tunc præsidij ipsis erit in ea potestate, quæ priusquam sistentur, omnis abolebitur.

Anabaptistarū ἀναρχία confutatur. Confutantur præterea hoc loco Anabaptistæ & horum sectatores, qui principatus & magistratus iam nunc abolitos volunt, & Isaiæ de regno Christi vaticinio abutuntur, qui lupos, leones, vrsos, aspides & basiliscos cum bobus, agnis, hædis & infantibus commoraturos esse prædi-
Isa. 11. xit absque omni periculi metu. Nam de ijs loquitur Propheta, qui mores in melius mutant, & Euangelij prædicatione illuminati atque emolliti, ex feris & truculentis bestijs in mites Christi agnos transformantur. At quia interim nunquam deerunt hypocritæ, qui dolo malo sese in Ecclesiæ gremium insinuant, improbi item & temerarij disciplinæ Christianæ contemptores, legum fræno opus est, & proinde ijs etiam, qui iudiciorum executione illos coërceant. Quod autem de pacatißimo illo statu & vniuersali Ecclesiæ pace isti somniant, in nouißimo demum Christi aduentu implebitur. Interea ijs nos accommodemus, quæ Apostoli de magistratibus tradiderunt. Nam ita facto opus esse, exempla quotidiana docent, quæ nemo, nisi impudentißimus sit, negare potest.

Cur Christus hæc hucusque differat? Cæterùm quærat aliquis: Cur verò non statim à resurrectione sua Christus ista præstitit? aut cur adhuc differt, quò minus istud faciat? num suæ Ecclesiæ immemor, aut num tam infirmus & impotens est, vt nunc ista perficere non poßit? Respondet ergo huic quæstioni Paulus per Præoccupationem. Nam oportet eum (inquit) regnare vsquequò omnes inimicos subiecerit pedibus eius: Vltimus autem hostis aboletur, mors, &c. Quibus verbis docet, eum neque suorum immemorem, neque etiam aliqua impotentia aut imbecillitate impediri: sed hoc æternum Dei decretum esse, vt hoc Christi regnum, quale nunc est, duret vsquequò omnes hostes suos subegerit. Id verò probat authoritate Psalmi 8. aut 110. in quo hoc prædictum esse constat, fore, vt omnes inimici pedum eius scabellum fiant. Ex eo loco ad hunc modum argumentatur: Christus per Euangelium & media quæ ad huius propagationem faciūt, regnabit eò vsque, donec hostes suos omnes pedibus suis sub-
1. Reg. 2. iecerit. At vltimus hostium erit mors, quæ ante finem huius seculi aboleri non poterit. (Est enim via omnis terræ, & quàm diu corruptibilis ista huius mundi facies durauerit, illam quoque durare necesse est.) Ergo mutatio illa regni Christi, aut administrationis eius, in melius non antea fieri poterit, quàm illa quoque fuerit deuicta, sub finem videlicet huius seculi.

Mors inter hostes Christi numeratur. Non debet autem oscitanter negligi, quòd mortem in numero hostium Christi Paulus recenset. Possunt huius causæ plures afferri. Prima, quòd diaboli inuidia per peccatum introducta est. Altera, quòd primo Dei instituto aduersatur, qui hominem vt æternùm viueret creauit, & ideo

in medio

in medio paradisi arborem vitæ plantauerat. Postrema, quia huius telo Satan vtitur contra Dei seruos, vt vel absterreat eos, quò minus officium faciant, vel etiam è medio tollat, ne ipsius conatibus sese opponant. Et postremus hostis dicitur, quia vt postrema superuenit, cùm iam peccauisset Adamus, ita durabit quoq; (vt modò diximus) vsq; ad nouissimum Christi aduentum. Est ergo mors per se mala, & ideo horrorem coniunctum habet, quo plerunq; sanctissimi quiq; ita percelluntur, vt eius declinandæ consilia ineant, aut saltem illam deprecentur, sicuti in Abrahami, Mosis, Dauidis, imprimis autem IESV CHRISTI exemplis est videre. Quæ nos admonere debēt, ne vel de nobisipsis desperemus, si quid huius sentimus in nobis: vel alios temere abijciamus, qui mortem metuunt. Nam vt modò diximus, hoc in sanctos quoq; Dei cultores cadit, & hîc maximè locum habet prouerbium: Vir fugiens denuo pugnabit. Agnoscamus autem ingens Christi beneficium, qui vires eius ita contudit, vt nullum ius in animas nostras habeat, sed solum corpus petat, animabus autem transitus sit ad vitam æternam. Olim autem per eundem tota abolebitur, quando corpora quoq; nostra resurgent, & beata immortalitate donabuntur. Huius ergo spe nosipsos in omni periculo consolemur.

Sed præter alia hoc loco imprimis dignum est obseruatu, quòd Christum in hoc etiam seculo regnaturum esse audimus, donec omnes hostes ipsi subijciantur. In hoc censu numerantur Satan, peccatum, mors, quam innumeri comites vndique stipant, omnes denique, qui Satanæ suam operam locant in regno Christi oppugnando, quales sunt Antichristus cum suis satellitibus hæreticis, impostoribus, tyrannis & horum ministris. Hi omnes (inquam) Christi hostes sunt, quia hunc persequūtur, dum Verbum eius & huic credentes extinctos volunt. Quòd si verò eos Christi pedibus subijci oportet, nunquam sanè efficient quod volunt, vtut consultando & machinando omnem lapidem moueant. Nam de omnibus his intelligi debet, quod in Psalmo secundo scribitur, fremere quidem gentes, & reges collectos sua conferre consilia, vt iugum excutiant, sed omnium istorum conatus irritos fore, & Christum tandem ferreo sceptro, id est, inuincibili potentia ipsos confracturum esse vt vasa fictilia siue testacea. Exempla, quibus istud confirmetur, multa in historijs passim occurrūt, & nostro seculo multis hoc infelicissimè cessisse vidimus, quòd aduersus Christum coniurauerunt. Possumus his connumerare peccatorum licentiam & quæ vbique nobis obijciuntur scandala, quò minus in regno Christi proficiamus. Nam hæc quoque Christus quotidie iudiciorum suorum seueritate coërcet, ne indomitum grassentur, eadem verò olim simul collecta igni æterno tradentur, sicuti ipse in parabola zizaniorum docet. Ex istis ergo consolationem petamus in tentationibus, nec dubitemus, suo tempore cessatura esse, quæ nunc nobis negotium faciunt. Regnat enim iam nunc in cœlis Christus, & regnum eius sempiternum est, in hoc autem seculo per crucem triumphat, quam olim gloria æterna sequetur.

Christi regnū perpetuum & inuictum.

Quia autem Christi pedibus omnia subijci oportere dixerat, periculum erat, ne quis Deum Patrem quoq; illi seruiliter subijciendum suspicaretur. Nam gentibus hæc dicebat Paulus, inter quas vulgò tritæ erant fabulæ de Saturno à Ioue & alijs filijs regno suo eiecto. Interserit ergo nonnulla quibus huic errori siue suspicioni medeatur, & ex Psalmi verbis, quæ adduxerat, argumentum sic colligit: Cùm autem dicit, omnia ei esse subiecta, palàm est hoc dici excepto eo, qui subiecit ei omnia. Quasi diceret: Qui omnia alteri subijcit, seipsum vtique non subijcit, neque potestate sua priuatur. (Nam nisi omnipotens sit, omnia cuiquam subijcere nō potest.) At Pater omnia subiecit Filio: Ergo ille huic subiectus non est. Imò tam abest, vt per subiectionem istā diuinæ Patris maiestati aut potentiæ aliquid derogetur, vt potius Filius sese illi subiecturus sit, idq; in eum finem, vt Deus sit omnia in omnibus.

Occurrit gentium fabulosis cogitationibus

Est autem diligentius considerandum, qua ratione Christus Patri subijciendus esse dicatur. Diuus Augustinus hoc de humana natura interpretatur: nimirum vt Arianis respondeat, qui ex hoc dicto aduersus Christi diuinitatem argumentabantur, vt eum Patre minorem esse euincerent. Sed quoad carnem, initio statim sese Patri subiecit, quando forma serui assumpta, sese exinaniuit, & obediens factus est vsque ad mortem crucis: hîc autem de subiectione, quæ nouissimo demum die futura sit, agitur. Itaque rectius hoc de Mediatoris officio intelligi debet, quo se tunc abdicabit, vt non amplius necessario. Quòd si verò id in fine seculi demum fiet, fungetur ille procul

Vt Christus Patri dicatur subijci.
Phil. 2.

dubio interea hoc munere, & proinde nimium iniqui sunt, qui eo illum nunc spoliant, vel hoc in Diuos transferunt. Cessabit autem tunc Christi Mediatoris officium, vt Deus sit omnia in omnibus. Est quidem nunc quoque Deus omnia in omnibus, quia in illo viuimus, mouemur & sumus, sed eo sensu hoc dicitur, quia tunc immediatè absque omnibus adminiculis regnabit, quibus nunc propter nostram infirmitatem vtitur: nosque ab eo immediatè omnia ea percipiemus, quæ nunc partim creaturarum ministerio, partim Christi intercessione accipimus. Itaque ad solum Deum omnia referentur, verum videlicet illum Deum, in cuius vna substantia (vt ex alijs Scripturæ locis patet) sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus. Et tunc quoque nostra perficietur felicitas, quia & Dei dilectio in nobis consummabitur, nosque cum redemptore nostro IESV CHRISTO, viuemus atque regnabimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXXII.

Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non excitantur? & cur baptizantur pro mortuis? Et cur nos periclitamur omni hora? In dies morior per gloriationem nostram, quam habeo in CHRISTO IESV Domino nostro. Si secundùm hominem aduersus bestias pugnaui Ephesi, quæ mihi vtilitas, si mortui non excitantur? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne errate. Mores bonos commercia corrumpunt mala. Euigilate iustè, & ne peccate. Quidam enim Deum non norunt. Ad pudorem vobis loquor.

ETsi resurrectionis mortuorum articulus non solùm in Veteris & Noui testamenti scripturis tradatur, verumetiam exemplis infinitis, quæ in rerum natura fiunt, confirmetur, non possunt tamen illi fidem habere ij, qui sola carnis ratione ducuntur. Imò ijdem ferè vndique argumenta conquirunt, quibus illum in dubium vocent, & incredulitatem suam foueant. Quia verò plerunq; ad absurda confugiunt, quæ ex resurrectione consequi videntur, Paulus vicissim absurda plura & maiora congerit, quæ omnino sequi necesse sit, si illa negetur. Et initiò quidem ea recensuit, quibus tota religio Christiana cum suis principijs euertitur. Si enim mortui (inquit) non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. At si hic non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis etiam est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris, & quotquot in Christo obdormiuerunt, perierunt. Subiecit his deinde argumenta quædam, quibus Christi virtus & meritum illustratur, eaque occasione in statum futuri seculi & regni Dei administrationem digressus est. Nunc redit ad absurdorum enumerationem, vt euidentius doceat, quàm fallantur suis rationibus, qui resurrectionem negare audent.

Baptizari pro mortuis.

Primùm ritu baptismi, qui tunc in vsu erat, aduersarios confutat, sic dicens: Alioqui quid facient qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui non excitantur? cur & baptizantur pro mortuis? Quæ verba plerique veterum de ijs exponunt, qui nomine aut loco suorum, qui iam defuncti erant, baptizabantur, quasi id illis aliqua ratione prodesset. Et Chrysostomus non minus ridiculum quàm impium Marcionitarum errorem exponit, qui si quem priusquam baptizatus esset mori contingeret, lecto eius aliquem supponere solebant, qui interrogatus num baptizari vellet, pro mortuo respondebat, & simul baptizabatur. Sed credibile non est, Apostolum errorem tam fœdum tamque ludicram baptismi prophanationem dißimulaturum fuisse, qui vitia multò leniora hucusq; grauißimè corripuit. Si enim fides aliena neminem seruat, sed iustus sua fide viuit, quantò minus ad salutem alicuius proderit, si quis alius pro ipso vel baptizetur, vel Cœnæ mysticæ communicet? Deinde pugnat hoc cum totius Scripturæ sacræ consensu, in qua nulla prorsus sacra pro defunctis, nulli ritus, deniq; nihil omnino traditur, per quod defunctorum saluti consulatur.

Alij

Alij à fine baptismi argumentum duci existimant, qui est, vt aduersus mortem remedij loco sit, eò quod regenerationis symbolum continet, sine qua salus nobis constare non potest. His pro mortuis baptizari idem est, quod baptizari in resurrectionem à mortuis. Et hi ritus veteris meminerunt, quo de mortuorum resurrectione olim potissimùm interrogati sint, qui baptizabantur. Sed nullis Scripturæ exemplis demonstrari potest, hoc primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus vsitatum fuisse, hîc autem de actione quadam peculiari agitur, quæ etsi in vsu fuerit, non tamen omnibus communis erat, sicuti ex Pauli verbis diligentius inspectis depræhenditur, quæ certum quorũdam baptismum denotant, in cuius forma & vsu nihil ille repræhendit.

Quapropter mihi præ alijs eorum sententia probatur, qui eos notari existimant, qui cùm Christi cognitione & fide imbuti essent, baptismum tamen vel metu vel alijs de causis distulerant, donec morbo præuenti illum requirebant, & Ecclesiæ atque Christo tunc demum nomen dabant, ne absque publico salutis testimonio, quo credentes Dominus initiari voluit, ex hac vita emigrarent. Erat is pius affectus, & quàmuis mora ista siue cunctatio repræhensionem mereretur, non tamen ab Ecclesiæ societate arceri aliquo iure poterant, qui vel serò tandem fidem in Christum profiteri instituebant. Scimus quidem posteris temporibus eorum superstitionem exortam fuisse, qui baptismum ad horam mortis vsque consultò differebant, ne post illum acceptum rursus peccarent. Dicebantur hi Clinici, eò quòd in lectis decumbentes & iam morituri baptizarentur, eorum nimirum traditionibus decepti, qui post baptismum in peccatum relapsis veniam & remissionem negabant. Et erat quidem istorum superstitio inexcusabilis, cùm & gratiam Dei in dubium vocaret, & merito Christi derogaret, adhæc desperandi occasionem ijs præberet, qui pijs consolationibus erigi atque confirmari debebant. At quid hoc ad id, quod Apostolorum tempore alijs de causis & absque superstitione vsitatum fuit? Etenim credibile est, multos sub mortis articulum ita animo suo coarctatos fuisse vt quam hucusque dißimularant fidem in Christum, tunc profiterentur, & huius confirmandæ causa baptizari vellent. Exempla huius generis multa in Turcarum sacerdotibus ædi aiunt, qui ferè in Christianæ fidei confeßione moriuntur, & iam morituri baptismum flagitant, multi quoque seipsos baptizant, quando nemo est qui hoc officium illis præstet. Tales autem olim pro mortuis baptizari dicebantur, quia cùm vita eorum desperata esset, pro mortuis potius quàm viuis censeri poterant: deinde, quòd baptismi fructũ in morte demum perciperent, quo toto vitæ suæ curriculo hucusq; caruerant. Ex ea igitur cõsuetudine Paulus argumentũ ducit, quo eorum absurditatẽ arguit, qui mortuorũ resurrectionẽ negabant. Si (inquit) mortui omnino non excitantur, quid facient, qui iam morituri demum baptismum accipiunt? Hîc sane illis quoad hanc vitam inutilis est, cùm mox hinc emigrent. Nisi autem aliquando resurgant, ne mortuis quidem ille profuerit. Quid ergo sequetur aliud, quàm illos inani ludo seipsos fatigare? Nam etsi quis dicat, non perire baptismi huius fructum, eò quòd ad animam pertingat, quæ immortalis est: nihil tamen dixerit. Paulus enim ex natura & dignitate Sacramentorum argumentatur, quæ salutis plenæ & perfectæ sigilla sunt, & proinde non minus corpori quàm animæ seruiunt. Sunt enim symbola salutis in Christo exhibitæ, quem ideò hominem verum factum esse constat, vt tam corporum quàm animarũ redemptor atq; seruator fieret. Ita verò consuetudine & exemplo proprio eos confutat Apostolus, qui resurrectionem ex mortuis vellicabant. Solet huius generis multa accidere ijs, qui fidei articulis siue principijs cõtradicunt. Ita qui hodie salutis spẽ in creaturis collocant, Diuos inuocãt, indulgẽtias Romanas pecunijs redimũt, sacra pro defunctis instituũt, ij omnes proprij oris testimonio confutantur, quando Apostolici symboli articulos nobiscũ recitant, quibus se in vnum Deũ credere profitentur, qui Filiũ suũ pro nobis hominẽ fieri voluit, vt pro nostris peccatis in ara Crucis immolatus remißionẽ peccatorum & vitam æternam nobis mereretur. Sed non mirum est, si seipsos ludibrio exponant, quicunque in cœlum expuere audent. Vide Cyprian. lib. 4. epist. 7.

Cæterùm admonet nos mos iste veterũ, non temere negligi debere vsum Sacramentorũ. Nã etsi salus nostra externis symbolis minimè alligata sit, & sine his seruari poßunt, qui neceßitate ab eorum vsu excluduntur, non tamen absq; scelere & manifesto salutis periculo negligi poßunt à nobis, si eorũ vsus liber nobis cõcedatur. Nec enim temere à Christo dictũ est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. Itẽ: Hoc facite in mei cõmemorationẽ. Nec ignotũ est, quãta cũ seueritate Sacramenta non temere negligenda.

olim vetera mandauerit Deus, qui mortis supplicium ijs constituit, qui vel Circumcisionem contempsissent, vel sabbatum violassent, vel ignem alienum intulissent ad sacrificium, aut quodcunque aliud fecissent præter ritus ab ipso præscriptos. Adde his exempla primitiuæ et apostolicæ ecclesiæ, in qua Apostoli absque omni mora baptizandos esse censuerunt, quos fidem in Christum amplexos esse & salutis desiderio ardere videbant: quales Hierosolymitani fuerunt, qui ad primam Petri concionem conuersi sunt, Eunuchus item Æthiops, Cornelij familia & alij, quorum mentio fit in Actis. Seruit hoc confutandis Anabaptistis, qui paruulos baptizari nolunt, quia fidem in Christum nondum profiteantur: non autem obseruant, eosdem à Christo in credentium numero censeri, & hunc mandasse, vt ad se adducantur: denique quòd fœdere Dei comprehensi, à populi Dei societate reijci non possunt, nisi illud violare, aut saltem angustioribus finibus, quàm ipse velit, circumscribere libeat. Eadem est Cœnæ Dominicæ ratio, quam minimè intermittere decet eos, quibus eius vsus liber & tutus obtigit. Si qui enim hîc negligentiores sunt, næ illi non satis dignè æstimant mortis Christi beneficium, in cuius memoriam illa instituta est. Peccant ergo non parum, qui papistica superstitione adhuc detenti sufficere putant, si semel in anno sub festum Paschatis communicent: quasi verò semel tantum pro redemptione nobis per Christum facta gratiæ agi debeant. At ijdem iam morituri Cœnam sibi priuatim administrari volunt, quam cùm valetudine integra fruerentur, cum alijs publice sumere noluerunt.

Ab exemplo Apostolorũ perpetuo pro Veritate periclitantium.

Sed in Pauli verbis pergamus, qui alterum absurdum ab Apostolorum aliorumque seruorũ Christi exemplo adducit, quorum labores omnes pereant & pericula sint superuacanea, si resurrectionis spes è medio tollatur. Et cur nos periclitamur (inquit) omni hora, si scilicet mortui non resurgunt? Conuenit hoc cum eo, quòd supra dixit perijsse omnes, quotquot in Christo obdormierũt, si nulla sperari debeat resurrectio ex mortuis. Est autem hoc non absurdum modò, verumetiam dictu & cogitatu durissimum. Quis enim de re Christiana honorificè sentire dicat eos, qui huius doctores Apostolos, & eiusdem sanctissimos atque grauissimos testes, sese præter omnem rationem & absq; retributionis spe tantis laboribus atque periculis obiecisse dicunt? At quæ causa iusta & grauis adduci, quæ retributionis spes monstrari poterit, si nulla sit mortuorũ resurrectio? Nam si quis animam seruari dicat, mox respondebitur: Atqui retributio illa manca & imperfecta, imò ex parte iniqua fuerit, cùm maior laborum pars ad corpus pertineat, quod illi ab omni remunerationis spe excludunt. Ita ergo non Apostoli modò & sancti Martyres suo honore spoliabuntur, verumetiam Dei iustitia periclitabitur.

A proprio exẽplo.

Ne tamen Paulus in aliorum modò persona loqui putetur, ipse ignauus & otiosus spectator, & extra omnem teli iactum constitutus, hoc ipsum exemplo proprio illustrat & confirmat: Indies morior per gloriationem nostram. Iusiurandum interponit, quia causa grauis erat, ex qua Dei gloria simul & salus nostra omnis dependet. Iurat autem per gloriationem communem Christianorũ, quam habẽt in IESV CHRISTO, quem in cælis ad dexteram Patris regnare, & nouissimo die ad iudicium venturum esse sciunt, vt tam corporibus quàm animabus eorum, qui in ipsum crediderunt, digna fidei & pietatis præmia retribuat. Nec aliud intelligi debere per gloriationem illam ex alijs locis constat, quibus idem Paulus se nihil quàm IESVM CHRISTVM nouisse testatur, & insuper addit: Absit, vt glorier præterquam in cruce IESV CHRISTI, &c. A cruce autem & morte eius resurrectionem minimè separari debere, notius est quàm vt demonstrari debeat. Prudenter autem & grauiter per hoc ipsum iurat, de quo controuertebatur, vt ostendat, quàm hoc illi certum atque persuasum sit. Quid verò iurat? Indies morior, id est, periculis indies nouis & ipsa morte grauioribus exerceor. Et licebat ei hoc dicere, cùm eius labores omnibus noti essent, adeò vt ne hostes quidem & æmuli illos possent negare.

1. Cor. 2. Gal. 6.

Paulus cum bestijs pugnauit.

Porrò ex multis exemplum subijcit cùmprimis memorabile, quod non ita pridem Ephesi acciderat, vnde epistolam hanc misit. Si (inquit) secundùm hominem, id est, non alia grauiori aut sublimiori causa quàm humano affectu, vtpote ambitione aut temeritate confidentiori abreptus, aduersus bestias pugnaui Ephesi, quæ mihi vtilitas, si mortui non excitantur? Exponũt hoc quidam de hostibus, quos Ephesi grauissimos & truculentissimos habuit, à quibus seditionem publicam aduersus illum authore Demetrio aurifabro excitatam fuisse, Lucas in Actis scribit. Et hos bestias dici

dici putant propter indomitum furorem, quo in illum ferebantur. Monet eos ad hanc sententiam amplectendum, quòd nullius historiæ Lucas meminerit, ad quam hæc verba, si propriè accipiatur, possint referri. Atqui idē ne eorum quidē mentionem facit, quæ in posteriori epistola Cap. 11. & 12. habentur. Nec enim omnia singillatim describere voluit Lucas, cui satis fuit seriem eorum contexere, quæ ad Euangelij longè latèque per orbem propagati historiam pertinebant. Et si Lucæ tale quid narranti crederent, cur non potius Paulo ipsi fides habeatur hoc de se dicenti? Etenim non credibile est, illum labores suos & pericula locutionibus figuratis amplificare voluisse apud eos, quos iniquius de se sentire, & omnes calumniandi occasiones auidè venari non ignorabat. Ego igitur hæc ab illo verè & germano sensu dici existimo, cùm de periculo loquatur, quo ipse potissimùm petitus sit, quale nihil illum passum esse in seditione per Demetrium excitata, ex historia satis apparet. Nam à discipulis simul atque Asiæ primatibus prohibitus fuit, ne se furentis populi manibus obijceret. Fuit autem vulgare illo sæculo, vt qui mortem meruisse videbantur, vel nudi bestijs obijcerentur mox ab his laniandi (quod D. Ignatio & alijs Martyribus accidisse scimus) vel armati cum bestijs pugnare cogerentur, vt populo spectaculum exhiberent: & hos solebāt bestiarios dicere. Erat his quidem spes aliqua vitæ proposita, si vincerent, ea tamen pauci potiebantur, eò quòd bestijs deuictis nouæ succederent, cum quibus pugnam instaurare oportebat. Fuit ergo hoc genus supplicij cum aperto vitæ discrimine simul & infamia coniunctum. At quæ mihi ex eo vtilitas (inquit Paulus) si resurrectio nihil præter inane figmentum est? Aut quis me vel quenquam alium humano affectu rapi putet ad ea, ex quibus neque commodum neque gloria aliqua potest sperari? Ita verò exemplo proprio doctrinam suam confirmat, quod imprimis facto opus est. Nihil enim ad persuadendum efficacius est, quàm si exemplum in doctore aut monitore suo homines sibi propositum esse videant.

Interim obseruare debemus hoc loco indignam in hoc mundo piorum sortem. Quod enim Paulo accidit, quem ad dirum & triste hoc supplicij genus Deus passus est abripi, id commune & vulgare fuit tunc temporis, vt videre est in Tertulliani Apologetico: & hodie si non eadem, non tamen hoc mitiora exempla adduntur. Nec temere ab Apostolo nostro dictum est, omnes eos persecutionem pati, qui in Christo piè viuere instituunt. Neminem ergo offendat nostri sæculi ingratitudo & crudelitas. Cui enim parceret mundus hic, qui ne Christo quidē, æterno Dei Filio, pepercit? Quoad autem veterum Martyrum supplicia, meminerimus illa totidem argumenta esse, quibus suam de salute æterna fidem atque doctrinam confirmauerunt. Non poterit ergo ea negari, nisi simul illos extremæ stultitiæ & vanitatis accusare libeat. Quòd si verò nobis aliquid simile ferendum sit, non graue nobis videatur tam sancto & glorioso veterum Christi sodalitio accenseri. Solentur autem nos, quòd Deus facilè, si velit, suos potest ex tentatione eripere. Sin verò nolit, non est quod quiritentur: quando semel emensi huius vitæ curriculum, ad cœlestes sedes colliguntur, in quibus animæ viuunt & gaudent, dum corpora spe lata resurrectionis ab omni labore suo quiescunt. Qui verò ipsos persequuntur, ijdem Dei quoque hostes sunt, & olim ad æternos cruciatus detrudentur cum principe suo diabolo, cui nunc seruiunt.

Sors Christianorum in hoc sæculo.

2. Tim. 3.

Sed ex eo, quod dixit, tertium absurdum colligit Paulus: nimirum sublata spe resurrectionis, non modò piorum patientiam & constantiam damnari, verumetiam mundo & carni deditis fenestram, siue ostium potius, ad omnem licentiam & nequitiam aperiri. Id verò per Mimesim enuntiat, Epicuræorum verbis vtens, quibus hi admonitiones sobriorum & temperantiæ præcepta eludunt, dicentes: Edamus & bibamus, cras enim morimur. Itaque verborum istorum sensus est: Si nulla nobis est resurrectionis spes, quid obstat, quò minus ventri & gulæ dediti, Epicuræos illos imitemur, qui quòd se morituros esse sciunt, futuræ autē vitæ spē nullā habent, omne tempus sibi perijsse arbitrantur, quod voluptatibus fœdis non impenditur? Tales apud Isaiā Cap. 22. describuntur: Vocauit Dominus Deus exercituū in illa die ad fletū & planctū, ad caluitiū & ad cincturā sacci: & en lætitia & gaudiū, cædendo boues, mactando oues, edendo carnes & bibendo vinū, edere, bibere, cras enim moriemur. Ad quæ verba in præsenti Paulus alludit: & prudenter quidem, quando inter gentes omnibus sæculis plurimi fuerunt, qui idē sentirent & dicerent. Ægyptij certè in conuiuia hominis dudum mortui cranium inferre solebant, vt eo viso sortis suæ morta-

Sublata resurrectionis spe licentia morum inducitur.

lis recordarentur, eoq; studiosius genio indulgerent, ne quod tempus ipsis inutiliter periret. Et nota est Sardanapali, vltimi Assyriorum regis, historia, cuius hoc Epitaphium apud Strabonem legitur: Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialem & Tarsum vna die condidit: Et tu hospes ede, bibe, lude. Item:

Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Delitijs animum, post mortem nulla voluptas.
Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam:
Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit: at illa manent multa & præclara relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Humani ingenij corruptio. Eccle. 7. Eccli. 7.

Apparet in istis horribilis naturæ & ingenij humani corruptio. Quotquot communi sensu ad huc integro vtuntur, ij mortis consideratione ita ferè terreri solent, vt huius sæculi delitijs non multum moueantur, & mordaci quadam cura atque solicitudine seipsos discrucient. Ideo sapientissimus ille mortalium Solomon dicebat: Melius est adire domum funeris, quàm domum conuiuij. Illic enim cernitur finis omnium hominum, & viuens id reponit in corde suo. Et alter ille sapiẽs: In omnibus factis tuis memento finis, & in æternum non peccabis. At ea est multorum peruersitas, vt ideo sibi quiduis licere putent, quòd mortales sint, mortis verò horam ignorent. Et hi sunt illusores illi, quos nouissimis temporibus exorituros esse Petrus olim prædixit, & quorum voces hodie passim audiuntur: Et quis nouit quando nobis moriendum sit? quis vltimum mortalium sepulturus sit? aut quænam sit vitæ futuræ conditio? Quin ergo præsenti fruimur, futuram certis & curiosis illis relinquentes, qui ne cœlum ruat, metuunt, &c. Sed ijdem meminerint ad se imprimis pertinere, quod sui sæculi illusoribus Isaias in loco supra citato respondet: Reuelatum est hoc in auribus Domini exercituum, non expietur vobis hæc iniquitas, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum. Quibus adde, quæ in Apostolicis & euangelicis scripturis de repentino & improuiso Christi ad iudicium aduentu dicuntur. Matth. 24. 1. Thes. 5. 2. Pet. 3.

Admonitio apostolica. *Lib. 3. cap. 16.*

Ideo grauem admonitionem Paulus hoc loco subijcit: Ne errate. Id est, ne fallatis vosipsos, neque locum detis eiusmodi illusorum sermonibus. Et mox causam adducit: Mores bonos commercia corrumpunt mala. Est hic Senarius Iambicus, quem plerique Menandri esse tradunt, at Socrates Ecclesiasticæ historiæ scriptor illum Euripidi tribuit. Voluit autem eo vti Paulus, cùm similia multa ex sacris literis proferre posset, partim quia verissimè hoc dictum est, partim quia Corinthijs id non ignotum esse poterat, qui in theatris hæc & alia huius generis non rarò audiebant. Et licet interdum exterorum exemplis aut testimonijs vti, si ita res ferat. Semper enim sibi constat veritas, per quemcunq; prædicetur: & multa Deus gentium cordibus inscripsit, quæ poëtæ & philosophi illustrarunt, ne prorsus exleges indomitum furerent. Proderat etiam Corinthiorum negligentiam argui, qui in re tam graui tamque seria scurrilibus hominum leuissimorum dicterijs locum dabant, quæ in quotidiana vitæ consuetudine vitanda & explodenda esse, poëta docet.

Colloquia praua vitentur.

Et sanè debet hæc admonitio ad omnes sermones & omnia cõmercia extendi. Quod enim in Resurrectionis articulo fit, hoc ipsum in omnibus alijs solet fieri. Cuius mali causa est, quòd animus noster originali & hæreditaria vitiositate corruptus facilè accenditur, vt desideria illicita & cogitationes malas concipiat. Et vt sermo animi nostri index est, ita in aliorum quoque animos efficacissimè penetrat, vt eo ad malum excitentur. Exempla eius rei quotidie occurrunt in iracundis, qui vno verbulo irritati fulminant & cœlum terræ miscere conantur: in libidinosis, qui dicto aut cantu lasciuiori accensi turpissima designant. Ideo scripturæ nõ vno loco iubent, vt ori nostro claustrum, linguæ autem frænum injiciamus, ne temerè cum aliorum offensione vagetur: & grauissima est Christi admonitio, qui nos de quouis verbo otioso olim rationem reddituros ait. Cuius vtinam diligentius meminissent, qui nulla vel Dei vel auditorum ratione habita, quicquid in buccam venit, temerè effutiunt. Quorum licentia cùm maior sit, quàm vt facilè coërceri possit, discant saltem pij à talium commercijs sibi cauere, & si id non omnino licet; aures saltem obturare, ne quid bonis moribus inimicum, aut à pietate alienum, per has in animos vsque descendat.

Sobriam vigilantiam præcipit.

Facit autem ad breuis huius admonitionis confirmationem quod sequitur: Euigilate iustè, & ne pec-

ne peccate. In Græco est ἐκνήψατε, quod propriè dicitur de ebrijs, vbi crapulam edormierunt. Conueniebat autem Metaphora hæc probè ijs, qui nimiùm socordes & somnolenti scurrarum impiorum dicterijs se inebriari patiebantur, vt ipsi quoque sui ingenij vires in eo ostentarent, si eluderent mirificè, quæ de mortuorum resurrectione & fine mundi dicuntur. Hortatur ergo, vt tandem excusso hoc tam pestilenti veterno, iustè euigilent, id est, ita, vt non in malo solertes & acuti sint, sed in ijs ingenij vires exerceant, quæ professionem Christianam decent, & ad mutuam in fide ædificationem faciunt. Et ne hoc frustra monere putetur, addit: Quidam enim Deum non norunt: Ad pudorem vobis, vel ad vestri confusionem loquor. Quasi diceret: Vos quidem vobis hominum sapientissimi & acutissimi videmini, quando argumenta eiusmodi disputationis ergò profertis: sed reuera extremam stultitiam proditis, & quòd ne eam quidem Dei cognitionem assecuti sitis, quam vulgares Christiani habere debebant: imò prima adhuc rudimenta religionis Christianæ ignoratis. Id verò dico, vt vos pudore suffundam, & vt in posterum modestius & religiosius sapere discatis. Ita ergo etiam hodie eos tractare oportet, qui cùm sublimium mysteriorum cognitionem sibi vendicent, de ijsdem audacius disputandò ità hallucinantur, vt ad principia religionis turpissimè offendant. Si enim Christus Cleopam & comitem huius stultos dixit, qui bonò & pio zelo circa ipsius resurrectionem hæsitabant, quid non merentur audire, qui consultò ea inficiari audent, ex quibus salus nostra omnis dependet?

Simul autem admonemur hoc loco, veri Dei ignorantiam, causam esse eius incredulitatis, qua mortuorum resurrectio negatur. Nam qui Deum verè nouerunt, ij eius voluntatem, iustitiam & omnipotentiam ignorare non possunt. Atqui tria hæc in articulo isto concurrunt. Et voluntatem quidem suam iam olim in Verbo suo expressit, quo se mortuorum quoque Deum esse testatur, & ijsdem resurrectionem pollicetur. Loca Scripturæ nunc citare non opus est, cum hanc legentibus passim occurrant. Præ alijs tamen illustria & indubia sunt, quæ extant Psal. 16. Isa. 25. Ezech. 37. Daniel. 12. Ioan. 5. Matth. 24. & 25. At voluntatis huius fundamentum est iustitia, quæ retributionem tam bonis quàm malis dispensat. At hæc in præsenti sæculo aut nulla aut rarissima est, quod optimorum etiam querelæ testantur. Ergo in altero sæculo fiat oportet, & vt eadem perfecta & æqua sit, corpora quoque excitari necesse est, quæ nobis tam ad pietatis officia, quàm ad scelera seruierunt. Cùm ergo velit simul & debeat Deus nos in vitam restituere, non aliud restat, quàm vt hoc illum posse intelligamus. Atqui Dominus exercituum & omnipotens est, qui omnipotentiam suam tam inde à prima rerum origine factis & operibus innumeris declarauit. Nam solius Verbi sui virtute vniuersam hanc mundi fabricam ex nihilo produxit, & de illo verissimè illud canitur: Deus noster in cœlo est, omnia quæ voluit, fecit. Poterit ergo idem ille cadauera in pulueres & cineres conuersa nobis reddere, & ijsdem vitam quoque restituere. De quo neminem pium & cordatum dubitare patiuntur, quæ in rerum natura videmus, exempla. Vt enim à nobis ipsis incipiamus, annon fœtus in matris vtero animam vitalem hauriens, & suo tempore in hanc lucem prodiens, resurrectionis nostræ typus est euidentissimus? Nonne terra cum plantis suis hyberno tempore mortua, vere autem nouò quasi reuiuiscens, eandem nobis adumbrat? Quid de frumenti grano dicemus, quod nisi terræ mandatum emoriatur, fructum non feret? Sed & diem suis vicibus mori & viuere, id est, occidere & oriri videmus. Quæ ergo dementia fuerit, homini, creatorum omnium principi, id negare, quod terræ, quod seminibus, quod omnibus propè inanimatis concessum est? Num his omnibus suo modo reuiuiscentibus, solus homo semel extinctus perpetua morte premetur? Certè, qui ita sentiunt, ij neque iustitiam neque omnipotentiam Dei agnoscunt: quod olim Christus quoque Sadducæis exprobrauit. Hi denique veri illi Nabales sunt, qui si non ore semper, in cordibus tamen suis dicunt, Non est Deus. Itaque horum memores, confirmemur in fide IESV CHRISTI, qui ideo mortuus est & resurrexit, vt viuis & mortuis dominetur, & in se credentes seruet quoad corpus & animam. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Dei ignorantia facit, vt Resurrectio negetur.

Exo. 3.

Matth. 22.

Psal. 115.

HOMILIA LXXXIII.

At dicet aliquis: Quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt? Demens, quod tu seminas, non viuiscit, nisi mortuum fuerit. Et quod seminas, non corpus nasciturum seminas, sed nudum granum, prout inciderit, tritici aut alicuius ex reliquis: Sed Deus ei dat corpus vt voluit, & singulis seminibus suum corpus.

INter fidei Christianæ articulos vix alius est, à quo humana ratio magis abhorreat, quàm is quo corporum nostrorum resurrectionem ex mortuis profitemur. Vt enim caro nostra mortem natura metuit & abominatur: ita aliquem ex ea in vitam restitui impossibile esse sibi persuadet. Ideo frequenter de illa Spiritus Sanctus in Scripturis disserit, & eandem Apostoli in suis concionibus atque scriptis præ alijs articulis vrgent. Omnium verò diligentissimus in hac causa est Paulus hoc Cap. quo prolixè illis respondet, qui illam apud Corinthios negabant. Et hactenus quidem argumentis solidissimis probauit, eam negari non posse, nisi omnia religionis Christianæ principia conuellere, & indomitæ vel belluinæ potius, scelerum licentiæ fenestras aperire libeat. Quibus absolutis, nunc ijs respondet, qui eam quæstionibus non minus impijs quam scurrilibus in dubium vocabant.

Quæstiones aduersariorum proponit.

Principio quæstiones istorum ipse proponit, nè quid in causa tanti momenti dissimulare videatur. Est hoc candoris apostolici argumentum, qualia multa in illorum scriptis occurrunt. Qui auditores siue lectores fallere instituerunt, ij consultò non attingunt ea, quæ sententiæ suæ aduersari vident. At qui in docendo fideles & Veritatis amantes sunt, illa quoque studiosè adducunt, & quàm infirma sint, aut quibus rationibus dilui siue confutari possint, demonstrant. Id ipsum ergo in præsenti Paulus obseruans ait: Quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt? Duas quæstiones coniungit: Alteram de resurrectionis modo: Alteram de corporum resuscitatorũ qualitate aut conditione. Vtramque ita proponunt impij & Epicuræi illusores, vt simul ab Impossibili euincere conentur, inane figmentum esse, quicquid de mortuorum resurrectione dicitur. Ad priorem pertinet, quod dicunt: Quî obsecro fieri potest, vt omnium eorum corpora, qui diuersis leti generibus iam inde ab origine rerũ absumpti sunt, & porrò in fine sæculi vsque tollentur, olim resurgãt, et quidẽ ea corpora, quorũ alia in terra defossa cõputruerunt, alia in aquis perierunt, alia flãmis in cineres redacta, alia à bestijs diuersis discerpta et deuorata sunt? Quis non videat quàm horribilis tumultus & inextricabilis rerũ confusio oritura sit, si omnia corporis alicuius mẽbra ad locum suum reuerti debeant? Quòd si verò quis Dei omnipotentiam opponat, cui hoc facile sit, & quam negare nimis impudens esset, mox ad alteram quæstionem transeunt: Dic ergo, si mortui omnino resurgent, qualia illorum corpora tunc erunt? Etenim in præsenti multum inter se differũt forma & habitu, alia alijs præstant, & alia alijs vitiosiora sunt: In morte autem ita defœdantur, vt non formam modò priorem, verumetiam membrorum vsum amittant, imò ne ab amicis quidẽ facilè agnoscantur. Adhæc aspectu & fœtore nauseam mouent: quæ causa est, vt plerunque illico veste sepulchrali induantur occlusis prius illorum oculis, multi etiam iam morituri amicos & domesticos suos rogent, ne post mortem à quoquam videantur: quod de Cyro suo Xenophon annotauit. Quòd si ergo hæc ipsa corpora nobis restituuntur, qualia prius fuerunt, næ non multum est, quòd de resurrectione illorum aliquid gloriemur. Si alia, iam non erit corporum nostrorum resurrectio, & stulti nimis sunt, qui ea præsentis sæculi commodis fraudant spe futurorum bonorũ, quæ illa nunquam percipient: adhæc qualia nam corpora illa futura sint, scire cupimus. Hæc & alia huius generis olim Apostolis & Christianis omnibus à philosophis & impijs vitæ futuræ contemptoribus obijci solebant. Multi quoque, vt omnem resurrectionis spem euerterent, Martyrum cineres dissipare, vel etiam in mare aut in profluentem abijcere solebant. Hodie etiam eiusmodi multa fiunt & dicuntur à fidei nostræ aduersarijs.

Quæstionibus respondet per similia pro auditorum captu.

Cæterùm ad vtramque quæstionem grauiter admodùm Paulus respondet. Non autem vel

Dei

Dei potentiam simpliciter allegat, vel Scripturæ veteris oracula, nec etiam ad reuelationes confugit, quas multas & eximias poterat adducere: quia cum illis ipsi res erat, qui hæc omnia ludibrio habuissent. Itaq; argumenta ex rerum natura profert, vt istorum stuporem belluinũ arguat, quibus id impoßibile videbatur, cuius exempla viua quotidie in terræ prouentu cernebat. Est autem hoc doctoris boni officium, vt non fideliter modò, verumetiam circumspectè & prudenter ea proferat in medium, quæ maximè idonea sunt pro locorum & temporũ ratione, siue auditorum captu. Hoc enim Christus præcipit, quando nos œconomis confert fidis & prudentibus, qui familiæ suæ dimensum suum in tempore depromere debeant: quò Paulus quoque respiciens doctorem requirit, qui Verbum Dei rectè secare nôrit. Nec enim satis est dixisse quod verum est, nisi idem hoc præsenti causæ & auditorum ædificationi seruiat: ne nobis illud prouerbio in ineptos Oratores iactatum dici poßit: Omnia quidem bene, sed quorsum istud tuum tam bene? Alioqui & illud Salomonis in nos conueniet: Vt spina crescens in manu ebrij, sic parabola in ore stultorum. Prouerb. 26.

Admonemur præterea Pauli exemplo, omnium esse, vt quæ in rerum natura fiunt, diligentius obseruent. Illic enim non solùm quæ corpori & vitæ sustentandæ seruiunt proponit Spiritus sanctus, verumetiam exempla, quibus fides nostra confirmetur, nosque simul officij in rebus agendis aut vitandis admoneamur. Nouit enim Deus quàm tardi simus ad ea percipienda, quæ in salutis negotio cognitu quàm maximè necessaria sunt: quam item facilè eorum obliuio nobis obrepat, sine quibus salus nobis non potest constare. Quæ causa est, quòd plerumque parabolarum, quibus nos erudit, argumenta ex rebus quotidianis & vulgo vsitatis sumit, vt quocunque oculos vertimus, ea nobis occurrant, quæ nos indesinenter cogitare conuenit. Et hi sunt libri illi laicorũ, quibus tutò & cum fructu vti poßumus: non autem imagines, quas homines superstitiosi isto honore & titulo dignantur. Sed quia de his alibi, nunc Paulum ad quæstiones istas respondentem audiamus.

Ad primam pertinet quod dicit: Demens, quod tu seminas, non viuiscit, nisi mortuum fuerit. Primò dementes aut stultos dicit eos, qui de corporum nostrorum resurrectione, vt re absurda & impoßibili, quærunt. Neq; ideo in Christi præceptum peccasse putandus est, quo gehennæ incendio digni pronuntiantur, qui fratres fatuos dixerint. Ibi enim de illis agitur, qui prauo odij affectu aut vindictæ cupiditate abrepti fratres cõuiciantur. At Paulus hoc agit, vt eos ad meliorẽ mentem reducat, qui carnis prudentiam secuti mysteria tanta ad suæ rationis calculum reuocabant: & Christi exemplum imitatur, qui similiter stultos dixit Emmauntinos illos discipulos, quibus sua Resurrectio dubia videbatur. Monet ergo, ne suam stultitiam prodant, dum mortalium acutißimi videri volunt. Et quis non fatuos & dementes dixerit eos, qui neque Dei voluntatem, neque eius iustitiam, neq; omnipotentiam nouerunt, quæ omnia in hac causa concurrere, nuper diximus? Quis item stupidißimos esse negauerit, qui in semetipsis non obseruant, quod in rerum natura quotidie occurrit? — *Demẽtes sunt, qui de Resurrect. vt re impoßibili dubitant.*

Ideo in ipsos argumentum retorquet, & quia eis impoßibile videtur, vt corpus mortuum & putrefactione iampridem resolutum reuiuiscat, sementis exemplo docet, morte & resolutione illa resurrectionem adeò non impediri, vt potius per illam adiuuetur & promoueatur. Argumentabantur illi ad hunc modum: Impoßibile est ea corpora in vitam restitui & resurgere, quæ iampridem mortua & putrefactione omnino resoluta sunt. Ergo nulla est mortuorum resurrectio. Inuertit hoc argumentum Paulus, & ideo resurrectura dicit corpora nostra, quia moriantur & putrefiant. Est enim hæc naturæ lex, vt corruptio generationem præcedat. In exemplũ verò sementẽ adducit, in qua illud euidentißimè cernitur. Nec dubiũ est, illum ad Christi verba respexisse, qui de sua morte & resurrectione eiusq; fructu loquens, ait: Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti proiectum in terram mortuum fuerit, ipsum solũ manet: Si verò mortuum fuerit, multũ fructum affert. Nec est quòd aliquis excipiat, seminibus naturalẽ germinandi vim inesse, qua cùm corpora nostra destituantur, non posse de eis idem quod de illis dici. Nec enim nostra virtute resurgemus, sed Spiritus Christi virtute, qua hic excitatus est. Quod alibi his verbis Paulus enuntiat: Si Spiritus eius, qui excitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantẽ eius Spiritũ in vobis. Et ipse Christus vo- — *Resolutio siue corruptio Resurrectionem iuuat.* — *Ioan. 12.* — *Roma. 8. Ioan. 5.*

tis suæ meminit, ad cuius mandatum, qui in monumentis iacent, sint surrecturi. Quo pertinet, quod alibi de tuba Dei & voce Archangeli dicitur. Quibus adde, quòd qui seminibus vim illam generandi & germinandi inseuit, idem nostra quoque corpora resurgendi facultate donare poterit. Ideo Paulus argumentum istud in præsenti ita proponit, vt singula verba Emphasim habeant. Tu (inquit) quod seminas, &c. Quasi diceret: Tu, qui homo es peccator, mortalis, infirmus & nullis non casibus obnoxius, sementem facis, & quæ tu sulcis aut hortis mandas semina, viuiscunt, postquam emortua & corruptionem passa fuerint. Quæ ergo dementia fuerit, de corporum nostrorum resurrectione dubitare, quæ Deus ille omnipotens, immortalis & æternus seminat, & ea in terram, vnde primitus sumpta sunt, ea conditione vult reuerti, vt tandem ad vitā immortalē & nulli corruptioni obnoxiam resurgant? An ergo Dei sementem minor, quàm tuam, effectus sequitur? Et num quod tu seris, cum fœnore germinabit, quod autem Deus seminat, æterna morte sepultum iacebit? Hic verborum Apostoli sensus est.

Deus agit per contraria.

Est autem hîc obseruatu dignissima admirabilis Dei prouidentia, cuius singulare & proprium opus est per ea agere siue operari, quæ rationi prorsus contraria & aduersa videntur. Hic enim in prima rerum origine ex tenebris lucem eduxit. Hic fulgura & ignes ex aquis elicit, & per has discurrere facit, vt in Psalmo scribitur. Idem vt sanet, vulnerat: vt viuificet, occidit: denique per mortem ea perficit, quæ vitæ nostræ sustentandæ seruiunt. Terra certè hybernis frigoribus mortificata, vbi sub niuibus aliquandiu sepulta latuit, vere nouo rediuiua emicans fruges omnis generis ad humani generis & aliorum animalium alimoniam producit. Animalia item, nisi mactentur, nobis cibum & alimentum præbere non possunt. Quid, quòd nec Christi caro nobis panis vitæ esse potuit, nisi pro mundi vita daretur, quod in ara crucis factum esse scimus? Debent nos ista consolari in omni tentationum genere. Quid enim fuerit, à quo nobis meritò timeamus, quando ex ipsa morte spes vitæ certa affulget?

Sepulturæ ratio.

Venit etiam hoc loco consideranda sepulturæ ratio, ne illa nobis horrorem aut metum incutiat. Est ea sementis Dei. Vt enim semina sulcis mandantur, vt cum fœnore crescant: ita nostra quoque corpora ex Dei instituto sepeliuntur, vt olim præstantiora & nobiliora nobis restituantur. Viderunt hoc inter ethnicos quoque, quotquot sapientiæ studio accensi animos suos à terris paulò altius sustulerunt. Hinc Lucanus olim canebat: Tabes ne cadauera soluat,

An rogus, haud refert, placido natura receptat

Cuncta sinu. Et Paulo pòst: Capit omnia tellus, Quæ genuit, &c.

Apud Xenophontem verò Cyrus iam morti vicinus sic loquitur: Meum corpus, ô charissimi filij, neq; in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorsus vlla: sed illud terræ reddite quàm primùm. Quid enim hac re beatius, quàm terræ misceri, quæ pulchra omnia, bona omnia gignit & nutrit? Christiani quoque homines ex vetustissimo more adhuc nostro sæculo loca sepeliendis defunctorum corporibus destinata, agros Dei & Cœmiteria, quasi Dormitoria vocitant: vt nimirum recordentur sepulturam sementis instar esse, qua facta, corpora à laboribus suis somno profundissimo & securissimo quiescant, olim surrectura, vbi vniuersalis illa messis aduenerit, qua qui Dei triticum sunt, in cœlestis regni horrea colligentur, paleæ autem inutiles abijcientur, vt æternum in gehennæ ignibus ardeant. Istorum meminerint Christiani homines, quando suorum funera efferuntur. Agricola seminis iacturam cum gaudio facit, quia in messis venturæ spem totus animo intentus est: Cur ergo nos doleamus, si vel parentes, vel amicos, vel dulcissima pignora agro dominico credimus, vnde olim corporum nostrorum messis multò vberior atque beatior colligetur? Enimuero si seminibus aut sensus inesset, aut sermonis vsus daretur, non possent sementē sua dolere, quin potius hanc cum gaudij suauissimi significatione sustinerent propter mox sequentem lætissimam sui generationem. Cur ergo nos quiritamur, quibus spes certior multò & felicior est proposita? Sed de his plura adhuc in ijs, quæ sequuntur, dicenda venient.

Quo & quali corpore mortui resurgant.

Transit enim Paulus ad alteram quæstionem, vt quo nam & quali corpore mortui olim surrecturi sint, doceat. Sic autem ait: Et quod seminas, non corpus nasciturum seminas, sed nudum granū, prout inciderit, tritici aut alicuius ex reliquis: Sed Deus dat ei corpus vt voluit, et singulis

seminibus suum corpus. Dicit, non seminari corpus illud, quod nasciturum sit: quæ verba non ita accipi debent, quasi quoad substantiam corporis, aliud seminetur, aliud germinet aut surgat. Hic enim de qualitate corporum resuscitandorum sermo est, cùm illa omnino resurrectura esse, abundè demonstrauerit. Itaque hoc vult dicere Apostolus: Quemadmodum non totam spicam siue plantã totam seminas, qualis ea est cũ sua radice, caule, folijs & flore atq; inde nascituro fructu, sed nudum granum vel semen, id verò germinans radices agit & excrescit in sua quidem substantia, longè tamen pulchrius, præstantius, vberius atq; copiosius: Ita etiam de nostris corporibus fiet. Nam quæ nunc gestamus terræ mandantur, & eadem illa, non alia horum loco resurgent, non autẽ qualia nunc sunt, infirma, morbida, mortalia, sed clarificata & eximijs dotibus ornata. Et ita locum hunc Chrysostomus intellexit, cuius hæc verba sunt: Idem corpus, quod sepultum fuit, surget, & nõ idẽ: idem quo ad substantiam: non idem, quoad qualitatem. Videtur autẽ sub Pauli verbis argumentum latere à comparatis, quo corporum clarificatio confirmatur: Si nudum granum tanto cũ fauore germinat & è terra surgit, quantò magis hoc de nostris corporibus sperare debemus? Sed de gloria corporum resuscitatorum infra pluribus agetur, nunc quæ huius loci sunt cõsiderabimus. Habent enim singula verba quod diligentius obseruetur.

Occurrit hîc primũ, quòd corpora nostra granis aut seminibus cõfert. Ergo qualescunq; simus in hoc sæculo, diuites, pauperes, nobiles, obscuri, docti, indocti, liberi, serui, senes, iuuenes, beati, miseri, Dei tamen grana sumus. Nam vt non solius frumenti aut tritici meminit, sed in genere de quouis semine loquitur, quorum nullum negligit Deus, quò minus ipsum quoq; germinet & excrescat: Ita neque personarum diuersitas obstabit, quò minus omnium corpora in nouissimo die suscitetur. Obseruabis etiam, nihil hîc de cœlestibus influentijs, aut Luna, Sole alijsque cõstellationibus dici, sed Deum solum nominari cuius virtute semina germinent & crescant. Hic enim solus in tota rerum natura operatur, hic fruges in hominum vsum, & fœnum quoq; pecoribus producit, sicuti in Psalmis docemur: & nihil est qui plantat, nihil qui rigat, Deo autem omnis illa virtus adscribi debet, qui dat incrementum. Ita in resurrectionis etiam negocio, non in nostræ personæ conditionem, neque occultiorẽ aliquam naturæ virtutem, sed solum Deum respicere debemus. Huius enim virtute (vt supra dictum est) totum istud negotium perficietur: qui vt singulis seminibus corpus dedit prout voluit: ita nobis quoque corpora nostra restituet, & talia quidem, vt gloriæ cœlestis capacia esse possint. Et vnum hoc pijs sufficere debet contra quæstiones curiosorum hominum, & obiectiones siue argumenta, quæ illi ab Impossibili adducunt.

Corpora granis conferuntur.

Psal. 104. 145. 147. &c.

1. Cor. 3.

Deinde nudum granum seminari dicit Apostolus, quia non coniuncta habet folia, caulem, ramos. Ad eundem modum corpora quoque nuda sepulturæ mandantur. Induuntur quidem veste sepulchrali, & vt id fiat, humanitatis sensus & publicæ honestatis ratio monet. Sed quæcunque nobis in hoc sæculo agentibus splendorẽ aliquem addunt, ea omnia nos in morte destituunt, vt nullus ex illis decor nobis porrò accedat. Nullus enim tunc vsus est amicitiarũ, dignitatum, opũ: defluit formæ flos, vires deficiunt, torpor letalis membra omnia astringit, & vt vita recedit, sic omni etiam motu & membrorum vsu exuimur. Oportet enim impleri quod Deus olim pronuntiauit: Terra es, & in terram reuerteris. Ideo mors omnes homines æquare dicitur, qui dum in hoc sæculo viuunt, alij alijs plurimum præstare putantur. Etenim ad omnes pertinet, quod Iobus de semetipso dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus etiam eò reuertar. Et illud apostolicum: Nihil intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Prodest de his frequenter cogitare, ne mundi huius caduci & infelicis splendore nos capi patiamur. Vtamur eo, dum hoc à Domino nobis datur: non autem illo abutamur, memores, nos peregrinos esse, quibus migrationis aut profectionis hora à Deo constituta sit, quam nemo subterfugiet.

Corpora nuda sepeliuntur.

Iob. 1.

1. Tim. 6.

Imprimis autem breui hoc dicto immanis ille sepulturæ & sepulchrorum fastus confutatur, quo nihil inanius, nihil stultius, nihil homine Christiano indignius excogitari potest. Debent quidẽ funera honorificè duci, & honestè sepeliri corpora, quæ cùm in viuis essent, Spiritus Sancti templa fuerunt, & nunc in beatæ resurrectionis spe quiescunt. Sed & in cõmunem humanitatis sensum peccant, qui vel mortuorũ cadauera ignominiosius tractant (quod in Moabitis olim Deus grauissimè puniuit) vel eorũdẽ sepulchra violat: quod scelus gentibus quoq; atrocissimũ esse visum fuit, qui pu

Contra fastum sepulturæ.

Amos 2.

*blicis legibus pœnas statuerunt τυμβωρύχοις, id est sepulchrorum effossoribus. Interea tamen fa-
stus omnis à funeribus & sepulchris procul abesse debet, ne in ipso etiam mortis articulo super-
bum quid adhuc spirauisse, vel etiam nunc spirare videamur. Quid enim stultius quàm tunc super
bire, vel potius superbiæ pristinæ speciem inanem ostentare, quando neque manus neque pedes offi-
cium faciunt, & cum membrorum vsu sensum quoque omnem amisisti? Quid verò tam ridiculum,
quàm armis conspicuas imagines sepulchris imponi eorũ, qui à vermibus deuorantur, aut tabe fœti-
dissima consumuntur? Quid tam alienum à pietate, quàm sanguinis studium, cædes, rapinas in tem-
plis, imò in Dei conspectu ostentare, qui precantium quoque manus, si sanguine pollutas videat, a-
uersatur? At hac hodie gloriam sibi vendicãt nobiles & principes, & præ alijs quidem imprimis,
qui nihil vnquam vel pro patria vel communi religione egregium & laude dignum gesserunt.*

Deus singulis suum corpus dat.

Postremò addit Paulus, Deum singulis seminibus suum corpus dare. Ergo nobis quoque nostra restituentur, non autem alienis donabimur. Oportuit hoc addi propter ea, quæ prius dixerat: Tu quod seminas, non corpus nasciturum seminas. In hoc enim disputationis huius cardo versatur, vt ea ipsa corpora, quæ nunc gestamus, quæ cùm Deo visum est moriuntur & terræ credita resoluuntur & putrefiunt, olim resurrectura esse demonstret. Ideo disertè istud pronuntiat: Deus ei dat corpus vt voluit, & singulis seminibus suum corpus: In Dei quidem nutu & manu situm est, singulis creatis corpora dare prout ipsi libuerit, neque nunc nostrorum corporum formam, staturam & essentiam mutare possumus. Vt autem ea quæ seruntur semina germinant, & in suo quidem genere, neque pro tritico lolium, aut pro faba pisum siue hordeum nascitur: ita non alia, quàm quæ sepulta sunt, corpora resurgent, & vnicuique suum restituetur, in quo olim vixit. Seruit hoc ijs confutandis, qui nescio quam corporum & membrorum confusionem metuunt, & ne animabus corpora aliena obtingant (quod olim Pythagoræi de sua μετεμψυχώσει somniarunt, quos inter gentes quoque doctissimi quique risu & ludibrio dignos putarunt) aut corporibus quoque partes aliquæ aut membra ipsis non conuenientia addantur. Qui enim singulis seminibus suum corpus dare potest, vt singula etsi confusa & promiscua in eodem agro serantur, in suo genere excrescant: idem ille hîc quoque facilè cauebit, ne quæ confusio aut membrorum permixtio absurda siue inordinata incidat.

Argumēta pro corporum resurrectione.

*Et vt ita sentiamus atque credamus, argumenta multa & firmissima nos admonēt. Et
primò quidem ipsa Resurgendi & Resurrectionis vocabula, quibus in hac causa Spiritus San-
ctus vtitur. Resurgere enim dicitur quod cecidit, nec id propriè de eo, quod nunquam cecidit, di-
1. ci potest. At in morte corpora nostra cadunt, ad quæ sola mortis vis penetrat, animabus illo-
rum vinculo solutis & ad suas sedes emigrantibus. Illa ergò eadem resurgant necesse est, nisi Spiri
tum Sanctum inanibus vocabulis nos ludere, velimus suspicari. Etenim nisi hoc demus, neq; pro-
2. priè neque verè à Paulo dictum est, Deum vnicuique suum corpus dare. Deinde in nouissimo
die mors abolebitur & victoria omni spoliabitur, quam eò vsque obtinuisse videri poterit. Id ve-
3. rò nunquam fiet, nisi eos restituere cogatur, quos abstulit siue absorbuit. Tertiò, nos
ad Christi exemplum resurrecturos esse, Scriptura testatur. At hic in corpore suo vero re-
surrexit, in quo crucifixus & mortuus fuerat, ideoque clauorum vestigia retinuit, vt di-
scipulis ea ostendere, & iisdem veram sui corporis resurrectionem ad oculum (quod aiunt)
demonstrare posset. Quòd si qui istud adhuc negare audent, age dicant illi nobis, vnde Chri-
stus corpus illud alienum habuerit, quod discipuli viderunt & contrectarunt? Scriptura cer-
tè nullius alterius corporis meminerunt, quàm quod ex Maria Virgine natum, cum æta-
tis progressu adoleuit, & quod in cruce suffixum, mortuum atque sepultum, tertio post
4. die resurrexit. Quartò typus, qui in Iona præcessit, hoc ipsum confirmat. Illum enim
tam suæ quàm omnium nostrûm resurrectionis exemplum fuisse, Christus testatur. At e-
5. undem Ionam, quem lamia absorbuit, non alium, terris redditum fuisse scimus. Adde his,
quòd nisi nostra corpora nobis restituantur, ne retributio quidem erit, quam olim futuram esse
omnes credimus, & sine quâ (vt alibi diximus) iustitia Dei consistere non potest. Hæc
enim exigit, vt quæ peccarunt corpora puniantur, & quæ pro pietatis causa labores atque pericula
sustinuerunt, gloria cœlesti coronentur. Cæterùm quæ corporum nostrorum gloria olim futura sit,*

mox

mox sequetur. Nunc teneamus, certò fore corporum resurrectionem in nouissimo die, neque alia quàm quæ nunc habemus, resurrectura esse. Ea igitur spe confirmati, animos nostros à mundi prauis studijs reuocemus, ita verò viuamus, vt dies ille nobis lætus illucescat, & ad cœlestis regni gaudia colligamur cum Seruatore nostro IESV CHRISTO, *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LXXXIIII.

Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piscium, alia verò volucrum. Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia verò terrestrium. Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarum: Stella enim à stella differt in gloria. Ita & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, excitatur in incorruptibilitate: Seminatur in ignominia, excitatur in gloria; Seminatur in infirmitate, excitatur in potentia: Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale.

Respondit nuper Paulus ad illusorum quæstiones, quibus illi mortuorum resurrectionẽ in dubium vocare, vel potius ludibrio habere solent. Et quia eis impossibile & absurdum videtur, ea tunc nobis corpora restitui, quæ nunc vitijs plurimis obnoxia sunt: semetis parabola docuit, idem omnino corpus, quod sepultum fuit, resurrecturum esse, quoad substantiam, longè tamen præstantius & nobilius, quoad nouas qualitates, quibus ornabitur. At hîc obijceret aliquis: Qua autem ratione corpora eadem, quæ nunc gestamus, surgere dicemus, si non eadem tunc futura est illorum qualitas siue conditio? Itaque quod paucis dixerat, nunc plenius exponit, & demonstrat, hoc neque nouum neque insolens cuiquam videri debere, si manente corporum substantia, mutatio tamen fiat in melius. Quomodo manente corporũ substantia, mutatio fiat qualitatis.

Rursus autem similibus vtitur ex rerum natura desumptis, quæ multa adduci poterant, vtpote de metallis, auro, argento, ferro & similibus, quæ in mille formas finguntur & refingũtur, cùm nihil interea substantiæ eorũ decedat. Ita eadẽ luti massa pro figuli arbitrio nunc hanc nunc illã figurã recipit. Quod ipsum de cera & quauis alia molliori aut ductili materia dici potest. At his omnibus relictis, ea exempla profert, quæ huic causæ propius & melius conueniunt. Et primò quidem ex ipsa carnis natura argumentatur, sic dicens: Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piscium, alia verò volucrum. Carnis vocabulum vt genus ponit, cui suas species subijcit, humanam videlicet, pecuinam, piscium item & volucrum. Et sensus verborum est: Quemadmodum omnis caro, siue ea hominum, siue pecorum, siue piscium, siue auium sit, si substantiam & naturam spectes, non aliud quàm caro est, neque aliter potest aut debet dici, specie tamen & qualitate saporis alia ab alia differt: Ita in resurrectione mortuorum eadem caro, quam nunc gestamus, suscitabitur quoad suam substantiam, neque ei quicquam derogabit mutatio illa, quæ ipsi gloriam & conditionem præstantiorem conferet. Si enim in hoc corruptibili mundo inter hominum & animalium carnes tanta est differentia, quæ tamen non obstat, quo minus illa omnia carnem habere dicantur: absurdum fuerit, hoc impossibile putare in hominibus, quos Deus iam inde ab initio ad sortem præstantiorem condidit, quã cætera animantia excellant. Adde his, quòd si nunc vitam hanc miseram & mortalem viuentibus nihil ex corporis substantia decedit, quando ægroti ex morbo conualescunt, pauperes diuitijs, inglorij honoribus & dignitatibus ornantur, vel etiam homo priuatus ad regni fastigium euehitur: annon olim quoque in regeneratione illa vniuersali, manente eadem quæ nunc est corporum substantia, conditio felicior & præstantior Simile ex carnis natura.

nobis potest obtingere? Quid quòd Deus Adamum propter primam originem adhuc terram dixit, quando nihil minus quàm terra esse videbatur? Et etiam nobis idem dictum conuenit, Terra es, & in terram reuerteris? Quòd si terrena adhuc est corporum nostrorum substantia, licet anima viuente donata formam quoque digniorem acceperit, quid obstat, quò minus in resurrectione carnis substantia nobis salua maneat, quàmuis eadem immortalitate & gloria cœlesti donetur? Possent huius generis multa adduci, quæ euidentissimè demonstrant, corporum nostrorum resurrectionem, quàmuis humanæ rationis captum excedat, non tamen pugnare cum naturæ legibus quibus corpora subijciuntur.

Piscibus caro tribuitur.

Porrò vt à Pauli instituto & argumenti huius tractatione aliquantulum digrediamur, non indignum est obseruatu, inter ea, quæ carnem habent, pisces quoque recenseri. Alia (inquit) est caro pecorum, alia verò piscium, alia verò volatilium. Nec enim Apostolo dictum hoc temere, vt homini idiotæ & rerum naturalium imperito, excidisse putabimus, cùm eadem omnium sit physicorum sententia, qui de animalium historia diligentius scripserunt. Plinius certè de lupis piscibus scribit: Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, à candore molli-tiaque carnis. Item de mullis: Alga vescuntur & ostreis, & limo, & aliorum piscium carne. Et verè quidem carnem piscibus tribui, res ipsa docet, si totam corporis ipsorum constitutionem inspicias. Arguit hoc Pontificum stultitiam, qui cùm à carnium esu interdicant, inque ea abstinentia omnem ieiuniorum suorum religionem consistere arbitrentur, piscibus tamen quosuis vesci permittunt. Imò ab operibus lactarijs & ouis abstinendum esse docent, ne quid edatur quod aliqua ex parte cum carnis natura siue substantia communicet, interim piscibus omnes saturari sinunt. Quòd si respondeant, instituti sui hanc esse rationem, ne carni lasciuienti libidinus irritamenta subministrentur, sed vt voluptas immodica fræno quodam coërceatur, facilis est ad id responsio. Pisces enim carnibus reliquis lautiores sunt, & à plerisq; in delitijs habentur: ita denique in cibum parantur atque condiuntur, vt libidinem vehementius quàm quadrupedum aut volatilium carnes accendant: vt iam de vino nihil dicamus, quod cum his meracius & liberalius bibitur. Atqui id (inquiunt) non vulgò fit, quia plerique impensis tam magnis non sufficiunt. Ridiculum. Ergo ieiuniorum legibus soli pauperes tenentur, quibus illis minimè opus est, cùm velint nolint frequentius ieiunent, quàm corporis vires ferre poßint. Ita seipsam prodit superstitio, vt appareat Paulum non temere hoc doctrinæ genus ad diabolum authorem referre, cuius proprium est ex hominum interitu voluptatem capere. Nobis sufficiat, quòd Christus ciborum discrimina cum alijs Legis ceremonijs abrogauit, neque ijs quæ per os ingrediuntur quemquam polui docuit. Nec excidat nobis illud Apostoli: Non est regnum Dei esca aut potus: sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Sed quia hæc alterius loci sunt, nolumus ijs nunc diutius insistere.

Lib. 9. cap. 17.

Simile ex corporum natura.

Redeamus ergo ad Pauli institutum, qui aliud argumentum ex ipsa corporum natura profert, quæ ipsa quoque in varias atque diuersas species distinguantur, nihil obstante eorum substantia, quæ ipsis salua & integra maneat. Et sunt (inquit) corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia verò terrestrium &c. Hoc autem vult dicere: Si corpora in genere spectemus, ea primùm in cœlestia & terrestria distinguuntur, attamen tam hæc quàm illa, si substantiam consideres, corpora sunt, & quò minus corpora dici debeant, neque loci distantia, neque quod inter illa est gloriæ siue dignitatis discrimen prohibet. Quid ergo obstabit, quò minus nostrorum corporum substantia salua & integra maneat, vt verè corpora dicantur, licet nouam qualitatem & dignitatem excellentiorem accipiant? Imò vt iam de solis cœlestibus dicamus, quæ cum ad idem genus pertineant, & substantiæ atque naturæ sint eiusdem, tamen alia alijs præstant. Alia enim est gloria Solis, alia Lunæ, alia stellarum: Sed & inter stellas videmus alias alijs maiori splendore fulgere, vt iam de earundem diuersis motibus nihil dicamus. Num ergo impoßibile fuerit, tale quid in nostris etiam corporibus fieri, vt quàmuis non euacuetur eorum substantia, neque aboleatur, qualitate tamen & conditione præstantiori ornentur, qua differant ab ijs quæ nunc sunt? Et hic quidem proprius huius loci sensus est, quoad corporum nostrorum resurrectionem, de qua Paulus in præsenti disputat, vt demonstret,

strêt, quale discrimen futurum sit inter corpora, quæ nunc gestamus vitiosa & infirmitatibus varijs obnoxia, & incorruptibilia illa, quæ olim nobis restituentur.

Veruntamen nolim dißimulare, plerosq; ex veteribus postremum hoc, vel potius totum hunc locum interpretari de diuersis corporum resuscitatorum conditionibus, adeoq; de præmiorum & pœnarum, quæ in altero seculo nobis obuentura sunt, diuersitate. Quod licet cum huius disputationis statu non per omnia conueniat, ab hac tamen tractatione non omnino alienum est. Quoad ergo illorum sententiam, ista obseruabis. Primum: Vt nunc inter cœlestia & terrestria ingens discrimen est: ita tunc quoq; erit inter eos, qui in hoc seculo terrenis studijs immersi fuerunt, & eos, qui animis supra hunc mundum corruptibilem euectis cœlestia sectati sunt. Ex eo igitur consolationem petamus contra scandalum, quod ex impari aut iniqua huius seculi conditione nascitur. Offendit ea multos, vt nunquam non in ore habeant: Inæqualiter inter homines comparatum est, alijs feliciter agentibus & omni bonorum genere affluentibus, dum alij cum extremis miserijs perpetuò conflictantur. Quod etsi verè dicatur, & plerunq; optimi quiq; in hoc seculo laborent atque egeant, impij verò sacrorum omnium illusores sua temeritate quiduis pro voto conficiant: neminem tamen ista debent offendere: sed tunc futuri seculi conditio nobis in mentem veniat, vbi non minori inæqualitate, iusto tamen & æquißimo iudicio, præmia & pœnas Dominus distribuet, quando agni ab hædis discernentur, & hi quidem æternis inferorum cruciatibus mancipabuntur, illis cum Christo æternùm gaudentibus. Neq; alicui mora ista, qua suum aduentum Christus differt, molesta esse debet. Sentiunt enim discrimen hoc ingens animæ nostræ, quàm primùm huius vitæ vinculis solutæ ex corporis ergastulo emigrant. Admonet nos de eo Christus, quando in diuitis epulonis & Lazari mendici parabola Abrahamum epuloni respondentem inducit: Fili, memento, quòd receperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris. Luc. 16.

De premiorũ diuersitate.

Deinde obseruabis in vtroq; genere, piorum scilicet & impiorum, rursus discrimen fore, quoad pœnarum & præmiorum diuersitatem. Quia qui grauius peccarunt, grauius quoq; mulctabuntur. & rursus præ alijs gloria coronabuntur, qui fide maiori donati in Dei seruitio plus alijs præstiterunt. Docet hoc non obscurè Dominus. Nam apud Lucam ait: Ille seruus, qui nouit voluntatem domini sui, nec se comparauit, nec fecit ex voluntate eius, cædetur multis plagis: Qui autem non nouit, & fecit digna plagis, cædetur paucioribus. Cuicunq; verò multum datum est, multum quæretur ab eo: & apud quem deposuerunt multum, amplius petent ab eo. Idem de ciuitate loquens, quæ Euangelij prædicationi locum dare dedignatur, inter alia inquit: Dico vobis, quòd Sodomis & Gomorrhæ tolerabilius erit in die iudicij, quàm illi ciuitati. Quoad pios verò, satis notum est, quòd Apostolis suis non obscurè prærogatiuam insignem tribuit, quando in duodecim thronis consessuros ait, vt iudicent duodecim tribus Israëlis. Nam etsi locutio illa figurata sit, nemo tamen negare poterit, excellentiorem fore in illo die eorum gloriam, quorum ministerio Dei Filius in toto terrarum orbe reformando vti dignatus est. Id enim Danielem quoq; disertè olim docuit Angelus, dicens: Doctores splendebunt vt splendor firmamenti: & qui multos ad iustitiam adducunt, vt stellæ sempiternis temporibus. Et huc nonnulli ex orthodoxis Patribus Christi etiam dictum retulerunt, quo in domo Patris sui mansiones multas esse testatur. Nemo tamen hîc Mahumeticum quid somniare debet, aut seruilem aliquam inter beatos subiectionem fingere, quæ cum æmulatione siue inuidia coniuncta sit. Quia enim omnes in Dei conspectu agent, in quo beata satietate gaudiorum fruentur, nullus æmulationi locus erit, neq; aliquis affectus carnalis felicitatem illam perfectißimam turbabit.

Luc. 12.

Matth. 10.

Dan. 12.

Ioan. 14.

Quòd si quis obijciat, Ergo aliquid tribui debet nostris meritis? Id constanter & disertè negamus, neq; tale quid hinc colligi potest. Pœna quidem impijs & sceleratis ex merito designantur, quia ex propria malitia peccamus: beatitudo autem siue felicitas illa æterna nequaquam nostrorum operum meritis debetur: quia nihil boni ex nobis ipsis facimus, imò ne ad cogitandum quidem idonei sumus, sed Dei opus est quicquid boni facimus, qui suo Verbo & Spiritu in nobis agere dignatur. Nihil ergo ille in nobis quàm sua dona coronat: & quoties sacræ literæ mercedis aut præmij meminerunt, quo Deus bona opera remuneretur, tunc partim Dei iustitiam & veritatem,

Contra meritum nostrorum operum.

partim eiusdem gratuitam bonitatem commendant, vt nos ad serium pietatis studium magis excitent.

Corporis resuscitati dotes.

Cæterùm redit Paulus ad sementis parabolam, vt amplius demonstret quæ & qualis corporū resuscitatorum conditio futura sit. Ita (inquit) erit etiam resurrectio mortuorum. Vt enim illud ipsum semen germinat & surgit, quod per sementem sulcis mandatum est, non autem nudum surgit & contemptibile, quale seminatum fuit, sed præstantius multò & ornatius: Ita de nostris quoq; corporibus agetur, quæ eadem quidem suscitabuntur, non autem qualia nunc sunt, corruptibilia, vitiosa, infirma & infinitis casibus obnoxia. Id verò mox eleganti comparatione illustrat, quæ tribus aut quatuor membris omnes corporum clarificatorum dotes comprehendit.

1. Incorruptibilitas.

Primum est: Seminatur in corruptione, excitatur in incorruptibilitate. Perstat in sementis parabola, vt sepulturā huius instar esse doceat, de quo nuper diximus ex Christi verbis, quæ Ioan. 12. cap. leguntur. Corruptionis autem nomine non solum putrefactionem corporum intelligit, sed ipsam corruptibilitatem, quæ illis agnata est, adeoq; sepulturæ finem, qui est, vt secundum Dei sententiam, quæ Adamo denuntiata fuit, in terram, vnde sumpti sumus, reuertamur. Itaq; primi huius membri sensus est: Seminatur siue sepelitur corpus, quod sua natura corruptibile est, & ideo sepelitur, vt putrefactione resolutum ad suam originem, terram videlicet, redeat: Idem verò excitatur suo tempore in incorruptibilitate, id est, nulli casui aut corruptioni amplius obnoxium. En suscitatur, inquit, de eo ipso corpore loquens, quod seminari dixerat, ne quod aliud aut diuersum ab eo imaginemur.

Prudenter verò Paulus cum corporum corruptione sementem siue seminationē coniungit. Ita enim simul ijs respondet iterum, qui resurrectionem fieri posse negant, eò quòd corpora corrumpi, adeoque (vt ipsis videtur) in nihilum redigi conspicantur. Ostendit ergo, hîc verè impleri quod physici dicunt, Vnius corruptionem esse generationem alterius. Non tamen in id incumbit, quòd resurrectio causis siue principijs physicis nitatur: sed vt eius exempla in rerum natura commonstret, & eorum ignorantiam atque stupiditatem arguat, qui hîc non obseruant Dei potentiam, quæ passim exemplis similibus se nobis conspiciendam præbet. Vt ergo sepultura impijs & prophanis hominibus spem resurrectionis omnem aufert, quia in eius solius spectaculo, quod carni tristissimū est, subsistunt: ita pij ex illa spem firmiorem concipiunt, quando eam sementis instar esse cogitant.

Consolatio contra corruptionem corporum

Itaque imprimis eorum consolationi seruit hoc membrum, quibus indignum & molestum videtur, corpus istud corrumpi & computrescere, quod nunc formæ flore lepidissimo commendatur, & viribus quàm maximè pollet. Audiuntur istiusmodi hominum querulæ & lachrymabiles voces. Ergo membra ista tam robusta dissoluentur? ergo forma hæc tam amabilis abolebitur? ergo facies ista tanto lepore radians vermibus esca fiet, quæ oculos tam suaue micantes extinguent, linguam tam facundam exedent, & carnes tam delicatas depascentur? Quid ni ô stulte? quando qualiacunque ista sint, corruptibilia sunt, nec in alium finem sepeliuntur, quàm vt in primam suam materiam redeant. Quin Dei beneficium agnoscis, qui illa tibi hucusque sua virtute seruauit, ne te viuente adhuc computruerint, aut à vermibus erosa sint: quod olim Antiocho, Syllæ, Herodi & similibus accidisse scimus, quorum impiam & confidentem superbiam tam diro tamque tetro supplicio Deus olim vltus est? Cogita, ista, dum corrumpuntur, ad finem suum tendere, vt olim ab omni corruptione liberata resurgant, & beata incorruptibilitate donentur. Itaque, vt D. Chrysostomi verbis vtar, quando oculos vides fractos, os contractum, corpus immobile, ne cogitaueris, os istud nunquam porrò loquuturum, oculos istos nihil vnquam spectaturos, neque pedes amplius iter facturos esse, quia omnia simul corrupta sint & in nihilum redacta. Ne (inquam) hæc dixeris, sed his contraria potius: Os istud aliquando melius loquetur, oculi isti præstantiora his spectabunt, pedes isti supra nubes extollentur, & corpus istud corruptum immortalitatem induet. Hoc qui diligentius expendunt, ij patienter ferunt omnem huius seculi molestiam, qua multi superantur, vt vitam quoque sibijpsis amaram faciant. In annalibus nostris scribitur, quendam olim sub annum à Christo nato millesimum ducentesimum & vigesimum, Steinæ (quod celebre est Tigrinorum municipium) in Rhenum desilijsse, vt vitam hanc abrumperet, cuius non alium vsum esse dicebat, quàm edere, bibere, cacare, meiere, indui, exui, dormire & rursum à somno surgere. Nesciebat

Homil. 2. Corinth.

sciebat infelix homo incorruptibilitatis spem, quæ omnibus est proposita, neque suas cogitationes vltra huius vitæ metas extendebat: quod qui faciunt, ijs leuiculi & iucundi videntur labores, quibus finem tam lætum à Deo destinatum esse norunt. Simul autem ista consideratio carnis illicitas cupiditates in nobis frænare, & à scelerum licentia nos absterrere debet. Vt enim piorum corpora olim incorruptibilitate donabuntur, vt æternæ vitæ gaudijs frui possint: ita impiorum quoque immortalia fient, neque aboleri amplius poterunt, vt æternis gehennæ flammis sufficiant.

Sequitur secundum huius comparationis membrum: Seminatur in ignominia, excitatur in gloria. In ignominia seminari dicit, non vt doceat defunctorum corpora contemptim abijcere, aut contumeliosius tractare (id enim cum communi humanitatis sensu pugnat, & Deo quàm maximè displicet, vt alibi ostendimus) sed quæ corporis hac vita defuncti conditio sit docet. Etenim omni ornatu atque decore exutum in terram defoditur, adeò vt si spem resurrectionis auferas, à brutorum cadaueribus nihil differat. Qui ergo prius in honore & pretio erant, quibus omne genus officij magno cum honore deferebatur, qui vestitu sumptuoso & molli superbiebant, qui in cubiculis ad omnem temporis vicissitudinem magnificè & commodè extructis delitiabantur, ij postquam animam exhalarunt, linteo inuoluti non ex cubiculis modò, verumetiam ex ædibus, imò frequenter extra vrbium quoque mœnia exportantur, & vel terræ mandantur, vel mausoleis sumptuosis quidem, sed tetro fœtore plenis, instar facinorosorum concluduntur, ne viuentium oculos aspectu, nares fœtore offendant. Fit etiam plerumque vt cum vita simul omnis quoque eorum authoritas concidat, & multorum cogitationes retegantur: dum qui ipsis viuentibus odium suum egregiè celabant, nunc ex eorundem morte ipsis insultandi occasionem arripiunt. Exempla cumprimis memorabilia sunt in Imperatorum quorundam historijs, qui cùm pro semideis adorarentur, mox vbi vitam hanc infelicem finierunt, vnco tracti, & in cloacas vel profluentem abiecti sunt. Quibus ex sacris literis Solomonem possumus addere, qui ornatu & splendore omnes totius orbis reges ita superauit, vt Christus de incomparabili magnificentia dicturus, eius exemplo vtatur. Quam verò ille ex sua gloria, opibus & apparatu laudem retulit? aut quem fructum ex eius in totum populum munificentia atque beneficijs posteri perceperunt? Eum ex populi ad Roboamum filium vocibus agnoscere licet: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum. Item: Quæ pars nobis in Dauide? Non est nobis hæreditas in filio Isai: Ad tentoria tua ô Israel, prouide domi tuæ Dauid. Et si verum dicere oporteat, infelicior est hac parte regum & principum potentissimorum conditio, quàm hominum priuatorum atq; tenuium: quia plus his amittunt, & plurimorum odijs exponuntur, à quibus immunes & satis tuti sunt, qui vitam suam in tenui aut mediocri fortuna transigunt. Prudenter ergo Cyrus iam moriens suos admonuit, ne mortui corpus spectandum exponerent: non ignorans scilicet, quantum hominis authoritati mors deroget. Quod vnum si omnes frequentius cogitarent, proh Deum immortalem, quantum decederet fastui, superbiæ, corporis curæ, luxui & voluptatum studijs, quibus stultissimi homines seipsos simul & alios nequicquam fatigant?

2. Gloria.

2. Reg. 12.

At quia hæc frustra dicuntur carni & mundo deditis, audiant pij, quod de ipsorum corporibus olim resuscitandis opponitur: Extitatur (inquit) in gloria. Non debet hoc de huius seculi gloria intelligi, quæ tunc nulla erit amplius: sed de cœlesti, quam Christus nobis suæ mortis merito acquisiuit. Erit ea multiplex. Nam corpora nostra ab omni vitio & corruptibilitate liberata glorioso Christi corpori (vt ad Philippenses noster Apostolus scribit) conformia fient. Eadem illam quoq; gloriam percipient, quam (vt prophetæ verbis vtar) oculus non vidit, auris non audiuit, & quæ omnem humani intellectus captum longè excedit. Accedit his, quòd tunc patebit toti mundo Dei filios esse eos, qui nunc hominum sceleratissimi habentur, & omni contumeliarum atq; conuitiorum genere obruuntur. Vide Sap. 4. & 5. cap. Item 1. Ioan. 3.

Quæ gloria corporum futura sit in resurrectione.

Phil. 3.

Debent ista nobis consolationem afferre, si quando nos tam nobis ipsis quàm alijs hominibus fastidio vel nauseæ esse sentimus: aut quando propter fidei veræ confessionem, aut admonendi libertatem indigni iudicamur, quibus cum aliquis commercium siue consuetudinem habeat. Erit enim aliquando rerum vicissitudo. Auferetur tunc omne illud, quod nunc corpori dedecus parit;

aut fastidium: siue illud morbus sit, siue senectus, siue quodcunque aliud vitium. Hominum verò iudicia sic mutabuntur, vt qui nunc nos odio dignos iudicant, tunc non sine manifesta acerbissimi doloris significatione honorificè de nobis sentiant & loquantur. Et cur de eo dubitemus, quod in nouissimo die certò fiet, quando huius generis multa hodie, dum mundus hic infelix dominari videtur, fieri cernimus? Raro enim fallit, quod Dauid & Solomon dixerunt: Memoria iusti vsque durabit. Item: Memoria iusti laudem habet. Psal. 112. Prouerb. 10.

3. Potentia. Tertium comparationis huius membrum est: Seminatur in infirmitate, excitatur in potentia. Loquitur Paulus de ipsius naturæ nostræ infirmitate, cui corpora nostra ita subiecta sunt, vt ne nunc quidem dum viuunt resistere possint morbis, fami, siti, lassitudini, senectæ & infinitis alijs affectionibus, quæ nobis negotium faciunt. Quis enim ne vnquam ægrotet, efficere poterit? Equidem præter omnem expectationem morbi obrepunt, qui corpus totum debilitant. Ita fames & sitis inuitos quoque lacessunt. Senectus verò nihil huius cogitantibus obrepit, tacitisque senescimus annis, vt Poëta dicebat. Quid, quòd ne dormire quidem, neque ventris excrementis nos quoties libet leuare possumus, adeò vt sæpe medicos & pharmacopolas omnes hîc fatigari oporteat? Quis verò suæ voluntati imperare potest? quis affectus suos exuere, quò minus ea subinde animo occursent quæ minimè vult? Sunt hæc magna infirmitatis nostræ argumenta, quæ nemo negare potest. Accedit tamen his mors, quam omnis terræ viam olim dixit Dauid, quia moriendi necessitas omnibus incumbit, quam neque consilio, neque corporis viribus aut celeritate, subterfugere, neque nominis nostri existimatione vel authoritate depellere à nobis possumus. Sola enim neque potentia & dignitate mouetur, neque muneribus placatur. Quid multis? Ea est naturæ nostræ infirmitas, vt non temere olim ex Domini mandato Propheta exclamauerit: Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Est de his frequenter cogitandum, ne securi superbiamus, aut huius vitæ studijs addicti cœlestia negligamus.

Potentia qualis corporum resuscitatorũ. Vt verò ista mortem nobis leuem faciunt, per quam infirmitate ista molestissima liberamur: ita consolationem efficacissimam habet, quod huic opponitur. Excitatur in potentia. Loquitur enim non de Dei potentia, qua olim nos excitandos fore alibi diximus, sed de ea potentia, qua tunc corpora nostra donabuntur, quando nullis porrò affectionibus siue casibus obnoxia, de omnibus triumphabunt in beata illa immortalitate, quæ nunc nobis infesta sunt. Tunc enim cessabit gemitus omnis, tunc omnes lachrymæ abstergentur, tunc etiam finem habebunt dolor, curæ, solicitudines: tunc fractæ & extinctæ iacebunt Satanæ, peccati & mortis vires. Quid ergo nunc dolemus & tristamur propter ea, quibus resistere non possumus? Impotentia equidem huius seculi propria est, & hanc cum regibus quoque, qui potentissimi videntur, communem habemus. Feramus ergo patienter quod mutari non potest, certam verò & firmam concipiamus eius potentiæ spem, quæ ad seculum futurũ pertinet, quam similiter nemo impedire poterit, quò minus ea nobis in Christo vindice & seruatore nostro obtingat.

Corpus animale & spirituale. Porrò quia longum esset omnes corporis infirmitates recensere, quibus in huius vitæ stadio currentes obnoxij sumus, & futuri seculi dotes atque gaudia, quæ nostræ etiam rationis captum superant, summatim & vno (quod aiunt) verbo omnia quæ hîc dici possunt complectens, dicit: Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Et ne de re, quæ nusquam in rerum natura extet, loqui videatur, huius dicti rationem hanc affert: Est corpus animale, & est corpus spirituale. Animale corpus dicit, vt etiam hominem animalem, quod solius animæ naturalis facultatibus viuit, regitur & seruatur, eaque ablata concidit atque aboletur. Id verò quia ipsum sibi non sufficit, adminiculis siue subsidijs naturalibus opus habet, vtpote cibo, potu, somno, vestibus, remedijs & alijs similibus. Huic opponitur corpus spirituale, sic dictum, non quòd spirituali substantia constet, sed quòd animam quidem suam seruabit (hæc enim & immortalis est, & cum corpore in cœlis æterni gaudij consors erit, vt alibi diximus) at simul spiritus virtute excellentiori donabitur, quæ illud reget & seruabit absque adminiculis illis, quibus nunc sustentamur. Idem cessantibus quoque affectibus alijs, quæ nunc spiritui repugnant, huic volens & non sine gaudio atque exultatione obtemperabit. Ita veteres olim hoc dictum interpretati sunt. Augustinus enim in Epist. 146. corpus spirituale dici ait, quia spiritui inseparabiliter copulatũ maneat.

Et lib.

Et lib. de Ciuitate Dei 13. Cap. 22. Spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent. Item Cap. 20. Sicut spiritus carni seruiens non incongruè carnalis: ita caro spiritui seruiens rectè appellatur spiritualis: non quòd in spiritū conuertetur, sicuti nonnulli putant ex eo quòd scriptum est: Seminatur corpus animale, suscitatur spirituale. D. Ambrosius ita desinit: Animale corpus est, dum cibis sustentatur, vt viuat: spirituale autem, dum horum nihil indiget, conuersum in vitam. Omnia supra dicta hoc sensu clauduntur. Non enim corpus animale semper hic habere potest Spiritum sanctum: tunc verò, id est, in resurrectione semper manebit in sanctis. Theodoretus autem ita scribit: Animale corpus, quod ab anima gubernatur: spirituale, quod à spiritu regitur. Chrysostomus sic interpretatur: Nunc gratia spiritus sæpe magna ex parte recedit peccantibus quibusdam: & quamuis spiritus animæ adsit, vita tamen carnis est. Tunc autem perpetuò manebit cum carne iustorum, & huius erit robur simul præsente anima. Epiphanius verò contra Origenem Adamant. hæc prodidit: Non aliud corpus est spirituale, & aliud animale: sed idem animale, idē spirituale. Quando enim sumus in mundo, & corruptibilia carnis opera facimus, corpora sunt animalia. Seruimus enim animæ in mundo in absurditatibus. Quando autem resurgimus, non amplius est animæ seruitus, sed spiritus consequentia, hinc iam habens arrhabonem, per hoc quod dictum est: Si viuimus spiritu, spiritu etiam ambulemus: Si verò etiam spiritu ambulamus, actiones corporis mortificantes viuemus. Hæc ex veterum scriptis adducere libuit propter eos, qui hodie nouum dogma, & eruditæ illi sanctæq; vetustati ignotum, inuehunt de corporibus clarificatis, quæ proprietatibus naturalibus spoliant, & loco contineri negant. At nihil horum neque Scriptura tradit, neque veteres senserunt, quos spiritualis corporis tres hasce dotes agnouisse apparet: Primam, quòd diuini spiritus virtute absque externis adminiculis seruetur & subsistat. Alteram, quòd à spiritu nunquam deseratur. Tertiam, quòd eidem obtemperet, cessantibus iam animalis hominis passionibus atque cupiditatibus. Atqui nulla harum corporis substantiæ quicquam derogat. Si enim in corpore corruptibili & mortali potuerunt Moses & Elias per dies quadraginta absque cibo viuere, manente tamen corporum veritate, quantò magis illa, vbi clarificata fuerint, absque cibo aut alimento durare poterunt? Si item nunc Spiritui sancto in corporibus nostris locus est, vt in electis regnet & agat, multò magis hoc fiet postquam peccatum & Satan defecerint. Sunt ergo nimium ridiculi, qui ex hoc loco occasionem arripiunt contendendi de corpore quodam spirituali, cuius substantia mutetur, quodque naturalibus proprietatibus exutum natura sua neque palpabile sit, neque visibile, neque loco certo contineatur. Conuincuntur hi exemplo Christi, cuius corpori glorioso nostra oportere conformia fieri, Paulus testatur. At ille se spiritum esse negat, carnem & ossa se habere affirmat, & quàmuis neque cibo neque potu opus haberet, edit tamen & bibit, ne de corporis eius veri restitutione discipuli dubitarent. Itaque nos omissis curiosis & superuacaneis disputationibus, Dei bonitatem agnoscamus, qui corpora hæc nostra corruptibilia, ignominiosa, infirma & animalia olim tanto honore dignabitur, vt incorruptibilia, gloriosa, valida & nullis porrò casibus siue vitijs obnoxia fiant: & hac spe confirmati, patienter feramus huius seculi incommoda atque molestias, quibus cœlestis & æterna gloria tandem succedet, quam in CHRISTO IESV obtinebimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Corporis spiritualis dotes.

Luc. 42.

HOMILIA LXXXV.

Ita enim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animā viuentem: posterior autem Adam in spiritum viuificantem. At non prius quod spirituale, sed animale, deinde spirituale. Primus homo è terra, terrenus: secundus homo, ipse Dominus è cœlo. Qualis terrenus ille, tales & qui terreni sunt: & qualis ille cœlestis, tales & qui cœlestes sunt. Et sicut gestauimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres, carnem

& sanguinem non posse regni Dei hæreditatem consequi, neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit.

Quemadmodum sancti cultores Dei omnes, se in terris peregrinos esse, neque ciuitatem permanentem habere confeßi sunt, ita omnes huius vitæ labores atque pericula spe futuræ resurrectionis & vitæ æternæ superarunt. Exempla eorum nobis paßim scriptura proponit, vt ea imitemur. Atqui spem istam vehementer labefactat mortis & quæ hanc sequetur corruptionis corporum nostrorum consideratio: quia vt ea nobis restituantur, & gloriosiora fiant, carnis rationi impoßibile esse videtur. Ideo Paulus non modò nos resurrecturos esse argumentis validißimis demonstrat, verumetiam diligenter docet, qualia olim corpora nostra futura sint, vt quam ex horum corruptione fœda & abominabili concipimus, dubitatio, gloriosæ illorũ & beatæ instaurationis cõsideratione discutiatur. Et huc faciũt imprimis, quæ nuper dicta sunt: Seminatur in corruptione, excitatur in incorruptibilitate: Seminatur in ignominia, excitatur in gloria, &c. Vtque vno verbo causam hanc absolueret, tandem subiecit: Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale: quo dicto omnia comprehendit, quæ de corporum clarificatorum gloria & perfectißima conditione dici poßunt. Id verò quia multis obscurius dictum videri poterat, nunc diligentius interpretatur, eiusque rationes certas & solidas reddit.

Homo animalis & spiritualis vnde sic dicantur?

Et initiò quidem, ne qui locutionibus istis offenderentur, tanquam nouis & in humani generis contumeliam confictis, quasi homines nihil à brutis differant, docet eas ex Scripturæ & religionis nostræ arcanis esse petitas, sic dicens: Ita enim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem. Extat locus Genes. secundo Cap. vbi sic describitur primi parentis nostri creatio: Fecit Dominus Deus hominem, puluerem siue lutũ de terra, & insufflauit in nares eius spiritum vitæ, factusque est homo in animam viuentem. Ex his verbis occasione arrepta, Christum cum Adamo conferens, mox subijcit: Posterior autem Adam in spiritum viuificantem. Id verò facit Apostolus, vt ex prima generis nostri origine discamus, quid Adam, quidúe Christus nobis contulerint, & vnde discrimen illud corporis animalis & spiritualis enascatur. Est ergo vterque nobis considerandus.

Adam primus homo, animalis.

Adamum primum hominem dicit, non eam modò ob causam, quòd primus conditus est, sed quòd humani generis principium & author est, ex quo omnes homines originem suam duxerunt. Hunc autem proponit, vt in eo agnoscamus conditionem nostram, quam ferè in nobis ipsis non agnoscimus. Plerique enim sibi persuadent, se semideos quosdam esse, & suis viribus suique arbitrij libertate gloriantur, quasi sibijpsis ad omnia poßint sufficere. Vult ergo vt originem nostram diligentius expendamus. Vbi primum occurrit ipsa Adami creatio. Vnde verò ille ortum habuit? Num Verbi æterni virtute ex nihilo, vt reliquæ mundi partes, creatus est? Nequaquam, sed ex materia omnium contemptißima, sordidißimaque illius corpus formauit Dominus. Vnde autem eidem spiritus vitæ? Num hunc ex semetipso habuit? Ne hoc quidem, sed Deus sufflauit in nares eius, & sic lutea illa & inanimis massa, quæ & sensu & ratione carebat, facta est in animam viuentem, id est, animal viuum. Ex Deo ergo habemus, quòd homines sumus, quòd viuimus, spiramus & mouemur. Neque de Adamo & posteris eius aliud dicitur, quàm quod de piscibus, reptilibus & omnibus alijs bestijs siue pecoribus scriptum inuenitur in creationis mundi & diluuij historia. Ergo quoad primam nostram originem, ex Adamo nihil aliud habemus, quàm quòd homines sumus animales, infirmi, mortales & omnis generis affectionibus obnoxij. A brutis verò animantibus non alia in re differimus, quàm quòd animæ nostræ immortales & cognitionis Dei capaces sunt. Non temere igitur à Lactantio dictum est, hominem à brutis aut reliquis animalibus neque ratione neque sermonis vsu, sed sola religione differre, quæ ex vera Dei cognitione dependet. Rationis enim vsum in animalibus quoque videmus, quando & pericula euitare, & in futurum prospicere sibi norunt. Nec propriè muta dici poßunt pleraque ex illis, cùm & voces suas habeant, & eas quidem non eiusdem semper soni, seque mutuò intelligant. Quid, quòd aues quædam humanas quoque voces sonare discunt, quas ita proferunt, vt eas rationis vsu prorsus carere, nemo sanus dixerit. Mira sanè de luscinijs Plinius scribit, superant tamen ista omnia, quæ no-

quæ nostro seculo acciderunt, quando illas humana voce de rebus serijs diu multumq́ collocutas fuisse constat. Quòd si de ijs dicere libeat, quæ ad victum parandum & ad vitæ conseruationem pertinent, multum in illis nos pleraq; alia animalia superant, quæ & facilius & commodius viuunt. In horum consideratione nos frequentius versari conueniebat, quæ & superbiæ spiritus validißimè reprimeret, & nos ad cœlestis atq; melioris vitæ studium excitaret.

Nunc ad Christum veniamus, de quo sic scribit Paulus: Posterior, siue postremus Adam factus est in spiritum viuificantem. Adamum dicit, vt hominem verum factum esse doceat, & quam nobiscum habet naturæ nostræ communionem exprimat: quo sensu Lucas etiam eius genealogiam ad primum Adamum vsq; deducit, & ipse ne quid dubitemus se Filium hominis dicere consueuit. Postremum verò Adamum dicit, non ordinis causa, quasi nemo post istum homo natus sit, sed vt eum ostendat alterum esse humani generis instauratorem, & solum quidem, post quem nullus alius in posterum expectari debeat. Quo vno multæ superstitiones confutantur. Quia enim duo tantum sunt humani generis patres, quorum alter nobis vitæ animalis author est, & ideo primus Adam dicitur: alter spiritualis & æternæ, quem ideo postremum Adamum Scriptura vocat, sequitur, turpiter errare Iudæos, qui post hunc exhibitum adhuc alium Meßiam siue Seruatorem expectant: turpius item Turcas falli, qui Mahumetem illi præferunt, quasi is perfectiorem salutem pepererit. Deniq; omnes alij erroris conuincuntur, quotquot nō vno illo contenti, alia comminiscuntur, per quæ nos seruari oporteat. Posterior Adam Spiritus viuificans.

Quid autem de Christo dicit Paulus? Is factus est in spiritum viuificantem. Quæ verba non ita accipi debent, quasi anima rationali Christus caruerit, eius verò locum suppleuerit Dei Spiritus siue diuina natura, vt Apollinaris olim fabulabatur. Nam scimus Christum verè hominem factum fuisse, & animæ suæ mentionem facere, quam contristari fatetur, quod in diuinam naturam minimè cadit. In Spiritum ergo viuificantem factus esse dicitur, quia non solùm animam habuit, vt nos, sed cum illa coniunctum simul Spiritum Dei, qui corporaliter (vt ita cum Paulo loquamur) in illo habitauit, vt non seipsum modò propria virtute à mortuis excitarit, sed simul omnes homines excitare poßit ad vitam immortalem. Ideo Ioannes de illo scripsit: In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum. Vt ergo in Adamo, primo parente nostro, tota hominis natura, quoad corpus & animam, collapsa fuit: ita in Christo, qui alter nobis vitæ author est, totus homo instauratur. Ex illo enim habemus spiritum viuificantem, qui vt ex Verbi semine renatos illuminat & vita noua donat, quam secundùm Dei voluntatem viuimus: ita olim corpora quoq; ad vitā immortalem reuocabit, vt æternis regni sui cœlestis gaudijs fruantur. Facit ergo ad huius loci expositionem, quod Paulus ad Rom. scribit octauo cap. Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, (id est, corpus istud animale, quod ex Adamo accepimus, adhuc morti obnoxium est propter peccati fomitem & reliquias, quæ electis quoq; inhærent, quoad in hoc seculo vixerint) spiritus autem vita est propter iustitiam, id est, spiritu viuitis propter iustitiam, quam nobis Christus acquisiuit, & quam fide estis amplexi. Et mox ad corpora quoq; nostra hoc illius beneficium extendens, hæc subiungit: Sed si spiritus eius, qui excitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem eius Spiritum in vobis. Ita verò illustratur discrimen illud hominis animalis & spiritualis, quod item in corporibus nostris indicatur quoad præsens hoc & futurum seculum. Vt enim ex Adamo animales, corruptibiles & mortales nascimur: ita in Christo renati ex verbi semine per spiritum eius spirituales, incorruptibiles, immortales & conditionis cœlestis capaces efficimur.

Vt Christus dicatur spiritus viuificans.

Ioan. 1.

Commendatur his plus quàm paterna Dei bonitas, quam & in primo parente nostro Adamo, & postea in posteris eius abunde declarauit. Illum ex luto terræ desumptum, & quoad vitam huius seculi nihilò præstantiorem alijs animalibus, in summam dignitatem euexit, & creatorum omnium principem constituit. Nos autem, qui in illo lapsi & perditi, imò filij iræ facti eramus, vnà cum illo in vitam restituit per Filium suum IESVM CHRISTVM, quem & in mundum hunc venire & hominem fieri voluit, & eundem pro nobis in mortem tradidit. Imò plus nobis in eo præstitit, quàm in Adamo amiseramus. Hic enim in terris modò imperiū tenebat, corpus

Bonitas Dei erga homines.

verò habebat mortale, quod per fructum arboris vitæ conseruabatur, simulque tentationibus obnoxium erat: At Christus nobis regnum in cœlis acquisiuit, in quo vitam viuemus verè beatam, quæ vt nullis huius seculi adminiculis opus habebit, ita ab omni tentationum periculo libera æternum durabit. Excitet nos istorum consideratio, vt dignitatis tantæ memores, stationem nostram constanter tueamur, & nos gratos ei præbeamus, qui nos in hoc fastigium euehere dignatus est.

Cur corpus spirituale nō nūc nobis detur?

Cæterùm quærat aliquis: Cur verò non nunc nobis corpus datur spirituale? cur item tam diu in hoc animali corpore luctamur atq; affligimur? Respondet ergo Paulus: At non prius, quod est spirituale, sed quod animale, deinde spirituale. Ad Dei prouidentiam remittit nos, qui hunc ordinem constituerit, & ita vno quasi ictu omnes quæstionum eiusmodi curiosarum nodos abrumpit, quibus hodie multi seipsos & alios irretiunt. Quales ferè sunt: Cur Deus non talem initio fecit Adamum, qui non posset labi, & neque morte neq; hanc comitantibus miserijs esset opus? Cur item non ita redemerit nos in Christo, vt totam naturam peccatricem aboleret, ne posthac peccatores nasceremur? Vel, cur non in Christi morte mundo huic corruptibili finem imposuerit? Sunt hæc temeraria nimis, neque ad pietatem neque ad salutem hominis quicquam conferunt. Sufficiat Christiano homini, Deum ita rem constituisse, de cuius bonitate, iustitia, veritate, sapientia dubitare nefas sit. Vel respondeant nobis curiosi illi nugatores, cur non ver perpetuum Deus fecerit? cur semente opus sit, quando sine hac Deus messem dare possit? cur hyberno frigore terra torpeat, priusquam vernalibus Zephyris emollita suo vigori restituatur? Verumtamen si quis sobriè & simul in consilium adhibito Dei timore causas huius rei inquirere velit, satis graues inueniet, quæ pijs & moderatis ingenijs sufficiant. Prima, cùm in Adamo toti animales facti simus, non possunt eodem tempore duæ istæ diuersæ naturæ concurrere, vt simul corpus animale & spirituale gestemus, sed vt vna alteram præcedat, necesse est. Deinde, priorem non prorsus aboleri oportuit, ne Dei iustitia periclitaretur, quæ vt peccata debitis pœnis castigentur, postulat. Præterea, proprium sapientiæ opus est, mutatio in melius. Postremò ad diuinæ bonitatis & misericordiæ commendationem facit, vt huius vitæ miserias experti ad cœlestis regni gaudia transferamur. Nisi enim illæ præcederent, nemo nosse posset beneficij diuini magnitudinem. Stultè ergo & iniquè faciunt, qui in hoc seculo perpetuam felicitatem sibi pollicentur, aut saltem omnibus molestijs liberari volunt. Gestamus enim animale corpus, quod multis indiget, ideoq; vita hæc laborum atq; curarum plena est: vtq; his omnino liberemur, neq; corporum quæ nunc habemus, conditio, neq; ratio huius seculi permittit. Et vt Solomon ait, omnia tempus habent, cui sese prudentes & cordati accommodant. Nunc patientia opus est, qua animas nostras possidebimus, si nosipsos spe futuræ & beatæ immortalitatis confirmemus.

Conditio, quæ per Christum confertur, præstantior est ea, quā ex Adamo habemus.

Porrò redit Paulus ad institutam Adami & Christi comparationem, & quod obscurius dictum videri poterat, clarius exponit & illustrat. Primus homo (inquit) è terra, terrenus: secundus homo, ipse Dominus è cœlo. Abusi sunt olim hoc loco hæretici, Apollinaris & Manichæi, vt Christum non ex Maria virgine corpus verum assumpsisse, sed cœleste quoddam cœlitus attulisse probarent. Sed fefellit infelices homines, quòd non animaduerterunt, Paulum hîc non de corporum substantia, sed potius de ea qualitate & conditione loqui, quam corpora nostra in resurrectione mortuorum ex Christi beneficio obtinebunt. Et ideo Christum disertè hominem dicit, quod non alia ratione, quàm propter assumptam veri hominis naturam dicitur, secundùm quam illum ex Iudæis genus suum ducere ad Romanos scribit. Itaque statum huius loci spectare oportet, qui est, vt demonstret, conditionem cuius nobis author est Christus, & in quam nouissimo die transferemur, multò præstantiorem & beatiorem fore ea, quæ ex Adamo in nos propagata est, & in qua nunc vitam infinitis calamitatibus obnoxiam viuimus. Quod vt ad oculum (quod dicitur) demonstret, Adamum & Christum inter se confert, dicens: Primus homo è terra, terrenus: secundus homo, ipse Dominus è cœlo. In Græco legitur χοϊκός, quod propriè cœnosum aut lutosum, siue in cœno & luto versantem, significat, ideoq; non tam originem & materiam, ex qua homo factus est, quàm eius conditionem, siue ingenium & naturam denotat. Vt è contra ἐπουράνιος dicitur, non qui ex materia cœlesti factus est, sed qui cœlestibus solis addictus circa ea occupatur. Itaq;

sensus

sensus verborum est. Quemadmodum Adam, qui ex terrena materia originem ducit, terrenus est: ita quotquot ex illo nati sunt, terreni sunt (nam in sua imagine eum liberos suos genuisse Moses scribit) & proinde terrena sapiunt, terrena loquuntur, terrenis student & vacant, simulq; vicißitudini rerum & varijs huius seculi casibus (vt omnia alia in terris) sunt obnoxij. Rursus, quemadmodum Christus, qui è cœlo descendit, vt ex virgine homo factus nos redimeret & seruaret, cœlestia sapuit, cœlestia docuit, & tandem carnem quoque ab omni corruptibilis naturæ vitio liberatam cœlis intulit, vbi & ipsa nunc vitam viuit cœlestem nullisq; huius seculi casibus obnoxiam: Ita quotquot ex eius verbo renascuntur, ijdem cœlestes fiunt, cœlestia sapiunt, quærunt, tractant, & olim tam anima quàm corpore patriam in cœlis poßidebunt. Hunc sensum Paulus ipse nobis monstrat, quando subijcit: Et sicut gestauimus imaginem terreni, id est, sicuti Adamo parenti nostro similes fuimus vitam hanc mortalem in terris viuentes: ita tunc imaginem cœlestis gestabimus, & Christi similes efficiemur, vbi corruptibile hoc corpus incorruptibilitate donatum fuerit. Vbi obseruabimus, Paulum non de inani imagine loqui, sed tali, cui res ipsa coniuncta sit. Nam vt non inanem Adami imaginem gestamus, sed reuera eius similes sumus, quoad labores, curas, miseram vitæ huius conditionem & morti obnoxiam: Ita Christo etiam verè conformes effiecimur, eiusdem videlicet dignitatis & beatitudinis cum illo participes, & corporum quoque immortalitate donati. Sic locum hunc Theodoretus olim exposuit, cuius hæc verba sunt: Vt terreni primi parentis execrationis & mortis participes fuimus: ita participes quoq; erimus gloriæ Domini cœlestis. Nihil ergo hîc aliud dicit Apostolus, quàm quod in epistola ad Philippenses dicitur: Ciuitas siue municipium nostrum in cœlis est: vnde etiam Seruatorem expectamus, Dominum IESVM CHRISTVM: Qui transformabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, &c. Vide cap. 3. — Gen. 5.

Quo loco rursus obseruari debet diligenter ingens Christi beneficium. Finge aliquem ex sordida & ruinam in horas minante casa in regium palatium transferri, & ex egestate extrema ad opes maximas euehi & honores amplißimos: quis non de illo optimè agi dixerit? quis non laudauerit eorum liberalitatem, qui inopem & miserum tam benignè tractent? Atqui maiora multo nobis Christus contulit, qui infelices & à Dei conspectu exulantes cum eo in gratiã reduxit, qui corporis huius tabernaculum ruinosum olim instaurabit & immortale faciet, qui denique ius regni Dei nobis meruit, vt in eo omnibus cœlorum thesauris fruamur. Nec est, quòd de istis dubitemus. Ita enim Christum describit Apostolus, vt eum hæc præstare velle & posse, luculenter doceat. Nam hominem dicit, & hominem verè factum esse constat. Itaq; nostræ naturæ particeps & nostras miserias expertus nobis condolere potest, & simul iuuare volet. Adhæc quia frater noster est, iure causam nostram suscipere, & vindicem agere potest: quo nomine illum Iobus olim appellauit: Scio, quòd vindex meus viuit, &c. Deinde idem ille Dominus est, & quidem de cœlo. Ergo imperium habet legitimum & ordinarium, quod non ipse violenter sibi vsurpauit, sed secũ cœlitus in terras attulit. Testatur hoc ipse, quando omnia sibi à Patre tradita esse ait. Itẽ: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Id verò infinitis miraculis declarauit, quando morbos, ventos, fluctus, dæmones pro imperio corripuit, & eos qui vita hac defuncti erant, ex mortis faucibus reduxit. Est ergo reuera Dominus cœli & terræ, imò resurrectio & vita est, & proinde in nouißimo etiam die præstare poterit quod hîc nobis Apostolus ex ipsius ore pollicetur. — Beneficiũ Christi amplißi. — Iob. 19. — Matth. 11, 28.

Porrò rationem quoq; istius mutationis audiamus, cur nimirũ nos cœlestes & Christo similes fieri oporteat? Hoc autem dico fratres, carnem & sanguinem non posse regni Dei hæreditatem consequi, neque corruptionem incorruptibilitatis hæreditatem accipere. Carnem & sanguinem dicit totam hominis naturam atque conditionem, qualis nunc est quoad corpus & animam. Hoc infirmum, caducum corruptibile & mortale est, atque de eo simul & omnibus ad illud spectantibus verißimè olim Propheta exclamauit: Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Anima verò non affectibus modò & desiderijs prauis obnoxia, verumetiam diuinorum ignara est, neque etiam ea percipere potest suo intellectu quæ sunt spiritus Dei, quod Paulus supra secundo cap. disertè affirmauit. Et eòdem Christus respiciens, Petro qui ipsum verum & æternum Dei Filium atque humani generis Seruatorem esse confessus erat, respondit: Beatus es Si- — Cur Christo nos similes fieri oporteat?

mon, Bar Ionæ, caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Denique tanta est hominis in hoc corpore agentis infirmitas, vt ne gustum quidem leuissimum cœlestis gloriæ ferre possit, sicuti in prophetarum & Apostolorum exemplis est videre, quos consternatos & totos exanimes factos fuisse legimus, si quando Deus illis propius apparuit. Nec temere is Mosi ipsum coràm videre cupienti dicebat: Non poteris videre faciem meam: nec enim videbit me homo, & viuet. Quæ cùm ita sint, sequitur, totius hominis mutationem & innouationem omnino necessariam esse, qua & anima affectuum caligine atque tenebris liberata, luce maiori illustretur, & corpus ab omni infirmitate exemptum cœlestis illius conuersationis capax fiat. Quia, vt in præsenti seipsum exponit Paulus, corruptio, id est, natura hæc corruptibilis & caduca, quoad talis manserit, incorruptibilitatis non potest particeps fieri.

Mutatio nihil auferet ex corporum substantia.

Nemo tamen ista sic accipiat, quasi mutatio hæc corporum substantiam aboleat siue euacuet. Ita olim quidam huius loci authoritate turpiter abusi sunt, vt probarent, in nouissimo die non nostra, quæ nunc gestamus, corpora resurrectura esse, sed eorum loco cœlestia quædam siue aëria. Conuincuntur hi alijs Scripturæ locis, à quibus Apostolum dissentire, vel potius sibijpsi contradicere voluisse, nemo sanæ mentis dixerit. Daniel certè, eos qui in puluere dormiunt, Christus verò in monumentis agentes surrecturos dicit. Et in Symboli Apostolici articulis huius carnis resurrectionem profitemur. Itaque verus & orthodoxus verborum Pauli sensus est: Nos quoad nihil quàm caro & sanguis, id est, caduci, infirmi, corruptibiles, mortales, cœlestium ignorantes & prauis cupiditatibus obnoxij sumus, non posse hæreditatem & possessionem regni cœlorum adire. Corruptibilis enim natura, nisi aboleatur, incorruptibilitati locum non dabit: neq; fieri potest, vt mors & vita inter se concilientur.

In cœlis nullus est locus affectionibus.

Primùm igitur admonemur hoc loco, in cœlesti patria neque corporis neque animi affectionibus locum fore. Vt enim mortalitas cessabit, ita dolor quoque, luctus, curæ, & multò magis inordinatæ & illicitæ cupiditates prorsus abolebuntur. Nam ipso Christo teste, Angelis similes erimus, non quidem quoad corporum substantiam, sed quoad conditionem cœlestem gloriosi & ab omni huius seculi casu liberati. Debet hoc diligenter teneri propter Sadducæos, & quoscunque alios illusores, qui (vt alibi dictum est) resurrectionis spem in dubium vocare nituntur, dum cœlestem vitam ex huius præsentis conditione æstimant, & illam ideo negant, quòd absurda quædam ipsi fingunt, quæ tunc omnino nulla erunt, cùm longè alia sit regni cœlorum quàm vitæ huius mortalis & caducæ conditio.

Cœlestibus assuescant Christiani.

Interim singuli meminerint, officij nostri esse, vt iam nunc cœlestibus assuescamus, & (vt Paulus ad Colossenses scribit) superna curemus, non terrestria. Resistamus ergo carni & sanguini, & mortificemus membra nostra terrestria, scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditates malas, & malorum omnium radicem auaritiam. Debent quidem in hac meditatione omnes versari quotidie, præ alijs tamen ij, quibus Ecclesiæ & verbi sui ministerium Deus credidit. Est enim hodie causa licentiæ scelerum & vniuersalis illius corruptionis morum apud omnes ordines præcipua, quòd pauci credunt, & pleriq; vix vnquam de ijsdem cogitant. Vrgeant ergo constanter doctrinam istam, vt saltem aliqui veterno illo exitiali excusso, relictis terrenis studijs ad cœlestia bona aspirent, quæ nobis meruit IESVS CHRISTVS Dominus noster, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXXVI.

Ecce mysterium vobis dico: Non omnes quidem dormiemus, sed omnes mutabimur, momento & iactu oculi ad vltimam tubam (canet enim tuba), & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

HActenus multis & prolixè docuit Paulus, fore in nouißimo die vniuersalem ex mortuis resurrectionem, simulq́ diligenter respondit ad captiosas aduersariorum quæstiones, quibus illam in dubium vocant, dum quærunt, quomodo & quo nam corpore mortui resurrecturi sint. Sequitur ergo postrema pars huius tractationis, in qua primùm tota resurrectionis historia describitur, sic vt rursus demonstretur, quæ futura sit corporum resuscitatorum conditio. Deinde quid à resurrectione futurum sit docetur. Tandem doctrinam hanc Corinthijs, vel potius Christianis omnibus accommodat, vt ea confirmati, in fide vera constanter perseuerent, nec sese ab ea dimoueri patiantur.

Exordium breue præmittit: Ecce mysterium dico vobis. Demonstrandi particula vtitur, vt attentos reddat in re maximi momenti: hanc verò mysterium dicit, vt sibi beneuolos faciat, quando ne ea quidem ipsos celare velit, quæ non omnibus vulgo cognita sint. Solent enim mysteria dici, quæ efferri non licet, & à quibusdam definitur: Mysterium est contemplatio spiritualis, quæ multorum captum siue intellectum fugit. Latini arcana dicunt, cuius vocabuli sensus latius patet, cùm quàmuis rem occultiorem, etiam prophanam, comprehendat: mysterium autem ad sola sacra pertineat. Ita verò in præsenti Apostolus vocat totam resurrectionis historiam, qua eius ordo atq; modus describitur: partim quidem, quòd ista prius nunquam tam dilertè & perspicuè exposita fuerunt: partim verò vt Corinthios admoneat, ne de re omnium difficillima & sacratißima, quæ humani ingenij captum excedit, temere pronuntient, neq; etiam in eius consideratione oscitantius versentur. Hæc enim illis hucusq; præcipua erroris causa fuerat, quòd ardua hæc regni Dei mysteria ad suæ rationis calculum reuocarent. Quid enim hîc poßit homo animalis, qui non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei? imò qui ne ijs quidem, quæ ad corpus spectant, futura prospicit? Resurrectio mysterium dicitur.

Debet autem considerari hoc loco Dei consiliũ, qui pleniorem huius rei cognitionem per Paulum demum toti mundo innotescere voluit. Veteribus quidem non ignotam fuisse resurrectionis spem, antea non semel demonstrauimus: Sed poterat illis sufficere, quòd illã omnino fore scirent & crederent, etiãsi eius modum & ordinẽ ignorarent. At quia Corinthij cum alijs gentibus humanæ philosophiæ rationibus decepti de illa dubitabant, & nouißimis temporibus non minus argutos quàm impios illusores orituros esse Spiritus Sanctus præuidebat, qui eius fidem argumentis vndiq; conquisitis oppugnarent, mysterium istud diligentius explicari, & imprimis ad quæstiones illas responderi oportuit, quas illi mouere solent. Sic multa alia veteribus obscurius tradita fuerunt, si totum IESV CHRISTI negotium spectes: quæ postea illo in carne exhibito euidentius patuerunt. Ideo ille discipulis dicebat: Vestri beati sunt oculi, quia vident: & aures vestræ, quia audiunt. Amen & enim dico vobis, quòd multi prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quò etiam referri debet, quòd Ioannes in Christo nobis non vitam modò, verumetiam lucem exhibitam esse scribit, quæ suo in mundum aduentu omnes homines illuminet. Debemus ergo diligenter obseruare prærogatiuam nostram, qua nos Deus dignatus est, vt nos illi pro tanto beneficio gratos præbeamus, & constanter retineamus lucem illam veritatis salutiferam, quæ nobis in Euangelij prædicatione affulget. Alexander Macedo, infelix ambitionis & gloriæ popularis mancipium, Achillem felicẽ pronuntiabat, quòd viuenti Patroclus fidelißimus amicus, mortuo autẽ Homerus laudum suarum præco obtigiſſet. At quanto feliciores sunt, qui in tempora Euangelij renascentis inciderunt, cuius prædicatio nobis salutem æternam affert, ipsum deniq; Deum nobis conciliat, qui nobis Filium suum vindicem dedit, qui nos amicorum & fratrum loco habere dignatur, quos inter regni sui cohæredes adscribat. Discamus præterea tanti beneficij consideratione ingenij nostri curiositatem atq; audaciam frænare, ne velimus sapere supra id quod in Scripturis sacris reuelatur. Solet enim Deus manifestare quantum cuiq; satis est: quòd si quid præterea scire necesse fuerit pro temporis & loci ratione, id quoq; non celabit, quando hæc eius voluntas est, vt omnes homines salui fiant, & in veritatis cognitionem perueniant. Philip. 3. & 1. Timoth. 2.

Resurrectionis historia per Paulum demũ patefacta.

Matth. 13.

Ioan. 1.

Porrò audiamus Paulum de resurrectionis historia differentem: Non omnes quidem (ait) dormiemus, sed omnes mutabimur momento & ictu oculi ad vltimam tubam (canet enim tuba) & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Debent his coniungi, quæ in priori ad Resurrectionis historia.

Thessalonicens. 4. cap. paulo fusius tradit, sic scribens: Hoc vobis dicimus verbo Domini (nemo igitur ista hominis figmentũ esse arbitretur) quòd nos viui, qui reliqui (siue superstites) erimus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui obdormierunt. Nam ipse Dominus cum hortationis clamore & voce Archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm: Deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes in occursum Domini in aerem: & ita semper cum Domino erimus. Sunt verba hæc plana & perspicua, neq; audiendi sunt, qui subtilius de his philosophando mira quædam fingunt de resuscitatorum conditione, deq; cœlis & electorum felicitate. Nos potius rem ipsam, de qua agitur, consideremus: & primò quidem, de quibus in præsenti sermo fiat: deinde quid de omnibus tunc futurum sit, siue prius hac vita defuncti, siue superstites fuerint: postremò, qua ratione aut quibus medijs ista omnia perfici oporteat.

In die nouiss. multi erunt superstites.

Quoad primum, sic scribit Apostolus: Non omnes quidem dormiemus, sed omnes mutabimur momento & iactu oculi, &c. Item: Nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui obdormierunt. Diuidit totum genus humanum in viuentes & mortuos, quæ distinctio etiam in Symbolo Apostolico habetur, vbi Christum fatemur venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Et de illis quidem disertè pronuntiat: Non omnes dormiemus: Item, Nos viui, qui reliqui erimus. Ergo multi illo die superstites erunt, quod Christus quoque non obscurè docet, quando de nouissimi temporis moribus & suo ad iudicium aduentu disserens, inter alia sic dicit: Sicut erant dies Noæ, ita erit & aduentus Filij hominis. Vt enim erant in diebus, qui præcesserunt diluuium, edentes & bibentes, contrahentes matrimonium & nuptum dantes vsq; ad eum diem, quo intrauit Noa in arcam, & non cognouerunt, donec venisset diluuium, & sustulisset vniuersos: ita erit & aduentus Filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur: Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Quò etiam facit, quod Paulus ad Thessal. scribit: Cùm dixerint, Pax pax, & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium, sicut dolor partus mulieri prægnanti. Frustra item & ridiculè nos ad vigilandum hortaretur Dominus, ne dies ille ex improuiso nobis incidat, si moriendum esset omnibus priusquam ille illucescet. Confutantur igitur hoc loco falsæ illæ prædictiones de signis nouissimum Christi aduentum præcessuris, inter quæ hoc etiam numeratur, quòd omnes homines vno die morituri sint. Sunt hæc ferè monachorum figmenta, quibus volupe est, hominum mentes perterrefacere: non quidem vt ad pœnitentiam veram & salutarem excitent, sed vt ipsi quæstum faciant maiorem.

Matth. 24.

Ecclesia durabit vsq; in finem seculi.

Habet præterea locus iste dulcissimam consolationem, qua nos in omnibus aduersis siue periculis, imprimis autem aduersus crudeles tyrannorum conatus confirmemus, qui fidem in vnum Christum & cum ea Ecclesiam simul extinctam volunt. Quia enim sub nouissimum Christi aduentum adhuc aliqui superstites erunt, qui tunc ad gloriæ æternæ possessionem immutabuntur, nõ obscurè apparet, Ecclesiam ad finem vsq; seculi mansuram esse: quod Dominus ipse testatur, quando apud Matthæum ait: Ego vobiscum sum vsq; in consummationem seculi. Queritur quidem alibi de corruptissimis nouissimorum temporum moribus & credentium paucitate, at simul aliquos fore dicit, quorum rationem habiturus sit, vt dies illos decurtet, ne vel prauo mundi exemplo corrumpantur, vel malorum tunc grassantium mole superentur. Et ad istos hæc efficacissima consolatio pertinet: Cùm hæc fieri incipient, suspicite, & attollite capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Facit ad horum confirmationem, quòd ita de hac re Paulus disserit, vt seipsum inter eos numeret, quos dies ille superstites depræhensurus sit, & quos ad gloriam cœlestem immutari oporteat. Nos viui (inquit) qui reliqui erimus in aduentu Domini, &c. Quæ non ita accipi debent, quasi vana confidentia aut ficto quodam oraculo delusus hæc dicat (nam eosdem Thessalonicenses in posteriori epistola grauiter admonet, ne impostoribus fidem habeant, qui diem illum iamiam venturum dicebant: quia prius defectionem fieri, & Antichristum reuelari oporteat) sed ex electorum more loquitur, qui cùm certò sciant fore finem huius mundi, & venturum omnino Christum iudicem, ad cuius aduentum nos in omnes horas paratos esse conueniat, ita de istis cogitant, ac si certò ipsis constaret, iamiam diem illum in foribus adesse. Ita enim nobis ipse Dominus præcipit

Luc. 21.

2. Thes. 2.

ut præcipit, apud Lucam his verbis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ, & vos similes hominibus expectantibus quando dominus suus reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei. Et paulò post: Vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Et sanè vt ita fiat plus quam necesse est, eò quòd nihil nocentius est ea persuasione, qua Christus moras nectere, aut aduentus eius adhuc procul abesse putatur. Illam enim ipse seruo illi malo & proditorio tribuit, qui in familia sua tyrannidem exercet, & pœnas dignas tandem dabit cum hypocritis. Nostro etiam seculo præcipua securitatis, qua totus mundus perit, causa est, quòd de Christi aduentu pauci seriò cogitant. Remedium verò eius præsentissimum erit, si de eo cum Paulo loqui assuescamus, perinde ac si iam iam nostris capitibus ille immineat. Luc. 12.

Porrò ad alterum huius loci caput accedamus, quo quid tunc de omnibus futurum sit docetur, siue illi tunc superstites sint, siue iam ante mortui fuerint. Non omnes (inquit) moriemur, sed omnes mutabimur momento & ictu oculi, &c. Et mox: Mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Ad Thessalonicen. verò ordinem huius negotij distinctius explicat, dicens: Nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui obdormierunt: Sed qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm: deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in occursum Domini in aërem: vbi nimirum mutatio illa præcesserit, de qua in præsenti loquitur. Ergo qui superstites fuerint in illo die, mutabuntur, quoad nimirum corporum qualitatem & conditionem, vt incorruptibiles et immortales fiant: mortui verò incorrupti fient, & similiter incorruptibilitate ac immortalitate donabuntur: inde quotquot tam ex his quàm illis ex electorum & filiorum Dei numero fuerint, simul omnes in occursum Domini in aërem rapientur, vt æternum cum illo viuant & regnent. Cæterùm quoad primos, cùm mors via omnis terræ in Scripturis dicatur, & Apostolus alibi dicat, hoc omnes homines manere, vt semel moriantur, poterat videri sibijpsi contradicere, quando aliquos superstites fore scribit in illo die, qui non morituri, sed subitò in meliorem conditionem mutandi sint. Sed obseruabis, subitam istam mutationem loco mortis fore, & aliqua ratione mortem dici posse, quia idem in nobis aget, quod ista. Auferet enim ex corporibus nostris omnem corruptibilitatem atque mortalitatem vnà cum vitijs, quæ cum his coniuncta sunt. Quod factu necessarium esse, nuper diximus, & in præsenti idem repetens Paulus ait: Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem: Nimirum, quia caro & sanguis, id est, homo qualis nunc est in hac corrupta natura, regni Dei hæreditatem adire non potest. Etsi verò Paulus hîc de solis pijs loquatur, qui æternùm cum Christo erunt (quia ad credentes scribebat, aut saltem ad fidei veræ professores, de quibus omnibus charitas Christiana piè ac bene sperare solet) constat tamen, mutationem istam etiam in impijs fieri oportere. Quemadmodum enim pij & credentes mutabuntur, vt ab omni corruptibilis naturæ vitio atque impedimento liberati, in Christi occursum tendere, & æternis regni cœlorum bonis frui possint: ita impiorum quoque corpora incorruptibilia fieri necesse est, vt æternis supplicijs queant sufficere. Vt igitur in hoc seculo quæ pijs ac Deum diligentibus salutifera sunt, impijs sua culpa exitium afferunt: ita in futuro quoque fiet, vt conditionis corruptibilis in incorruptibilem mutatio pijs ad æterni regni & gaudij beatam possessionem, impijs verò ad nunquam finiendos infernalium pœnarum siue tormentorum cruciatus seruiat.

Quid de omnibus futurum sit in die nouiß.

Imprimis autem hoc loco obseruatu dignum est, quæ nam corpora à mortuis resurrectura sint. Nam etsi de eo iam sæpius dictum sit, prodest tamen hoc ipsum frequentius repetere, vt efficacior sit consolatio, quam ex resurrectionis spe concipimus, ne illa eorum somnijs labefactetur, qui hodie Origenianis speculationibus dediti de corporum clarificatione subtilius philosophantur, quæ ἄυλα, id est, omnis materiæ expertia, & proinde insensibilia quoque, fore fingunt. Nam corpora (inquiunt) clarificata erunt incorruptibilia: At materia omnis corruptibilis est: Ergo corpora illa in clarificatione materiam omnem deponent. Cuius figmenti ipsis causa est vnica, vt Christi corpus nunc quoque tale esse doceant, & ex eo probent, idem vbique esse, imò nullo loco contineri. Quòd si obijcias: Num ergo negent eadem, quæ nunc gestamus corpora, & quidem in

Contra eos, qui corpora in Resurrect. dicunt fore ἄυλα.

sua substantia resuscitanda fore? Id planè affirmant, sed substantiam corporum & carnis dicunt esse animam. Mirum sanè & nouum theologiæ genus, quod illi ex philosophorum adytis proferunt, quos à Dei simul & regni cœlorum cognitione alienißimos fuisse constat. Et quis vnquam veterum dixit animam esse corporum substantiam? Si de viuis corporibus loquantur, ea quidem anima consistere & viuere fatemur. Interim ratum semper manet, quod philosophi quoque saniores tradiderunt, hominem duabus partibus, corpore nimirum & anima constare, ex quibus hæc quidem nobis cum Dijs immortalibus, illud verò cum belluis commune est. Quod discrimen sacræ literæ etiam nobis indicant, quæ corpus ex terra desumptum & formatum fuisse docent, cui Deus spiritum vitæ inspirauerit. Itaq; viuere quidem desinit corpus, quando ex eo anima emigrat, at non propterea corpus esse desinit, neque etiam substantia sua spoliatur, quam ex terra accepit, in quam reuertitur.

Mutationis corporum ratio. *Sed Paulum loquentem audiamus, qui cùm dixisset: Mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur: Mox huius dicti rationem reddens & seipsum exponens subijcit: Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Primùm* δεικτικῶς *ait:* HOC *corruptibile, &* HOC *mortale: quasi ad illud Iobi dictum respexerit: Postquam circumdederint* HOC *mea cute, &c. Non igitur de alio corpore loquitur, quàm quod in morte cadit, & corruptioni obnoxium in terram aut puluerem dissoluitur. Deinde mutationem, non abolitionem ei tribuit, qua in nihilum redigatur, aut* ἄυλον *siue omnis materiæ sensibilis expers fiat. Tertiò mutationis huius rationem definit Induendi verbo: Oportet (inquit) hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, &c. Et eodem verbo in posteriori epistola beatæ immortalitatis spem explicat, dicens: In hoc suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui. Et mox: Etenim qui sumus in hoc tabernaculo suspiramus onerati: in quo non cupimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita. Nemo igitur istorum argumenta admittat, quæ de materia corruptibili proferunt, vt corpus clarificatum* ἄυλον *esse, aut ex nulla materia constare probent. Id enim oppugnant & negant, circa quod resurrectionis cardo versatur. Fatemur nos quoque omnem materiam, quæ nunc in rerum natura est, corruptioni obnoxiam esse. At in illo die mutatio in melius fiet, qui ideo dies instaurationis omnium & regenerationis dicitur. Itaque manente eadem substantia & materia corporum, ipsa tamen incorruptibilitatem & immortalitatem induent: Nec est vt propter materiam, quæ ex elementis petita est, corruptionem nouam metuamus: quia hæc locum amplius habere non poterit, quando ipsa mors absorbebitur, & vires eius omnes abolebuntur, vt in sequenti Sermone dicetur. Quod nisi fateamur, dicant quæso illi disputatores, in quo Dei Filij ab huius mundi machina differant, quæ & ipsa abolebitur, vt seruitute, sub qua nunc gemit, liberetur: si non eadem corpora, quoad substantiam & materiam, qualitate autem & conditione beatiori ipsis restituentur. Quomodo autem idem corpus dici poterit, cuius neque forma neque materia est eadem, quæ prius fuit? Respondeant item Christo, qui corpus clarificatum ex partibus & materia definiens, dum manus, latus, pedes, carnem & ossa nominat, & idem ex spirituum numero eximens discipulis spectandum & contrectandum exhibuit. Hoc (inquiunt) per dispensationem factum est. Quæro autem quæ & qualis hæc dispensatio fuerit? aut num alium se illis exhibuerit, quàm reuera esset? Si dicant, spectandum & contrectandum se præbuisse, cùm corpus haberet omnis materiæ expers & insensibile: iam illum nobis præstigiatorem facient, qui falso spectro discipulorum sensus ludificarit. Et quæ obsecro est illa consequentia: Christus à resurrectione in corpore clarificato se discipulis videndum & palpandum præbuit, vt se verè resurrexisse probaret: Ergo corpus Christi clarificatum est* ἄυλον *& insensibile? Quis non præstigias istas verborum abominetur? Aut quæ vnquam Sophistica in fidei & religionis Christianæ mysterijs impudentius lusit, aut petulantius populi rudis simplicitati insultauit? Denique vt finiamus hanc disputationem, quæ præmia corporibus dabuntur, aut quas pœnas eadem subibunt, si & materia & sensu destituuntur? Procul ergo facessant hæc commenta non minus impia quàm absurda, quibus tota salutis spes euertitur, & Christi pro nobis incarnati, mortui, resuscitati & nunc quoad humanam quoq; naturam in cœlo regnantis mysterium prorsus euacuatur. Nos autem his omißis ad tertium huius loci caput transeamus,*

2.Cor.5.

Nam exponit etiam Paulus, quo medio & qua ratione mortui excitandi sint. Qui locus consideratu dignissimus est, eò quòd resurrectio plerisque hac sola de causa impossibilis videtur, quia qua ratione perfici debeat non intelligunt, aut saltem non qua decebat diligentia expendunt. Præstat autē ante omnia Christum audire, qui negotium hoc omne sic narrat: Statim post afflictionem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent è cœlo, & potestates cœlorum agitabuntur: Et tunc apparebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate & gloria multa. Et is mittet angelos suos cum tubæ voce magna, qui cogent electos eius à quatuor ventis, à cœlorum extremo ad eorum extremum. Et apud Ioannem idem sic ait: Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & prodibunt: qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Ex Christi ore ergo desumpsit Paulus quod hîc ait: Canet tuba, & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Quod ipsum in epistola ad Thessalonicens. pluribus explicat, quem locum supra recitauimus. Quæ omnia si diligentius considerentur, mox patebit, non adeò difficile fore, quod nunc nobis impossibile videtur. Nam Regi potenti in bellum contra hostes profecturo sese confert Christus. Solent autem reges primùm signa militaria expedire, præcones & tubicines mittere, qui milites ad arma excitent, & ad locum constitutum vocent. Estq; tanta istorum authoritas, vt milites mox relictis alijs rebus omnibus arma corripiant, & ad signa sua concurrant. Quia ergo Christus, qui Rex regum est, & Dominus dominantium, in nouissimo die idem faciet, non minoris efficaciæ erit signi, quod ille in cœlis expediet, conspectus, & tubæ illius cœlestis clangor, quem suam vocem dicit, quia ipsius virtute & auspicijs omnia gerentur. Etenim qui verbi sui virtute mundum hunc totum creare, & quæ non erant, ex nihilo producere potuit, vtique minori cum negotio mortuos ex terræ visceribus euocabit, vt ad ipsius tribunal sistantur. Vocat autem vltimam tubam Paulus respectu eorum, quæ de septem tubis in Apocalypsi leguntur, per quas Ecclesiæ certamina Spiritus Sanctus denotat, quibus omnibus postrema hæc finem imponet, eò quòd tunc Christus iudex in nubibus cœli comparebit, & optatissimum illum iubileum electis suis adducet, quem olim sub Lege tubarum argentearum clangor denotabat, & quo ad amissam regni cœlorum possessionem rursus admittemur.

Modus Resurrectionis corporum.

Matth. 24.

Ioan. 5.

Apoc. 8. &c.

Ista verò inuictam & diuinam IESV CHRISTI potentiam nobis commendant, cuius multa argumenta hîc simul congeruntur. Primum est ipsa corporum nostrorum resurrectio, quæ vires hominis omnes longè superat. Alterum, quòd eadem corpora resurgent, quæ nunc gestamus, & quæ per mortem extincta in terram redierunt. Superat vtrumq;, quòd illa nobis præstantiora & incorruptibilia restituentur. Imprimis verò stupendum diuinæ omnipotentiæ opus est, quòd ista omnia momento & ictu oculi fient. Quod etsi nostræ rationis captum excedat, nemini tamen impossibile videri debet. Si enim nos ictu oculi visum longè lateque extendere, & res innumeras longeque dissitas cernere possumus: si item vna vox multorum millium aures vno momento penetrat: annon maiorem esse oportet vocis diuinæ & cœlestis illius tubæ efficaciam? Seruiant ista consolationi aduersus crudeles tyrannorum conatus, quibus illi fidem & salutem nostram oppugnant. Simul autem nos officij admoneat magni illius diei consideratio, qui vt omnibus illucebit, ita nemo subterfugere, nemo iudicem illum reijcere, nemo ab illo prouocare poterit. Non proderunt tunc opes, non honores, non eruditio, non dicendi facultas, non potentia, non amici, clientes, patroni, nihil denique quod nunc eximium habetur. Soli autem seruabuntur, quos propter fidem veram, qua ipsum amplexi sunt, pro suis agnoscet æternus Dei Filius IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Diuina Christi potentia.

HOMILIA LXXXVII.

Cùm autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum

est: Absorpta est mors in victoriam. Vbi tuus ô mors aculeus? vbi tua ô inferne, victoria? Aculeus verò mortis, peccatum: vis autem peccati, lex. Sed Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

QVoniam plerique resurrectionem ex mortuis impoßibilem arbitrantur esse, eò quòd eius modum siue rationem & cuius virtute perficiatur ignorant, vel saltem non diligenter expendunt, Paulus nuper eius historiam & ordinem exposuit. Summa est, Christum de cælo descensurum esse in postrema tuba cum voce Archangeli, & tunc eos qui ante illum diem mortui fuerunt resurrecturos, inde mox alios, qui adhuc superstites fuerint, mutationem subituros esse, vt simul omnes incorruptibiles & immortales fiant. Omnia verò ad Dei omnipotentiam refert, vt primam mundi creationem nobis in mentem reducat, in qua nouæ huius restitutionis exemplum euidens præceßit. Habet autem historia duo, quæ nos plurimum consolantur. Primum, quòd multos ex electorum numero dies ille superstites deprehendet. Ex eo colligimus, Ecclesiam perpetuò duraturam esse in terris vsque in huius seculi consummationem. Irriti ergo erunt omnium eorum conatus, qui illam oppressam & extinctam volent. Qui verò inter persecutionum fluctus in fide constantes perseuerauerint, ijs dies ille lætus & salutifer illucescet. Alterum, quòd mutatio fiet in melius. Nemini ergo molesta & intolerabilis videri debet, quæ nunc in corporibus nostris hæret vitiositas, neque de resurrectione aliquis ideo dubitet, quòd corpora corrumpi & computrescere videt. Nam ita fieri necesse est, vt olim nobis incorruptibilia restitui poßint. Simul autem illic eorum stultitia arguitur, qui corpori suo delitias faciunt, quasi in eo æternùm victuri sint, & eadem post mortem quoque conseruare student atque sepulchrorum sumptuoso apparatu superbiunt. Discant potius Christiani homines ad beatam illam immortalitatem aspirare, quam non assequemur, nisi quicquid in nobis corruptibile est vel per mortem, vel per subitam illam mutationem aboleatur. Porro his absolutis ad alterum huius historiæ caput transit, quo quid à resurrectione futurum sit docetur, & ita amplißimum eius fructum exponit, quo perfecta totius humanæ naturæ redemptio continetur.

Quid futurum sit post resurrectionem.

Principio sic ait: Cùm autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum est: Absorpta est mors in victoriam, &c. Non temere repetit voces istas, HOC corruptibile, & HOC mortale. Oportet enim probè teneri non aliam, quàm corporum quæ nunc habemus, resurrectionem esse sperandam. Et mirum est inter Christianos homines inueniri hodie, qui de eo subtilius philosophentur, quod Apostolus toties verbis disertis repetit, & tantumnon ad nauseam vsque inculcat. Ne autem aliquid ex suo cerebro fingere putetur, futuri seculi conditionem non suis, sed Veteris Scripturæ verbis exponit. Ita enim solent Apostoli in causis difficilioribus, & suo exemplo temerarios somniatores arguunt, qui quicquid ipsis in buccam venit effutiunt, & Ecclesiæ sua figmenta pro indubijs Verbi Dei oraculis obtrudunt. Argumentum verò Pauli est eiusmodi. Ex Scripturis constat, mortem oportere absorberi in victoriam, id est, ita vinci, vt nulla porrò sit, adeoq; vt nobis ei simul & inferis insultare liceat. Id verò fieri nequit, quoad corpora nostra per illam detinentur: Ergo ea resurgant oportet, & incorruptibilia fiant. Tunc enim nullus porrò morti locus erit, neque aliquod ius in nos habebunt inferi, & proinde vita immortali, gaudio item & felicitate æterna absque omnis periculi metu fruemur. Quod si verò mors tota absorbebitur, nullum periculum erit, ne corpora nostra adhuc corruptioni obnoxia sint, etiamsi materia & substantia sua, quam prius habuerunt, non exuantur. Sed in Apostoli verbis pergamus, qui duos Scripturæ locos coniungit.

Locus Isaiæ Cap. XXV.

Primus extat apud Isaiam, qui cum vigesimo quarto Cap. vniuersale Dei iudicium descripsisset, quo omnibus seculis mundi scelera puniturus sit, mox sequenti Cap. de credentium liberatione vaticinatur, ne quis inter horribiles omnium gentium motus Ecclesiam quoque perituram putaret. Et quia liberatio hæc solius Christi merito nititur, qui idem vnicus eius author est, ita hanc causam tractat, vt illius beneficia commemoret. Inter ea autem præcipuum est, quòd ex mortis tyrannide nos eripuit, de quo sic loquitur: Mortem absorbebit in victoria, & absterget

Dominus Deus lachrymam à cunctis faciebus, & opprobriũ populi sui auferet ab vniuersa terra.

Quo loco diligenter obseruari debet, Prophetas quoties bona temporaria populo pollicentur, horum quoq; authorem siue mediatorem facere Christum, & ea occasione de æternis quoque admonere, & ita in vniuersalem humani generis liberationem siue redemptionem digredi. Exempla passim occurrunt, vt ea commemorare non sit opus. Nobis autem eorum hic vsus esse debet, vt ipsi quoq; quæcunq; nobis pro voto & feliciter accidunt, ad Christum authorem referamus, qui nobis Patrem placauit, vt nobis propitius sit, qui prius peccatis nostris irascebatur. Interim meminerimus, præstantiora hisce temporarijs bonis nobis in Christo reposita esse, in quorum plenam possessionem olim venturi simus, quando nobis ex morte resuscitatis vnà cum morte omnis diaboli atque inferorum potestas prorsus destruetur & abolebitur. Ita fiet, vt neque in huius seculi commodis acquiescamus (quod plerique cum certa salutis æternæ iactura faciunt) neque etiam aduersis ex improuiso incidentibus offensi à fide deficiamus. Nam beatæ resurrectionis spe confirmati ad æterna & cælestia bona aspirabimus, huius autem vitæ incommoda, vt momentanea & leuicula facilè contemnemus.

Prophetæ omnium bonorum Mediatorem faciunt Christum.

Alterum locum ex Hoseæ Cap. XIII. adducit Paulus. Corripuit illic Deus grauiter Israelitarum contumaciam, & vt magis moueat, simul docet, quàm felices & beati futuri sint, si seipsos ei reformandos & corrigendos præbeant. Inter alia igitur hæc quoq; dicit: E manu sepulchri redimam eos, ex morte vindicabo illos, id est, licet morte absumpti in sepulchris delitescant, & ad inferos vsque detrudantur, tamen inde quoq; eos eripiam. Et mox prosopopœia eleganti mortem & inferos hostes fingit, quibus insultans, vel potius minitabundus dicit: Ero pestis tua ô mors, & ero excidium tuum ô inferne. At quia promissionum omnium basis atq; fundamentum est Christus, in quo etiam eadem sunt Etiam & Amen, Paulus verba ista nonnihil immutans ea Christo ad iudicium venturo tribuit, & quasi iam nunc impleta sint omnia ipsum loquentem inducit, perinde ac si quis hosti deuicto & prostrato insolentes minas & armorum apparatum, victorias item priores & quæcunque alia confidentes homines iactare solent, exprobret. Itaque illum dicentem fingit: Multùm quidem & diu hucusque ô mors sæuijsti in humanum genus, & per te Satan planè dominari visus est, quando tu omnis loci & ordinis homines promiscuè abripuisti. At nunc dies ille aduenit, quem olim tibi per Prophetas meos denuntiaui: fore nimirum vt te destruam, & simul inferos quoque deuincam. Vbi ergo nunc tua illa victoria? vbi triumphi? vbi aculeus ille tuus, quo omnes perdidisti? Vbi inferorum potestas, quibus tu seruire videbaris? Annon te debellatam & exarmatam esse sentis, quando vitæ restitutos & prorsus incorruptibiles atque immortales factos esse vides, quos prius perdidisse videbaris? Iam ne me eum esse agnoscis, quem Pater ab æterno vitæ & mortis dominum constituit? Hæc & quæcunq; sunt huius generis paucis hisce verbis comprehenduntur, adeoq; gloriosus Christi triumphus illis denotatur, quem ille tunc de morte, diabolo & inferis aget.

Locus Hoseæ Cap. XIII.

2. Cor. 1.

At hîc meminerimus, ista Christo propter nos tribui, vt certò sciamus, mortem iam nunc ab illo ita deuictam esse, vt nequaquam nobis porrò formidabilis esse debeat. Manet quidem adhuc omnes homines moriendi necessitas: at credentibus mors non amplius exitio est, sed ostium potius siue transitus ex vita hac misera & mortali in patriam cælestem, vbi æterna gaudia nobis præparata sunt. Nec quicquam obstabit, quin olim corpora quoque nostra resuscitentur, & fiat, quod olim per prophetas & apostolos prædictum est. Quis ergo mortem porrò horreat? Quin potius ea timemus quæ morte grauiora sunt? Quæ verò illa? Num exilium? num morbi? num egestas? num libertatis oppressio? Non equidem si verum fateri libeat. Nam omnia ista cum morte coniuncta sunt, quæ ijsdem aliquando finem imponet. Omnibus autem istis & ipsa morte grauius atque intolerabilius est à Christo diuelli, & ita vitæ æternæ iacturam facere. Agnouerunt hoc omnes sancti, quorum pietas in scripturis probatur. Huius doloris sensu perculsus Petrus olim clamauit: Domine quò ibimus? tu verba vitæ æternæ habes. Quod ipsum Paulus sentiens omnia, quæ in mundo præclara & eximia habebat, pro damnis duxit, vt Christum apprehenderet. Eiusdem impatientissimo desiderio Martyres accensi mille rogos subire, & diris quorumuis tormentorum cruciatibus subijci maluerunt quàm fidem in Christum abnegare.

Mors credentibus non amplius noxia.

Ioan. 6.

Peccatum aculeus mortis.

Sed ad Paulum redeamus, qui vt certior & efficacior sit consolatio ista, euidentius docet, quis sit ille mortis aculeus, quæ item inferorum victoria, & qua ratione horum potestas euersa, illius autem virus sublatum atque extinctum sit. Aculeus mortis (inquit) est peccatum: vis autem peccati, Lex. Sed Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. *Diabolum, communem generis humani hostem, immani serpenti aut bestiæ confert, quæ aculeo mortis, id est, mortifero omnes homines occidat. Et aculeum hunc dicit esse peccatum. Per peccatum enim mors ingressa est, & vt primos parentes Satan serpente tectus occidit, quando eis vt Dei mandatum transgrederentur persuasit: ita omnibus illorum posteris peccandi idem author est, vnde exitium nostrum emanat. Vnde verò (inquis) tanta peccati vis? Id vno verbo Paulus docet, Legem nominans: non quòd Lex suapte natura letifera siue exitialis sit, sed quòd peccatum (vt ab Ioanne Apostolo definitur) Legis transgreßio sit, quæ morte mulctari meretur. Quòd si Legem per se æstimes, sancta iusta & bona est. Quia autem vbi nulla Lex, ibi neque transgreßio vlla est, nos verò Legem habemus quidem, sed eidem obedire aut satisfacere non poßumus, illa peccatum simul & mortem gignere dicitur: non quidem ex seipsa, sed propter naturæ nostræ vitiositatem, quæ vt Legi repugnat, ita ex semetipsa non aliud quam peccare potest, & peccando mortem toti homini accersere. Quapropter cùm Christus Legem impleuerit & simul ius eius abrogarit, ne posthac peccata nobis imputari queant, hæc quoque simul sustulit atque expiauit. Quòd si verò peccatum simul & Legem è medio sustulit, vtique mortifero illo aculeo diabolum exarmauit, quo is contra nos non alio iure sæuiebat, quàm quòd peccatores essemus, & propterea morte digni iudicaremur.*

1. Ioan. 3.

Contra Legis fidutiam.

Voluit autem Paulus hoc loco Legis quoque mentionem facere propter eos, qui huius studio addicti, se ei proprijs viribus obedire, & proinde ex huius operibus iustitiam atque salutem consequi posse sibi persuadebant. Docet ergo istos adeò falli spe sua, vt potius per Legem accusentur, peccati conuincantur, & hoc ex Lege grauius atque letalius fiat. Quia enim ei nemo satisfacere potest, rata semper manebit, quoad nos & nostra opera, grauis illa & plus quàm cruenta sententia: Maledictus, qui non fecerit omnia, quæ scripta sunt in libro Legis huius. Quæ causa est, quod Paulus hanc partem dulci & plena consolationis δοξολογίᾳ *concludit, qua salutem nostram solius Dei gratiæ acceptam fert per* IESVM CHRISTVM, *Itaque totum hunc locum argumento tali poteris complecti: Quòd omnes homines morti & pœnis infernalibus obnoxij sunt, id omne ex peccato est: At Deus peccatum sustulit per Christum: Ergo in eodem mors quoque exarmata, & inferi prorsus expugnati sunt. Continetur his vniuersa salutis doctrina, cuius partes singulas sæpius inspexisse prodest.*

Omnes homines mortis rei sunt.

Prima est, qua nos mortis & damnationis reos esse, docemur. Causa in promptu est, quia omnes peccatores sumus. Testatur hoc omnis Scriptura, & si quis id negare ausit, eum propria conscientia suo testimonio conuincet. Quis enim non sentit cordis sui figmenta mala esse ab ineunte ætate? Aut quis negare poterit, prauas cogitationes sibi etiam inuito obrepere? Imò quis tam perfrictæ frontis est, vt se illis non interdum indulgere, & ex ijs quantulamcunque voluptatem capere inficietur? Taceo nunc dicta improba, quæ vel iratis, vel alio affectu abreptis, vel per ignorantiam temere nobis excidunt. Taceo item facta, quæ contra Legis diuinæ præscriptum designamus. Verumtamen si ista omnia dißimulare lubeat, quid de infantibus præmatura morte (vt vulgo aiunt) extinctis dicemus? Certè, nisi hos ex parentibus peccatores nasci fateamur, Deum iniustitiæ insimulabimus, qui nihil huius meritis peccati pœnam infligat. Debent ista sæpe & diligenter considerari, & ab his Scripturæ paßim exordiuntur, quando de salutis nostræ causa disserunt, vt de nostris viribus atque meritis nos desperare cogant, quod salutis principium esse, alibi diximus.

Salus confertur ex gratia.

Ita enim hanc extra nos quærere incipiemus, vbi nobis solius Dei gratia, vel potius misericordia gratuita occurret. Is enim occidit, vt viuificet. Idem peccatorum nostrorum molem atque atrocitatem arguit, vt gratiæ suæ & misericordiæ diuitias inexhaustas aliqua ex parte æstimare poßimus. De eo nos Paulus per gratiarum actionem admonet, dicens: Sed Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. *Loquitur autem de*

victoria, qua mors exarmata, & inferi expugnati sunt: Illam non nos obtinuisse, aut ex hoste retulisse, sed à Deo nobis datam esse ait, eoq; nomine gratias illi agens, hoc gratuitum misericordiæ diuinæ beneficium esse fatetur. Etenim si victoriam contra hostes à Domino dari, gentes quoque olim agnouerunt, & ideo bellis exortis ad Deos suos votis & precibus solicitis conuersi sunt: nimiùm impudens fuerit, qui peccatum, mortem, diabolum & inferos nostris viribus vinci posse dixerit. Quid enim hic faciant, qui ne ad cogitandum quidem sunt idonei?

Quis verò ille est, per quem nobis victoriam hanc salutiferam Deus dedit? Filius eius, Dominus noster IESVS CHRISTVS. Is enim nobis ab illo factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. In eodem victoria quoque plena nobis obtigit. Nam benedictum illud & à multis seculis optatum mulieris semen est, quod serpentis caput contriuit, & diaboli potentiam omnem euertit. Idem nobis quoque vires suggerit, quibus serpentem illum, quantùmuis adhuc sibilare pergat, sub nostris quoque pedibus conculcat, vt Paulus alibi ait. Denique qui Christo per fidem verè sunt insiti in eodem possunt omnia. Vnde Ioannes dicebat: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, nempe fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quòd IESVS est Filius Dei? Quo loco sub mundi vocabulo huius etiam principem vnà cum peccato & morte comprænhendi, manifestius est, quàm vt demonstrari oporteat. Quis enim mundum ab eo deuictum dixerit, in quo mundi princeps per peccatum & mortem adhuc dominatur? Itaque vniuersa nostræ salutis gloria solius Dei gratuitæ misericordiæ debetur per CHRISTVM IESVM, qui hanc nobis meruit. Et quàmuis iam nunc nobis salus illa parta sit, plena tamen & omnibus numeris absoluta erit eius possessio, quando Christus aduentu suo glorioso Satanam æternis inferorum carceribus constringet, mortem abolebit, nosq; à mortuis excitatos aut subita mutatione incorruptibiles factos ad se recipiet. Interim quoad in hac carne viuimus, perpetuò nobis luctandum erit, vsque quò lætus ille & felix triumphi vniuersalis dies illucescet.

Mediator salutis Christus.

Rom. 16.

1. Ioan. 5.

Ex his apparet totam humanæ salutis rationem eiusque principia conuelli atque euerti ab ijs, qui resurrectionem ex mortuis & qui cum ea coniunctus est nouissimum Christi ad iudicium aduentum negant, aut scurrilibus dictis in dubium vocant. Nisi enim mortui resurgant & corpora nostra incorruptibilitate & immortalitate donentur, salua manebit & integra semper morti sua potestas, quam per peccatum in nos obtinuit. Quòd si verò mortis potestas & imperium manserit, peccati quoque noxa maneat necesse est. Itaque & peccato & morti obnoxij adhuc erimus. Quid ergo de iustitia & vita dicemus, quam sua mortis merito Christus nobis acquisiuit? Aut quid porrò ex illo sperare possumus? Vel qua de causa illum in mundum venisse & hominem factum esse dicemus? Quid verò idem ille sua morte & resurrectione meruit? Imò fatendum erit, aut fabulosa esse quæcunque de illo in Scripturis traduntur, aut quòd nulla sit prorsus mortis & resurrectionis ipsius vtilitas. Quid verò magis impium excogitari, aut quod conuitium in Deum atrocius dici poterat? Diuinis & humanis legibus mortis supplicium ijs decernitur, qui temerarium in Deum, in Filium eius IESVM CHRISTVM conuitium dixerint, aut illius nomine ad impias execrationes fuerint abusi. At quantò grauior eorum culpa est, qui mortuorum resurrectionem scurriliter negant, & ita vno quasi ictu religionem Christianam prorsus euertunt? Sed quæ nostri seculi est calamitas, pauci istos qua decet seueritate coercent, multi etiam ex eorum dicterijs voluptatem venantur. Sunt hi nouissimorum temporum mores, quos nouisse quidem oportet, cùm de ijs nos olim Spiritus Sanctus admonuerit: at ijsdem pij nequaquam moueri debent, multò minus eorum exempla imitari, qui ita loquuntur & sentiunt. Oremus autem Deum Patrem, vt læta beatæ resurrectionis spe confirmati, per omnia salutis obstacula fide constanti eluctemur, vt ipsi quoque in magno illo die peccato, morte & inferis superiores facti cum IESV CHRISTO redemptore nostro triumphemus, viuamus & regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Salutis principia euertunt, qui Resurrect. negant.

HOMILIA LXXXVIII.

Itaque fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper: cùm sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.

1. Pet. 2.

Ei Filius, IESVS CHRISTVS *Dominus noster, ideo in mundum venit & homo factus est, vt miseros mortales ex peccati noxa & diaboli tyrannide liberatos Patri consecraret, nosq́ ei sisteret genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitum & proprium, qui ipsius virtutes prædicet. Quare religio Christiana in duobus potissimùm consistit. Primum est, vt Christum agnoscamus redemptorem vnicum, inq́ eo solo omnem salutis spem collocemus, quando nec ipse gloriam suam dat alteri, neque aliud nomen sub cælo hominibus datum est, in quo nos seruari oporteat. Alterum, vt vitam viuamus verè Christianam, quæ fidei nostræ professioni respondeat. Nec enim omnis (ait ille) qui mihi dixerit, Domine Domine, ingredietur in regnum meum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Vrgent duo hæc capita passim Apostoli, & ad ista Paulus doctrinam de mortuorum resurrectione hactenus prolixè expositam potissimùm accommodat. In ijs enim, quæ proximè præcesserunt, futuri seculi conditionem ita descripsit, vt apertè omnis beatitatis nostræ authorem esse docuerit* IESVM CHRISTVM. *Nunc verò, quia Corinthij non solùm in isto articulo vacillabant, sed vitam quoque viuebant Christiani nominis professione indignam, adeò vt periculum esset, ne impostorum fallacijs & illusorum dicacitate decepti à fide prorsus deficerent, tractationem hanc ita concludit, vt totam ipsis applicet, & ostendat, quis ipsis eius vsus esse debeat tam in religione quàm in vitæ totius consuetudine & moribus. Partes loci huius duæ sunt, de quibus ex ordine dicemus.*

Isa. 42.
Actor. 4.
Matth. 7.

Doctrinam de Resurrect. singulis applicat.

Prima hortatione graui constat, sed paucis verbis compræhensa: Itaque fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper. Amicè & non sine pathetica amoris sui significatione eos compellat, fratres suos dilectos dicens, vt correptiones, quibus hucusq́ acrioribus fuerat vsus, leniat, neuè ipsum iniquius de ipsorum Ecclesia sentire putent. Ex ijs autem, quæ proximè scripserat, hæc inferens, ita vult dicere: Cùm ergo constet, nos per Christum verè redemptos esse, qui victoriam nobis eiusmodi acquisiuit, vt neque mors neque inferi obstare possint, quò minus ad beatam immortalitatem resurgamus, etiam atque etiam vobis videndum erit, vt tantum Filij Dei beneficium qua decet diligentia & gratitudine expendatis, & tales sitis porrò, quos ipse in magno illo die possit pro suis agnoscere. Et ne quærant, quid facto opus sit, duo præscribit.

Constantiam repuirit.

Primum, firmi (inquit) estote, & immoti. Constantiam siue perseuerantiam in veritate agnita requirit, & ab ea orditur, partim quia multi erant, qui fidem eorum varijs tentationibus aut machinationibus labefactabant, & quia natura leues atque nouitatis amantes sumus: partim quia sine constantia nihil rectè fit. Exempla sunt, quæ de hoc nos admoneant. Qui in bonis aliquò vsque progreßi studia sua non continuant, nunquam ad eruditionem solidam perueniunt, & paulatim dediscunt quæ prius non infeliciter didicerant. Opifices similiter, nisi in labore suscepto perseuerent, opus incœptum cum laude non perficiunt. In re autem militari absq́ constantia adeò nihil proficitur, vt partam quoque victoriam sæpe ex manibus suis turpiter amittant, qui remißius agere incipiunt, aut hostem clade aliqua consternatum non feruidè persequuntur, sed vires nouas eum colligere permittunt. Quod in Annibale olim Maharbal desiderabat, cùm post prælium Cannense Romam festinare nolenti diceret: Vincere scis Annibal, victoria vti nescis. Imprimis autem in religione & æternæ salutis negotio hoc requiritur. Ibi enim suam scholam nobis Deus aperit, in qua quod discamus nunquam deerit, quoad vita hac frui datur. Ibi opus illud plucherrimum fidei homines inchoant, quod solum suos artifices Deo commendat, si illud ad suum finem deduxerint. Ibi turris illa & domus spiritualis extruitur, quam Deus ipse inha-

ipse inhabitet, si nos in ædificando constanter pergere videat. Ibi bellum geritur Christi auspicijs, cui in baptismo nomen dedimus, in quo aut vincere oportet, aut æternæ salutis & patriæ cœlestis possessione cedere. Omnes ergo sibi applicent quod Dominus dixit: Qui vbi manum aratro admouit, respexerit à tergo, non est idoneus ad regnum Dei: Luc.9. Qui verò perseuerauerit in finem vsque, saluus erit. Matth.24. Item, In perseuerantia vestra possidebitis animas vestras. Luc.21. Docet præterea idem ille, eorum qui ab agnita veritate deficiunt, sortem posteriorem longè deteriorem fore, quàm prior fuerit. Huc enim pertinet, quod de septem pessimis dæmonijs dicitur, qui hominem Matth.12. oscitantem & salutis suæ securum inuadant. Petrus autem Apostolus de talibus inter alia scribit: 2.Pet.2. Satius fuisset illis, non cognouisse viam iustitiæ, quàm illa cognita regredi à sancta doctrina ipsis tradita. Et quia defectione & leuitate ista nihil turpius aut fœdius est, bestijs quoq; turpißimis illos confert, dicens: Accidit eis quod vero prouerbio dici solet: Canis reuersus est ad suum ipsius vomitum: & Sus lota ad volutabrum cœni. Poterat hoc multis exemplis probari, sed veterum cõmemoratione non opus est, cùm huius generis multa fiant quotidiè, quæ his possunt fidem facere. Etenim qui fidem in Christum abnegant, aut ab Euangelio IESV CHRISTI deficiunt, vt mundo magis propitio vtantur, ij & in superstitionum obseruatione alijs studiosiores, & in morum licentia deteriores fiunt, omnesq́; modestiæ metas transgrediuntur, ne ijs suspecti fiant, quibus placere cupiunt.

Rectè ergo & non sine grauibus causis Paulus Corinthios hortatur, vt firmi sint & immoti. Ratio et modus constantiæ veræ. Et consultò eiusmodi verbis vtitur, quæ veram constantiæ rationem nobis describunt. Primò ἑδραίους esse iubet, quod non firmos modò, sed bene fundatos significat, metaphora à columnis petita, quæ basibus firmis & solidis nituntur. Ita vero monet, vt non in inani & otiosa professione fidei acquiescamus, sed firmiter teneamus eius fundamentum: CHRISTVM IESVM videlicet, qui se petram illam inuictam esse testatur, super quam credentium Ecclesiam ædificari oporteat. Eundem Paulus alibi fundamentum Prophetarum & Apostolorum dicit, eò quòd illum vnum omnes isti prædicarunt. Huic ergo nos constanter insistere conuenit, neque in vllo alio salutis fidutiam collocare: quia hoc relicto, aliud fundamentum poni non potest, sicuti supra cap.3. prolixè ostendimus. Deinde ἀμετακινήτους, id est, immotos siue immobiles aut stabiles vult esse aduersus omnes assultus, quibus fides nostra oppugnatur. Neminem ergo doctorum falsorum artes decipiant, neminem mundi huius exemplum moueat, nemo item tyrannorum minis aut persecutionum procellis terreatur, vt quam semel ex Dei verbo concepit sententiam mutet. Facit ad huius expositionem, quod Apostolus alibi monet, ne puerorum similes fluctuemus, & quouis Ephes.4. vento doctrinæ circumferamur. Quod autem de doctrina dicit, ad omnia alia extendi debet, quæ nos vel ad defectionem, vel ad aliquam mutationem fidei & religionis solicitant. Quàm verò turpe est, hominem in eo leuem & inconstantem deprehendi, vbi constantißimum esse oportebat? Christus certè Ioannem commendaturus, hoc de illo imprimis prædicat, quòd neque arun- Matth.11. dinis instar fuerit, quæ à vento agitatur, neque molliculus aut leuis, quales in regum aulis habentur. Num ergo illi eos placere posse putabimus, qui in horas mutantur, & omni foro sese accommodant? Inter huius seculi filios præcipua quidem hæc sapientia esse putatur, vt quis omnibus placere studeat, à nemine dissentiat, facilem deniq; sese præbeat ad omnia, quæ maiori eorũ, quibus cum versatur, parti placere viderit. At longè alia est Christianorum hominum sententia, quorũ sapientia Christus est, à quo illi vel latum vnguem deflectere nefas esse sciunt, cùm solus verba vitæ æternæ habeat. Et quis obsecro vel amicis hominibus, vel suo principi, vel alicui mortalium fidelem fore putauerit, si quid grauioris periculi incidat, cui lusus videtur fidem æterno Dei filio datam fallere? Vidit hoc Constantius, Constantini Magni pater, qui (vt supra quoque diximus) exauthorandos esse censuit milites, qui leui comminatione territi superstitioso idolorum cultu sese contaminauerant. At hodie plerique Reges & principes populum suum se non aliter in officio continere posse putant, quàm si omnes Christum abnegare & in religionis causa perfidos fieri compellant.

Sed ad alterum transeamus, quod in præsenti Paulus Corinthijs præcipit: Nimirũ vt abun- Abundemus in dantes sint semper in opere Domini. Opus Domini propriè dicitur Fides in IESVM CHRI- opere Domini.

STVM. Ita enim ipse interpretatur, quando Iudæis quærentibus, Quid faciemus vt operemur opera Dei? respondet: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem ille misit. Est hoc opus omnium quæ à nobis fieri possunt, præstantissimum & saluberrimum: quia omnes hominis vires & captum fides superat, & proinde non nisi Deo dante nobis obtingit, & quia ea sola Christum appræhendimus, in quo vno iustitia, vita & salus habetur. At fidei nomine audito, nemo inanem aut otiosam animi persuasionem animo concipiat, sed firmum certumq́, animi assensum, quo Dei promissiones & secundùm has exhibitum nobis IESVM CHRISTVM ita appræhendimus, vt nos totos illi mancipemus, & ab eo vno pendeamus. Nequit ergo fides absq; charitate consistere, qua & Deum supra omnia, & proximum vt nosipsos diligimus. Quis enim non diligat eum, cui vni fidit, & per quem solum se seruari posse intelligit? Quis verò non eos quoq; complectatur, quos huic charissimos esse, & ab eodem sibi quàm diligentissimè commendari audit? Hinc ergo obedientia vera manat, quæ hominem totum Dei seruitio vendicat, vt nihil illi antiquius sit, quàm ei obsequi, in quo spem salutis omnem habet collocatam. Ideo Paulus in CHRISTO IESV neq; Circumcisionem neq; præputium quicquā valere dicebat, sed solam fidē, quæ per charitatem agit, quam alibi totius Legis impletionem siue consummationem esse scribit. Quod ergo in præsenti de opere Domini admonet, id per omnem vitam extenditur, quæ ita à nobis debet institui, vt in omnibus actionibus nostris constet, nos Dei seruos esse, huius spiritu & verbo duci, neq; nostrum, sed eius negotium agere.

Ioan. 6.
Galat. 5.
Rom. 13.

Quid sit abundare in opere Domini.

Rursus autem obseruari debet Apostoli locutio, qui nos in opere Domini semper abundantes esse iubet. Ea enim admonet, ne inani fuco contenti simus, vt olim Pharisæi, & hodie hypocritæ omnes; qui religionem in externis ceremonijs & corporalibus exercitijs consistere arbitrabantur; quæ idem ipse in priori ad Timothæum parum aut nihil prodesse ait, omnibus autem illis pietatem præfert, quæ promissiones præsentis & futuræ vitæ habeat. Itaque ad Christi verba alludit, qui in Euangelio discipulis dicebat: Nisi abundauerit vestra iustitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum. Item: Estote perfecti, vt Pater vester, qui est in cœlis, perfectus est. Adhæc semper abundare iubet, vt intelligamus nos indies proficere debere, ne (quod malæ frugis serui facere solent) nobisipsis ferias indicamus, priusquam vitæ huius pensum absoluerimus. Quia enim hæc tota Dei donum est, in quo viuimus & mouemur, totum quoq; eius tempus Dei seruitio destinari debet: quando nemo est, qui pro acceptis beneficijs dignam gratiam illi referre possit.

1. Tim. 4.
Matth. 5.

Cur in opere Domini semper abundare debeamus?

Sunt autem aliæ etiam rationes minimè leues, quæ vt in Dei opere omni momento exerceamur atq; abundemus exigunt. Inter has prima occurrit peccandi assiduitas, siue peccatorum nostrorū multitudo. Constat enim nos in peccato concipi & nasci, figmenta item cordis nostri à pueris praua esse, denique in multis (vt Apostolus scribit) labimur omnes, adeò vt delicta nostra ne ipsi quidem omnia possimus agnoscere. Æquum ergo est, vt è contra bonis quoque operibus, ex vera fide manantibus, abundemus, ne in diaboli seruitio feruentiores esse depræhendamur, quàm in Dei obsequio, qui vt se ex toto corde, tota mente & omnibus viribus diligamus & colamus præcipit. Quam enim excusationem proferemus, si in congerendis huius seculi opibus indefessi, nullum laborem, nullas curas, nulla pericula subterfugiamus, nihil autem ferre velimus, vt æternis regni Dei thesauris potiamur? Aut num veniam aliquam sibijpsis polliceri possunt, qui libidinis igne accensi nihil non faciunt, vt illicitis amoribus potiri queant, in Dei autem dilectione adeò frigent, vt illius causa neminem offendere, & ne minimam quidem suorum bonorum iacturam facere velint? Deinde salus nostra hoc exigit, vt in opere Domini abundare studeamus. Vt enim artium omnium principia discentibus difficilia & molesta sunt, studio autem & consuetudine leuia atque iucunda fiunt: Ita veræ fidei & pietatis exercitia initiò carni asperrima esse solent, & vix vnquam ea adduci posse videtur, vt omnibus, quæ in mundo eximia & iucunda habet, relictis, ab vno Deo pendeat, vnum diligat, & illi vni seruiat. At vbi his studere cœperimus, vt carnis quantùmuis reluctantis affectus subigere, & in hac pulcherrima palæstra nos indies exercere pergamus: mox nobis adlubescet, quod initio tam arduum videbatur, & quam inde sentiemus saluberrimorum fructuum dulcedo nos trahet, vt & quotidie

Psal. 51.
Gen. 8.
Iacob. 3.
Psal. 19.
Deut. 6.

quotidie proficiamus in bono, & vitæ anteactæ nos pudeat atque pigeat. Postremo ipsa fides nos ad istud obstringit. Ea enim Dei donum est, vt alibi demonstrauimus. At Domini mandatum est, ne eius dona humi defodiamus, aut otiosa corrumpi patiamur, sed vt illis fœneremur, & nota est illa Christi lex: Cui multū datum est, ab eo plura requirentur. Item: Omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, etiam id quod habet auferetur. Frustra ergo fide gloriabuntur, qui non toti in eo fuerint, vt maiores in diem progressus faciant, & dona Spiritus sancti iugi pietatis exercitio auctiora reddant. Hæc vt ab omnibus Christianis diligenter considerari debent, ita maximè ad eos publicè pertinent, qui Ecclesiam & Rempub. ex Dei verbo bene constitutam habent, ne quæ vel antecessorum studio parta, vel ab ipsis bene instituta sunt, sua ignauia collabi patiantur, aut ipsi etiam sceleratè dissipent. Nam qui id fecerint, ij & suorum maiorum exemplo condemnabuntur, & apud posteritatem omnem infames fient, quæ meritò de ipsorum ignauia aut perfidia queretur. Ephes. 2. Matth. 25.

Cæterùm quia natura ad bonum tardi sumus, altera huius conclusionis parte stimulum acrem & vehementem Paulus adhibet, dicens: Cùm sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino. Opponit istud duabus remoris, quæ carnem in tota hac causa imprimis absterrent, & quibus sibijpsi patrocinari aut delitias facere solet, si quando suam ignauiam corripi sentiat. Aut enim impoßibile putat eam, quam Deus exigit, obedientiam præstare, aut inutiliter præstari, eò quòd Deus præmio nullo suos cultores remuneret, & vulgò constet, hominum in hoc seculo miserrimos esse eos, qui in Christo piè volunt viuere. Vtrisq; (inquam) hoc tam breui dicto Paulus remedium præsens & efficacißimum adhibet. Promißione cōfirmat adhortationem.

Quoad primos enim, dum laborem nostrum non inanem esse ait in Domino, non obscurè testatur, nos nequaquam in vanum laboraturos sed plus quàm putemus profecturos esse. Nam etsi obstet nobis naturæ nostræ vitiositas, vt nihil boni ex nobis ipsis agere poßimus, imò ne ad cogitandum quidem idonei simus, Christi tamen spiritu confirmati in eodem possumus omnia, vt alibi Apostolus ait. Neque is solùm nobis eam spem facit, sed ipsum Christum ad eadem nos excitare scimus, qui in vltima Cœna discipulis inter alia dixit: Ego sum vitis illa vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, vt fructum copiosiorem afferat. Iam vos puri estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi in vite manserit: ita neque vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. Et paulò post: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petite, & fiet vobis. In hoc glorificatus est Pater meus, vt fructum multum afferatis, & fietis mei discipuli. Quibus verbis fatetur quidem nos ex nobis ipsis fructum nullum ferre, imò dignos esse, qui aridorum palmitum instar resecti abijciamur: verumtamen non omnem spem negat, sed qua ratione ex sterilibus fœcundi efficiamur, docet. Summa eius doctrinæ est, vt verbum suum audiamus & ipsius simus discipuli. Qui id faciunt, ijs agnata carnis vitiositas nocere non potest. Vt enim palmes viti adhuc hærens aut insitus, ex ea succum & vigorem attrahit, ex quo fructus gignitur: ita in nos quoque per Christum Dei spiritus deriuatur; qui bonorum operum fructus in nobis procreat. Deus item bonus ille & industrius vinitor est, qui in horas nos putat & purgat, dum partim verbo & spiritu suo, partim castigationibus externis luxuriantes carnis affectus resecat, aut coercet, ne enasciturus fidei fructus præfocetur. Idem quia pater est indulgentißimus, imperfectionem & labes quæ in bonis operibus concurrunt, nobis non imputat propter Christum, qui quæ nobis desunt, abunde sarcit. Accedit his precandi fidutia & libertas, quam nobis Christus fecit, vt preces nostræ irritæ non sint. Cur enim Pater nos ea petentes negligat, quibus ipse glorificatur? Neminem ergo vel tanti negotij difficultas, vel propriæ infirmitatis sensus absterreat, quò minus opus Domini forti & constanti animo aggrediatur: & mox sentiet, laborem suum non esse irritum in Domino. Profectū in opere Domini pollicetur. 2. Cor. 3. Phil. 4. Ioan. 5.

Eadem ratione dictum hoc Pauli alteri etiam remoræ opponamus. Equidem si carnis sensum audias, nullū virtuti aut pietati præmium propositum, & hominum calamitosißimi esse vi- Pietas non cedaret præmio.

dentur, qui in opere Domini præ alijs laborant. Audiuntur ergo impiorum & illusorum voces, quarum Propheta quoque meminit: Frustra seruitur Deo: Quæ enim vtilitas, quòd custodiam eius custodiuimus, & quòd humiliati coram Domino exercituum incedimus? Quin nunc beatos dicimus superbos: imò impietatem patrantes ædificantur, & qui Deum tentant, liberantur. Imò pios quoque interdum grauiter tentari scimus, quando aut seipsos aut alios fidei veræ cultores in exilium eijci, egere, de vita periclitari, omnibus inuisos & exosos esse, è contra autem impios Dei contemptores honoribus, diuitijs, clientelis superbire, & omni voluptatis genere diffluere vident. Notæ sunt enim super hac re insignium Prophetarum, Asaphi, Ieremiæ, Habakuki & similium querelæ. At non propterea suo præmio caret pietas, neque inani labore fatigantur, qui Domino fidelem operam nauant. Nam ipsæ afflictiones amplissimi & multiplicis præmij instar sunt. His enim carnis inordinata desideria coercentur, ne illis circumuenti in scelera exitialia ruamus. His castigati ad mentem meliorem redimus, ne cum mundo contumaci & pœnitere nescio condemnemur. Eædem patientiam in nobis pariunt, dum eius exercendæ materiam propinant, patientia verò diuinæ bonitatis experientiam sibi coniunctam habet, cuius dulcissimo gustu fideles inter medias calamitatum vndas recreantur: hæc spem gignit inuictam, quæ nos pudefieri non sinit, quando charitas Dei in cordibus nostris diffusa nos salutis certos atque securos facit. Num ergo piorum labor inanis dici poterit, qui huius seculi afflictiones illis iucundas & salutares facit, quæ impijs intolerabiles & exitiales sunt? Accedit his maius quid & præstantius, quòd crucem & aduersa ferendo Filio Dei conformes efficimur, vt eiusdem olim cum eo gloriæ & felicitatis hæredes simus. Nam si cum eo moriamur, cum eo etiam viuemus: si cum eo toleremus, cum eodem regnabimus. Eius enim promissio est: Volo, vbi sum ego, ibi etiam sit minister meus. At quæ in hoc seculo agentibus gloria maior potest obtingere, quàm si Christi socij & commilitones fiant? quæ item felicitas maior, quod præmium excellentius sperari potest, quàm si cælestium bonorum participes fiant, quæ (vt Propheta docet) omnem sensum & intellectum hominis excellunt? Quem ergo tanti præmij promissio non excitet? quem tantæ remunerationis spes non confirmet, vt ad omnia alacrem & intrepidum sese præbeat? Aut quis tam querulus aut insatiabilis fuerit, vt se frustra Domino seruire dicat, quando se eiusdẽ præmij cum æterno Dei Filio participem fore audit?

Malach. 3.
1. Cor. 11.
Rom. 5.
Rom. 8.
2. Tim. 2.
Ioan. 12.
Isa. 64.

At hîc non oscitanter obseruari debet, Paulum nobis omnia ista, de quibus iam dictum est, in ipso Domino monstrare. Vt enim ex nobis ipsis ad nihil idonei sumus, ita si qua in re idonei efficimur, id omne ex Deo est, qui (vt ad Phil. dicit Apostolus) & velle & facere in nobis efficit pro gratuita sua in nos beneuolentia. Idem remunerator quoq; fidelis est, & tantæ liberalitatis, vt quæ ipse in nobis egit nobis imputet, & pro ijs præmia, quæ ipsi non meruimus, retribuat. Neminem igitur suarum virium aut proprij meriti fiducia inebriet. Nulla enim superbia Deo magis inuisa, nulla arrogantia exitialior est, quàm si sibi ex operibus suis eam gloriam vendicent homines, quæ soli Deo debetur. Semper ergo cogitemus, nos in opere Domini versari, non modò quòd quæ ille præcepit facimus, sed quod ipsius in nobis agentis sumus instrumenta: & laborem nostrum non inanem fore, non quia ipsi aliquid mereamur, sed quia merces nobis in Domino reposita est, qui nos seruorum, imò amicorum suorum loco habere dignatur. Quibus adde, quod supra cap. 4. dixit Apostolus: Quid habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Omnis boni Mediator Christus.
Phil. 2.

Postremò hoc etiam obseruemus, vniuersum salutis negotium, cuius nobis author & vnicum fundamentũ est IESVS CHRISTVS, eò tendere, vt toti Deo consecrati vitam viuamus Christiana professione dignam, vt ille olim nos pro suis discipulis & fratribus possit agnoscere. Vociferantur quidem aduersarij, nos bonorum operum inimicos esse, & per nos fieri, vt qui suapte natura ad malum procliues sunt, prorsus securi facti indomita quiduis audendi licentia proteruiant. Id verò hanc vnam ob causam dicunt, quòd salutis humanæ fontes in gratuita Dei misericordia monstramus, qui miseros nos & indignos priusquam mundus hic conderetur, absque omni nostro merito elegit in Filio suo IESV CHRISTO, qui præfinito tempore homo factus ex Maria virgine, nos suæ mortis merito ex peccatorum noxa & eorundem

Finis nostræ redemptionis, vt Deo consecremur.

vindem pœna redemit. At si rem ipsam propius inspiciamus, doctrina hac adeò non tolluntur vitæ Christianæ & sanctæ officia, vt potius singulæ eius partes nos ad illa argumentis efficacissimis, ceu vinculis adamantinis, obstringunt. Quia enim nos in CHRISTO IESV Deus elegit, vt suus populus summúmque peculium simus, nostrum vtique fuerit, illi vni seruire & nos sanctos præbere, sicuti & ipse sanctus est. Si item nos ille ex gratia adoptauit & adoptionis spiritu dignatus est, nos illum vicissim vt patrem diligere, & eidem in omnibus obedire debemus. Ita quia per Christum à peccatis liberati & abluti sumus, nefas fuerit porrò vitam peccatis deditam viuere. Quòd si Christus ex mortuis resurrexit, conuenit, vt qui ab eo denominantur ex peccatis resurgant, neque locum dent ijs operibus, quibus mors æterna debetur. Similiter, si in Christo renati & noua creatura facti sumus, veterem Adamum exuere debemus, neque eius consilia posthac audire. Denique si spiritus sui virtute nos ille donauit, æquum fuerit, vt ea armati carnis desiderijs resistamus, & fructus feramus ex quibus spiritus efficacia possit agnosci. Quia autem hæc facere ex debito tenemur, non licebit in ijs aliquam meriti gloriam quærere, sed illud Christi agnoscere: Si feceritis omnia, quæ iniuncta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Non ergo nobis cum quoquam de operibus bonis lis est, neque ea fieri debere negamus: sed eorum oppugnamus sententiam, qui quæ solius Christi merito debetur gloriam eis tribuunt, dum illis se iustificari & seruari contendunt. At quia de hac re sæpe dictum est, nunc dicendi finem facimus. Discant autem singuli diligenter meditari beatam illam spem vitæ cœlestis & æternæ, quam olim in resurrectione obtinebimus: & ea confirmati constanter tueantur fidem in IESVM CHRISTVM, in quo vno nobis salus reposita est, & qui suorum labores inanes esse non sinet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Ephes. 1.
Leuit. 19, 20.
Luc. 17.

CAPVT XVI.

HOMILIA LXXXIX.

Porro de collecta in sanctos, quemadmodum constitui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Primo quoque die hebdomadis vnusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit: ne cùm venero, tunc collectæ fiant.

Argumentum tractationis de Collectis.

De ijs hucusque paulus disseruit, quæ ad generalem Ecclesiæ Corinthiacæ institutionem pertinebant, erroresque & vitia, quæ in illam irrepserant, multa diligenter correxit. Sequitur postrema epistolæ pars peculiaria quædam continens, de quibus admonendi erant pro temporum illorum ratione. Primum ex illis est Collecta siue publica pecuniarum contributio, quibus fratrum in Iudæa agentium egestatem subleuari oportebat. Quem locum vt rectius & maiori cum fructu intelligamus, ea repetere oportet, quæ Lucas in Actis Cap. 11. & 12. narrat. Statuerat Deus mundum ingratum & tam propriæ salutis quàm Filij sui dilecti, IESV CHRISTI, contemptorem fame punire, quam mox regnante Claudio Imperatore exortam fuisse historici produnt. Idem tamen pro suo more Ecclesiam suam per Agabum præmonuit, vt facilius Christiani homines, qui ethnicis & Iudæis permixti habitabat, sibi & suis prospicerent. Itaq. Antiocheni fideles primi de subsidio fratribus, qui in Iudæa erant, mittendo consilium cœperunt, quorum exemplum mox aliæ etiam ecclesiæ monentibus Apostolis secutæ sunt: & vt hoc facerent, causæ erant non leues. Nam grauior illos egestas premebat, cùm inter hostes acerrimos Christiani nominis agerent, & iam ante direptionem suarum facultatum

Acto. 11.

Hebr. 10.

passi essent, sicuti in Epistola ad Hebræos narratur. Deinde se illis hoc officium debere agnoscebant, ex quibus Euangelij prædicatio ad gentes per totum orbem terrarum erat propagata. At diutius durante rerum penuria, eò vsque inualuit necessitas, vt Apostoli hanc rem præ alijs cordi haberent, adeò, vt cùm Paulo Apostolatum ad gentes diuinitus commissum viderent, de hoc vno tam ipse quàm collega eius Barnabas admonendus videretur, vt Iudæos fratres commendarent Ecclesijs inter gentes dispersis. Ne ergo fidei suæ deesset Paulus, ea in re diligentissimus fuit, & causam istam magno studio egit apud omnes, & imprimis quidem apud eos, qui & pace fruebantur, & opibus abundabant, quales tunc temporis erant Macedones, Achiui, & præ omnibus alijs Romani orbis terrarum domini. Et quia Achaiæ totius emporium celeberrimum erat Corinthus, qui illic erant fideles quàm maximè vrgendi esse visi sunt. Id ergo prima huius Capitis parte facit Apostolus, in genere admonens, quid ipsos facere deceat, eosdem verò in posteriori epistola pluribus & grauioribus rationibus hortatur, ne se in re omnium sanctissima ab alijs Ecclesijs patiantur superari.

Galat. 2.

Pauperum cura ad Ecclesiæ ministros pertinet.
Deut. 15.
Matth. 25. 26.
Acto. 6.

Admonemur nos Apostolorum exemplo, pauperum curam imprimis ad Ecclesiarum ministros pertinere. Sunt enim illi non minima Ecclesiæ pars, quos vt nunquam defuturos esse Dominus in Veteri simul & Nouo Testamento prædixit: ita eosdem nobis ea conditione commendauit, vt in suas rationes se adscribere velle polliceatur quicquid in eos confertur. Quod Apostolos haud dubiè olim mouit, vt sub nascentis Ecclesiæ principia illorum curam vnà cum pecuniarum ecclesiasticarum dispensatione ad se reciperent. Etsi verò crescente indies fidelium numero viderent, se tot negotijs simul non posse sufficere, diaconos quidem ex communi Ecclesiæ sententia constituerunt, verumtamen curam hanc non omnem prorsus deposuerunt, quò minus apud Ecclesias (vt modò dictum est) causam hanc magno studio agerent. Imitentur hoc illorum studium hodie etiam ministri Ecclesiarum, neque pudeat eos pauperum nomine mendicare, quando hoc ipsum olim Apostolos fecisse constat. At quid Apostolos dico, quando Christum hoc facere non puduit, qui olim quoque, quando toti mundo maiestatem suam manifestabit & totius mundi iudex erit, pauperum tamen personam induet, dicens: Ego esuriui, & non dedistis mihi cibum: ego sitiui, & non dedistis mihi potum, &c. Turpe quidem fuerit, si seipsos in pauperum locum substituant, qui Ecclesiarum ministri haberi volunt, & sibi petant dari (quod in papatu fratres mendicantes non minus impudenter quàm impiè faciunt sub voluntariæ paupertatis prætextu) at pro egenis apud Ecclesiam intercedere, & opulentiores quosuis monere, rogare, hortari & vrgere, vt liberaliter largiantur quod illis alendis sufficiat, id veræ pietatis opus est. Id olim Apostoli fecerunt, & Paulus qui manibus proprijs potius victum sibi parare & egere maluit, quàm alicui molestus esse in debito sibi stipendio exigendo, pauperum tamen causam tanto studio suscepit, vt pro illis mendicare non erubescat.

Direptores opum Ecclesiæ.

Simul etiam primitiuæ Ecclesiæ exemplo eorum iniquitas arguitur, qui Ecclesiæ opes ad se rapiunt, & omne in illas ius ita sibi vendicant, vt Verbi ministros prorsus excludant: imò indignè & iniquè eos facere arbitrantur, si de fideli & iusta illarum dispensatione & pauperum subuentione verba faciant. Regnat hoc vitium apud multos, qui Euangelij doctrinam atque fidem profitentur, quibus ad pietatem videtur sufficere, si monachos & sacrificulos ex bonorum Ecclesiasticorum possessione deijciant, vt verò eadem in suos vsus conuertantur, parum soliciti sunt. Hinc fit, vt maxima illorum pars malè dissipetur, & ex ijsdem ferè ditescant, qui religionem omnem oderunt, & Ecclesiæ Christianæ labes sunt. Sed non dormitat Dominus, qui aliquando Euangelij & nominis sui prophanationem dignis supplicijs vlciscetur. Porro his præmissis ad Pauli verba accedamus, qui etsi hoc loco de extraordinarijs collectis agat, ita tamen de his loquitur, vt simul doctrinam generalem comprehendat de pauperum subuentione: quæ cùm nunquam debeat negligi, singulas partes ex ordine considerabimus.

Propositio huius tractationis

Primò summam totius negotij proponit, quæ est, vt quoad collectam pro subleuanda sanctorum, id est, fidelium Christi inopia idem faciant, quod in Galatarum Ecclesijs iampridem constituerit. Dicitur enim λογία *Apostolo* τὸ ἐκ πολλῶν συνεισφερόμενον, *id est, quod à multis in vnum confertur, siue iam collatum est: quod alio nomine Symbolum vocant. Latini collectam*

dixerunt,

dixerunt, quo vocabulo Ciceronem quoq; vsum fuisse scimus. Ecclesiastici scriptores illud ad sacras contributiones transtulerunt, quibus pecunia in pauperum Ecclesiæ alimoniam colligitur: quas posteri in cantiunculas non minus superstitiosas quàm ineptas commutarunt, quæ fortaßis ita dici poßunt, quia sub harum prætextu aucupium quæstuosißimum instituerunt, quo pecunia multa ex vulgo conflari potuit. Cùm verò simpliciter mandare poßet Apostolus quid fieri debeat, exemplum Galatarum adducit, vt aduersariorum calumnijs occurrat, qui ipsum hoc nomine vulgo suspectum facere conabantur, quòd Corinthios multis statutis grauaret, quæ in alijs Ecclesijs non essent recepta: adhæc Galatarum potius quàm aliorum meminit, vt pudeat ipsos in charitatis officio ab illis superari, qui vulgo pro barbaris habebantur, eò quòd ex Gallia oriundi in ea Asiæ parte consedissent. Id autem se constituisse dicit, quia boni doctoris est, non modò docere quid facto opus sit, verumetiam illud effectum dare, & ex Dei verbo ea instituere, quæ ad pietatem & Ecclesiæ ædificationem faciunt. Nec temere ab Apostolis hoc obseruatum fuit, vt vna eademq; esset apud omnes Ecclesias tam doctrinæ quàm rituum aliarumq; constitutionum formula, ne dißimilitudo dißensionis suspicionem & simultates pareret: quod facilè fit, eò quòd vulgus ferè ab externis pendeat. Debebant huius meminisse hodie, qui nouitati student, & tunc demum sibijpsis placent, si ab alijs omnibus dissentiant, aut saltem dissentire videantur. Collecta.

Præcipuum autẽ huius loci caput est, quòd ex eo constat, Apostolorum temporibus collectas in Ecclesijs paßim factas fuisse, ex quibus pauperes siue egeni publicè alerentur. De primitiua Ecclesia, quæ statim post Ascensionem Domini & Spiritus sancti mißionem coaluit, non opus est dicere, quando Lucas id in Actorum libro disertis verbis testatur. Et quia videmus in Ecclesijs extraordinarias collectas interdum institutas fuisse propter exteros, qui alieno subsidio opus habebant, quis dubitet singulas multò magis suis prospexisse, quos Paulus ad Galatas scribens domesticos fidei dicit? Durauit autem mos ille, quem Apostoli instituerunt apud posteros quoque, vt Tertullianus & Iustinus testantur, imò alij quoque ex orthodoxis Scriptoribus, qui istos vno & altero seculo secuti sunt. Collectarum institutum vetus in Ecclesia.

Finis autem collectarum fuit, quem Lucas in Actis indicat, ne quis esset in Ecclesia egenus siue mendicus: qui videlicet ostiatim mendicando publicum esset & ignominiosum egestatis exemplum. Id verò cum veteri Lege conuenit, qua sancitur, ne sit mendicus in Israele: non quòd Deus egenos eijci velit, sed quòd eis ita prospicere debent qui eius populus censeri volunt, ne hinc inde vagari & victum quærere cogantur. Et sunt Legis istius rationes multæ & graues. Primò enim pugnat hoc cum fine beneficentiæ, qui est, vt pauperes non spectaculum fiant, sed vt eis subueniatur, quò suas res agere poßint. Deinde est illud à charitatis ingenio alienißimum. Ea enim Dei exemplum imitatur, qui ab Apostolo ipsa charitas dicitur, & qui ne rogatus quidem benefacit, adeoq; dignos & indignos, bonos & malos benignißimè pascit & alit. Et Christus in Samaritani parabola, ita nos erga egenos affectos esse iubet, vt solo aspectu alienæ miseriæ commoueamur, etiamsi miser ille neque nobis notus sit, neque opem à nobis flagitet. Præterea qui suos mendicare sinunt, aut potius sua inhumanitate siue negligentia id facere cogunt, ij in leges sanctißimæ illius communionis siue societatis peccant, quæ credentibus omnibus in Christo intercedit, qui nos eiusdem Patris cœlestis filios, & eiusdem corporis membra fecit. Cur ergo frater fratrem negligat? Aut quis membrum sui corporis quantumuis morbidum & exulceratum perire sinit, si sit quo medeatur? Adde, quòd iniuria ista in ipsum Christum redundat, qui nos sui corporis, cuius ipse caput est, membra fecit. Itaque pauperem & egentem negligentes Christum negligimus, cuius ille membrum est. Et huc facit, quod Paulus in præsenti de collecta in sanctos loquitur, ita nimirum vocans eos pauperes, quos Christus per fidem sibi insitos Deo Patri consecrauit. Sufficit hoc verè Christiano aduersus iniqua & inhumana carnis iudicia, quæ malignius egentium vitia obseruat, vt aliquo prætextu charitatis officium illis negare poßit. Sanctis, qui in terra sunt (inquit Dauid) toto animo delector. Quis ergo Dauidis spiritu eum regi dixerit, qui propter egestatem aut quodcunque aliud vitium eos negligit, qui Christi nomen profitentur, & quos ille in nouißimo die pro suis agnoscet? Accedit his, quòd mendicandi licentia disciplinæ Christianæ quàm maximè officit. Quia enim mendicantibus pudor inutilis est, ferè

Finis collectarum.

Deut. 15.

Contra mendicandi licentiã.

1. Ioan. 4.
Matth. 5.
Luc. 10.

Psalm. 16.

2. Thess. 3.

illo abſterſo quiduis ſibi licere putant. Itaque qui mendicationi aſſueuerunt, ij reuera ἄτακτοι illi ſiunt, quos ad Theſſalonicen. ſcribens Paulus procul ab Eccleſia arcere iubet: qui videlicet otio inerti & ignauo dediti aliena modò curioſe inſpiciunt, inuident, cauillantur, nullis legibus continentur, quia egeſtas à politicis immunes facit, Eccleſiaſticas verò ipſi negligunt, niſi quoad ſuo otio illas ſeruire ſentiunt. Itaque neque cœtibus ſacris interſunt, vt ſuas preces cum aliorum precibus coniungant, neque Dei verbum audiunt, neque Sacramentis dignè vtuntur, ideoque labes ſunt Eccleſiarum, & publica ſimul charitatis procul exulantis teſtimonia, ex quibus calumniandi occaſionem arripiunt aduerſarij, qui Veritatis doctrinam oderunt. Accedit malis iſtis, quòd ijdem liberos ſuos peſſimè educant, & multos alios ſuo exemplo corrumpunt, vt ignauum hoc & iners vitæ genus ipſi quoque ſectari incipiant, & ita hominum eiuſmodi numerus indies augetur. Verè iſta dici res ipſa clamat hodie, & de ijs vulgò omnes conqueruntur. Iſta ergo Apoſtolos mouerunt, vt veterem Dei legem de mendicis coercendis reductam voluerint, quæ paulò ante Chriſti tempora Sacerdotum culpa interciderat, cùm illi ſacrilega auaritia accenſi ad ſe raperent ea, ex quibus pauperes ali debebant.

Arguuntur, qui pauperum ſubuentionem hodie impoßibile eſſe putant.

Atqui debebant iſta etiam hodie mouere Chriſtianos principes, vt de ſcandalo tam ignominioſo tamque noxio tollendo ſeriò cogitarent. Sed obſtat quod apud omnes hominum ordines regnat priuati commodi ſtudium: quod vt aliquo honeſtiori prætextu excuſetur, plerique vt egentibus aliter proſpiciatur, impoßibile eſſe aiunt. At ijdem primitiuæ Eccleſiæ exemplo conuincuntur, quando inter atrocia Imperatorũ edicta, perſecutionũ grauiſſimarum tumultus, facultatum direptiones ſinguli non ſuos modò aluerunt, ſed exteris & longo locorum interuallo abs ſe diſſitis vitæ ſubſidia tranſmiſerunt. Arguuntur item exemplo Iudæorum, qui cùm hodie in omnes gentes diſperſi, neq; rempub. neque templum & certas Eccleſias habeant, tamen ita ſuis proſpiciunt, ne à nobis, quos illi odioſo vocabulo Goijm vocant, victũ emendicare cogantur. Quid de Iudæis aut veteri Eccleſia dico, quando proprijs exemplis noſtri illi conuincuntur? Nam ſi Papiſticæ ſuperſtitionis ſectatores inſpiciamus, quàm inanes ſumptus faciunt horum Epiſcopi, Abbates, Cardinales, qui luxu & faſtu cum regibus certant? Quàm ingens pauperum numerus ex ijs ali poſſet, quæ illi in canes, equos, accipitres, agaſones, muliones, mimos, ſcurras, ludiones, ſcorta & voluptates inhoneſtas atque illicitas inſumunt? Quàm multis item ſufficerent fruges, quæ ab inerti monachorum & ſacrificulorum turba deuorantur, de quibus veriſſimè illud Satyricum dixeris: Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati? Adde his, quæ tam Papiſtæ quàm euangelici inutiliter, imò turpiter & non ſine ſcandalo dilapidant in luxurioſis comeſſationibus, alea, veſtitu faſtuoſo, bellis non neceſſarijs, venatione, inſanis ædificijs, & ſexcentis alijs, quæ commemorare longum foret. Quo igitur ore pauperum ſubuentionem, vt impoßibilem, negligimus, quibus ad omne genus vitiorum abunde ſuppetit, quod carni & mundo laſciuienti impendatur? An ergo plura à nobis Chriſtus in ſuis membris, quàm Satan in ſuis exigit? Fallimur, ſi hoc putamus. Ille enim neceſſarijs contentus eſt, hic autem niſi cum opibus te quoque totum ei mancipes, non poteſt quieſcere. Deſinant ergo inanes prætextus quærere, qui tam manifeſtis indicijs ſeſe produnt, quòd non facultate, ſed voluntate in hac cauſa non minus neceſſaria quàm honeſta deſtituantur.

Omnes tenentur contribuere pauperibus.

Sed pergamus in Pauli verbis, qui quid ex eius conſtitutione apud Galatas fiat, & quid Corinthij quoq; facere debeant, exponit: Primo quoq; die hebdomadis vnuſquiſq; veſtrûm apud ſe reponat recondens quod pro Dei benignitate licuerit: ne cùm venero, tunc collectæ fiant. Paucis verbis præcipua & ſumma totius negotij capita comprehendit. Primò, vnuſquiſque veſtrûm, inquit. Nemo igitur excipitur, aut immunitate donatur, ſiue mas fuerit ſiue fœmina, liber aut ſeruus, nobilis aut plebeius, doctus aut indoctus, imò ſiue diues aut pauper fuerit. Vt enim omnes eiuſdem corporis membra ſumus, ita eadem charitatis lege omnes ſumus obſtricti. Et quàmuis plura ab ijs meritò exiguntur, qui facultatibus abundant, nullam tamen excuſationem pauperes habent, qui quales quales ſint, habent tamen hi quoque quod in commune conferant, ſicuti exemplo viduæ docemur, cuius obulos aut minuta Chriſtus pluris fecit, quàm magnifica diuitum donaria, quæ ex magnis opum aceruis cum ambitioſa oſtentatione conferebant.

Marc. 12.

Et ſi

Et si tibi ne teruncius quidem neque panis frustulum sit quod egenti des, attamen corporis fortassis vires sunt, quibus laboranti opem feras, ægrotantem subleues, aut fatigatum recrees. Neque verba deesse possunt, quibus afflictum & mœrentem consoleris. Quòd si ista quoque deficiant, saltem voluntas benigna sit, & cures ne Ecclesiæ præter causam oneri sis, neue quæ alijs multò te pauperioribus debentur, tu intercipias. Erat hoc diligentius cogitandum ijs, qui se à lege charitatis exemptos putant, & quasi in mendicatione salus consistat, hinc inde discurrunt, & quibusuis obuijs petendo molesti sunt, adeoque per ostia quoque omnia in quorumuis ædes irrumpunt, & in cubicula remotissima penetrant. At melius est dare, quàm accipere, vt alibi Apostolus monuit. Nec multò leuius scelus est ab alijs petere, quæ tu vel labore proprio vel parcius viuendo obtinere poteras, quàm inuitum per vim spoliare. Imò sacrilegium dici meretur, si qui seipsum alere potest alijs eleemosynam præripiat, ipse iners & otiosus. Quod non male à Turcarum sapientibus obseruatum est, qui vt eleemosynæ meritum supra omnia opera alia extollant: ita homini salutarius esse docent, vt proprias carnes arrodat atque deuoret, quàm vt eleemosynam nulla necessitate coactus accipiat. Discant ergo singuli seipsos & fortunas suas diligentius excutere & examinare, ne vel in largiendo tenaciores sint, vel ad accipiendum impudentius ruant, & ita sacrilegi fiant, dum inter pauperes Ecclesiæ censeri volunt. Acto. 20.

Deinde modum quoque exponit, qui in collectis faciendis debeat obseruari. Primo quoque die hebdomadis (inquit) vnusquisque vestrum apud se reponat, recondens, &c. Dicit autem ista de collecta illa extraordinaria, quæ (vt initiò monuimus) in subuentionem fratrum in Iudæa egentium fieri debebat: & summa præcepti huius est, vt quisque singulis diebus Dominicis pro suarum facultatum ratione priuatim domi suæ aliquid seponat, quod postea cùm ipse venerit, in publicum aut commune conferat. Ita verò fieri iubet certas & graues ob causas. Primam ipse in præsenti adducit, ne tumultuariam collationem facere cogantur, si res ista in suum vsque aduentum differatur. Quod vt multis incommodè accidere potuisset, ita moram quoque attulisset, quam abrumpere omnem oportebat. Voluit item hac moderatione tenuioribus consulere, qui multa simul conferre non possunt, pudet autem paucula dare. Ita enim horum quoque eleemosyna per aliquot menses absque aliquo grauamine collecta ad summam aliquam non omnino aspernandam ascendere potuit. Adijcit his causam tertiam ipse in posteriori epistola, ne qui de ipsorum liberalitate apud alias Ecclesias magnificè gloriatus fuerat, pudore suffundatur si cum aliquo comitatu adueniens illos imparatos deprehendat. Modus faciendi collectam.

Quod autem de extraordinaria collecta dicitur, haud dubiè tunc temporis publicè in Ecclesijs fuit obseruatum: Vt videlicet primo die hebdomadis pecuniam in cœtibus colligerent, ex qua suos egenos alerent. Ita verò eum diem dixit Apostolus ex Iudæorum more (vt in resurrectionis Christi historia apud Marcum & Lucam est videre) quem postea Dominicum dixerunt Christiani, cùm quòd eo Dominus ex mortuis resurrexit, tum quòd in Sabbati locum successit, vt eo cœtus sacri haberentur. Voluerunt autem tunc collectas illas fieri Apostoli, ne veterem Legem negligerent fideles, quæ mandat, ne vacui veniamus in conspectum Domini. Nam etsi sacrificia iampridem abrogata sint, quæ olim ex pecoribus & frugibus offerebantur, successerunt tamē his longè præstantiora, preces nimirum, laus & gratiarumactio, quodque vnusquisque seipsum Deo viuentem hostiam sistit, quibus beneficentia quoque & eleemosyna adnumeratur, vt Paulus in epistola ad Hebræos annotauit. Et hæc quidem optimo iure sacrificium dicitur, quando constat, Christum sibi factum putare quicquid egenis in suo nomine confertur. Multum præterea confert huic causæ temporis circumstantia, vnà cum ijs, quæ diebus dominicis in cœtu sacro fieri consueuerunt. Tunc enim Verbum Dei auditur, quod passim nobis charitatis & beneficentiæ studium commendat. Tunc preces fiunt publicæ, quæ & ipsæ nos excitant, ne duriores simus erga nostræ opis indigos, quàm Deum erga nos esse velimus. Multùm quoque nos mouent aliorum exempla, vt liberalius conferamus, & vt pudeat nos solos inueniri asymbolos, qui nihil in pauperum vsum largiamur. Et quod de Corinthijs nuper diximus, hodie etiam locum habet, quòd absque magna molestia non contemnendam summam pecuniæ paulatim conferimus, quæ non sine incommodo & rei domesticæ iactura simul dari posset. Denique, quod Chrysostomus annotauit, quia hoc die Christus resur- Collectæ fiant die Dominico. Deut. 16. Hebr. 13.

rexit, quæ salutis & omnium bonorum radix est, conuenit, vt ipsi quoque liberaliores simus in eos, qui à nostra ope toti pendent. Adde, quòd Cœnæ mysticæ vsus nos hîc imprimis officij admonet, quodq́ mens à laboribus quiescens, & huius seculi curis libera, egentium facilius miseretur.

Quæ pauperibus dantur, non amittuntur, sed reconduntur.

Debet præterea hîc obseruari recondendi verbum, quod de thesauris propriè dicitur, & ideo in Græco verbum θησαυρίζειν ponit Apostolus, quod Latina inflexione thesaurizare diceremus. Eo enim vti voluit, vt doceat non amitti ea, quæ pauperibus dantur, sed potius ceu thesaurum recondi, quem olim non sine fœnore magno recipiamus. Quo sensu in priori quoque ad Timoth. diuites admonet, vt faciles sint ad impartiendum, & ita sibijpsis recondant fundamentum bonum in posterum, & vitam æternam apprehendant. Id verò ex Christo didicerat Apostolus, qui in Euangelio monet, vt thesaurum nobis in cœlo recondamus, vt denique ex huius seculi diuitijs, quas Mammona iniquitatis dicit, nobis amicos paremus, qui nos vbi defecerimus, in æterna tabernacula recipiant. Et huc imprimis promißiones illæ magnificæ faciunt, quibus Deus ipse quasi fideiussorem sese sistit pro pauperibus. In Lege enim dicit: Si pauperi non malignè dederis, locupletabit & fortunabit te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, & in omnibus ad quæ admoueris manum tuam. Et per Isaiam ipse Deus ait: Frange esurienti panem tuum, afflictos vagos introduc domum, si videris nudum, vestito eum, & à carne tua ne te abscondas. Tunc erumpet velut aurora lux tua, & salus tua protenus germinabit, iustitia anteibit faciem tuam, & gloria Domini colliget te. Et paulò post: Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam satiaueris, tum orietur in tenebris lux tua, & erit caligo tua sicut meridies: Et deducet te Dominus semper, & saturam reddet in siccitatibus animam tuam, & ossa tua saginabit: & eris vt hortus irriguus, & sicut scaturigo aquarum, cuius aquæ nunquam fallunt, &c. Rectè ergo à Solomone dictum fuit: Dominò fœnerat, quisquis benefacit pauperi: secundum beneficium eius rependetur ei. Et huius pater Dauid multa experientia edoctus dicebat: Iustus beneficus est quotidie, & mutuum dat, & posteri eius optimè habent. Item: Spargit, ac dat pauperibus, iustitia eius æternùm perstabit, & cornu eius exaltabitur cum gloria. Taceo nunc, quod Christus egenos sibi substituit, de quo sæpe iam diximus. Ista verò arguunt auarorum & tenacium hominum peruersam & stultißimam sorditiem: qui ne quam in contractibus pecuniarum iacturam faciant, homines fideiussores sibi dari volunt, & si hi ipsis diuites & opulenti sistantur, multa millia aureorum mutuò dant, neque eorum exemplis prorsus absterrentur, quibus tam debitores quàm sponsores fidem suam fefellerunt: Quòd si verò in pauperes aliquid erogare oporteat, ne Deum quidem pro his spondentem admittunt. Est hoc euidens argumentum, quo se à fide alienißimos esse produnt, quæ etiam causa est, quòd in charitate sint frigidiores.

1. Tim. 6.

Matth. 6. Luc. 16.

Deut. 15.

Isa. 58.

Prouer. 19.

Psal. 37. 112.

Quantum dari debeat?

Postremò quia multi quærunt, quid & quantum dare debeant, & ea etiam ratione prætextus quærunt, quibus suam sorditiem siue tenacitatem excusent, quæstiones istas omnes vno verbo Paulus abrumpit, singulos dare iubens quod pro Dei benignitate licuerit, id est, quantum ferunt facultates, quas ex Dei benedictione accepit. Quam partem Tobias filio suo prolixius exponens sic ait: Prout fueris ad copiam instructus, benignitatem exerceas: Si multum tibi fuerit, largè tribuas: quòd si parum fuerit tibi, ne verearis ex pauco præstare beneficentiam. Etenim non omnia possumus omnes: neque hoc exigit Deus, vt cum nostro luculento damno reiq́ domesticæ iactura alios ditemus. Et huc referri debet, quod in posteriori epistola dicetur: Non vt alijs relaxatio sit, vobis autem afflictio, &c. Hoc enim solùm requirit Dominus, vt nostra abundantia tenuiorum & egentium inopiam subleuet. Rursus ergo omnis excusationis prætextus illis negatur, qui se nō habere queruntur, quod pauperibus magno subsidio esse queat, & ideo prorsus à benefaciendo abstinent. Atqui non petit Deus, vt quantum illis necesse est largiaris, sed quantum tuæ facultates, & rei domesticæ ratio ferre possunt. Et vt olim, quando ad tabernaculi fabricam dona sua Israelitæ conferebant, alij aurum, alij argentum, alij gemmas, alij purpuram, æs, sericum largiebantur, interim verò non minus grati aut accepti Deo erant, qui caprarum pilos atque pelles dabant: ita hîc quoque non muneris pretium, sed dantis animus æstimatur, & Deus gratum sibi habebit quicquid pro tuarum facultatum ratione animo pio atque syncero largitus fueris. Facit præterea locus iste ad confutandum eorum superstitionem, qui nisi omnibus abiectis facultatibus

Thob. 4.

Exod. 35.

mundi & omniũ inopes, paupertatem voluntariam profiteantur, se saluos fore negãt. Sunt inter hos primi Monachi, qui interim sub istius professionis titulo multis fucum faciunt, cùm omnibus abundent, quæ vitæ suauiter transigendæ seruiunt: astutiores nimirum gentium philosophis, qui suis bonis in mare proiectis vitæ genus vt stultissimum ita miserrimum sectati sunt. Sed omissis infelicibus illis, discamus, pauperum curam ad Ecclesias publicè, & priuatim ad singulos Christianos pertinere. Illos ergo sibi commendatos habeant, quicunq; ex eorum numero censeri volunt, vt olim in magno illo die eos pro suis agnoscat æternus Dei Filius, Dominus & redẽptor noster IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XC.

Postquam autem aduenero, quoscunque probaueritis, per epistolas hos mittam, vt perferant gratiam vestram in Hierusalem. Quòd si res digna fuerit, vt ipse proficiscar, mecum proficiscentur.

QVoniam res hominum in hoc seculo ita comparatæ sunt, vt nunquam desint pauperes & opis alienæ indigi, Deus olim suo populo rationem commodissimam præscripsit, qua in illis alendis atque sustentandis vti debeant. Finis eius præcipuus est, ne mendici sint, qui hinc inde oberrando victum quæritent. Hoc enim vt inhumanitatis argumentum est euidentissimum: ita disciplinæ & morum honestati cumprimis officit, vt nuper demonstrauimus. Ideo Apostoli olim causam istam diligenter egerunt, neque illis satis fuit, si vnaquæq; Ecclesia suos egenos siue pauperes aleret, & ἀτάκτως seu inordinatè viuentes arctiori disciplina coërceret: sed vt exterorum quoque curam haberent monuerunt. Itaq; cùm illo tempore Christiani, qui per Syriam & Iudæam dispersi erant, præ alijs rerum penuria ac fame premerentur, in gentium Ecclesijs passim collectas instituerunt extraordinarias, vt laborantibus subsidium mitteretur. De his in præsenti cum Corinthijs quoque Paulus agit, vtpote hominibus opulentis & in pace securiori agentibus. Et quia res ista aliquibus ad rem nimiùm attentis difficilior videri poterat, id absque molestia fieri posse ostendit, si vnusquisq; singulis hebdomadibus pro suarum facultatum ratione aliquid seponat, quod postea cum aliorum eleemosynis collectum in Iudæam mittatur.

Porrò etsi institutum hoc omnes probent, & necessarium esse ducant, multos tamen absterret, aut saltem parciores reddit dispensatorum improbitas, & quòd metuunt, ne quæ ipsi piè & liberaliter conferũt, minus dignè distribuãtur. Ideo Paulus nunc ad istã quoq; huius tractationis partẽ accedit, docens quid ipse de collectis istis iam constituerit. Postquam (inquit) aduenero, quoscunq; probaueritis, per epistolas hos mittam, vt perferant gratiam vestram in Hierusalem, &c. Tria dicit. Primùm, ne ipsi temere mittant collectas pecunias Hierosolymã, sed illas apud se seruent in suum vsq; ad ipsos aduentum. Voluit enim videre quantum contulissent, vt ex eo posset iudicare de sui ministerij profectu. Multos etiam hoc excitare poterat, vt liberalius largirentur. Deinde ex ipsis & ipsorum consensu ordinandos tunc ait homines probatæ fidei, qui hãc ipsorũ gratiã ad Hierosolymitanos deferant. Gratiam verò dicit pecunias illas, partim quòd eas ex gratuita misericordia conferrent, & suum eo facto erga Iudæorum Ecclesias fauorem testarẽtur: partim, quòd hoc omne gratiæ Dei opus erat, qui hominum corda mouet, vt aliorum miserijs tangãtur, & illis subuentum velint. Tertiò literas commendatitias pollicetur legatis eò profecturis, ne rerum ignari in homines male fidos incidant. Imò si (inquit) res digna fuerit, & id vel pecuniarum collectarum summa mereatur, aut necessitas ipsa postulet, ego ipse meam operam in illis deferendis vobis offero, & legatos vestros comitabor, vt & tutius & commodius illuc perueniant. Fuit ergo res ista Apostolo vehementer cordi: quia & mandato diuino vrgebatur, quod ab Apostolis acceperat, vt ad Galatas scribens testatur: & cùm non fucato suæ gentis amore arderet, graue ei fuit, tot credentium familias cũ tenellis liberis inter quotidiana, quæ illis ab hostibus manifestis imminebãt, pericula, insuper cũ fame cõflictari. Quiduis ergo facere & subire paratus erat, vt miseris & egentibus succurreretur.

De dispensatione collectarum

Apostolicorum nostri seculi mores.

Ad hoc exemplum suos mores examinent Pontifices & Episcopi, qui cùm Apostolici dici & haberi velint, adeò tamen non mouentur egentium & fame pereuntium aspectu atq; clamoribus, vt ipsi plerunq; præcipui penuriæ & famis authores sint, dum vel suarum ditionum homines immodicis & iniquis exactionibus expilãt, vt sit quod ipsorum luxui plus quàm Sybaritico & fastui sufficiat: vel etiam bella inter reges serunt non necessaria, quæ totis gentibus exitia & horribilem regionum fertilissimarum vastitatem pariunt. Exempla hîc commemorare non est opus, quando de illis omnes historiæ testãtur, & nos quotidie illis consultoribus ea fieri cernimus, quæ boni omnes meritò detestantur, & de quibus totus terrarum orbis queritur. Sed vt pergamus in præsentis argumenti tractatione, de bonorum Ecclesiæ & eleemosynarum dispensatoribus aliqua dicenda sunt, vt nimirum demonstremus primò ijs omninò opus esse in Ecclesijs bene constitutis: deinde quales illi esse debeant: postremò qua authoritate eosdem muniri necesse sit.

Dispensatoribus opus est in Ecclesia.

Quoad primum, longa demonstratione opus non est, quando communis sensus & experientia quotidiana docent, pecunias publicas absque dispensatoribus certis neque colligi, neq; in suos vsus commodè distribui posse. Nam nisi illi sint, iam aut nemo quicquam conferet, aut quod collatum est omnium libidini patebit, dum quisque pro suo arbitrio rapiet quod volet, vnde non tam Platonica omnium bonorum communio, quàm horribilis ac seditiosa rerum omnium confusio orietur. Fuerunt itaque semper in Ecclesia dispensatores, & initiò quidem hoc munus penes Apostolos fuit, qui certa cum ratione illud administrarunt. De eo Lucas in Actis ita scribit: Quoquot possessores agrorum & ædium erant, ijs venditis afferebant pretium eorum, & deponebant ad pedes Apostolorum: distribuebatur autem singulis prout cuique opus erat. At paulò post cùm crescente credentium numero Apostoli tot simul negotijs non sufficerent, & murmura atque querelæ indies audirentur eorum, qui se aut suos negligi dicebant, ex Apostolorum sententia & communibus Ecclesiæ totius suffragijs diaconi septem constituti sunt, qui pecunias publicas reciperent, & easdem dignè distribuerent. Qua in re non dubito Apostolos in Christi exemplum respexisse, qui inter ipsos prius œconomiam constituerat, & loculos Iudæ commiserat tanquam communi ipsorum omnium œconomo. Et hunc morem ab eo tempore in Ecclesijs omnibus passim receptum fuisse ex ijs apparet, quæ in Paulinis epistolis de diaconis & eorum officio scribuntur, quos ab Episcopis & pastoribus apertè distinguit.

Acto. 4.

Acto. 6.

Contra eos qui Collectas damnant, &c.

Id verò diligentius admonemus propter eos, qui vt vetustatis ignari sunt, ita collectas in Ecclesia fieri indignè ferunt, & totum illud diaconorum siue dispensatorum institutum damnant. Vna illis omnibus ratio est, se eleemosynam suam dare velle quibus lubeat, neq; aliorum fidei commissuros ea, quæ ipsi pauperibus largiri statuerint. Belli certè homines, qui se plus Apostolis, plus Ecclesia primitiua sapere sibi persuaserunt. Quin ergo apertè Christum stultitiæ accusant, quem suas eleemosynas per Iudam distribuisse ex vltimæ Cœnæ historia apparet? Cùm enim huic dixisset, Quod facis, fac citius: & nemo discumbentium id intellexisset, quidam hoc ei dictum fuisse putarunt, quia loculos gestabat, vt vel ea emeret quæ ad diem festum opus erant, vel vt pauperibus aliquid daret. At quam de postremo hoc cogitandi occasionem habere poterant Apostoli, si Dominus non ita facere consueuisset? Sunt ergo isti homines stultissimi, dum præ alijs sapere volunt. Poterant equidem idem Paulo responsare Corinthij, Galatæ, Macedones, Romani & alij, ad quos eadem scripsit: Nos ne quæ nostro labore & industria parta sunt, cuiusquam alterius fidei committamus, vt ipse ea pro suo arbitrio cui velit distribuat? Aut num tibi tuisque in longinquas oras deferenda dabimus, quæ egentibus constituimus largiri? At nihil horum dixerunt homines opulentissimi, sed quia quod Paulus monebat, cum exemplo & instituto Christi & cum more apud omnes Ecclesias recepto conuenire videbant, Dei ordinationi sese volentes subiecerunt. Et vt ita vbique locorum fiat, necessitas ipsa iubet. Nam principiò si vspiam alibi, hîc imprimis delectu opus est, ne otiosi ventres & eleemosyna indigni eam dignioribus præripiant, sed potius (quod Paulus alibi monet) ad laborem relegentur, vt ipsi victum sibi parent. At vt priuatus aliquis omnes norit impossibile est, neque etiam eidem tutum fuerit aut commodum in omnium vitam atque mores inquirere. Et vt id quàm diligentissimè faciat, idem tamen præfractos & impudentes illos coërcere & ad laborandum cogere non poterit: quia homini priuato

Ioan. 13.

nunquam

nunquam parebunt. Nisi ergo sint certi homines, qui publica totius Ecclesiæ authoritate armati id faciant, plura semper intercipient improbi & temerarij nequam, quos ab Ecclesijs procul arcere iubet Apostolus, egentibus interim bonis & pijs, quos pudor & modestia impedit, quò minus in petendo tam audaces ac importuni sint. Deinde, nisi collectarum vsus retineatur, & diaconi constituantur, qui singulis, prout opus esse viderint, distribuant, obstari non potest, quò minus mendicatio & mendicabula locum habeant, imò vt ea instituantur necesse est, & ad rem Christiano nomine indignißimã (vt antea demonstrauimus) etiam optimi redigentur, cũ nulla vitæ sustentandæ ratio appareat: & ita multis pudor paulatim perit, qui in officio facilè contineri poterant, si ea ratione illis prospiceretur, quã Ecclesijs Apostoli ex Spiritus sancti suggestione præscripserunt. Præterea non obstat ea ratio, quò minus priuatim quoq; omnibus benefacias, quos vel in vicinia tua in opiã pati, aut morbis detineri, aut aliqua neceßitate oppressos esse nouisti: vel qui aliunde adueniũt bonorum virorum testimonio cõmendati, vel etiam sine eo tibi digni videntur, quos aliquo subsidio iuues. Deniq; quia Christo teste, pauperes nunquã deerunt, in singulas horas sese occasio benè de aliquo merendi offeret. Hoc solum in præsenti agitur, ne quis dum suo sensu abundare vult, ordinem Ecclesiæ publicum turbet, disciplinam labefactet, & mendicationi fenestram aperiat contra Dei institutũ, adhæc confusionem illam inuehat, qua proterui & validi mendici alijs se multò digniori bus alimenta præripiant. Quæ omnia quàm necessaria sint obseruatu, nemo pius & cordatus non videt: ideoque inexcusabilis est eorum pertinacia, qui ordinationi tam sanctæ, tam vtili, tam necessariæ sese opponunt.

Transeamus ergo ad alterum caput institutæ tractationis, Quales nimirum esse conueniat dispensatores siue œconomos Ecclesiæ. Id in præsenti Paulus vno verbo expedit, dicens: Quoscunq; probaueritis. Qui verò probati, & idonei ad hoc munus censeri debeant, Apostoli diligentius in ea oratione docẽt, quam de Diaconis ordinandis ad Ecclesiam Hierosolymitanam habuerunt in hũc modum: Dispicite fratres, ex vobis viros septem, idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio. Iubẽt vt ex ipsis tales dispiciant atq; eligant. Debent enim ex ipsa Ecclesia deligi, nec admitti ad munus hoc homines ignoti aut peregrini, quorum fides meritò suspecta aliquibus esse poßit, aut qui odium & inuidiam facilius sibi conflent. Ideo Paulus nullum hîc sibi ius sumit in Corinthiorum Ecclesiam, nec ipse aliquem ex ijs nominat, quos illic ..o tos & amicos habebat, sed, Quos vos probaueritis (inquit) hos mittam. Fuit ergo in hoc etiam multùm alienus à Pontificum moribus, qui in omnium nationum atq; gentium Ecclesias sibi ius vendicant, & in illis pro suo arbitrio omnia constituunt, imò suos muliones, agasones, parasitos & quoscunque alios, plerunque illiteratos quoque & vitæ illaudatæ homines, illis obtrudunt, vt pastores siue parochos & mysteriorum Dei dispensatores agant. Conquesti sunt de hac tyrannide iam seculis aliquot optimi quiq;, sed frustra verba fiunt illis, qui toti venter sunt, quem auribus & oculis destitui, olim Cato dicebat. Sed videamus singula, quæ in dispensatoribus Ecclesiæ Apostoli requirunt.

Dispensatores quales esse deceat?

Primum est, vt idoneo siue bono & honesto testimonio ornati sint. Loquitur autem de publico simul totius Ecclesiæ testimonio, deque priuatis, quæ singuli de ipsis ferant. Est hoc ante omnia alia necessarium: quia nisi tales sint, multos suspicio sinistra absterrebit, vt in collectis Ecclesiæ parcius conferant: facilius quoque murmura & querelæ exorientur ab illis quibus nihil sufficit. Peccant ergo hîc grauiter, qui hodie bonorum Ecclesiæ administrationem ijs committunt, qui nullo bonorum virorum testimonio commendantur, & quos ne ipsi quidem ab honestate morum aut frugalitate laudare poßunt, quosque nemo prudens suæ domus dispensatores faceret: vt qui sua prius turpiter & inhonestè dilapidarunt ebrietate, alea, scortatione, aut saltem ignaua & inerti socordia. Volunt hi deinde ex alieno ditescere, & plerunque hominum auarißimi fiunt, quibus lucri bonus est odor ex re qualibet. Cùm autem alienæ pecuniæ contrectatio per se periculosa sit, & ea interdum boni quoque in nassam pertrahantur, quid de talibus speres, si eius functionis cura illis committatur, vbi tot fallendi viæ & rationes sunt, quas ne Argus quidem omnes obseruare poßit? Certè quanto cum periculo id fiat, vnius Iudæ exemplum abunde docet, cuius vestigijs vtinam hodie non multi insisterent.

1. Testimonio bono commendati.

2. Pleni Spiritu sancto.

Secundò, vt Spiritu sancto pleni sint, monent. Sumus enim natura nostri ipsorũ amantes, qui ferè omnis mali fons atque fomes est. Opus igitur est nobis Spiritus sancti luce, qui charitatis & misericordiæ ignem in cordibus nostris accendat, & ex philautia enascentes cupiditates suo fræno coërceat. Non debent ergo ordinari homines superbi, quos confidentia sua pauperum contemptores & osores reddit: non feroces & immites, qui in asperis & minacibus dictis, toruo oculorum intuitu, fastuoso incessu & ad terrorem incutiendum composito totius corporis incessu, omnem fortitudinis laudem sitam esse arbitrantur: non item vino multo pleni, ebriosi & intemperantes. Quàm enim absurdum & indecorum fuerit, eum immitem & ferocem conspici, qui pauperum curam habere debet, quos egestas formidolosiores facit, & qui blando alloquio non minus quàm pecuniola aliqua recreantur? Quid verò turpius, quid inhonestius, quid sceleratius potest fingi, quàm multis cum inopia victus & dira fame conflictantibus, eos inebriari & luxu diffluere, qui illis consecratas opes dispensant? Quid item crudelius, quàm homines intemperantißimos insuper ditescere etiã ex sacrilegijs, dum pretiosa Christi membra fame pereunt? Sunt hæc non Christianis modò hominibus indigna, sed quouis supplicio & pœnis infernalibus dignißima sunt, quas procul dubio à talibus iudex ille iustißimus & acerrimus pauperum vindex exiget.

3. Sapientes.

Tertiò sapientia instructos esse volunt. Est autem sapientia (vt aliàs monuimus) rerum diuinarum & humanarum, causarum'q́, quibus hæ res continentur, scientia siue cognitio. Et sanè absurdum foret hominibus à rerum diuinarum cognitione alienis aliquam ex ecclesiasticis functionibus committere, cùm hæ omnes præcipuè ad Deum spectent. At qui hominum necessitatibus prospicere debent, rerum quoq; humanarum gnari atq; periti sint necesse est. Quid enim hîc facient, qui œconomicam nesciunt, qui item quomodo rationes acceptorũ & expensorum ineundæ & subducendæ sint, ignorant? Accedat his prudentia, quæ circumspectos facit, vt quibus & quando largiri, quando item mitius, quando durius agere debeant, obseruent. Est horum omnium vsus perquàm necessarius: quia si ab Oeconomis siue dispensatoribus peccetur, id in totam Ecclesiam redundat, cui nota vel inhumanitatis, vel leuitatis, vel etiam iniquitatis inuritur: absterrentur præterea à beneficentiæ studio multi, quod pauperibus atque egenis imprimis officit: culpa autem omnium in ijs hæret, qui tales constituerunt, aut deprehensa fraude & improbitate eorum, nihilominus tamen illis patrocinantur.

Vt dispensatoribus authoritas conciliari debeat?

Restat postrema huius tractationis pars, vt videamus, quomodo dispensatoribus authoritas cõciliari debeat. Ad hanc pertinet, quod Paulus illis, qui publico Ecclesiæ consensu probati & delecti fuerint, literas ad Iudæos cõmendatitias pollicetur. Quod nemo eum arrogantius facere putauerit. Vt enim literis eiusmodi opus erat apud gentem peregrinã & homines ignotos: ita Paulus illas debuit dare, cùm maxima eius esset apud Ecclesias omnes authoritas. Interim admonemur, diaconos siue dispensatores publica authoritate creari simul & muniri debere. Est enim paupertate nihil inquietius & magis querulũ, atq; rara admodũ est τῆς αὐταρκείας virtus, quæ vnumquenq; suæ sortis contentum reddit. Experti sunt hoc non sine molestia & aliqua contumeliæ nota Apostoli, quando ipsis rem hanc administrantibus aliqui murmurasse dicuntur, quòd suas viduas negligi putarent. At quis alicuius doli siue fraudis suspectos habeat Apostolos? Et cur aliena surriperent, qui sua omnia propter Christum reliquerant? Non potuerunt tamen effugere, quò minus de illorum administratione querelæ spargerentur. Nunquam ergo satis tuti erunt dispensatores, nisi publica authoritate defendantur. Et debet exemplum illud omnes admonere, ne facilè aures præbeant morosis & querulis, qui dispensatorum fidem suspectam facere conantur. Fiat potius diligens inquisitio, & si illis iniuria fiat, defendantor: Quòd si verò fraudem admiserunt, puniantor. Neq; hic indulgentius agant Christiani principes. Si enim peculatoribus & sacrilegis pœnas capitales constituunt leges Cæsareæ, quantò grauiores subire debent, qui ciuitatis & reipub. Christianæ thesauros surripiunt, nec ex templi solum ærario pecunias furantur, verum insuper authores sunt, vt qui vera & viua Christi templa sunt, egestate & fame pereant? Cessant quidem frequenter in illis puniendis principes, quia lupus lupinam non est: at non dormitat Dei iudicium, quo isti simul omnes damnantur. Et horrenda sunt, quæ in historijs proponuntur, exempla, quibus Deus impiorum sacrilegia & fraudes puniuit. Babylonijs vasorum templi direptio & eorundem prophanatio exitium

exitium attulit. Pompeius postquam temerario in templi adytum ingressu Dei sacrarium violauit, mox hunc sibi aduersum sentire cœpit, cuius fauore antea munitus res maximas terra mariq; gesserat. Secuta est enim consiliorum incertitudo, quæ bellum ciuile excitarunt, & post clades aliquot ille infelix in Ægyptiaco littore, quasi in conspectu templi, proditoriè & crudeliter occisus est. Manifestior fuit M. Craßi calamitas, qui cùm etiam ipse in Sacrarium illud ingressus esset, & ex eo auri ingentem summam abstulisset, à Parthis vnà cum filio cæsus est, qui occiso quoque insatiabilem auri sitim exprobrarunt. Quid de Iuda dicemus, qui cùm à sacrilegio cœpisset, tandem Christi proditor quoque factus, & propriæ conscientiæ testimonio ad desperationem horribilem adductus, pecuniam sacrilegam ipse abiecit, seque ipsum suspendens animam simul cum corpore perdidit? Est etiam memorabilis Ananiæ & Sapphiræ interitus, qui cùm in proprijs pecunijs fraudem facere instituissent, & Ecclesiæ, atque Spiritui sancto mentirentur, repentina morte conciderunt. Quid Iudæorum sacerdotes post diuturna sacrilegia & pauperes inhumaniter abs se neglectos cum tota sua gente, quæ illorum improbitatem non coërcuit, paßi sint, longum esset commemorare.

Est horum consideratio hodie plus quàm necessaria, quando crescente vbique gentium numero pauperum, disciplina quoq; omnis Ecclesiarum corruit, & ex harum bonis ferè opes sibi congerunt & voluptuantur, qui non minima Christiani nominis labes sunt. Quibus malis medicinam inuenire multis impoßibile videtur: sed nihil facilius esset, si Apostoli consilio parêre & primitiuæ Ecclesiæ morem imitari liberet. Ita ergo ista consideremus, vt ea, in quibus hucusq; peccatum est, emendentur, ne quando vindicem manum Deus magno nostro malo adhibeat. Pertinet cura ista ad principes imprimis, quia hîc non tam Ecclesiæ quàm reipub. negotiũ agitur. Interim singuli priuatim beneficentiæ in egenos studeant, vt ita sibijpsis tabernacula æterna parent, & thesaurum in cælis incorruptibilem recondant, quo olim læti & immortales fruantur cũ IESV CHRISTO Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XCI.

Veniam autem ad vos cùm Macedoniam transiero (Macedoniam enim pertransibo) apud vos autem fortaßis permanebo, aut etiam hybernabo: Vt vos me prosequamini quocunq; proficiscar. Nolo enim vos nunc in transcursu videre: sed spero aliquantum temporis mansurum me apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi vsq; ad Pentecosten. Nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi.

Postquam Paulus ex fidi pastoris officio diligenter de omnibus ijs disseruit, quæ ad publicam totius Ecclesiæ ædificationem & singulorum emendationem faciebant, postremo loco de Collecta pro fratribus in Iudæa fame atq; penuria laborantibus facienda admonuit. Quo exemplo admonemur, Christianos homines, ita de sua salute solicitos esse debere, vt ne alios in neceßitate constitutos negligant. Cæterùm absolutis his omnibus, nunc ad ea transit Apostolus, quæ ad ipsius personam propius spectabant. Erat inter ea primum, quòd se Corinthum venturum esse non semel promiserat, & eius præsentia opus fuisse apparet ex ijs, quæ hucusq; audiuimus. Vt verò ipsum optimi quique magno cum desiderio expectabant, ita æmulis eius ac disciplinæ osoribus nihil molestius accidere poterat. Iidem tamen, vt eius authoritati derogarent, moram ipsius odiosè accusabant, & quasi nunquam aduenturum esse scirent, insolentius proteruiebant. Ideo nunc de eo diligentius agit occasione sumpta ex ijs, quæ nuper de Collecta Hierosolymam deferenda dixerat, & moram hanc rationibus idoneis excusat.

Iusserat enim, vt in aduentum suum præpararent pecunias illas, quæ postea per delectos nuntios Hierosolymam mitterentur, & se vnà cum his eò profecturum promiserat, si ita opus esset. Poterat ergo aliquis maleuolus obijcere: Cur verò non aduenis nunc, & nos in pecunijs hisce con- Excusat sui aduentus dilationem.

ficiendis adiuuas? cur promißis subinde inanibus nos suspendis & lactas? Itaque per Præoccupationem respondet: Veniam ad vos cùm Macedoniam transiero (Macedoniam enim pertransibo) apud vos autem fortaßis permanebo, aut etiam hybernabo. Solebant enim Apostoli (vt Acto.14. & alijs locis indicatur) abs se constitutas Ecclesias frequentius inuisere: & vt idem hodie fiat à viris grauibus & singulari authoritate præditis, valde necessarium est. Nam nihil in statu bono diu perseuerat, & quemadmodum singulæ mundi huius partes ad suam corruptionem finemque tendunt: ita homines natura ad malum propendent, & ideo in peius plerunque proficiunt. Nocet hîc quoque plurimùm innata nobis securitas, ex qua occasionem venatur Satan, vt incautos opprimat. Fit ergo in Ecclesijs idem quod in corporis valetudine. Vt enim illic morborum materia in nobis latet, & facilè commouetur, si gulæ & palato intemperantius & incautius indulgeamus: ita mox optima Ecclesiæ constitutio siue forma vitium contrahit, si qui securiori animo suis desiderijs obsequantur. Vehementer ergo errant, qui sufficere arbitrantur, si Veritatis doctrina semel bene tradita sit, & proinde non satis æquo animo ferunt, si qui ordinarij sunt Ecclesiarum pastores singula diligentius obseruent, & in mores hominum atque præsentem rerum statum inquirant. Quid enim hoc aliud est, quàm nolle, vt pastor gregis sui curam habeat, aut speculatori præcipere ne excubias agat, neue portis appropinquantes hostes obseruet, vel signo dato indicet? Atqui doctores populo pastores & speculatores à Deo datos esse, notius est quàm vt demonstrari oporteat.

Subscriptio epistolæ huius supposititia.

Sed vt ad locum præsentem redeamus, se tunc demum Corinthum venire velle Paulus dicit, vbi Macedoniam inuiserit. Nondum ergo Macedoniam ingressus erat, cùm hæc scriberet, sicuti ex posterioris Epistolæ Cap. primo colligi potest. Nam expositis illic grauißimis periculis atque certaminibus, quæ in Asia sustinuerat, pollicetur, se per Corinthum in Macedoniam transire, & inde ad ipsos redire constituisse, vt ab eis in Iudæam deducatur. Quod obiter perstringimus, ne quis epistolæ huius subscriptioni fidem habeat, quæ eam Philippis missam fuisse testatur. Illam enim supposititiam esse, præsentis loci argumentũ & Paulinæ historiæ series satis euidenter ostendit. Quare verisimilior est eorum sententia, qui Chrysostomum secuti, epistolam hanc Ephesο scriptam esse dicunt. Enimuero Asiæ fratrum postea meminit, quorum nomine Corinthios salutat. Sed quicquid illud sit, in præsenti hoc dicit, se nolle nũc ad ipsos venire, quia causis iustis & grauibus impediatur.

Studium suum erga Corinthios declarat.

Primam his verbis exponit: Nolo vos nunc in transcursu videre, sed spero me aliquantum temporis mansurum apud vos, si Dominus permiserit. Ita verò suum erga illos studium declarat, qui nolit quasi aliud agens ex instituto itinere ad ipsos diuertere, & ita eis molestiam exhibere absque omni fructu: sed ita venire, vt aliquandiu apud ipsos hærere, & beneficium aliquod spirituale in eos conferre poßit. Eo enim proposito Apostolos Ecclesias inuisisse supra diximus, & in primo Cap. ad Roman. idem Paulus testatur. Expeto (inquit) videre vos, vt aliquod impertiar vobis donum spirituale ad vos stabiliendos. Et vt ita Corinthi fieret, omnino opus erat, cùm multa illic essent, quæ emendatione opus habebant, in Macedonia autem non item, cuius gentis Ecclesias in fide & alijs rebus optimè constitutas fuisse, Pauli ad Philippenses & Thessalonicenses epistolæ testantur. Simul autem docet in præsenti, quantum sibijpsi de Corinthiorum erga se fide & studio polliceatur, quando ab ipsis deduci cupiat.

Apostoli non temere vagati, sed à Spiritu ducti sunt.

Obseruabis autem piam Apostoli circumspectionem, qui cùm certo cõstituerit Corinthum proficisci, dubitanter tamen de ea profectione loquitur, & euentum Deo permittit. Spero (inquit) me aliquantum temporis mansurũ apud vos, si Dominus permiserit. Nam (vt aliàs monuimus) non semper certò sciuerũt Apostoli, quid de ipsis statuisset Deus: sed frequenter nouis oblatis vocationibus & peculiari Spiritus sancti reuelatione præter suum institutũ aliò vocati fuerunt. Exemplũ huius rei euidens Lucas proponit, de Paulo & comitibus eius sic scribens: Peragrata Phrygia & Galatica regione prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui sermonem in Asia: Cumque venissent in Mysiam, tentabãt ire in Bithyniã: sed non permisit eis Spiritus. Et ibidẽ mox causam eius rei indicat, quòd Paulũ Deus Macedonibus destinauisset, ad quos per visionẽ extraordinariã vocatus est. Et Philippũ ab angelo iussum fuisse legimus, vt ex Samaria in eũ locũ proficisceretur, vbi in eunuchũ Æthiopẽ incidit, qui per ipsum in fide Christiana institui debebat. Sed & Petrũ visione peculiari excitauit

Acto.16.

Acto. 8. & 10.

citauit Deus vt Cæsareã profectus Centurioni Cornelio Euangelium prædicaret. Debent exempla ista diligenter considerari, quia multum faciunt ad doctrinæ Apostolicæ cõmendationem & fidei Christianæ confirmationẽ: quando illam non temere in orbe terrarum prædicatam, neq; Apostolos erronum instar fuisse docent, qui pro sui animi libidine hinc inde discurrerint: sed qui Spiritu sancto duce nunc hîc nunc illic prædicarint, quem Christus ipsis fidum aduocatum promiserat.

Admonet præterea Pauli exemplum, neminem de suis consilijs temere aut arroganter statuere debere, quasi illorum euentum in sua potestate habeat. Quis enim scit, quid serus vesper vehat? Et si inter os & offam (vt prouerbio dicitur) multa incidunt, quid de illis certò statui potest, ad quæ conficienda temporis aliqua mora opus est? In Domino viuimus, mouemur & sumus. Et si Paulus in re sanctissima, & quæ cum ipsius officio coniuncta erat, hac moderatione vsus est, nimiùm arrogantes sunt, qui in prophanis rebus, vel etiam in illicitis & quæ ab officio ipsorum alienissima sunt, pronuntiare audent quid facturi sint. Qui si meminissent, quàm incerta sit rerum humanarum conditio, & quàm fallaces sint spes, quibus sæpè deluduntur, qui omnia videntur posse, humilius multò de semetipsis sentirent atque loquerentur. Semper ergo Christianorũ animis occurrat Iacobi Apostoli admonitio, quam non sine increpationis specie proponit, dicens: Age nunc qui dicitis: Hodie vel cras ibimus in illam vrbem, & transigemus ibi annum, & mercabimur & lucrabimur: qui ignoratis quid postero die futurum sit (quæ est enim vita vestra? Vapor equidem est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit) pro eo quòd dicere debebatis: Si Dominus voluerit, & si viuamus, faciemus hoc & illud: Nunc autem gloriamini de arrogantia vestra: omnis eiusmodi gloriatio mala est. Malã dicit gloriationem eiusmodi, quia inani suijpsius fiducia homines inflat, & non tam sortis suæ quàm prouidentiæ Dei omnia gubernantis immemores facit. Quòd si verò in hanc respicere & ab ea sola pendere discamus, mox procul arcebitur consiliorum temeritas, nec facilè aliquid conabimur, quod à Dei voluntate dissentire scimus. Ad preces quoque vehementer excitat ista consideratio, quando cogitamus sine Deo nihil feliciter incohari, nedum absolui posse. Vide Psalmum CXXVII.

Nemo arrogãter de suis consilijs statuat.

Iaco. 4.

Porrò alterã adhuc causam Paulus adducit, quæ ipsum quò minus nunc Corinthũ veniat, remoretur. Permanebo Ephesi (inquit) vsq; ad Petecostẽ. Ne verò Ephesios Corinthijs anteponere putetur, huius etiã moræ rationẽ reddit: Nã ostiũ mihi apertũ est magnũ et efficax, & aduersarij multi. Ostiũ dicit Metaphoricè pro occasione prædicandi Euãgelij. Magnũ verò vocat ostiũ, quia multi parati erant ad recipiendũ doctrinã de fide in Christum, adeoq; (vt ipse Dominus loquitur) messis erat multa & copiosa. Efficax quoque erat ostium, quia occasiones eiusmodi sese offerebant, quibus non sine profectu & luculento fructu prædicabat, multis indies ad fidem Christi accedentibus. Addit tamen non deesse simul aduersarios multos, qui se opponãt & Euangelij prædicationẽ impedire conentur. Horũ autem meminit, vt ostendat, se magna necessitate cogi, vt illic adhuc subsistat, quia multum proficiat stationem illam tenendo, non possit autem absque periculo & detrimento Ecclesiarum illarum discedere: quando ita occasionem daret aduersarijs ea destruẽdi, quæ iam erant probè ædificata. Voluit autem ad Pentecosten vsque manere, quando cœtus fiebant frequentiores, & propter Iudæos ex varijs gentibus Hierosolymam proficiscentes maior sese offerebat pluribus prædicandi occasio. Facit autem ad loci huius expositionem pleniorem totũ caput decimũ nonũ in Actorũ libro. Eo enim describit Lucas, vt Paulus totũ bieniũ Ephesi docuerit ex tota Asia Iudæis simul & Græcis ad ipsum confluentibus, vt Dei Verbum audirent: vtque doctrinam eius signis non vulgaribus confirmauerit, ita vt etiam super ægrotos deferrentur à corpore Pauli sudaria seu semicinctia, & morbi ab eis recederent, & spiritus mali exirent. Adiuuit quoque Veritatis causam non mediocriter tristis & infelix filiorum Sceuæ casus, qui cùm à fide alieni nihilominus IESV CHRISTI nomine ad dæmones expellendos abuterentur, ab his pessimè mulctati sunt. Eo enim omnes perterriti sunt, & multi ad apertam suorum delictorum confessionem compulsi, adeò, vt qui artes magicas hucusque exercuerant, libros maximi pretij comportatos publicè exusserint. Iam ergo magnis incrementis illic surgebat regnum Dei, & non pauci Asiæ principum ad fidem conuersi & Paulo amici facti fuerunt. Non potuit ergo tam lætum veritatis propagandæ successum diutius ferre Satan; sed Demetrium

Paulus Ephesi mansit, quòd prædicandi haberet occasionem.

quendam, qui ex delubris Dianæ Ephesiæ argenteis quæstum faciebat, excitauit, & per hunc ciuitatem totam tumultu seditioso commouit, qui tamen mox repressus est. Verè ergo Paulus scribit, ostium sibi magnũ & efficax apertum esse, non autem deesse aduersarios, quorum improbitas ipsum adhuc detineat. Paucis verò hisce verbis multa comprehendit, quæ ad illustrandam doctrinam de Euangelij ministerio & ad ministrorum confirmationem faciunt.

Deus Euangelio ostium aperit.

Inter ea primum occurrit, quòd ostium sibi apertum esse scribit. Nam si quæras, à quo illud fuerit apertum, non alius id fecisse dici poterit quàm Deus. Is enim solus est ex cuius æterno consilio salus nostra dependet, quique eius occasiones, quando vult, nobis offert, & sæpe Euangeliũ ex improuiso mittit nihil tale expectantibus, sicuti Macedonibus accidisse, paulò ante diximus. Et nunquam non verum erit illud Apostoli: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Vt verò ille ministros & præcones Verbi sui mittit, ita idem ille tam in his quàm in auditoribus agit, vt illi quidẽ aptè & vtiliter prædicent, hi verò aures & animos Verbo suo accommodent, & audito credant. Prodest ista sæpius & diligentius considerauisse, vt vtrinque in Deum respiciant omnes, & hũc precibus assiduis solicitent, vt ministris quidem occasiones commodas offerat & linguas eorundẽ regat, auditorum verò corda illuminet atque trahat ad verum fidei obsequium. Et huc pertinet, quod Paulus ad Colossen. scribit: Orate etiam pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, vt loquamur mysterium Christi, propter quod & vinctus sum, vt (inquam) ita illud patefaciam, sicut oportet me loqui. Quibus consentiunt, quæ ad Ephesios sub finem epistolæ illius ab eodem Apostolo scribuntur.

Rom. 10.

Colos. 4.

Euangelio non desunt aduersarij.

Deinde Euangelij sortem Paulus his verbis exprimit. Ostium mihi apertum est (inquit) magnum & efficax, & aduersarij multi. At quod illi apud Ephesios accidit, id vbique locorũ & semper fieri solet: vt quò maiori cum profectu Euangelium prædicatur, eò magis Satan aduersus illud tumultuetur. Docet hoc Christus in fortis armati parabola, quẽ quiescere dicit domi suæ, quoad res ei saluæ sunt, & extra periculum constitutæ: at si fortior aliquis superueniens domum illius diripere conetur, mox certamen oritur, neque finis est tumultuandi, donec ille victus & vinculis alligatus victori loco cesserit. Typus huius rei in Dauidis regno præcessit. Cùm enim hic à Saulis obitu illud obtinuisset, mox gentes fremere, populi inania meditari, & reges coniurare cœperunt, & bellis horrendis petitus est, qui à Saulina persecutione vix dum respirauerat. Non poterat enim regni eius reformationem & cultus diuini instaurationem ferre Satan, qui sub Saule hactenus regnauerat. Idem verò factum fuisse sub veri illius Dauidis, IESV CHRISTI, aduentum, historiæ testantur. Nam tunc quoque totum orbem terrarum mirificè & horribiliter diabolus turbauit, Romanis omnia longè lateque vastantibus. Et non multò ante Filij Dei incarnationem Aristobulo & Hircano ducibus Iudæi in partes distracti & bello ciuili inter se commissi sunt, quod toti genti seruitutem & postremò excidium peperit. Adhæc Parthorum armis res Romanorum grauiter afflictæ sunt, vt iam de ciuilibus bellis primùm inter Iulium & Pompeium, postea inter Augustum & Antonium exortis nihil dicamus. Voluit enim ea ratione Satan omnem promissi Messiæ expectationem omnibus ijs inuisam & exosam facere, qui prius in illum totis animis intenti fuerant. Rursus cùm postea Euangelium in toto orbe per Apostolos & horum successores prædicaretur, communis ille hostis humanæ salutis Romanos Imperatores in rabiem egit, qui ostium illud regni Dei minacibus edictis & armis crudelibus claudere, denique fidem Christianam funditus extirpare conati sunt. Exercuerunt per hos excitatæ persecutiones Ecclesiam veterem per annos paulò minus trecentos vsque ad Constantini Magni tempora, quibus tantum sanguinis humani effusum est, quantum ab orbe condito nunquam orbis terrarum vidit. Debemus autem in veterum historiarum consideratione frequenter versari, ne offendamur, si quid huius etiam hodie nobis accidat, & publici tumultus ad Euangelicæ doctrinæ prædicationem subitò excitentur. Nam quod pulchrè annotauit Chrysostomus, vt serpens calcatus sibilare & mordere incipit, scorpius item non nisi tactus aut irritatus ferit: ita Satan, qui dum nemine obstante securus regnat, quiescere videtur, mox dente & cauda furit, & vndique arma sua exerit, quando per Euangelium Christus eum ex possessione sua deturbare incipit. Itaque præparent sese ad certamina & pugnas, quicunque opus hoc aggredi volunt, neque eos periculi metus aliquis absterreat.

Luc. 11.

Psal. 2.

Nam

Nam vt boni milites ferè cruenti, sæpe autem & saucij ex pugna redeunt, victoria & triumphi gloria metum & dolorem omnem procul profligante: ita non semper absque sanguine sanctißimum istud certamen Euangelij contra mundum & principem eius decertatur, certa tamen triumphi cælestis spes nobis proposita est, quæ nos ad omnem periculi imminentis metum intrepidos facere debet. Qui enim remißius agunt, vt mundo probentur, & hostibus quoque placeant, ij Christi serui non sunt.

Ergo Pauli exemplum imitentur omnes, quibus Euangelij prouehendi munus commissum est. Is propter pericula & labores non sibi ex Asia discedendum, sed potius manendum esse putauit, quamuis multa posset prætexere, & per honestas occasiones aliò vocaretur. Magis enim eum monuit oblata magni & insperati profectus occasio, quàm imminentium vndique periculorum terror. Et vt ita faciamus, non obscurè Christus monuit iam mortem aditurus, quando discipulis ad montem olíueti dicebat: Manete hic, vigilate & orate. Id enim ad omnes pertinet, qui illius serui esse volunt, vt scilicet stationem suam constanter tueantur, in eadem vigilent, & à Deo vires atque robur sibi dari postulent. Omnes ergo in periculis & laboribus sibijpsis illud poëticum occinant: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Peccant autem vehementer, qui pro sua commoditate sibijpsis locum deligunt, vbi in otio & pace agant, relictis Ecclesijs, quibus suam operam nauare debebant. Fecerunt hoc olim Anachoretæ, qui persecutionum tempore in loca deserta secesserunt, pio quidem instituto, sed inconsiderato, & quod posteris exempli pessimi occasionem præbuit. Nam qui ex Monachis hodie optimi sunt, ij sub vitæ contemplatiuæ prætextu ita viuunt, vt neque sibijpsis neque alijs vtiles sint. Sed & inter Euangelij professores inueniuntur, qui nulla aut perquàm exigua suæ vocationis ratione habita, sibijpsis ferias indicunt, & pericula atque labores imminentes cum ijs, quæ iam diu sustinuerint conferendo, se iam meruisse clamant, vt rude donentur. Atqui ignauus nimium miles est, qui periculo viso de fuga citius quàm de illo fortiter propulsando aut vincendo cogitat. Stultus autem est, qui non videt, quòd quò magis pericula & labores amplificat, eò magis seipsum accuset, qui præter fidem datam ex acie discesserit, & vt mercenarius viso lupo oues turpiter atque proditoriè reliquerit.

In periculis maiori constantia opus est.

Anachoretæ.

Non tamen hæc ita dicimus, vt Tertulliani sententiam probemus, qui omnem fugam illicitam esse putauit. Nec enim illud Christi ignoramus: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Hoc solum dicimus, non deserendos esse eos locos, in quibus præsens necessitas nostram operam requirit, & eadem non omnino inutilis est. Alia eorum ratio est, qui vel ab hostibus apertis, vel ab illis ipsis eijciuntur, qui cùm Christum aliquandiu professi sint, porrò eius oues esse nolunt. Quid enim pastor faciat sine ouibus? Sunt etiam, quos ab Ecclesijs discedere vtile est: quando nimirum ipsos solos petit hostium rabies, & ipsis digreßis sua tamen pax Ecclesijs integra manet, neque fidei libertas impeditur. Quod autem de Verbi ministris dicitur, id ad se illi quoque transferant, qui ad reipub. gubernacula sedent. Quid enim turpius dici potest, ex repub. honores & opes sperare, pro eadem verò periclitari nolle? Vtinam verò hæc tam facilè omnibus persuaderi possent, quàm confessa sunt omnibus. Oremus ergo Deum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt is Ecclesiæ & Reipub. pastores excitet, qui in officio suo strenui & constantes ita se gerant, vt seipsos & suæ fidei creditos olim sistere poßint intrepidos & integros in aduentu Filij sui, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Non omnis fuga illicita est.

HOMILIA XCII.

Quòd si venerit Timotheus, videte vt tutò sit apud vos: Opus enim Domini operatur, vt & ego. Ne quis igitur illum pro nihilo habeat, sed prosequimini eum cum pace, vt veniat ad me. Expecto enim eum cũ fratribus. Porrò quoad Apollo fratrem, multum precatus sum eum, vt iret ad vos cum fratribus: sed omnino non fuit ei voluntas

nunc eundi, venturus est autem cùm tempus opportunum habuerit.

Ioan.15. *Dominus & Seruator noster, IESVS CHRISTVS, iam mortem aditurus inter alia discipulis & Apostolis dixit: Ego elegi vos, et constitui vos, vt abeuntes fructum afferatis, & fructus vester maneat. Huius ergo dicti illi probè memores, non modò homines Dei & veritatis ignaros Christo adducere, & vbique gentium Ecclesias colligere studuerunt, sed toti simul in eo etiam fuerunt, vt eos seruarent, quos semel Christi cognitione ac vera fide imbutos esse videbant: ne qui vel periculorum metu succumberent, vel ab impostoribus seducerentur. Quæ causa fuit, quòd Ecclesias frequenter inuiserunt, & si id illis per negotia non licuit, tunc per epistolas & nuntios fidos illas confirmarunt, & singulos sui admonuerunt officij. Factum hoc etiam apud Corinthios. Qualis enim eius Ecclesiæ facies fuerit, iam sæpe diximus. Non potuit autem Paulus ad eos accedere, cùm à Deo subinde aliò vocaretur, & noua quotidie impedimenta ipsi obijcerentur. Ergo epistolam hanc scripsit, qua diligenter omnia comprehendit, de quibus eos admoneri necesse erat: & eandem mittit per hominem fidißimum, Timotheum, cuius fides atque industria ei multis argumentis iampridem perspecta erat. Vt verò is maiori cum fructu apud eos posset agere, hunc locum interserit, quo primùm diligentißimè eum ipsis commendat, deinde cur hunc potius quàm Apollo aut quemuis alium miserit, docet.*

Timothei cõmendatio. *Quoad primum, sic ait: Quòd si venerit Timotheus, videte vt tutò sit apud vos: Opus enim Domini operatur, vt & ego: Ne quis ergo illum pro nihilo habeat: sed prosequimini eum cum pace, vt veniat ad me, &c. Est commendatio hæc breuis quidem, sed grauis admodum, quia tria petit. Primum, Videte (inquit) vt tutò sit apud vos. Nam præter apertos fidei hostes, erant etiã falsi fratres, de quibus non vno loco Paulus queritur, & homini peregrino difficile est pericula atque insidias omnes cauere. Vult ergo, vt ei diligenter prospiciant, ne quid mali accidat homini ingenuo & non vulgari Christi seruo. Alterum: Ne quis eum pro nihilo habeat. De eo admoneri eos opus erat, quòd iuuenis esset Timotheus, & plerunque iuuentuti coniuncta sit leuitas, iudicij inopia, ignorantia & quæ alia sunt eius generis vitia. Monet ergo, vt non ætatem eius respiciant, sed dona potius, quibus illum Deus ornauerit.* 1.Tim.4. *Sic ad ipsum Timotheum scribens, ait: Nemo tuam iuuentutem despiciat. Postremum, vt eum prosequantur & cum pace deducant, vt saluus atque incolumis ad ipsum poßit redire, qui eum cum fratribus alijs auidè expectet. Istis verò postulationibus vna ratio adijcitur, quæ multarum instar esse potuit: Opus enim Domini operatur, vt & ego. Intelligit autem per opus Domini prædicationem Euangelij & regni Dei propagationem.* Ioan.6. *Nam ipso Christo teste, opus Dei est propriè, vt credamus in eum, quem ille misit. Ergo opus Dei agunt, quicunque fidem in Christum docent, & in huius cognitionem eos adducũt, qui prius sub tenebrarum potestate per errores & vitia omnis generis volutabantur. Huc facit,* Matth.20.21. *quòd ministri siue præcones Euangelij in vinea Domini laborare dicuntur, & quòd supra Paulus* 1.Cor.3. *scripsit: Dei sumus administri: Dei aruum, Dei ædificatio estis. Fuit ergo hæc magna & non vulgaris Timothei laus, quòd illum opus Domini agere dicit, & sibi quidem parem facit, quem vas siue organũ Domini selectißimum fuisse scimus. Seruit huius loci illustrationi, quod in epistola ad* Phil.2. *Philippenses scribitur: Spero in Domino IESV, me Timotheum breui missurum vobis, vt & ego bono sim animo, vbi quis vester status sit cognouero. Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germanè res vestras curaturus sit. Nam omnes, quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ CHRISTI IESV. Porrò probationem eius nostis, quòd veluti cum patre filius, mecum seruierit in Euangelio. Fuit ergo hoc magni amoris argumentum, quòd eum ad Corinthios mittere voluit Paulus, cuius opera siue ministerio ipse non commodè carere poterat. Ita enim abunde testatus est, se maiorem Ecclesiæ ipsorum, quàm suiipsius rationem habere.*

Modestiæ exẽplum. *Apparet autem simul in eo admirabilis & dignißima imitatu Pauli modestia, qui Timotheum, hominem iuuenem adhuc & suum discipulum sibi parem siue æqualem facit. Sic alibi Syluanum & Sosthenem, & hunc ipsum Timotheum in epistolarũ inscriptionibus sibi coniungit. Quàm procul ergo illum ab eorum fastu abfuisse putas, qui omnes alios Ecclesiarum ministros ex alto despici-*

despiciunt, & tantumnon pedibus suis subiectos esse volunt: adhæc in ipsum Euangelium sibi ius quoddam vendicant, dum illud suum esse dicunt, & non pœnitendis Christi seruis hoc tam scripto quàm viua voce exprobrare audent, quòd Euangelium fœtere fecerint, si quis aliquid quantúmuis pium & necessarium ipsis non prius consultis, non tamen absque fructu, tentauerit. Possem hic fastuosi cuiusdam Theologi factum recitare, qui præstantissimos Ecclesiarum superioris Germaniæ ministros cõtumeliosissimè habuit: sed præstat facinus insolentissimum silẽtio tegere. Meminerint tamen omnes, quibus datum est in Ecclesia Dei donis præclaris excellere, ad eius ædificationẽ nihil vtilius esse modestia & humilitate, qua olim Apostoli floruerunt: neque vnquam illis excidat, quod Petrus ait: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Docet præterea hæc Timothei commendatio, quod sit præcipuum ministrorum Ecclesiæ officium: hoc nimirum, vt opus Domini agant. Ergo nihil ab eorum officio magis alienum est, quàm si suas res agant, & (quod ad Philippenses scribens in nonnullis Paulus reprehendit) quæ sua ipsorum sunt, quærant. Nemo, qui militat (ait Apostolus) implicatur vitæ negotijs, vt ei qui se in militiam delegit, placeat. Et supra de seipso loquens ministros athletis similes esse vult, qui vt coronam breui perituram accipiant, continentissimi sunt, & ab omnibus abstinent, quæ vires ipsorum eneruare aut attenuare poterant. Quantò magis ergo Christi ministros, qui in hoc felicissimo Ecclesiæ stadio contra diabolum & mundum certant, decet, vt omnibus alijs curis relictis, solius Dei negotium agant? Væhementer ergo peccant, qui relicta Euangelij prædicatione, circa frigidas & inutiles superstitiones occupantur, imagines ornant & vestiunt, lampades & cereos accendunt, organorum concentu aures demulcent, peregrinationibus vacant, vestitu portentoso religionem simulant, ieiunijs non necessarijs sese enecant, & sexcenta alia faciunt, quæ nusquam Dominus mandauit, & quæ Domini opus nullo modo dici merentur. Sunt his proximi, qui in inani cognitione acquiescunt, & nescio quam vitam contemplatiuam sectantur, quæ præter otiosas speculationes & ad inanem sanctitatis simulationem institutas orationes nihil continet. At non in sermone sitũ est Regnum Dei, sed in virtute Spiritus ea agentis, quæ ad opus Domini faciunt. Debent his cõnumerari, qui simul res alienas & Christi ministro indignas agunt, dum videlicet ludis & aleæ infami dediti tempus inutiliter consumunt, dum cum ebriosis & lurconibus comessantur, venationibus student & aucupijs, aut animi gratia hinc inde vagantes totis hebdomadibus à grege suæ fidei cõmisso absunt, & tunc se officio suo probè defunctos esse putant, si diebus Dominicis conciones habeant ad populum, & illis finitis ad sua illa studia non minus turpia quàm vana reuertantur. Sunt hi nequam illi serui, de quibus Matthæi 24. Cap. Christus loquitur, & quibus suam sortẽ cum hypocritis & proditoribus iampridem ille constituit. Quid verò de illis dicendum, qui cùm primi Ecclesiæ antistites & columnæ videri velint, ac insuper Apostolicæ successionis titulo glorientur, adeò tamen non agunt opus Domini, vt id etiam omni cõnatu impediant, simulq; obstent, ne qui sint, qui fida Euangelij prædicatione homines Christo adducant? Sunt hi Scribarum similes, qui clauem scientiæ è medio sustulerant, & nec ipsi in Regnum Dei ingrediebantur, neque alios ingredi sinebant.

Ministri agant opus Domini.

2. Tim. 2.

Admonemur etiam hoc loco, quid ministris fidis debeant Ecclesiæ, & quotquot Christiani veri haberi volunt. Primum est, vt eos tueantur, non prodant: adhæc vt ijsdem adsint auxilio, consilio, aut saltem studio atque fauore, si nihil præterea possint. Fecerunt hoc olim primitiuæ & Apostolicæ Ecclesiæ fideles. Cùm enim Apostoli in carcerem coniecti essent, & commune periculum immineret, non de illorum temeritate aut importunitate conquesti sunt, neque prædicandi libertatem certis legibus circumscribere multò minus illorum capitibus pacem redimere voluerunt, vt hodie aliqui faciendum esse censent: sed precibus illos iuuarunt, & hoc præcipuè à Deo petierunt, vt Spiritu suo eos armaret, vt intrepida & constanti fiducia Verbum Dei prædicare pergerent. Et cùm Herodes Iacobo prius occiso Petrum quoque in vincula coniectum perdere instituisset, Ecclesia cõuentus nocturnos habuit, & pro illius liberatione preces fudit ad Dominum. Etenim, si parentum salus filijs cordi esse debet, non possunt Christiani homines eos negligere, quorum ministerio ipsi in Dei filios regenerati sunt. Exigitur etiam, ne eosdem propter vilem speciem contemnant. Nam si hanc spectemus, semper erit, quod eos contemptibiles faciat, & ex quo calumniandi occasionem

Quid Ecclesiæ ministris fidis debeant.

homines improbi arripiant. Exemplum eius rei memorabile in Iudaeorum gente proponitur, qui & Ioannem Baptistam calumniati sunt, & à dæmonio sustentari dixerunt, quòd vitam viueret austeram, neque victu & amictu vsitato ac vulgari vteretur: ita IESVM CHRISTVM helluonem & bibonem esse clamarunt, quòd inuitatus ad conuiuia accederet, seq; omnibus facilem atq; commodum præberet. Et huius generis multa hodie fiunt, dum infelix mundus alios propter genus & opes exosos habet, alios superbè despicit, quòd obscuro loco nati, vitam in inopia & egestate transigunt. Nihil ergo hîc tutius fuerit, quàm in Dei institutum respicere, qui vt miseris mortalibus consuleret, qui diuinæ maiestatis splendorem ferre non possunt, ex nostro genere ministros deligit, quos Spiritu suo illuminat & regit, vt Verbum suum nobis annuntient, et ad Regni sui hæreditatem nos adducant. Itaque simul doctrina inspiciatur, quæ si ex Dei ore, id est, ex scripturis sacris desumpta fuerit, audiri ac recipi meretur, neq; ei quicquam decedit propter vilem ac ignobilem præconis siue doctoris speciem. Vt enim gemma non mutatur, siue nudam, siue auro, siue cupro aut aliquo viliori metallo inclusam circumferas: ita nobilis illa Regni Dei margarita, Euangelium, natiuam suam vim retinet, quisquis tandem ille sit, qui eam nobis syncere ac fideliter proponit. Merentur ergo honorem debitum ministri, vt alibi Paulus admonet: & eum quidem honorem, qui cum obedientia, quam Dei Verbo omnes debent, coniunctus sit. Quare impios & malæ fidei Christianos meritò eos dicimus, qui illos scurriliter contemnunt: qui item dum res Christiana in tuto est, illorum amicitia & authoritate ad res suas agendas abutuntur, vt primùm verò persecutionum pericula imminent, rabie noua accensi, otium suum & mundi huius amicitiam capitibus illorum pactione non minus sacrilega quàm turpi & inhonesta redimunt.

Apollo excusatur.

Sed vt ad præsentis loci tractationem redeamus, obijcere poterant aliqui ex Corinthijs: Cur verò mittis ad nos iuuenem, nobis hucusque ignotum & rerum nostrarum imperitum? Cur nõ Apollo venit, qui vt ætate prouectior est, ita aliquando apud nos egit & docuit? Fuit enim Apollo (vt Lucas in Actis scribit) vir eloquens, in Scripturis egregiè exercitatus, & disputator acutus atque vehemens, quem ex Epheso Corinthum profectum fuisse, & à Paulo illic plantatam Ecclesiam rigauisse, supra ostendit. Tantæ etiam apud Corinthios existimationis fuit, vt quidam illum Paulo anteponerent, & ab illo potius quàm ab hoc denominari vellent. Ne igitur Paulus putaretur illum consultò neglexisse, quòd vel eius gloriæ inuideret, vel Corinthiorum desiderium frustrari cuperet, excusat sese, & id quidem tanta cum modestia, vt simul ipsum quoq; Apollo omni culpa liberet. Sic enim scribit: Porrò quoad Apollo fratrẽ, multùm precatus sum eum, vt iret ad vos cum fratribus: sed omnino non fuit ei voluntas nunc eundi: venturus est autem, cùm tempus opportunum habuerit. Se illum rogauisse dicit, vt ostendat, non per se stetisse, quò minus Apollo ad ipsos nunc veniat, sed hunc noluisse profectionem istam suscipere. Ne autem sic scribendo inuidiã conflet fratri bene de Ecclesia merito, quasi animum à Corinthijs alienauisset, ipsum quoque excusat & venturum pollicetur, quàm primùm occasio commodior sese offerat.

Acto. 18.
1.Cor.3.

Apostoli collegis non abusi sunt pro suo arbitrio.
1.Pet.5.

Quo loco rursus obseruari debet Apostolorum modestia, qui aliorum ministerijs, non pro imperio abusi sunt, sed erga quosuis præstiterunt, quod Petrus ab omnibus episcopis siue Ecclesiæ præfectis exigit: vt nimirum non dominium exerceant in Clerum, id est, in Ecclesiam, quæ Domini sors est atque hæreditas, sed potius exemplaria sint, quæ totus grex poßit imitari. Paulus equidẽ Apollo rogat & precatur, munus verò hoc detrectantem non odiosè accusat apud Corinthios, sed potius suspicione omni ipsum liberare studet Quòd si Pontifices spectes, qui se eius successores esse gloriantur, longè alios eorum mores esse videbis. Nam in omnes omnium Ecclesiarum pastores sibi ius & imperium vendicant, eosdem in verba sua iurare cogunt, inuitis & reluctantibus mandant quid velint fieri. Quid autem de his dicere attinet, quando ne Regibus quidem parcunt, qui pro ipsorum nutu fœdera inire, fidem datam violare, coniugia contrahere & rursus dissoluere, bella denique extera & ciuilia suscipere, & rursus quando ipsi volunt ab armis discedere coguntur? Exempla eius insolentiæ in historijs paßim occurrunt, & nostris temporibus multa facta vidimus, quæ istis possunt fidem facere.

Sãcti nõ sẽper consentiunt in omnibus.

Deinde admonemur huius loci exemplo, non semper eandem esse sanctorum hominum voluntatem in omnibus, quàmuis quoad communẽ fidei causam & religionis Christianæ principia probè con-

bè consentiant, & in ijs eodem spiritu regantur. Vult Paulus, vt Apollo Corinthum profectus afflictis illic Ecclesiæ rebus opem ferat, & vt id faciat precibus quoque contendit. Sed eius voluntati reluctatur ille, & nullis precibus aut argumentis sese ab instituto dimoueri sinit. Simile quid inter Paulum & Barnabam accidit, quando hic quidem Marcum profectionis ad Ecclesias institutæ comitem assumere vult, ille verò indignum putat, eò quòd prius ipsos temere reliquisset. Quæ contentio eò vsque exarsit, vt abs se diuellerentur, qui prius amici coniunctissimi & innumerabilium laborum atque periculorum socij fuerant. Quibus adnumerari potest, quòd Antiochiæ Paulus Petrum publicè corripuit, quasi non recto pede incederet secundum Euangelij veritatem, quando propter Iudæos eorum consuetudinem declinabat, qui ex gentibus ad Christum conuersi fuerant. Acto.15. Galat.2.

Debent exempla ista obseruari, ne hodie doctorum celebrium dissensionibus offendamur, & propter eas de Euangelij veritate dubitemus. Accidit hoc multis hodie, quos infelix illa inter Lutherum & Zuinglium, fortissimos & immortali laude dignos fidei & religionis Christianæ instauratores, exorta de Cœna Domini controuersia vsque adeò offendit, vt se intra papisticas sordes mansuros dicant, donec litem illam diremptam & è medio sublatam viderint. Quid verò illi ipsi facturi fuerant, si in Apostolorum tempora incidissent, & in Ecclesijs factiosa audiuissent Paulinorum, Cephistarum & Apollonistarum nomina? si item hos quidem pro sola fide iustificante contra Legis iustitiam acerrimè pugnare, illos verò eandem non minus pertinaciter defendere, vtrinque autem Christianum nomen prætendi vidissent? Sunt hæc Ecclesiæ fata, vt dissensionum certaminibus exerceatur, quibus nemo ceu nouis & insolitis offendi debet. Habent enim ista quoque suum vsum, & quidem non pœnitendum. Nam ista occasione diligentius ventilatur Veritas, & multa excutiuntur, in quibus boni quoque inconsultius aut superstitiosius hærerent, nisi in controuersiam & disputationem traherentur. Quod olim factum fuisse constat, quando vtile fuit Legis vsum profundius scrutari, à cuius superstitiosa obseruatione pauci discessissent, nisi controuersiæ illæ ostendissent eam cum fidei iustitia non posse consistere. Idem de Sacramentaria contentione dicere possumus, quæ ad detegendum & euertendum fictitij illius & noui Dei Mayzim cultum vehementer profuit, vt de alijs fructibus, qui inde enati sunt, nihil dicamus. Est præterea hic quoque certaminum istorum vsus, quòd Euangelij præcones suspicione liberant, ne quid ex composito & dolo malo agere videantur. Quis enim sui priuati commodi ergò eos inter se coniurauisse putet, quos in multis alijs dissentire, in solis autem ijs consentire videt, quæ ad Dei gloriam & Christi meritum illustrandum faciunt? Ita ergo nostris infirmitatibus atque vitijs bene vtitur Dominus, cuius sapientiam nos exosculari decet, non temere nobisipsis scandala obijcere. Ne offendamur celebrium virorum dissensionibus.

Postremò, opportunitate oblata demum Apollo Corinthum venire voluit. Debent huius etiam studiosi & diligentes obseruatores esse ministri: & de eo Christus admonet, quando domus suæ dispensatorem constituit, qui non fidelis modò verumetiam prudens sit, & familiæ suæ dimensum suum depromat ἐν καιρῷ, id est, tempore opportuno, dum doctrinam pro temporis & loci ratione auditoribus accommodat. Erat hoc morosis illis & præcipitis ingenij rixatoribus obseruandum, qui tunc demum se zelo ardere & in Domini negotio feruere sibi persuadent, quando nulla vel locorum vel hominum ratione habita, omnia quàm importunissimè faciunt. Solent isti multos offendere & Euangelium illis exosum facere, qui si commodius tractarentur, lucrifieri, aut saltem contineri poterant, vt minus nocerent. Interim minimè eos probamus, qui cùm ignaui & malæ frugis serui sint, prudentiæ titulum sibi vendicant, & opportunitatem nescio quam expectant, quam sibi ad Calendas Græcas dari vellent, ne quid fortiter & constanter agere cogerentur. Sunt hi cunctatores nocentissimi: quia dum prudentes & commodi videri volunt, pulcherrimas rei gerendæ occasiones præterlabi patiuntur. Singuli ergo opus Domini sedulò ac strenuè faciant, & in eo operas suas fideliter conferant, vt olim boni illi & fideles serui fuisse inueniantur, quos in gaudij sui societatem ingredi iubebit æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Ministri occasiones obseruent.

HOMILIA XCIII.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes. Omnia vestra cum charitate fiant.

Antidotum omnibus Corinthiorum vitijs præbetur.

DIsseruit hucusque Paulus de omnibus ijs, quæ in Corinthiorum Ecclesia emendatione opus habebant, & postremò moram suam excusauit, qua suum ad ipsos aduentum hucusque distulerat, commendauit autem quàm diligentißimè discipulum suum & collegam fidelißimum, Timotheum, quem ideo cum literis hisce mittebat, vt quædam apud eos in melius restitueret. His in præsenti doctrinam generalem subijcit, quam antidoti instar vitijs illorum omnibus opponit, & quæ paucis capitibus siue aphorismis omnia complectitur, quæ hucusque prolixius dicta sunt. In eo autem fidi præceptoris, vel potius pij parentis officio fungitur, dum memoriæ eorum consulit, & ea tradit, quæ ipsi sibi subinde occinant, ne de rebus obseruatu necessarijs cogitandi occasio vnquam ipsis desit. Quia autem ijsdem vitijs hodie etiam paßim laboratur, eadem præcepta non minus ad nos pertinere putabimus, vt secundùm ea vitam & mores instituamus.

1. Vigilate.

Principio vigilare iubet. Non loquitur autem de corporis vigilia aut Monachorum matutinis, quæ cùm nihil aliud quàm corporalem exercitationem habeant, parum aut nihil prosunt in æternæ salutis negotio. Itaque ad animum hoc præceptum transferri debet, & similitudine constat, quæ ex re militari desumpta causæ præsenti probè seruit. Est enim vita hæc nostra instar militiæ, & vt in bellis propter hostium insidias & improuisas incursiones atque assultus excubijs perpetuis opus est: ita vt nos quoque semper vigilemus necesse est, quando nobis certamen est perpetuum cum Satana, qui nunquam quiescit, sed leonis rugientis instar semper obambulat, & quærit quem deuoret. Opponitur ergo vigilia, quam Paulus nobis mandat, somno animi, qui non alius est, quàm securitas, qua interni sensus & animi vires constringuntur, vt officio suo non poßint defungi. Vt enim somnus corporis ex vaporibus in caput euectis nascitur, qui cerebri frigiditate repreßi per corpus totum diffunduntur, & sensuum organa inuadunt atque ligant, vt ad tempus in officio cessent: ita in anima hominis simile quid fieri solet. Surgunt enim ex hæreditaria naturæ nostræ prauitate enati peßimarum cupiditatum atque noxiorum affectuum vapores: qui nisi mox vehementiori aliquo spiritus & mentis diuinæ motu excutiantur, ipsam rationem atque intellectum inuadunt & occupant, denique impediunt, ne per necessarias cogitationes discurrere, & ea meditari poßit, sine quibus salus nostra non consistit. Et quemadmodum dormientibus animæ vis imaginatiua siue phantastica omnis generis insomnia gignit, quæ plerunque ridicula & ludicra sunt, aut inanibus terriculamentis nos exagitant (de naturalibus somnijs loquor, non de ijs, quæ Deus interdum immittit, vt de malis impendentibus aut alijs rebus cognitu necessarijs admoneat, qualia Pharaonis, Iacobi, Solomonis, Nabuchodonozoris, & multorum aliorum fuerunt) ita quorum animas sopor ille spiritualis siue securitas occupauit, ij nihil quidem eorum meditantur & agunt, quæ hominem Christianum decent, circa ea autem occupantur, quæ aut voluptati & libidini seruiunt, aut animos curis & terroribus vanis atque inutilibus fatigant. Fit ergo tunc quod in zizaniorum parabola Christus docet: vt nimirum hoc somno exitiali oppreßis diabolus peßimarum cupiditatum suggestiones aspergat, dogmata falsa inuehat, superstitionibus fascinet, & infinita alia obijciat, quæ saluti nostræ officiunt. Et hoc Corinthijs accidisse scimus, qui si probè vigilauissent, neque locum dedissent huic securitati, nunquam tot vitijs & erroribus Ecclesiam illorum aggrauauisset diabolus per suos satellites, pseudoapostolos nimirũ, sectarios & mũdo carnique addictos homines. Opponit ergo hunc aphorismũ illorũ socordiæ Paulus, & vt in posterũ vigilantiores sint admonet.

Somnus animi, securitas.

Hodie vigilijs maximè opus est.

At nos meminisse debemus, præceptum hoc generale esse, & imprimis nostro sæculo conuenire. Huic enim Christus exitialem illam somnolentiam tribuit, quando nouißimorum temporum homines eorum similes fore dicit, qui olim ante diluuium & Lothi sæculo vixerunt. Et si mores spectes quibus hodie viuitur, non tam dormire, quàm stupore plus quàm belluino plerique

superati

superati & oppreßi videri possunt. Grassatur enim paßim impietas, & impunè dicuntur & fiunt, quæ Dei gloriam imminuunt atque impediunt. Dogmata subinde noua inuehunt homines ambitiosi & superstitionibus dediti. In mille locis monstratur Christus, & in mille sectas scißi sunt, qui omnes sub illo, ceu vnico capite, consentire debebant. Feruent paßim bella cùm extera tum ciuilia: nihil à proditionibus & insidijs tutum est. Fiunt prodigia omnis generis, & in cunctis mundi partibus signa ea apparent, de quibus nos Christus præmonuit, & quibus visis iußit capita attollere. Quotus verò quisque est, qui istis excitetur, vt de salute vel publica vel priuata seriò cogitet? Omnes ferè ista negligunt, & vel fortuita esse arbitrantur, vel naturales rerum causas scrutantur, veras autem & in nostris moribus hærentes supina oscitantia prætereunt. Fit ergo, vt quoad aliqua spes, vel potius inanis species quietis affulget, quæ nos à malis impendentibus nonnihil respirare sinit, somno huic nos dedamus, & discipulos imitemur, qui ad montem Oliueti dormiebant interea, dum Christus cum horrendis mortis appropinquantis terroribus luctabatur. Quid ergo miramur, si Iudas & pontificum cohortes nobis submittat Deus, qui nos armata manu excitent, & vel inuitos vigilare cogant? Nobis igitur Paulum loqui putemus, vt & Christum, qui idem monens discipulis dicebat: Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Est autem hæc verè salutaris atque necessaria vigilantia, vt procul relictis mundi huius curis atque studijs, ea meditemur & quæramus quæ Dei sunt, & saluti æternæ seruiunt.

Secundum huius loci præceptum est: State in fide. Perseuerantiam & constantiam requirit, & hanc opponit ipsorum leuitati, qua se tam citò paßi erant adduci, vt relicta simplici Veritatis doctrina incertis opinionibus fluctuarent. Etenim vt omnia alia nunc omittamus, leuitas magna & euidens fidei turpiter vacillantis argumentum fuit, quòd ijs locum dabant, qui mortuorum resurrectionem in dubium vocare audebant, deque ea non absque scurrili dicacitate philosophabantur. Meritò igitur constantiam in illis requirit, quæ vt in omnibus alijs institutis necessaria est, ita imprimis in fide & religione exigitur. Nam Christo teste, qui vbi manum aratro admouerunt, à tergo respectant, non sunt idonei ad Regnum Dei, sed is demum saluus erit, qui in finem vsque perseuerauerit. Qui verò à Veritate agnita deficiunt, & fidem turpiter negant, eorum postrema primis deteriora fiunt. Solet enim ferè leuitas illa abnegandi in peccatum in Spiritum Sanctum degenerare, nisi mox denuo collectis animi viribus ad mentem redeamus. 2. State in fide. Luc. 9. Matth. 24. 12. 2. Pet. 2.

Obseruabis autem, quòd nos non stare modò, sed in fide stare iubet. Atqui fidei fundamentum est Christus, extra quem aliud poni non potest, vt alibi prolixè satis demonstrauimus: Fidei autem regula Verbum Dei est, ex quo illa nascitur, secundùm illud Pauli: Fides ex auditu est, auditus autem ex Verbo Dei. Ergò in fide stant, qui Christo vni fidunt & adhærent, sicuti Dei Verbo edocentur, adeò vt ab huius præscripto se neque ad dextram neque ad sinistram abduci patiantur. Huc enim imprimis pertinet, quod Moses in Lege dicit: Ne deflectas à cunctis sermonibus, quos ego præcipio vobis hodie, neq; ad dextram neq; ad sinistrã, vt eas post Deos alios, & eos colas. Dicuntur autẽ ad sinistrã deflectere, qui aperta contumacia à Dei præceptis resiliunt, ne debitam illi obedientiam præstent. Ad dextram verò deflectunt, quotquot bona animi intentione nouos cultus sibi fingunt, vel etiam Christum longè alium fabricant, quàm in Euangelio ille describitur. Fecerunt hoc olim multi, & quàm difficile sit vtrumque diuerticulum cauere, exempla nostri sæculi infinita docent. Nam etsi plerique intelligant, nulla venia dignos esse eos, qui Deum omnino negant & obsequium omne detrectant, ijdem tamen ferè suis rationibus decipiuntur, & dum sibi licere putant, vt ex suo cerebro fidei articulos nouos constituant, nomen quidem Christi plenis buccis iactant, eiusdem verò merito seipsos spoliant, dum non illi vni fidunt, sed quæ illi vni debetur, gloriam, vel sibijpsis & operum suorum meritis, vel creaturis tribuunt. Non temere ergo Deus tot Legis suæ monumenta in postibus, ianuis & vestibus extare voluit, quæ illam Israëlitis in mentem reuocarent. Et hodie magnus huius aphorismi vsus est, quando vndique omnis generis tentationes nobis obijciuntur, quibus fides nostra oppugnatur. Debent autem in illis nos intrepidos facere promißiones, quibus nos Deus armauit. Apud Isaiam certè, cùm de lapide illo pretioso disseruisset, qui Zionis aut Ecclesiæ fundamentum Quid sit in fide stare? Deut. 28. Isa. 28.

Matth.16.

esse debuit, addit tandem: *Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Et Christus de seipso pronuntiat: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebũt aduersus eam.* Item: *In mundo afflictionem habebitis, sed estote bono animo, ego vici mundum. Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem sæculi.* Ioan.16. Matth. 28.

3. Viriliter agite.

Pertinet huc etiam tertius aphorismus, quo nos viriliter agere & fortes esse iubet. Ἀνδρίζεσθαι Græcis significat ea facere, quæ viros decent. At viri est, non pusillanimũ, neq; molliculum aut formidolosum esse, sed res honestas & factu necessarias magno animo aggredi, neq; vllis periculis succumbere. Ideo expositionis loco subijcit, κραταιοῦσθε, id est, fortes estote, aut robusti. Id verò ad constantiam, de qua modò diximus, imprimis facit, sicuti ad Ephesios Cap.4. Paulus ipse docet, vbi hunc ministerij Ecclesiastici finem omnibus nobis propositum esse vult, vt omnes euadamus in virum perfectum, in mensuram staturæ adulti Christi, & ne amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ, denique vt veritatem sectantes cum charitate, adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus.

Quàm variè hic peccetur.

Peccant ergo in hoc Apostoli præceptũ: Primò, qui nihil certi habent in fide & religione, sed omnia in dubium vocant, & proinde in horas mutantur: quales hodie multos est videre, qui tunc demum se præ alijs sapere putant, si quotidie nouum aliquid in medium proferant, quo euangelicæ doctrinæ Veritas labefactatur. Et hi seipsos sponte impostoribus ludificandos præbent. Deinde peccant etiam, qui ad quámuis periculi qualiscunque mentionem trepidant, neque consolationes admittunt, quas Deus in Scripturis solidas & efficaces nobis offert. Cadit quidem in sanctißimos quoque Dei seruos interdum metus & trepidatio, sicuti in Mose, Iosua, Dauide, prophetis & Apostolis videmus: & Paulus supra se apud Corinthios cum timore & tremore multo versatum fuisse fatetur. In eo autem pij à prophanis differunt, quòd hi omnẽ consolationem respuunt, & in periculis mox desperant, si nullum in humanis præsidium appareat: illi verò Deum consolatorem audiunt, & licet aliquando carnis infirmitate tententur, mox tamen spe noua concepta, eò firmius Deo adhærent, quò minus spei in hominibus reliquum esse vident. Et hi reuera sese viros præbent, cum degeneres animos (vt Poëtæ verbis vtar) timor arguat. Nec minor eorum hîc culpa est, qui animos effæminatos et pueriles produnt morum leuitate, vestitu molliori, incessu fracto, gestibus ad lasciuiam compositis, dictis item & factis petulantioribus. Erant omnia hæc nimis vulgaria apud Corinthios, cùm luxu & libidine diffluerent, & inter sacra habitu prophano ethnicos imitarentur, sicuti Cap. vndecimo audiuimus. Quàm verò incerti rerum in religione fuerint, vnicus resurrectionis mortuorum articulus abunde ostendit, de quo illos dubitauisse constat. Quis autem satis animosos & fortes in periculis eos fuisse crediderit, quibus præcipua adeoque vnica salutis spes dubia atque incerta fluctuabat? Rectè ergo illis hoc antidotum Apostolus adhibet, vt animos viriles induant, & fortes sint in Domino. Et debent hodie etiam à Christianis principibus alienissima esse, quæ modò in Corinthiorum moribus reprehendimus. Illorum enim est salem illum Euangelicum spirare, & eo condire dicta factaq; sua omnia, vt in ipsis glorificetur Pater ille cælestis, qui illos totos sibi consecratos esse vult.

Arguitur nostri sæculi mollicies.

Vtinam verò huius præcepti apostolici perpetuò memores essent omnes ij, qui nomen Christianum profitentur. Etenim si plerosque propius contempleris, mox videbis, quàm procul ab illis animi illi viriles recesserint. Renascente primùm Euangelij luce paßim inueniebantur inter principes viros & vrbium magistratus, inter doctores item & plebeios homines, qui contemptis omnibus periculis nihil non audebant pro instauranda Veritatis doctrina: Condebantur ab illis ipsis bonæ leges contra luxum, intemperantiam, libidinem & alia vitia, quæ cum Christiani nominis professione pugnant: nec minori zelo & feruore ijdem leges abs se conditas defendebant. At quæ nostri sæculi est infelicitas, hodie ad vnius Monachi vocem & Episcopi alicuius personati omnes terrentur, & ceruorum instar arrectis auribus & corde palpitante astant, quidq; faciant nesciunt. In vitijs verò & sceleribus plerique nimium audaces legum omnium laqueos, ceu aranearum telas, perrumpunt. Incessus, colloquia, cantilenæ animos libidini & voluptatibus deditos arguunt. Vestitus verò non mollitiem modò plus quàm muliebrem refert, sed portentosam proteruiam spirat: quo fit, vt hodie Turcis alijsque nationibus exteris ludibrio sint Germani, qui olim à

virilitate

virilitate nomen accepisse nonnullis dicuntur, quod Germani, id est, toti viri sint, & nihil in semetipsis muliebre aut effœminatum habeant.

Restat postremus aphorismus, quem sic enuntiat Paulus: Omnia vestra cum charitate fiant. Oportuit autem hunc prioribus adijci, quia in Corinthijs charitas imprimis desiderabatur, qui eam potissimùm ob causam tam turpiter degenerauerant, quòd à charitate iampridem alieni facti essent. Etenim si huic studuissent, tum neque in sectas suam Ecclesiam distrahi passi fuissent, neq; lites mouissent fratribus apud infidelium iudicum tribunalia, neque idolothytorum esu & sacrorum gentilium communione fratres infirmiores offendissent, neque in Cœna Domini mystica egenos neglexissent, multò minus autē donis spiritualibus abusi fuissent cu publico totius Ecclesiæ scandalo & fratrum suorum contemptu. Ideo grauiter admodum de hac re præcipit. Omnia vestra, inquit: & ita omnes illorum actiones, studia, consilia, vitam denique vniuersam vno verbo compræhendit. Item, Fiant cum charitate. Non dicit: In omnibus charitatem simulate, aut huius officia inuicem verbis blādiusculis pollicemini: sed omnia fiant cum charitate, id est, ita fiant, vt charitatem factis et re ipsa testemini. Facit ad huius loci expositionē, quod dilectus ille discipulus, Ioannes, scribit: Filioli mei, ne diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. Item: Si quis habuerit facultates mundi, & viderit fratrem suū egentem, & clauserit viscera sua corā eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Quibus consentit quod Iacobus de charitate, vero fidei viuentis indicio siue argumento, dicit: Quòd si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu: dicat autem eis aliquis vestrûm, Abite cum pace, calescite & saturemini: non autem dederitis eis quæ sunt apta corpori, quæ erit vtilitas? Itaque ij demum omnia cum charitate faciunt, qui suarum actionum & consiliorum hunc sibi scopum proponunt, vt ijs prosint & subueniant, quos opis indigos esse vident. Et propriissimè hoc de charitate dicitur; quia quàmuis ea in animi affectione cōsistat, tanta tamen eius vis est, vt totum hominem in eius, quem complectitur, obsequium rapiat, & ideo otiari non potest, sed semper cum πράξει coniuncta est, sicuti in parabola Samaritani docemur, qua Christus illius ingenium & effecta omnia depinxit.

4. Omnia cū charitate fiāt.

1. Ioan. 3.

Iacob. 2.

Obseruabis autem, hîc quoque generalem doctrinam proponi, quæ ad omnis loci & ordinis homines pertinet. Est enim charitas propria & communis omnium Christianorum nota siue tessera, ex qua illi dignoscuntur. Hoc est præceptum meum (inquit Dominus) vt diligatis alij alios, prout dilexi vos. Item: Mandatū nouum de vobis, vt alij alios diligatis: sicut (inquā) dilexi vos, vt etiā diligatis alij alios. Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatē habueritis alij in alios. Et in magno illo die, quo omnes ad Christi tribunal sistemur, ex charitatis operibus suos agnoscet ille, qui ipsum fide vera amplexi sunt atq; coluerunt. Quibus adde, quòd ne præstantissimis quidē donis quicquā proficitur absq; charitate, qua de re supra Cap. decimo tertio abūde est dictum. Hæc enim (vt Chrysostomus scripsit) vinculum est perfectionis, radix item atque fons bonorum omnium. Hæc sola affectus prauos corrigit, æmulationem, inuidiam, odium, simultates, iram & huic coniunctam vindictæ cupiditatem restinguit: hæc auaritiæ insatiabiles motus frænat, fraudes, imposturas, rapinas & quæ alia sunt huius generis prohibet: eadem superbiæ spiritus deprimit, & proximi contemptum procul arcet. Per illam denique Lex impletur, quæ tota (vt ipse Christus docuit) sub charitatis geminæ, Dei nimirū & proximi, præcepto compræhenditur. Debet ergo hæc nobis esse totius vitæ atq; actionū nostrarum omniū regula atq; gubernatrix.

Charitatis præceptum omnibus commune.

Ioan. 15. & 13.

Matth. 25.

Cæterùm elucet hoc loco humani ingenij vitiositas & peruersitas. Fatentur enim istud, quod modò diximus, omnes homines: sed quàm pauci charitatis norma in studijs atque actionibus suis vtantur, res ipsa loquitur. Regnat vbique insaturata habendi cupido, quæ omnis generis vitia parit. Comitatur hanc luxus & intemperantia, cum impio pauperum contemptu cōiuncta. Multis verò non satis est hos contempsisse, nisi insuper eosdem deprædentur, spolient, deglubant, vt luxui et fastui suo possint sufficere. Sequitur licentia morum & effrenis legum sanctissimarum cōculcatio. Quid verò de vagis libidinibus dicam, in quibus nulla amicitiarum, hospitalis iuris, affinitatis, cognationis, & sæpe ne religionis quidem ratio habetur? Et cùm hæc communia vitia sint, quibus plerique laborant, alij tamen alijs inuident, quæ causa est odiorum, simultatum, calumniarum, dissidiorum, quæ plerunque ad Ecclesiam & Rempub. redundant, vt lites non necessariæ moueantur,

Ingenij humani vitiositas.

& inter sese hostiliter digladientur, quorum vnanimi coosilio atque consensu pax publica conseruari debebat. Accedunt his malis ius venale, exactiones immodicæ, bella non necessaria, in quibus quæstus honestißimus iam putatur homines innoxios iugulare, prædas agere, sacra et prophana diripere, viduas & orphanos affligere, cædibus deniq, incendijs & stupris omnia miscere. Et horũ fere authores sunt potentißimi orbis Monarchæ, quibus deinde ad tam nefaria flagitia operam suã locant homines venales, qnibus illic ius esse videtur, vbi maxima merces. Quis ergo de nostri seculi Christianis dicere poßit, eos (quod hîc Apostolus monet) omnia cum charitate facere? Quis non potius ea tempora agnoscat, de quibus Christus pronuntiauit: Quia multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum? Item: Cùm venerit Filius hominis, num reperturus est fidem in terra? Queruntur de his omnes, sed qui de remedio cogitent seriò, paucißimi sunt. Remedium verò vnicum & præsentißimum erit, Charitas, si huius ignem omnes animis suis concipiant, & conceptũ mutuis officijs fouere & conseruare pergant. Vbi multùm proderit expendisse diligenter Dei bonitatem & quæ nobis in Christo contulit beneficia. Horum consideratio nos illius amore accendet, quem proximi dilectio mox sequetur. At illorum cognitio ex Dei Verbo hauritur. Huic ergo omnes studeant, & eidem preces coniungant ardentes, vt Deus suam charitatem per omnium corda diffundere dignetur, nobisque largiri, vt ipsius dictata atque iussa secuti olim à Filio suo dilecto, IESV CHRISTO, pro fratribus germanis & cohæredibus agnoscamur, cumque eo in cælis viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Matth. 24. Luc. 18.

HOMILIA XCIIII.

Precor autem vos fratres, nostis familiã Stephanæ esse primitias Achaiæ, & seipsos in ministerium sanctis ordinauisse: Vt & vos subijciamini talibus, & cuiuis operam suam conferenti & laboranti. Gaudeo autem de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam absentiam vestram hi suppleuerunt. Refecerunt enim spiritum meum & vestrum. Agnoscite itaque eos, qui sunt huiusmodi.

Paucis aphorismis nuper Paulus vniuersam doctrinam complexus est, quam tota hac epistola prolixè ac diligenter tradidit: ijdem verò tam fidei quàm vitæ Chrstianæ summam atq regulam perfectißimam comprændunt. Postremum in illis fuit commendatio diligens fraternæ charitatis, quæ nobis actionum omnium & totius vitæ regula atque scopus esse debet. At non satis est doctrinam fidei & salutis in genere proposuisse, nisi eadem locis & personis præsentibus accommodetur. Ideo quod de charitate dixit Paulus, nunc Corinthijs propius applicat, & commendationem subijcit fratrum quorundam, quorum haud vulgaria tam in ipsum quàm totã Corinthiorum Ecclesiam beneficia extabant. Videbat enim non sine dolore æmulos suos rem eò adduxisse, vt minus diligerentur & in nullo pretio essent ij, qui de Ecclesia optime meriti erant, & quorum præcipua debebat esse authoritas. Quod ergo de charitate dixerat, nunc vt quoad istos imprimis obseruent, admonet. Debet itaque ex hoc loco generalis doctrina peti, vt bonam gratiam referamus benefactoribus. Vt enim gratitudinem natura ipsa commendat, quæ huius legem brutis quoque animalibus inseuit, sicuti in iumentis, canibus, imò bestijs quoq, truculentioribus est videre: ita homine ingrato nihil scelestius aut nocentius inueniri potest. Imprimis tamen videndum est, vt in honore & pretio habeatur, quicunque publicè de aliqua Ecclesia aut Repub. bene merentur. Nam præter quàm quòd Lex naturæ hoc iubet, idem salus publica requirit. Ita enim plures alij ad pulcherrimorum exemplorum imitationem excitantur, & illi ipsi in suo studio magis feruent, si hoc agnosci & gratum esse videant. Quibus adde, quòd ijdem prudentia instructi sunt, quam & diuturnus rerum vsus confirmauit, & proinde melius possunt in commune consulere. Sed præmissis his singulas huius loci partes ex ordine videamus.

Charitatis præceptum applicat Corinthijs.

Prima Stephanam & familiam eius commendat. Dictum de his supra Capite primo, vbi eos ab ipso Paulo baptizatos fuisse audiuimus. Magno autem studio & singulari animi vehementia rem hanc agit, dicens: Precor autem vos, fratres, nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ, & seipsos in ministerium sanctis ordinauisse: Vt & vos subijciamini talibus, &c. Suppliciter agit, & perinde ac si ipsius res ageretur, precibus id impetrare studet, quod iure & pro imperio mandare poterat: ita nimirum suo exemplo docens, quàm nobis curæ esse debeant ij, quorum præclara virtus in Ecclesia & Repub. cum publico aliquo emolumento elucet. Quid verò petit? Vt illis subijciantur. Et ne Stephanæ seruilius blandiri, aut primatum quendam ambitiosius instituere videatur, orationem non ad illum solum restringit, sed ad omnes etiam alios extendit, quorum idem sit de Ecclesia & publica salute meritum. Nam dicit: Vt & vos talibus subijciamini, & cuiuis operam suã conferenti & laboranti. Ex quibus verbis apparet, illũ nõ agere de subiectione seruili, qualem posteris temporibus Pontifices inuexerunt, qui ad pedum oscula non modò vulgus Christianorum, verumetiam reges & Imperatores vocant, & eorundem colla impuris pedibus calcare non verentur: omnibus denique pro sua libidine præscribunt & mandant: Sed de legitima obedientia agit, quæ cum reuerentia coniuncta sit, quæque omnibus debetur, qui Ecclesiæ fideliter seruiunt, & negotium Domini agunt, sicuti nuper de Timotheo dixerat. Itaque non aliud vult Apostolus, quàm vt eos, qui tales sunt, pro fidis Christi & Ecclesiæ eius ministris agnoscant, eosdem ament, reuereantur, & eorum pijs monitis, vel potius Dei Verbo ab ipsis prædicato obtemperent. Meretur hoc donorum Dei excellentia, quæ suam existimationem siue honorem habere non possunt, si eos contemnamus, qui illis prædití sunt. Et cum Christianorum hominum sit officium, vt vnusquisq; alium se præstantiorem esse existimet, alijq; alios honore preueniant, quantò magis hoc erga eos obseruari debet, quos singularia Dei dona & propria merita commendant? Sed præstat rationes, quibus hic Paulus vtitur, diligentius excutere. — Stephanam cõmendat.

Prima est: Scitis eos esse primitias Achaiæ siue Græciæ, id est, primos esse, qui in Achaia ad fidem Christi concesserunt; relictis superstitionibus & illicitis Deorum cultibus. Et facit ad huius argumenti confirmationem, quòd ipsos testes sistit, ne quid ex gratia aut alio affectu fingere putetur. Consultò autem primitiarum vocabulo vtitur, vt partim ostendat, hoc ad Dei cultum & honorem pertinere (nam vt supra Cap. 15. diximus, primitiæ Deo sacræ erant, & alibi gentes ad Christum adductæ oblatio siue victima dicuntur) partim illos suo exemplo alijs occasionem dedisse, qua etiam illi ad fidem conuersi & salutis participes facti sint. Vt enim primitias frugum mox messis tota sequitur: sic vbi vnus & alter in aliqua gente fidem Christi recipiunt, mox alij quoque sequuntur, & longè lateq; serpit semel admissa Euangelij prædicatio. Docet hoc Christus parabola fermenti, quod farinæ conspersæ admixtum totam massam breui temporis spatio penetrat, & acore suo sapidiorem reddit. Fuit ergo hæc non vulgaris laus istius familiæ, quòd primi Christum recipiendo Dei gloriam in sua gente illustrarunt, cultum huius inuexerunt, & multis alijs salutis occasionem præbuerunt: & debent meritò tales magni fieri ab omnibus. Si enim gentes in Deorum numerum eos referendos esse putarunt, qui alicuius rei vtilis & necessariæ inuentores erant, aut rempub. primi constituerant: quantò magis honor & reuerentia illis debetur, per quos non huius modò vitæ feliciter transigendæ regulã, verumetiã salutẽ æternam nobis Deus offert? Nemo tamen hoc ita dictum putet, quasi eorum superstitionem probemus, qui in Dei seruos eam gloriam transferunt, quæ solius Christi est, dum ex illis aduocatos siue mediatores fingunt, & salutis patronos, quibus preces & vota nuncupant. Est enim honor ille certis finibus circumscriptus, & in obedientia illa consistit, quæ Dei Verbo, cuius illi præcones siue administri sunt, debetur. — Primitiæ Achaiæ. — Rom. 15. — Matth. 13.

Interim officij sui meminerint ij, quibus hoc à Deo datum est, vt primi in sua gente Veritatis cognitione illuminati Christo nomen dederint: Est illud, vt in fide semel concepta constanter perseuerent, & indies in melius proficientes dignos sua professione fructus ferant. Nam nisi id fiat, primi tandem fient nouissimi: quod Iudæis accidisse scimus, qui cùm olim soli essent Dei peculium & regnum illud sacerdotale, hodie ne vltimi quidem sunt, sed in Ecclesia locum omnino nullum habent: eò quòd leuitate, inconstantia, ingratitudine & contumacia dignitatem suam prosti- — Primi curent, ne fiant nouissimi. — Matth. 20. & 21.

tuerunt. Erat hoc nobis obseruandum ô viri Germani, quos cùm Antichristianæ tenebræ totum orbem longè latéque occupauissent, Deus primos Euangelicæ virtutis luce illustrare & in libertatem filiorum suorum transferre dignatus est. Fuit hæc præcipua nostræ gentis gloria, quam mox multa & præclara alia ornamenta subsecuta sunt. Adhæc multis alijs nationibus occasio data est, qua & ipsæ ad Christi cognitionem adductæ sunt: paucis tamen hoc datum, vt simili libertate & pace fruantur, & principes habeant veros atque fideles Ecclesiæ nutritios. At dum alij populi sub duro episcoporum imperio & regum Euangelio aduersantium tyrannide luctantur, plerique ex nostris securi stertunt, & laudis suæ maiorumque virtutis immemores in peius quotidie proficiunt: quò fit, vt dormientes libertatem diuinitus nobis concessam improborum hominum artibus circumscribi & nobis eripi patiamur: vt de ijs nunc nihil dicam, qui illam turpiter produnt, & vitam viuunt Christiana professione indignam, adeò vt propter illos Euangelium malè audiat apud eos, qui illud nondum intelligunt. Quid ergo nobis aliud pollicebimur, quàm fore, vt ipsi quoque tandem postremi simus, & à nobis Regnum Dei transferatur ad gentem, quæ Dei beneficium maioris faciat?

Stephana seipsum ordinauit in ministeriũ.

Altera ratio, cur Stephanam & familiam eius obseruare debeant, hæc est, quòd seipsos in ministerium sanctis ordinauerint. Quo loco multi curiosè potius quàm necessariò quærunt, annon peccarint isti seipsos ordinando, cùm nemo istum honorem (vt in epistola ad Hebræos scribitur) sibi ipsi vendicare debeat, et alibi damnetur, qui sponte currebant, non expectata Dei vocatione? Atqui nõ loquitur hîc Paulus absolutè aut expressè de solo Ecclesiæ ministerio, sicuti ex eo apparet, quòd de tota familia Stephanæ agit, in qua haud dubiè fœminæ etiã & pueri vel minores natu fuerunt, quorum alios ætas, alios sexus à ministerio Ecclesiastico excludebat. Nam supra prohibet, ne mulieres in Ecclesia loquantur. Deinde non ait, quòd seipsos violenter intruserint, aut imperiosè sibi honorem istum vendicarint: sed ordinandi verbo vtitur, quod erroris aut disputationis causam præbuit, eò quòd posteris temporibus illud ad ordines suos Ecclesiasticos, quibus nihil minus ordinatum inueniri potest, transtulerint Pontifices: In præsenti tamen Apostolus non aliud vult dicere, quàm quòd spontè se addixerint Ecclesiæ ad quæuis officia præstanda, quæ ipsos decebant, & quibus obeundis sufficere poterant. Itaque sensus est: Stephanam & eius domesticos, postquam ad fidem Christianam peruenerunt, se totos Ecclesiæ consecrauisse, vt sanctis, id est, credentibus, qui per fidem in Christum sanctificati sunt, omni officiorum genere pro virili inseruiant. Hoc sensu Caius Ecclesiæ totius hospes dicitur, eò quòd domus eius Christianis omnibus pateret, qui vel incertis sedibus vagabantur, vel certas ob causas profectionem aliquam instituebant. Et ex alijs locis constat, Apostolorum temporibus viduas quoque fuisse, quæ ministeria quædã publico Ecclesiæ nomine obibant, in ægrotis curandis, hospitibus excipiendis, alijsq́ officijs, quæ per mulieres melius & commodius, quàm à viris præstari possunt. De his ergo omnibus in præsenti agitur. Quòd si præterea Stephanas, aut aliquis ex eius familia, ad docendi munus accessit, id procul dubio non absque legitima vocatione & manuum impositione factum est. Rursus autem est hoc præclarum pietatis non vulgaris argumentum, quòd isti Ecclesiam Christi tanti fecerunt, vt non modò fidem cum alijs profiteri voluerint, sed simul omnibus seruire quos suo obsequio & opera opus habere videbant. Procul ergo abfuerunt ab eorum ingenio & moribus, qui non alio proposito ad Ecclesiam veniunt, quàm vt ex ea ditescant & publicis dignitatibus ornentur, cùm interim ignauos fucos agant, neque Deo neque hominibus vtiles.

Rom. 16.

1. Tim. 5.

Virtutes Christianis hominibus propriæ.

Admonentur hoc exemplo Christiani homines, quibus virtutibus laudem siue gloriam veram atque solidam mereri possint. Primò scilicet, si Deum vocantem facilè audiant, neque se aliorum exemplo detineri sinant, qui moras nectunt, dum præ alijs sapere volunt: quin potius alios in hoc stadio salutis præuenire studeant, vt Deo sint primitiæ optatæ & sanctæ. Deinde, si in eo quod bene cœperunt, constanter perseuerent, & indies in melius proficiant: ne ex eorum numero sint, qui vbi manum aratro admouerunt, à tergo respiciunt, quos Christus ad Regnum Dei idoneos esse negat. Postremò, si se totos sanctorum ministerio addicant & consecrent. Sanctorũ nomine Christiani omnes censentur, siue iam pridem mortui, siue adhuc superstites sint: & ideo Ecclesia catholica in Symbolo communio Sanctorum dicitur, eò quòd ad eius societatem omnes

Sancti qui?

pertineant,

pertineant, quos Christus sanctificauit. In præsenti tamen de solis viuentibus sermo est: quia qui iam è viuis excesserũt, vt suo seculo seruierunt & omnibus officijs suis defuncti sunt: ita nostris ministerijs nequaquam opus habent. Inter eos ergo qui viuunt quæri debent quibus ministremus, quiq; nostra ope subleuentur. Facit huc quòd Christus iam mortem aditurus officia ista corporalia, quæ olim ipsi in terris agenti à pijs præstari potuerunt, abs se non in Diuos cœlites, sed in pauperes & egenos transtulit. Qua in re efficacissimum stimulum nobisipsis poterimus adhibere, si cogitemus illos Christo consecratos siue sanctos esse, & proinde malè conferri non posse quæ in illos conferuntur. Et hæc causa est, quòd initio huius Cap. de subuentione pauperum Syriæ fratrum loquens Apostolus, illos sanctorum titulo commendat. At quæ nostri seculi calamitas est, hodie homines superstitiosi multa in Diuos conferunt, qui in cœlis vitam verè beatam agunt, neq; vllo officio nostro indigent, neglectis interim viuis Christi membris, quæ fame & siti & frigore perire sinunt. Fit ergo, quod olim in Babylone factum fuisse Danielis historia testatur, vt impensæ omnes, quas illi in Diuos se facere putant, à crassis monachis & sacrificis intercipiantur, qui & ignaui ventres sunt, & plerunq; turpissima Bacchi atq; Veneris mancipia.

Sed ad Paulum redeamus, qui Stephanæ coniungit Fortunatum & Achaicum, quos similiter Corinthijs cõmendat. Venerant hi ad ipsum in Asiam Ephesum vsq;. Num verò ab Ecclesia missi fuerint, aut sponte sua & Pauli visendi desiderio profectionem illam susceperint, à nonnullis dubitatur. At mihi minimè dubium est, quin eos Corinthij miserint, & vt ita sentiam, rationibus non leuibus adducor. Prima est, quòd ex Cap. 7. constat, publico totius Ecclesiæ nomine ad Paulum literas datas fuisse, quibus eius sententiam requirebant de coniugio & cœlibatu, de diuortijs, de Virginitate & alijs causis ad coniugium pertinentibus. Quia autem per hos ipsos, qui hîc nominantur, epistolam hanc ad Corinthios missam fuisse subscriptio testatur (quàmuis ea quoad loci notationem mendosa sit, vt alibi ostendimus) eosdem ego prius ab Ecclesia amandatos fuisse arbitror. Deinde pro delatoribus habiti fuissent, si sua sponte excurrissent ad Paulum, nec is prudenter per illos epistolam tam grauem & multa reprehensione plenam misisset. Sed & verba Pauli nostram sententiam confirmant, qui illis legationis fideliter peractæ testimonium reddit, sic dicens: Gaudeo autem de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam absentiam vestram hi suppleuerunt: Refecerunt enim spiritum meum & vestrum. Quid verò opus erat hæc toti Ecclesiæ commemorare, nisi ex huius voluntate & sententia ad ipsum venissent? Gratum verò & iucundum sibi fuisse ipsorum aduentum, duobus argumentis docet. Primum est: Quoniam absentiam vestram hi suppleuerunt: Vel vt Græca sonant, Quod mihi deerat quoad vos, isti sarciuerũt suis ergà me officijs, adeò vt vos omnes in illis videre & complecti mihi visus sim. Alterum: Refecerũt, siue recrearunt spiritum meum & vestrum, id est, meum spiritum, qui totus vester, & commodis vestris promouendis addictus est. Potest etiam posterior particula de Corinthiorum spiritu exponi, quod horum quoq; votis sit satisfactum, quando legationem laboris & periculi plenam pro totius Ecclesiæ salute feliciter obierint. Et huc probè facit reficiendi aut refocillandi verbũ, quo illos omni suspicione liberat, ne Ecclesiam ab eis accusatam aut diffamatam esse putet. Ita enim neq; Pauli neq; Corinthiorum spiritum refecissent, sed potius vtrosq; perturbassent. Infert ergo cõmendationis huius statũ: Agnoscite itaq; eos, qui sunt huiusmodi, id est, obseruate & vt fidos Christi seruos cõplectimini. *Fortunatus & Achaicus.*

Est autem multa laude dignissima hæc Pauli mansuetudo, qui Ecclesiæ tot modis distractæ & vitijs pluribus laborantis legatos tanti fecit, vt eos non amicè modò & humaniter exceperit, verumetiam eosdem tanto studio vicissim Corinthijs cõmendet, & se per illos refocillatum esse publicè fateatur. At qui hodie Apostolorũ successores aut Apostolici haberi volunt, tales nunquã admitterent, cùm ne regum quidem potentissimorum legatos in conspectum admittãt, nisi prius cernui & canum instar adrepant, vt pedes eorum exosculentur. Nihil nunc de ea insolentia dicimus, qua seculis aliquot totius orbis Christiani de ipsorum intolerabili tyrannide quiritantis vota per ludibriũ frustrati sunt, adeò vt ex mille oneribus ne vnũ quidem ab infelicis populi humeris remouerint. Et qui Euangelicæ doctrinæ instauratores se esse gloriantur, celebrium Ecclesiarum ministris apud se congregatis dicere ausi sunt: Vos fœtere fecistis Euangelium nostrum. Nescio cuius spiritus istæ voces sint: apostolicum certè nihil spirant aut redolent. *Pauli mansuetudo.*

Ecclesiæ in controuersijs olim Apostolos consulerunt.

Singularem verò considerationem hoc loco meretur veterum Christianorum mos. Soliti fuerunt frequenter de rebus agendis Apostolos consulere, si quæ causa grauior incidisset. Exemplum eius rei memorabile extat Actorum 15. cap. vbi controuersiam de Lege ijs obtrudenda, qui ex gentilismo ad Christum conuersi erant, Ecclesiæ ad Apostolos retulerunt. Ita verò mos ille obtinuit, vt Corinthij, etsi multa apud eos præter decorum fierent, & Ecclesiæ eius facies esset deprauatissima, illum tamen noluerint negligere, quò minus per longa & periculosa itinera legationem ad Paulum miserint. Debebat hoc ipsum hodie etiam obseruari in Ecclesijs. Nam etsi non amplius in terris hisce viuant Apostoli, neq; eos coràm conuenire liceat, extant tamen eorum scripta, quibus nos de Dei voluntate certiores faciunt, & quibus totam Filij Dei doctrinā luculenter & perfectè amplectuntur. Accedunt his Mosis & Prophetarum libri, qui & ipsi dictante Spiritu Dei scripti sunt. Itaq; quoties libet, Concilium cogere licet, in quo de controuersis articulis siue quæstionibus Deum ipsum per seruos suos loquentem audiamus, de quorum fide & authoritate nemo pius aut orthodoxus vnquam dubitauit. Quid autem fit? Priuatim homines superstitiosi ad loca fictis aut fucatis sanctorum reliquijs nobilitata concursant, vbi vel ossa mortua, vel laceras vestes, vel etiam arma nefariæ impietatis instrumenta, quibus illi occisi esse creduntur, deosculantur & colunt, eorundem verò libros & doctrinam, quam sanguinis sui testimonio obsignarunt, securè negligunt, vel etiam mendacij & hæresis accusant, dignosquè iudicant, qui ex omnium manibus excußi exurantur: Publicè verò Concilia coguntur Pontificum, qui se Apostolicos esse dicūt, cùm nihil sit in eorum vel vita vel doctrina, quod spiritum apostolicum referat. Quid ergo mirum, si errores erroribus cumulentur, & in peius paßim omnes proficiant? Remedium mali huius vnicum est, vt secundùm æterni Patris præceptum, Filium eius IESVM CHRISTVM *per suos Apostolos & Prophetas loquentem audiamus, quem ille nobis Regem & Sacerdotem dedit. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XCV.

Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm Aquila & Priscilla, cum Ecclesia, quæ est domi ipsorum. Salutant vos fratres omnes. Salutate alij alios osculo sancto. Salutatio manu mea Pauli. Si quis non amat Dominum IESVM CHRISTVM, sit anathema, maranatha. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI sit vobiscum. Charitas vestra cum omnibus vobis in CHRISTO IESV. Amen.

Postrema epistolæ huius parte Paulus duo omnino agit. Primùm eos commendat, qui præ alijs de Ecclesia bene meriti erant, vt nimirum honorem sibi debitum habeant, neq; audiantur homines maligni & ambitiosi, qui illos vulgò inuisos & suspectos facere studebant, vt ipsi facilius omnia pro suo arbitrio versarent. Et sane vix aliud in Ecclesia & Repub. tam est necessarium, quàm vt eorum authoritas defendatur, qui cum longo rerum vsu industriam coniunxerunt. Deinde in eo est Apostolus, vt amorem mutuum inter Corinthios accendat & foueat. Ad primum pertinet, quòd nuper Stephanam, Fortunatum & Achaicum commendauit. Ad alterum salutationes, quas modò recitauimus, vnà cum epistolæ totius conclusione. Solent enim Apostoli (vt Chrysostomus quoq; annotauit) Ecclesias & harum membra salutationibus mutuis colligere & conglutinare. Nam sunt hæ symbolum amoris, quia benè precando alijs animi nostri propensionem declaramus. Et debet exemplum apostolicum diligēter obseruari, ne in hoc officij genere nos eorum pudeat, qui nobis multò inferiores sunt. Nam vt quidam non ineptè dixit, comis & blanda salutatio conciliat amicitiam, inimicitiam diluit, certè mutuam beneuolentiam auget aluitq;. Ea deniq; occasione frequenter qui procul dißiti sunt, neq; se mutuò vnquam viderunt, ita coalescunt, vt in posterum separari nullo modo poßint. Quod ideo admonemus, ne cui videamur operam ludere in hisce salutationibus excutiendis.

Salutationum vsus.

Prima est: Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Atqui magnum fuit inter Corinthiorum vrbem & Asiæ Ecclesias, quarum caput erat Ephesus, interuallum. Accedebat huic acerba veterum iniuriarum memoria ex bellis Persicis enata, quibus tota Græcia crudeliter afflicta fuerat: & vicissim Græci postea Alexandro duce Asiam totam diripuerant atque vastarant. At postquam vtrinque Christo nomen dederunt, omnium iniuriarum obliti, nunc se inuicem salutant & mutuo amore complectuntur: idque non publicè modò, verumetiam priuatim singuli, sicuti ex eo apparet, quòd paulò post fratrum quoque, id est, singulorum credentium nomine illis salutem dicit. Verè ergo nunc in istis locum habuit, quod Christus de vno ouili & vno grege dicit, ad quem omnes credentes ex diuersis gentibus colligi oporteat. Admonemur itaque hoc exemplo, quàm parum adhuc in religione Christiana profecerint, qui iniuriarum acceptarum nimis bene memores odia fouent, & iampridem obducta vulnera refricant mutuis exprobrationibus. Est vitium hoc nimis vulgare hodie, & vt olim apud Græcos odioso Barbarorum nomine (quod Persicorum bellorum tempore exortum fuisse alibi diximus) peregrini omnes notabantur: ita apud omnes ferè nationes vocabula quædam in vsu sunt, quibus exteri in contemptum & odium adducuntur. Nec satis hoc est multis, si priuatis odijs indulgeant, sed insuper sibi licere arbitrantur, vt Ecclesias totas malitiosè insectentur, adeoque Veritatis doctrinam propter gentem, quæ ipsis inuisa est, temere damnent. At quia Ecclesiarum omnium vnum caput, vnus pastor, vnus Dominus est, IESVS CHRISTVS, *in quo non est Iudæus aut Græcus, Scytha aut barbarus, Germanus aut Italus, Gallus aut Hispanus, non poterit aliqua illarum contemni vel abijci, nisi in ipsum Christum iniuria illa redundet. Nimiùm autem stultè & iniquè de iniurijs, quæ maiores sui olim passi sint, homines conqueruntur, vt odia sua atque simultates excusent. Cùm enim recentes iniurias & quæ nobisipsis factæ sunt condonare oporteat (siquidem Filij Dei & cohæredes Christi censeri volumus) quantò magis eas toto animo expuere & æterna obliuione sepelire debemus, quas ipsi nunquam sensimus, & quæ Christi cognitionem longo multorum annorum spacio præcesserunt?* Ecclesiæ Asiæ.

Secundo loco Aquilam & Priscillam nominat, dicens: Salutant vos in Domino Aquila & Priscilla, cum Ecclesia, quæ est domi ipsorum. De his Lucas quædam annotauit Acto. 18. cap. Fuit Aquila Ponticus genere, & Claudij Cæsaris edicto Roma pulsus, Corinthum concesserat, vbi Paulo illuc venienti hospitium præbuit. Inde Ephesum venit, sicuti ex hoc loco apparet. Estque hìc quasi in transitu obseruandum, non nouum aut insolens esse hodie, si Christiani homines incertis sedibus vagentur, vt sicuti triumphos & magistratus suos numerant homines ambitiosi, qui seculo huic per omnia addicti viuunt: ita illi exilia sua & fugas numerare possint. Ita enim suos exercet Deus, vt discant, se in terris peregrinos esse, patriam autem & ciuitatem permanentem habere in cœlis, ad quam omni studio contendere debeant. Voluit autem Paulus Aquilam nominatim ponere, vtpote hominem Corinthijs probè notum, & vt hunc ipsorum adhuc memorem esse ostendat. Simul verò nouum gratitudinis exemplum hoc loco occurrit. Fuit enim Aquila tentoriorum textor, qui manuum labore victum sibi parabat. Non tamen eius pudet tantum Apostolum, imò dignum iudicat, cuius nomine salutem adscribat Corinthijs, qui in diuitijs & delitijs enutriti inter Græcos alijs multùm præstabant. Ita verò Deus remuneratur quæ suis seruis præstantur officia. Nec enim temere à Christo dictum est: Quisquis vni ex meis discipulis dederit poculum aquæ frigidæ, is non amittet mercedem suam. Cuius promißionis fides cùm infinitis exemplis confirmata sit, vnum hoc multorum instar censeri potest. Quàm enim pulchrè fœneratum est Aquilæ beneficium hoc, quod in Paulum hospitem Corinthi contulit? Immortalem certè gloriam & æternam nominis sui memoriam eo sibi parauit, quam multi insanis pyramidum ædificijs, cruentis & periculi plenis victorijs, & triumphis magnificentißimis nequicquam quæsiuerunt. Aquila & Priscilla. Matth. 10.

At præ alijs, quæ hìc dici poterant, obseruari debet, quod Ecclesiæ domesticæ meminit Paulus, quam Aquila & vxor eius Priscilla domi suæ habuerint. Exponũt hoc nonnulli de ijs, qui apud illum conuenire & cœtus sacros agere solebant. Sed cum paulò ante omnium Ecclesiarũ Asiæ nomine Corinthijs salutem dixerit, vix credibile est, quòd aliquam hìc præ alijs nominare, adeoque alijs omnibus præferre voluerit. Scimus enim Apostolos paßim humilitatis & modestiæ studium commendare, & imprimis cauere, ne qua inter Christianos æmulatio ex ambitione exoriatur. Rectius Aquilæ Ecclesia domestica.

ergo locus iste meo iudicio de familia Aquilæ exponitur, quam homo opulentus & artificium manuarium exercens procul dubio magnam & numerosam habuit. Estq; hæc laus minimè vulgaris, quòd domesticos suos ita instituit, vt Ecclesiam quasi priuatã referrent, & à tãto Apostolo ecclesia dici mererentur. Docet autem locus hîc, quales esse debeant domus aut familiæ Christianorum hominum. Est enim Ecclesia propriè cœtus fidelium, qui sub vno eodemque capite, IESV CHRISTO, coalescit, cuius Verbo atq; Spiritu viuificatur atq; regitur. Quia autem piorum familiæ Ecclesia esse debent, prima vtique in illis debet fidei in Christum cura esse, vt in ea omnes consentiant. Deinde vt ex Dei Verbo renatæ eodem regantur atq; gubernentur necesse est: quia nisi id fiat, nemo illorum Christianus dici aut censeri merebitur. Quæ causa est, quòd Deus olim parentes aut patresfamiliâs inter domesticos suos frequenter de Verbo suo aut Lege, de iudiciorũ suorum exemplis, deq; externorum sacrorum mysterijs disserere voluit, vt iuniores ex priuata seu domestica institutione edocti ipsum timeant & colant. Itaq; is demum paterfamiliâs laudem merebitur, qui domi suæ episcopum siue parochum (vt sic loquar) priuatum egerit: sicuti D. quoq; Augustinus alicubi monet. Tales olim patriarcharum domus fuerunt, templa nimirum & scholæ religionis: quod de Abrahamo non obscurè Deus ipse testatur, quando excidium illud horribile, quod Sodomis & vicinis vrbibus imminebat, illi reuelaturus, inter alia dicit: Hoc scio, quòd mandaturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, faciantq; iustitiam & iudicium, &c. Et in nouo Testamento domus eiusmodi fuisse scimus, Lazari Bethaniensis & sororum eius, Simeonis, & procul dubio Zachæi, Nicodemi, Iosephi Arimathæi & similium, qui ad Christum verè conuersi fuerunt: quibus meritò hunc Aquilam nostrum cum sua Priscilla adnumeraueris. Debebant istorum exempla hodie imitari Christiani homines. Inter gentes certè hoc omnibus persuasum fuit, familias diuinitus conseruari, & ideo penates & Lares suos colebant. At inter eos, qui Christi nomen profitentur, Paucos inuenire licet, qui de hac re seriò cogitent: & quàmuis culpam hanc plerique in semetipsis minimè agnoscant, imò pertinaciter negent, moribus tamen & studijs suis ita produntur & conuincuntur, vt nemo non videat, eos religionis cura nulla teneri. Si enim de Dei voluntate cogitarent, & domesticos suos Ecclesiæ Christi membra esse cuperent, nunquam suæ vel auaritiæ vel petulantiæ atq; libidini tantum indulgerent.

Deut. 6. Psal. 78. Gen. 18.

Osculum sanctum.

Sed ad Paulum redeamus, qui postquam Aquilæ & Priscillæ fratres omnes subiecit, ne quem præterijsse aut contempsisse putetur, addit: Salutate alij alios osculo sancto. Quibus verbis monet, vt quam alij ipsis precentur salutem, ipsi sibi mutuò non inuideant, sed potius mutuo amore sese complectantur. Osculi autem meminit (vt etiam in priori ad Thessalonicenses) vel propter receptum eius seculi morem, qui tamen apud Hebræos magis in vsu fuit, quàm apud alias gentes: vel propter ritum, quo Christiani in Cœnæ mysticæ celebratione sese mutuò osculari solebant, cuius Iustinus Martyr libro secundo sui Apologetici meminit. At osculo animorũ coniunctionem denotari alibi diximus. In præsenti sanctum osculum requirit, vt impura & lasciua excludat, imprimis autem dolum & hypocrisim fraudis atque proditionis plenam, qualia Ioabi olim & Iudæ proditoris oscula fuerunt. Vult ergo, vt quam externis signis profitentur animorum coniunctionem & consensionem sanctè colant atque tueantur. Interim minimè opus est, vt ex huius loci authoritate osculandi mos in Ecclesiam reducatur apud nos, qui illum semper ignorauimus. Conantur hoc Anabaptistæ, ineptum & importunum hominum genus: sed quàm ridiculè, imò quanto cum scandalo id faciant, non opus est dicere, cùm hoc abunde notum sit omnibus. Nec mutari debent temere gentium mores, si modesti sint, & nihil à pietate alienum habeant: vt nec peregrini inuehi debent, qui sua nouitate aliquem poterant offendere. Papistæ quidem osculum pacis ad osseas & pictas tabellas transtulerunt, quæ in Missa circumferri solent. At nihil huius in Cœna sua Christus instituit, neque satis tutum est ab eius institutione discedere. Obseruetur potius mutuum charitatis studium, quod Christus discipulis suis commendatissimum esse voluit, & cuius vinculum externum nobis in Cœna adhibetur, à qua dolum omnem procul remouere debent, quotquot CHRISTI IESV, qui ipsissima est Veritas, discipuli germani esse volunt. Restat postrema Epistolæ pars, quæ tribus membris constat.

Prima subscriptionem habet, propria Pauli manu factam. Nam Amanuensi vsum fuisse, ex vltimo ad Romanos apparet, vbi Tertius nominatur, qui epistolam illam scripserit. Sub finem autem ipse subscribere solebat, & quidem verbis semper ijsdem, vt ad Colossenses ipse testatur, vbi ista leguntur: Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo, &c. Vsus subscriptionum est, partim vt literis fides habeatur, quæ dubia esse poterat, maximè, si aliena manu sint exaratæ: partim vt caueantur falsarij: quod quàm vtile quamque necessarium sit, facilè vident hodie, quibus cum hominibus huius seculi res est, quando mille artibus oculatissimi quiq; interdum falluntur. Et arguit Apostoli tanti diligentia eorum supinam oscitantiam, qui nihil pensi habent, & quiduis fieri patiuntur. Est autem boni viri officium cauere, ne quis sub nominis sui prætextu fallatur. Equidem non superuacaneam fuisse Apostolorum in hac re diligentiam, ex eo constat, quòd illis adhuc viuentibus inuenti sunt, qui eorum nomine abusi dogmata falsa spargebant, & turbas dabant in Ecclesijs: posteris verò temporibus prodierunt homines non minus impij quàm audaces, qui Canones quosdam Apostolicos obtruserunt, quorum plerique tam absurdi & ridiculi, & ab apostolica grauitate adeò alieni sunt, vt mirum sit, aliquem repertũ fuisse, qui illis fidem habuerit. Subscriptio manu Pauli.

Secunda parte contra falsos fratres sententiam profert admodum grauem: Si quis non amat Dominum IESVM CHRISTVM, sit anathema, maranatha. Causa huius sententiæ fuit, quòd Corinthiorum Ecclesia eiusmodi hominibus abundabat, qui cùm fidem in Christum profiterentur, omnia tamen dolo malo agebant, & animis à Christo erant alienissimis. Ex horum numero sectarij erant, qui si Christi fuissent amantes, Ecclesiam eius nunquam in partes lacerassent, quam ille vnã esse voluit. Tales etiam erant improbi illi & muti canes, qui vagas libidines & incestus permittebant: quotquot item sacris alienis communicabant cum fratrum infirmiorum scandalo: omnes deniq;, qui suam potius gloriam & commoda priuata, quàm Ecclesiæ ædificationem spectabant. Istis ergo omnibus in præsenti horribile Dei iudicium denuntiat. Falsi fratres anathematizantur.

At nos hîc ante omnia obseruare debemus, quòd expressè solius dilectionis Christi meminit, & eos anathema pronuntiat, qui illa destituuntur, qualescunque illi sint, aut videri velint, quoad alia. Etenim dicere poterat: Si quis non credit in Christum, si quis ritus sacros non sanctè seruauerit, anathema sit. Sed quia in externis hypocritæ omnium sanctissimi & optimi videntur, adhæc fidei professio vt plurimùm fallit, præsertim quando res secundæ sunt, dilectionem potius quàm quiduis aliud requirit. Hæc enim nunquam fallit, sed vt in secundis inuiolata manet, ita in aduersis & periculis potissimùm sese prodit, vt quæ tunc occasionem & materiam habeat sibi conuenientem. E contra proprius impietatis fons est, animum à Christo alienauisse, ita vt aliquid illo charius & præstãtius habeamus. Nec temere propterea ille Regno Dei indignum pronuntiat eum, qui parentes, vxorem, liberos, fratres, vitam denique propriam magis quàm ipsum amauerit. Lucæ 14. Dilectio Christi potissimum requiritur.

Ne quis tamen hîc seipsum inani persuasione fallat, meminisse oportet dilectionis affectum non otiosum esse, neque illam vel in verbis vel inani contemplatione consistere, sed hominem totum Christo vendicare, vt huic obtemperet. Eius enim verba sunt: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Item: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Et rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et alibi: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Vt enim ij filij demum patrem suum syncero amore complecti putantur, qui eius monitis obtemperant, & quibus nihil grauius accidere potest, quàm si illum offensum videant: ita Christi verè amantes sunt, qui huic obediunt & placere student, frustra autem fide & dilectione eius gloriantur, quibus lusus & iocus est præcepta eius transgredi, quiq; ira eius indicia atq; comminationes contemnunt. At præceptorum Christi (vt alibi docuimus) hæc summa est, vt in ipsum credamus, & exemplum, quo nobis præiuit, sedulò imitemur. Istis ergo studere debent, quotquot illo propitio vti, & salutis illius merito partæ participes fieri cupiunt. Dilectio Christi in quo consistat? Ioan. 14. & 15.

Excitet autem nos, quod in præsenti Paulus minatur, dicens: Si quis non amat Dominum IESVM CHRISTVM, sit anathema, maranatha. De anathemate diximus in epistola ad Roman. Cap. 9. Ita enim non ea modò dicuntur, quæ Deo soli consecrata esse debent, verumetiam Anathema.

ea, quæ ille sit abominatur, vt ijs coli nolit, sed potius gratißimi cultus loco habeat, si prorsus excindantur & aboleantur. Quo sensu de Deorum sculptilibus & eorum auro atq; argento Moses loquens, voce Hærem vtitur, quam Græci per anathema reddiderunt. Sic enim scribit: Sculptilia Deorum igne exures: argentum & aurum, quod in illis est, ne concupiscas, vt tibi tollas, ne fortè impingas in eo: quoniam abominatio est Domino Deo tuo. Ne ergo inferas abominationem in domum tuam, ne fias Hærem siue anathema, quemadmodum illud est: Omnino execreris illud, planeq; ab eo abhorreas. Hærem enim est, id est, res eiusmodi, quæ omnino aboleri debet, ne in rerum natura porrò locum habeat. Ita Hiericho quoq; Hærem siue anathema dicitur, quòd Deus illam funditus excindi & exterminari vellet. Itaq; hoc loco Paulus ijs, qui Dominũ IESVM nõ diligunt, horribile Dei iudicium denuntiat, quo ex Ecclesia excindi & æternæ salutis hæreditate prorsus excludi eos velit.

Deut. 7.

Iosu. 6.

Maranatha.

Adijcit Paulus anathematis denuntiationi, Maranatha. Quam vocem Syriacam & ex duabus compositam esse, D. Hieronymus ad Marcellam docet, & idem esse, quod, Dominus venit. At aliquibus ridiculum, aut saltem mirum videtur, voluisse Apostolum Græco vocabulo & omnibus noto peregrinum atque ignotum subijcere. At nemo hoc insolens esse putet, quando constat in Euangelij libris voces aliquot Hebræas inueniri, quas primitiua Ecclesia (vt D. quoq; Augustinus testatur) non mutari, neque Græcas aut Latinas illarum loco supponi voluit, partim propter sanctiorem authoritatem, partim quòd in sua lingua emphasim quandam habent, quæ nulla alia tam commodè & propriè exprimi potest. Nec obscura aut ignota esse potuit tunc eiusmodi vocum significatio, cùm ijs qui ex gentilismo conuersi erant, paßim cohabitarent & eiusdem fidei socij essent Iudæi, apud quos illæ erant vsitatißimæ. Videntur autem non falli sua coniectura, qui Hebræos existimant voces istas Maran-atha solenni anathematismo subijcere solitos fuisse, vt ostenderent, hunc minimè inanem aut irritum fore: eò quòd Dominus Ecclesiæ suæ & eius ordinario ministerio coniunctus sit, imò venturus sit suo tempore iudex & vindex omnium, qui illud insolentius contemnunt. Et fauet huic sententiæ, quòd supra Capite quinto Paulus Spiritum suum, imò ipsius Christi potestatem, cum Corinthiorum spiritu coniungit, vbi de exclusione hominis incesti agitur. Vobis (inquit) & meo Spiritu in nomine Domini nostri IESV CHRISTI congregatis, cum potestate Domini nostri IESV CHRISTI, tradatur ille Satanæ, &c. In summa ergo hoc vult dicere Paulus, eos qui in Christiani nominis professione ludunt, & fucum faciunt Ecclesiæ, Deo exosos esse, qui nunquam passurus sit, vt eis in Regno suo locus sit, & proinde indignos esse, quibus cum homines Christiani commercia habeant: nec inanem fore, quam contra tales Ecclesia pronuntiat sententiam: quia IESVS CHRISTVS certò venturus sit iudex, apud cuius tribunal omnes sisti oporteat, vt dignas suis sceleribus pœnas exoluant. Conuenit cum his quod Ioannes Baptista dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui verò non credit (siue non paret) Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum. Adde his ipsius Christi dictum: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Terreant nos ista, ne quid per hypocrisim fiat, neue ex eorum numero simus, quos Dominus per Prophetam hoc nomine reprehendit, quòd ore quidem appropinquent, & labijs ipsum honorẽt, corde autem longius ab eo absint. Nihil enim simulatione turpius, nibil illa Deo magis exosum est, quando ne homines quidem probi & ingenui eam ferre possunt.

Lib. 2. de Doct. Christ. cap. 11.

Ioan. 3.

Marc. 16.

Fausta omnia precatur, &c.

Tertia & postrema parte fausta omnia Corinthijs precatur, & simul omnia sua officia illis defert, dicens: Gratia Domini nostri IESV CHRISTI sit vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in CHRISTO IESV. Ita verò mitigat & emollit correptiones omnes, quibus tota hac epistola erga eos vsus fuit, suiq; animi beneuolentiam testatur, ne de suo erga ipsos amore aut studio posthac dubitent: suo deniq; exemplo eos ad mutuam dilectionem excitat. Est autem obseruatu dignißimum Pauli exemplum, qui post tam acres tamq; iustas correptiones suum amorem & omnia Christianæ amicitiæ officia in commune omnibus tam liberaliter offert. Discamus ergo nos quoq; ita irasci hominum vitijs, vt interim dilectionis fraternæ non obliuiscamur. Nam qui alios corripiunt, ij medicos agere debent. Hi dum amara pocula propinant, aut etiam vrunt atque secant, non tamen oderunt ægrotos, qui tam duris remedijs opus habent, sed potius saluti

uorum consulere student. Ita illos facere conuenit, & correptiones suas sic moderari, vt animum amicum & beneuolum non obscuris indicijs deprehendere liceat. E contra qui corripiuntur, hanc animorum medicinam esse cogitent non minus necessariam quàm salutarem, & proinde patienter eam ferant, atque monitoribus fidis sese obsequentes & gratos præbeant. At quia de hac re alibi dictum est, nunc ista sufficiant, & quia hîc Paulus epistolæ suæ finem fecit, nos quoque dicendi finem faciamus.

Meminerint autem omnes, Apostolum hoc scripto errores & vitia Corinthiorum ad Verbi Dei regulam ita correxisse, vt simul generalem doctrinæ Christianæ & Apostolicæ summam complexus sit: quæ non minus nobis seruit, & plus quàm necessaria est, quando eadem vitia hodie etiam vbique regnant. In sectas scissi sunt, qui fidem in Christum profitentur, & in omnium ore sunt factiosa Benedictinorum, Bernhardinorum, Iacobitarum, Franciscanorum, Dominicanorum & plurium aliorum nomina: quibus inter purioris doctrinæ sectatores accedunt Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ, Synergistæ & alij innumeri, in quos Ecclesia miserè distrahitur. Morum disciplina prorsus extincta iacet, & qui fratres eundem tum ipsis Christum profitentes propter leuiculam aliquam dissensionem, & sæpe propter dissensionis speciem, ferre nolunt, ijdem scortatores, adulteros, ebriosos, milites mercenarios, aleatores & grauissimis alijs sceleribus infames facilè ferunt, & pro patronis habent. Litibus iniquis, & morosis potius quàm necessarijs tribunalia omnia perstrepunt. Ambidextri in religione passim dominantur, & summa prudentia censetur fidem cum superstitionibus, & verum Dei cultum cum idololatria miscere. Libidine & luxu omnis ordinis & loci homines diffluunt. Inter Euangelicæ doctrinæ professores, papistici ritus in precando & alijs fidei exercitijs retinentur. Cœna Domini mystica, alijs quæstus, alijs contentionum materia, alijs horribilis animorum atque conscientiarum carnificina facta est. Et cùm nostrum seculum linguarum cognitione, eruditione, eloquentia, alijsq; donis præstantissimis Deus exornarit, illis pleriq; ambitiosa contendendi libidine ad suam ipsorum & aliorum perniciem abutuntur. Quid de resurrectione ex mortuis & vita æterna plerique sentiant, mores eorum corruptissimi & effrenis quiduis patrandi licentia testantur. Pauperes Christi vbiq; locorum neglecti oberrant, & illis fame contabescentibus, ex Ecclesiarum bonis belluantur, superbiunt & ditescunt, qui ferè acerrimi sunt religionis hostes & scandalorum nocentissimorum authores. Et ista quidem in omnium conspectu sic fiunt, vt pudorem omnem absterserit, qui ea negare audeat. Nemo igitur epistolam hanc nihil ad nos pertinere existimet. Eadem est seculis omnibus Dei voluntas, eadem semper Spiritus sancti sententia. Simus ergo in illius meditatione assidui, & eius doctrinam nobis applicemus, vt & vitia nostra corrigamus, & totis cordibus innouati, dilectione non fucata complectamur Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, dilectionem verò eius præceptorum obseruatione diligenti testemur, vt & ille nos vicissim diligat, & vnà cum Patre & Spiritu suo mansionem apud nos faciat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Epistolæ huius doctrina nobis etiam vtilis & necessaria.

IN POSTERIOREM D. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM HOMILIAE.

AVTHORE

RODOLPHO GVALTHERO TIGVRINO.

ACCESSIT *operi Præfatio ad Illustrem & generosissimum* D. LVDOVICVM *Comitem Vuitgensteinium, &c. De Apostolicæ doctrinæ authoritate & perfectione, qua tam ipsa quàm eius ministri contra aduersariorum calumnias defenduntur.* INDEX *item rerum & locorum Scripturæ, quæ toto hoc libro explicantur.*



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS

ANNO M. D. LXXII.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, D. LVDOVICO A SEHEN, COMITI IN VVITGENSTEIN, DOMINO IN HOMBERG, &c. DOMINO SIBI *imprimis honorando*, RODOLPHVS GVALTHERVS TIGVRINVS *gratiam & pacem à Deo patre per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, &c.



VAE causa olim Paulo Apostolo apud Corinthios agenda fuit, vt sui ministerij authoritatem atque publicam Ecclesiæ illius salutem tueretur, eandem hodie quoque ingratus mundus agere cogit fidos IESV CHRISTI seruos, qui puriorem Euangelij doctrinam annuntiant. Exprobrabant Paulo æmuli eius multorum odia & crebras persecutiones, quibus ille vbique locorum exercebatur: & quia toti à carnis sensu pendebant, nequaquam eis probabile videbatur, eam doctrinam à Deo authore profectam & cognitu dignam siue necessariam esse, cuius præco & interpres patriæ genti exosus erat, quem Athenæ, omnis philosophiæ schola celeberrima, ludibrio habuerant, quique hactenus per totam Asiam atque vicinam Macedoniam non minus ignominiose quàm inhumaniter tractatus fuerat. Indignissimum denique hoc facinus esse putabant, si eiusmodi doctorem ipsorum vrbs agnosceret, quæ variarum gentium commercijs clara erat, & totius Græciæ lumen vulgò dici solebat. Accedebat his putidior aliorum calumnia, qui cùm nihil minus quàm Apostoli præsentiam ferre possent, ipsum tamen non verebantur vanitatis accusare, quòd suum ad ipsos aduentum, quem aliquoties illis promiserat, hucusque distulisset. Denique inde occasione arrepta, prioris Epistolæ minas scurriliter eludebant, vt totum eius ministerium contemptui haberent: quasi in eo multa præter officium, multa superbè & arroganter faceret. Vt verò sui semper similis est mundus, neque (vt ipse Dei filius testatur) Spiritum veritatis accipere potest, qui solus nouas in hominibus mentes creat, & ingenij nostri vitiositati medetur: Ita ijsdem criminibus hodie etiam nos grauat, quibus Ecclesiæ suæ ministerium Deus commisit, dum eandem, quam olim Apostoli tradiderunt, doctrinam prædicamus. Quia enim tanta veritatis dignitas, tanta verbi Dei maiestas est, vt vel illius odium profiteri, vel hoc apertè oppugnare impios quoque pudeat, in huius ministros linguas suas conuertunt, & nostram nobis conditionem exprobrant, & ridiculum illis videtur, eos velle credendi & viuendi leges omnibus præscribere, qui ferè obscuro genere nati cum propria egestate conflictentur, & tam suis hominibus quàm exteris exosi sint, hostes verò habeant non principes solùm potentissimos, verumetiam Episcopos, Cardinales, Pontifices, omnes denique eos, qui hodie in terris summam sapientiæ & pietatis existimationem sustinent. Sciunt enim vulgus hominum ab externo splendore pendere, & proinde doctrinam quoque & religionem principum & antistitum authoritate, diuitijs item, successu atque victorijs æstimare. Itaque hoc quasi fundamento iacto, alias calumnias superstruunt, neque illis satis est, si ex dictis factisque ministrorum quotidianis calumniandi occasionem venentur, & hos vanitatis accusent, ipsam quoque doctrinam, quam ex sacræ scripturæ fontibus illi deriuant, non minori impudentia quàm impietate nouitatis suspicione grauant, adhæc falsam, imò impiam & hæreticam, omni denique odio dignam esse vociferantur. Et vt principum quoque animos eius odio inflamment, eandem publicæ paci inimicam esse addunt, neque huius præconibus alium scopum propositum esse, quàm vt oppressa & conculcata prin

cipum & politici magistratus authoritatè ipsi dominentur. In quo argumento vt equi in planitie exultant, dum inuidiosas Reipub. mutationes, nouæ disciplinę leges, ciuitatũ motus & dissensiones, seditiones, bella item tam ciuilia quàm extera cõmemorant, quę ad Euangelij prędicationem hoc nostro sæculo vbiq; gentium exorta sint. Sunt hæc dura auditu, & intolerabilia videri poterãt, nisi eandem cantilenã impios Dei hostes olim Prophetis & Apostolis occinuisse cõstaret, & simul nostram conditionem in hac mundi ad suum finem decurrentis senecta afflictissimam licet, potiorẽ tamen & feliciorem esse videremus, quàm olim illorum fuerit, qui ferè omni externo pręsidio destituti, eos etiam hostes acerrimos senserũt, qui ipsos ex officio tueri debebãt. Etenim hodie magna ex parte debellata est mundi & principis eius tyrãnis, & suę promissionis probè memor Deus Ecclesię suæ passim nutritios atq; tutores excitat, Reges potentissimos & clarissimarum ciuitatũ præfectos, vnà cum multis Illustribus viris, qui vt in suis terris veritati locũ dant, atq; Regi glorię, IESV CHRISTO, portas suas aperiunt: ita authoritate sua multorũ rabiem coercent, ne quod cupiunt effectũ dare possint. Ex quorum numero cùm te quoq; esse sciam LVDOVICE comes, cuius eruditio cum singulari pietate & iudicij dexteritate coniuncta omnibus pijs probè perspecta est, nõ indignè feret, sat scio, humanitas tua, si de tota hac causa, quæ ad omnes veritatis amãtes ex ęquo pertinet, aliquantò diligentius tecum conferã. Ità enim spero fore, vt qui nobis hactenus iniquiores fuerũt, illustri tui nominis splẽdore excitati nos benignè audiant, & non solùm administrorũ Euangelij innocentiã, verumetiam doctrinę eius veritatem cognoscãt, quam tu cum multis alijs tui loci & ordinis illustribus & generosis viris amplexus es, & non minori cõstãtia quàm fortitudine tueris.

Exprobratur Euãgelicę doctrinę ministris obscura & calamitosa quam in hac vita sustinent conditio. At poteramus nos (si nulla alia ratio nobis reliqua esset) exemplis vulgaribus & multis sæculis confirmata huius mundi consuetudine excusare: & mirũ est, homines sapientes & multo rerum vsu exercitatos, contra nos argumẽtò vti, quo nullum absurdius & infirmius excogitari poterat. Quis enim adeò stupidus est, vt nõ videat, ita inter homines comparatũ esse, vt optimi quiq; multis odio sint, & ferè pessimã gratiam ab illis referant, quorũ saluti quàm maximè consultum volunt? Et sanè poterat hoc tolerabile videri, si priuati modò homines hoc facerent, non autẽ celeberrimæ ciuitates & populi de Repu. optimè meritos indignissimè tractarent: quod omnibus sæculis accidisse, omnium gentium historiæ & clarissimorum virorum exempla testantur, ex quibus paucula quædam recitare libet. Neminem certè Lycurgo aut maiorẽ aut vtiliorem virum Lacedæmon genuit: vtpote cui Apollo Pythius oraculũ petenti respondisse fertur: Nescire se, vtrũ illum hominũ an Deorum numero aggregaret: Huic tamẽ neq; summa vitæ synceritas, neq; constãtissimus patriæ amor, neq; salubriter excogitatę leges auxilio esse potuerũt, quò minus ciues suos infestos experiretur: à quibus sæpe lapidibus petitus, aliquãdo à furiosa multitudine oculo priuatus, ad vltimũ patrio solo pulsus est. Poterat hoc gentis vitio accidisse videri, quæ neq; artibus bonis, neq; multo rerũ vsu, neq; morũ ciuilitate exculta, nihil præter suã Spartã & vitæ genus durũ atq; frugale nouerat, nisi Athenienses, prudentissimi viri, penes quos sæculis aliquot summam doctrinæ & sapientiæ gloriã fuisse scimus, & in quorũ foro aduersus ingratos actionem iniuriarũ instituere licebat, simili ingratitudine in suæ Reipu. vindices atq; tutores peccauissent. Nam si à Theseo exordiare, qui primus vicatim dispersos ciues in vnam vrbem collegit, & populũ agrestem ad amplissimę ciuitatis formã reduxit, qui seua potentissimi Regis Minois imperia iuuenis adhuc fortiter repressit, qui effrenẽ Thebarum insolentiã domuit, qui deniq; quicquid vbiq; monstri aut sceleris fuit, virtute animi & robore dexteræ communi

nuit. Idẽ tamen ille ab ingrata patria eiectus in Scyron obscuri nominis & se multo minorem insulam confugit, vbi ex alta rupe præcipitatus vitam crudeliter finijt. Non absimilis multùm Solonis sors fuit, qui cùm Pisistrati tyrannidem primus vidisset surgentem, & solus eam armis opprimi debere publicè dictitare ausus fuisset, Salaminia item Reipub. ex propinquo hostiliter imminentem recuperauisset, leges insuper tulisset, quibus si vti voluissent Athenienses, stabile & felix habituri fuissent imperium, tandem vrbe profugus senectam in Cypro exegit, neque eius ossa in patria, de qua optimè meruerat, sepeliri contigit. Quid verò de Miltiade dicemus, quem ijdem post trecenta millia Persarum in campis Marathonijs deuicta, in tetro carcere & duris vinculis mori coegerunt, & ne corpus quidem sepulturæ mandari prius passi sunt, quàm filius eius Cimon ijsdem vinculis se constringendum præberet. Themistoclem item, cuius virtute ad Græciæ imperium euecti fuerant, eorundem improbitas compulit, vt ad Xerxem, quẽ paulò ante destruxerat, perfugere necesse haberet. Et ne nõ semper sui similes essent Athenæ, postea Phocionem quoq; præstantissimum virum, deq; omnibus priuatim & publicè optimè meritum, non eculeo solùm imposuerunt, sed mortui cadauer extra Atticæ regionis fines exportari mandarunt. Nec melior fuit apud Romanos eorum conditio, qui illud imperium sua virtute amplissimum fecerunt. Nam ab his quoq; Camillum relegatum fuisse: Scipionem Maiorem, vt iniurias grauissimas declinaret, võluntarium exilium sibijpsi indixisse: Asiaticum peculatus reum, & in carcerem abductum: Africanum domi suæ impunè occisum: Nasicam spontè Pergamũ secessisse legimus: vt iam de Cicerone, Pompeio, Catone & alijs infinitis nihil dicamus, quorum virtus cum prius omnibus admirationi, Reipub. autem vtilissima fuisset, ipsis nihil præter odium exitiale & infamiam peperit. Adde his Bellisarium, quem post victos Persas, Vandalos & Gotthos, post recuperatam Africam & Italiam cum vrbe Roma, denique post infinita in Rempub. merita Iustinianus Imperator opibus, dignitatibus & oculis quoq; spoliatũ stipem mendicare coegit. Hæc (inquam) & alia huius generis innumera pro causæ nostræ defensione adduci poterant, ex quibus cuiuis cordato facile est colligere, nemini hoc debere mirũ videi, si pro diuinis & cœlestibus beneficijs, quæ cùm humani ingenij captum superent, ab hominibus mundo & carni deditis non possunt magni fieri, sese ingratos præbent ij, qui eorum tam iniqui sunt æstimatores, quæ sensibus percipi, & à brutis animantibus agnosci possunt.

Sed nolumus huic argumento insistere, ne quis Dei seruos à gentium heroibus nihil differre arbitretur, qui cùm veri Dei cognitione destituti essent, nihil spectarunt præterquàm quæ vel Reipu. vtilia, vel sibi honorifica & gloriosa esse putabant. Sunt enim alia maioris momenti, quibus causam nostram tueri possumus. Inter quæ primum occurrit Domini nostri IESV CHRISTI de mundo testimonium, quo huius opera praua esse, & ideo eundẽ verbi Dei lucem odisse testatur, cuius fulgore illa argui sentiat. Quò magis ergo cõtra nos fremunt homines, qui pręter mundi honores, opes, voluptates nihil sapiunt, eò clarius apparet penes nos esse lucem illam cœlestem, cuius splendorem infelix mundus odio implacabili persequitur, & extinctum cupit. Itaq; quod illi contra nos depromunt argumentũ, nos in ipsos retorquemus, atq; eo nostræ fidei & salutis certitudinẽ, doctrinę item Euangelicæ veritatem euinci posse dicimus: Quod olim sapientissimus ille & maximę apud Iudęos authoritatis Senator Gamaliel obseruare potuit, qui cùm suam sentẽtiã de Apostolis & tota re Christiana rogaretur, in hæc verba respondit: Abstinete ab hominibus istis, & sinite eos: quoniã si ex hominibus est consilium & opus hoc, dissoluetur: sin ex Deo est, non poteritis dissoluere: ne fortè etiam cum Deo pugnare comperiamini. Quia ergo quæ ab hominibus in-

stituuntur, sponte collabi, & vbi primus ille impetus deferbuit, paulatim intermori solent, Christiana autem fides, & quę ex Euangelij fontibus hauritur doctrina, tot iam sęculis ab ipso mundi exordio oppugnata, nullis in hunc vsq; diem armis, & ne exquisitis quidem immanissimorum tormentorum cruciatibus extingui potuit, illam ex Deo esse, & diuinæ virtutis patrocinio defendi liquidò constat, Dei autem hostes, aut saltem irrisores esse eos, qui nos ideò damnant, quòd ille in nobis seruandis suæ virtutis specimina edit.

Deinde quod nobis hodie accidit, hoc ipsum omnibus ferè Dei seruis à prima conditi mundi origine accidisse constat, quorum memoria adhuc hodie apud aduersarios quoq; nostros pretiosa & plus quã honorifica est. Quis enim nescit Abelum propter solam religionem & fidem, qua promissum humani generis seruatorem amplexus est, à Caino fratre crudeliter esse obtrũcatum? Quis Abrahami, Isaaci, Iacobi & similium labores ignorat? Vel num Mosis & Aaronis causam deteriorem quàm Pharaonis fuisse putabimus, eò quòd hoc inter regias opes & lætos omnis loci & ordinis hominũ applausus exultante, illi duris laboribus & grauissimis periculis impliciti non tam Ægyptios sibi infensos, quàm Israelitas ingratos & iniquos murmuratores esse experti sunt? Num item Baalis mystas & horũ socios pseudoprophetas Dei seruis præferemus; quòd illi regio fauore superbi ex Regis culina splendidè epulati sunt, interea dum isti in speluncis abditi solo pane & aqua victitarunt? Deniq; num sacerdotum & scribarum doctrinam Apostolica præstantiorem esse aliquis meritò dixerit, quòd illi quidem rerum potiti & pręsidum Romanorum armis defensi sunt, hi verò omnes eos sibi infestos habuerunt, qui publicæ authoritatis splendore cõmendabantur? Aut dicant saltem nobis aduersarij nostri, cur veteres illos Dei seruos cultibus diuinis prosequantur, si quam nos ex illorum ore & scriptis annuntiamus doctrinam damnant, nosq; propter eam odio & supplicio dignos esse iudicant? Certè aut illos etiam odisse eos oportet, aut nobis ab ipsis iniuriam fieri fatebuntur.

Sed ne istorum quidem exemplo solo nos tuemur, imò potius æterno Dei decreto gloriamur, qui vt Paulus ad Roma. scribit, dum nos omni afflictionis genere exercet, nos imagini filij Dei IESV CHRISTI conformes facit, vt qui simul cum eo patimur, simul cum eodẽ glorificemur. Priusquam ergo nos damnent aduersarij, Dei filium damnent necesse est, qui eadem passus suo exemplo nobis præiuit, vt olim cum ipso glorificati, cœlestis vitæ & regni cohæredes efficiamur. Quod cum aduersarij nostri videre nolint, non solùm Gamaliele & eius collegis stupidiores sunt, sed se Corinthiorũ similes esse declarant, qui & ipsi exerentem se se inter tam multa tamq; grauia Pauli certamina diuinæ veritatis splendorẽ atq; inuictam virtutem non potuerunt agnoscere. Nos verò illorum cæcitas adeò nõ offendit, vt potius nobis hoc nomine gratulemur, quòd nos dignos iudicet Deus, qui pro Filio eius persecutionem sustineamus; eoq; maiorem scimus esse hanc nostram gloriam, quòd quas nostris vitijs merebamur pœnas, Deus pro sua plus quàm paterna bonitate in crucem Filij sui & saluberrimam carnis nostræ disciplinam conuertit, qua huius vitiositas coerceatur. Hac enim ratione non solùm crucis eius socij efficimur, sed simul incredibilem illam diuinarum cõsolationum dulcedinem sentimus, quæ nos nouis indies viribus armant, vt per omnes aduersorum fluctus eluctari & his superiores fieri possimus. Nobis enim cum Paulo dicere licet: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita abundat per Christum consolatio nostra: ideoq; iustificati ex fide, non solùm gloriamur sub spe gloriæ Dei, verumetiam in afflictionibus, scientes, quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem spem; porrò spes non pudefacit, quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus

est nobis. Hanc crucis nostræ gloriam quia infelix mundus videre non potest, nobis illud exprobrare solet, quo nostræ salutis fiducia atque certitudo quàm fortissimè nititur.

Quia autem vident aduersarij quàm elumbis sit hæc exprobratio, & quòd optimi quiq; eos, qui alijs calamitosiores sunt, cõmiseratione potius quàm insultatione aut opprobrijs dignos esse sentiũt: ipsam doctrinam, quam profitemur, calumnijs suis in odium adducere, aut saltem bonis suspectam facere student. Eam ergo nouitatis insimulant, vt quæ ante LVTHERI & ZVINGLII tempora à nemine vel audita sit, vel cuiquam mortalium in mẽtem venerit: ex eo autem eandem falsam quoq; & hæreticam, impiam deniq; & bonis moribus inimicam esse colligunt. Qui verò alijs modestiores sunt, veram quidem esse fatentur, sed perfectam esse negant, vt suarum traditionum assumentis locum reliquum faciant. At facilis est ad ista responsio. Nam vt multa alia omittamus, solum doctrinæ nostræ argumentum istis confutandis sufficit. Quia tamen ipsi se Apostolicos dici volunt, & nos similiter doctrinam nostram Apostolicam dicimus, aliquantò altius res erit repetenda.

Apostolos æterni filij Dei, IESV CHRISTI, in terris agentis discipulos & ab eodem orbis totius doctores factos fuisse, inter nos conuenit. Fatemur item vtrinque illos spiritum sanctum cœlitus accepisse, qui quæcunq; prius ex Christi ore audierant, ipsis in mentem reuocauit, eosq; in omnem veritatem induxit. Doctrinæ, quam tradere debuerunt, argumentum ipse Dominus vno verbo complexus est, quando iussit vt Euangelium prædicent. At Euangelium Paulus sermonem reconciliationis vocat, & Ioannes idem illud testimonium Christi dixit, ideoq; illud alibi ita definiuimus: Euangelium est testimoniũ siue prædicatio gratiæ Dei, nobis in Christo æterno Dei filio exhibitæ: qui vt olim Deus promiserat, & futurum prophetę prædixerant, homo factus, quam nos luere debebamus peccati noxam in se transtulit, eandem mortis suæ merito expiauit, & ex diaboli seruitio redemptos Patri suo consecrauit, vt ex huius verbo per spiritus virtutem renati, eidem viuamus & seruiamus per fidei obedientiam, & tandem regni cœlestis hæreditate fruamur. Continet ergo Euangelij doctrina historiã filij Dei in carne manifestati, & eiusdem fructum. Hunc ipse discipulis in pœnitentia & remissione peccatorum indicat, dicens: Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes. Cum quibus conuenit quod postea de Christo Apostoli in Senatu Hierosolymitano dixerunt: Hunc Deus dextera sua euexit in principem ac seruatorem, ad dandam resipiscentiam Israeli ac remissionem peccatorum. Quam doctrinam illi & ore prædicarunt, & scriptis mandatam ad posteros transmiserunt, vt omnibus sæculis constaret, quæ doctrina in Ecclesijs retineri debeat. Eandem verò hanc in nostris Ecclesijs tradi, & à nobis defendi nemo negauerit, qui vel nos docentes audiuit, vel libros nostros legere dignatus est. Etenim IESV CHRISTI historiam non (vt quidam solent) ex Monachorum lacunis, qui illam fabulis non minus impijs quàm ridiculis atque anilibus corruperunt, sed ex Apostolorum libris petitam populo proponimus. Pœnitentia autem omnino opus esse docemus, quæ totius hominis ad Deum conuersio est, & illius mortificationem atque innouationem continet. Quia verò seipsum innouare aut conuertere nemo potest, illam totam in Christo monstramus, qui vt hãc gratiam nobis apud Patrem meruit, ita quæcunq; ad illam necessariò requiruntur in nobis suo spiritu efficit. Eiusdem meritum atque donum est gratuita peccatorum remissio: & quia tam ipse, quàm eius dona nõ aliter quàm fide appræhendi possunt, hominẽ sola etiam fide

in Christum iustificari, id est, ab omni peccatorum reatu absolui docemus: quod præcipuum Apostolicæ doctrinæ axioma esse, pro quo illi acerrimè pugnarunt, primò Synodi Hierosolymitanæ decretum, quod Lucas Acto. XV describit, deinde eorundem epistolæ atq; conciones testantur. Ne quis verò vel fidem hanc in otiosa contemplatione consistere, vel ex gratuita peccatorum remissione quiduis audendi licentiam enasci putet, illam firmum & constantem animi assensum esse dicimus, quo ita appræhenditur Christus, vt nobis vnitus in nobis agat, totumq; hominem suo obsequio & seruitio vendicet. Doctrinæ huic sacramenta coniungimus, non quidem quæstuosa illa, quæ Romani Pontifices fabricarunt, sed quæ Christus instituit, pauca numero, & vt D. Augustinus ait, obseruatione facillima, significatione præstantissima, vsu saluberrima: Baptismum scilicet, quo initiati in Ecclesiæ societatem adoptamur, & Cœnam mysticam, quæ mortis eius commemoratio & nostræ cum ipso communionis symbolum, adeoq; redemptionis per illum factæ sigillum est. Hæc cùm olim ab Apostolis tradita sint, & ijdem nullis alijs traditionibus Ecclesiam grauarint, nos quoq; ista nobis sufficere putamus, neque veremur nostram Ecclesiarum doctrinam Apostolicam dicere.

Calumnia ergo est non minus impudens quàm falsa, qua aduersarij eam nouitatis crimine grauant, & priusquam LVTHERI ET ZVINGLII nomen audiretur, Ecclesiæ cognitam fuisse negant. Est quidem hoc illis dictu facillimum, sed verè ab illis dici tunc demum probare poterunt, quando scriptis Apostolicis omnem fidem abrogauerint. At quid de Apostolis dico, quando ne hi quidem primi eius authores sunt, neq; cum Christo demum in carne nato cœpit, sed ipso mundo & omnibus sæculis (si ita loqui liceat) est antiquior? Num quid enim æterno Dei decreto antiquius fingi potest? Atqui per illud nobis Christum à Patre seruatorem destinatum, & nos in eodem, priusquam mundus hic crearetur, electos fuisse Petrus & Paulus testantur, idq; primis parentibus facta promissio euidentissimè docet. Cùm enim isti peccassent, & se mortis æternæ supplicium meruisse sentirent, toto animo consternatos hac vna consolatione Deus subleuauit, qua semen mulieris pollicitus est, à quo serpentis caput conculcari, id est, diaboli vires atque regnum euerti, & humanum genus ex eius tyrannide redimi oporteat. Cur verò semen mulieris, phrasi prorsus noua & insolita, vindex ille dicitur? Non alia nimirum ratione, quàm quòd æterno Dei decreto prædestinatus, absque viri congressu ex casta & incorrupta virgine homo nasci debuit. Quem verò dabis, etsi omnium gentium historias euoluas, omniumq; quotquot vnquã fuerunt, genealogias à longè repetas, qui ad eum modum natus sit? Neminem certè præter vnum IESVM CHRISTVM, qui spiritus sancti virtute in vtero Mariæ virginis conceptus, & illæso eiusdem virginitatis flore Bethlehemi natus, tandem suæ mortis merito peccatum expiauit, resurrectione autem sua mortem & inferos deuicit, regnoq; diaboli destructo miseros nos in libertatem filiorum Dei asseruit. Eam ergo fidem, quam nos hodie profitemur, Deus ipse Adamum in paradiso docuit, quam hic proculdubio filijs & posteris suis omnibus commendauit, & qua Abelum Deo placuisse, Apostolus ad Hebræos testatur. Et hoc illud æternę salutis pactum est, quod cùm in diluuio abolitum videri posset, Deus cum Abrahamo, quem ideo ex Chaldæa euocauerat, instaurauit, circumcisione obsignauit, typis legalibus adumbrauit, & tandem prophetarum oraculis amplius illustrauit, quibus illi, vt æterni Dei interpretes, quæcunq; promissus ille humani generis vindex pro nobis facere & sufferre debuit, prædixerũt. Testimonia, quę hîc infinita adduci poterant, consultò præterimus, quia plerisq; nota sunt. Hoc verò in Prophetis multa consideratione dignissimum est, quòd de Christo ita vaticinantur, vt populum à circumcisione simul & templo atq; sacrificijs reuocent,

& omnem salutis fidutiam siue spem in illo solo collocare doceant. Obseruarunt hoc vetustissimi scriptores, ex quorum numero Eusebius priscos Patres nō verentur Christianos dicere, eò quòd non aliam fidem secuti sint, quàm eam cuius subiectum est Christus, quem suo tempore ipsis quoq; redemptorem venturum esse credebāt. Et D. Augustinus cùm in libro de vera Religione scripsisset: Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est, &c. postea libro 1 Retract. cap. 13 hoc dictum non de ipsa re, sed solo nomine Christiano intelligi debere docet. Nam res (inquit) ipsa, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousq; ipse Christus veniret in carne, vnde vera religio, quæ iam erat, cœpit appellari Christiana. Cùm enim eum post resurrectionem ascensionemq; in cœlum cœpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani. Propterea dixi: Hæc est nostris temporibus Christiana religio: non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit. Hæc August. Quòd si verò Christiani fuerunt veteres illi, qui ante traditam circumcisionem & institutum cultum Mosaicum vixerunt, qui item prophetarum monita secuti, salutis fiduciā in vno IESV CHRISTO tandem venturo repositam habuerunt, nimiùm profectò temerarij sunt, qui hodie nos doctrinam nouā tradere calumniantur, quando vnum Christum prædicamus, qui solus nobis pœnitentiæ & remissionis peccatorum Mediator sit. Etenim si illi audiri debent, nouum fuit quod Apostoli tanta cum fiducia pronuntiauerunt, Non esse præter Christum aliud nomen sub cœlo inter homines datū, in quo nos seruari oporteat. At multò iustius nouatores dici debent, qui salutem in Missis, ieiunijs, ferijs, preculis emptitijs, vita monastica, satisfactionibus, suffitu, cereis, cilicijs, chameunijs, indulgentijs, peregrinationibus, Diuorum intercessione & inuocatione, igne purgatorio, exequijs & sacris funebribus alijsq; sexcentis quærunt, quæ aliquot demum post Apostolos sæculis instituta sunt, quorum item authores (si ita opus sit) nominari, & quo quisque tempore vixerit, demonstrari poterant.

At quæ hucusq; commemorauimus, doctrinam de Christo non solùm nouitatis verumetiam falsi crimine liberant. Constat enim scriptorum omnium qui extant, antiquissimum esse Mosem, qui sæculis aliquot Orpheum, Musæum & Homerum præcessit, quorum monumenta vetustissima habentur. Excitauit hunc Deus afflictissimo tempore, quando nimirum Israelitæ, penes quos tunc erat Ecclesiæ titulus, dura Ægyptiorum tyrannide premebantur, & plerisq; propter diuturnam cum prophanis hominibus consuetudinem promissionum veterum obliti à cultus quoq; synceritate desciuerant. Tunc (inquam) Mosem illis dedit Deus, qui non solùm oppressos in libertatem assereret, sed insuper creati mundi historiam & patribus datas promissiones literis mandaret, ne istarum rerum cognitio prorsus aboleretur. Quod si verò ille rem nemini mortalium prius auditam vel cognitam attulisset, num aliqua dictorum eius fides esse poterat apud homines non omnino stupidos & væcordes? Sed reliqua adhuc erat apud eos, qui non omnem pietatis sensum exuerant, traditionum à patribus acceptarum cognitio: neque dubium est in multorum ore fuisse Dei oraculum, qui posteros Abrahami annis quadringentis seruitium graue passuros esse prædixerat, quibus euolutis in libertatem essent vindicandi. Quia ergo nihil nouum aut insolens promittebat Moses, facilius fidem inuenit apud miseros, qui in humanis spem salutis nullam superesse videbant. Vt tamen irrefragabilis esset eius authoritas, eam miraculis & signis insolitis Deus confirmauit. Nam vt quæ in Ægypto dira & horrenda ædita sunt omittamus, quis obsecro Israelitarum legis doctrinam Deo authore

proditam esse dubitare potuit, qui Sinai montem nubibus præter morem contegi, ignibus nouis fumare & motu terribili contremiscere viderant, tonitruum fragorem & tubarum immane resonantium clangorem audierant, & ipsius Dei vocem intolerabili cum maiestate nō tam aures quàm animos penetrare senserant? qui denique Mosis à Dei colloquio redeuntis facie Solis instar radiante territi, oculos in illam non poterant intendere? Quis ista humanis artibus aut quacunque ratione naturali fieri putasset? Accesserūt his dira exempla, quę in eos ædita sunt, qui se Mosi proteruius opponere audebant: vtpote Mariæ sororis lepra, horribilis Coræ & coniuratorum eius interitus, quodque vniuersa illa multitudo, quæ ex Ægypto exiuit, propter perpetua murmura & incurabilem contumaciam in deserto miserrime absumpta perijt. Quorum omnium historiam nisi Moses verissimè descripsisset, quis Israelitas tam multa tamque grauia gentis suæ probra adeò patienter ferre voluisse putet, vt ea suo silentio approbarent? Sed rei veritate conuicti ea negare non potuerunt, quæ in totius populi conspectu, ita vt ab illo descripta sunt, gesta fuerant. Quis verò illum in aliorum rebus aliquid finxisse putet, qui ne suorum quidem infamiam dissimulare voluit? Etenim suam ipsius culpam, Aaronis item fratris vnici & Mariæ sororis dilectæ murmur, adhæc nepotum ex fratre miserabilem interitum perpetuo silentio sepelire poterat, si suæ potius gloriæ quàm veritati studuisset. Quid, quòd tribum totam, ex qua oriundus erat, perpetua infamiæ nota aspersit, quando quod Iacob iam moriturus de illa pronuntiauit oraculum, libris suis inseruit: Simeon & Leui vasa iniquitatis, in consilium eorum non veniat anima mea? Quis illum vt hæc de sua gente ad posteros transmitteret coegit, nisi veritatis spiritus, qui omnes eius actiones moderabatur? At quis illi scriptorum suorum adeoque totius ministerij scopus fuit? Non alius certè, quàm quòd Israelitas suos ad Dei fœdus, quod complementum suum in Christo habet, reuocare voluit. Quod D. Augustinus obseruans dicebat, quinque libros Mosis non aliud quàm Christum prædicare: & huius dicti testem adducit ipsum Christum, qui Iudæis dixit: Si credidissetis Mosi, credidissetis mihi: de me enim ille scripsit. Neque minus certa est Prophetarum fides atque authoritas, quorum vaticinia cum rerum euentus probauerit, de eorum veritate dubitare nefas est. At IESVM hunc, qui ex Maria virgine natus est, Christum illum esse quem illi venturum prædixerunt, facilè intelligent, qui eius historiam cum illorū scriptis diligenter conferunt. Sed accedit his vox Patris cœlitus de illo pronuntiata: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Confirmata est eadē miraculis & signis compluribus, quæ vt vires humanas superant, ita tam perspicua sunt & efficacia, vt ne scribæ quidem, homines astutissimi, ea aliquo prætextu in speciem verisimili calumniari potuerint, vulgus autem eorum perspicuitate conuictum diceret: Christus, cùm venerit, num signa plura ædet ijs quæ hic ædidit? Scimus equidem quid de illis olim Porphyrius & huius similes canes, Cerberi infernalis soboles, latrauerint: sed tam putidæ sunt illę calumniæ, vt confutationem nullam mereatur. Maiori autem detestatione digni sunt, qui cùm Christi nomine glorientur, nos tamen falsi accusant, quando homines, qui omnes natura peccatores & mortis æternæ rei sunt, sola fide in Christum iustificari & seruari docemus: quem vnicum humani generis seruatorem esse, vnanimis veteris & noui Testamenti consensus tam multis tamque luculentis testimonijs confirmatus abunde docet.

Atrocior tamen est eorum calumnia, qui doctrinam hanc hęreseos accusant, quod crimen pijs omnibus semper tam graue visum fuit, vt D. Hieronymus ad Pammachium non veritus sit scribere: Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia

entia iudicetur, si taceat. Enimuerò nemo hæreticus esse potest, nisi idem in Dei gloriam peccet, & Christo deroget, id quod pijs auribus prorsus intolerabile est. At hæresim ab electione dictam esse idem scriptor docet, dum scilicet quisque sibi ipsi eligit quod sequatur. Quia autem qui noua dogmata fingunt, & ea pertinaciter tueri in animum inducunt, eo ipso à communi Ecclesiæ sensu, & tandem ab eiusdem societate discedunt, cum hæresi scisma coniunctum est: quo fit, vt in sectas aut partes Ecclesia distrahatur, quę vnica, & proinde Catholica quoque, id est, vniuersalis agnosci debet. A quo crimine doctrina nostra, si eius argumentum spectes, tam aliena est, vt infelicem mundum varijs inter se sententijs dissidentem hæc sola conciliet, & ex multis vnum quasi corpus faciat. Eius enim subiectum (vt ante diximus) est CHRISTVS IESVS, quem ideo mori debuisse Ioannes scribit, vt filios Dei dispersos cogeret in vnum. Constat enim ante eius in carnem aduentum orbem terrarum in mille sectas scissum fuisse, dum videlicet proprium quisque sibi ipsi Deum finxit, adeò vt D. Augustinus Deorum triginta millia aliquando in terris culta fuisse ex Varrone annotarit. Fuit hęc horribilis hominum distractio, cui humana philosophia adeò remedium nullum afferre potuit, vt eam auxerint potius, qui huius studio dediti res diuinas atque cœlestes sui ingenij acumine inuestigare voluerunt. Solus Christus, qui nobis à Deo patre sapientia factus est, tanto malo manum medicam admouere potuit, & per Euangelij prædicationem, quam in omnes gentes voluit diuulgari, tam multis tamque diuersis opinionibus distractas hominum mentes vniuit. Ex ea enim didicerunt omnium locorum homines, Deum vnum esse, totius mundi & omnium quæ in illo sunt creatorem, qui solus coli, solus adorari, solus inuocari debeat. Eadem mediatorem quoque inter Deum & homines vnicum esse docet IESVM CHRISTVM, qui cùm æternus sit Dei filius, ex æterno Patris decreto hominem assumpsit, vt sicuti diuinam & humanam naturam in vna eademque persona sociauit: ita nos quoque Deo patri reconciliaret, simulque nobis author esset, vt per fidei vnitatem in vnum Ecclesiæ corpus coalesceremus, cuius ipse caput est. Qua ergo ratione doctrina nostra vel hæretica vel scismatica dici meretur, quæ vt vnum Deum prędicat, ita IESVM CHRISTVM vnicum inter hunc & nos Mediatorem esse docet, quem dixisse scimus: Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me? Num ergo in sectas eos scindi possibile est, qui ad vnum Deum per vnam eandemque viam contendunt? Id certè nemo nisi insanus dixerit. Quomodo item in partes distrahentur, qui vt vnum Deum inuocant, ita hunc vnum per Filium suum nobis loquentem audiunt, eundemque solum sibi à Patre sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem factum esse credunt? De quibus denique Apostolus dixit: Vnum est corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ: vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium nostrûm: In partes olim Corinthij scindebantur, quando quasi relicto Christo, alius se Pauli, alius Petri, alius Apollo discipulum aut sectatorem esse dicebat: quos vt ad vnitatem reduceret Paulus, eos ad solum Christum remittit, qui solus pro omnibus illis in cruce mortuus sit, & in cuius solius nomine ipsi baptizati sint. In partes ergo hodie cur nos Ecclesiam scindere dicimur, qui vnum Christum prædicamus, in hoc vno omnes sperare & confidere, eoque solo gloriari docemus? Quin potius hoc facere dicentur, qui factiosa Benedictinorum, Bernhardinorum, Iacobitarum, Ioannitarum, Augustinianorum, Franciscanorum, Dominicanorum nomina excogitarunt, qui omnes in diuersas familias ceu Ecclesias diuisi, vestitu, moribus & ceremonijs differunt: qui item eo non contenti, insuper Diuos diuersos inuocare, inque proprijs operum diuersissimorum meritis iustitiam atque salutem quærere docent. Vtinam isti quoniam illis nostra omnia

sordent, D. Augustinum audirent, qui cùm Diui Ioannis Apostoli dictum de vno aduocato nostro, IESV CHRISTO, exponeret, inter alia dicebat: Videte ipsum Ioannem seruantem humilitatem, certè vir iustus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat: ille ille qui bibendo de pectore Domini diuinitatem ructauit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: ille talis vir, non dixit, Aduocatum habetis apud Patrem: nec ipsum Christũ habetis, dixit: sed & Christũ posuit, NON SE, & HABEMVS dixit, non HABETIS. Maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. Fratres, IESVM CHRISTVM iustum ipsum habemus aduocatum ad Patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit: hoc qui tenuit, scisma non fecit. Vnde enim facta sunt scismata? Cùm dicunt homines, Nos iusti sumus: cùm dicunt homines, Nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus, &c. Hæc Augusti. in cuius verbis si vt in speculo seipsos contemplarentur Pontifices & Monachi, non possent certè non erubescere, & suæ ipsos in posterum puderet arrogantiæ, qua & contra Christum sese attollunt, & rectè sentientes insolenter damnant.

Porrò non parum aliqui offenduntur, quando doctrinam de sola fide iustificante bonis operibus inimicam esse aduersarij clamant, vt quæ homines securos reddat, & ab omni pietatis & sanctimoniæ studio auocet, quod nullum possit esse, si se eo nihil apud Deum mereri audiant. Sunt ergo, quos simplex ignorantia solicitos reddit, ne mundo plus satis proteruienti habenæ nimiùm laxentur: Qui vt reuera commiseratione digni sunt, ita eò durius tractari merentur, qui hominibus non malis tanti erroris authores sunt, cumq; Ecclesiæ doctores atq; columnæ haberi velint, tam stupidè ignorantes & tam stolidè superbi sunt, vt neque fidei vim videre possint, neque propriam vitiositatem agnoscere, quæ tanta est, vt si nos Deus pro meritis tractare velit, ne aeris quidem & Solis communis vsu digni cēseri, nedum cœlestia bona mereri possemus. Nec enim (vt aliâs monuimus) fides inani & otiosa contemplatione constat, sed certo & efficaci animi assensu, qui spiritus virtute accensus & confirmatus, nos de omnibus ijs certissimos facit, quæ pro nobis æternus Dei filius fecit & passus est, qui deniq; nos totos Deo vendicat, vt ei voluntarium obsequium præstemus. Etenim quomodo in peccatis securus pergere poterit, qui illa Deo tantæ abominationi esse credit, vt ea filij sui vnigenæ indigna morte voluerit expiari? Num item diaboli suggestionibus aures præbebit, vt huic rursus subijciatur, qui se pretioso filij Dei sanguine redemptum esse nouit, vt Deo in spiritus libertate seruiat? Vel num corpus suum impuris mundi & carnis desiderijs prostituat, qui illud spiritus sancti templum in Christo factum esse gloriatur? Num verò proximum suum odisse poterit, quem & à Deo tanti fieri, & eiusdem Patris filium eiusdémque corporis membrum esse audit? Num denique vllis aduersis, periculis, tormentis adduci poterit fidelis, vt Christum abneget, quem suum vindicem & redemptorem esse profitetur? Tam ergo abest, vt rerum securos aut petulantes præceptorum Dei contemptores faciat fides, vt ea potius pulcherrimarum virtutum mater sit, Pietatis nimirum, Sanctimoniæ, Innocentiæ, Charitatis, Fortitudinis, Patientiæ, ex quibus ceu ex largissimo & perenni fonte omnis generis bona opera deriuantur. Quibus etiamsi salutis æternæ meritum negemus, ne quid Christi gloriæ derogetur, eadem tamen factu necessaria esse fatemur, vt & Deo debitum obsequium præstemus, & vt fidei nostræ testimonia sint: quæ si nihil in nobis agat, mortua est, & proinde ne fides quidem est, sed inanis & vana fidei nomine palliata opinio. Poterant hæc innumeris eorum exemplis confirmari, qui in scripturis fidei

nomine commendantur: sed quia hæc satis nota sunt, desinant nobis aduersarij nostri eorum nequitiam exprobrare, quos Christiani nominis titulo nequicquam gloriantes, neque Christus pro suis discipulis, neque nos pro germanis fratribus possumus agnoscere.

Sed illis etiam hîc respondendum est, qui etsi Euangelio doctrinam veram & salutarem contineri fateantur, eandem tamen imperfectam esse aiunt, & proinde quædam ei addi oportere, quæ ab Apostolis vel omissa, vel saltem literis nō man data sint. Et tuentur isti sententiam suam verbis Christi, qui discipulis dixerit. Ad huc multa habeo quæ vobis dicam, sed non potestis portare modò. Deinde Apostolos non omnia, quæ cognitu & obseruatu necessaria sunt, libris abs se scriptis compræhendisse, sed multa insuper viua voce modò tradidisse dicunt, quæ quasi per manus accepta & ad posteros transmissa sint, & propterea parem cum Apostolicis scriptis authoritatem mereantur. Sunt deniq; qui nec hoc quidem fatentur, sed multa ipsos quoq; Apostolos totamq; Ecclesiam primitiuam latuisse clamant, quæ suo demum tempore Patribus certis reuelata, & irrefragabili Conciliorum authoritate stabilita sint. At facilis est ad ista omnia responsio.

Quoad primum, agnoscimus Domini verba, sed quàm parum ista aduersariorum instituto seruiant, ex alijs locis colligi potest. Nam idem paulò ante discipulos consolaturus inter alia dixit: Non amplius vos dicam seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. En eo argumento inter seruos & amicos suos distinguit Christus, quòd hos nihil eorum celarit, quæ ex Patre suo audierat. Aut ergo nihil eius quod ad salutem cognitu & obseruatu necessarium est, ignorarunt Apostoli, aut Christum quoque aliquid horum latuisse oportet: quod dictu non absurdum modò, verumetiam impijssimum est. Quòd ergo se adhuc multa habere dicit, quæ non possint portare, id pro temporis illius ratione dictum esse putabimus, quando dolore & tristitia præoccupati non attendebant ijs, quæ dicebantur. Vt enim absenti loqui dicitur, qui cum ebrio litigat: ita frustra ei de rebus arduis verba feceris, cuius animus curis & cogitationibus alijs distractus peregrinatur. Sed mirum est aliquos tam auidè arripere quod ad affirmandam Apostolorum ignorantiam ipsis videtur facere, eosdem autem non obseruare quæ ibidem subijcit Dominus, vt omni ignorantiæ suspicione eos liberet, dicens: Cùm autem venerit spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem veritatem. Repetit his spiritus sancti promissionem, quem omnis veritatis magistrum siue doctorem habituri sint. Ergo ne Christus (inquis) hucusq; eos aliquid celauerat, vt ideo doctore nouo opus fuerit? Ne hoc quidem. Prius enim ijsdem dixerat: Paracletus ille, spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis. Hos locos si inter se conferas, videbis Christū fideliter docuisse suos Apostolos, vtpote qui magnus ille Propheta est, quem omnes audire debent; discipulos autem propter intellectus sui nondum illuminati ruditatem spiritu opus habuisse: qui non nouum quid & prius inauditum tradere, sed quæ ipsis exciderant rursus suggerere, & ita eos in omnem veritatem introducere debuit. At Christum promissis stetisse, & spiritum sanctum misisse, non solùm Lucas, verumetiam miraculosa quæ in Apostolis sese exeruit, illius virtus testatur, & Ecclesia tota solenni atque annua tanti beneficij commemoratione fatetur. Ergo nihil eorum illos latuit, sine quorum cognitione salus nobis constare non potest. Quis verò eosdem tam infidos vel negligentes dixerit, vt Ecclesiam Christi, cuius œconomi & dispensatores constituti erant, aliquid celare voluerint, quod scire nostra interest? In dispensatore illud potissimùm requiri Paulus ait, vt quis fidus esse comperiatur: quapropter idem ille Corinthijs scribebat:

Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis. Et quamuis hoc de sola Cœna mystica dictum videri possit, hoc ipsum tamen postea ad totum ministerium suum & abs se prædicatam Euangelij doctrinam extendit, dicens: Tradidi vobis imprimis quod & acceperam: quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris, secundùm scripturas: & quòd sepultus sit, & quòd suscitatus sit tertio die, secundùm scripturas, &c. Quòd si verò ne hoc quidem de tota eius doctrina intelligendum esse aduersarij dicant, age respondeant illi nobis, qua ratione Paulus falsi crimine liberari possit, quando Corinthios hoc nomine commendat, quòd in omni sermone omniq́ue cognitione ditati sint? Quòd item in omnibus abundent fide, sermone & cognitione? Quis item si ab Apostolis traditæ doctrinæ aliquid necessariò addi oportet, illum non dixerit impiè arrogantem fuisse, quando anathema pronuntiare ausus est omnes eos (siue illi homines siue Angeli fuerint) qui præter id quod ipse prædicauit, Euangelizant?

Fatemur ista (inquiunt) sed illos literis omnia mandauisse negamus, quæ ad plenam religionis Christianæ & Ecclesiæ constitutionem faciunt. Vt verò sibijpsi semper constat seductionis spiritus? Et quis alius hoc vobis perfugium monstrauit ô boni, quàm ille, qui olim Christianæ fidei turbatores, vt similia loquerentur, impulit? Irenæus certè, vetustissimus scriptor, hoc argumentum Valentinianis & alijs sui seculi hereticis tribuit, de quibus libro tertio cap. secundo sic scribit: Cùm ex scripturis arguuntur hæretici, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, nec sint ex authoritate, & quòd variè sint dictæ & quòd ab his qui traditionem nesciunt, veritas ex scripturis inueniri non possit: Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem, &c. Hæc Irenæus. Ego verò illos Apostolis atrocem iniuriam facere dico, si quod dicunt ita intelligi velint, quasi vniuersam humanæ salutis summam eiusq́ue consequendæ rationē vnà cum vera & perfecta Ecclesiæ œconomia libris suis non comprahenderint. Etenim illos in toto salutis negotio nihil præter CHRISTVM IESVM nouisse, Paulus, qui cùm in tertiū cœlum raptus fuerit plus quiddam quàm alij omnes sciuisse videri poterat, de seipso testatur. Quoad verò Christi in carne nati historiā, scimus equidem non singula, quæ ille à pueris fecit & dixit, vt neq́ue miracula eiusdem omnia, ab Euangelistis descripta esse: sed quæ scripta sunt, ea sufficere dicimus, vt nos in ea cognitione ac fide instruant, quæ nos tam illius quàm salutis æternæ in illo participes facit. Ita enim Ioannes ait: Multa etiam alia signa ædidit IESVS coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in hoc libro: hæc autem scripta sunt, vt credatis quòd IESVS est Christus ille Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Quoad verò eius fructum, qui ad nos redit, & quem in pœnitentia & peccatorum remissione consistere diximus, quam vita eterna comitatur, quid obsecro doctrinæ illorum deest? Annon omnes homines peccati conuincunt, qui primus ad pœnitentiam gradus est? Annon modum conuersionis ad Deum diligenter tradunt, qui in vno Christo habetur: qui vt nobis vnica ad Patrem via est, ita solus etiam nos cum illo in gratiam reducit? Annon de fidei effectis disserunt, sub quibus non solùm pax conscientiæ, verumetiam constantia in aduersis, sanctimoniæ item & charitatis officia continentur? Dies totus non sufficeret recensendis testimonijs, quibus hoc poterat demonstrari. Sufficiat ergo quod Paulus ad Ephes. de prima eius epistolæ parte tertio cap. scribit: Deus per reuelationem notum fecit mihi mysterium (sicut ante scripsi paucis) quo perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi. Quòd si verò Apostolus quæcunque ipse de Christo nouerat primis eius epistolæ capitibus complexus est, qua fronte negant nostri illi Apostolorum scriptis comprahendi, quæ vt sciamus & credamus sunt necessaria? Adde his, quòd idem ad Timoth. dixit. Hæc

xit: Hæc tibi scribo, sperans fore, vt veniam ad te valde citò: Quòd si tardius venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei viui. Vt ergo salutis æternæ doctrinam nobis perfectè tradiderunt: ita Ecclesiæ quoque vera œconomia ex illorum scriptis constitui potest, & rectè in domo Dei versabimur, si quæ ab illis præscripta nobis sunt, probè obseruemus. Sed audiamus D. Pauli de veteris Testamenti libris testimonium: Tota scriptura (inquit) θεόπνευστος, id est diuinitus inspirata, & vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo, ad omne opus bonum perfectè instructus. Dignitatem ergo omni humana maiorem habet scriptura, cùm à Deo inspirata, & hoc authore tradita sit. Vsus verò eiusdem est; vt doctrinæ seruiat, non vt in scrinijs asseruetur, aut ex collo pendeat, vt superstitiosi quidam de Euangelio Ioannis facere solent. Indicantur etiam doctrinæ species: Redargutio, quæ peccata detegit, & homines intra animos suos conuincit: Correctio, qua delicta emendantur: Institutio, qua quid fieri quidúe omitti debeat, docemur. Quibus alibi consolationem adijcit, quæ in aduersis patientes & inuictos facit. Finis autem omnium statuitur, hominis perfectio, quæ ad omne opus bonum instructos reddit. At quæ ratio est, quæ nos doctrinam imperfectam dicere iubeat, quæ suos sectatores perfectos facit? Et si ista de veteris testamenti libris dixit Apostolus, quæ dementia est, doctrinam, quæ ex his deriuatur, imperfectam nunc dicere, postquam illis scripta Apostolica accesserunt? Num ergo horum accessio imperfectam fecit scripturam, quæ prius perfecta erat? Quantò igitur felicior fuit veterum conditio, quibus Legis & Prophetarum libri sufficere potuerunt, si ijdem Apostolorum scriptis aucti & illustrati, adhuc alijs atque alijs additamentis opus habent? Hoc si verè dicitur, Christus certè iugum legis non abstulit, sed grauius fecit. Sunt hæc tam absurda, vt qui eis confutandis velit diutius insistere, meritò ridiculus videri possit.

Fatemur equidem Orthodoxos patres interdum traditionis Apostolicæ meminisse, & inter hos Irenæum imprimis, qui ad Apostolorum tempora proximus accessit. Sed eo nomine idem ille non aliud quàm fidei articulos, qui symbolo, quod nos Apostolicum dicimus, comprænhenduntur intellexit: qui breue sunt omnium, quæ prædicarunt & scripserunt, compendium. Vt tamen concedamus, Apostolos multa Ecclesijs tradidisse, de quibus nihil scriptum extet, ea tamen nō de dogmatibus, neque de sacramentorum legitimo vsu, sed de indifferentibus ceremonijs aut statutis intelligi debent, in quibus propter loci & gentis (adde & temporum) diuersitatem non eadem vbique forma seruari potest. De his Paulus Corinthijs dicebat: Cętera cùm venero disponam. Id verò ad fidei & salutis dogmata nequaquam extendi debet. Constat enim spiritum sanctum, quo rectore Apostoli vsi sunt, sibijpsi semper & in omnibus constare: Nihil ergo potuerunt tradere Ecclesijs, quòd ab illorum scriptis dissentiret: neque ab imposturæ crimine liberari possent, si aliud scriptis, aliud viua voce tradidissent. Itaque quod improbis quibusdam apud Corinthios calumniatoribus Paulus dixit: Quales sumus verbo per epistolas cùm absumus, tales etiam reipsa cùm adsumus: hoc ipsum de tota eorum doctrina debet intelligi, siue eam coràm docendo proposuerint, siue literis complexi sint.

Porrò vt Pauli aduersarijs non satis fuit illius doctrinam oppugnauisse, sed eius quoque personam exosam facere conati sunt, quando illum priori epistola nimis pro imperio & minaciter scripta totam Ecclesiam turbauisse, & adhuc multa insolentius facere dixerunt: Ita hodie multi Euangelicæ doctrinæ ministros hoc nomine accusant, quòd pacem publicam turbent, & inter homines priuatos dissensiones serant, quòd item imperium in omnes affectent. Quibus ego paucis re-

ſpondere poteram: Agnoſco Achabi ſpiritum, qui olim Eliæ prophetæ dicebat: Annon tu es ille, qui turbat Iſraelem? Sed vt illud Achab immani & impio veritatis odio accenſus dixit: ita hodie idem affectus pleroſq; mouet, vt eadem de nobis garriant: multos verò ignorantia & quòd eorum quæ fiunt cauſas non penitius inſpiciunt, decipit, vt eiuſmodi calumnijs fidē habeant. Nimius Corinthijs viſus fuit Paulus in priori epiſtola. At ſi horribilem, quæ tunc apud eos fuit, totius Eccleſiæ faciem conſideres, ſectas nimirum cum Chriſti profeſſione pugnantes, effrenem ſcortandi licentiam, turpem in ferendo inceſto indulgentiam, illicita cum prophanis gentibus commercia, idololatriæ ſocietatem, contentiones, ſcurriles de mortuorum reſurrectione ſermones, immanem deniq; purioris doctrinę & diſciplinæ Chriſtianæ contemptum: fatearis oportet, nihil à Paulo tam durū tamq; graue dici potuiſſe, quod illorum improbitas non abunde meruerit. Si verò hæc illius rigorem excuſat, cur nos æquo rigidiores dicimur hodie, quando ijſdem moribus viuitur, & pleriq; licentia maiori leges omnes tam politicas quàm eccleſiaſticas conculcant? Diſſenſiones quidem fatemur exoriri inter eos, quibus Euangelium prædicatur, quæ interdum motus publicos pariunt: ſed iſtorum cauſas ex Euangelio manare, conſtanter negamus. Eſt enim hoc pacis nuntium, quo poſt fidem in Chriſtum nihil perinde vt charitas mutua à nobis exigitur. At quia maior hominum pars mundo dedita illius lucem odit, neq; eos ferre poteſt, quos abs ſe diſſentire videt, fit quod Chriſtus futurum prædixit, vt pater aduerſus filios, hi aduerſus patrem, fratres item aduerſus fratres, coniuges item & qui prius amiciſſimi erant, inter ſeſe diſſideant: Culpa verò omnis in aduerſarijs hæret, qui non contenti propria inobedientia, inſuper alios quoque relicta & abnegata veritate ad ſuperſtitiones redire cogunt, aut ſaltem cogere volunt: Quibus cùm pij obſequi neque poſſint neque debeant, non vtique hi, ſed alteri illi diſſenſionum atq; turbarum authores ſunt.

Quod verò aut quale eſt illud imperium ſiue dominium, quod Euangelij pręcones affectant? Num alijs imperare velle dicetur, qui vt omnes per fidei obedientiam Dei verbo ſeſe ſubijciant, hortatur? Aut num tyrānidem affectare putabuntur, qui toti in eo ſunt, vt ex diaboli & Antichriſti tyrānide aſſertos in libertatem filiorum Dei vendicent? Enimuerò iſtos homines, qui nobis regni cupiditatē exprobrant, ego in re ſeria ludere potius quàm ſeriò loqui exiſtimo. Quæ enim ratio illis eſſe poteſt, vt hoc nomine eos accuſent, qui neq; exiſtimationē ſuam contra improbos tueri, neq; ſe & familiam ſuam cōmodè alere poſſunt? Alit ſuos profeſſores liberaliter Medicina, Iuris prudentia verò ſuos diuitijs & dignitatibus auctos principum aſſeſſores facit. Similiter qui inter Papiſticæ ſuperſtitionis defenſores ingenio valent & ſtudio feruent, ij ferè ſacerdotijs pinguiſſimis donantur, Cœnobijs opulentiſſimis pręficiuntur, Epiſcopi fiunt potentes, deniq; in purpuratorum Senatum adoptantur, vt cum regibus luxu & faſtu certent, ijſdemq; pro nutu imperent. At qui Euangelium prædicant, ne ſua quidē patrimonia tueri poſſunt, quæ ferè iuuenes adhuc inſumunt, dum vel domi bonas literas addiſcunt, vel ſcholas exteras ſequuntur. Ad Eccleſiæ verò miniſterium tandem vocati, dum cœleſtis regni theſauros fideliter diſpenſant, dum aliorum ſaluti cum propriæ vitæ periculo conſulunt, dum eiectis per ipſos verbi flagello ſacrificis & Monachis, multi quotidie ex horum bonis diteſcunt, ipſi tunc demū officio ſuo fungi putantur deprauatis hominibus, quorum magnus vbiq; eſt numerus, ſi omnibus contemptui ſint, ſi egeant, ſi mendicent. Qui enim in hos præ alijs liberales videri volunt, aureos dant centū aut ducentos annuos: At liberis plena eſt domus: conuolāt vndiq; hoſpites, qui vel honorificè excipiendi ſunt propter ſuam dignitatē, vel viatico iuuandi propter egeſtatē: ſumptus faciendi ſunt in libros, alenda

familia:

familia: artem interea nullam exercet, vt ne à sua scilicet auocentur: interea dum æs alienum miseros cruciat, dum vxorē & liberos difficulter alunt, dum filias ob dotis inopiam domi asseruare, filios inopes ad scholas mendicatum extrudere coguntur: dum in creditorum conspectum venire erubescunt, dum per plateas circumeunt & ambages quærunt, vt in eam nō veniant, in qua creditor habitat: dū denique vulgi ludibrijs, improborum odijs, maledicorum conuitijs, vi denique aperta petuntur, plerique illos regnare dicunt, & durum in omnes exercere dominium. Vah regnum egregium, solis nimirum suis regibus formidabile. Quis hîc non exclamet: ô mores, ô tempora, ô sceleratam mundi ingratitudinem. Fateor equidē, non omnium esse hanc culpam, & inueniri hodie pios principes & vrbium magistratus verè Christianos, qui magnis impensis scholas aperiunt, stipendia iuuenibus studiosis constituunt, fidos Ecclesiarū pastores liberaliter alunt: at hi paucissimi dici possunt, si cum aliorum turba conferantur, quibus cum Iuda Iscariote nimia videtur omnis impensa, quando per Euangelij prædicationem odor bonæ fragrantiæ Christo excitatur, qui totam eius domum siue Ecclesiam replens ad alios diffunditur. Neque ista scribo, quòd de mea sorte priuata conquerar, quę talis hucusque fuit, vt me Deo imprimis, deinde amplissimo Senatui populoque Tigurino gratias magnas debere libenter & meritò fatear: vel quòd otio nostro consultum, aut cupiditati nimiæ, quâ aliqui ex nostris ardent, satisfactum velim: sed vt illorum iniquitas omnibus manifesta fiat, qui cùm ipsi per ministros regnent & voluptuentur, illis cum egestate conflictantibus regni affectationem exprobrāt. Vtinam verò illi reuera regnarent, & excusso Satanæ iugo, Spiritu illo regio se duci paterentur, qui solus efficit, vt Deo in libertate verè Christiana seruiamus.

Sed video me longius excurrisse, quàm initio statuerā. Apud te autem LVDOVICE Comes illustris, liberius de his dixi, partim tua bonitate & clemētia fretus, quam non obscuris indicijs iampridē perspexi: partim quòd in huius causę cognitione, tibi neque animū deesse sciā, cùm totus Christi & veritatis amore ardeas: neque iudicij facultatē, cùm & diligenti lectione religionis nostræ mysteria scruteris, & longo rerū vsu ea probè cognita habeas, de quibus multi in vmbra disputant. Et quia querela hæc nō minus iusta, quàm causæ totius defensio necessaria est, meo instituto illam imprimis conuenire putaui, cùm in posteriorē D. Pauli ad Corint. epistolā, meis Homilijs illustratā, præfari statuissem. Cuius argumentū quàm probè nostris temporibus seruiat, mox intelligent, qui eā diligentius inspexerint. Mihi certè dignissima visa est, quæ hodie exponeretur, quādo eadē & Ecclesiæ & ministrorū eius sors est, quæ olim fuit, cùm Paulus illā scriberet. Pręstiti ego in opere laborioso quod potui, & mihi probè cōscius sum, me hoc potissimū spectauisse, vt & Apostoli sensum explicarē, & vt per ea, quæ ille Corinthijs scripsit, nostri sęculi vitijs mederer. Quòd si in epistolam plerisque in locis obscurā & difficilē meus hic labor aliquā lucem intulit, illud omne mihi à Patre luminū obtigisse fateor, & non tā mihijpsi quàm illis gratulor, quibus prodesse volui. Sub tuę verò clemētię auspicio Homilias istas in lucē dare libuit LVDOVICE comes: quia illa iampridē merebatur, vt mei erga te studij atque obseruantiæ aliquod testimoniū publicè extaret. Vt aūt huic meo operi ex illustri nominis tui splendore authoritatē aliquā accessurā esse non diffido apud eos, quibus tua virtus & cū summa dignitatis atque fortunarū amplitudine coniuncta humanitas probè cognita est: Ita hoc meū officium tibi non ingratū fore spero, cū & me abs te diligi & te sacrarū literarū studiosissimum esse sciā. Deus Opt. Max. faxit, vt quod in prouehēda cōmuni veritatis causa hactenus fecisti, diu possis facere, idemque te cū generosissima coniuge in finem vsque seruet ad sui nominis gloriam & publicam Ecclesiæ vtilitatem. Datæ Tiguro primaria Heluetiorum ciuitate, VIII. Calend. Septemb. Anno in carne nati filij Dei, M. D. LXXII.

INDEX RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM, QVAE IN POSTERIORI EPISTOLA CONTINENTVR.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVI IN POSTERIORIS HVIVS EPISTOLAE HOMILIIS EXPLICANTVR.

ACTA.

ROMANOS.

II. PETRI.

I. IOHANNIS.

APOCALYPSIS.

FINIS.



IN POSTERIOREM D. PAVLI APOSTOLI EPISTOLAM AD CORINTHIOS, HOMILIAE RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI.

CAPVT I.

HOMILIA I.

PAulus Apostolus IESV CHRISTI per Dei voluntatem, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, vnà cum sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaia. Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Benedictus Deus ac Pater Domini nostri IESV CHRISTI, Pater ille misericordiarum, & Deus omnis consolationis qui nos consolatur in omni afflictione nostra, vt posimus in quauis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione, qua nosipsos Deus consolatur.



RIOREM ad Corinthios epistolam ideo scripserat Paulus Apostolus, quòd Ecclesia illa multis modis deprauata & corrupta esset per impostores quosdam, qui omnis generis errores cum morum licentia & impunitate inuexerant. Et quantum conijcere possumus, non omni fructu illa caruit. Nam admoniti & correpti multa vitia emendarunt. Interim tamen non defuerunt, qui disciplinæ & correptionis impatientia & fidissimi huius monitoris odio accensi, sua pertinacius defendebant, & vt hoc aliquo prætextu plausibili facere possent, illum in suspicionem & odium trahere conabantur. Itaq; ex perpetuis persecutionibus, quibus vbiq; gentium exagitabatur, occasione arrepta, illum hominem esse aiebant turbulentum & præcipitis ingenij, qui sua importunitate ac insolentia seipsum simul atq; Euangelium omnibus inuisum faceret: ideoq; ipsos nequaquam repræhendi debere, si eius monitis siue mandatis subijci nollent, quem nulla alia gens siue ciuitas ferre posset. Deinde quia aduentum suum quem in priori epistola promiserat, diutius differebat, illum vanitatis quoq; vel potius stolidæ iactantiæ insimulabant, qui procul ab ipsis absens minis grauissimis fulminaret, non auderet autem in ipsorum conspectum prodire, & coràm cum præsentibus congredi. Accedebant his alij, qui totum eius Apostolatum in dubium vocabant, quasi minus bona fide in eo ageret, multa item faceret insolenter atq; nimis pro imperio. Itaq; tam grauibus tamq; necessarijs causis adductus Paulus, priori epistolæ hanc alteram submisit, quæ tota ferè in genere Iudiciali versatur. Nam ad calumnias istas ex ordine respondet, & simul eos, qui inter ipsos infirmi & simpliciores erant, argumentis instruit, quibus seipsos & fidem suam aduersus impostores & improbos eorum conatus possint tueri. Quæ causa est, vt suam authoritatem sic asserat, vt simul multa subinde interserat de Euangelio, de ministerio item Noui testamenti, de constantia in fide, de beneficentia in pauperes, deq; alijs religionis Christianæ exercitijs, quæ singula suo loco videbimus. *Occasio & argumentum epistolæ.*

Nunc obseruatu dignissimum est, tantum Apostolum post tot tamq; egregia suæ fidei & integritatis specimina aduersarios habuisse tam pertinaces, quorum calumnias ne inter eos quidem effugere potuit, quos ipse primus Christo lucrifecerat, & qui quod Christiani atq; salutis æter- *Paulo nunquã defuerunt aduersarij.*

næ hæredes essent, ipsi soli debebant. Est hoc memorabile ingratitudinis exemplum, & naturæ siue ingenij humani per omnia deprauatißimi argumentum quàm maximè euidens. Nam extant huius generis multa alia. Tales enim Moses sensit Israelitas suos, quorum causa ipse delitias aulæ & honores amplißimos sponte reliquerat. Eadem omnium Prophetarum sors fuit in hoc seculo, vt iam de æterno Dei Filio, IESV CHRISTO, *nihil dicamus, qui ex innumeris & incomparabilibus beneficijs in Iudæos collatis nihil aliud quàm contemptum & gentis totius odium, adhæc indignam & infamem mortem retulit. Nemo igitur miretur, si quid huius etiam hodie fiat, & Euangelicæ veritatis præcipui instauratores peßimè audiant inter eos, quibus ipsi libertatis in Christo & salutis administri fuerunt. Etenim vt improbi & petulantes quidam olim Paulum ambitionis & tyrannidis accusarunt, qui cùm inter Iudæos maximus esset, omnia propter Christum reliquerat: ita hodie multi ijsdem criminibus grauantur iniquißimè, qui in Papatu potentia & diuitijs excellere atq; omnium capitibus pro suæ libidine insultare poterant, nisi publicam multorum salutem suis commodis priuatis antiquiorem habuissent. Quod cùm res ipsa loquatur, multorum tamen tanta est stoliditas, vt putidißimis hominum vanißimorum calumnijs aures præbeant.*

Quid agendū Dei seruis inter aduersa? *Quid verò interea facient (inquis) fideles veritatis ministri? Hoc ipsum, quod Paulum fecisse videmus. Ferant patienter sortem suam, quæ ipsis cum Prophetis & Apostolis, imò cum Dei Filio,* IESV CHRISTO, *communis est. Interea autem non negligant ministerij sui authoritatem, sed calumnias eiusmodi quoad eius fieri potest diluant, non quidem priuatæ gloriæ studio, sed ne veritatis doctrina propter ipsos in periculum veniat. Fecit hoc olim Moses magna cum grauitate, quando Cora cum coniuratis suis sacerdotij simul & reipub. ordinem, ab ipso Deo constitutum, seditiosis artibus turbare conabatur.* Num. 16. *Idem Prophetæ etiam non semel factitarunt. Ipse deniq; Christus, quo nemo mansuetior aut patientior vnquam in terris comparuit. Ignauia ergo, non patientia, dici meretur, si qui Dei gloriam & æternæ veritatis doctrinam in sua persona prophanari & euerti patiuntur. His præmißis ad primam epistolæ partem accedamus, quæ tria continet.*

1. Author epistolæ. *Primò author eius nominatur his verbis: Paulus Apostolus* IESV CHRISTI *per voluntatem Dei, & Timotheus frater. Vbi ante omnia obseruabis, quòd non contentus nomen suum præfixisse, Apostolum quoque Christi se dicit, & talem quidem, qui non temere aut priuato consilio hoc munus subierit, sed ex Dei voluntate ad illud sit vocatus. Quod ipsum non ambitiose, sed propter æmulos suos facere alibi diximus, qui ipsum germanum Christi Apostolum esse negabant. Itaq; doctrinæ suæ & salutis ipsorum potius rationem habet, quàm suæ existimationis. Simul autem admonemur, nullos alios in Ecclesia audiri debere, quàm qui ad munus docendi legitimè vocati sunt. Nam vt infra cap. 3. testabitur Paulus, nemo ex seipso ad aliquid idoneus est: quos verò Deus vocat & mittit, eos donis quoque necessarijs instruit. Id autem sibijpsis polliceri non possunt, qui non expectata illius vocatione, sua sponte currunt, vt ipse apud* Ierem. 23. *Prophetam loquitur. Non dubitent autem se ex Dei voluntate vocari, quotquot ab Ecclesijs legitimè & religiose vocantur. Quod propter eos monemus, qui omnes immediatè ab ipso Deo, vt olim Prophetas & Apostolos vocari oportere arbitrantur.*

Pauli collega Timotheus. *Deinde Timotheum sibi collegam adiungit, eò quòd hunc prius ad illos miserat. 1. Cor. 16. Fuit is Pauli discipulus, ætate iuuenis quidem, sed fide constanti & donis præclaris ornatus. Poterat autem Paulus eum discipulum, vel saltem filium dicere, vt quam in ipsum habebat authoritatem exprimeret. Sed fratris nomine eum dignatur, partim propter communionem, quam credentes omnes inter se habent in Christo, partim propter ministerij societatem. Alibi certè sibi parem facit, vt in vltimo cap. prioris epist. vidimus. Est hoc magnæ modestiæ argumentum, quæ omnes Christi ministros decet, ne ambitiosius sibi imperium vendicent in conseruos, quod improbos suæ domus dißipatores facere Christus testatur.* Matth. 24. *Quod ipsum in Repub. quoq; obseruatu plus quàm necessarium est. Intolerabilis enim & plerunq; noxia est illorum insolentia, qui soli sapere, soli omnia gubernare, collegis deniq; præscribere volunt.*

2. Quibus inscripta epistola? *Secundò, quibus epistola hæc inscripta sit, indicatur: Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, vnà cum*

sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaia. Prioris epistolæ Inscriptio generalior fuit, & omnium locorum credentes compræhendit. Hanc restringit aliquantulum, ita tamen, vt ijs qui Corinthum incolebant vniuersos totius Achaiæ fideles coniungat. Erant enim hi per totam regionem illam dispersi, & credibile est in quibusdam locis pauciores fuisse, quàm vt ipsi cœtus publicos instituere & verbi administrum alere possent. Solebant hi interdum in vrbem venire, vt cum Ecclesia, quæ illic frequentior erat, communicarent, quod hodie etiã fieri consueuit in ijs locis, vbi fideles propter Antichristi tyrannidẽ occultius & cautius res suas instituere coguntur. Admonet ergo hac Inscriptionis parte Paulus Corinthios, vt illos quoq; pro fratribus suis agnoscant, nec temere à suis cœtibus eos excludant. Debent hoc omnes obseruare, qui in locis celebrioribus agunt, & Ecclesias habent legitimè constitutas: Ne videlicet exteros nihil ad se pertinere putent. Vt enim in CHRISTO IESV nullum vel gentis vel sexus vel conditionis discrimen est: ita fidei vinculum omnes omnium locorum credentes sub vno capite Christo constringit, vt vnum corpus efficiantur. Charitas item Christiana, quæ cum fide semper coniuncta est, neminem fastidit, quem Christi sanguine & merito redemptum atq; sanctificatum esse audit. Barbari nimis & profectò parum Christiani sunt hodie, qui gentiles suos eundem cum ipsis Christum profitentes ob causas leuissimas temere abijciunt.

At priusquam ab hoc loco discedamus, obseruabis, Ecclesiam Dei à Paulo dici eos, qui tot modis deprauati & corrupti erant. Dictum de hoc in prioris epistolæ Inscriptione, idem tamen sæpius repeti debet propter eos, qui vel nimio & præcipiti zelo abrepti temere quosuis damnant, vel propria pusillanimitate superati de salute sua dubitant, vel etiam desperant, quando se professioni suæ non per omnia respondere vident. In primo genere hodie sunt Anabaptistæ, & quicunque alij, qui Ecclesias omnes pro impuris habent, in quibus non omnia ex ipsorum placito aut voluntate instituuntur. Tentant hi multa magno cum conatu, vt breui nobis aureum seculum reducturi videantur. Sed plerunq; fit, quod Satyricus canit: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Et vtinam non interdum sub plausibili disciplinæ titulo, quo suam Excommunicationem palliant, disciplinam omnem euerterent, & Ecclesiarum ante coniunctissimarum concordiam turbarent. Posteriores autem illi meminerint, nos non per nostra opera sanctificari, sed per fidem, sicuti Apostolici Concilij decreto docemur. Ea autem quantulacunq; sit, ad Christum apprehendendum sufficit. Is verò non rigidus perfectionis summæ (quæ nullis adhuc carnis mole grauatis obtingit) exactor est, sed mitis & benignus seruator, qui omnes qui laborant, ad se vocat, & quæ nobis desunt, suæ obedientiæ & iustitiæ merito sarcit siue supplet. Quoad ergo aliqua ex parte in Ecclesia hæremus, quæ eius corpus est, de salute nostra nequaquam debemus desperare.

Ecclesia dicuntur, qui corrupti ss. erant.

Actor, 15.

Subijcitur Inscriptioni salutatio siuè benedictio apostolica: Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Diximus de his quædam in priori epistola, quibus in præsenti addimus, nos salutationibus istis de nostra felicitate & salute certiores fieri. Nam eas neque inanes neque irritas esse apud eos, qui Christum fide vera appræhenderunt, ipsius verbis docemur, dicentis: In quamcunq domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. At concurrunt hîc alia quoq; quæ considerationem merentur.

Salutatio Apostolica.

Matth, 10.

Primum, quòd hæc nobis Apostoli precantur à Deo Patre nostro. Ex eo enim apparet, nos non esse gentem, quæ Deum nullum habeat, aut quam Deus ignoret, siue negligat. Clamant quidem impij, quando nos aut socios nostros affligi & in extremis periclitari vident: Vbi nunc est Deus illorum? At nos ijsdem respondere possumus: Atqui Deus noster in cœlis est, qui facit quicquid voluerit. Et cur non ita respondeamus, quos ipse germanus & æternus Dei Filius precari docuit: Pater noster, qui es in cœlis? Ἄθεοι potius & gens sine Deo dici merentur, qui Deos sibi fingunt incertos, dubios, & quos hinc inde in terris monstrant, quasi locis certis astricti hæreant.

Christiani non sunt gens sine Deo.

Psal. 115.

Alterum, quòd Deus ille verus & æternus nobis Pater est. Est quidem omnium gentium Deus atq; Dominus, vt qui non illas modò, verumetiam malos dæmones suo nutu atq; imperio coerceat. At idem non nisi ijs, qui in Christum credunt, Pater est. His enim solis datur Spiritus

Deus nobis Pater est.

Rom. 8.

ille adoptionis, in quo clamant, Abba Pater. Est hæc dignitatum omnium, quæ homini obtingere possunt, maxima, eademq; omnes felicitatis veræ partes complectitur. Quid enim ijs deesse poterit, qui Deum Patrem habent, cuius est terra & plenitudo eius? Regis filius vbicunq; sit in patris regno, certa vitæ subsidia inuenit. Ita nobis quoq; vbiq; gentium prospicietur, qui vbi vbi simus, in Patris nostri ditione sumus, vbi is merum imperium obtinet. Vt verò nobis certa & firma sit consolatio ista, IESVM CHRISTVM semper ob oculos habere oportet, qui vt solus nobis hanc dignitatem meruit, ita suos ab ea excidere nunquam patietur. Per eundem quoq; nobis gratia & pax obtingit, id est, fauor Dei perpetuus & certa conscientiæ tranquillitas, qui regni Dei Patris nostri thesauri sunt.

Officia hominis Christiani.

Porrò vsus istorum omnium hic nobis esse debet, vt ijs bene & rectè vtamur ad Dei gloriam & nostram salutem. Etenim si Deum verum profitemur, non vt gentes Epicuri delirijs impijs deceptas hinc inde vagari nos conuenit, sed illi vni adhærere. Si Deus ille nobis Pater est, hunc supra omnia amare, hunc vnum obseruare & colere conuenit. Si æternus Dei Filius noster redemptor atq; Dominus est, cauendum vtiq; nobis fuerit, ne fidem ipsi datam fallamus, aut turpem ab eo faciamus secessionem. Et cùm in illo gratiam Dei & pacem obtinuerimus, cura hæc nobis præcipua sit, ne in vasa iræ degeneremus, neue contra illum murmuremus, aut temere cum ijs lites suscipiamus, quos ille eorundem nobiscum bonorum consortes esse vult. Habes ergo in benedictione illa Apostolica philosophiæ Christianæ summam, quæ tunc demum nobis salutaris fiet, si cum θεωρίᾳ siue contemplatione πρᾶξιν ipsam coniunxerimus.

Exordium epistolæ.

Transeamus nunc ad epistolæ Exordium, quod totum δοξολογία siue gratiarum actione constat, qua Dei erga se bonitatem ita prædicat, vt simul mirifico artificio sese apud Corinthiorum animos insinuet, atq; aduersariorum calumnias diluat. Hi enim (vt initiò diximus) persecutiones & afflictiones perpetuas ipsi exprobrabant, vt eum propter iuge omnia turbandi studium odio dignum esse demonstrarent. Ad ea igitur respondens afflictiones suas excusat, & his adeò neminem offendi debere docet, vt potius in eis diuinæ bonitatis argumenta agnoscere ipsumq; amare debeant, qui hæc omnia propter ipsos sustineat, ad quos fructus præcipuus redundet. Benedictus Deus (inquit) & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, Pater ille misericordiarum, &c. Quibus verbis hoc omnino vult dicere: Scio quid de me loquantur, qui vt me vobis suspectum & inuisum reddant, persecutiones mihi vitio vertunt, quibus vbiq; gentium exerceor, & quæ meum ad vos aduentum hucusq; impediuerunt. Possem ego istis prolixè respondere, & eorum calumnias grauiter, sicuti merentur, confutare: Sed malo ipsis omissis circa diuinæ misericordiæ & bonitatis prædicationem occupari, quæ mihi in omnibus periculis affulget. Etenim ô benedictum Deum illum & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, qui reuera Pater misericordiarum & Deus omnis consolationis dici meretur: eò quòd nos consoletur in omni afflictione nostra, &c. Sunt verba hæc plana satis & perspicua, digna tamen, quæ singula aliquantò diligentius excutiantur. Etenim memorabile exemplum continent, quo admonemur, in afflictionibus non ea modò spectari debere, quæ carni molesta sunt, verumetiam quæ in medijs illis occurrunt diuinæ bonitatis argumenta. Ita mox patebit, nos ampliorem habere gratias agendi quàm quiritandi occasionem.

Deus & Pater Christi.

Itaq; videamus initio, qualem nobis Deum Apostolus describat. Benedictus (ait) Deus & & Pater Domini nostri IESV CHRISTI. Non debent autem hæc ita intelligi, quasi alius sit Deus, alius verò Pater Christi. Sed ita loquitur, partim vt Deum verum à falsis gentium Dijs distinguat, & non alium esse ostendat Deum, quàm qui in Scripturis traditur, qui verbum æternum, siue Filium, ab æterno ex se genuit, Deum verum (vt patres Niceni loquuntur) ex Deo vero, sibi consubstantialem, per quem omnia creauit, & cuius merito nos quoq; redempti sumus: partim propter huius loci argumentum. Quia enim de afflictionibus dicturus erat, quas ipsi exprobrabant æmuli eius, docere vult, ea quæ propter Christum patiuntur pij, non debere Dei irati argumentum putari, cum hic Pater sit Christi, & hunc Filium suum dilectum esse cælitus testetur. Et facit ad huius doctrinæ confirmationem, quòd quem paulò ante dixit nostrum Patrem esse, nunc Christi Patrē vocat. Ex eo enim colligimus, vnum & eundem IESV CHRISTI & nos-

STI & nostrûm omnium Patrem esse, & ideo nos Christi fratres esse, quod ipsemet non obscurè testatur, quando nos orare iussit his verbis: Pater noster, qui es in cœlis: quando item à mortuis resuscitatus Magdalenæ dicebat: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: ad Deum meum, & Deum vestrum. Illic enim in Mediatoris persona loquitur & suæ mortis atq; resurrectionis fructũ exponit: qui est, quòd Deũ ita nobis placauit, vt qui ipsi Pater est natura, nobis quoq; Pater factus sit ex gratia, quos propter ipsum in filios adoptarit. Ioan.20.

Deinde Patrem misericordiarum dicit Hebraica phrasi pro misericorde, vel potius omnis misericordiæ fonte & authore. Plurali autem numero vtitur, vt omnia, quæ in natura rerum extant, diuinæ bonitatis & misericordiæ argumenta compræhendat. Quicquid enim boni habemus, id omne ex Deo est: de quo cum ipsi nihil possimus mereri, gratuitum sit oportet, quicquid nobis largitur. Est autem obseruatu dignum, Deum passim in Scripturis à bonitate & misericordia commendari. Causæ huius rei sunt. Prima, quòd hæc in omnibus eius operibus eminet, sicuti Psalmus testatur: Misericordia eius superat omnia opera eius. Altera, quòd ex misericordia nobis applicantur & salutaria fiunt, quæcunq; in illo eximia & magnifica sunt. Nam si iustitiam eius solam respicias, terreberis peccatorum tuorum conscientia. Si veritatem, mox occurret, omnes homines natura mendaces, & proinde à Deo alienos esse. Si omnipotentiam & maiestatem, tua infirmitas coram ea consistere non poterit. Si sapientiam, tuæ te stultitiæ pudebit & ignorantiæ, qui in media luce cæcutias. At si misericordiam eius infinitam & plus quàm paternam simul nobis ob oculos ponamus, mox spes bona animis nostris affulgebit, ipsum omnia quæ habet nobis communicare velle, vt nostræ saluti inseruiant: eoq; magis spes ista confirmabitur, quò diligentius miserias nostras expenderimus, quæ si nullæ essent, misericordia illius locum habere non poterat. Huc refer, quæ de illa traduntur. Psal. 103. Isa. 49, &c.

Pater misericordiarum.

Psal.145.

Tertiò, Deum omnis consolationis Patrem dicit. Id verò subijcit ceu argumentum misericordiæ, vt eos confirmet, qui de Dei misericordia dubitant, quando pios perpetuis afflictionibus exerceri vident. Tunc enim multorum fides grauissimè tentatur, & audiuntur ferè voces istæ: Egregia sanè misericordia, homines insontes & meliora meritos in assiduis tormentis & cruciatibus spectare, gemitus & eiulatus eorum audire, nec tamen opem ferre miseris. Num verò credendum est, Deum eorum calamitatibus affici, quos ita negligit? Sic Iobum olim Satan tentauit, & huius generis multa illi ogganniebat vxor. Docet ergo Paulus, Deum, etsi non semper ex calamitatibus & periculis liberet, nihilominus tamen non deesse eum misericordiæ suæ: nam eundem tunc afflictos consolari, vt omnibus ferendis possint sufficere. Ideoq; expresse Patrem omnis consolationis dicit, & per expositionem addit: Qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Non ait, Qui nos potest consolari: sed, Qui consolatur. Ita enim docet, illum nunquam deesse suo officio, adeoq; hoc ei proprium & perpetuum esse, quòd semper suis adsit, semper consoletur, semper viribus nouis labascentes suffulciat. Habemus igitur in illo duplicem consolationem. Vnam in præsenti seculo, quam adhibet, dum nos (vt Paulus alibi docet) non patitur supra vires tentari. Alteram, quæ in futuro seculo habetur, quando omnibus miserijs liberatos ad se transferet in sedes beatæ immortalitatis, vbi lachrymæ omnes abstergentur, & omnis gemitus atq; dolor cessabunt. De hac consolatione diuiti illi epuloni Abrahamus loquitur, quando Lazarum nunc solatio frui ait, ipsum autem merito cruciari qui omnia sua in vita malè anteacta receperit. Debent autem priorem illam diligentes meditari quicunq; in hoc seculo affliguntur, vt ea perspecta in futuræ felicitatis spe confirmentur, quæ nos omnibus malis superiores facit.

Pater omnis consolationis.

1.Cor.10.

Luc.16.

Simul autẽ obseruabis hoc loco, Paulum, qui dum hæc scriberet, adhuc sub cruce exercebatur, & quidem propter vnum Christum & Euangelium eius, solius tamen misericordiæ meminisse, qua ipsum Deus consoletur. Atqui iustitiam Dei implorare, & vindictam minitari poterat, qua Deus suorum iniurias vlciscitur. Sed consolatio eiusmodi vt non solida est (eò quòd in nobis quoq; multa sunt, quæ puniri merentur) ita qui ad illam confugiunt, ij ferè nimis arroganter de semetipsis sentiunt, quasi ipsi digni sint, propter quos alij puniantur. Atqui omnes precari cogimur: Memor sis miserationum tuarum ô Domine, & bonitatis tuæ: quoniam à seculo sunt. Peccatorum autem adolescentiæ meæ & scelerum ne sis memor: memor autem mei sis secundùm benignitatem tuam. Psal. 25. 143.

Sola Dei misericordia Paulus seipsum cõsolatur.

*Item: Ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo: Remitte nobis debita nostra, vt nos remittimus debitoribus nostris. Admonent ista, quid de illis iudicemus, qui dum affliguntur, ex impatientia murmurant, quasi ipsis iniuriam faciat Deus. Quin potius eius misericordiam agnoscis, qui cædit nos, vt sanet, occidit item vt viuificet? Deinde in mentem reuoca, quàm multis quamq; efficacibus consolationibus, te hucusq; refocillatũ seruarit: quibus nullus apud te locus fuisset, nisi ista paterer*is. *Deniq; ad alios homines respice, & multos inuenies, qui grauiora quàm tu patiuntur, ideoq; te nullam habere videbis de Deo quiritandi occasionem.*

Paulus suas consolationes Corinthijs communicat.

Quartò vsum & finem misericordiæ sibi factæ Paulus indicat: Vt possimus in quauis afflictione positos consolari, ea ipsa consolatione, qua nos ipsos Deus consolatur. Vt enim qui rerum aliquarum vsum sibi longa experientia compararunt, easdem alijs facilius & felicius possunt tradere: Ita qui multis aduersis agitati vim diuinæ consolationis sæpius senserunt, ij alios melius consolari possunt, & ad opem ferendam propensiores sunt. Vidit hoc prophanus Poeta, qui barbaram mulierem loquentem inducit. Non ignara mali miseris succurrere disco. Sciunt etiam isti quæ consolationis argumenta sint efficacissima. Fatetur ergo Apostolus, se hoc Dei consilium agnoscere, & ita fructum omnem suarum afflictionum Corinthijs communem facit: Quod vt apud bonos ipsi beneuolentiam parabat, ita vehementer arguebat æmulorum ingratitudinem, qui afflictiones ei exprobrabant.

Deus aliorum exemplis nos terret & solatur.

Est autem diligentiori consideratione dignus hic locus, quo admonemur, Deum qui singularia edit iustitiæ suæ exempla in sceleratos, vt ea multis alijs ad pietatem documento sint, similiter misericordiam quoq; & bonitatem suam exemplis peculiaribus declarare, non propter eos modò, qui illis tunc fruuntur, sed vt plures alij ijsdem confirmentur. Docet hoc Dauid suo exemplo in Psalmis non semel. Et Paulus in priori ad Timoth. sibi factam misericordiam omnibus peccatoribus applicat. Et notum est illud Christi Petro dicentis: Tu conuersus aliquando, confirma fratres tuos. Estq; hoc memorabile prouidentiæ Dei argumentum, quæ nos hominum afflictissimorũ exemplis erigit atq; confirmat, & sæpe etiam eorum, qui dignas sceleribus suis pœnas exoluunt. Debent ergo diligenter obseruari, quæcunq; sunt huius generis.

Officium eorũ, qui Dei opem senserunt.

Imprimis autem officij sui meminerint, qui singulari gratia Dei se in aduersis subleuari sentiunt: vt nimirum quicquid inde accipiunt, id ad aliorum vtilitatem conferant. Itaq; si quando ex periculis liberati pace tuta fruimur, alijs periclitantibus opem feramus, aut si id non possumus, saltem pijs consolationibus & nostri doloris significatione illorum molestias leuemus. Idem faciant erga egenos opulenti, erga perplexos & consilij inopes, qui sapientia instructi sunt. Sumus enim membra eiusdem corporis, vt in priori epist. audiuimus: cumq; Deus mundi huius machinam cum omnibus eius partibus nostro vsui destinauit, iniqui erimus donorum eius dispensatores, si quæ nobis data sunt cuiquam negemus, qui illis opus habet. Arguit hoc eorum duritiem, qui otio & pace abundantes fratrum pro fide periclitantium cura nulla tanguntur, dummodo ipsis lasciuire & delitiari per illos liceat. Peiores sunt, qui insuper eis insultant, & in cruce pendentibus acetum felle mixtum propinant, dum omnia eorum improbè calumniantur. Quibus adnumerari debent, qui dum Euangelij prædicatione tutò fruuntur, alijs sub duro tyrannorum imperio laborantibus illius micas negant, neq; libellos aliquos in illorum consolationem aut institutionem ædi volunt, ne ipsi in alicuius odium incurrant. Accidit his ferè, vt dum omnia tuta metuunt, seipsos periculis grauissimis intricent, & tunc alios quoq; erga se duriores experiantur. Deum Opt. Max. precor, vt omnium animos emolliat, & difficillimis hisce temporibus regat, vt mutuis consolationibus confirmati per aduersa omnia eluctemur ad beatæ immortalitatis portum, quem nobis CHRISTVS IESVS *sui sanguinis pretio acquisiuit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA II.

Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita per Christum abundat etiam consolatio nostra.

Inter

INter alia, quibus Pauli æmuli ipsum apud Corinthios suspectum & contemptum reddere cõnabantur, præcipuum ferè fuit, quòd apud imperitos rerum persecutiones, quibus ille exercebatur, odiosè exagitabant, vt nimirum omnibus persuaderent, ipsum talem esse, quem nemo bonus & moderati ingenij homo ferre posſit, & proindè meritò eum ab ipsis quoq; contemni. Prudenter ergo ab eo epistolam hanc orditur, & vt scandalum hoc è medio tollat, initiò statim magnificè prædicat Dei misericordiam, qui ipsum hucusque inter medias afflictiones ita consolatus sit, vt non modò ipse eas vincere potuerit, verumetiam aliòs suo exemplo atq; doctrina consolari. Facit ad horum confirmationem locus iste, quem modò recitauimus.

Nam δοξολογίας istius, qua Dei misericordiam celebrauit, rationem reddit his verbis: Quoniam sicut abundant paſsiones Christi in nobis: ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. Quasi diceret: Non equidem inficior multa mihi quotidie aduersa accidere, imò verè dicere possum, me omnibus ijs, quæ Christus passus est exerceri, adeò vt afflictionum fluctus in me omnem suum impetum effundere videantur. Non autem propterea me miserum aut infelicem esse existimo, neque de Dei rigore quiritor. Vt enim Deus ista immittit, vt propter Filium suũ dilectum ea patiar: ita per eundem me liberaliſsimè consolatur atque confirmat, vt omnibus istis superandis posſim sufficere. Eius ergo consolatione suffultus, neque ipsis aduersorum vndique mihi insultantium procellis, neque iniquis æmulorum meorum iudicijs moueor, quò minus cum læta & publica gratiarum actione suscipiam quicquid ille dederit. Hic verborum istorum sensus est, quibus Paulus non solum scandalum remouet, quod ex ipsius persecutionibus nascebatur, verumetiam consolationem pijs omnibus propinat, qua in suis tentationibus confirmentur. Ea autem eò solidior & efficacior est, quòd argumento ex communi sensu aut legibus naturæ deducto nititur. Æquum enim est, vt qui propter aliquem affligitur, ab eodem retributionem accipiat, aut saltem gaudij & felicitatis, qua ille fruitur, particeps fiat. Quia ergo nos cum Christo, & propter eius Euangelium patimur, fieri non potest, quin is consolationis spiritu nobis adsit, ne sub onere isto succumbamus. Deus consolationes suas afflictionibus æquat.

Est autem hoc Pauli dictum, ô viri Christiani, digniſsimum, quod diligentius à nobis consideretur. Breuiter enim comprehendit omnia, quæ nobis, quoad crucem & huius seculi afflictiones, cognitu necessaria sunt. Inter quæ primum est, Christianis hominibus nunquam defore crucem & aduersa, quibus in hac vita exerceantur. Docemur deinde, quid de cruce nostra & afflictionibus sentire, vnde item consolationem, consilium aut opem petere debeamus. Præterea Mediatorem nobis ostendit, cuius interceſsione seruamur. De istis ergo, quod Dominus dederit, ex ordine dicemus.

Et primum quidem cognitu perquàm necessarium est, crucem videlicet pijs ac verè Christianis nunquam defore: ne ea, vt re insolita & noua offendamur. Id enim multis accidit, qui tantum non Iudaico errore decepti, in Christo nihil aliud præter opes, dignitates, pacem & otium sperarunt, posthabitis bonis cœlestibus, quæ ille nobis meruit: quæ sunt, peccatorum remiſsio, reconciliatio cum Deo, & pax conscientiæ, quæ omnem mundi huius intellectum superat. Quæ causa est, ob quam Christus discipulos frequenter de cruce ferenda præmonuit, & quoties ipsi de regno eius terreno disputarunt, toties illos ad patientiam & fidei constantiam hortatus est. Idem regulam omnibus Christianis communem præscribit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Et hanc proprio exemplo commendat, dicens: Non est seruus maior hero suo: Si me persecuti sunt, vos quoque persequentur. Et rursus: Veniet tempus, quando qui vos occiderit, putabit se cultum Deo præstare. Denique, in mundo afflictionem habebitis, sed bono animo estote, ego vici mundum. Ex quibus Paulus hoc suum dictum collegit: Omnes qui volunt piè viuere in CHRISTO IESV, persecutionem patientur. 2. Timoth. 3. Christianis nunquã desunt persecutiones. Luc. 9. Matth. 16. Ioan. 16.

Neque aliter fieri posse patebit, si rem penitius inspexerimus. Nam & communibus humani generis calamitatibus, quæ ex peccato plurimæ & graues exortæ sunt, Christiani homines sunt obnoxij, & multa alia incidunt, quibus crux eorum aggrauatur. Etenim nunquam mutabit ingenium suum mundus hic, qui vt Veritatis lucem odit, eò quòd opera eius mala sunt: ita neque eos Persecutionum causæ.

ferre potest, penes quos lux ista fulget, aut quorum ministerio in illa accendenda Deus vtitur. Deinde in pijs quoq, etsi de fide & religione rectè sentiunt, næui tamen & vitia inueniuntur, quæ castigationem merentur, ne latius serpant, neue in suis Deus ferre putetur, quæ in alijs seuerius punit. Itaque à sua ferè domo (vt Petrus ait) iudicij sui initium facit, & in suis castigandis atque corrigendis opera impiorum vtitur, ne quando illi quoq, cum mundo incurabili & pœnitere nescio pereant. Adde his, quòd cùm natura huius vitæ & seculi amantes simus, opus omnino est, vt crebris afflictionum incursionibus vexatos tandem satietas vitæ & mundi tædium capiat, vt animis ad Deum eleuatis ad cœlestem patriam aspiremus. Possent & aliæ huius generis causæ adduci, quas breuitatis causa omittimus. Nam qui istas non oscitanter perpenderit, mox intelliget, Deum nemini iniuriam facere, neque habere nos, quod de eius rigore aut seueritate nimia conqueramur.

1. Pet. 4.

Afflictionibus pios exerceri non est nouum aut insolens.

Nam quòd aliqui hoc nouum & insolens esse clamant, quòd hodie persecutiones passim feruent, eo suam ignorantiam produnt. Qua ratione enim nouum aut insolens dici potest, quod vt in ipso mundi exordio cœpit, ita quasi continua successione ad nos vsque est propagatum? Etenim primus ex Adamo natus germanus Dei cultor fraterna manu miserabiliter cecidit. Quàm dura verò Sethi & posterorum eius conditio fuerit inter impios Cainitas, facilè æstimabit, qui horum mores & studia animo perpenderit, propter quæ Deus terris diluuiū immisit, & genus humanum, vno Noa cum suis excepto, perdidit. Quis verò huius labores, pericula, curas & molestias verbis explicet, qui Cainitarum petulantiam tam diu pertulit, mundi totius miserabilem interitum spectauit, filij ludibria sustinuit, omnia deniq, passus est, quæ homini molesta & intolerabilia videri possunt? De Abrahamo quid dicemus quem ab eo tempore, quo Deo vocante solum natale reliquit, perpetuæ curæ partim domesticæ, partim exteræ, pericula item, labores, tentationesq, grauissimæ exercuerunt? Atqui is ille est, quem credentium patrem vocat Apostolus. Eadem Isaaci sors fuit, & grauior adhuc multoq, durior Iacobi, qui iam senex à Pharaone de ætate sua interrogatus, non aliud respondere potuit, quàm vitam suam peregrinationem breuem quidem, sed laboris & ærumnarum plenam fuisse. Poterant his connumerari Ioseph, Moses, Iosua, David, Prophetæ, Apostoli & quotquot vnquam Deo fideles fuerunt, qui eò magis afflicti sunt, quò alacrius & studiosius communi omnium saluti studuerunt consulere. Et quod de priuatis hominibus dicimus, hoc ipsum de tota fidelium Ecclesia debet intelligi: quam similiter ab ipsa rerum origine perpetuis persecutionibus obnoxiam fuisse nemo negare potest, qui Scripturas sacras & historiam ecclesiasticam vel à primo limine (quod dicitur) salutauit.

Nemo afflictionibus piorum offendatur.

Fuerunt hæc aliquantò diligentius repetenda propter eos, quos nostri seculi turbæ, seditiones & bella, quæ contra fideles Christi cultores suscipiuntur, ita offendunt, ac si nihil huius vnquam in terris accidisset. Quæ causa est, vt alij quidem de fidei doctrina & tota salutis nostræ ratione dubitent: alij verò Corinthiorum exemplo turbas hasce Euangelij præconibus acceptas ferant, quorum morositate & importunis siue seditiosis concionibus principes viri irritentur. Fatemur equidem aliquos istorum zelo inconsulto abreptos multa sæpe importunè, quædam etiam petulantius facere. Veruntamen turpissimè falluntur, qui eam Euangelij prædicandi rationem institui posse sibi persuadent, quæ mundo quoque probetur. Quid enim hîc nos tentemus, quando hoc neque Prophetis neque Apostolis, imò ne Christo quidem datum fuit, qui vt mansuetissimus fuit omnium hominum, ita doctrinæ suæ miracula saluberrima in multorum vtilitatem coniungebat? Pollicetur quidem ille suis discipulis pacem, sed suam pacem, quam à pace huius mundi distinguit, cui illos exosos fore apertè testatur. Et alibi ait: Putatis quòd aduenerim pacem daturus in terra? Non, dico vobis, imò dissidium. Erunt enim ab hoc tempore quinque dissidentes in domo vna, tres aduersus duos, & duo aduersus tres. Dissidebit pater aduersus filium, & filius aduersus patrem: mater aduersus filiam, & filia aduersus matrem: socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum suam. Item: Inimici hominis erunt domestici eius. Hæc cùm nobis Dei Filius, qui ipsa est veritas, iam olim prædixerit, simulq, constet, infelicem hunc mundum nunquam ab ingenio suo discessurum esse, cuius proprium est (vt supra diximus) lucem Veritatis odisse: minime nobis mirum videri debet, si nouissimis hisce temporibus, quæ corruptissima fore idem

Ioan. 14. 15.
Luc. 12.
Matth. 10.

Dominus

Dominus monuit, principes tam ecclesiastici quàm politici, vnà cum stolido & infelici vulgo, aduersus Euangelij doctrinam eiusq; sectatores tumultuantur, & persecutiones sanguinarias instituunt. Sufficiat nobis, si ipsi, quantum in nobis est, cum omnibus pacem colamus. Quòd si verò aliquibus hoc non sufficit, qui insuper vt fidem in IESVM CHRISTVM *abnegemus, à nobis exigere audent: tunc quiduis potius facere aut sufferre parati simus, quàm mundo obsequi in eo, quod cum Dei ignominia & salutis nostræ iactura coniunctum est.*

Cæterùm vt in hoc certamine, quo nullum carni grauius accidere potest, instructiores simus, alterum huius loci caput diligentius considerari oportet, vt discamus, quid de afflictionibus piorum iudicari debeat, & quo loco apud Deum habeantur. Nam si mundi iudicia admittamus, illas digna & iusta impietatis supplicia & Dei irati argumenta esse dicet, quibus hìc palàm testetur, illorum fidem atque religionem sibi quàm maximè improbari. Quæ causa est, quòd multi pijs sub cruce gementibus fidem suam atque factam ab ipsis externi cultus mutationem exprobrant: idq; tanta cum scurrilitate & petulantia, vt ne sacrosancto quidem Dei nomini parcant. Exemplum huius impietatis memorabile, in Sennatheribo, Assyriorum tyranno, sacra historia proponit. Et Babylonijs à Iudæis inter ipsos exulantibus per ludibrium postulauisse legimus, vt sui Dei laudes & hymnos in festis decantari solitos, tunc ipsis canerent. Cui impietati maius quid & grauius addidit Balthazar Rex, quando vasa sacra, ex templo Hierosolymitano direpta, in conuiuio luxurioso sui similibus proceribus apposuit, qui inde occasione arrepta Deos suos & horum auspicijs partas victorias celebrauerunt, non sine veri æternique Dei ludibrio. Fiunt huius generis multa hodie, si quando fideles Christi cultores cladem aliquam accipiunt, & hostium libidini subijciuntur. Tunc enim voces illas audire licet: Iamne apparet, quæ nam fides vera quæ religio orthodoxa sit? Vbi iam Euangelium istud est, quod isti nouatores nunquam non in ore habuerunt? Vbi Christus ille, quo solo illi confisi sunt? &c. Hæc & his similia (inquam) passim pijs Christi martyribus occinuntur. Qui verò non tam crudeles & inhumani sunt, ij tamen Christianos hominum miserrimos & infelicissimos esse putant, qui pro re incerta & dubia, vel saltem indifferenti, sese omnium odijs atque ludibrijs, imò tormentis quoque diris & infandis cruciatibus exponant. At neminem ista debent offendere, quando æternum Dei Filium, IESVM CHRISTVM, *similibus conuitijs in cruce confixum fuisse scimus, vt iam de priscis martyribus nihil dicatur.*

Quid de piorū afflictionibus debeat sentiri.

Isa. 36 37.

Psal. 137.

Dan. 5.

Itaque Paulum audiamus, qui quæ ipse patiebatur, passiones Christi vocat: Sicut (inquit) abundant passiones Christi in nobis, ita, &c. Id verò non temere aut arroganter dicit, sed verè: eò quod afflictiones, quas Christiani homines sustinent, in Dei conspectu Christi crux siue passiones reuera sunt atq; censentur: partim quidem quòd illas propter solius Christi nomen sustinent: partim verò, quòd ipse Christus in illis affligitur. Quia enim hic caput nostrum est, & nos membra corporis eius sumus, non potest non sibi factum putare, quicquid suis factum fuerit. Fatetur hoc ipse, quando in nouissimi iudicij eiusque processus descriptione fideles & pios sic alloquitur: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi quod ederem: sitiui, & dedistis mihi potum, &c. Et rursum impijs: Maledicti, abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi quod ederem: sitiui, & non dedistis mihi potum, &c. Quibus consentit, quod apud Prophetam de suo erga Ecclesiam suam zelo disserens, inter alia dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Sed & ipse Paulus quod in præsenti dicit, id ex Christi ore didicerat, quando ad Damasci portas propter impium & crudelem in fideles conatum fulmine prostratus, illum sibi intonantem audiuit: Saul Saul, cur me persequeris? Quia ergo ab eo tempore fidus Christi minister fuerat, meritò afflictiones, quibus exercebatur, Christi passiones vocat: nec se propter illas miserum aut infelicem esse putat, quin potius præcipuam felicitatis suæ partem in eo collocat, quòd Dei Filius ipsum suæ crucis socium habere dignetur. Et sanè verè beati sunt quibus hoc datur, verè autem miseri & mortalium omnium infelicissimi sunt, qui dum pios hostiliter persequuntur, illum sibi hostem faciunt, cui omnis potestas data est in cælo & in terra, & qui olim pœnis æternis eorum impietatem mulctabit.

Quæ pij patiūtur, Christi passiones sunt.

Matth. 25.

Zacha. 2.

Acto. 9.

Gloria Crucis Christianorum

Elucet ergo hîc ô fideles Christi serui ingens & eximia crucis nostra gloria, quæ sola, si diligentius consideretur, nos abunde consolari potest, ne vllis afflictionibus succumbamus. Merentur omnes homines, vt propter innatam naturæ vitiositatem & pessimos, qui ex ea protuberant, fructus æternis inferorum cruciatibus puniantur: ideoq; quæcunq; patiuntur impij & à Christo alieni, hæc Dei ipsis irati argumenta, & nisi conuertantur, æternarum pœnarum præludia sunt. At pios Christi sui cultores ea gloria & honore Deus dignatur, vt quæ ipsi patiuntur in Christi passiones commutet, vt nimirum huius similes facti in cruce, imò crucis eius socij, olim eiusdem quoq; cohæredes sint in cœlesti gloria. Fit hoc plerunque, quando non alia quàm Christi causa eos mundus persequitur: eoq; illustrior est hæc gloria, quando ne hostes quidem dissimulant, de fide & Euangelij doctrina agi, quam diutius ferre nec velint, nec possint. Tunc enim reuera Simeones illi sancti fiunt Christiani homines, qui Filij Dei crucẽ post ipsum ferunt, & ad quos promissio pertinet: Vbi ego sum, ibi volo sit etiam minister meus. Item: Si cum Christo morimur, cum eodem viuemus: si cum illo sufferimus, cum eodẽ regnabimus. At quod nam euidentius suæ bonitatis specimen Deus nobis dare, aut quam gloriã maiorem nobis conferre poterat? Finge Regem aliquem potentissimum, qui homini facinoroso & suspendiũ siue rotam merenti, non modò culpam omnem condonet, verùmetiam equestri ordine donatum cum filio suo vnico regniq; hærede in prima acie collocet, vt illic contra publicos regni hostes suæ virtutis tyrocinium siue specimen præbeat. Quis tantam Regis istius clementiã non prædicet? Quis istum se totum Regi suo debere negaret? Quis item non gloriosa & summis votis expetenda diceret vulnera, quæ idem iste ex prælio referret? Aut num illorum ipsum iure posset pudere? Atqui eadem est omnium nostrûm conditio. Omnes enim peccaueramus, & à Deo perfidã feceramus secessionem. Omnes ergo rebelles facti extremum & æternum supplicium merebamur. At nostri misertus Deus nõ solùm culpam omnem condonauit, sed eandem Filij sui vnigeniti sanguine eluit, nos deniq; indignos in filiorum locum adoptauit, & per baptismum in militiam Filij sui adscripsit, vt cum eo sub glorioso & victorioso crucis vexillo aduersus communem hostem diabolum & satellites eius dimicemus, stipendij autem loco regni sui cœlestis hæreditatem pollicetur. Quis ergo hanc plus quàm paternam illius bonitatem nõ exosculetur & celebret? Aut num aliquis tam ignauus aut stolidus fuerit, vt ipsum periculi, vulnerum aut plagarum istarum pudeat, quæ ipsi cum Christo communes sunt? Hæc consideratio certè olim beatos Martyres ita cõfirmauit, vt alacri animo ad mortis supplicia accesserint, carnifices amicè salutarint, palos & vncos exosculati sint, & Deo gratias egerint, qui isto honore ipsos dignabatur. Fuit ex horum numero Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ episcopus, qui cùm Romam ad bestias duceretur, fideles, qui Romæ erant, epistola ad eos ex itinere præmonuit, ne qua ratione hoc eius tam dirum supplicium impedire conarentur. Et inter alia sic scribit: Dei esse triticum cupio, teriq; ac moli dentibus bestiarum, vt Deo mundus aut purus panis inueniar. Itaque ad hoc blandè allicite bestias, vt meum sepulchrum fiant, neque de meo corpore quicquam inhumatum relinquat, quod me dormiente cuiquam graue aut molestum sit. Et rursus: O optatissimas bestias, quæ paratæ meum corpus expectant: quas vtinam breui tempore videam, &c. Idem animus eademque sententia Magni illius Constantini fuit, qui in Nicena Synodo patrum cicatrices exosculabatur, quas illi ex plagis sub Diocletiano acceptis gestabant. Agnoscebat enim in his singularem Dei gratiam, qui tanto honore dignos duxerat, vt (quod Paulus noster alibi dicit) stigmata IESV CHRISTI *haberent in suis corporibus.*

Ioan. 12.
2. Tim. 2.
S. Ignatius.

Vt afflictiones in Christi crucem possint conuerti.

Etsi verò ista propriè ad eos pertineant, qui propter fidem in Christum eiusq; professionem liberiorem affliguntur, debet tamẽ doctrina atq; consolatio ista ad omnes alias quoq; afflictiones extendi. Nam siue morbis infestemur, siue cum egestate confligamur, siue propter admissa scelera pœnas debitas luamus, ex his quoq; crucem Christi nobis fabricare possumus, si ea propter ipsum patienter feramus, & exemplum, quo is nobis præiuit, imitemur. Eius enim hæc regula est vt supra diximus: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Crux autẽ vniuscuiusq; dicuntur aduersa, quæ Deus cuiq; ferenda imponit. Itaq; si in his patientes simus ex fide, eò quòd æternus Dei Filius his grauiora & duriora propter nos passus est, insons nimirum pro sontibus, iustus pro iniustis, tunc Christi crucem ferre dicemur.

Luc. 9.

Cur enim

Cur enim hoc aliquis neget, cùm & in eius solius merito omnem salutis fiduciam repositam habeamus, & exempli eius vestigijs insistamus? Hinc ergo consolationem communem petant omnes Christi cultores, quocunque tandem tentationis aut aduersorum genere exerceantur.

At quia caro nostra infirmior est, quàm vt hæc ei semper possint sufficere, prodest ipsissimum omnis consolationis fontem atque authorem nouisse (quod tertium huius loci caput est) vt intelligamus, quò nos recurrere oporteat, vt aduersus omnes tentationum insultus confirmemur. Est is solus verus & æternus Deus, cuius bonitatem Paulus hoc loco multiuariàm commendat. Initio enim eum Patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis dicit. Deinde se inter afflictiones omnis generis ab illo consolationes solidas percipere testatur, idque in eum finem, vt alios in quauis tentatione consolari possit. His in præsenti addit: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. Sensus est, Deum consolationes suas nobis augere & vberiores facere pro ratione nobis imminentium afflictionum. Id verò non ex suo cerebro confinxit Apostolus, sed ex veteri Scriptura desumpsit, vbi sic canit diuinus ille Psaltes: Pro æstu multarum cogitationum intra me, recrearunt animam meam consolationes tuæ. Finis autem & vsus istorum nobis hic esse debet, ne alibi quàm apud vnum Deum consolationem, opem aut consilium quæramus, si quid grauius nobis incumbit. Nam quæcunque in rerum natura sunt, vtut præclara & magnifica appareant, fluxa tamen & caduca sunt. Omnis caro fœnum (ex Dei mandato clamat Propheta) & omnis gloria carnis, flos agri. Ieremias verò maledictum pronuntiat eum, qui homini fidit, & carnem facit brachium suum. Dauidis item Regis potentissimi admonitio est: Ne fidatis principibus, filijs hominum, in quibus non est salus: Nam vbi animam efflauerit, reuertetur corpus eius in terram suam, & tunc intercidunt omnes cogitationes eius. Et his mox addit: Beatus autem, qui Deum Iacobi habet in auxilijs, & spem in Domino Deo suo: Qui cœlum & terram fecit, mare & omnia quæ in eis sunt, quique custodit æternum veritatem. Etenim solus ille Dominus exercituum est, qui creaturis omnibus pro suo nutu imperat, & proinde solus etiam in omni necessitate nobis subuenire potest. Idem bonus ille & clementissimus Pater est, qui etiamsi non semper ex aduersis & periculis liberet, semper tamen nos consolatur atque confirmat, ne in illis succumbamus, neque nos (vt alibi dictum est) supra vires tentari sinit. 1. Corinth. 10.

3. In afflictionibus quo confugere debeamus

Psalm. 94.

Isa. 40.
Ierem. 17.
Psalm. 146.

Exempla, quæ hoc probant, in Scripturis plurima occurrunt. Prodeat inter ea primus Abrahamus, pater credentium, cuius tota vita afflictissima fuit. Educitur ex natali solo, vt exul & peregrinus sit, qui domi inter suos splendidè viuere poterat. Mox moritur pater Thare, quem peregrinationis suæ comitem fidissimum sibi delegerat. Vbi verò terram à Deo monstratam attigit, fame exceptus in Ægyptum descendere compellitur. Illic vxor dilectissima rapitur à Rege non sine manifesto pudicitiæ periculo. In Chanaan reuersum iurgia seruorum à Lotho nepote suo cogunt discedere: quod ei procul dubio acerbissimũ fuit, cùm ille solus esset, qui exilij molestias atq; curas in gente barbara lenire posset. Deinde hostilibus armis terra vicina petitur, & Lothus captus recuperatur. Accedunt his turbæ domesticæ propter Saræ sterilitatem, & in extremam senectam differtur seminis promissi natiuitas. Tandem cùm in Isaaco spem omnẽ haberet fundatam, illum propria manu immolare iubetur: quæ tentatio plus quàm mille gladijs animum paternum vulnerare poterat. Sequitur mox coniugis charissimæ obitus. Sed inter omnia hæc abundauit consolatio, quam Deus adhibuit, & qua confirmatus his omnibus superior factus est. Idem de Isaaco & Iacobo dicere possumus, quibus rectè Iobum coniunxeris & Dauidem, qui cùm foris & intus grauissimè tentaretur, Dei tamen consolationibus sese confirmari ac sustentari sensit. Neque alia est Noui Testamenti ratio, in quo gratiæ & bonitatis Dei iubar nobis propius atque vberius affulget. Et extant illic dulcissimæ Christi promissiones: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Si quis sitit, veniat ad me. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Et rogabo Patrem, qui alium consolatorem dabit vobis, Spiritum Veritatis. Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi, &c.

Exempla consolationis diuinæ.
Abraham.

Isaac.
Iacob.
Iob.
Dauid.

Ista verò simul nos officij nostri admonent, vt bonitatem istam Dei agnoscamus, & hac eiusdem gratia contenti simus, neue ei temere præscribamus, licet non semper votis nostris annuat,

Deo vno contenti simus, nec ei præscribamus.

& interdum nos durius tractare videatur. Docebit hoc infra Cap. duodecimo Paulus proprio exemplo, vbi plura de hac re dicendi locus dabitur. Hoc solum nunc monuisse sufficiat, eos qui Deo præscribere audent, eundem simul tentare, quod scelus grauißimum esse, non vno loco Scripturæ docent. Hîc igitur imprimis opus est obedientia fidei, qua illum (vt Dauid docuit) expectemus cum silentio & spe. Et cur id graue nobis videatur, quando cum afflictionibus tam multa tamque illustria diuinæ bonitatis argumenta concurrunt? Etenim per se magnum est, quòd Deus nos propter nomen suum affligi vult. Maius, quòd afflictos respicit, quos plerique fastidiunt. Maximum, quòd per eosdem de mundo & eius principe diabolo triumphat.

Psal. 27. 62.

Fructus afflictionum. At quia nos ferè impatientiores facit, quòd ea sola spectamus, quæ carni dura & acerba sunt, neglectis bonis, quorum nobis afflictiones causa sunt, vtile fuerit earum fructus inspicere, & mox patebit, in illis præclarißimarum virtutum materiam proponi, ex quibus tota vitæ Christianæ summa dependet. Comprehendit has Paulus ad Romanos sic scribens: Gloriamur sub spe gloriæ Dei, neque id solùm, verumetiam gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem spem: porro spes non pudefacit, quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Primus afflictionum fructus patientia esse dicitur, quia huius materiam nobis præbent, neque sine illis hæc locum habere possit. Est autem patientiæ virtus præstantißima, vt quæ nos omnibus aduersis superiores facit, & in qua Christo teste, animas nostras poßidemus. Patientiæ fructus siue proles est (vt sic loquar) experientia, quæ nouis quotidie exemplis Dei bonitatem nobis commendat, nosque in certa eius fiducia confirmat. Experientia hæc spem parit, qua constanti & intrepido animo promissam nobis à Deo opem expectamus: quando eius fidem toties experti de illa porrò dubitare non possumus. Solet enim ex anteactis argumentari fides (vt alibi Dauidis exemplo docuimus) eò quod Deum semper sui similem esse nouit. At hac ratione concepta spes non pudefacit, quia non lubrico fundamento, sed æterna Dei Veritate nititur, quæ infallibilis est: dilectione item eiusdem plus quàm paterna, quam inexhaustam esse non Scriptura modò, sed ipsa quoque rerum experientia testatur. His adde, quod afflictiones vitæ & morum emendationi seruiunt, quòd humiles & modestos reddunt, & superbiæ cristas deprimunt, & dilectionis mutuæ fomenta præbent, quæ tunc maximè locum habent, quando vel nos alieno auxilio opus habemus, aut nostram operam ab alijs requiri audimus. Itaque quando aduersis vndique premimur, tunc meminerimus nos in Dei schola siue palæstra versari, qui nos ad omnia vitæ Christianæ officia erudire statuerit. Quis verò id indignius ferat? Aut quis non agnoscat in eo Dei bonitatem, quando se nouis quotidie viribus fulciri sentit?

Rom. 5. — *1. Patientia.* — *2. Experientia.* — *3. Spes.* — *1. Sam. 17.*

4. Mediator consolationis Christus. Etsi verò ista paßim in Scripturis tradantur, tanta est tamen carnis nostræ infirmitas, vt facile labascamus aut vacillemus, si quando afflictiones grauiores & frequentiores incidunt. Etenim si nostram conditionem cum Dei maiestate, omnipotentia, iustitia & seueritate conferamus, tantus animis nostris terror oboritur, vt neque Dei promißionibus fidere, neque ex veteribus exemplis consolationem petere poßimus, eò quòd neque hæc neque illas ad nos putemus pertinere. Quapropter Mediatore nobis opus est, cuius fiducia niti poßimus. Hunc Paulus nobis ceu digito monstrat, dum consolationem nostram per CHRISTVM abundare scribit. Et hunc quidem solum nominat, eò quòd extra eum nihil est, quod in isto carnis fluctuantis certamine nos confirmare poßit. Hic enim solus is est, de quo Pater cœlitus pronuntiauit: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Ideo alibi dicebat Paulus, Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo IESVS CHRISTVS. In hunc ergo nos respicere conuenit, quoties inter afflictionum assultus conscientias quoque nostras grauius tentari sentimus. Nam vt mox sequetur, hic ille est, in quo omnes promißiones sunt Etiam & Amen. Itaque si in mentem tibi veniat, te hominem miserum, infirmum & mortalem coram Dei Maiestate comparere aut consistere non posse: mox istud etiam animo reputa, Dei Filium carnem nostram in personæ vnitatem assumpsisse, & eandem peracto nostræ redemptionis negotio, in cœlos subuectam ad Patris dexteram collocauisse, vt nobis aditum pararet ad thronum gratiæ, adeoque certos faceret, nostræ etiam carni aliquando in cœlis atque ipso Dei conspectu locum fore. Quòd si conscientia te accuset, & indignum

1. Tim. 2.

indignum esse clamet, quem Deus respiciat: rursus ad Christum recurrito, qui peccatis grauatos ad se inuitat, seq́; vt illos seruaret in mundum venisse docet. Similiter, si Crucis scandalum obijciatur, vt te propter illam Deo minus gratum & acceptum esse cogites, hìc quoque in Christum respice, qui non solùm prædixit quid in hoc mundo passuri simus, verumetiam exemplo suo nobis præiuit, & quascunque ferimus afflictiones proprio sanguine consecrauit, ne porrò Dei irati argumenta censeantur. Hæc si probè considerentur, mox animis nostris pax Dei affulgebit, quæ omnem huius mundi intellectum superat, eoq́; efficacior est, quò magis omni aduersorum genere premimur. Quò Ioannes Apostolus respexit, quando fidem dixit nostram esse victoriam: de ea nimirum fide loquens, qua IESUM CHRISTUM appræhendimus, & qua patres olim ea superarunt, quæ humanis viribus perfici non potuissent, vt ad Hebræos capite 11. multis exemplis docetur. Arguit hoc eorum superstitionem, qui in necessitatibus, relicto Christo ad Diuos cælites, ceu patronos & Mediatores confugiunt. Atqui hos suo seculo iam defunctos esse constat, vt de Dauide Paulus loquitur: nunc autem exuti curis omnibus in cælo beati & felices agunt. Quod verò ex illis ad nos redit, id omne doctrina & exemplo eorum compræhenditur. Illam ergo audiamus, & eorundem exemplum imitati, patienter feramus huius vitæ incommoda, fiduciam verò omnem collocemus in Deo per IESUM CHRISTUM, qui vt fidus noster apud Patrem Mediator est, sic petra quoque inuicta est, aduersus quam ne portæ quidem inferorum præualere possunt. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

1. Ioan. 5.

Actor. 13.

HOMILIA III.

Siue autem premimur, id fit pro vestra consolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia earundem passionum, quibus & nos afficimur: Siue consolationem accipimus, id fit pro vestra consolatione ac salute: Et spes nostra firma est de vobis, quòd sciamus, vos, sicuti socij estis passionum, ita etiam socios fore consolationis.

QVemadmodum homo natura à Cruce & afflictionibus abhorret: ita ferè de illis malignè iudicat, quos grauius illis tentari, & cum assiduis ærumnis plus quam alios confligere videt. Accidit hoc apud Corinthios Paulo Apostolo. Vt enim hic in propagando regno Christi plus alijs Apostolis laborauit: ita hostes quoq; plures ei excitauit Satan, quorum insidijs, calumnijs & aperta vi vndiq; petitus & grauissimè exagitatus est. Cùm autem eò maioris fieri deberet, ex eo æmuli eius calumniandi occasionem arripiebant, vt apud rudes & rerum imperitos, suspectum facerent, quasi ipse sua importunitate turbarum & seditionum materiam siue occasionem præberet. Hæc igitur causa eum mouit, vt epistolam hanc ab afflictionibus & periculis suis exordiatur: quarum rationem ita reddit, vt primò Dei gratiam in illis elucere demonstret: deinde se propter illas amore potius quàm odio aut contemptu dignum esse doceat, quando propter ipsos hæc omnia patiatur, ad quos præcipua afflictionum suarum vtilitas redeat. Id nuper in genere docuit, quando à gratiarum actione exorsus est, vt vel ita demonstraret, quam parum aduersis huius seculi moueatur. Hoc ipsum verò nunc diligentius illustrat, & propius applicat ad eorum institutionem.

Siue autem premimur (inquit) id fit pro vestra consolatione ac salute, &c. Prius consolationes cum afflictionibus coniunxerat, vt illas nunquam defuturas esse doceret. Nunc de singulis seorsim agit: quia etiamsi nunquam desit omnis consolatio, eadem tamen non semper sensu carnis percipitur, neque ita manifestè ab omnibus agnoscitur. Imò frequenter electis quoque accidit, vt Deum sui oblitum esse arbitrentur. Hinc enim voces illæ emanant: Quousq; obliuisceris mei Domine? num perpetuo? Quousq; faciem tuam à me abscondis? Item: Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Vt longè abes à salute mea, à verbis rugitus mei? Deus meus, inuoco per diem, &

Afflictiones per se salutares sunt.

non respondes, &c. Nec mirum his tentationibus sanctos infestari, quando Christum pro assumptæ humanæ infirmitatis ratione similes querelas in cruce fudisse scimus. Vt ergo huic tentationi remedium adhibeat Paulus, docet, afflictiones per se salutares esse, etiamsi absq; consolationibus considerentur. Id autem proprio exemplo demonstrat, de ijs loquens, quæ ipse perpetiebatur.

Duplex huius loci sensus.

Si premimur aut affligimur (inquit) id fit pro vestra consolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia earundem passionum, quibus & nos afficimur, vel quas & nos patimur. Potest hoc membrum bifariàm exponi. Primò, Paulum & reliquos Apostolos, quæcunq; perpessi sunt, ideo perpessos esse, vt salutem, quam nobis Dei Filius suæ mortis merito peperit, toti mundo annuntiarent, & ea prædicatione afflictis conscientijs consolationem veram atque solidam afferrent. Etenim constat, mundum illis non aliam ob causam infensum fuisse: cùm neque reipub. formas mutarint, neque scelera vlla designauerint, hoc autem vnum egerint, vt quàm plurimos Christo adducerent. Et quoad Paulum, Iudæi hunc vbique gentium persecuti sunt, quòd patribus ipsorum promissam salutem gentibus quoque prædicaret; quas illi pro prophanis & à Deo alienis habebant. Ob hanc causam Lystris seditionem excitarunt, vt postea apud Corinthios quoque, sicuti Lucas in Actis scribit. Hæc item ratio illos mouit, vt eundem in templo caperent, occisuri quoq;, nisi Centurionis Romani armis seruatus fuisset. Et de eo ipse in priori ad Thessalonicenses conqueritur. Hanc istius loci expositionem Chrysostomus sequitur, cui si insistere libeat, sensus hic erit: Iniqui nimis in nos sunt, qui propter persecutiones, quibus assiduè exercemur, nos suspectos habent, aut ministerium nostrum calumniantur, quasi id Deo minus gratum aut acceptum sit. Etenim omnia ista nos immerentes & nullius sceleris conuicti propter vos sufferimus: & nisi forti atq; inuicto animo sustineremus quæcunq; mundus & huius princeps Satan nobis obijciunt, nunquam vobis salus annuntiata esset, & iampridem in tenebris superstitionum atq; peccatorum laqueis perijssetis, &c.

1. Paulus afflictus vt salutem alijs prædicaret.

Ingratitudo mundi erga Christi ministros.

Arguit iste sensus mundi huius ingratitudinem, qui plerunq; ijs infensus est, qui pro eius salute dies noctesq; excubant, laborant, periclitantur: imò quod turpius est, quæ illi propter ipsius salutem perpetiuntur, eis exprobrat, quasi sceleribus suis ea meruerint. Venit hîc mihi in mentem historia siue fabula, quæ ad arguendam improbitatem hanc probè conuenit. Erat cuidam vxor morosa & infida, quam tamen ille ardentius, quàm ipsa mereretur amabat. Accidit vt contra leges noctu per plateas discurrens ab excubitoribus publicis compræhenderetur, & crastino die iudicum sententia damnaretur, vt lapidem non parui ponderis catena alligatum cum publica infamia & totius populi ludibrijs per vrbem traheret. Fuit hoc marito graue admodum, & proinde misericordia præpostera motus à magistratu precibus impetrauit, vt vxoris supplicium in se transferret, seq; ipsum pro illa infamem faceret. Quam verò illa pro tam inofficioso officio gratiam ei retulit? Pessimam sanè. Nam quoties inter ipsos iurgium incidit, eamq; liberius admoneret maritus, mox illa ei lapidem illum infamem exprobrabat, quem cum omnium ludibrio per vrbem traxisset. At quid aliud faciunt, qui hodie persecutiones, exilia, egestatem & alia aduersa verbi Dei administris exprobrant? Cur enim hi illa sustinent? Non aliam certè ob causam, quàm quòd omnium saluti consultum volunt, & ideo superstitiones, idololatriam & scelera liberius arguunt. Quod autem istis fit, hoc ipsum omnibus seculis factum esse constat bonis atque fidis principibus, qui in Repub. seruanda fideles fuerunt. Quo loco Mosem, Samuelem, Dauidem, Ezechiam, & ex prophanis historijs Themistoclem, Miltiadem, Camillum, Scipiones, Ciceronem cum innumeris alijs producere poteramus. Ex quibus omnibus apparet, Deum olim verissimè per Hoseam dixisse: Perditio tua ex te est ô Israel, ex me autem salus tua. Neminem ergo infelicis mundi ingratitudo, qua etiam hodie antiquum ingenium refert, offendat: quin discant potius singuli officium facere, ad quod destinati sunt, retributionem verò à Deo expectent, qui remunerator est iustus & liberalis. Et hæc quidem de primo huius loci sensu dicta sunto.

Hos. 13.

2. Paulus afflictus vt alijs exemplo esset.

Quoad alterum, de exemplo possunt hæc verba intelligi, vt se cum reliquis Apostolis ideo affligi ac premi dicat, vt ipsorum exemplo Christiani homines confirmentur, & consolationem habeant, si quid simile ipsis quoque accidat. Vt enim Imperatoris labores & diligentes vigiliæ militibus animum addunt, vt ipsi quoque ad quæuis subeunda alacriores sint: Ita vulgus Christianorum

stianorum nouas fidei & patientiæ vires concipit, si doctores atque duces suos ad quiduis pro Christo ferendum paratos & intrepidos esse videat. Et huic sensui fauet, quod adijcit: Quæ salus efficitur in tolerantia earundem paßionum, quas etiam nos perpetimur. Nam ita dicere videtur: Dum meos labores atque ærumnas cernitis, meo exemplo haud dubiè confirmamini, vt si quid simile vobis accidat, id patienter sufferatis, & sic (quod olim Christus monuit) in patientia vestra poßideatis animas vestras.

Porrò quoad istum sensum obseruabis, quis nobis vsus esse debeat persecutionum & afflictionum omnium, quas olim sancti cultores Dei perpeßi sunt. Estq; doctrina hæc non vtilis modò, verumetiam necessaria. Alij enim dum illas vident vel narrari audiunt; territi offenduntur, vt de fidei etiam Christianæ veritate dubitare incipiant. Alij nimia constantiæ & fortitudinis ipsorum admiratione abrepti, Deos ex illis nouos faciunt, vel saltem gloriam, quæ soli Christo debetur, in illos transferunt, quasi salus nostra eorum merito perfici debuerit. Et hi ad tuendum errorem suum non huius solùm loci authoritate abutuntur, verumetiam verbis, quæ in epistola ad Colossenses scribit: Gaudeo de ijs, quæ patior pro vobis, & quæ deerant afflictionibus Christi vicißim expleo in carne mea pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. At certum est, nihil huius, quod isti colligunt, voluisse Paulum dicere, qui nos per Christi meritum plenè redemptos esse sciebat, quod alibi disertè docet, & quidem in illo ipso loco, quem ex epistola ad Colossenses adduximus. Paulò ante enim de Christo multa magnificè disserens, inter alia dicit: Quoniam in eo placuit Patri, vt omnis plenitudo inhabitaret, & pace per sanguinem crucis eius facta, per eum reconciliare omnia sibi (per eum, inquam) tum quæ in terra, tum quæ in cælis sunt. Itaq; vos quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis intenta, nunc sanè reconciliauit in corpore illo carnis suæ per mortem: vt sisteret vos sanctos & irrepræhensos & inculpatos coram se. Quid igitur Paulo restabat, vt Colossensibus porrò mereretur, quos Deus pro sanctis & inculpatis agnoscebat, quiq; huic iam plenè reconciliati erant? Quid, quod idem nefas esse putat in quoquam alio gloriari, præterquam in cruce IESV CHRISTI? Vel num illum hoc apostolicum dictum ignorauisse putabimus: Non est in alio quoquam salus: Nec enim est aliud nomen sub cælo datum inter homines, in quo nos oporteat saluos fieri? Quis ergo (inquis) sensus est eorum, quæ Colossensibus scribit? Idem illis dicit, quod hîc clarius & simplicius explicat: Nimirum, quòd ideo affligatur, quòd ipsis & reliquis gentibus Euangelinm prædicet, & vt ipsi consolationem habeant, dum suo exemplo confirmantur, & ita in tolerantia afflictionum salutem suam poßideant. Ideo quod dicit, Gaudeo de ijs, quæ patior pro vobis: idem est ac si dixisset: Quæ patior in vestrum commodum aut bonum: Vel ideo, quòd Euangelium æternæ salutis vobis annuntio. Deinde reliquias afflictionum Christi dicit quæ perpetiebatur: non quòd Christi paßioni quicquam desit, quoad nostræ redemptionis meritum (sciebat enim hunc iam moriturum dixisse: Consummatum est) sed quòd vt Christum in proprio corpore pati oportuit, vt nos redimeret: illa quotidie in corpore eius mystico, quod est Ecclesia, completur, dum sibi factum putat quicquid membris suis fit: dumq; simul in his mortis suæ vim exerit, vt omnibus aduersis superiores facti in illo triumphent, viuant & regnent, qui afflictionum eius participes ac socij fuerunt. Itaq; afflictiones sanctorum, quoad nos hunc vsum habent, quòd suo exemplo plures alios attraxerunt ad diligentiorem doctrinæ eorum considerationem, multorum item fidem suo exemplo confirmarunt, qui prius nimiùm pusillanimes vacillabant. Exempla huius generis in historia Ecclesiastica paßim occurrunt, & nostro seculo multa similia fiunt ijs in locis, vbi persecutiones feruent, & diris supplicijs fideles Christi martyres excruciantur. Ideo Tertullianus sanguinem fidelium semen Ecclesiæ esse dicebat: nimirum quòd eo plures alij excitentur, vt ad fidem conuersi Ecclesiæ se coniungant. Et idem ad Scapulam scribit: Non deficiet hæc secta, quam tunc ædificari scias, quando cædi videtur. Potuit hoc prò sua astutia obseruare impius fidei abnegator Iulianus, qui artibus potius & dolis contra Christianos agendum esse putabat, ne crudeliter in eos sæuiendo patientiæ & constantiæ materiam ipsis præberet, & plures alios in tantæ virtutis admirationem excitaret. Ad hoc igitur nobis quoque exempla ista seruiant, vt nostram patientiam atque fortitudinem confirment: vt item doctrinam eorum secuti vni Deo confidamus, &

Vsus omnium, quæ olim Sancti perpeßi sunt.

Colos. 1.

Actor. 4.

Sozomenus lib. 5. cap. 4.

hunc vnum inuocemus per IESVM CHRISTVM: quoad vitam verò & mores, innocentiæ studeamus ac sanctitati: in periculis verò & aduersis constantes simus in finem vsque. Hic verus cultus sanctorum est, qui vt ipsorum honorem & famam illustrat, ita gloriæ Dei nihil detrahit.

Quomodo salus perficiatur per tolerantiam?

At simul hoc loco istud quoq; considerationem diligentiorem meretur, quomodo vniuscuiusq; salus per tolerantiam afflictionum perfici dicatur. Nam ad hoc etiam dictum aliqui offendunt, qui afflictionibus expiationis meritum & satisfactionem pro peccatis tribuunt, non absq; luculenta Christi ignominia, cui soli hæc gloria debetur. Sed dicti huius ratio est, quòd per afflictiones nobis fidei exercendæ atq; confirmandæ materia præbetur, sicuti nuper ex epistola ad Romanos annotauimus, vbi dicitur: Afflictio patientiam efficit, patientia verò experientiam, experientia spem, porrò spes non pudefacit, &c. Nec est quòd aliquis hîc nobis piorum gemitus, lachrymas aut querelas obijciat, quas interdum inter ista certamina fundunt: Nam etiamsi aliquid humanum patiantur, vincunt tamen dum in Dei prouidentiam & Christi promissiones respiciunt, quæ ipsos de Dei bonitate & regni cœlestis spe dubitare non sinunt.

Consolationes Sanctorũ alijs quoq; seruiunt.

Porrò facit ad huius doctrinæ confirmationem alterum huius loci membrum, quo de consolationibus quoq; disserit, dicens: Siue consolationem accipimus, id fit pro vestra consolatione ac salute, &c. Id est, quòd me interea Deus consolatur & recreat, id quoque non mei solius causa facit, sed propter vos, vt ipsi quoq; consolationẽ percipiatis, sicq; in salutis fiducia & certitudine confirmemini. Id verò confirmat, dũ addit: Et spes nostra firma est de vobis, &c. Quasi diceret: Non dubito quicquam de vestra constantia, quin fortiter eluctaturi sitis per omnia pericula, nec deserturi stationem, in quam vos Deus collocauit. Ita verò non solum remouet scandalum, quod ex suis persecutionibus nascebatur, verumetiam illos erigit, vt ad quiduis ferendum alacriores fiant. Nam perinde ista dicit, ac si Imperator militibus certam victoriæ spem faciat, dum se de ipsorum virtute nihil dubitare dicit: aut si medicus ægroto dicat: Spes mihi certa & firma est, te breui conualiturum, itaque animo læto sis, vt tibi appropinquantem salutem acceleres atque iuues. Estq; in verbis istis admodum memorabile, quod cum consolatione salutem subinde coniungit. Eo enim docet, Deum nos non inanibus verbis lactare, sed salutem simul certam eos concipere, qui consolationes eius intra animum suum admittunt. Vbi rursus admonemur, non ea modò spectari debere, quæ in nos confert Deus, verumetiam quæ in alijs proponit gratiæ suæ & liberationis exempla, vt eorum consideratione in salutis spe atque fiducia confirmemur. Arguit hoc inuidos, qui aliorum felicitate ringuntur, quales hodie multos passim est videre. Isti verò non solùm animos tormento crudelissimo excruciant, quo (vt Satyricus poeta canit) Siculi tyranni nullum maius inuenerunt, verumetiam fructu dulcissimo saluberrimoque seipsos spoliant, quo frui poterant, si aliorum exemplis rectè vterentur, & in his relucentem Dei bonitatem obseruarent.

Consolationes salutem sibi cõiunctam habent.

Consolationes eorum sunt, qui patienter ferũt crucem.

Cæterùm inter ista meminisse oportet, doctrinam atque consolationem istam ad eos solos pertinere, qui à Deo sibi impositam crucem atque molestias patienter ferunt: non ad eos, qui tentationibus sponte cedunt, carni delitias faciunt, cum mundo impio & reprobo colludunt, denique nihil ferre volunt pro Christo & nominis eius gloria. Falluntur isti non minus perniciosè quàm turpiter, quòd pacem mundi huius cum Christi seruitio coniungi, Euangelium denique ita prædicari posse sibi persuadent, vt nemo quantùmuis prophanus aut improbus eo offendatur. Sed longè aliter nos Christus docet, qui vt omnes, qui ipsi nomen dant, ad crucem inuitat: ita mundi hoc ingenium esse testatur, vt propter operum atque studiorum suorum turpitudinem veritatis lucem ferre nequaquam possit. Ideo Apostolis dicebat: In mundo afflictionem habebitis. Ad hanc ergo ferendam toto animo præparemur: & qui affliguntur, simul meminerint, non de sua solùm, verumetiam aliorum hominum salute agi, & proinde ita se gerant, vt quibusuis Christianæ fortitudinis & constantiæ exempla præbeant, quibus confirmati salutem suam perficiant in IESV CHRISTO, redemptore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Matth. 16. Ioan. 3.

HOMILIA IIII.

Non enim volumus vos ignorare fratres, de afflictione nostra, quæ nobis euenit in Asia; nos summè grauatos fuisse supra vires, adeò vt prorsus animi penderemus, etiam quod ad vitam: Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos: Qui ex tanta morte liberauit, & liberat: in quo speramus nos adhuc etiam liberatum iri: Vobis etiam vnà pro nobis operam conferentibus ad deprecandum, vt donum ex multis personis in nos collatum, per multos celebretur gratiarumactione pro nobis.

QVoniam Dominus & Seruator noster, IESVS CHRISTVS, *electos suos ad crucem vocat, ea autem caro nostra maximè offenditur, non tam vtile quàm necessarium est, veram atq; solidam de cruce & afflictionibus doctrinam in Ecclesia extare. Quæ causa est, quòd Apostoli hanc frequenter inculcant. Et facit ad eius illustrationem imprimis huius epistolæ exordium, quo Paulus de ijs, quæ ipse perpetiebatur multis ac diligenter disserit. Vbi didicimus hucusq; primò Christi passiones apud Deum censeri, quæcunq; pij in hac vita sufferunt. Deinde, Deum suis nunquam deesse, sed eos sub cruce laborantes per Christum consolari. Postremò, piorum exempla, siue illi affligantur siue consolationem accipiant, aliorum saluti seruire, qui ex illis non consolationes modò, sed insuper certam firmamq; salutis suæ fiduciam concipiant. Istis loco demonstrationis proprium exemplum & non diu ante æditum subijcit, eoq; simul testatur, se adeò non pudere afflictionum, quas ferat, vt potius ipsi volupe sit eas commemorare, vt multorum institutioni & consolationi seruiant.*

Non enim volumus (inquit) vos ignorare fratres, de afflictione nostra, quæ nobis euenit in Asia, &c. Subest exordiolo isti noua beneuolentiæ captatio, quando eos tanti abs se fieri testatur, vt nihil eos celare possit, & ne ea quidem, quæ sciebat ab æmulis suis in partem deteriorem rapi, vt nouam haberent calumniandi occasionem. Videtur autem locus hic totus intelligi debere de historia, quam Lucas in Actis cap. decimo nono describit. Venit enim Paulus Ephesum, & illic totum biennium docuit, & interea multa fecit per totam Asiam, adeò vt ex principibus quoq; amicos sibi pararet. Tandem cùm Dianæ Ephesiæ cultus frigere inciperet, multis quotidie ad Christi fidem accedentibus, seditionem contra illum excitauit Demetrius quidam aurifaber, qui ex cultu illo hucusq; quæstum fecerat cum alijs ex eodem artificio viuentibus. Ita enim fieri solet, vt Euangelicæ veritatis hostes acerrimi sint, qui religionem sibi quæstum faciunt: hanc verò suis impijs conatibus prætexunt, vt causam suam plausibiliorem reddant, & plures in partes trahant: quod multis exemplis cùm veteribus tum recentioribus probari poterat. Habet enim nostrum quoque seculum Demetrios suos, qui vbique gentium Euangelij doctrinæ simili astutia atque temeritate obstrepunt. Sed vt ad Paulum redeamus, credibile est, eum in summo discrimine constitutum fuisse: quando amici quantùmuis potentes illi permittere noluerunt, vt in publicum progressus furenti turbæ sese committeret, neque etiam diutius illic subsistere posset. Ipse certè in præsenti rem omnem diligentißimè descriptam suo instituto applicat: cuius partes ex ordine inspiciemus. **Proprio exemplo confirmat quæ dixit.**

Primò periculi magnitudinem describit, & illud amplificat quoque, vt & Dei gloria illustretur, & seipsum ad gratiarumactionē ardentiorem excitet. Ita enim solent sancti homines, sicuti in Psalmis, in Ezechiæ Regis Cantico & multis similibus locis est videre. Ingrati animi indicium est, periculum extenuare vbi te liberatum videris. Audiamus ergo Apostolum de suo periculo disserentem. Nolo (inquit) vos ignorare, nos summè grauatos fuisse supra vires, adeò vt prorsus animi penderemus, etiam quod ad vitam, &c. Primò summè se grauatum fuisse dicit, Metaphora sumpta vel à baiulis, quibus onera intolerabilia imponuntur: vel à nauibus onerarijs, quæ saburra grauantur, aut mercibus ita onerantur, vt eas commodè ferre non poßint. **Periculum amplificat.**

Deinde addit, Supra vires. Atqui alibi gloriatur, se omnia posse in CHRISTO IESV, & Deum fidelem esse dixit in priori epistola, qui nos supra quàm ferre poßimus, tentari non sinat. Sed in præsenti de viribus humanis, id est, naturalibus & quæ homini propriæ sunt, loquitur. In his mera est imbecillitas, adeò vt ne vires quidem dici mereantur, quado ne cogitare possumus ea, quæ nos decent. Illic verò simul virtutem fidei comprænhendit, quam in Christo habemus, & quam Deus pro tentationum ratione aut pondere indies confirmat, ne illis succumbamus. Itaque cùm hîc se supra vires grauatum dicat, omnem liberationis gloriam vni soliq; Deo tribuit. Tertiò tantum fuisse pondus ait istius discriminis, vt prorsus animi penderet, quod ad vitam, id est, vt de vita quoque dubitaret. Est enim ἐξαπορεῖσθαι idem quod consilij inopem esse, & perplexum dubiumq; hærere, vt nescias quid statui debeat. Itaque sensus est, eò rem deductam fuisse, vt nulla euadendi spes reliqua esset in humanis, nec etiam videre posset, quò se verteret. Et facit ad huius amplificationem quod sequitur: Sed ipsi apud nos, vel in nobisipsis, aut in animo nostro, decretum mortis habuimus, id est, apud me iam decretum erat mori, spe omni præsentis huius vitæ iam prorsus sublata.

2.Cor.3.

Hominum imbecillitas magna.

Docet autem locus iste, quanta sit omnium hominum, in hac carne viuentium, imbecillitas. Videntur aliqui interdum sibi fortes & in omnem euentum instructißimi. Sed in periculis improuisis, se omnis consilij expertes esse sentiunt, & qui prius sapientißimi habebantur, sibijpsis minus quàm alij possunt consulere. Quid verò de morte dicemus, cuius terrores si obijciantur, mox omnes vires nostræ succumbunt? Exempla infirmitatis huius etiam in sanctißimis extant, quos Deus interdum eò vsque delabi patitur, ne donorum eius excellentia confidentiores facti aduersus gratiam eius superbiant: quod Paulus infra cap. duodecimo disertè de semetipso testabitur. Nemo igitur offendatur, si vel propriæ infirmitatis sensu se percelli, vel alios meticulosiores videat, quos ad omnem fortunam probè instructos esse putabat. Quid enim faciant homines, quando æternus Dei Filius naturæ nostræ, quam ex Virgine Matre assumpsit, infirmitatem non dissimulauit? Vide Ioan. 12. Luc. 22.

Sancti de vita sua soliciti sunt.

Admonemur præterea, sanctos de vita sua vt plurimùm solicitos esse, & eius seruandæ rationes quærere. Hinc est, quòd interdum fuga sibi consulunt, aut alijs medijs, quæ Deus monstrat, vtuntur. Fecit hoc frequenter Dauid. Et Apostolis Christus dicebat: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Etenim quàmuis intelligant, se vitam suam Deo debere, quia tamen ipsi eius finem siue horam nesciunt, non possunt eam temere profundere, imò ne negligere quidem debent, nisi hoc ita Deum velle videant, vt ex huius corporis carcere ad cœlestem patriam emigrent. Damnatur ergo sanctorum exemplis & totius Scripturæ consensu ἀπάθεια siue indolentia illa Stoica, quæ si posset locum aliquem inuenire inter homines, non alios quàm ἀστόργους, id est, homines communi sensu & naturalibus affectionibus carentes faceret, qui ab Apostolo inter nouißimorum temporum pestes numerantur. 2. Tim. 3.

Cur Deus suos in extremas angustias venire sinat?

At quærat aliquis, Cur Deus tantum Apostolum & electum suæ gratiæ organum in tantum discrimen & angustias tam graues deuenire passus sit? Causam ergo ipse indicat: Ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos. Innata est enim homini suijpsius & propriæ virtutis siue dignitatis fidutia: quod in multorum exemplis quotidie experimur: imò hoc in semetipsis singuli sentiunt, quàm diu aliqua sese efferendi occasio offert. Contraximus vitium hoc ex primis parentibus, quos ea fidutia decepit, quòd suis viribus se ad præstantiorem conditionem euadere posse putarent. Itaque huius vestigia non in vulgo solùm hominum, verumetiam in sanctis apparent, qui tantò magis hîc periclitantur, quantò alijs donorum excellentia præstant. Quæ causa est, vt sæpius in extremas angustias redigantur, & (vt paulò ante monuimus) nihil præsidij in humanis videre poßint. Accidit hoc frequenter Dauidi, quem in Psalmis quiritari audimus: Serua me Deus: quoniam penetrarunt aquæ ad animam vsque. Demersus sum in limum profundißimum, in quo non est fundus: decidi in aquas profundißimas, & aquæ obruunt me. Defessus sum vociferando, aret guttur meum, defecerunt oculi mei suspiciendo ad Deum meum, &c. Quò etiam referri potest, quòd cùm ob populi censum ipsi optionem detulisset Dominus deligendi pœnam, quam vellet, idem exclamauit: Supra modum angor, incidamus

Psal.69.

2.Sam.24.

damus quæso in manum Domini, &c. Simile exemplum in Ezechia Rege habemus, quem disciplina eiusmodi opus habuisse ex ijs apparet, quæ cum Babyloniorum legatis egit. Rectè igitur hoc Dei consilium obseruauit Paulus, quem Christus ipse organum electum dixerat, qui donis præstantißimis supra omnes eminebat, & in regni Dei propagatione plus alijs omnibus laborauerat, qui denique reuelationibus verè diuinis de ijs edoctus erat, quæ neque sensu humano percipi, neque verbis exprimi possunt. Et est locus iste dignißimus consideratu, in quo hæc potißimùm obseruabis. Isa. 37. 38. 39.

Primum, nocentißimam esse nostri ipsius fiduciam, & eandem Deo quàm maximè displicere. Nisi enim talis esset, nequaquam illam in electis suis tanto afflictionum pondere, ceu virgis grauioribus, coerceret & castigaret. Id verò non præter rationē fieri, quiuis facilè intelliget, qui eius effecta propius inspexerit. Nam rationis vsum aufert, vt homo confidentia nimia quasi ebrius, seipsum prorsus ignoret. Quò fit, vt plerique res viribus suis maiores tentent, sub quorum pondere turpiter succumbunt: vel etiam pharisaico spiritu decepti, propriæ iustitiæ fiducia efferantur, non sine manifesto gratuitæ Dei misericordiæ & meriti IESV CHRISTI contemptu. Accedit huic malo, quòd Dei gloriam sibi ipsis confidentes illi vendicant, seque ipsos Deo æquant, dum se sibi ipsis ad omnia sufficere arbitrantur, quod solius Dei proprium esse constat. Tertiò Dei dona corrumpit fiducia illa, dum relicto vero eorum vsu, ea nobis ipsis simul atque alijs noxia facimus, quæ salutis nostræ adminicula esse debebant. Denique securos facit, & admonitionum omnium contemptores: ex quo non aliud quàm exitium præsens enasci potest. Exempla, quæ istis fidem faciant, paßim in ijs habentur, quos opum, honorum, amicitiarum atque fœderum fiducia perdidit. Quis autem Deo placere putet eos, in quibus vitia tam multa tamque grauia concurrunt, quæ singula eius iram prouocant? Nostri ipsius fiducia noxia est.

In quo igitur nos confidere oportet inter tot rerum discrimina atque pericula, quæ nos vndique circumstant? Est hoc cognitu necessarium, quia facilè succumbimus, nisi spei & fidutiæ nostræ certum aliquod & solidum fundamentum habeamus. Id verò Paulus nobis suo exemplo monstrat, quando subijcit: Sed in Deo, qui excitat mortuos. Ergo soli Deo fidere debemus. Ad hoc obstringit nos fœderis cum Abrahamo facti primus articulus: Ego sum Deus Schad[illegible] ambula coram me. Cui consentit primum Decalogi præceptum: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti, è domo seruitutis: Ne sint tibi Dij alieni coram me. Quibus addi debet primus Symboli apostolici articulus: Credo in vnum Deum, &c. Quæ omnia totius Scripturæ consensu confirmantur. Etenim vt hoc paßim Deus exigit, ita nullum scelus magis detestatur & seuerius punit, quàm idololatriam & superstitionem, qua vel fiduciam nostram, vel cultum ipsi soli debitum, aliò transferimus. Et meritò quidem in eo tam seuerus est, quando gloria eius tunc quàm maximè illustratur, quando ab ipso vno pendemus, & ipsi vni fidimus. Vt enim Regem is potißimùm honorat, qui illi confidit, eumque suum vindicem & protectorem agnoscit: Ita qui spem & fidutiam salutis omnem in Deo collocatam habent, ij verum & solidum honorem illi deferunt, non qui circa ceremonias qualescunque occupantur, quibus ille nequaquam opus habet. Ideo hunc sibi gratißimum cultum esse docet, si in afflictionibus constituti ipsum vnum inuocemus. Et hoc ipsum æterna nostrarum animarum salus exigit, cuius fiducia certa & firma nobis esse non potest, quoad non in vnum Deum respicimus, præter quem Deus iustus & saluans nullus est. Isaiæ 45. Soli Deo fidendum. Gene. 17.

At quoniam infinita sunt, quæ fidem hanc nostram impediunt, rationibus nos in ea confirmari necesse est. Inter quas prima adduci poterat fluxa & fallax omnium quæ in hoc seculo habentur, conditio. Omnis caro fœnum (dicit Propheta) & omnis gloria carnis flos agri. Itaque non possunt non falli, qui in illis fidunt, quæ carni magnifica videntur. At Paulus in præsenti solius omnipotentiæ Dei meminit, & huius argumentum adducit, quòd excitet mortuos. Conueniebat hoc isti loco, cùm de periculi magnitudine disseruisset, quæ illum vitæ dubium fecerat. Itaque communem resurrectionem, quæ olim futura est, præsenti negotio applicans, illius specimen quoddam æditū fuisse dicit, quando ipsum Deus ex tanta morte, id est, ex manifesto & præsentißimo vitæ periculo eripuerit. Ex eo autem spem certam se concipere ait, quòd in posterum quoque Deus Deus qui excitat mortuos.

ipsum sit liberaturus. Quo loco obiter admonemur, nos quoties vel ex morbo aliquo letali, vel grauiori periculo eripimur, toties in spe resurrectionis futuræ confirmari debere. E contra, quoties pericula & calamitates inextricabiles nos vndique premere videntur, tunc mortuorum resurrectio nobis in mentem veniat, vt ex ea colligamus, non impossibile esse Deo nos ex illis liberare, qui olim corpora nostra, iam in cineres & puluerem redacta, nobis gloriosa & incorruptibilia restituet. Hoc argumento certè olim Dominus per Ezechielem eos consolatus est, qui in Babylone sic vndique premebantur, vt nulla liberationis spes in humanis superesset. Ezech.37.

Attributa Dei quæ nos consolantur.

Quia verò multa alia quoq; fidem nostram tentare & labefactare solent, proderit alia etiam Dei attributa ob oculos ponere. Cogitamus fortè, nos miseriores & abiectiores esse, quàm vt Deus ille omnipotens nostri aliquam rationem habere debeat, aut etiam habere velit. Hîc ergo cum omnipotentia & diuina illius maiestate misericordiam quoque consideremus plus quàm paternam, quæ eò erga nos propensior est, quò nos miseriores & imbecilliores esse videt. Et huc illud Dauidis pertinet: Sicut pater miseretur liberorum, ita Dominus miseretur timentium eum. (Psalm.103.) Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quòd simus puluis. Ita si nos peccatorum nostrorum multitudine terreri sentiamus, ex illius iustitia consolatio petatur, quam ille nobis in Filio suo, IESV CHRISTO, communicauit. Quòd si iniusta vi tyrannorum opprimimur, tunc ad Dei tribunal prouocemus, qui gemitus & suspiria suorum audit, nedum querelas & clamores, quos illis dolor acerbior exprimit. At in dubium rapit Satan promissiones Dei. Hîc nobis eiusdem Veritas succurrat, de qua illud Isaiæ debet intelligi: Verbum Domini manet in æternum. (Isa.40.) Et illud Christi: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Discamus deniq; ex anteactis argumentari quemadmodum in præsenti Paulus facit. Constat enim sibiipsi semper Deus, & cùm viscera miserationum inexhausta habeat, non potest non manum suam exerere, quando materiam misericordiæ exercendæ sibi propositam esse videt in ijs, quos ab æterno in filios adoptauit.

Cõfidentiæ suspicionem Paulus declinat.

Sed ad Paulum redeamus, qui ne arrogantius hoc Dei beneficium iactare, & suæ dignitati siue meritis tribuere putetur, aliquam eius causam in Corinthijs esse fatetur, quorum precibus adiutus sit, simulq; eos quid porrò pro ipso facere debeant, admonet. Vobis etiam (inquit) vnà pro nobis operam conferentibus ad deprecandum, vt donum ex multis personis collatum in nos, per multos celebretur gratiarumactione pro nobis. Per donum intelligit liberationem illam, de qua modò dixerat, & sic eam in gratuitam Dei misericordiam refert. Itaque hic verborum istorum sensus est: Nemo me ista dicere putet, quasi Deum mihi debitorem faciam, aut me supra vos ambitiosius extollam. Quicquid enim in me contulit Deus, id totum χάρισμα, id est, gratuitum donum est, quod non tam mei quàm vestrûm omnium respectu ille mihi contulit. Itaque tam abest, vt contra vos superbiam, vt potius me vestrum debitorem esse libenter fatear. Nam vos quoque vestram operam mihi contulistis, quando salutem meam publicis precibus commendauistis Deo, quas ipse exaudiuit, & in posterum quoque exaudiet: vt quemadmodum nunc me multorum precibus donauit, ita multorum quoque gratiarumactione ipsius bonitas celebretur. Ita verò non obscurè innuit, æmulos suos præter officium facere, dum ei hanc gratiam Dei inuideant, & ex eo arripiant calumniandi occasionem, pro quo gratias Deo debebant agere.

Pro ministris Ecclesiæ orandum. Ephes.6.

Fuit ergo veteris aut primitiuæ Ecclesiæ mos, vt pro Euangelij administris preces publicæ haberentur. Exempla eius moris Lucas in Actorum libro Cap. quarto & duodecimo commemorat. Et petijt sæpe Paulus, vt Ecclesiarum precibus adiuuaretur. Estque hoc plus quàm necessarium. Quia enim publicæ salutis ministri sunt, varijs insidijs eos Satan aggreditur, vt opus Domini impediat, omnis autem illorum error cum publico Ecclesiæ totius periculo coniunctus est. Arguit hoc corruptissimos nostri seculi mores, quando ij quoque, qui Christianum nomen profitentur, Euangelij doctores diris deuouent & execrantur, ac si illi turbarum & malorum omnium authores sint: quod olim Ieremiæ etiam in faciem exprobratum fuisse scimus. (Ierem.44.) Sunt hi mortalium ingratissimi & digni qui impostoribus præda fiant. Quid verò de illis iudices, qui proditorio animo cum apertis Ecclesiæ & Euangelij hostibus colludunt, & horum impios conatus in pastoribus suis opprimendis adiuuant?

Obseruabis præterea hîc generalem doctrinam: Deus, quàmuis nobis ex gratuita misericordia benefaciat, adiuuari tamen salutem nostram aliorum precibus. Imò vt alij pro alijs oremus perquam necessarium est propter infirmitatem nostram, quæ multis adminiculis opus habet, & vt hoc officio amorem mutuum inter nos accendamus. Etenim si tantus Apostolus preces Ecclesiæ requisiuit, seque illis adiutum esse publicè confessus est, quid nos faciamus, qui cum illo nequaquam sumus conferendi? Ad charitatem autem hic magnus atque efficacissimus stimulus est, si cogitemus, eos qui nihil posse videntur, preces tamen habere, quibus nos apud Deum iuuent. Sunt ergo nimium securi & barbari, qui & ipsi rarius precantur, & preces publicas ceu inutiles & supernacaneas negligunt. Quales autem censeri debent Chananæi illi nundinatores, qui preculas suas incondito murmure & plerunque non intellectas præcipitant, ab alijs conducti, & ita ex illis quæstum faciunt? Sunt hi Simonis Magi sectatores, & ideo eadem cum illo sententia damnantur: Pecunia vestra sit vobiscum in perditionem. Salus nostra precibus adiuuatur.

Postremò officij quoque locus iste admonet eos, qui se à Deo exauditos esse sentiunt: quod est, vt Deo benefactori & vindici suo gratias agant, & id quidem publicè, ne quid dißimulare videantur, & vt plures alios suo exemplo excitent. Præcipit hoc Deus, in Psalmo dicens: In die tribulationis tuæ inuoca me, & liberabo te, & glorificabis me. Id verò vt iustum æquumque est: ita licentiam carnis efficacißimè cohibet, ne à Deo acceptis beneficijs abutamur. Ideo Dauid dicebat, gratiarum actionem quouis sacrificio acceptiorem esse apud Deum. Horum itaque meminerimus in omnibus actionibus & studijs nostris, spem verò nostram confirmet, quòd preces nostras exaudiri scimus à Deo Patre propter Filium eius æternum, IESVM CHRISTVM, *cuius hæc promißio est: Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. Item: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petetis, & fiet vobis. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.* Qui exaudiuntur à Deo, videant gratias: Psalm. 50. Psalm. 69.

HOMILIA V.

Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & synceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo, potissimùm autem apud vos. Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis: spero autem vos etiam ad extremum agnituros. Sicut & aliquatenus agnouistis nos gloriationem vestram esse, quemadmodum & vos nostra estis in die Domini IESV.

Respondit hucusque Paulus aduersariorum suorum calumniæ, qua ei persecutiones exprobrabant, quasi sua importunitate quosuis contra se prouocaret, & odio dignus esset. Transit ergo nunc ad aliud crimen, quod ei obijciebatur: Leuitatem nimirum in promißis. Quia enim se Corinthum venire velle sæpius promiserat, multa item quæ apud eos corrigenda erant, in suum aduentum reiecerat, quibusdam etiam minatus erat, quorum proteruiam tunc dignis modis coercere vellet, hactenus autem rebus Asiaticis impeditus (eò quòd illic Deus ipsi nouam quotidie negotiorum grauißimorum materiam obijceret) aduentum suum distulerat: aduersarij ex eo nouam arripiebant calumniandi occasionem, vt vanum iactatorem esse dicerent, qui literis quidem magnificis multa polliceretur, & imbecilliores minis quoque terreret, non auderet autem prodire in conspectum, & coràm cum illis agere, qui se ipsi opponebant. Ita verò eadem opera pijs, qui inter ipsos erant, insultabant, qui eius aduentu freti hucusque in veritate tuenda constantes fuerant, & adhuc illum magno cum desiderio expectabant. Vt ergo istis consulat, causam hanc agit quàm diligentißimè. Leuitatis crimen Paulus à se remouet.

Orditur autem à præfatiuncula, qua hunc locum cum ijs, quæ proximè præcesserunt connectit, simulque in genere asserit fidem suam, qua in munere Apostolico hucusque versatus sit. Fidem suam in Apostolatu asserit.

Nam gloriatio nostra (inquit) hæc est testimonium conscientiæ nostræ, &c. Summa omnium istorum est, se posse iure gloriari, quòd officio suo fideliter functus sit, cùm alibi, tum maximè apud ipsos. Ita verò loquitur, non quòd alibi minus fideliter egerit, sed quòd plus studij & laboris apud Corinthios impendi oportebat, partim propter electorum multitudinem, quam in ea vrbe esse, ex Dei reuelatione intellexerat, partim propter pericula, quæ vndique ipsi incumbebant, adeò vt alibi testetur, se cum timore & tremore multo inter eos fuisse. Accedebat his mora diuturnior, cum illic sesquiannum substitisset. Id verò probat conscientiæ suæ testimonio, quod perinde est, ac si Deum testem produceret. Hic enim solus corda renesque hominum scrutatur, & quo animo omnia fiant, nouit. Vbi tamen meminisse oportet, Paulum conscientiæ testimonio non gloriari, quasi per illud in Dei conspectu iustificetur quoad æternæ salutis negotium. Non enim de hoc, sed de munere apostolico hîc ait, in quo nullius fraudis sibi conscius erat. Quoad illud, nihil sibijpsi vnquam tribuit, & perpetuò ratum manet, quod dixit alibi: Nullius mihi conscius sum, sed non ideo iustificatus sum. 1. Corinth. 4.

Acto. 18.

Conscientiæ testimonium sufficiat contra calumnias.

Debet autem testimonium hoc omnibus, qui in publico aliquo munere versantur, sufficere aduersus calumnias & iniqua hominum de ipsorum studio & laboribus iudicia. Nam nullum testimonium certius, nullus testis grauior ac fide dignior est conscientia, quæ sibijpsi mentiri non potest. Ideo Paulus frequenter ad illam prouocat. In Concilio certè Sacerdotum coram Anania Pontifice orationem suam sic exorditur: Viri fratres, ego omni conscientia bona seruiui Deo ad hunc vsque diem. Et in posteriori ad Timoth. Gratiam habeo Deo, cui seruio à maioribus cum pura conscientia, &c. Ad Hebræos item: Confidimus quòd bonam habemus conscientiam, in omnibus cupientes honestè conuersari. Ita Dauid olim sæpius apud Dei tribunal de mente bene sibi conscia gloriabatur, cùm inter homines suæ defensioni locum nullum esse videret. Et idem ante hunc fecerat Samuel, cùm ipso absque culpa sua reiecto Israelitæ Regem sibi dari petijssent. Quorum omnium exemplis discant singuli ita se gerere, vt ipsi quoque propriæ conscientiæ testimonio freti, improborum hominum iudicia iniqua possint contemnere. Curent tamen, ne quid hîc temere aut cum dolo faciant. Qui enim conscientiæ suæ testimonio in fallendis alijs abutuntur, ij à proprio corde condemnantur, quod multis infelicissimè cessisse scimus. Nam si cor nostrum condemnet nos (inquit Apostolus) maior est Deus corde nostro. Quomodo autem huius iudicium sustinebunt, qui se à proprio corde iam damnari sentiunt? Porro quoad huius loci argumentum, hæc obseruatu digna occurrunt.

Acto. 23. 2. Tim. 1. Hebr. 13. Psal. 7. 26. &c. 1. Sam. 12. 1. Ioan. 3.

Cur Paulus suã existimationẽ tueatur?

Primùm, quòd existimationem suam tanta animi constantia tuetur, vt se innocentia sua gloriari dicat. Facit hoc non ambitiosè, sed ex officio: quia in nominis sui existimatione Euangelij doctrina, atque omnium, qui ipsi crediderant, salus periclitabatur. Imitentur ergo Apostoli exemplum omnes Ecclesiarum ministri, vnà cum omnibus ijs qui ad Reipub. gubernacula assident. Sunt enim nimium ignaui & seruiles, qui surdis auribus omnia negligunt, quæ de ipsis alij sentiunt & loquuntur. Decet quidem modestia & iniuriarum patientia omnes Christianos: at simul videre oportet, ne existimationi nostræ suum derogetur pondus, quo Deus nos alijs formidabiles esse vult. Vidit hoc olim Moses etiam, qui cùm hominum mansuetissimus esset, acerrimè tamen sese maleuolis opposuit, qui ipsum conabantur in contemptum adducere, vt simul à Deo institutum Ecclesiæ & Reipub. ordinem euerterent. Quàm verò infelices & nulla prorsus venia digni sunt, qui ipsi suam existimationem prostituunt morum licentia, & tunc demum se modestiæ laudem mereri sibi persuadent, si nihil à vulgo ignobili aut priuatis hominibus differant?

Num. 16.

Ministri suæ conuersationis rationem habeant.

Deinde, qua re gloriatur Paulus? Quòd in mundo versatus sit, vt Christi ministrum decet. Ergo suæ in hoc mundo conuersationis rationem ministri habere debent, ne videlicet aliquid sua vocatione indignum faciant. Nam etsi ministerij dignitas, Verbi item Dei & Sacramentorum effectus, nequaquam ex ministri persona dependeant, attamen propter auditores grauitati & honestati morum eos studere decet, ne propter ipsos ministerium vnà cum Dei verbo vilescat. Arguunt hæc immanem Pontificum insolentiam, qui adeò non curant ista, vt ne tunc quidem ab aliquo reprehendi velint, si & suum officium negligant, & miserorum hominum animas secum ad inferos rapiant. Neque eo contenti, eandem immunitatem suis creaturis, Episcopis nimirum,

mirum, sacrificis & monachis totique clero suo fecerunt, vt nemini aliquod in ipsos ius sit, & nefarium scelus putetur, aliquem ex illis in scelere quoque deprehensum durius aut contumeliosius tractare. Imitantur hos aliqui ex Euangelij ministris, qui cùm improbißimè viuant, tamen se audiri volunt, & nunquam non illud Christi in ore habent: In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque iusserint vos seruare, seruate & facite: secundùm opera autem eorum ne feceritis. At simul huius quoque meminisse debebant, quod per Prohetam Dominus pronuntiauit: Honorantes me honorabo: qui verò me contemnunt, ignominia afficiuntur. Cuius sententiæ exemplum horribile in filijs Heli mox ædidit. Quibus adde, quæ ignauis & mali exempli Sacerdotibus apud Malachiam dicuntur: Si non audieritis, neque posueritis super cor, vt detis gloriam nomini meo, dicit Dominus exercituum: mittam in vos execrationem, maledicamque benedictionibus vestris: quin maledixi iam, quia non ponitis super cor. En ego increpabo vobis semen, & spargam stercus in facies vestras, &c. Non ergo absque peculiari Spiritus suggestione conscripti sunt Canones Apostolici (non fictitij illi, qui hoc nomine circumferuntur, sed qui in Apostolorum scriptis extant) de episcoporum & diaconorum officijs: qui si hodie diligentius obseruarentur, regnum Dei felicius propagari posset, & maior esset ministrorum & totius Ecclesiastici ministerij authoritas.

Matt.23. 1.Sam.2. Mala.2. 1.Tim.3. 2.Tim.1.2.3. Tit.1.3. 1.Pet.5.&c.

At simul videre oportet, in quibus iam consistat conuersatio illa, qua Paulus gloriatur? Quòd cum simplicitate (inquit) & synceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cùm gratia Dei versati sumus in mundo, potißimùm autem apud vos. Primò simplicitatem & sinceritatem Dei sibi tribuit. Duplicitas cordis dicitur, quando aliud simulatur verbis & gestibus, aliud autem corde tectum latet. Est hoc vitium teterrimum & inter homines exosißimum, vtpote quo nullum efficacius est ad turbandum amicitias, sine quibus vita hæc non potest consistere. Hominum verò nocentißimi sunt, qui in Ecclesia aut in Repub. corde duplici versantur. Hi enim sub publicæ salutis prætextu suas res agunt, & omnia cauponantur. Exempla in omnibus historijs occurrunt, quibus commemorandis non est opus, cùm quotidie hoc ipsum paßim omnes boni non sine dolore & gemitu sentiant. Rectè ergo Paulus simplicitatem & sinceritatem Dei, id est, diuinam, aut ad exemplum Dei institutam, sibi vendicat, & ita procul abs se remouet omnem dolum malum, adulationem, inuidiam, odium, seque quæcunque fecerit, bona fide & animo simplici atque ingenuo fecisse testatur, non vt suis commodis priuatim, sed publicæ omnium saluti seruiret, Deiq; gloriam illustraret.

Conuersatio ministrorum qualis esse debeat.

Deinde addit: Non in sapientia carnali. Sub ista compræhendit quicquid non habetur ex Dei spiritu, sed nostro studio & industria paratur, & in mundo existimationem sapientiæ sustinet: qualia sunt astutia in rebus agendis, sophistica, verborum splendor, eloquentia, & si quæ alia sunt his similia. Hæc omnia sibi deesse fatetur, vt etiam in prioris epistolæ Cap. secundo. At istorum loco vendicat sibi gratiam Dei, sub qua Spiritus dona omnia continentur, quibus Deus Apostolos suos atq; primitiuam Ecclesiam olim exornauit: quæ erant Scripturarum veterum vera cognitio, linguæ, animi fortitudo, dicendi libertas, miraculorũ virtus, deniq; vt quouis loco & tempore possent ea dicere, quæ neceßitas postulabat. Gratiæ autem vocabulo hîc vtitur consultò, vt mitiget gloriationis vocabulum, quo prius arrogantius vsus esse videri poterat. Ita enim innuit, ista se non ex semetipso habere, sed authorem omniũ agnoscere Deum, qui ea sibi ex gratia dederit.

Sapientia carnalis.

Et hæc illa sunt, quæ in Ecclesiarum ministris, imò in magistratibus quoque, imprimis requiruntur, & sine quibus nihil rectè agitur. Ante omnia animi integritate & synceritate opus est, vt ingenuè agant & dicant omnia, nec alicui fucum faciant. Quid enim magis alienum à Veritatis ministro esse potest, quàm si mendacijs & fallacijs quenquam decipiat? Reges quoque Spiritus Sanctus eos præcipuè commendat, quorum cor rectum fuit cum Domino. Nec enim fieri potest, vt hominibus fideles sint, quibus leue videtur cum Deo ludere, & religione ad suas cupiditates abuti. Deinde non fidant carnis sapientiæ aut vllis humanis præsidijs, sed in vnius Dei gratiam toto animo recumbant. Possunt hoc intrepida fiducia facere ministri, eò quòd Dei promißiones habeant, quibus Spiritum suum illis aduocatum, patronum & protectorem pollicitus est. Quod ipsum de ijs quoque potest dici, qui Rempub. administrant. Nec aliqua causa est,

Officia ministrorum & magistratuum.

quæ fiduciam hanc debeat aut possit in dubium vocare: quando impossibile est, vt eos deserat Deus, qui ipsius negotium agunt, & ei fideles sunt. Maledicti verò pronunciantur, qui vel in hominum gratiam, vel quacunque alia de causa opus Domini faciunt malignè. Vide Ierem. 49.

Vanitatem abs se remouet Paulus.

Postquam verò Paulus de sua in munere Apostolico fide in genere disseruit, nunc propius ad rem ipsam accedit, & quia multi eum vanitatis insimulabant, quasi multa grauiter & minaciter scriberet, multa item de semetipso in epistolis suis polliceretur, minus autem præstaret, ad horum calumniam ita respondet. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis, &c. Videtur hæc ridicula locutio. Quis enim aliud scribat, quàm quod postea legatur? aut quis legere possit, quod nuspiam scriptum extat? Sed prouerbialis locutio est. Aliud enim scribunt quàm quod legitur, qui ambiguè scribunt, & consultò verborum cothurnos fingunt, dum locutionibus vtuntur dubijs, quæ in diuersos sensus trahi ac non vno modo exponi possunt. Hi ipsi postea, si res in controuersiam veniat, se aliud scripsisse clamant, quàm lectum sit, id est, non eam esse suorum verborum sententiam, quam hi colligunt, quibus ipsi voluerunt fucum facere. Exempla huius imposturæ hodie multa vidimus circa infelicem illam de Cœna Domini mystica controuersiam, in qua multi bono quidem zelo, sed nimis inconsulta temeritate nouas loquendi formulas excogitarunt, quas vtraque pars admittere posse videbatur: & vlterius progressi in aliorum confessiones, cum publicas tum priuatas, manum iniecerunt, vt his quoque sensum alienum affingerent, quem deinde pro vero & genuino incautis obtruderent. Accidit deinde eis quod omnibus solet accidere, qui non bona fide in dirimendis controuersijs agunt. Dum enim vtrique parti placere volunt, vtrique nebulas offundunt, quibus tandem per Veritatis auram dissipatis & abstersis, ipsi omnibus suspecti & exosi sunt. Rectè igitur Paulus, se ex istorum numero esse negat, dicens: Non scribimus alia, quàm quæ legitis, id est, non aliter accipi volumus ea quæ scribimus, quàm verba sonent: neque alium sensum illis affingi cupimus, quàm quem ipsi agnoscitis cum ea mente & voluntate conuenire, quam iampridem ex ijs didicistis, quæ vobiscum coràm egi, cum in vrbe vestra versarer. Et spero, vos me talem agnituros esse in finem vsque, qualem olim vidistis & audiuistis. Et hæc quidem potissimùm ad ea referri debent, quæ in priori epistola de suo aduentu scripserat, ob cuius dilationem diuturniorem æmuli, vel potius aduersarij eius, ipsum vanitatis accusabant.

Constantia doctrinæ commendatur.

Admonentur autẽ hoc Pauli exemplo ministri omnes, constantiam ipsos decere cùm in omnibus suis actionibus, tum maximè in doctrina. Vt enim Christus sibijpsi semper constat, & idem est hodie, heri & in secula: ita Verbum quoque eius non mutatur, sed manet in æternum. Nemo igitur in eius doctrina quicquam mutare, aut eius prædicationem pro suo arbitrio aliter instituere debet, quàm Deus ipse mandauit. Quia enim is non alia ratione quàm in Spiritu & Veritate colitur, nullus cultus ei probari poterit, quem illi exercent, quibus de eius voluntate ex Verbo suo non satis constat. Obseruarunt hoc magno studio Apostoli, qui vt Euangelium vnanimi consensu prædicarunt, ita nihil vnquam mutarunt in doctrina semel ex Spiritus suggestione tradita. Poterat hoc prolixè demonstrari, si religionis & doctrinæ Christianæ capita quis ex ordine percurrere, eaque simul diligentius examinare vellet. Sed quia in re manifesta demonstrationibus minimè opus est, hoc potius curent, qui hodie Apostolici videri ac dici volunt, vt Apostolorum vestigijs insistant, & ab his traditam doctrinam constanter seruent in Ecclesijs, quas ipsorum fidei Dominus credidit.

Constantia in agnita veritate opus est.

At quod de illis dicitur, non minus ad vulgus Christianorum pertinet. Nam his quoque nihil magis necessarium est, quàm vt in agnita veritate in finem vsque perseuerent, neque se ab ea vllis rationibus dimoueri patiantur. Vt enim non multum profuerit iter rectum initio ingressum esse, nisi in eodem insistas, neque ad auia qualiacunque declines: Ita in salutis via non magnos progressus facient, qui non in eadem constantes fuerint, vt (quod in Lege passim inculcatur) neque ad dextram neque ad sinistram deflectant. Id verò cum nostris viribus præstare non possimus, modestè de nobis ipsis sentire, de Deo autem spem bonam concipere debemus, quod is opus suum in nobis consummaturus sit. Et de eo nos suo exemplo Paulus admonet, quando se sperare dicit, quòd in finem vsque talem experturi sint, qualem initio fuisse viderant. Nam qui sibijpsis fidunt,

fidunt, deque suis viribus magnificè sibi pollicentur, ijs ferè idem quod Petro accidit, vt turpius alijs labantur, quos præ se antea contempserunt. Confirmat autem nos promissio boni illius pastoris, IESV CHRISTI, qui se oues suas nouisse dicit, neque passurum vt quis illas è manibus suis rapiat. Et qui filios iræ dilexit; quomodo sibi per Filij sanguinem reconciliatos abijciat, siue negligat?

Quid verò illud est, quod Corinthios in se perpetuò in extremum vsque agnituros esse, dicit Apostolus? Quòd (inquit) gloriatio vestra sumus, quemadmodum & vos nostra estis in die Domini IESV. Gloriatio vestra sumus, ait. Id est, ita tam erga vos quàm erga alios in toto meo apostolatu me gessi, vt me Apostolo & doctore iure possitis gloriari. Id verò non ea intentione dicit, quòd eos abs se denominari & Paulinos dici velit (nam de eo magna cum grauitate totam illam Ecclesiam in priori epistola monuerat) sed quia solidè & synceriter eis tradiderat, quæcunque ad Veritatis & æternæ salutis doctrinam pertinebant, adeò vt quoad cognitionem & scientiam nullis Ecclesijs essent inferiores. Et vt dictum hoc molliat, quod ambitiosius aliquibus poterat videri, gloriam hanc ipsis quoque communicat, quando vicissim eos suam gloriationem esse, id est, tales per suum ministerium factos esse dicit, vt ipse quoq; vberrimam habeat de illis gloriandi materiam. Etenim si nullum aliud argumentũ fuisset, sola tamen Ecclesiæ illius in corruptissima vrbe constitutio docere poterat, Paulum fidelem & germanum esse Christi Apostolũ. Quò referri debet, quòd alibi eos sui Apostolatus sigillũ esse dixit. Ne quis tamen ipsum de gloria huius seculi loqui, aut de ea solicitum esse suspicetur, addit: In die Domini IESV: & simul particulam istam opponit iniquis æmulorum iudicijs, vt ostendat, se illa non magni facere, quando in glorioso illo Christi aduentu totus mundus cogniturus sit, qua fide cum ipsis & cum alijs egerit.

Paulus Corinthiorum gloria, & hi vicissim illius.

1. Cor. 9.

Est autem locus hic dignissimus obseruatu: quia docet, quæ vera & solida sit gloria tam ministrorum quàm Ecclesiarum. Gloriantur hodie Episcopi latissimis suarum diocesium finibus, & & pro ijs interdum bella quoque mouent non necessaria. Multi earum quoque gentium & vrbium Episcopi dicuntur, quas neque viderunt vnquam, neque videre cupiunt. Ambiunt præterea purpuram Cardinalitiam, augent redditus annuos, inuadunt Abbatias & Ecclesias opulentiores, vt ex harum stipendijs maiorem partem sibijpsis decidant. Superbiunt item seruorum aulicorum inutili turba, equis mulisque phaleratis, rhedis auro & ostro fulgentibus, mitris bicornibus, pedus argenteis & alia eius generis supellectile. Et ista quidem stolidum vulgus admiratur, seque Semideos quosdam videre putat, quoties personatos illos pastores intuetur. Sed vanissima est hæc gloria, neque olim consistere poterit in die Domini IESV. Imò iam nunc his argumentis sese produnt, quòd præceptorum Christi immemores regnum terrenum affectent, & huius mundi gloriam tam ipsi quàm Ecclesiæ ministerio præferant. Simulq; stulti illi laruarum eiusmodi admiratores se non germanas Christi oues esse ostendunt, quando vocem alienam audiunt, neque ab illo vno pendunt. Meminerint ergo pastores, hanc ipsorum gloriam veram & solidam esse, si Ecclesias secundùm Dei Verbum bene institutas habeant, vt has Christo sistere possint, seu sponsam castam & integram. De eo infra Paulus gloriabitur, & Baptista suum ministerium hoc potissimùm nomine commendat. Vicissim populi gloria est, si ministros habeat fideles, qui doctrina simul & vitæ exemplo præluceant. Potest hoc ipsum ad Rempublicam quoque transferri. Gloriantur plerunque principes latis regnorum finibus, & his propagandis student: & è contra populus illorum victorijs atque triumphis superbit. Sed vtrique leuitate & stultitia peccant. Etenim vera principum gloria est, non aliena inuadere, sed sua prudenter & bene gubernare, ius dicere, leges bonas condere, populum habere honestatis amantem, frugalem, pacificum, & obsequentem. Hoc olim in Solomonis aula nobilis illa Sabæ Regina obseruabat, & admirabatur. Populi autem gloria est, principes habere pios, religiosos, iustitiæ & pacis amantes, & horum edictis obtemperare. Idem de parentibus & liberis, heris & seruis, de coniugibus item debet intelligi: & si doctrinam hanc omnes diligentius obseruarent, felicior esset & tranquillior omnis loci & ordinis hominum conditio.

Gloria vera ministrorum & Ecclesiarum.

Luc. 22.

Ioan. 10.

2. Cor. 11.
Ioan. 3.

Priusquam verò dicendi finem faciamus, hoc nobis quoque expendendum est, qua ratione Paulus dicat Corinthios suam gloriam fore in die Domini. Atqui constat, Ecclesiam illam tunc

Corinthij quomodo gloria Pauli dicantur in die Domini.

modis omnibus corruptissimam fuisse, & hodie in illis locis Mahumeticas superstitiones atq; barbariem dominari. Sed non spectauit Apostolus, quales plerique essent, sed Dei oraculum respexit,
Act.18. *qui se in illa vrbe populum multum habere dixerat. Itaque ad electos restringi debet, quod hîc dicitur, quos hypocritis & reprobis permixtos esse sciebat. Neque ipsi fraudi esse debuit posterorum perfidia atque defectio. Quis enim de nondum natis rationem reddere cogatur? Sunt hæc diligentius hodie obseruanda propter inquietos illos rerum turbatores, qui Ecclesias omnes impuras & omni vitiorum genere infectas esse clamant, in quibus aliqui mali conspiciuntur, & se quoque pollui dicunt, nisi ab illis separentur. Nec eo contenti, infantes quoque per baptismum in Ecclesiæ societatem adoptari nolunt, quia fidem nondum possint profiteri, neque constet quales aliquando futuri sint. Longè alia certè Pauli sententia fuit, qui de Corinthijs sibi gloriandum esse putauit. Et Isaias olim sub Achas rege in gente perditissima discipulos sibi à Deo datos esse agnoscebat. Ecce*
Isa.8. *(inquit) ego & pueri, quos dedit mihi Dominus: miraculum & portentum sumus in Israële. Quod ipsum de plerisque prophetis potest dici. Quem verò isti omnes vnquam reiecerunt, quò minus circumcideretur? Aut num illi propter aliquos improbos ac petulantes templi atq; Ecclesiæ communionem deseruerunt? Nemo igitur temere de Ecclesijs iudicet, aut aliquorum salute desperet. Nemo præcipiti affectu abreptus Ecclesias facilè deserat. Frequenter enim fit, vt qui scismata & dissidia faciunt, multò grauius peccent ijs, quos ipsi flagitiosissimos mortalium esse putant. Singuli potius simplicitati & constantiæ in vera fide studeant, vt conscientia bona & integra consistere possint in magno illo die, quando ad iudicium veniet magnus ille pastorum princeps,* IESVS CHRISTVS: *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA VI.

Itaque hac fiducia prius volui ad vos venire, vt secundam gratiam haberetis: & per vos transire in Macedoniam, & rursum ex Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Hoc ergo cùm deliberarem, numquid leuitate sum vsus? aut num quæ delibero, secundùm carnem delibero, vt sit apud me Etiam & Non? Imò fidelis Deus, quòd sermo noster apud vos non fuit Etiam & Non. Nam Dei Filius, IESVS CHRISTVS, qui inter vos per nos prædicatus est, per me scilicet, & Syluanum ac Timotheum, non fuit Etiam & Non, sed fuit Etiam in ipso (quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt Etiam, & in ipso sunt Amen) ad Dei gloriam per nos. Porrò qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: Qui etiam obsignauit nos, deditq; arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.

QVoniam mundus Veritatis lucem odit, eò quòd per eam opera ipsius praua arguuntur, nihil in huius ministris tam minutum est, quod non notet maligno oculo atque calumnietur: non quidem quòd vitia, quibus hi laborant, emendata cupiat, sed vt doctrinam in contemptum adducat, aut inuisam atq; exosam reddat. Accidit hoc ipsi Christo Domino nostro, quem modò propter commercia cum publicanis, modò propter discipulorum leuiuscula delicta, modò alias ob causas accusauerunt. Non debent ergo similibus offendi Ecclesiarum ministri, vt propterea ab officio discedant: quia tamen improbi illi per ipsorum latus Veritatis doctrinam iugulare conantur, exigit hoc partim Dei gloria, partim multorum salus, vt suam authoritatem qua possunt diligentia asserant. Idem ergo Paulus facit quoad Corinthios, apud quos multi hoc vnum agebant, vt labefactata ipsius authoritate, synceriorem Euangelij doctrinam exploderent. Ideo ei persecutiones exprobrabant: quibus initio statim fortiter respondit. Deinde vanitatis & mendacij insimulabant, eò quòd suum ad ipsos aduentum diutius differret. Cùm his nuper cœpit agere, & in genere

docuit, se ab omni fuco & simulatione alienissimum fuisse, inter ipsos verò ita vixisse, vt meritò de sua fide posit gloriari, & quidem in ipsius Christi conspectu. In præsenti autem propius ad calumniam diluendam accedit, & moræ admissæ totiusq; consilij sui rationem reddit.

Principiò ostendit, se nullius leuitatis debere accusari, eò quòd si qua culpa sit in eius mora aut dilatione aduentus sui, ea in ipsis tota hæreat, qui illius fuerint ei authores. Hac fiducia (inquit) prius volui ad vos venire: quòd nimirum sperarem, vos agnoscere, qua fide & integritate inter vos versatus sim, neque mihi alia mei consilij ratio fuit, quàm vt qui prius per sesquiannum apud vos fidem docui & plantaui, nunc secundam quoque gratiam, id est, alterum beneficium vobis conferrem, & ad vos reuersus vberiori doctrina animos omnium rigarem, collapsa restituerem, vitiosa corrigerem, labefactata instaurarem, denique vos in fide magis confirmarem. Hæc (inquam) mei consilij summa fuit, quæ me monuit, vt per vos in Macedoniam transire, deinde ex Macedonia ad vos redire, & tandem vobis me deducentibus in Iudæam proficisci statuerem. Quid verò hîc reprehensione dignum est? Num leuitatis accusari mereor, quòd ex Apostoli officio vos inuisere, & donum aliquod spirituale vobis conferre volui? Atqui leuitatis crimine notantur, qui labores nihil ad se pertinentes & quibus ipsi non possunt sufficere, subeunt. Vel num me secundùm carnem, id est, inconsulto & præcipiti affectu abreptum hoc consultauisse dicetis, & ideo mihi accidisse, vt apud me sit Etiam & Non, id est, vt in meis promissis lubricus atque leuis inueniar, dum ea non præsto? Equidem scio homines quidem proponere, Deum autem dirigere gressus siue consilia nostra, prout ipsi libuerit: neq; mihiipsi vnquam tantum tribui, vt in mea potestate esse putarim ad vos venire, vel minus. Ideo disertè dixi me venturum esse, si ita velit Dominus. Quia ergo nihil à functione apostolica alienum promisi, & insuper consilium meum Dei decreto atq; voluntati subieci, quæ ratio est, cur leuitatis accuser?

Culpam dilati aduentus sui in ipsos transfert.

1.Cor.16.

Est autem in Pauli exemplo obseruatu dignissimum, quòd vanitatis crimen tanta cum diligentia amolitur. Vt enim mendacio in quouis homine nihil inhonestius aut illiberalius fingi potest: ita non aliud est à functione Ecclesiastica magis alienum. Qui enim hanc obeunt, ij Veritatis ministri sunt, cuius Verbum prædicare debent, & ita quidem ne huic aliquid vel abs se vel ab alijs confictum admisceant. Quid enim paleæ cum tritico? inquit Dominus. Obseruent ergo quoad doctrinam, ne vanis promissionibus aliquos lactent, vt de ipsis Propheticum illud dici possit: Popule mi, qui te beatum dicunt, te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant: Item, Ne quem minis fallacibus terreant, & (vt alius Propheta ait) bellum contra eos sanctificent, qui non dederint in os ipsorum. Curent præterea, vt nomini & titulis suis respondeant, vt denique in sermone quotidiano veritati studeant, ne dum hîc vaniores sunt, seipsos quoad doctrinam quoque suspectos reddant. Quis enim de cœlestibus loquentes audiat, quos in terrenis & temporarijs mendaces esse videt? Proderit hîc plurimùm, si non immisceant se rebus à sua functione alienis, & quæ ipsis minus compertæ esse possunt: si itē temperantiæ & frugalitati studeant, ne quando ære alieno grauati tandem creditores suos fallere, & sæpius mentiri cogantur. Pertinent huc Apostolici canones, quibus præcipitur, ne Episcopi vino dediti sint, ne quæstum turpem faciant, vt denique domui suæ bene præsint, &c. qui si ab omnibus obseruarentur, non ita vilesceret ministerij authoritas.

Ministri à mendacio sint alienissimi.

Ierem.23.

Isa.3.

Mich.3.

1.Tim.3.
Tit.1.

At quod de ministris dicitur, omnes homines, cuiuscunq; loci sint, ad se transferre debent. Quàm enim turpe sit mentiri, gentium quoq; sapientes intellexerunt. Id sanè in virum bonum cadere, Cicero negat: & idem eum, qui semel à veritate deflexit, non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci posse ait. A Christiano certè homine alienissimum esse debet mendacium, quando huius patrem diabolum esse, Christus testatur. Meminerint ergo horum singuli, & non in verbis modò verumetiam in factis veritati studeant, ne quis ipsos aliud simulare aliud verò reipsa agere dicat. Imprimis autem in religionis causa caueant, ne Spiritui sancto mentiantur, quod scelus atrocissimum esse, Ananiæ exemplo docemur. Act.5.

Mendacij turpitudo.

Ioan.8.

Admonet præterea Pauli exemplum, quæ ratio in capiendis consilijs teneri debeat. Absit ab his ante omnia leuitas, ne illa præcipitemus. Est enim magna affectuum vis, iræ nimirum, odij, amoris atque similium, qui ferè animos excæcant, vt solis præsentibus intenti, non vlterius

Quid in consilijs capiendis obseruari debeat.

Iac.1. prospiciant. Ideo de ira dicebat Apostolus, eam non operari iustitiam. Quod ipsum de reliquis etiam affectibus intelligi debere, res ipsa docet. Mora igitur & examine diligenti, adeoque (quod prouerbio dicitur) consilio in nocte opus est. Rectè enim Sophocles monuit, non eundem finem cursus & consilij esse. In cursu enim vincit, qui celerrimus est: in consultando autem mora de multis nos admonet, celeritas verò periculosa est: & qui ea vtuntur, ferè tandem non sine ignominia sua dicunt, Non putaram: quod dictum à sapiente viro alienissimum esse debere, Scipio non minus verè quàm grauiter monuit. Deinde ne consultemus secundū carnem, id est, confidenter, quasi quæ ipsi statuimus, decreta sint irreuocabilia. Possumus enim falli tunc quoque, quando animi intentio

2. Sam.7. bona & zelus omnino sanctus est: cuius rei memorabile exemplum in Nathano historia sacra proponit, qui consilium, quod Dauidi de templo ædificando confidentius dederat, mox proprio ore reuocare coactus fuit. Adde his, quòd omnia nostra à Dei prouidentia pendent (vt iam ante monuimus) qui non semper per nos id fieri vult, quod per se bonum est. Semper ergo meminerimus con-

Iac. 4. ditionis illius, qua Iacobus nos consilia nostra moderari iubet, & de qua in explicatione vltimi Cap. epistolæ prioris diximus: vt nimirum addamus: Si Dominus voluerit. Ita enim nihil sine Deo suscipiemus, multò minus autem statuemus quod cum ipsius voluntate pugnet. Peccant in vtroq; quicunque confidentius agunt, & ideo vt plurimum suis consilijs falluntur, & ex sua confidentia ignominiam reportant. Vt verò doctrina hæc nos in officio continet, ita consolationem quoque dulcissimam suggerit, qua aduersus eorum machinationes confirmemur, qui contra Christum & Ecclesiam eius conspirant. Consultant hi secundùm carnem, & quod ipsi statuunt, id cum æterno

Psal.2. Dei decreto pugnat, qui Filium suum vnxit Regem super Zionem montem suum sanctum, vt suos seruet & regat, rebelles autem & contumaces sceptro suo ferreo coërceat. Illis ergo rectissimè seruit comminatio illa, quæ apud Isaiam habetur: Societatem inite ô populi, at inferiores eritis: auscultate qui in longinquis estis regionibus: accingamini, at inferiores eritis: accingamini inquam, at inferiores eritis: inite consilium, & fiet irritum: loquimini sermonem, sed non stabit: quia nobiscum est Deus. Isa.8.

Doctrinæ constantiam Paulus sibi tribuit. Porrò vt ad Paulum redeamus, quia æmuli leuitatem ei ideo exprobrabant, vt hoc prætextu (sicuti initio monuimus) doctrinam eius suspectam facerent, commodè ad hanc delabitur, & argumento ex illa petito probat, se ab omni vanitate siue mendacio semper alienissimum fuisse. Quo loco obseruari debet, quòd omissis ijs, quæ in ipsius personam dicebantur, doctrinæ suæ veritatem asserit. De hac igitur potius quàm de sua existimatione omnes ministri ecclesiarum soliciti esse debent. Sic autem hanc partē orditur: Fidelis Deus, quòd sermo noster apud vos non fuit Etiam & Non. Præmittit iurisiurandi formulam, quæ pro Hebræorum more Aposiopesim habet. Nam sensus est: Quàm verax & fidelis est Deus, tam certum est, sermonē, id est, prædicationem apud vos nō fuisse Etiam & Non, id est, non fuisse variam, inconstantem sibiq; ipsi cōtrariam. Id verò probat. Nam Dei Filius, qui prædicatus est inter vos per nos, per me scilicet, & Syluanū ac Timotheū, non fuit Etiam & Non: sed fuit Etiam in ipso. Argumentum hoc à subiecto Euangelij sumitur, & vt magis perspicuum sit, ita formari poterit: Euangelio, cuius nos administri sumus, nihil aliud prædicatur, quàm Dei Filius, IESVS CHRISTVS: At hic non est varius, qui instar Prothei in omnes formas vertatur, sed ipsissima est Veritas, sibiq; semper constat. Ergo prædicatio quoq; nostra vera, certa & firma fuit, neq; aliqua in parte à seipsa dissentit. Ad confirmationem & amplificationem Minoris facit quod sequitur: Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt Etiam & Amen ad Dei gloriam per nos. Quasi diceret: Tam abest, vt Christus possit varius & inconstans dici, vt potius hic ille sit, in quo omnes promissiones suum habent complementum. Conuenit e-

Ioan.1. nim hoc dictum cum illo Ioannis: Lex per Mosem data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. Peculiari autem loquendi formula Paulus vtitur, in qua vocem Græcam ναὶ cum Hebræa Amen coniungit: partim vt Christum & meritum eius tam ad gentes quàm ad Iudæos pertinere doceat, de quo sæpe dictum est: partim vt nos nostri officij admoneat. Vt enim Græcum ναὶ, quod Latini per Etiam exprimunt, assensionis siue confirmationis nota est: ita voce Amen Hebræi vtebantur olim, quoties suo consensu confirmabant quæ Deus loquebatur, aut quod huius nomine ministri proponebant. Vide Deut.27.1.Cor.14.

Est autem totus hic locus admodum memorabilis, quia Euangelij dignitatem mirificè commendat. Argumentum siue subiectum huius est vnus IESVS CHRISTVS, *qui ideo alibi Prophetarum & Apostolorum fundamentum dicitur, & quem vnum Apostoli nouerunt atque prædicarunt. Quis verò ille est? Æternus verusque Dei Filius, qui præfinito tempore verum hominem in personæ vnitatem assumpsit, vt pro peccatis totius mundi victima factus, promissiones Dei omnes compleret, atque ratas faceret. In illo sanè vno præstita est promissio primis parentibus facta: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Idem ille benedictum illud Abrahami semen est, de quo dictum fuerat: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Hic Schilo ille vel Sospitator, quem venturum esse Iacob prædixerat, quando sceptrum à Iuda esset transferendum. Hic est, quem typi legales adumbrarunt, & quem Moses Prophetam illum Magnum dixit, quem omnes audire debeant. Denique (vt Petrus testatur) hic solus ille est, de quo omnes Prophetæ iaminde à Samuele vaticinati sunt. Est ergo Euangelium ipsissimum Dei Verbum, de quo olim Isaias dixit, Verbum Domini manet in æternum. Quapropter hodie etiam hoc solum prædicari debet, & ita quidem, vt per illud vnus Christus annuntietur, non ambiguus, non varius, non qui vllis adminiculis opus habeat, sed qui idem est heri, hodie & in æternum, solusque nobis seruandis sufficit. Et debent ex eo in omni tentationum genere consolationem petere Christiani homines, quòd promissiones Dei omnes in eo complementum suum habere, & proinde illum nobis verè placatum esse sciunt. Iidem Euangelij doctrinæ suo Amen succinere aut subscribere debent ad gloriam Dei, id est, sic vt suo testimonio Dei veritatem commendent, adeoque obsignent (vt Ioannes loquitur) quòd Deus verax sit. Neque dubitare quenquam conuenit de eorum, quæ nobis in illo promittuntur, veritate. Quia ad omnes pertinet vsitatum illud* IESV CHRISTI *dictum: Fiat tibi secundùm fidem tuam. Item: Fides tua te seruauit: abi in pace.*

Euangelij dignitas. | Gen. 3. 22. 49. | Deut. 18. | Acto. 3. | Isa. 40. | Heb. 13. | Ioan. 3.

Cæterùm ne quid Paulus sibijpsi arrogantius tribuere putaretur, apertius docet, vnde sit hæc Euangelicæ doctrinæ certitudo, & simul Corinthios propriæ conscientiæ testimonio conuincit, sic dicens: Porrò qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Quasi diceret: Quid verbis opus est? Ista non ex nostro cerebro fingimus, sed ab ipso Deo confirmati dicimus: neque ex Christianorum numero aliquis tam impudens reperietur, qui Deum veracem esse non fateatur, aut qui promissiones eius in Christo plenè præstitas esse neget. Et idem ille nos vnà vobiscum confirmat in Christum, vt videlicet huic inseramur ceu germani palmites, inque eius fide constanter perseueremus, dum nos vngit & obsignat, arrhamq́ Spiritus sui cordibus nostris inserit. Quòd si ergo Christiani estis, vtique hanc Spiritus virtutem sentitis, & eius testimonio atq; inspiratione confirmati nihil dubitatis, quin in Christo vobis abunde exhibita sint, quæcunque ad generis humani salutem faciunt. At cùm nos nihil præter hunc vnum prædicemus, adeoq́ apertè fateamur, nos nihil aliud nouisse præter IESVM CHRISTVM, *neque nomen aliud sub cælo hominibus datum esse, in quo nos seruari oporteat: cur prædicatio nostra vanitatis aut falsi insimulatur, quam Spiritus sanctus in omnium credentium animis tam certo tamq́ luculento testimonio confirmat? Hic verborum istorum sensus est, quæ tacitam reprehensionem continent, quæ vtinam hodie in omnium animis resonaret, qui Christiani quidem dici volunt, Corinthijs autem leuiores & deteriores nos hæreticos dicunt, quòd in vno Christo promissiones Dei omnes confirmatas & impletas esse, & proinde omnem salutis fiduciam in illo vno collocari debere docemus. Insunt tamen verbis istis quædam alia etiam, quæ obseruare conuenit.*

Euangelij certitudo vnde sit.

Primum, quòd ijs, quæ de doctrinæ & prædicationis Euangelicæ certitudine dixit, mox nostræ fidei certitudinem subiungit. Eo docemur non sufficere Euangelij doctrinam, imò nihil nobis prodesse, nisi eam nostro assensu vel fide apprehendamus. Sunt enim ex Relatiuorum numero, Prædicatio Verbi Dei & Fides. Quare Paulus dicebat: Quomodo credent ei, de quo nihil audierunt? quomodo autem audient absque prædicante? Et quæ nam vtilitas ad eos redeat, qui multa quidem verè dici audiunt, iisdem verò fidem non habent? Imò nisi Dei Verbo credamus, iam in illum contumeliosi sumus, & (vt Ioannes scribit) eum mendacij arguimus, ideoque Euangelium

Euangelio credere oportet. | Rom. 10. | 1. Ioan. 5.

audimus in nostræ damnationis testimonium. Est ergo incredulitatis peccatum multò grauius quàm plerique putent: quod vtinam seriò expenderent, qui hodie nuda & inani fidei professione gloriantur. Possunt illi oculos hominum fallere, Deum verò fallere non poterunt, cuius oculi (vt Propheta ait) per totam terram discurrunt, & intimos cordium recessus penetrant.

Fidei certitudo vnde obtingat?

Vnde autem (inquis) fides ista & eius certitudo nobis obtingit? Est quæstio hæc vtilis & necessaria cognitu: quia hîc multi impingunt, dum vel suæ rationis figmenta admittunt, vel ad aliorum authoritatem confugiunt: quos omnes falli necesse est, quando mysteria hæc omnem humani intellectus captum superant, & maior semper fuit incredulorum numerus, qui sese Dei Verbo & voluntati opposuerūt. Itaq; Paulus omnem hanc gloriam vni Deo tribuit. Is est qui Filium suum nobis dedit Seruatorem, & in eodem nobis per Euangelium salutem plenam atque omnibus numeris absolutam offert. Idem animos nostros fide donat, qua eum amplectimur, qui nobis per Verbum prædicatur. Confirmat denique nos in Christum, vt in fide stabiles & salutis nostræ certi, non fluctuemus.

Ordo, quo in suis confirmandis Deus vtitur.

Sed præstat ordinem quoque videre, quo nobiscum Deus agit. Primùm vngit nos. Dicitur hoc de Spiritu sanctificationis, quo nos sibi fecit Reges & Sacerdotes. Hi enim antiquitus vngebantur. Et tales quidem sunt omnes Christiani. Nam Reges agunt, quando diabolo, mundo, peccato & carni imperant: quod regnum est omnium præstantissimum, cui nullum aliud in terris conferri meretur. Iidem Sacerdotes sunt, dum seipsos Deo sistunt viuentem hostiam, dum alij alios docent, monent, hortantur & mutuis precibus iuuant. Est præterea Vnctionis huius effectus, quòd in omnem Veritatem inducit, ne porrò ambigamus de ijs, quæ ad nostræ salutis causam pertinent. Deinde obsignat nos Deus. Potest hoc non ineptè ad baptismum referri, qui vt olim Circumcisio fœderis & iustitiæ fidei sigillum erat: ita ille nobis gratiæ, sanctificationis & iustitiæ sigillum est, quæ omnia in Christo habemus. Et vult Deus suos tam intus quàm foris obsignatos esse, vt & ipsi de salute sua certi sint, & ab alijs sectis diuisi ita se gerant, vt eos ex mundo hoc selectos esse omnibus constet. Additur his tertium, arrha Spiritus, quam Deus dat in cordibus nostris. Id verò non de donis spiritualibus intelligi debet, quæ interdum incredulis quoque & Christo parum fidis dari solent: sed de Spiritu adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater. Hunc non temere arrham dicit Apostolus. Est enim arrha id, quod in sponsionibus & contractibus datur confirmationis ergô, & quo vtrinque obstringuntur, tam qui illam dant, quàm qui accipiunt. Eadem omnino est Spiritus sancti ratio. Hunc enim nobis dat Deus, vt pignoris & testimonij loco sit, illū nobis velle Deum & Patrem esse propter Filium suum æternum, IESVM CHRISTVM, qui noster frater factus est, vt nos quoque in filiorum Dei numerum cooptaret. Vicissim nos illi per Spiritum obstringimur, ne posthac mundo & carni viuamus, sed ex Verbi semine renati, toti Deo consecremur.

Vsus istorū, vt officij admoneant & consolentur.

Ista verò primùm omnem nostræ salutis gloriam vni Deo vendicant, ne quid nostræ dignitati, aut viribus nostris tribuamus. Sic enim de istis Paulus disserit, vt seipsum quoque ijs adnumeret, quos à Deo vngi & obsignari, arrha denique Spiritus sancti confirmari oporteat. Deinde consolationem continent dulcissimam, quæ in tentationibus de salute nostra nos dubitare non sinit. Qui enim nos foris & intus obsignauit, nos ignorare vel negligere non potest. Nouit Dominus qui sint sui, & idem pastor ille bonus atque omnipotens est, ex cuius manu oues nemo potest rapere. Sunt ergo impij gratiæ Dei hostes & animarum homicidæ, qui hominem de salute sua certum fieri posse negant, & ita infelices in desperationis præcipitium adducunt. Postremò officij nostri nos ista admonent, ne huic tam fideli & salutiferæ obsignationi & confirmationi reclamemus. Qui enim id faciunt postquam intra animum suum conuicti sunt, ij in Spiritum sanctum peccare incipiunt, & nisi pedem mox retrahant, tandem desperationis laqueo abripiuntur. Agnoscamus ergo magnitudinem beneficij diuini, nobis in IESV CHRISTO exhibiti, & credamus Euangelio, neque posthac nobis aut mundo viuamus, sed ipsi vni, qui redemit nos, & suo Spiritu vnctos atque obsignatos sibi consecrauit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

2.Tim.2.

HOMI-

HOMILIA VII.

Ego verò testem Deum inuoco in animam meam, quòd vt parcerem vobis nondun venerim Corinthum. Non quòd dominemur vestræ fidei, sed quòd administri simus gaudij vestri. Nā fide statis.

MAgno studio & diligentia Paulus hucusque leuitatis crimen siue suspicionem à se depulit: non quidem priuati honoris & gloriæ causa, sed ne Euangelij doctrina propter ipsum in dubium veniret, & ita multorum salus periclitaretur. Didicimus itaque eius exemplo, quid in asserenda nominis sui existimatione omnes spectare debeant, qui vel in Repub. vel in Ecclesia gradum aliquem eminentiorem tenent. Quia autem quædam de doctrinæ suæ certitudine consultò interposuerat, quam aduersarij imprimis petebant, redit in præsenti propius ad rem ipsam, & cur consilium de sua ad ipsos profectione mutarit, apertius docet, & sic quidem, vt culpam omnem in ipsos transferat; suam verò erga eos beneuolentiam disertè testetur. Ex quibus cordatiores quique facilè colligere poterant, nimium proteruos & iniquos esse eos, qui Apostolum ea culpa grauare conabantur, cuius ipsi erant præcipui authores.

Initio causam hanc magna cum grauitate, & non sine iurisiurandi formula proponit: Ego verò testem Deum inuoco in animam meam, quòd vt parcerem vobis nondum venerim Corinthū. Summa omnium est, se aduentum suum hucusque distulisse, non quod ex leuitate aut inconstantia consilium suum mutarit, sed ne cogeretur seuerius & durius cum ipsis agere: Eam enim fuisse apud eos rerum faciem, vt præsens non potuisset ipsis parcere, quo minus seueritate & rigore Apostolico vteretur. Ergone (dicat aliquis) indulgentia peccauit Paulus? Nequaquam. Nam licet noluerit coram eos durius tractare, literas tamen ad illos dedit, quibus acriter eos corripuit, nec aliquid dissimulauit, quod repræhensionem mereretur. Verum tamen si coram vidisset Ecclesiæ huius conditionem corruptissimam & multorum mores dissolutos, eosdem seuerius castigare coactus fuisset, ne authoritatem suam publicè omnium contemptui & ludibrio exponeret, cum nocentissimo multorum scandalo. Nam si indulgentius quid egisset, alij quidem omnem de pœnitentia cogitationem abiecissent, alij verò contumaciores facti, absque omni pudore perrexissent in sua proteruia. Vt enim patris existimatio tota corruit, si ipso spectante liberi agant petulantius, idem tamen aliqua ex parte excusari potest, si ignorare putetur quæ illi faciunt, & hi ipsi in aliquo adhuc metu continentur: Ita in Ecclesia & Repub. fieri solet. Si in conspectu pastorum siue magistratuum aliqui immodestius & turpius sese gerant, ipsis ad omnia conniuentibus, non potest non omnis eorum authoritas collabi, quæ aliqua manet, quoad improbi illi ista se non impunè facturos putant, si ad illos deferantur. Vidit hoc olim Cato, seuerissimus morum Censor, qui in festis Floralibus cùm religionis prætextu confirmatam petulantiam abolere aut corrigere non posset, è theatro discessit, ne quid sua grauitate indignum spectaret, & populi leuitati subscribere videretur. Erant hæc diligenter obseruanda Ecclesiarum ministris, viris item Senatorijs, quando primi ludunt, primi potant & inebriantur, primi scurrilia tractant, & ita non solùm mali exempli authores fiunt ijs, quos debebant in officio continere, verumetiam authoritatem suam turpiter prostituunt.

Cur aduentum suum hucusque distulerit.

Vt verò ad Paulum redeamus, obseruatu dignum est, quod de Corinthijs ista scribit, quos in epistola priori tanta cum grauitate corripuit. Ex eo enim apparet, non statim secutam fuisse pœnitentiam perfectam & plenam vitiorum omnium emendationem. Imò credibile est, multos nouas calumniandi occasiones ex eius acrimonia captasse, & ferocius aduersus illum eiusque sectatores proteruisse: quemadmodum hodie multos istorum similes facere videmus. Attamen vicit tandem pars melior, & multa deinceps in melius restituta, multa item emendata sunt. Ergo non statim animum despondere debent qui ad Ecclesiæ aut Reipub. gubernacula sedent, si primo conatu non tantum proficiant, quantum volunt. Nam (vt prouerbio olim dixerunt) non vno ictu deijcitur quercus: & altius in hominum animis radices agit semel admissa opinionum atque morum licentia, quàm vt subitò euelli possit. Itaque operi bene incepto fortiter insistere, & cunctantes vrgere, stimulare & impellere oportet, & omnes rationes quærere, quibus permoueri queant. Admonet nos de hoc ipsius Dei exemplum, qui vt pœnas mirifica longanimitate differre solet, ita nouis

Corinthij epistola priori nō statim emendati.

subinde admonitionibus, correptionibus & adhortationibus apud eos instat, qui adhuc pertinacius ei reluctantur. Interim meminerint hi ipsi, non impunè laturos se contumaciam suam: quia vt lento pede procedit vindicta diuina, sic tarditatem suam grauitate supplicij compensat. Et notum est illud Pauli, quo pœnitere nescijs interminatur dicens: Num diuitias benignitatis eius, & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad resipiscentiam te allicit? Sed pro duritia tua & corde resipiscere nescio, thesaurizas tibijpsi iram in diem iræ & declarationis iusti iudicij Dei, &c. Vide Roma.2.Cap. Exempla, quibus hæc probentur, sunt passim obuia.

Paulus iurat. Cæterùm priusquā hinc descedamus, diligentius expendi debet Pauli exemplum, qui iusiurandū grauissimum interponit. Simile quid nuper etiā fecit, sed obscurius, cùm diceret: Fidelis Deus, &c. Hîc verò apertius & maiori cum pondere verborū ait: Ergo verò testem Deum inuoco in animā meam. Facit hoc, quia res erat magni momenti, & (vt iam sæpe monuimus) nō tam de ipsius persona agebatur, quàm de doctrina, quā pseudoapostoli hac ratione oppugnabant. Licet ergo iurare in causis grauibus, & hoc olim quoque multi fecerunt, quorum fides & pietas in Scripturis commendatur. Abrahamus certè famulum suum iureiurando obstringit, vt Isaaco filio vxorem quærat de sua gente: & ipsemet Abimelecho iurat, cum quo fœdus fecerat. Et Iacobum Labano socero iuramentum dedisse legimus. Quid quòd Deum ipsum Abrahamo iurauisse, Moses tradit, quod Apostolus ad Hebræos scribens diligenter obseruauit: & idem ille, vt per suum nomen iuremus, non vno loco mandat. Arguunt hæc Anabaptistarum errorem, qui dum iuramenta omnia simpliciter damnant, eadem opera Rempub. turbant, & huius vinculum præcipuum dissoluunt. Nituntur Christi verbis, qui ne omnino iuremus præceperit. Sed de temerarijs iuramentis illic Dominus loquitur, qualia tunc inter Iudæos in quotidiano vsu erant, & hodie etiam nimis vulgaria sunt. Neque aliter Apostolos Christi præceptum intellexisse, propria ipsorum exempla docent. Ne tamen in illud aliquo modo peccetur, primò probè videndum est, ne iuramentis temere, sed in solis grauibus causis vtamur, quas hac ratione vel determinari vel confirmari necesse est. Deinde ne quibusuis illud committatur. Peccant in eo multi hodie, qui iusiurandum illis quoque cum publica authoritate adhibent, quorum fides tam dubia est, vt nemo eis teruntium, aut si quid vilius est, velit credere.

Gene.24.21.31. Gen.22. Heb.6. Matth.5.

Formula iurandi. Debet autem obseruari diligenter formula iurandi, qua Paulus vtitur: Testem inuoco Deū in animam meam. Habent singula verba Emphasim. Deum testem citat, quia ipsius verbis multi palàm contradicebant. Nec citat modò, verumetiam inuocat: Et quidem in animam suam, id est, cum periculo animæ aut vitæ suæ: vt innuat, hunc vindicem & vltorem fore, si quem sub nominis sui prætextu fallat. Quo loco docemur, per solius Dei nomen iuramenta concipi & dari debere. Quia solus hic arcana omnium nouit, & corda quoque hominum scrutatur. Solus item vindicandi ius habet, si qui peierent: & solus eos tueri potest, qui bona fide agunt. Adde, quòd plerunque cum inuocationis formula iuratur (sicuti in hoc etiam Pauli exemplo videmus) & ideo non postrema diuini cultus pars est iusiurandum. Quæ causa est, quòd ne per alienos Deos iuremus, tam sæpe tamque grauiter in Lege & Prophetis prohibetur. Dominum Deum tuum timebis (inquit Moses) & illum coles, iurabisque per nomen eius. Ieremias item dicebat: Et iurabis, Viuit Dominus. Et Isaias de conuersione Ægyptiorum ad fidem Christianam vaticinans, inter alia fidei exercitia hoc quoque numerat: In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, quæ loquentur lingua Chananaica, & iurabunt per Dominum exercituum. Apud Sophoniam verò Deus illis excidium minatur, qui per ipsum simul & Milchom, id est, patronum siue Deum tutelarem iurēt, quē ipsi sibi finxerint: quod hodie faciunt, qui in iurisiurandi formula Deo vero Diuos coniungūt. Conuincuntur hi sanctissimorum Martyrum exemplis, qui quæuis potius supplicia subire voluerunt, quàm per alterius Dei nomen iurare. Iuliani certè milites cùm aliquid huius per incogitantiam fecissent, tandem de sceleris atrocitate admoniti, spontè se ad supplicium obtulerunt, vt hanc diuino nomini factam iniuriam eluerent.

Deut.6. Iere.4. Isa.19. Soph.1.

Iuramenta sanctè seruentur. Vt verò caueri debet, ne iurando in cultum Deo vni debitum peccemus: ita proxima nobis cura esse debet, vt sanctè & bona fide præstetur quod iuratum est. Si qui enim fallunt, ij Deum extrema contumelia afficiunt. Quis enim vir bonus ferat, aliquem sub nominis aut sigilli sui prætextu fal-

tu falli? Et tu Deum qui ipsissima est Veritas, hoc dissimulaturum putas, si mendacium, dolos & fraudes tuas ipsius nomine palliare audeas? Exempla in periuros edita in historijs passim habentur, & quædam tam atrocia, vt gentibus quoque periurium horrori fuerit. Sed ô nostri sæculi infelicitatem, quando iurandi leuitas, quæ apud omnes in quotidiano vsu est, eò plerosque adducit, vt ne à periurijs quidem abhorreant: imò sibi laudi ducant, si quem fallere possint. Meminerint ergo singuli, se quoties iurant, toties Deum testem inuocare in animam suam, etiamsi conditio illa non semper diserte exprimatur.

Cæterùm poterat quibusdam arrogantius à Paulo dictum videri: Vt parcerem vobis, nondũ veni Corinthum. Parcere enim is dicitur, qui cùm puniendi ius habeat, aut nocere possit, vel etiã inuitos cogere, id tamẽ nõ facit. Ideo obijceret aliquis: Ergo ne tantũ iuris tibi in nos sumis, vt nos pro tuo arbitrio tractare possis? aut cuius præsentia omnibus terrori esse debeat, adeò, vt quod tu vis aut iubes, omnes velle & facere cogamur? Hæc certè non lenis pastoris aut benigni patris, sed tyranni ingeniũ referunt. Itaque Paulus præoccupatione dictum illud mitigat, dicens: Non quòd dominemur vestræ fidei, sed quòd administri simus gaudij vestri, &c. Sensus verborũ est: Nemo hoc ita accipiat volo, quasi mibi in conscientias vestras ius & imperiũ vendicem, & fidei vestræ dominari velim. Scio enim nos Apostolos & quotquot alij Euangeliũ prædicant, non dominos esse Ecclesiarum (quæ vnum IESVM CHRISTVM pro sponso, domino & capite suo agnoscunt) sed tantùm administros esse vestri gaudij, id est, tranquillitatis & pacis conscientiarum, quæ ex gratiæ & reconciliationis cum Deo per Christum factæ cognitione nascitur. Quoad fidem vestram, vos illa stetistis hactenus, & ea sola, licet multis alijs vitijs laboraretis, vos tamen fulciuit, ne toti corrueritis. Idcirco ego non aliud quæro, quàm vt hæc fides vestra confirmetur, & gaudium illud vestrum vobis solidum & integrum maneat. Insunt autem huic loco multa obseruatu dignissima, de quibus ex ordine dicemus, quantum, nunc videbitur sufficere.

Paulus superbæ dominationis suspicionẽ declinat.

Primùm inter illa est præclarum fidei encomium. Vt enim fide Corinthij steterunt, ita hac sola omnes seruantur. Etsi enim salus, quam nobis Christus meruit, ad totum hominem pertineat, & proinde ad corpus quoque: tamen eius percipiendæ ratio in anima consistit. Ideo Paulus alibi dicebat exercitationem corporalem parum habere vtilitatis. Et quid de ceremoniarum obseruatoribus Deus per Prophetas olim pronuntiauerit, satis notum est. Rectè ergo rursus à nostro Apostolo dictum est: Regnum Dei non est cibus aut potus, sed iustitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto. Item: Bonum est gratia constabiliri cor, non cibis, quibus non sunt adiuti, qui in ipsis versati sunt. Atqui gratia ista per solam fidem appræhenditur in CHRISTO IESV, qui illam nobis meruit: & ideo iustus fide sola viuere dicitur. Itaque huius nobis prima cura esse debet, ne cũ Martha illa Bethaniensi circa multa occupati, quod maximè necessariũ est negligamus Luc. 10.

Fidei Encomium.
1. Tim. 4.
Rom. 14.
Hebr. 13.
Hab. 2.

Admonemur præterea, non temere damnari debere eos, qui fidei principia salua habent. Scimus enim quot modis Corinthij corrupti fuerint, quamque multis vitijs laborarint. Attamẽ Paulus illos hucusque fide stetisse ait, ne toti perierint. Sunt ergo nimis temerarij, qui hodie viros de Ecclesia optimè meritos damnant propter vnum aliquod dogma, absque quo fides potest consistere: quale est, quod de crassa & corporali siue substantiali corporis Christi præsentia & eiusdem Capernaitica vel orali manducatione ex Papæ penu siue culina deprompserunt: cuius cum nulla mentio fiat in fidei aut symboli Apostolici articulis, & idem omnis vetustas ignorarit, illi tamen nos fanaticos, Sacramentorum prophanatores, hæreticos & indignos esse clamant, quos terra hæc ferat, eò quòd non cum ipsis ineptire volumus. Abutuntur hi contra nos Iacobi loco: Quisquis totam Legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omnium reus. Atqui nihil illic Apostolus de dogmatibus loquitur, sed hypocritas arguit, qui vt operum iustitiam stabilirẽt, præcepta quædam Legis leniora & ipsis conuenientia seligebant, quorum obseruatione deinde gloriabantur, securi de alijs, quæ grauioris momenti sunt: cuius iactantiæ exemplum in iuuene illo proponitur, quem Christus de vita æterna quærentem, & Legis obseruatione gloriantem, ad diligentiorem illius inspectionem remittit. Horum iactantiam Iacobus inutilem esse docet, quia vnius præcepti transgreßio sufficit, vt nos reos agat ad Dei tribunal, qui iam olim maledictum pronuntiauit eum qui non omnia seruarit, quæ in Lege nobis mandantur. Perperam ergo Rhadamanti illi hoc ad

Non damnandi temere, qui fidei principiã habent.
Iac. 2.
Mar. 10.

fidem detorquent, vt hac nos prorsus carere probent, quia in illis nolumus eis consentire, quæ nullo fidei articulo compræhenduntur. At nos Deo immortales gratias agimus, quòd ea fide hucusque stetimus, quam Apostoli ex Spiritus sancti suggestione toti orbi prædicarunt, quam Martyres sancti suo sanguine confirmarunt, & in qua patres omnes seruati sunt: & oramus Deum misericordiarum Patremque omnis consolationis, vt in ea nos in finem vsque confirmet: quod illum facturum esse firmiter speramus.

Nemo fidei aliorum dominetur.

Nostros autem aduersarios ex fraterna charitate monemus, vt quod alterum huius loci caput est, diligentius inspiciant, & sibijpsis applicent, Pauli exemplum nimirum, qui se fidei Corinthiorum dominari velle negat. At si quisquam hominum in Ecclesiam aliquam ius habuit, Paulus id in Corinthios habuit. Per ipsum enim regeniti erant, & ideo alibi se patrem ipsorum esse demonstrat. Noluit tamen in conscientias sibi ius vsurpare, vt fidei illorum dominetur, eósque credere cogat, quæ ipsi pro suo arbitrio placerent. Vidit enim electum illud organum, fidem non alio fundamento, quàm Verbo Dei, inniti, ex quo etiam nascitur. Quæ deinde causa est, quod totum hominem Deo vendicat, vt nihil possit aut velit admittere, quod ab huius voluntate, nobis in Scripturis sacris manifestata, dissentire sentit. Sufficit hoc arguendis omnibus, qui hodie in fidem & conscientias aliorum sibi ius sumunt. Faciunt hoc præ alijs Romani Pontifices, qui dogmata noua & nouos fidei articulos ex suo cerebro fingunt, & eosdem omnibus obtrudunt, qualia sunt quæ de Missæ sacrificio pro peccatis viuentium & mortuorum, de Confessione priuata, de Purgatorio igne, indulgentijs, satisfactionibus, imaginum cultu, ieiunijs, ferijs, peregrinationibus & sexcentis alijs ab illis traduntur: nec traduntur modò, sed nimis pro imperio obtruduntur, dum simul clamant, Esse de necessitate salutis, vt omnis anima Romano Pontifici subijciatur atque obtemperet. Nec eo contenti, hæreticos dicunt omnes eos, qui vel in minimo ab ipsis dissentiunt, contra eosdem excommunicationibus fulminant, & bella cùm extera tum ciuilia aduersus eos concitant. Hi sunt fidei dominatores intolerabiles, & vel vno hoc indicio sese produnt, quàm parum habeant Spiritus Apostolici. Vetuit Dominus, ne in corpora & fortunas dominentur. Et notum est illud Petri: Pascite gregem, qui penes vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter, non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo: neque vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis. Quis ergo illos ferat, qui à regula Apostolica tam procul discedunt? Sequuntur hos proximo gradu, qui sub plausibili disciplinæ titulo Excommunicationem Papisticam reducunt, & sacramenta fidei negant ijs, quos à fide alienos esse nondum probauerũt, neque etiam certò scire possunt, num à fide alieni sint. Hi cùm multos disciplinæ Christianæ acerrimos vindices, & de Christi Ecclesia optimè meritos, eam vnam ob causam quòd ab illis ex Papatu reductam disciplinæ formulam, vel Excommunicationem probare nolunt, summæ impietatis & atheismi simul accusent, annon imperium sibi vendicant in Ecclesia, & fidei aliorum se dominari velle ostendunt?

Luc. 22.
1. Pet. 5.

Deut. 13.
Num permittendum, vt quisque sibijpsi fidem fingat?
Ephes. 2.
Rom. 14.

Ergo ne (inquis) permittendum est, vt quisque sibi fidem fingat, & pro suo arbitrio in Ecclesia & Dei cultu omnia instituat? Hoc certè multi ex hoc loco & similibus colligunt. Fides (aiunt) donum Dei est, & vt quis hanc animo concipiat à nemine potest cogi, quare permitti debet, vt vnusquisque suo sensu abundet, vt alibi Apostolus loquitur. Atqui nihil minus, quàm quod isti colligunt, sensit Apostolus. Enimuero fides Dei donum est, nec quisquam venit ad Christum, nisi Pater eum traxerit: at solet hic illam per certa media largiri, nimirum per Verbi prædicationem & Spiritus Sancti in cordibus nostris agentis virtutẽ. Ergo illud solum audire, & Spiritui locum dare, non autem hominum placita eos sequi oportet, qui fidem consequi cupiunt. Deinde fatemur, nullius animum aut voluntatem cogi posse vt credat: at in officio contineri possunt homines superstitiosi simul & impij, ne quod malè sentiunt, cum aliorum scandalo effutiant. Eadẽ enim opinionum siue dogmatum ratio est, quæ scelerum. Quis hominis sanguinarij & homicidia perpetua spirantis animum mutare, aut alium fingere potest eum, qui natura furax & alieni appetens est? Nemo vtique præter vnum Deum. Idem tamen hic tales legum disciplina & supplicijs coercere iubet, et quantũ his proficiatur, quotidie cernimus. Quapropter hoc ipsum in fide quoq; & religione debet obseruari, quando de his quoque leges dedit Deus, ne cui ab ipso traditam doctri-

Deut. 13.

nam aut cultus formam mutare permittatur. Quoad nostrum sensum, non hoc vult Apostolus, vt quisque pro suo arbitrio statuat quod velit, sed vnumquenque certum esse iubet intra conscientiam suam quid sequatur. Id enim Græco vocabulo πληροφορία significatur. Vnde verò πληροφορία ista aut fidei nostræ certitudo? Non aliunde certè quàm ex Dei Verbo, à quo vno nos ille ita pendere iubet, vt non faciamus quod nobis bonum videtur in oculis nostris. Quia enim cor hominis prauum, varium & inscrutabile est, nihil vnquam certum firmumque habebit, quisquis huius placita, quæ in horas mutantur, sequi voluerit. At fidei simul atque salutis suæ certus erit, qui solius Dei verbo nititur, quod sibi ipsi semper constat, & in æternum manet. Rom. 14.

Ex his iam colligi potest, quodnam ministrorum Ecclesiæ officium, & quis totius prædicationis Euangelicæ finis sit? Paulus se & Apostolos reliquos administros esse docet gaudij ipsorum: per quod pacem conscientiæ quam Christus nobis peperit, intelligi supra diximus. Hanc ergo ministri fideliter tradere, & toti in eo esse debent, vt homines intelligant, Deum ipsis propitium esse factum in Christo, vtque huic in sanctitate seruiant, atque huius gratiæ sensu confirmati in afflictionibus quoque constanter perseuerent. Nemo igitur temere minis non necessarijs deijci debet, quin potius contritis medicinam adhibere, nutantes verò & labascentes fulcire conuenit, ne desperent. Quòd autē hinc aliqui colligunt, non debere corripi eos, qui cum publico scandalo delinquunt, in proximo Sermone confutabitur. Nunc teneamus, nos sola fide consistere posse in conspectu Dei, hanc autem solo Verbo Dei gubernari, in quo non aliud illius fundamentum monstratur, quàm dilectus & vnicus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, in quo Pater sibi reconciliauit omnia, quæcunque in cælo & in terra sunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Finis Euangelicæ prædicationis.

CAPVT II.

HOMILIA VIII.

HOc autē apud me statui, ne rursus ad vos cū tristitia veniam. Nam si ego vos tristitia afficiā, quis est qui me exhilaret, nisi is ipse qui tristitia ex me afficitur? Et hoc ipsum vobis scripsi, ne cùm venero tristitiam capiā ex ijs, de quibus oportebat me gaudere: confisus de vobis omnibus, meum gaudium omnium vestrûm gaudium esse. Nam ex multa oppressione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lachrymas: non vt tristitia afficiamini, sed vt cognoscatis charitatem, quam habeo abundantissimam erga vos.

SIcuti homo ex innata vitiositate ad omne malū procliuis est et vitijs delectatur: ita eos æquo animo ferre non potest, qui prauis ipsius studijs obstant, & saluti publicæ consultū volunt. Quare si semel odio aduersus eos indulgere cœperit, nihil non sibi licere putat, neque vllis beneficijs vinci aut emolliri potest, vt rectius de illis iudicet. Exempla huius ingratitudinis & contumaciæ in Scripturis multa proponuntur, inter quæ admodum memorabile est, quod in Mose habemus. Reliquerat is aulæ delitias & spem regni, vt Israëlitas ex dura Pharaonis tyrannide liberatos Deo consecraret: beneficia in eosdem infinita cōtulerat, & ipso Deo teste, mortalium erat mitissimus. Quid verò hisce officijs apud eos meruit? Vnum hoc, quòd impostorem dicunt, & tyrannidis in ipsos affectatæ accusant. Eadem post hunc Prophetarum sors fuit, vt iam de Christo Domino nihil dicam, qui per illos locutus est. Neque meliorem fuisse Apostolorum conditionem, vel vnius Pauli exemplo admonemur. Docuerat is Corinthi diu, & vt eos Christo lucrifaceret, nullos labores, nulla pericula subire detrectauerat. Et ab illis digressus non tamen curam eorum deposuerat, quò minus de illis sciscitaretur, & abusus atque vitia, quæ apud eos obrepebant, scriptis ad illos literis amicè corrigeret. Quā verò ab eis gratiā retulit? Nō aliam, quàm quòd ab æmulis eius decepti, quæcunque ab eo fiebant calūniati sunt, & minima

Ingratitudo mundi erga salutis ministros.

Num. 12.

quæq; odiosius exagitarunt. Cuius generis fuit, quòd mendacij & vanitatis accusarunt, eò quòd suum ad ipsos aduentum hucusq; extraxisset. Debent exẽpla eiusmodi diligenter obseruari, ne hodie similibus offendamur. Interim horum memores ministri eò diligentius curent, ne Veritatis doctrina propter ipsos in cõtemptum veniat. Hoc certe Paulũ mouit, vt vanitatis suspicionẽ tanta cũ diligentia abs se remouerit. Argumentũ præcipuum fuit, quo sese excusat, se ideo nondũ aduenisse, vt ipsis commodius parcere posset, neq; cogeretur vti seueritate Apostolica, quam ipsorum vitia merebãtur, & à qua non potuisset sibi absque publico scandalo tẽperare, si coràm omnia vidisset. Id nunc apertius explicat, & paulatim ad causam hominis incesti descendit, propter quem in priori epistola quædam in illos duriusculè dixerat, ex quibus maleuoli calumniandi ansam arripiebant.

Pauli in Corinthios affectus paternus.

Principio docet, quomodo illis pepercerit? Hoc autẽ apud me statui siue decreui ne rursus ad vos cũ tristitia veniam. Sensus est: Quia semel vos contristaui, ego mihi hanc legẽ posui, me nolle iterum eodẽ modo venire. Loquitur autem de epistola priori, per quam quasi præsens adesset cum illis egerat. Et causam reddit, cur nolit suo aduentu nouam tristitiam siue molestiam ipsis exhibere. Nam si ego (inquit) vos tristitia afficiam, quis est qui me exhilaret, nisi is ipse qui tristitia ex me afficitur? Sunt hæc summæ & ardentis dilectionis verba, quæ συμπάθειαν & mutuam affectionem gignebat, vt illorum mœrore atque molestia ipse etiam afficeretur, neque gaudere posset, quando ipsos contristatos esse videbat. Perinde ergo hæc verba sonant, ac si amicus amico coniunctißimo, aut pater filio vnico & charißimo dicat, Mene putas aliquid ferre aut facere posse, quod tibi doleat? Ita certè te amo & complector animo meo, vt omnia mihi tecum communia sint, neq; aliud æquè atque tuum commodum quæro. Non potero igitur tibi alicuius molestiæ author esse, quæ non in me quoque redundet. Et quis me tunc nouo gaudio reficere poterit, nisi te excusso mœrore alacriorẽ factũ & pro more rursus gaudere videã? Hæc & similia Apostolus in præsenti Corinthijs dicit, vt exacerbatos impostorũ calũnijs animos ipsorũ emolliat, sibiq; obsequẽtiores reddat.

Vt ministri erga Ecclesias affecti esse debeant?

Est autem exemplum hoc obseruatu dignißimũ, vt discamus, quo animo Ecclesiarũ ministri erga suæ fidei creditos esse debeant. Non potuit Paulus gaudere, nisi gaudẽtibus Corinthijs. At ipsi hactenus gaudijs suis nimiũ indulserant, quãdo omniũ securi licẽter peccabãt, in gentiũ sacris comessabantur, & quæuis alia pro suo arbitrio faciebant, adeò, vt quidã excusso futuri iudicij metu Sardanapalicũ illud in ore haberent: Ede, bibe, lude, post mortẽ nulla voluptas. At nõ de eiusmodi gaudio loquitur Paulus, sed de spirituali illo & sancto, quod ij intra animos suos concipiunt, qui à peccatis conuersi cum Deo in gratiã redierunt. Cõtristabatur ergo eorũ peccatis, quòd tũc durius cũ illis agere cogeretur, & saluti ipsorũ metueret. Rursus gaudio nouo reficiebatur, quãdo ipsos ex animo resipuisse, & proinde Deo reconciliatos esse videbat. Debet hoc vtrinq; fieri, neq; saluæ erunt Ecclesiæ, nisi mutuus iste affectus inter pastores & oues locum habeat. Itaque ministri propter populi peccata doleant, & non nisi mœsto animo ad illorum correptionem accedant, neq; ex eo voluptatem capiant, si qui durius tractandi sint, sed emendationem illorum omni studio quærant. Talis

Exo.32.

olim Moses fuit, qui dies noctesq; pro populo precabatur, & vt huic parceretur, ex libro vitæ deleri cupiebat. Tales Prophetæ fuerunt. Samuel certè seipsum mœrore cõficiebat, quòd Saulẽ à Deo

1.Sam.15.

reiectum esse audiret Et notæ sunt acerbißimæ querelæ atq; lamentationes, quibus Ieremias populi contumaciam sæpius, deinde excidium quoq; deplorauit. Horũ igitur exempla hodie imitentur, quicunq; in Ecclesia cũ aliquo fructu versari volunt. Et arguuntur his ministri socordes & gregis sui osores, quorum illi quidem nullis vitijs, quantumuis enormibus contristantur, sed susq; deque ferunt omnia: hi verò vitijs suorum gaudent, quòd bilem suam releuandi occasionem sibi oblatam esse videant. Taceo nunc perfidos familiæ Dei turbatores, qui ipsi cum ebriosis bibunt, ludunt, proteruiunt, & suo exemplo confirmant eos, quorum peccata pijs lachrymis deflere debebant. Quid verò de personatis illis pastoribus dicemus, qui Ecclesias, quarum titulis superbiunt, prorsus negligunt, neque ad eas vnquam veniunt alio proposito, quàm vt pecunias colligant: quò fit vt tenuioris fortunæ hominibus molestiæ & tristitiæ authores sint, quos subleuare potius debebant.

Populi erga ministros officiũ.

At vicißim populum quoque hic locus officij admonet, vt qui dignè corripiuntur, pastorum suorum fidem atque amorem paternum agnoscant, deque illis rursus exhilarandis cogitent. Vt enim bonæ indolis filij gaudere non possunt, quàm diu patrem ipsis succensere, & propter ipsos in

luctu & mærore constitutum esse vident: ita qui germani Dei filij sunt, non possunt non dolere, quàm diu ex præconum verbi Dei sermonibus audiunt, hunc peccatis ipsorum irasci. Arguuntur ergo hîc, qui scelerum correptionem clamant superuacaneam esse, & aliqua liberius accusari indignißimè ferunt, in hoc vnum intenti, vt Euangelicæ libertatis prætextu ad peccandi licentiam abutantur. Horum ferè voces sunt. Iampridem nos iugum Antichristi & sacrificorum monachorumq́ eius excußimus, ergo nouum istud subire nolumus, quod Concionatores isti, omnium mortalium importunißimi, nobis imponere conantur: Item: Debebant illi nobis gaudij & tranquillitatis administri esse, & ecce quid aliud faciunt, quàm quòd rixantur, minantur, fulminant, & iurgijs perpetuis omnia turbant? &c. Errant autem isti homines multis modis. Primò enim, bene quidem faciunt quicunq; Antichristi iugum iniquum & intolerabile excutiunt, sed id in eum finem fieri debet, vt eius loco iugum Christi suauißimum saluberrimumq́ in se recipiant. Nec enim nos exleges esse vult Deus, qui omni reiecta disciplina, affectuum carnis impetu feramur. Impiorum & hostium Christi voces sunt: Rumpamus vincula eorum, & lora eorum abijciamus. Psal. 2.
Et Belialis filij in Scriptura dicuntur impij & ad exitium deuoti homines, eò quòd absq; omni legum & disciplinæ iugo viuere soleant. Deinde gaudium carnale quærunt isti homines, & pacem huius mundi, quam Christus discipulis suis disertè negauit, vt nuper diximus. Præterea, non intelligunt, neq; ministros neq; vulgus Christianorum posse gaudij illius sancti & salutiferæ tranquillitatis conscientiarum participes fieri, nisi sanctus ille & optatißimus dolor præcedat, qui ex peccatorum agnitione & sensu iræ Dei nascitur. Ad eum verò opus est redargutione & correptione, quæ pœnitentiam gignit veram, qua Angelos quoq; cœlites exhilarari Christus ait, & quæ totum hominem nouo gaudio recreat, dum se cum Deo in gratiam redijsse sentit: sicuti in filij prodigi parabola, in Zachæi item & similium exemplis est videre. Neminem ergo improborum istorum voces moueant, qui suarum cupiditatum licentiam non solùm gloriæ Dei, verumetiam propriæ simul & publicæ omnium saluti præferunt.

Joan. 14. Luc. 15.

Quod autem in Ecclesia fieri necesse est, hoc in Repub. quoq; non minus debet obseruari. Doleant populi sui incommodis magistratus, & non sine gemitu mulctas siue pœnas à transgressoribus exigant. E contra populus principibus suis gaudium parere studeat, dum se illis fidelem & obsequentem præbet. Debet idem priuatim quoq; fieri inter parentes & liberos: vt illi quidem ex liberorum delictis & contumacia pium & acerbum dolorem concipiant: hi verò cogitent, quantum scelus sit molestiam & tristitiam illis exhibere, ex quibus geniti & non sine maximo labore educati sunt: & proinde illis exhilarandis intenti sint. Filius sapiens (inquit Solomon) exhilarat patrem, at filius stultus mæror est matri suæ. Et rursus: Eius oculos, qui patrem subsannat, & matris doctrinam spernit, corui torrentis eruant, & aquilarum pulli deuorent. Prouerbiorum 20. & 30.

Quid magistratus & subditi sibi mutuò debeant?

Sed vt ad Paulum redeamus, obijceret aliquis: Si ne tristitiam nobis afferres, hucusq; Corinthum noluisti venire, cur ergo epistolam scripsisti tam acrem & vehementem, quæ totam Ecclesiam contristauit? Hanc ergo obiectionem præoccupat Paulus, & prioris epistolæ rigorem excusat. Primò à causa finali argumentum petit: Et hoc ipsum vobis scripsi, ne cùm venero tristitiam capiam ex ijs, de quibus me oportebat gaudere. Fateor me aliquanto acrius scripsisse, id quod vobis mærorem & tristitiam peperit: id verò feci, non quòd vestro dolore ego gauderem, sed ne quando vobis molestiam maiorem exhibere cogerer, & præsens maiori cū acerbitate exequi, quod me absente mitius perfici potuit per epistolam. Itaq; patres fidos & cordatos imitatus sum: qui si ipsis peregrè agentibus domi suæ multa à suis præter officium fieri audiant, mox aut literis scriptis, aut aliquibus domum missis curant, vt quacunque ratione id fieri poßit, omne id corrigatur, priusquam ipsi ad suos redeant, ne domum reuersi cum dolore cogantur molestiam grauiorem subire, quando ex suorum conspectu gaudium & foris exhaustorum laborum recreationem concipere cupiunt. Decet hoc omnes, qui vel Ecclesiæ pastores sunt, vel in Repub. versantur: Vt vitijs maturam medicinam adhibeant, neq; differant id quod citius fieri potest. Ita enim minori cum animorum offensione fit, quod fit, quod si diuturniori vsu confirmetur, vix absq; summa difficultate, & sæpe non sine periculo perficitur.

Prioris epistolæ rigorem excusat.

1. A causa finali.

2. Ab ipsorum persona.

Secundum argumentum ab ipsorum persona sumitur. Nam spem, quam de ipsis optimam conceperit, exponit, & qua fretus epistolam illam scripserit, Confisus (inquit) vobis omnibus, meum gaudium omnium vestrûm gaudium esse. Id est, planè mihi persuasi, me à vobis non minus amari, quàm ego vos amo, & ideo ea, quæ mihi gaudium pariunt, vobis quoq; iucundissima & gratissima esse. Quia ergo non alia re perinde vt vestro in pietate profectu gaudeo, non potui non vos liberius admonere de ijs, quæ vestrum illum profectum impediebant. Quo loco obseruabis, Paulum vniuersaliter loqui de omnibus Corinthijs. Atqui sciebat, non eundem esse omnium animum, imò aliquos pessimè erga se affectos esse, adeò vt omnia eius improbè & scurriliter calumniarentur. Nec tamen his animo seruili blandiri siue adulari voluit: sed singulari prudentia hoc agit, ne meliores cum iniquis illis miscendo, illos etiam offendat, simulq; alteros quoq; sua lenitate sibi conciliet, & in posterum obsequentiores habeat. Deniq; Christianæ charitatis hæc verba sunt, quæ de omnibus bene sperat, nec facilè locum dat suspicionibus. Debent igitur in eo quoq; Paulum imitari omnes doctores, ne seipsos exosos faciant, dum æquo morosiores nemini fidunt, & temere conceptis suspicionibus indulgent: neue animum mox despondeant, quando apud aliquos frustra laborare videntur. At ita (inquis) sæpe falluntur. Quid tum postea? Falluntur enim absq; suæ salutis iactura: interim hypocritæ illi, aut etiam apertè proteruientes (si rem propius inspicias) seipsos fallunt, non illos, quorum facilitate abutuntur. Et tutius est sic falli dum officium facis, quàm temerario aut præcipiti nimis iudicio tuo decipi, dum de illis desperas, qui etsi nunc professioni suæ non respondeant, sunt tamen ex electorum numero, quos Deus suo tempore trahet. Hoc vtinam obseruarent omnes, qui in omnium conscientias suo iudicio penetrant, & nimia seueritate multos absterrent, qui si commodè tractarentur, poterant in viam reduci vt verbo Dei colla submitterent.

3. A propria persona.

Addit his Paulus tertium argumentum à propria persona, quo modum quoq; exponit, quem tenuerit, cum priorem ad illos epistolã daret. Nam ex multa oppressione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lachrymas: non vt tristitia afficiamini, sed vt cognoscatis charitatem, quam habeo abundantissimã erga vos. Quasi diceret: Non mihi gaudio vel voluptati fuit, quòd acrius & seuerius me scribere oportuit: quin potius id mihi dolorẽ acerbissimum attulit, adeò, vt ego nõ minus quàm vos contristatus fuerim, & fortassis etiam acerbius atq; acutius. Et huc facit descriptio mœroris, quem inter scribendum senserit. Scripsi (inquit) ex multa oppressione, sic nimirum, vt me vndiq; premi sentirem. Deinde corde anxius & quasi in angustias coarctatus fui, vt nescirem quò me verterem. Et tantus fuit iste dolor, vt lachrymas quoque plurimas mihi expresserit. Deniq; omnis mei instituti non hic finis mihi fuit, vt vos conturbarem, sed vt meum erga vos studium & charitatem, qua vos in animo meo complector, & quam omni officiorum genere declarare cupio, cognosceretis.

Religio nõ tollit affectiones naturales.

Nec temere ista Paulum dicere putabimus, quæ Stoicus aliquis de semetipso noluisset fateri. Sed Christiana religio non extinguit naturales animi affectiones, quas in Christo quoq; locum habuisse scimus, qui interdum lachrymas fudit, interdum animi dolorem voce & gemitu testatus est. Et quoad Paulum, quia bene sperabat de Corinthijs, deq; ipsis vt sigillo sui apostolatus gloriari solebat, non potuit non acutius dolere, quando eos spei suæ minus respondere videbat. Ita enim natura comparatum est, vt intolerabilior sit dolor, cuius nobis authores sunt, de quibus propter amorem vehementissimum, quo eos diligimus, nihil tale cogitabamus. Sic Christus toto animo turbabatur, quando se à discipulo proditum iri cogitabat. Et marito nihil molestius accidere potest, quàm si eum vxor fallat, de cuius fide & pudicitia semper optimè sperauit. Quod ipsum parentibus quoq; accidit, si inter liberos suos eos proteruiores factos videant, quos ipsi aliquando senectutis suæ baculum fore sibi persuaserant.

Castigatio fauoris paterni argumentum. Prouerb. 3.

Est autem obseruatu dignissimum, quòd Paulus charitatem suam, qua Corinthios prosequebatur, agnosci voluit, non ex indulgentia & ignaua omnium, quæ inter illos fiebant, dissimulatione, sed ex correptione paterna, quam delinquentibus adhibuerat. Nam vt Solomon ait, pater filium, quem diligit, castigat. Et ideo Deus, qui ipsissima charitas est, ferè iudicium suum à suis inchoat, ne cum mundo pœnitere nescio condemnentur. Idem ergo faciant, quicunq; in Ecclesia, siue

Repub.

Repub. parentum loco sunt. Vicißim agnoscant hoc dilectionis paternæ argumentum siue officium esse ij, qui corripiuntur, & proinde id patienter ferant. Atqui scio (inquis) aut saltem non absq; grauibus coniecturis suspicor, multa hostili animo & ex odio fieri. Esto, attamen eadem ad te redit vtilitas, si eam quoq; correctionem patienter admittas, quæ ex tui amantißimo rediret, si ab eo corriperetis. Cur igitur illum odio prosequaris, qui vel inuitus tibi beneficium dat, dum ipse prauo suo affectui indulget?

Deinde multùm facit locus hic ad asserendam doctrinæ apostolicæ authoritatem. Quia enim erga hominum salutem ita affecti fuerunt, vt eorum perditionem atq; interitum gemitu & lachrymis prosecuti sint, adhæc totius mundi odia in se prouocarint, imò mortem quoq; subierint, vt quàm plurimos seruarent, nemo illos suspectos habere potest, quòd ex prauo affectu aliquid vel dixerint vel fecerint, quod nobis fraudi esse queat. Prædicauerunt autem illi nobis vnum IESVM CHRISTVM, *qui miseris mortalibus vnicus pœnitentiæ simul & remißionis peccatorum author atque Mediator sit. Hunc ergo totis animis amplectamur, & in meriti eius fiducia constanter in finem vsque perseueremus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.* Apostolicæ doctrinæ authoritas.

HOMILIA IX.

Quòd si quis tristitiam attulit, non mihi tristitiam attulit, sed ex parte, ne aggrauem vos omnes. Sufficit huiusmodi homini ista obiurgatio à pluribus facta: Vt è contrario potius vos ei condonetis, eumq; consolemini, ne quo modo redundante tristitia absorbeatur eiusmodi homo. Quapropter precor vos, vt ratam faciatis in illum charitatem. Nam in hunc finem etiam scripsi, vt cognoscerē probationem vestri, num ad omnia obedientes sitis. Cui verò condonatis, etiam ego condono: nam & ego si quid condonaui, cui condonaui, propter vos id feci in conspectu Christi, vt ne præoccupemur à Satana. Non enim illius machinationes ignoramus.

IN priori epistola Paulus Corinthios durius aliquanto tractauerat, cùm propter alia vitia, quæ apud eos obrepserant, tum propter hominem incestum, quem æquo diutius tolerauerant non sine magno scandalo & religionis Christianæ ignominia. Et quia apud eos non erat magistratus Christianus, neq; apud gentes incestus capitalibus pœnis plectebantur, quas Deus illis decreuerat non potuit Legem vrgere Paulus, quæ apud Mosem extat. Ideo quod vnum reliquum erat, iussit impurum illum vnanimi totius Ecclesiæ consensu Satanæ tradere. Erat hæc non vulgaris aut simplex exclusio à cœtibus sacris, sed pœnam habebat coniunctam, quia miseri illi in corpore simul & animo suo torquebantur. Nam eo dono primitiuam Ecclesiam à Domino armatam fuisse, in capite duodecimo prioris epistolæ audiuimus, vt haberent Christiani homines, qui tunc magistratus nouos ex suis creare non poterant, quo improborum petulantia aut improbitas coerceretur. Paruerant Corinthij mandato Pauli, & id non sine fructu. Nam vt ex præsenti loco colligi potest, miser ille ita discruciatus est, vt periculum esset, ne totus dolore aut desperatione absorberetur. Quæ causa fuit, vt multi nouam arriperent calumniandi occasionem, & Paulum crudelitatis accusarent. Ideo nuper se excusare cœpit docens, quæ ipsi huius seueritatis ratio fuerit, & quòd ipse ex ea non minus doloris senserit, quàm quisquam alius. Nunc autem docet, quid porrò cum illo homine agere debeant, vt & eius saluti, & publico Ecclesiæ dolori consulatur. Causam hominis incesti agit, de quo 1. Cor. 5. Leuit. 18. 20.

Vt verò totam hanc epistolam mira prudentia atque artificio temperauit, ne plus satis exacerbatos magis irritaret: ita hic quoq; sensim ad causam hanc delabitur. Si quis (inquit) tristitiam attulit, non mihi tristitiam attulit, sed ex parte, &c. Non nominat hominem, neque scelus Excusat priuati affectus suspicionem.

ab eo commissum odiosè exagitat. Erant enim omnia satis nota, & quia nunc de eius restitutione agebatur, non opus erat aliquid dicere, quod vel illum vel Corinthios amplius contristaret. Itaque hic verborum istorum sensus est: Si quis tristitiam siue molestiam aliquam in vestra Ecclesia excitauit, is non mihi tristitiam attulit, id est, illud non ita interpretatus sum, quasi iniuria illa ad me priuatim potissimùm redundaret, neq; vt priuatim dolorem vlturus in illũ vos seuerius animaduertere iussi: Sed ex parte modò, vel quadamtenus, id mihi molestum fuit, quòd tale quid accidisset inter vos, quos ego vt filios & fratres dilectissimos complector, & de quorum fide & virtute passim apud Ecclesias gloriari soleo. Neque alium mei consilij aut mandati finem propositum habui, quam ne vos omnes grauarem nimia indulgentia. Pertinet exemplum hoc ad omnes Ecclesiarum ministros, quorum est sic res suas instituere, vt eadem ratione suam seueritatem aut rigorem excusare possint omnibus, quibus in vitijs corripendis nimij esse videntur. Sed ea est mundi infelicis cæcitas, vt licet aliqui eadem cum Paulo verè dicant, pauci tamen eorum fidem agnoscant.

Pub. sceleribus grauantur totæ Ecclesiæ.

Continet autem locus hic memorabilem doctrinam: Nimirum publicis sceleribus, si impunita dimittantur, totas Ecclesias atque Respub. grauari. Facit enim impunitas illa, vt paucorum exemplo multi alij corrumpantur, & latius subinde serpat contagio apud eos, qui natura ad malum procliues sunt. Deinde indulgentia ista consensionis speciem habet, quæ omnes simul eodem reatu inuoluit, & quæ causa est, vt publicis pœnis simul omnes à Deo mulctentur. Exemplum habes in primi mundi hominibus, quando filij Dei cum filiabus hominum primùm per coniugia illicita misceri cœperunt. (Gen. 6.) Debebant tunc principijs obstare parentes, & quicunque authoritate alijs præstabant: sed quia id non fecerunt, & fortaßis hoc ad fouendam pacem & concordiam publicam vtile atque commodum putarunt (quibus rationibus etiam hodie commercia eiusmodi ab huius seculi sapientibus excusantur) breui temporis progressu malũ factum est immedicabile, & secuta est tandem vniuersalis licentia, quam vniuersali omnium terrarum diluuio coerceri atque elui oportuit. Simile quid postea Sichemitis accidit, quando filij regij libido impunita abijt. (Gen. 32. Num. 25.) Quibus adde quod in deserto factum, quando filij Israel cum Moabiticis & Madianiticis puellis scortati sunt. Grauauit ea licentia totum populum, nec accensus in eam Dei furor prius extinctus est, quàm dum Phinees diuino zelo motus memorabile vindictæ iustæ exemplum ædidit in viro principe, qui contumacius & impudentius in publico quoque scortari pergebat. Et quantam cladem cum publica totius gentis & cultus diuini ignominia coniunctam filiorum Heli licentia Israelitis attulerit, sacra historia prolixè docet. (1. Sã. 2. 3. 4. etc) Quid vero de apertis flagitijs dicere attinet, quando occulta & ignota scelera interdum eos grauant, qui adeò non conscij sunt eorum, vt ne admissa quidem esse sciant? (Iosu. 7.) Pertinent huc Achan & Ionas, ex quibus hic quidem à conspectu domini fugiens nautas rerum planè ignaros in summum discrimen adduxit, ille verò sacrilegio suo in Ierichuntina præda commisso Israelitis publicæ cladis author extitit. Quibus exemplis Deus ostendere voluit, quàm grauiter omnibus ijs irascatur, qui eius mandata ex destinata animi malitia transgrediantur: & quàm diligenter in scelera inquirere debeant, qui ad Reipub. gubernacula destinati sunt, ne dum paucis parcunt indulgentius, simul omnes in periculum adducant. Debet huc referri Lex, quæ Deuteronom. capite duodecimo habetur de expiatione cædis, cuius author ignoratur. Ea enim docet quanta cura opus sit in puniendis publicorum scandalorum authoribus. Similiter qui puniuntur, ij patienter ferre discant castigationem, quam suis delictis meruerunt. Nimiùm enim iniquus & inhumanus sit oportet, qui sua flagitia communi patriæ fraudi vel exitio esse velit.

Petit incestum in gratiam recipi.

Porrò docet Paulus, quid porrò faciant cum homine illo incesto: nimirum vt culpam ei condonent, & restitutum Ecclesiæ pijs consolationibus confirment. Et addit: Precor vos, vt ratam faciatis in illum charitatem. In Græco κυρῶσαι ponitur, quod aliquid legitimè & cum publica authoritate siue consensu statuere significat. Vult ergo, vt quemadmodum cum publico consensu eum mulctarint: ita publico etiam consensu eum in Ecclesiæ consortium recipiant, & pro fratre atq; Ecclesiæ membro agnoscant, cui charitas debeatur. Petitioni autem rationes interserit. Primam: Sufficit huiusmodi homini ista obiurgatio à pluribus, id est, à tota Ecclesiæ multitudine facta.

facta. Græca vox ἐπιτιμία obiurgationem, increpationem, vel etiam mulctam significat. Vnde colligimus, illum in publico Ecclesiæ cœtu durißimè obiurgatum & correptum fuisse cum denuntiatione sententiæ, quam Paulus ad eos perscripserat, vt eam ipsi exequerentur. Secuta est mox pœna aut castigatio quædam, qua Satan, cui traditus fuerat, eius corpus & animum afflixit. Quia autem hæc suum habuerant effectum, adeò vt ille culpam suam agnosceret, seq́; ipsum serio dolore conficeret, Paulus hæc sufficere ait, & eos longius progredi vetat. Inq́; eum finem alteram adhuc rationem subijcit: Ne quo modo redundante tristitia absorbeatur eiusmodi homo. Solet hoc bifariam fieri. Tales enim aut desperatione victi succumbunt, vt Cain & Iudas: aut mundo & seculi huius studijs se totos addicentes in omnem licentiam effunduntur, si nullam reconciliationis spem sibi reliquam esse arbitrentur. Hoc ergo Corinthios cauere vult Paulus, ne misero illi exitium ferat ea disciplina, quæ saluti debebat seruire.

Habemus hoc loco exemplum obseruatu dignißimum, quo admonemur, vt disciplina publicè in Ecclesia exerceri, vtq́; eadem ab ijs, qui illam peccando meruerunt, ferri debeat. Disciplina quidem Ecclesiæ non vtilis modò verumetiam necessaria est propter innatam nobis naturæ vitiositatem, qua fit vt ad omne malū natura procliues simus, & cordis humani figmenta ab ineunte ætate praua sint. Quibus accedunt multiplices scelerum occasiones, quas seuerius reprimi & coerceri oportet, ne in licentiam erumpant. Forma autem disciplinæ non vna & eadem apud omnes Ecclesias constitui potest, sed pro ratione locorum & hominum agere oportet, qua de re non vno loco D. Augustinus diligenter disputat. Finis autem idem vbique spectari debet: vt qui peccarunt, pœniteant, & ad Deum seriò conuersi seruentur: non autem vt diutius excrucientur cum animarum periculo. Medicinæ enim instar est hæc castigatio, & proinde non debet in carnificinam commutari: quin potius quicunque à peccatis ad Deum conuertuntur, absque mora in gratiam recipiendi sunt. Debet enim Ecclesia Dei exemplum imitari, qui apud Prophetam ait: Si auersus fuerit impius ab omnibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia statuta mea, feceritque iudicium & iustitiam, viuendo viuet, & non morietur: Omnes præuaricationes, quas fecit, non venient in memoriam, sed in iustitia sua, quam fecit, viuet. Et rursus: Momento, vt loquutus fuero de aliqua gente aut regno, vt euellam, extirpem aut perdam, redieritque ea gens, contra quam locutus eram, à malitia sua, iam me quoque pœnitebit mali, quod ei facere constitueram. Quibus consentit & illud: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Confirmantur promißiones istæ infinitis exemplis, inter quæ admodum memorabilia sunt, Dauidis, Zachæi, Petri, peccatricis item illius, quæ peccatorum pœnitentia acerbè dolens Christi pedes lachrymis suis abluit, & capillis extersit. Quibus iure addideris Hierosolymitanos ciues, quos adhuc cæde ac sanguine Filij sui, IESV CHRISTI, madentes in gratiam Deus recepit, quando animis totis compuncti, ab Apostolis salutis consilium petebant. Et huc pertinet, quod Paulus bis illud quasi δεικτικῶς dictum repetit: Huiusmodi homo. Eo enim admonet, in disciplinæ executione non tam delictum ponderari, quàm delinquentis ingenium, adeoq́; communis nostræ naturæ infirmitatem respici debere, quid nimirum vnusquisq́; ferre possit, vel minus. Estq́; hìc imprimis multa & diligenti cura opus, ne modum excedamus. Vt enim nobisipsis facilè condonamus, quæ præter omne officium designauimus: ita in aliorum delictis castigandis natura seueriores sumus: eò quòd nos tanto sanctiores & iustiores esse arbitramur, quantò implacabiliores durioresque nos præbemus. Vt autem non probatur medicus, qui eodem morbo laborantibus idem pharmacum propinat, nulla constitutionis illorum & accidentium, quæ morbos comitari solent, ratione habita: ita nemini cordato probari poterunt rigidi illi censores, qui eadem seueritate in quibusuis castigandis vtuntur. Et imprimis eorum rigor hìc damnatur, qui veterum quorundam exemplum imitati, pœnitentiæ annos, aut saltem menses plures præscribunt, & satisfactiones reducunt theatricas, quibus qui iam pœnitentiam seriò agunt, non sine publica ignominia Ecclesiæ satisfaciant. At quid huius Scriptura docet? Aut num quid simile vnquam factitarunt Apostoli? Vel, num ad Ecclesiam totam pertinere negabimus, quod Christus singulis priuatim præcipit, vt fratri in die septuagies septies peccanti, & toties culpam deprecanti ignoscant atque condonent? Certè non volet Deus Ecclesiam suam

Vt disciplina debeat exerceri.

Ezech. 18.

Ierem. 18.

Zach. 1.
Luc. 7.
Actor. 2.

ipso rigidiorem & difficiliorem habere. Obijciunt hîc nobis satisfactionem magistri, periculum esse, ne qui pœnitentiam simulent, & Ecclesiam fallant. Quibus ego respondeo: Non tam Ecclesiam fallunt, quàm seipsos, qui hîc dolo malo agunt. Nam ita Spiritui Sancto mentiuntur, qui quàm acriter vlciscatur fucum sibi factum, Ananiæ & Sapphiræ exemplo docemur. Simulabat equidem Achab quoque pœnitentiam, aut saltem non omnino serius neque durabilis erat dolor, quem ex Eliæ comminatione conceperat. Attamen aliqua ex parte Deo probabatur, quod faciebat. Nimiùm ergo morosi & fastidiosi sunt, qui tam anxiè hodie metuunt, ne à quoquam fallantur simulata resipiscentia. Atqui periculum maius hîc timeri debebat, ne tu tuo iudicio falsus eum adhuc excrucies & diutius suspendas, qui iampridem Deo satisfecit. Quam enim veniam mereberis, si tu propter humanæ rationis figmenta, & superstitiosas potius quàm necessarias constitutiones, eum ab Ecclesiæ cœtu & Cœnæ mysticæ vsu excludas, quem Deus iam filiorum loco habet, imò quem Filij sui corpore & sanguine pascit & alit?

1. Reg. 21.

Vt disciplina ferri debeat?

Sed inspiciamus eum quoque, de quo hîc agitur, vt quomodo disciplina ferri debeat, discamus. Hic certè agnouit peccatum suum, ex animo pœnituit, & toto corde contritus patienter tulit pœnam, quæ ipsi ab Ecclesia imposita fuerat. Ex eo igitur fructum retulit amplissimum, vt nimirum cum Deo reconciliatus sit, & nunc Paulum habeat deprecatorem & patronum, qui prius illum accusauerat. Imò memorabile gratiæ Dei exemplum factus est, ex quo etiam hodie consolationem petere possunt peccatores, qui vasa iræ & ignominiæ esse videntur. Ita olim fecerunt sancti Dei cultores, quos non puduit, quasi dignitatis suæ oblitos, sese verbi Dei correptioni subijcere: sicuti in Dauide est videre, qui non contentus Nathano culpam fateri, eandem in Psalmis quoque confessus est, quos toti Ecclesiæ decantandos proposuit, vt sicuti scandali publici author fuerat, ita suo exemplo omnibus pœnitentiam veram commendaret. Id vero nunquam fiet absque vera & seria peccatorum agnitione, quam nos ex Lege petere oportet, & simul cogitare, quàm graue scelus sit Ecclesiam Dei offendere. Si enim, quouis supplicio dignus est, qui puerulo scandalum dat, quid de illo fiet, qui toti Ecclesiæ mali exempli author fuerit? Qui istud probè expendunt, ijs nulla seueritas potest nimia videri, & ideo patienter ferent, quod de illis Deus statuerit. Vt verò hîc caueri debet simulatio aut hypocrisis, ita non minus à desperationis præcipitio nobis cauendum est, ne idem nobis quod Caino, Sauli & Iudæ accidat. At hîc præ alijs periclitantur, qui ad proprias satisfactiones confugiunt, quasi his peccata ipsorum expiari oporteat. Quid enim hîc inuenient, quàm quo magis terreantur, quando sanctissimi quique orant: Ne ingrediaris Domine in iudicium cum seruo tuo? Item: Remitte nobis debita nostra. Itaque ad thronum gratiæ nos confugere decet, & huius promissiones animo repetere, inque Christi meritum respicere, qui omnes ad se vocat, neque vllum ad se venientem reijcit. Vt verò ad præsentis loci tractationem redeamus, poterant quædam obijcere Corinthij, ad quæ Paulus respondet.

Excusat consilij mutationẽ.

Primò enim dicerent: Atqui tu prius iussisti, vt istum Satanæ tradamus, & nostram accusauisti negligentiam siue indulgentiam, qua in illo tolerando vsi fuimus. Quæ ergo hæc inconstantia? Vnde tam subita consilij mutatio? Præoccupat ergo, & ita rationem reddit prioris consilij, vt simul quod nunc petit alijs rationibus amplius confirmet. Nam in hoc scripsi (inquit) vt cognoscerem probationem vestri, num ad omnia obedientes sitis. Quasi diceret: Non is mihi animus fuit, fratres, vt vos aduersus miserum istum hostiliter accenderem, eumq́ perderem: sed potius, vt & eius saluti consulerem, & simul experimentum sumerem de vobis, an mihi in omnibus obedire parati sitis. Atqui vtrumq́ iam obtinui, quando & illum pœnituit seriò sui sceleris, & vos vestro officio præclarè functi estis. Quid ergo restat, quàm vt eo recipiendo non minus clementer agatis, quàm seueriter egistis in illo eijciendo.

Fides probari debet obedientia.

Quo loco obseruabis, Paulum Corinthiorum obedientiam probare aut explorare voluisse: Nimirum, vt ex ea omnibus constaret, eos Euangelium verè & seriò amplexos esse. Huius enim finis est obedientia fidei, vt infra docebit. Debet ergo etiam hodie Christianorum hominum fides probata esse: quando non sufficit ore ad Dominum accessisse, cor autem procul ab eo remotum siue alienatum habere. Consistit autem experimentum fidei in eo, vt Apostolorum doctrina

atque mo-

atque monitis obtemperent. Nec enim isti ex suo cerebro nobis tradiderunt, quæ ipsis placerent, sed ab æterno Dei Filio missi, & quid docerent instructi fuerunt. Arguuntur ergo hic fucati Christiani, qui IESV CHRISTI quidem nomen plenis buccis iactant, & quid per illud fecerint, prolixè commemorant, nullum autem in tota sua vita & moribus obedientiæ veræ experimentum præbent. Sunt hi ex eorum numero, quibus olim ab illo dicetur: Non noui vos: discedite à me procul qui iniquè agitis. Nec tamen illorum tyrannidi locus iste patrocinatur, qui simpliciter ab omnibus obedientiam exigunt, quæ ipsis vt legitimis Apostolorum successoribus debeatur: ea autem tradunt, quæ cum Apostolorum doctrina δὶς διὰ πασῶν pugnant. Illis ergo obedire nemo potest, nisi qui Apostolis se immorigerum præbere velit. Matth. 7.

Sed rursus obijcerent Corinthij: Quid verò, si hoc etiam consilio mutato mox aliud iubeas? Num pro tuo arbitrio in horas nos quoque nostra decreta mutabimus? Respondet ergo Paulus: Cui verò condonatis, etiam ego condono, &c. Quasi diceret: Nihil periculi est, fratres. Nam quicquid hic egeritis, id apud me ratum erit. Et si cui culpam admissam condonatis, eam ipse quoque condono. Imò, quod huic incesto iampridem ego ignoui, id propter vos feci, idque in conspectu Christi, id est, ingenuè & syncerè, vt qui sciam mihi non cum hominibus solum, sed cum Christo rem esse, in cuius ministerio versor. Quia autem scio hunc nolle, vt peccatores pereant, sed vt oues, quæ errant, ad gregem suum reducantur, nolim vobis nimij rigoris author esse, qui cum eius voluntate pugnet. Corinthijs se Paulus accommodat.

Admonet locus hic omnes Verbi Dei administros, vt meminerint semper, se in IESV CHRISTI conspectu agere. Est enim is præsens Ecclesiæ suæ sicuti dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi. At cum idem nihil illa pretiosius & charius habeat, ferre non potest, vt quicquam in eius ministerio fiat, quod cum fidelium periculo coniunctum sit, aut vt dolo malo agant, qui illius pastores se esse profitentur. Ananias, cum in re pecuniaria Spiritui sancto mentitus esset, morte subitanea perijt. Quid ergo de illis fiet, qui in rebus maioris momenti fraudulentius agunt, idque sub nominis Christi prætextu? Hoc vtinam diligentius meditarentur Romani Pontifices, & omnes alij, quibus voluptas est cum Christo & Ecclesia eius ludere, vt quæstum faciant, & malè in illa vsurpatam tyrannidem tueantur. At quod de Ecclesiæ ministris dicitur, id qui in magistratu sunt, non minus ad se pertinere putent. Nam horum quoque consessui Deus interest, qui non solùm sententias eorum audit, sed quo animo & in quem finem illas dicant, intelligit. Denique priuatim quoque singuli meminerint, omnes nos in Dei conspectu versari, cui olim rationem reddere oporteat. Ministri meminerint se in Christi conspectu agere. Acto. 5.

Porro concludit locum hunc Paulus graui admonitione: Vt ne præoccupemur à Satana. Et rationem addit: Non enim illius machinationes ignoramus. Ostendit his verbis, non iam de vno tantum homine, sed de tota Ecclesia agi, cui Satan per hanc occasionem insidias struat. Et sanè non leue periculum Corinthijs imminebat, ne nimio rigore in charitatis Legem peccarent, miserum item illum ad desperationem adductum ab Ecclesia prorsus alienarent, & simul dissidij alicuius grauioris essent authores. Monet ergo, vt de eo diligenter cogitent, & meminerint, cum quo hoste ipsis res sit: cum Satana nimirum, qui in omnem occasionem intentus, non modò à sinistris nos oppugnat, ea suggerendo, quæ palàm impia & noxia sunt: verumetiam à dextris, id est, sub pietatis & boni zeli prætextu. Sic olim Saulem cultus diuini & clementiæ præpostera fuco decepit. Et hodie multi crudeles fiunt cum fratrum infirmorum exitio, dum vt disciplinæ (cuius summam ferè in Excommunicatione sua constituunt) acerrimi vindices habeantur, omnia absque moderatione faciunt. Cauendæ diaboli insidiæ. 1. Sam. 13. 15.

Erant hæc diligentius cogitanda ijs, qui in aliorum conscientias temere inquirunt, contra illud Pauli: Probet vnusquisque seipsum: qui item nimijs satisfactionibus infirmos fatigant, & plus satis afflictos æquo diutius suspendunt. Nituntur isti hoc exemplo: sed quàm parum hoc illis seruiat, facilè videbūt, qui omnes eius circumstantias propius inspexerint. Paulus enim toti Ecclesiæ Corinthiorum rem hanc mandauit, & incestum hominem in publico cœtu damnari, eundemque publico totius Ecclesiæ consensu denuo recipi voluit. At nostri illi paucis quibusdam Senioribus hoc omne negotium demandant, & nouum magistratum ijs etiam in locis consti- Excommunicatores.

tuunt, vbi magistratus verè Christianus regnat. Apostolus item nullius satisfactionis theatricæ meminit, qua miser ille porrò vexari debeat: at isti in eo suæ illius potestatis gloriam & authoritatem potissimùm consistere putant, si omnium ludibrio prius eos exponant, qui in Ecclesiam recipi debebant. Et hanc rationem multis quidem illi, ceu imprimis necessariam commendant: at quàm infeliciter illa multis olim cesserit, quàm multa quæq́ue grauia scandala ex satisfactionibus istis enata sint, & quàm intolerabilem tyrannidem nobis pepererit sub Papatu ex veteri Ecclesia seruatus presbyterorum vel Seniorum pœnitentiariorum ordo, norunt omnes, qui Ecclesiasticam historiam non oscitanter legerunt. Quis verò spondebit, ne quando in similem tyrannidem degeneret, quod hodie quidam zelo non malo quidem, sed tamen inconsulto, instituunt? Annon idem hodie Satanæ ingenium est, quod olim fuit? Vel, annon specimina iam non vno in loco vidimus, quæ quid porrò sperari debeat, satis admonent? Ne ergo plus sibi arrogent Ecclesiarum ministri, quàm à Domino ipsis datum est: & subinde occinant sibijpsis Paulinum hoc: Caue, ne à Satana præoccuperis. Si enim hoc timeri debuit viuentibus adhuc Christi Apostolis, tamq́ sedulò officium suum facientibus, quid hodie sperare possumus, quando præclara illa Spiritus sancti dona, quibus vetus Ecclesia ornata fuit, maxima ex parte cessarunt, Episcopi autem apertam tyrannidem exercent: & qui Euangelij administri sunt, plerunque dormiunt? In summa, disciplina omnino opus est: ea autem sic institui debet, ne facilè in tyrannidem degenerare possit, neue temere damnentur, aut abalienentur, quos lucrifacere & ad Ecclesiæ gremium colligere debebamus. Finis totius negotij sit, vt qui peccarunt, in viam redeant: qui Ecclesiam offenderunt, coerceantur, & bono exemplo eandem ædificent: vt denique omnes vno corde, vno spiritu & vno ore honorent IESVM CHRISTVM, Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA X.

Porro cùm venissem Troadem ad prædicandum Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui relaxationem in Spiritu meo, eò quòd non inuenissem Titum fratrem meum. Sed cùm illis valedixissem, abij in Macedoniam. Deo autem gratia, qui facit vt semper triumphemus in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestum facit per nos in omni loco. Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in ijs qui seruantur, & in ijs qui pereunt: His quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam: & ad hæc quis idoneus? Non enim, vt plerique, cauponamur sermonem Dei: sed vt ex Deo in conspectu Dei in Christo loquimur.

Ministri curẽt vt ab Ecclesijs amentur.

QVemadmodum in liberorum educatione parentes hoc imprimis spectare debent, vt liberi se ab ipsis amari sentiant: Ita verbi Dei administris, quoad Ecclesias & singulos Christianos, hæc præcipua cura esse debet: Quia nisi omnibus persuasum sit, illos animo syncero & integro nihil præter Dei gloriam, & totius Ecclesiæ salutem quærere, suspecta & exosa plerisque erit doctrina eorum, neque locum inuenire poterit obedientia fidei, qua omnibus opus est, qui salutem in Christo assequi cupiunt. Hinc est, quòd veteres Prophetæ multis argumentis suum erga populum studium declarauerunt: & hoc ipsum diligenter obseruauit Paulus cum Corinthijs agens. Quia enim sciebat multos hoc vnum agere, vt toti Ecclesiæ suspectum facerent, quasi hostili in ipsos animo præditus, non aliud quàm suum honorem atque priuatum commodum venaretur, magno studio calumniam istam diluit. Et huc imprimis pertinet, quod nuper de hominis incesti restitutione dixit: Eo enim nimium rigorem excusauit, cuius ipsum multi insimulabant.

Quia verò ijdem apud vulgus Christianorum subinde vrgebant diuturniorem moram, qua suum ad Corinthios aduentum differebat, non contentus ijs, quæ nuper dixit, nunc eòdem reuersus moræ illius rationem reddit diligentem. Exponit enim quid interea fecerit, vbi fuerit, & quàm præclaris argumentis siue effectis Deus Euangelij sui prædicationem non vno in loco confirmarit. Docemur autem Apostoli exemplo, qua fide & diligentia Ecclesiæ & Reipub. præfecti agere debeant? ea nimirum, vt de singulis poßint rationem reddere. Nam etsi non semper fucum deprehendant homines, rationem tamē certò ab illis exiget Deus, cuius oculos nemo potest fallere.

Principiò docet Paulus, quæ causa ipsum detinuerit, cùm iam in procinctu esset vt ad eos veniret. Veni (inquit) ex Epheso Troadem, vt inde in Macedoniam traijcerem, & per hanc ad vos vsque venirem, sicuti in priori epistola promiseram, &c. Quia verò ex Epheso compendiosiori nauigatione per mare Ionium Corinthum venire potuisset, causam reddit, cur Troadem potius abierit: Nimirum Euangelij prædicandi causa, & quòd in illis locis ostium ipsi aperuisset Deus. Verumtamen (inquit) etsi præclaram illic haberem agendi occasionem, tamen non habui relaxationem in Spiritu meo, id est, animus meus quiescere non potuit, quòd Titum, fratrem dilectum, & quem ad vos præmiseram, illic non inuenirem. Itaque rebus apud Troadem dispositis, mox in Macedoniam profectus sum. Ista verò in eum finem narrat, vt ostendat se non defuisse suæ promißioni, per ipsos autem stetisse, quò minus ad eos venerit: quia Titum diutius apud se detinuerint, quem voluerit prius ad se redire, vt per ipsum de rebus eorum certior fieret. Ex eo autem colligit, nimiùm iniquos in se esse Corinthios, qui ei vitio vertant moram hanc, cuius ipsi authores fuerint non sine magna ipsius molestia.

Excusat moræ & aduentus sui dilationem.

His verò magnum eius Ecclesiæ studium atque amorem declarat, ex quo apparet, quot curis & quàm anxijs cogitationibus diuinum illud pectus distractum & excruciatum fuerit. Vnius Corinthiacæ Ecclesiæ cura eum ita exercuit, vt quiescere non posset. Atqui Ecclesiarum, quotquot tunc inter gentes erant, cura ei incumbebat, vt infra testabitur. Quid ergo non passus est, cùm tot vndique arietibus oppugnaretur? Facit hoc (vt nuper monuimus) plurimùm ad asserendam Apostolicæ doctrinæ authoritatem. Quis enim falsi insimulet eos, quibus hominum salus tam vehementer cordi fuit? Et debent horum exemplis omnes ministri excitari, vt eos imitentur. Cogitent se gregi Dominico præfectos esse, de quo olim rationem reddituri sint: & proinde zelum ardentem animo concipiant, qui nullum locum apud ipsos ignauiæ & socordiæ concedat. Nec enim digni sunt, qui gradum hunc in Ecclesia teneant, si susq; deq; omnia ferant. Transferant hoc ipsum ad se Reipub. præfecti, quos nisi eadem cura excoquat, nunquam fructum dignum ex sua gubernatione referent. Et sanè, qui nostrorum temporum mores & statum diligentius expenderint, quiescere non poterunt: quando pleriq; peßimis studijs dediti priuatam simul atque publicam salutem negligunt. Epaminondas olim, cùm Thebani diem festum agerent, armatus muros circuibat, & cur id faceret rogatus, dicebat: Vt ciuibus meis tutis epulari liceat. Quàm ergo turpe fuerit, Christianos principes ab homine ethnico vinci, dum ipsi primi poculis vacant, & securi in omnem licentiam effunduntur?

Pauli curæ pro Ecclesijs multiplices.

Porro quærat aliquis, Cur Paulus relicta Troade, vbi ostium ei aperuerat Dominus, in Macedoniam festinarit, vt inde Corinthum veniret? Videtur enim reprehensione dignus, qui consilium suum leuiter mutarit, & à Deo oblatam occasionem neglexerit. Sed facilis est eius excusatio. Primò enim maior erat neceßitas Corinthi, & quia ad ipsum, vtpote ordinarium gentium Apostolum, cura omniū Ecclesiarum pertinebat, nō debuit vni sic adhærere, vt maiori neceßitate laborantē negligeret. Deinde plus quiddam Corinth. Ecclesiæ debebat, quam primus fundauerat, & quam ipsi Deus peculiari mandato commendarat, vt Luc. in Actis docet. Adde, quòd interea Troadem non neglexit, sed non nisi rebus illic dispositis & rectè constitutis (sicuti ex Græco vocabulo, ἀποταξάμενος, colligi potest) discesit. Rursus ergo docemur, Episcoporū esse, vt omnibus paßim pro virili consulant, interim tamen suarum Ecclesiarum cura peculiari tangantur, quibus ordinariè præfecti sunt. At qui nostro tempore dominantur, ne has quidem curant, sed eis Regum aulas, & sæpe castra quoq; præferunt: & iam seculis aliquot nulla vel Regum vel Conciliorū authoritate in ordinem redigi potuerunt, vt apud Ecclesias residere velint. Ita in omnibus membris sese prodit Antichristi spiritus mendax. 1. Ioan. 4.

Cur relicta Troade Corinthum festinarit?

Rationem reddit Paulus suarum peregrinationum.

Cæterùm ne curiosis potius quàm necessarijs peregrinationibus vacauisse putaretur Paulus, ostendit ministerium suum interea nequaquam infructuosum fuisse: quia in omnibus illis locis prædicarit, & quidem non sine luculento multorum profectu. Id verò per δοξολογίαν siue gratiarum actionem enuntiat, ne quid arrogantius dicendo odium sibi conciliet, vtq; simul æmulorum malignitatem perstringat, quos inuidia non sinebat tam luculenta gratiæ Dei sese in ipso exerentis argumenta cernere. Sic autem ait: Deo gratia, qui facit vt semper triumphemus in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestum facit per nos in omni loco. Quasi diceret: Nonnulli quidem vestrûm me vanum iactatorem esse putant, alij crucem & afflictiones perpetuas mihi exprobrant. Sed nisi inuidiæ affectus totos excæcatisset, videre possent me non inutilem Christi seruum esse, neq; mihi afflictiones exprobrarent, in quibus Christi per me vbiq; locorum triumphantis virtus tam clarè elucet. Itaque iudicent alij vt libet, ego tamen habeo quòd Deo gratias agam: quia nuspiam locorum venio, vbi non eximia victoriæ per Euangelium partæ trophæa relinquam. Nam Deus vbique odorem notitiæ suæ per nos manifestum facit, &c. Ita verò dicit Euangelij prædicationem, quia per illam innotescit mysterium illud salutis, quod à seculis absconditũ fuit. Deinde quia fragrantia est Deo acceptissima, dum per illam ei homines instar sacrificij adducuntur, vt ipse Paulus alibi de gentibus per se conuersis loquitur. Sed & alia Euangelij effecta hoc simile exprimit. Vt enim odor penetrandi vim habet mirificam: ita Euangelium quoq;, quod alibi per venti & ignis parabolas docemur. Deinde vt odor bonus cerebrum & cor recreat atq; confortat: sic Euangelio refocillantur afflictæ hominum conscientiæ. Denique vt odor manet, quàmuis vnguentum aut omne id, vnde exortus est, è medio auferas: ita licet Apostoli aliò digrederentur, manebat tamen Euangelij per ipsos prædicati effectus: quod ipsum hodie etiam fieri videmus. Horum omnium Corinthios Paulus admonet, vt his auditis non patiantur se vinci ab alijs Ecclesijs, neue eam doctrinam contemnant, quæ alibi fructus tam eximios atque salutares ferat.

Euangelium odori confertur. Rom. 16. Rom. 15. Ioan. 3. Luc. 12.

Pauli triumphi. Vide Plutarchum in P. Aemilio.

Porro diligentius considerari debet, quod Deo gratias agit, qui ipsum triumphare faciat in Christo. Triumphare dicebantur apud Romanos, qui hostibus deuictis domum redibant, & victoriam cum publica pompa testabantur. Solebant præferri spolia hostibus erepta, signa item & imagines vrbium captarum, aut etiam deuictarum classium: ducebantur hostium duces captiui. Imperator in curru magnifico sublimis ferebatur, quem legatus eius eques sequebatur, milites verò gloriæ & gaudij huius participes ordine incedebant. Ista omnia Dei Filio, IESV CHRISTO, rectissimè tribuuntur. Venit is in mundum, & cum hoste communi Satana congressus eum vicit, & tandem cum triumpho carnem à nobis assumptam in cœlos intulit, captiuam ducens captiuitatem, vt ad Ephesios scribit Apostolus. Idem quoq; Euangelij præcones triumphi sui socios & gloriæ participes facit, quoties etiam ipsi mundo et diabolo superiores fiunt, atq; homines ex huius seruitio ereptos Christo adducunt & mancipant. Ad hunc modum Paulus vincebat & triumphabat, licet vbique locorum iniurijs exciperetur & ferè cum ignominia eijceretur.

Ephes. 4.

Quomodo Christiani, dũ vinci videntur, triumphent?

Estq; hic victoriæ nostræ modus probè obseruandus contra scandalum crucis. Si enim carnem audias, clamat illa: Egregij sanè victores & triũphatores, qui paßim cæduntur, spoliãtur, pelluntur, trucidantur. At si rem ipsam inspicias, illi reuera victores sunt. Vincunt enim, qui in causa, de qua contenditur, superiores fiunt, succumbentibus in eadem ipsorũ aduersarijs. Id verò in præsenti causa siue certamine fieri solet. Quando enim Euangelium in gente aliqua prædicatur, mox sese opponit Satan & per suos ministros turbas dat, ex quibus seditiones & bella cùm ciuilia tum externa suscitantur, funditur multorum sanguis, & sæpe Ecclesiæ dißipantur. Num verò causam suam obtinent impij? Nequaquam. Imò hac ratione latius propagatur Ecclesia, & Euangelij scintillæ, ceu ex incendio aliquo hinc inde dispersæ multos alios accendunt. Cuius rei exemplum Lucas in Actis Cap. octauo memorabile describit. Quis ergo neget victoriam penes eos esse, qui quoad corpus loco cedere coguntur? Idem cum singulis Christianis priuatim fit. Vincunt hi primùm seipsos, quando seipsos abnegant, & vnum Christum sequuntur. Deinde tyrannis quoque superiores fiunt sua patientia. Conferamus enim tyrannum aliquem, fidei persecutorem, cum martyre Christiano. Pugnant illi de fidei confeßione, quam ille quidem prohibere conatur, hic verò liberam & integram retinere contendit. Ille minacibus edictis agit, carceres extruit, flagella, eculeos, gla-

leos,gladios,faces,cruces & mille alias tormentorum species profert: Hic solam fidem Spiritus virtute armatam omnibus istis opponit. Tandem moritur iste in fidei confessione, quæ eò illustrior est, quòd eandem sanguine suo obsignat. Ille verò, qui verbis solis sonantem ferre noluit, sanguine confirmatam & in media morte victricem audire atque videre cogitur. Itaque anima istius victrix in cœlos subuolat, angelis Dei lætum Pæana ipsi succinentibus, & fidei tam præclaræ tamque constantis memoria in terris triumphat. Ille verò odio & ira inflammatus ringitur, & toti mundo ludibrium factus, lætum pijs omnibus spectaculum præbet. Huc pertinent exempla, quæ Apostolus ad Hebræos scribens multa congerit, & quæ historiam Ecclesiasticam legentibus paßim occurrunt. Potuit illa obseruare (vt supra diximus) impius ille apostata Iulianus, qui artibus potius & dolis Christianos circumuenire studebat, quàm tormentis & supplicijs aggredi, ne illis patientiæ illius victricis materiam siue occasionem præberet. Libet autem hîc commemorare, quod de muliere Edessana Theodoretus scribit. Cùm Valens Imperator Edessæ episcopum Arianum violenter obtruderet, ciues Christiani vnà omnes vrbe relicta, extra hanc congregabantur. Quod indignè ferens tyrannus præfecto gentis, cui nomen erat Modestus, in mandatis dedit, vt cœtum illum armata manu dißiparet. Resciuit crudelem conatum muliercula quædam & cum infante, quem vlnis gestabat, ad locum illum magna cum festinatione contendit. A præfecto autem, quem obuium sibi habuit, interrogata, quò nam festinaret? respondit: Ad mea fidei socios, vt cum illis occidar. Cur verò infantem tecum abripis? dixit præfectus. Cui illa: Vt & ipse mecum mortem hanc optatißimam obeat. Obstupuit Modestus, & imperatori nuntiauit, conatum hunc prorsus inutilem fore, & si ita pergamus (inquit) nobis quidem ipsis infamiam accersemus, istorum verò hominum alacritatem atque constantiam vincere nunquam poterimus. Poterant huius generis exempla multa proferri, & similia nostro seculo paßim vidit ingratus & infelix mundus. Rectè ergo dilectus ille discipulus dicebat, fidem esse victoriam nostram, qua mundus vincatur. Itaque neminem offendant impiorum tyrannorum conatus, & dira piorum supplicia: quin meminerimus, Christum per crucem triumphare, & proinde ad omnes Christianos pertinere quod Constantino crucis signum in cœlo spectanti dictum fuit olim: In hoc signo vinces.

Lib.4.cap.17.

1.Ioan.5.

Sed ad Paulum redeamus, cui aliquis poterat obijcere: Si vbiq; gentium triumphas, & Deus suæ notitiæ odorem per te in omni loco manifestum facit, cur non omnes credunt Euangelio? cur doctrinam tuam non omnes recipiunt? Imò cur plerique illam reijciunt, & contra te hostiliter insurgunt? Respondet ergo per Anthypophoram: Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in ijs qui seruantur, & in ijs qui pereunt, &c. Christi bonam fragrantiam dicit Apostolos, eò quòd odorem sacrificij & meriti eius in orbe circumferant. Christum igitur pretiosißimo vnguento aut thymiamati, seipsum verò & omnes alios Euangelij ministros vnguentarijs confert. Emphasim autem habet particula, DEO. Nam sensus est: Vtut de nobis mundus hic iudicet, & multi nos non admittant, attamen Deo, cuius serui sumus, optima sumus fragrantia Christi, non in ijs modò qui seruantur, verumetiam in reprobis qui pereunt. Nec enim ea Euangelij conditio est, vt necessariò credant & seruentur omnes, qui illud audiunt: sed in multis ea est corruptio & ingenij prauitas, vt eis mortem afferat, quod alijs est odor viuificus, quo seruantur, &c.

Cur non omnes Euangelio credant?

Docet ergo locus iste, quæ sit Euangelij sors, & vt de eo debeamus iudicare. Per se est odor vitæ, siue viuificus: quia Christum prædicat & nobis offert, qui vita est. Ideo Petrus ei dicebat: Tu verba vitæ æternæ habes. Et Angelus Cornelio Centurioni de Petro loquens: Is tibi loquetur verba, per quæ seruêris tu & domus tua. Idem ipse Christus innuit, dicens: Amen dico vobis, qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitã æternam. Item: Profecti in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quòd ergo multis exitio est Euangelium, ipsorum culpa fit, qui illud vel omnino non audiunt, vel eo audito exasperantur & præfractiores fiunt, ideoq; sibijpsis audiunt in testimonium. Exempla quibus hoc probetur, multa sunt. Audit Dei Verbum Pharao, sed eo offensus clamat: Quis ille Deus Hebræorum, cui ego obedire debeo? Et ante hunc in ipsa rerum origine Cainum ex Dei admonitione contumaciorem factum fuisse scimus. Et prophetarum sermonibus multi irritati,

Euangelij diuersi effectus.
Ioan. 6.
Acto.11.
Ioan. 5.
Marc. 16.

ex illis calumniandi occasionem arripuerunt. De Christi autem prædicatione hoc disertè beatus ille senex Simeon prædixit, quando positum esse ait alijs in ruinam, alijs in resurrectionem. Quibus conuenit quod ipsemet dicit: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Quid, quòd idem, quando Euangelium prædicabitur, subitam & irreconciliabilem separationem fore docet inter eos, qui prius coniunctissimi erant? Neque debet hoc alicui mirum aut impossibile videri, quando similia exempla in rerum natura videmus, vt nimirum causæ eiusdem effecta diuersa sint pro subiecti ratione. Sol etenim oculos sanos illuminat, lippientes prorsus excæcat. Idem ceram molliorem facit, lutum indurat. Vnguentum prætiosum cerebri sani homines recreat, porcos occidit. Ex eodem flore apes mella, araneæ venena colligunt. Mel quibusdam cibus suauis simul & salutaris est, at cholica laborantes offendit. Ignis aurum & metalla reliqua excoquit, ligna & spinas prorsus consumit. Denique vt ignis vis non solùm in suauis thymiamatis incensione sentitur, dum huius odorem longè lateq́ diffundit, verumetiam in stercoribus, quæ adusta intolerabilius fœtent: Ita Christi virtus, quæ per Euangelium agit, non modò in electorum conuersione & instauratione ad veram vitam cernitur: sed tunc imprimis sese conspicuam præbet, quando impiorum cogitationes arguit, Antichristum iugulat, & omnem altitudinem deijcit, quæ aduersus Deum sese effert.

Luc. 2.
Ioan. 9.

Ne offendamur impiorum incredulitate.

Sunt hæc diligentius obseruanda propter Anabaptistas, qui ex auditorum moribus, aut etiam ex nostri seculi turbis, temere de Euangelio pronuntiant. Falluntur hi suo iudicio turpissimè, dum quod inter electos & reprobos est ingeniorum discrimen non obseruant. Discant potius singuli animis honestis & discendi cupidis ad audiendum Euangelium accedere, & mox fructum ex eo saluberrimum percipient, vt cum Dauide dicant: Magis expetibilia sunt Domine verba tua, quàm aurum præstantissimum: dulciora item fauis multo melle stillantibus. Simul verò hinc consolationem petant ministri, qua sese aduersus iniqua mundi iudicia confirment. Nam si illi officio suo probè fungantur, Deo optima suauissimaq́ Christi fragrantia erunt, vt vt res cadat inter homines: quorum contumacia illis fraudi esse non poterit. Quod ipsum sibi quoque applicare debent pij magistratus aut principes, quando se nequicquam cum aliquorum improbitate luctari vident. Nam horum ceruices franget tandem Deus, illorum verò studium atque industriam dignis præmijs remunerabitur.

Paulus inter se & pseudoapostolos distinguit.

Porrò ijs, quæ dixerat, tacitam antithesim Paulus subijcit: Et ad hæc quis idoneus? Non enim, vt plerique cauponamur Verbum Dei, sed vt ex Deo in conspectu Dei in Christo loquimur. Sensus verborum hic est: Multi quidem hoc nomine gloriantur, quòd germani Christi ministri sint, & ijdem nihil non sibi arrogant, quasi ad omnia sint idonei. Sed tanta est huius functionis dignitas atque grauitas, vt omnẽ humani ingenij captum superet, nec quisquam ei sufficere queat, nisi quem Dominus idoneum fecerit. Id ego in meipso etiam agnosco, qui quicquid sum, gratia Dei sum, qui me ab vtero matris segregauit in Euangelium Filij sui IESV CHRISTI. Interim quoad meam in hoc munere fidem, sanctè testari possum, me non esse ex eorum numero, qui Verbum Dei cauponantur: sed quia me in Dei conspectu agere scio, nihil temere, sed omnia ex Dei mandato loquor, vt me verum Christi seruum esse probem. Cauponandi autem vocabulum Metaphoram habet, ab œnopolis aut vnguentarijs sumptam, qui vina & vnguenta adulterant, vt plus lucri faciant. Et illa pseudoapostolos perstringit, qui partim legales traditiones Euangelio miscebant, partim doctrinæ illius vsum corrumpebant, cùm gloriæ & quæstui priuato studerent, & turpi dissimulatione conniuerent ad multa, quæ acrem reprehensionem merebantur. At hîc duo nobis obseruanda veniunt.

Quid in doctrina potissimum vitari debeat? Ierem. 23.

Primum, quid potissimùm vitari debeat in doctrina? Fucatio nimirum, qua adulteratur, vt suam simplicitatem aut synceritatem non retineat. Fit hoc bifariàm. Primò, quando ei coniunguntur humanæ traditiones, quod est paleas cum tritico miscere, vt Deus ipse per Ieremiam loquitur. Estq́ hæc doctrinæ corruptio nocentissima, eò quòd cultum Dei prorsus inutilem reddit, adeoq́ totum euertit. Huius enim verba sunt: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Item: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Deinde fucus quoque fit docendo, quando doctrina quidem proponitur vera, sed non rectè secatur, vt omnium institutioni &

Isa. 29.
Matth. 15.

tutioni & ædificationi poßit seruire. Fit hoc, quando hominũ fauorẽ captant doctores, & quasi sublato sale illo Euangelico, quo prurientis carnis petulantiam coërceri oportebat, blandius agunt, ne quem offendant. Hos Propheta canes mutos, Christus autem salem infatuatum vocat, qui ad nihil vtilis foras eijcitur, vt à prætereuntibus conculcetur. In vtroque peccatur hodie, quando multi hominum decreta Dei Verbo æquare audent: multi item principibus viris & alijs, ex quibus lucrum sperant, turpißimè blandiuntur, imò ad vulgi quoque scelera conniuent, vt commodius & quietius viuant. Isa.56. Matth.5.

Alterum ergo est, vt quid fieri debeat, videamus: Hoc nimirum, vt Pauli exemplum ministri imitentur, in quo tria habemus. Primum, vt ex synceritate agatur, non ex carnis sapientia, aut prauorum affectuum arbitrio. Hoc adulterationi, de qua modò diximus, opponitur, & cum puritate doctrinæ modum quoque tradendi verum atque ædificationi seruientem comprehendit. Alterum, vt ex Deo loquantur doctores, ne loco panis Euangelici toxica & letalia pharmaca Ecclesiæ apponant. Sunt enim mysteriorum Dei Dispensatores, non suorum placitorum fartores. Imo legati sunt Domini exercituum, vt Malachias ait: & proinde capitale scelus admittunt, si à mandatis, quæ ille eis dedit, vel latum vnguem discedant. Ideo Ieremiæ dicebatur: Ecce ego pono verba MEA in os tuum. Et Ezechieli: Sumes verbum ex ore meo, & monebis eos ex me. Quibus consentit, quod Paulus se ex Deo in Christo loqui scribit. Postremum est, vt cogitent se in Dei conspectu agere, qui ipsos videat & audiat, imò corda quoque & cogitationes eorum norit, & cui olim rationem reddere cogentur. Qui ista sibi perpetuò ob oculos & in mentem reuocant, ij non facilè ignauia aut perfidia peccabunt. Quid ministros deceat in docendo. 1.Cor.4. Mal.2. Iere.1. Ezech.3.

Quod autem de Verbi administris dicitur, hoc ipsum ad se transferre debent principes viri, quibus Reipub. gubernatio commissa est. Nam hi quoque Dei negotium agunt, cuius est iudicium, vt Scripturæ docent. Agant igitur omnia corde syncero & integro, neque suæ rationis siue affectuum placita, sed Dei iudicia enuntient. Meminerint item, se in Dei conspectu agere, qui in illorum consessu præsens adsit, & ab ipsis olim rationem exiget, deque eorundem manibus requiret sanguinem populi sui, quem inique opprimunt. O si de istis seriò cogitarent Pontifices & Reges. Sed quia isti tacent, & res suas agunt, singuli priuatim salutem propriam curent, & Dei bonitatem agnoscant, qui salutarem Euangelij sui fragrantiam nobis subinde offundit, & eidem sese totis animis accommodent, vt vita illa vera & æterna fruantur, quam nobis suæ mortis merito acquisiuit IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Magistratuum officia.

CAPVT III.

HOMILIA XI.

INcipimus rursus nosipsos commendare? nũ egemus, vt nonnulli, commendatitijs epistolis apud vos, aut commendatitijs à vobis? Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus: dum palàm fit vos esse epistolam Christi, subministratam à nobis, inscriptam non atramẽto, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis. Fiduciam autem eiusmodi habemus per Christum apud Deum: Non quòd idonei simus ex nobisipsis ad cogitandum quicquam velut ex nobisipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est.

MVlta nuper Paulus Apostolus de suo ministerio præclarè dixit, quòd nimirum circa illud occupatus Corinthum hucusque non potuerit venire, ne in Asia sibi apertum Euangelij ostium negligeret, quòd item Deus per ipsum vbique gentium triumphet, Argumentum Capitis.

quòd denique bona sit IESV CHRISTI *fragrantia tam in ijs qui pereunt, quàm in ijs qui seruantur: adhæc quòd non sit ex eorum numero, qui Euangelium cauponantur, vt ex eo quæstum faciant, aut priuato honori consulant: sed ingenuè & syncerè, vt eos decet qui in Dei conspectu agūt, se omnia dixisse & fecisse testatus est. Nō potuit autē ignorare, quid ad ista dicturi essent eius æmuli: En Thrasonem gloriosum & iactatorem, en heroēm inuictum, qui solus de toto orbe terrarum triumphat, solus Euangelium fideliter & ingenuè prædicat, &c. Ad ista ergo per Preoccupationem respondet, & hîc nihil abs se fingi, sed omnia verißimè dici demonstrat. Vtque tota hæc causa minus haberet inuidiæ, ista occasione de toto Noui testamenti ministerio disserit, & hoc cum Mosaico aut Leuitico confert, vt ea collatione doceat, non debere sibi & reliquis Apostolis vitio verti, si liberius & maiori cum fiducia agant, quando hoc olim Mosi licuerit, qui ministerium habuerit minus gloriosum. Continet autem Pauli exemplum generalem doctrinam, vt qui functionem aliquam à Deo sibi creditam sustinent, non patiantur eam improborum calumnijs in contemptum rapi, sed fortes sint in authoritate sua tuenda.*

Paulo nō opus fuit ab hominibus commendari.

Incipimus (inquit Apostolus) rursus nosipsos commendare? num egemus, vt nonnulli, commendatitijs epistolis apud vos, aut commendatitijs à vobis? Exordium Mimesi constat, qua aduersariorum calumniam perstringit. Quasi diceret: Scio quid ad ista æmuli mei dicturi sint, me propriæ laudis præconem & ebuccinatorem esse, & vnum hoc agere, vt me apud vos ea ratione insinuem, àque vobis vicißim commendationes eliciam, quibus mihi apud alios quoque authoritas paretur. Sed non hæc mea sors est, vt mihi (sicuti nonnullis) apud vos literis commendatitijs opus sit, aut vt à vobis tales ad alios emendicare oporteat. Ipsi enim scitis quis sim, & ipsum opus quod ago, me abunde ijs commendat, qui rem ipsam rectius intueri & expendere volunt, neque prauos carnis affectus in consilium admittunt. Ita verò hæc proponit, vt non obscurè aduersarios pungat, quos non propria virtus commendabat, sed alienis commendationibus nitebantur, per quas in Corinthiorum Ecclesiam irrepserant. Et quia mox de Legis ministerio disseret, credibile est, tales Hierosolyma venisse ab ijs commendatos, qui illic Legalibus ceremonijs adhuc pertinacius addicti erant, & easdem Ecclesijs gentium per suos illos emissarios obtrudere conabantur, vt Lucas in Actorum libro prolixè narrat.

Literæ cōmmēdatitiæ. 1.Tim.3.

Interim non debent Pauli verba sic accipi, quasi per se nefas sit, commendatitias literas vel ab aliquo accipere, vel alicui dare. Nam vt id fiat, non raro neceßitas iubet. Et vult Apostolus alibi ministrum Ecclesiæ, qui eligendus est, ab exteris quoque bonum testimonium habere, quò minus in probrum incidat, & in laqueum calumniatoris. Nec desunt exempla, quæ morem istum inter optimos quosque diligenter obseruatum semper fuisse docent. Apollo certè Corinthijs ab Aquila & Priscilla commendatus fuit, cùm illuc profectionem instituisset. Et Paulus Timotheum suum & Titum aliosque similes non semel Ecclesijs commendauit. Quid, quòd idem de vnius mulierculæ, Phœbes, fide & industria apud totam Romanorum Ecclesiam testimonium perhibere dignatur? At hîc duo vitia caueri debent: Vnum, ne leues simus, aut nimiùm faciles in quibusuis commendandis. Peccant hîc multi hodie, qui non alio proposito aliquos alijs commendant, quàm vt ipsi illis liberentur. Ita verò sæpe fraudis alienæ ministri atque socij fiunt, suamque authoritatem suspectam faciunt. Alterum, ne qui commendantur, de se conceptam spem fallant, sed aliorum testimonijs respondere studeant, ne ipsis fraudi sit hoc charitatis officium.

Corinthij epistola Pauli.

Cæterùm rationem reddit Paulus, cur ipse commendatitijs literis apud Corinthios non opus habeat: Nam epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, &c. Epistolam suam illos esse dicit, quia in Ecclesia eorum apparebat, ipsum Apostoli fidelis & strenui officio functum fuisse, qui vrbem luxu, libidine & omni vitiorum genere infamem ad Christi fidem conuerterat. Quo sensu eosdem alibi Apostolatus sui sigillum vocat. Itaq; istius loci sensus est: Cur ego aliorum literis commendatitijs ornatus ad vos veniam, vel à vobis emendicatis cōmendationibus ad alios proficiscar? Atqui vos ipsos viuæ epistolæ loco habeo, quæ de mea fide & industria testatur. Quòd enim vos Christiani estis, quòd Ecclesia apud vos qualiscunque constituta est, hoc omne mihi debetis, qui primus vobis Euangelium

prædicaui. Quàm diu ergo tales fueritis, tam diu de meo ergà vos studio testimonium feretis luculentum & locuples, quod solum sufficere poterit omnibus ijs confutandis, qui me Apostolum esse negant, aut fidem meam dubiam siue suspectam facere conantur. Non temere autem epistolam hanc in corde suo inscriptam esse ait. Id enim perinde est, at si diceret: Etenim quemadmodum ego legem Christi cordibus vestris inscripsi, vt ex Euangelij semine renati & prorsus alij facti sitis: ita vicißim vos in meo corde inscriptos habeo & circumfero, vt quocunque locorum venio, ex vobis habeam mei ministerij siue apostolatus testimonium. Et hæc epistola (inquit) vbique locorum legitur & intelligitur ab omnibus hominibus: dum videlicet res ipsa docet, vos esse epistolam Christi, quæ per meum ministerium parata est, non atramento, neque in tabulis lapideis (vt olim Lex data fuit) sed Spiritu Dei viui in carneis tabulis cordis.

Rursus autem suo exemplo Paulus docet, quæ vera & solida sit hominis cuiuscunque commendatio: Ea nimirum, quæ non verbis nudis aut titulis inanibus constat, sed quam res ipsa aut opus confirmat. Nam quod vulgo aiunt, ipsum opus de opificis arte & industria verissimè testatur. Frustra enim hanc commendaueris, si opera non respondeant. Ideo Paulus, quotiesseger manum Christi Apostolum esse docere vult, semper Ecclesias adducit in medium, quas per Euangelium collectas & plantatas Christo acquisiuerat. Erat hoc obseruandum nostri sæculi Episcopis, qui nihil præter inanes titulos spirant, & ornatu siue apparatu theatrico sese vendicant: cùm interim Ecclesiarum curam quasi nihil ad se pertinenten reijciant. Sunt hi philosophorum similes, quos Lucianus ridet, quòd philosophiam pallio & barba profiterentur, à virtute autem & sapientia essent alienißimi. Ita enim isti præter mitram illam suã bicornem, pedum & pallium nihil habent, quo se Episcopos esse probent: vt iam de illis nihil dicam, qui ab Ecclesijs suis procul absunt, nec contenti eo quòd ipsi non docent aliquos, simul etiam alios, quos Deus excitat, docendi munere fungi non patiuntur. Quid obsecro isti cum Paulo commune habent, qui Corinthios cordi suo inscriptos habuit, & omnium Ecclesiarum cura angebatur, quoties se gentium Apostolum à Deo constitutum esse cogitabat?

Commendatio vera quæ sit?

Cæterùm diligentius exponit Paulus, qualis epistola sint Corinthij, & ita de illis loquitur, vt paucis omnia comprehendat, quæ de Ecclesia bene constituta deque legitimo & ordinario Verbi ministerio dici possunt. Primò enim epistolam Christi eos dicit, quos prius suam dixerat. Ita verò dicuntur illi, non ideo solùm quòd fidem in Christum profiterentur, & cùm Ecclesiæ Sacramentis communicarent: sed (vt Chrysostomus annotauit) quòd Legem Domini cordibus suis inscriptam haberent, adeoque sponsa & peculium Christi essent, cuius doctrina & virtus in illis non obscurè elucebat. Tales esse conuenit omnes, qui Ecclesia Christi dici & haberi volunt. Omnibus enim ille loquitur: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Cui illud Iacobi astipulatur: Ostende mihi fidem tuam in factis tuis. Meminerint denique homines Christiani, epistolam ipsos esse, quæ ab omnibus legitur & intelligitur. Sunt enim è mundo selecti, adeoque instar lucernæ & ciuitatis sunt, quæ in altißimo monte sita ab omnibus circumquaque venientibus spectatur. Arguit ergo locus iste eos qui sic viuunt, vt nihil Christiano nomine dignum in ipsis inuenias. Quomodo enim epistola Christi dici merentur, in quibus nihil præter diaboli characteres cernere licet, ebrietatem scilicet, intemperantiam, luxum, libidines vagas, auaritiam, fraudes, vsuras, odium, vindictæ priuatæ studium, mendacia, & blasphemias, execrationes, conuitia, periuria & alia huius generis, quibus suorum corda ille inscribere consueuit?

Corinthij, quales epistola Christi fuerint?

Ioan. 14.
Iac. 2.
Ioan. 15.
Matth. 5.

Deinde Corinthios epistolam Christi dicit Paulus abs se subministratam: quâ locutione medium & ordinem denotat, quo Ecclesiæ constituuntur. Solus quidem Deus est, qui suos iam inde ab æterno elegit & prædestinauit: idem eosdem suo tempore vocat, trahit, & Spiritu suo animatos indissolubili fidei & charitatis vinculo connectit. Ideo Christus dicebat: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Et Isaias Christianos homines Dei discipulos fore prædixit. Idem tamen ad hæc conficienda hominibus ministris vtitur, non quidem quòd horum ministerio opus habeat, sed vt suam bonitatem in eo etiam declaret, dum nos sui operis socios & quasi opitulatores habere dignatur. Obseruandum hoc est diligenter, ne Verbi ministerium, ceu inutile & superuacaneum, negligamus, vel etiam explodamus: vt hodie phanatici quidam, qui

Quomodo Ecclesiæ constituantur?

Ioan. 6.
Isa. 54.

Rom. 10. Spiritu solo & nescio quo Verbo non scripto gloriantur. Semper enim ratum erit Apostoli nostri dictum: Quomodo credent absque praedicante? Item: Fides ex auditu est, auditus verò per Verbum Dei. Interim non minus caueri debet, ne ministris nimium addicti, illis tribuamus quod vni soliq́ue Christo debetur. Qua de re in prioris epistolae Cap. tertio satis dictum est. In praesenti tamen rursus de eo admonet Paulus, dum addit: Non atramento, sed Spiritu Dei viui. Ea enim lucutione inter externum ministerium & effectum Verbi Dei ita distinguit, vt hunc solius Spiritus sancti opus esse doceat. Etenim vt atramento fides scribi non potest, ita neque ministri vox aliquid proficiet, nisi Spiritus virtute animi illuminentur & emolliantur.

Tabulae cordis carneae.

Addit his tertiū: Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. Alludit ad Legis promulgationē, simulq́ ad veteres promissiones de regno Messiae & Ecclesiae, quibus pollicetur Deus quòd Legem suam cordibus credentium inscribere velit. Et videtur hoc membrum ideo subiecisse, vt sensim delabatur ad institutam Leuitici siue legalis ministerij & Euangelici siue Apostolici collationem. Legem enim Dei digito in duas tabulas lapideas inscriptam fuisse, Moses testatur. Adumbrabat hoc ingenij humani duritiem & intractabilem contumaciam, quae non nisi Dei digito emolliri potest, vt Legem eius admittat. Istis opponit tabulas cordis carneas, id est, cor tractabile & Dei Spiritu mollitum, quale olim Prophetae promiserunt. Itaque caro hîc in bonam partem sumitur, pro corde (vt diximus) tractabili & per regenerationem sic mutato, vt iam spontaneus sit homo ad Dei obsequium, qui prius huic contumaciter reluctabatur. Vt verò haec quoque omnem salutis nostrae gloriam vni soliq́ue Deo vendicant: ita Christianos homines officij sui admonent, ne videlicet corda sua indurent, sed IESV CHRISTI praeceptis ex fide non fucata obediant, quem totius Euangelij scopum esse, alibi diximus.

Ier. 31. Ezech. 11. 36.

Paulus apostolatum suum vni Deo transcribit.

Porrò vt ad Paulum redeamus, ne aduersarij ex ijs, quae dixerat, nouam arriperent calumniandi occasionem, & ipsum arrogantius haec scribere clamarent, noua Praeoccupatione occurrit, & cur tanta cum fidutia haec dixerit, docet: simul autem occasione ista redit ad expositionem planiorem dicti illius, quod sub finem Cap. secundi audiuimus: Et ad haec quis idoneus? Sic verò scribit: Fidutiam autem eiusmodi habemus per Christum apud Deum: Non quòd idonei simus ex nobisipsis, &c. Sensus est: Ista tam confidenter loquimur, non quòd nostris viribus aut industria freti nos ad tam grauem Euangelici ministerij prouinciam obeundam idoneos putemus. Agnosco enim communem sortem hominum, qui ex semetipsis ne ad cogitandum quidem idonei sunt. Quare fidutiam istam habemus per Christum, qui nos Deo reconciliauit, mihiq́ hanc gratiam meruit, vt meo ministerio vti dignetur. Itaque si aliquam ad rem idonei sumus, hoc omne ex Deo est, qui in nobis operatur & velle & facere. Est autem huius loci vsus duplex.

Euangelici ministerij dignitas.

Primùm de Euangelij dignitate nos admonet, & quòd tam hoc quàm totum eius ministeriū ex Deo sit. Nam quod Paulus de seipso dicit, id de omnibus debet intelligi, qui in Ecclesiae & Verbi ministerio versantur. Erat ille à pueris institutus in Lege, & sub Gamaliele, praeceptore tunc temporis celeberrimo, profecerat supra omnes aequales suos. Adhaec secundùm exquisitissimam sectam Pharisaeorum inculpatus & irreprehensibilis vixerat. Nihil tamen ista profuissent ad Euāgelij ministerium, nisi illum Deus noua Spiritus gratia illuminatum ad illud obeundum fecisset idoneum. Idem de Mose dici potest, qui in omni Aegyptiorū disciplina enutritus, de infantia sua conqueritur, quando se à Deo ad hoc munus vocari audit. Quod ipsum Isaiae accidisse, eius verba testantur: Vae mihi, quoniam obmutui, eò quòd homo sim polluta habens labia. Et Ieremias clamabat: Ah Domine Deus, en non noui loqui, quoniam puer sum. Magnum ergo & arduum sit oportet munus hoc, cui nemo quantúmuis eximius sufficit, nisi eum Deus peculiari gratia dignetur.

Heb. 11. Exo. 4. Isa. 6. Iere. 1.

Nemo nisi à Deo vocatus ministerium Euangelicum suscipiat. Iere. 23. Rom. 10.

Docent haec, neminem nisi à Deo vocatum hanc functionem subire aut suscipere debere. Quia non possunt Dei gratiam sperare, qui huius vocationem non expectant. Etenim apud Ieremiam quibusdam ille succenset quòd non missi ab ipso cucurrissent ad praedicandum. Quod Apostolus noster ad Romanos scribens obseruauit, cùm diceret: Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint? Arguit hoc Anabaptistarum temeritatem, qui sola ignorantia & plus quàm barbara inscitia freti, sese ad docendum ingerunt, & tunc demum se verè Apostolicos esse arbitrantur, si prorsus illiterati & idiotae sint. Sed ijdem Apostolorum exemplo conuincuntur, quos Christus ad hoc munus

pro

prorumpere noluit, donec Spiritum sanctum accepissent, qui ea linguarum & Scripturarum cognitione illos miraculosè instruxit, quam nemo hodie multorum annorum studijs posset consequi. Discant ergo, qui ad ministerium Ecclesiæ animum appulerunt, legitimam vocationem expectare, & si ea obtingat, in illo diligentes sint, precibus ad Deum assiduis vacent, & vitam suam sic instituant, ne tanto munere indigni, aut ad illud minus idonei censeri possint. Quod ipsum si pariter obseruent, qui magistratum gerunt, in Ecclesia simul & Repub. res felicius gerentur.

Porrò quod de Apostolico siue Ecclesiastico munere Paulus dicit, hoc ipsum ad omnes homines pertinet, quoad æternæ salutis causam. Si enim nemo ex semetipso idoneus est, vt hanc verbis dignis cum aliorum profectu & ædificatione proponat, quantò minus aliquis salutem proprijs viribus vel sibijpsi vel alijs mereri poterit? Sufficit ergo locus hic ad euertendam eorum arrogantem atque confidentem sententiam, qui τῷ αὐτεξουσίῳ & sui arbitrij libertate gloriantur. Fefellit aliquos in hac causa vetus Interpres, qui Græcam vocem, qua hîc Paulus vtitur, ἱκανότητα, per Sufficientiam exposuit. Ex eo enim collegerunt, hominem habere quidem ex semetipso aliquas vires aut facultates, sed quæ non sufficiant, & proinde eum nouo gratiæ Dei auxilio indigere. Ita vnius vocabuli impropria expositione Satan hominibus imposuit, vt eo loco ad nocentissimi erroris defensionem abuterentur, quo vix alius euidentior & efficacior est ad destruendam virium & meritorum nostrorum fiduciam. Etenim inter omnes hominis actiones, tam internas quàm externas, omnium leuissima & liberrima est cogitatio: adeò vt Germanico prouerbio cogitationes à vectigalibus immunes esse dicantur. Attamen ne hæ quidem in nostra potestate sunt, vt eas possimus pro nostro arbitrio ad res bonas atque salutares inclinare, aut ne instabiles vagentur continere. Experiuntur hoc pij frequenter inter precandum, quando illis inuitis cogitationes absurdissimæ, & interdum turpes atque infandæ obrepunt, quibus mens à seria Dei inuocatione auocatur. Quid ergo nobis reliquum manet, quo gloriemur? Vidit hanc Pauli mentem esse D. Chrysostomus, qui cum Græcorum more alibi τὸ αὐτεξούσιον & liberum hominis arbitrium magnificè prædicet, huius tamen loci perspicuitate coactus, ita eum interpretatur: οὐχ οὕτως εἶπον πεποίθησιν ἔχομεν, ὡς τὸ μὲν ἡμέτερον εἶναι, τὸ δὲ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὸ πᾶν αὐτῷ ἀνατίθημι. Id est, non eo sensu nos fiduciam habere dixi, vt pars quidem nostra, pars autem Dei sit, sed hoc totum ad hunc refero. Cuius Generis testimonia infinita ex alijs quoque Patribus orthodoxis, imprimis autem ex D. Augustino proferri poterant, qui totius Ecclesiæ doctrinam suo sæculo contra Pelagianos acerrimè propugnauit.

Contra liberi arbitrij vires.

Gedencken ist zoll frey.

Obseruemus igitur hoc loco, hominem natura sua non modò peccatorem, verumetiam omnibus viribus destitutum nasci. Genuit enim Adam (vt Moses scribit) filios suos in sua imagine, id est, corrupta illa & vitiosa natura, quam per peccatum obliterata imagine Dei, contraxerat. Quò fit, vt (quod Dauides de seipso fatetur) omnes in peccato concipiamur atque nascamur. Sunt ergo vitiosæ & corruptæ omnes hominis facultates. Intellectus non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Voluntas ad malum natura inclinat, & ideo figmenta cordis nostri praua sunt. Vires autem, quibus resistamus, aut nosmetipsos in officio contineamus, omnino nullæ sunt. Vnde sequitur, regeneratione nobis opus esse, quæ nisi fiat, Regnum Dei (ipso Christo teste) ne videre quidem possumus, nedum ingredi. At hæc multò minus in nostro arbitrio siue potestate posita est. Quid enim hîc faciat homo, qui neque ad primam generationem, qua peccator & mortalis natus est quicquam contulit, neque corporis sui staturæ quicquam addere, imo ne capillum quidem in capite suo nigrum aut album facere potest? E superis ergo renascamur oportet, nimirum ex semine Verbi æterni & immortalis per Spiritus sancti virtutem, qua sola mysterium hoc perficitur. Hinc noua lux menti affulget, quæ intellectum nostrum diuinorum & cælestium capacem reddit. Sequitur mox voluntatis ad meliora propensio, Deo nimirum hanc trahente & inclinante. Idem vires nouas sufficit, vt omnia iam in Christo possimus; qui paulò ante ne ad cogitandum quidem eramus idonei. Hic enim Mediator & canalis instar est, per quem dona Dei cœlestia in nos deriuantur. Quapropter ipse dicebat: Sine me nihil potestis facere. Verissimè ergo alibi Paulus exclamat: Quid habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Est itaque hæc apostolica & orthodoxa doctrina,

Hominis vitiositas hæreditaria.
Gen. 5.
Psal. 51.
Regeneratio.
Ioan. 3.
Ioan. 15.
1. Cor. 4.

quam in Ecclesijs retinere plus quàm necessarium est: eò quòd sine hac nobis constare non potest certa salutis fiducia, quæ necessario fluctuat, nisi tota in Dei gratiam & misericordiam recumbat per IESVM CHRISTVM, *Mediatorem & Seruatorem nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XII.

Qui etiam fecit, vt idonei essemus ministri Noui testamenti, non literæ, sed Spiritus: Nam litera occidit, Spiritus autem viuificat. Quòd si mortis ministerium literis informatum in saxis, fuit gloriosum, adeò vt non possent intueri filij Israel in faciem Mosis, propter gloriam vultus eius, quæ abolenda erat: quî non potius ministerium Spiritus erit gloriosum? Nam si ministerium condemnationis fuit gloriosum, multò magis ministerium iustitiæ abundat gloria. Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit in hac parte, quoad excellentissimam gloriam. Nam si quod aboletur fuit gloriosum, multò magis est gloriosum id quod manet.

Euangelicũ ministerium Mosaico præstantius esse docet.

Paulus Apostolus in tota hac epistola frequenter de suo ministerio disserit, & qua fide atque diligentia in illo versatus sit, docet. Id verò non facit ambitiose, sed quòd æmulorum & impostorum quorundam calumnijs cogeretur, qui vt doctrinæ eius fidem derogarent, ipsum verum & germanum Christi Apostolum esse negabant, & præter hoc alia quoque multa congerebant, quibus eum in contemptum adducere conabantur. Confutauit autem nuper istorum calumnias ipsius Ecclesiæ Corinthiacæ testimonio, ostendens, nimiùm imprudentes esse qui eius ministeriũ atque fidem in dubium vocent, cùm ipsimet viuæ epistolæ loco sint, quæ de ipsius fide & industria abunde testetur. Simul tamen ne quid arrogantius dicere videatur, omnem sui ministerij gloriam vni solique Deo transcribit, qui homines sua natura vitiosos, & ad omnia ineptos, suis donis ornare, & rebus arduis destinare soleat. Id verò nunc ad suam personam propius applicat, & simul ea occasione transit in generalem ministerij Euangelici commendationem, cuius dignitatem & gloriam multò excellentiorem esse docet, quàm olim Mosaici aut Legalis ministerij fuerit. Causa huius disputationis fuit, quòd illo tempore passim Ecclesijs obreperent homines partim ambitiosi partim superstitiosi, qui Legis doctrinam cum Euangelio commiscebant, & vt illius ritus possent facilius quibusuis persuadere, magnificis verbis prædicabant, quanta cum maiestate illa olim à Deo fuisset promulgata: Eoque fundamento iacto, in Apostolos inuehebant, vt qui nimium sibijpsis tribuerent, & in Mosem iniurij essent, cuius ministerium Deus singulari gloria ornauisset. Ad ista respondens Paulus, Legis quidem gloriam non vulgarem fuisse fatetur, eandem tamen nullam esse demonstrat, si cum Euangelio & eius doctrina conferatur. Vnde colligit, quòd cum Mosi licuerit libere & cum fiducia agere, quæ ad Legis authoritatem defendendam faciebant, hoc ipsum multò magis licere Euangelij doctoribus, qui ministerium sublimius & præstantius sustineant. Denique æquum esse docet, vt Lex Euangelio locum cedat, & omnes in vno IESV CHRISTO *acquiescant, qui per hoc prædicatur. Est ergo locus hic admodum memorabilis, quia Euangelium supra omnia alia doctrinarum genera extollit, & omnes ad illius amorem atque studium excitat.*

Paulus Noui testamenti minister.

Porrò pulchrè ista cum ijs, quæ proximè præcesserunt connectit, vt vniuersam sui ministerij conditionem commodius & plenius explicet. Cùm enim dixisset, Deum esse, qui homines ad res magnas idoneos faciat, id ad se transferens mox subdit: Qui etiam fecit, vt idonei essemus ministri Noui testamenti, non literæ, sed Spiritus, &c. Fatetur ergo ingenuè, se non ministeriũ modò à Deo habere, verumetiã eiusdem donum esse, quòd ad illud obeundũ idoneus sit. Præcipuum

puum tamen huius loci caput est, quòd se cum reliquis Apostolis noui Testamenti ministrum factum esse ait. Eo enim dicto impostores perstringit, qui cum Legis doctrinam importunius vrgerent, se non Noui, sed potius Veteris testamenti ministros esse declarabant, idq; non sine ignominia Christi, qui vmbras istas abolere debuit, nec sine graui causa dixerat: Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem, ab eo tempore Regnum Dei annunciatur: qui deniq; iam moriturus magna voce testatus est, consummata iam & impleta esse, quæcunq; in veteri Testamento promissa atq; typis tam legalibus quàm propheticis adumbrata fuerunt. Ioan. 19. Luc. 16.

Addit autem Expositionis loco: Non literæ, sed Spiritus. Et huius quoq; dicti rationem reddit: Quia litera occidat, Spiritus autem viuificet. Quæ verba considerationem diligentiorem merentur, quia illis semper abusi sunt homines phanatici & purioris doctrinæ hostes. Olim certè Origenes, vir alioqui eruditus & in Ecclesiæ ministerio laboriosissimus, huius loci falsa interpretatione deceptus, Philonem plus quàm Iudaicè in sacris philosophantem sequutus est: & quia per literam expositionem literalem, id est, grammaticam atq; historicam, per Spiritum verò spiritualem siue mysticam intelligebat, allegorijs partim ineptis, partim absurdis ac violentis omnia inuoluit potius quàm explicuit. Fuit hæc multorum errorum causa, & posteris temporibus graues turbas toti Ecclesiæ dedit, cùm Episcopi quidam Origenis libros publicè ab omnibus damnandos esse contenderent, alij verò tanti viri famæ & existimationi parcendum esse putarent. Sed & hæreticis occasio data fuit quiduis fingendi per ineptas & impias Scripturarum detorsiones. Quorum exemplum hodie ferè Monachi sequuntur, quibus ea demum optima ostentandæ eruditionis & acuminis sui materia esse videtur, si Allegorijs pro suo arbitrio in Scripturis ludant. Hodie autem sunt, qui per literam vetus Testamentum intelligunt, & proinde eius libros simpliciter reijciunt, quasi indignos, qui in Ecclesia exponantur. Horum facilè principes sunt Anabaptistæ, qui si se veteris Testamenti authoritate stringi & vrgeri sentiunt, mox clamant, se non literam, sed Spiritum quærere: quia litera occidat, Spiritus viuificet. Alij literam dici putant Verbum Dei scriptum, & hoc nomine ea quoq; comprehendunt, quæ in Scripturis sensu planissimo dicuntur, adeò vt allegorias aut expositiones argutiores quærere non sit opus: per Spiritum verò occultam quandam inspirationem intelligi debere contendunt, quæ nos de Dei voluntate edoceat, & cui non minus quàm Verbo in Scripturis reuelato debeat tribui. At hi dum toti spirituales fieri volunt, sese diabolo illudendos propinant. Quia enim à Verbo Dei scripto discedunt, imposturis omnibus patent, & eò vsq; tandem deueniunt, vt Dei Spiritum siue inspirationem esse putent, quicquid vel malus dæmon eis suggerit, aut ipsi ex suo cerebro pro suorum affectuum arbitrio comminiscuntur. Litera occidit, spiritus viuificat.

At si loci huius circumstantias omnes vnà cum statu, quem Paulus sibi propositum habuit, spectemus, literam dicit ipsissimam Legem Mosis, non alio quàm literali sensu intellectam, qualis tunc inter Iudæos habebatur: neq; de ea solùm parte loquitur, quæ ceremonias tradit, verumetiam de ipso Decalogo, qui totius Legis compendium continet. Literam verò dicit Legem, quia literis descripta fuit in tabulis lapideis (vt ipse mox exponet) quod argumentum erat, per illam Spiritum illum viuificum non posse conferri. Etenim non potuit Moses aliud, quàm à Deo acceptam Legem Israëlitis suis voce & scriptis proponere, eandem verò animis eorum imprimere non potuit, multò minus autem vires largiri, quibus illi satisfacerent. Deniq; litera dicitur Lex, quia per se simpliciter & secundùm solam literam considerata non aliud nobis confert, quàm doctrinam, qua quid fieri quidue vitari debeat admonemur: non autem nos viribus nouis instruit, vt id possimus præstare, quod à nobis exigit Deus. E contra Euangelium Spiritus dicitur: primùm, quia hoc non in tabulis vel saxeis vel ex quacunq; alia materia factis descriptum acceperunt Apostoli, sed Spiritu magistro & doctore vsi sunt, qui illud cordibus eorum inscripsit, sicuti olim Deus per Ieremiam promiserat. Deinde quia cum Euangelij prædicatione Christus coniunctus est, qui (vt infra dicetur) Spiritus & vita Legis est, eamq; in nostris cordibus viuificam ac salutarem reddit: qui deniq; nos ex Verbi semine regenerat, vt vitam viuamus nouam & Deo acceptam. Quòd denique per Euangelium Spiritus sanctus datur, qui & adoptionis Spiritus & salutis nostræ arrhabo est. Qua nota olim Ioël quoq; vetus Testamentum à nouo distinxit, quòd tunc Deus Spiritum suum liberalissimè super omnem carnem effusurus sit. Itaq; Apostoli & quicunq; post hos legitimè electi Lex Mosis litera dicitur. Euangelium Spiritus dicitur. Ierem. 31. Ioel. 2.

& missi Euangelium prædicant, Spiritus administri dicuntur, non quòd ipsi Spiritum in sua potestate habeant, eumq́ pro suo arbitrio, quibus volunt, conferre possint: sed quòd Euangelij prædicatio medium & organum illud ordinarium est, per quod Deus Spiritum suum electis confert, dum ipse seruorum suorum ministerio benedicit, adeoq́ per illos factæ plantationi & rigationi incrementum addit, sicuti in priori epistola Paulus docuit. Et huc faciunt exempla eorum, quibus vt primùm Euangelio audito crediderunt, Spiritus sanctus non sine miraculo datus est, vt repentè mutati linguis quoq́ varijs loquerentur: quod in primitiua Ecclesia tam fuit vulgare, vt Paulus Galatarum stoliditatem, qui ab Euangelio ad Legis doctrinam defecerant, hoc argumento arguat, dicens: Hoc solùm cupio discere à vobis, Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeò amentes estis, cùm Spiritu incœperitis nunc carne perficimini?

Quomodo Lex siue litera occidat? *Hæc probè considerata simul docent, quo sensu Paulus dicat, literam occidere, Spiritum verò viuificare. Et de hoc quidem non est opus multis dicere. Quid enim aliud faciat Spiritus Christi, qui totus vita est? Quoad Legem autem, quam literæ vocabulo significari diximus, occidere dicitur, non quidem quòd ipsa per se noxia aut letalis sit, sed nostro vitio. Per se enim (vt alibi Paulus scribit) spiritualis est, bona est, sancta est. Et ipse Moses de ea disserens ait: Obtestor hodie aduersus vos cœlum & terram, vitam & mortem proposui vobis, benedictionem & maledictionem: elige igitur vitam, vt viuas tu & semen tuum, &c. Et nota sunt, quæ in Psalmis habentur, Legis præconia: Lex Domini integra est, conuertens animam: testimonium Dei verum, imperitis sapientiam suppeditans: Decreta Domini recta, cor exhilarantia: præceptum Domini rectum illuminans oculos. Quæ cùm verissimè dicantur, sequitur legem occidere, non suo, sed nostro vitio, adeoq́ (vt vulgo loquuntur) per accidens. Dum enim nos de Dei voluntate edocet, eadem opera peccatum, quod prius ignorabamus, arguit, & ita reos agit transgressionis. Vnde Paulus de seipso dicebat: Peccatum non cognoui, nisi per Legem. Deinde naturæ & ingenij nostri vitiositate fit, vt in vetitum nitamur, quoq́ magis prohibentur peccata, eò maiori eorum desiderio accendamur. Quibus accedit, quòd maledictionem omnibus denuntians Lex qui non omnia eius præcepta obseruant, eadem sententia omnes homines iugulat: quando constat neminem, ne inter sanctissimos quidem inueniri, qui de vera & perfecta omnium præceptorum Dei obseruatione gloriari possit. Et quàm vana atq́ inutilis sit eiusmodi gloriatio, in diuitis illius iuuenis exemplo apparet, qui cùm initio se præcepta omnia seruasse dixisset, mox tristis & toto animo consternatus discedit, quando Christus id quod in Lege præcipuum est ei mandans, in animum eius altius penetrauit. Pertinent autem ad totius loci huius explicationem, quæ Paulus copiosius scribit ad Rom. 7. Cap. Quibus si coniunxeris, quæ Diuus Augustinus in libro de Spiritu & litera tradidit Cap. quarto & alijs sequentibus, videbis nos de his non tam nostram sententiam, quàm veteris & orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam protulisse.*

Rom. 7. Deut. 30. Psalm. 19. Rom. 7. Marc. 10.

Iustificatio ex operibus confutatur. *Confutantur autem his omnes, qui dum hodie etiam Legis opera vrgent, iustificationem ex nostrorum operum meritis pendere docent. Sunt hi literæ occidentis ministri, nec pro Christi ministris haberi possunt, qui Apostolos suos Spiritus ministros fecit, & veteris Testamenti ministerium abrogauit. Quòd si verò Legis diuinæ operibus, quoad hanc causam, nihil tribui debet, quid de hominum traditionibus dicemus, quibus ferè omnia ea opera nituntur, quibus hodie sese venditant, qui optimi & iustissimi videri volunt? Atqui constat illas iam olim Dei sententia damnatas esse cum toto cultu, qui secundùm eas instituitur. Arguit etiam locus iste eorum errorem, qui toti circa res externas occupantur, deq́ illis non solùm disputationes, verumetiam contentiones grauissimas non sine publico scandalo instituunt. Quales sunt, qui de reali corporis Christi præsentia in Cœna, deq́ eiusdem corporali manducatione, quæ ore fiat, contendunt. Quid verò omnes illi Christo respondebunt, qui corpus suum ideo ex terris hisce in cœlos subuexit, vt Spiritui suo locus sit, neq́ nos ex corporis eius præsentia pendeamus? Quin ergo omissis rixis, quæ superstitioni potius quàm pietati seruiunt, in hoc sumus, vt Spiritu donemur, qui Christum in nobis viuificet, nosq́ in eius vijs dirigat?*

Ioan. 16.

Comparatio Legis & Euangelij. *Porrò accedit Paulus ad amplificandam & extollendam ministerij Euangelici dignitatem contra pseudoapostolos, qui apud rerum imperitos multa magnificè de Lege garriebant: & quantum ex*

tum ex hoc loco colligere licet, vrgere imprimis solebant illius promulgationem terroris, gloriæ & maiestatis plenam, & quæ de facie Mosis noua luce coruscante dicuntur, quam is ex familiari colloquio cum Deo retulit. Quod autem ex eo colligebant, Legem videlicet adhuc doceri, neq; Euangelio inferiorem æstimari debere, id per Concessionis speciem validissimè confutat. Nam omnium quæ sequuntur, hæc summa est: Fateor quæcunq; de Legis gloria & dignitate dicuntur, neque is ego sum, qui eam, ceu inutilem aut noxiam, cum ignominia abijci velim: sed si cum Euangelio conferatur, hoc multò gloriosius & præstantius esse dico, & proinde huius ministerium maiorem habere dignitatem, neque Mosaico aut Legali ministerio postponi debere: quin potius hoc nobis agendum esse, vt Lege, quæ iam ceu emerita suum finem attigit, cum honore sepulta, Euangelium emineat & triumphet, &c. Ista verò eleganti & multiplici comparatione illustrat atque confirmat. Exod. 19. & 34.

Primum comparationis huius membrum est: Quòd si mortis ministerium literis informatum in saxis, fuit gloriosum, adeò vt non possent intueri filij Israël in faciem Mosis, propter gloriam vultus eius, quæ abolenda erat: quî non potius ministerium Spiritus erit gloriosum? Legem ministerium mortis dicit, quia præuaricationis causa (vt Augustini verbis vtar) posita peccati conuictos sibijpsis relinquit, neq; viribus nouis armat, quibus nos liberemus. Hinc enim non aliud quàm mors sequitur, quam eadem omnibus, qui eius præcepta transgrediuntur, denuntiat. Euangelium verò ministerium Spiritus dicitur, quia Spiritum nobis confert. Cum autem ex vsitata Comparationis regula vitam morti opponere debuisset, Spiritum dicere maluit, vt doceret, nos per Euangelium non obiter modò ex morte liberari, verumetiam Spiritu vitæ donari, vt peccatis defuncti vitam in Christo nouam viuamus, quæ ad cælestis & æternæ possessionem hæreditatis nos deducat. Quantò ergo gloriosior est vita quàm mors, & quantò laudabilius est vitæ restituere quàm occidere, tantò etiam maior est Euangelij dignitas quàm Legis & Legalis ministerij. Facit autem ad huius argumenti amplificationem atq; confirmationem, quòd repetit Legem literis in tabulas saxeas inscriptam fuisse, cùm Euangelium cordibus hominum à Dei Spiritu inscribatur. Quibus adde, quòd lapideæ tabulæ durum quid & crassum denotabant, sicuti insculptio (quod Chrysostomus obseruauit) illam ad solam Iudæorum gentem pertinere docebat: cum Euangelij Spiritus longè lateq; per omnes terras diffundatur. Accedit his, quòd gloria illa & maiestas Legis, quam impostores pseudoapostoli subinde iactabant, in sola Mosis facie reluxit: Euangelij verò effectus per totam hominis Christiani vitam sese diffundit, & per illud ad cœlestem illam gloriam deducimur, cuius specimen & gustum aliquem Christus tribus discipulis in corporis sui clarificatione exhibuit. Matth. 17. Adhæc splendorem istum faciei solus Moses sibi habuit: at Christus, qui in Euangelio prædicatur, omnes in se credentes gloriæ suæ participes facit. Istis verò arguuntur ineptè fastidiosi, qui legales ritus & omnem externum splendorem sic admirantur, vt spiritualem illam dignitatem ferè prorsus negligant, quam nobis Euangelium in Christo offert. Erant tales multi apud Corinthios: & hodie multi audiuntur, quibus Euangelij simplex doctrina sordet, præ pompa illa theatrica & vitreo splendore, quibus Papatus sese ostentat.

1. Lex mortis Euangeliũ spiritus ministerium.

Sequitur alterum comparationis huius membrum: Nam si ministerium condemnationis fuit gloriosum, multò magis ministerium iustitiæ abundat gloria. Faciunt ista ad prioris membri explicationem. Nam ministerium condemnationis vocat Legem, quam prius mortis ministerium dixerat, vt ostendat, illam non petulanter, vt tyranni solent, aliquem occidere, sed de peccato legitimè conuictis sententiam mortis denuntiare. At si huius ministerium fuit gloriosum, quantò gloriosius censeri debet ministerium iustitiæ? Vbi rursus exigebat comparationis lex, vt pro iustitia iustificationem aut absolutionem à peccatis diceret: sed docere vult, nobis per Euangelium non modò simplicem absolutionem, sed ipsissimam IESV CHRISTI iustitiam conferri, quam ita nobis propter fidem in illum Deus imputat, vt tota nostra sit, nosq; propter illam æterna gloria coronemur. Ideo in priori epistola, Christum nobis à Deo iustitiam factum esse dixit. Et infra illum pro nobis peccatum factum dicet, vt nos per illum iustitia Dei efficeremur. Quibus consentit, quòd Ieremias Messiæ nomen fore ait: IEHOVA iustitia nostra. Quia verò visibilem illam gloriam Legis, quæ in eius promulgatione & facie Mosis relucente apparuerat, nonnulli aduersus omnia Ierem. 23.

2. Lex ministerium damnationis Euangelium iustitiæ.

argumenta pertinacius vrgebant, ad huius membri confirmationem adijcit: Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit in hac parte, quoad excellentißimam gloriam. Sensus est: Fuit quidem gloria magna Legis, sed per se considerata: At si illam cum Euangelio conferas, iam nulla erit, sed mox euanescet, perinde vt stella & lucernæ ad Solis exortum suum splendorem occultant. Ita Chrysostomus olim hunc locum exposuit.

3. Lex aboleri debuit, Euangelium manet.

Heb. 9.

Restat tertium comparationis membrum: Si quod aboletur fuit gloriosum, multò magis est gloriosum id quod manet. Habuit quidem Lex vsum suum præclarum, sed qui ad tempus correctionis vsque (vt alibi loquitur Apostolus) durare debuit. Et notum est illud Christi: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, &c. Euangelij verò ministerium firmum immutatumq; manebit vsque ad finem mundi. Quod propter eos obseruari debet, qui nouam indies in Ecclesia rerum mutationem expectant: ex quorum numero olim Chiliastæ fuerunt, qui aureum quoddam seculum & pacem vniuersalem sibi pollicebantur. Sequuntur hoc multi hodie, quorum aliqui Veritatis cognitionem ne Apostolorum quidem temporibus plenè manifestatam fuisse dicere audent, quò facilius figmenta sua quibusuis poßint obtrudere. Atqui Paulus de ministerio loquitur, quod ipse cum alijs Apostolis obibat, & illud mansurum dicit, imò hac nota illud à Lege distinguit, quòd hæc suo tempore debuerit aboleri. Non est ergo, vt aliquam mutationem vel doctrinæ vel fidei & religionis expectemus. Nam quæcunque fit contra Euangelium, quod olim Apostoli prædicarunt, ea erronea, falsa & noxia est.

Cur Paulus de Lege tam duriter pronũciet?

Porrò in tota hac comparatione non oscitanter obseruari debet, Paulum tam duriter loqui de Lege & ministerio eius, cum non ignoraret, quàm graue hoc esset Iudæis suis & multis alijs, qui per illam iustificari & seruari se posse sperabant. At mouit eum, quòd illam videret tunc temporis præcipuam remoram esse, qua purior Euangelij prædicatio impediebatur. Nam vbicunq; hanc tradebant Apostoli, mox ipsis digreßis obrepebant falsi fratres, qui Legem illi commiscendo Ecclesias turbabant. Oportuit ergo apertè agere, & ficum ficum, scapham scapham dicere. Hinc illa tam grauia Legis epitheta, Ministerium mortis, ministerium condemnationis, formata in saxis, quodq; eam aboleri oportuerit. Debet hoc obseruari in omnibus controuersis articulis, nec eos audiamus, qui nos de Missa, de imaginibus, purgatorio, Papa, indulgentijs & similibus, aut nihil omnino, aut blandè atque molliter dicere vellent. Atqui hæc illa sunt, quibus multi in superstitionum tenebris detinentur, &c. Liberè ergo dicendum, quòd à Deo auocent, Christi merito derogent, & exitium afferant. Si enim hoc licuit Apostolis de Lege dicere, quam olim Deus tanta cum maiestate & gloria promulgauerat, quis nos iure accusabit, si idem de hominum traditionibus pronuntiemus?

Euangelij dignitas & vsus.

Admonet præterea nos locus iste de Euangelij dignitate & eius vsu. Est ministerium Spiritus & iustitiæ, cordibus inscribitur, vitam confert, durat denique & manet in æternum, & ipsi Lex Mosis quantùmuis gloriosa cedere debuit. Quantò magis igitur philosophia, Canones, traditiones, Concilia & omnis generis decreta, quæ ab hominibus conduntur? Nec tibi persuadeas aliquid in eo vtiliter nouari aut mutari posse. Non mixturam, non assumentum vllum patitur. Et qui seruari volunt, per CHRISTVM IESVM seruentur oportet. At is sibijpsi semper constat, & idem est hodie, heri & in seculum. Interim officij sui diligenter meminerint Christiani homines. Si enim Spiritum vitæ accepimus, non decet nos vt ad priorem νεκρότητα (vt Chrysostomus loquitur) id est, mortalitatem relabamur, sed vt vitam nouam in Christo viuamus studendum est. Quid multis? Agnoscamus Dei beneficium, qui nouißimis hisce temporibus Euangelium Filij sui IESV CHRISTI manifestare dignatus est. Huic credamus, & eidem adhæreamus, qui etsi cum Iudaismo gentilismum quoque sustulerit, ipse tamen idem semper manet, neque vlli mutationi est obnoxius. De hoc enim Pater pronuntiauit: Ego constitui Regem meum super Zion montem meum sanctum: & huic vaticinio Angelus succinens, dicit: Et Regni eius non erit finis. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Luc. 9.
Act. 4.
Heb. 13.

HOMILIA XIII.

Itaque cùm eiusmodi spem habeamus, multa in loquendo libertate vtimur: Nec sumus sicut Moses, qui imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filij Israel in finem eius quod aboletur. Itaque occalluerunt mentes eorum. Nam vsque in diem hodiernum, in lectione Veteris testamenti, manet non retectum velamē illud; quod per Christum tollitur. Quin ad hunc vsque diem, cùm legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est. Postquam autem conuersus fuerit ad Dominum, tolletur velamen.

Præcipua causa errorum atque vitiorum, quæ in Ecclesiam Corinthiorum irrepserant, hæc fuit, quòd non rectè sentirent de Euangelij prædicatione, quam Paulus illis bona fide & simplici perspicuoq; dicendi genere tradiderat. Mali verò huius primi authores erant, qui totum Noui testamenti ministerium extenuabant, & partim humanæ rationis figmenta, partim Legis Mosaicæ doctrinam, qualis tunc inter Iudæos tradebatur, cum Euangelio miscebant. Loquebantur hi magnificè de Lege, quanta in eius promulgatione maiestas eluxisset, & imprimis hoc apud rudiores vrgebant, quòd Mosis facies ex colloquio cum Deo fulgorem radiantem cōtraxisse scribitur, quem filij Israel propius intueri non potuerint. Itaq; non absq; causa Paulus de Euangelij doctrina & toto Noui testamenti ministerio prolixè ac diligenter disserit, & nuper eleganti comparatione docuit, huius dignitatem multò excellentiorem esse, quàm olim Mosaici fuerit. Id nunc ad causam, de qua ipsi cum æmulis controuersia erat, propius applicans, demonstrat, quantò præstantior sors sit tam ministrorum quàm omnium credentium Noui testamenti, quàm olim Mosis & populi Israelitici fuerit. Ea verò occasione in Legis abusum digreditur, & simul scandalum remouet, ad quod multi offendebant, quando Iudæos videbant indomita planè & incurabili contumacia Christum persequi & eius Euangelio contradicere.

Connectit autem locum hunc cum ijs quæ proximè præcesserunt, dum ex ijs sic infert: Itaque cum eiusmodi spem habeamus, multa in dicendo libertate vtimur. Quæ verò illa spes? Nimirum quòd Euangelij doctrina semper ad finem mundi vsque duratura sit, neque vnquā cessaturum eius ministerium. Ea spe (inquit) freti, tam multa aut magna in dicendo libertate vtimur. In Græco habetur παῤῥησίᾳ, quæ vox propriè libertatem dicendi significat. At quia huic coniuncta esse solet fiducia & perspicuitas, vt apertè quod res est dicatur, voluit hæc omnia Paulus vna voce complecti, & simul ijs respondere, qui ipsius in dicendo libertatem atque ingenuitatem accusabant. Quasi diceret: Nemini mirum videri debet, nos tanta cum fiducia animi & dicendi libertate Euangelium IESV CHRISTI *prædicare, & ea seuerius apertiusq; corripere, quæ cum illius simplicitate pugnant. Licuit olim Mosi in suo ministerio liberè edicere, quæcunq; à Deo accipiebat. Licuit eidem peccantes durius tractare, & contumaciter aduersus se & ordinem à Deo institutum tumultuantes, non verbis modò acrioribus corripere, verumetiam exemplis horrendis punire: sicuti in aurei vituli consecratione, in seditione Coritica & sæpe aliàs factum fuisse legimus. Cur ergo nobis non idem liceat, qui ministerium à Deo accepimus multò excellentius & præstantius? Aut cur mundi huius & hominum vanissimorum comminationibus nos perterrefieri patiamur, qui Euangelium perpetuò mansurum scimus, vtut hic mundus fremat et tumultuetur?* Vnde Apostolis tanta prædicandi libertas fuerit

Vbi obseruabimus ad omnes Euangelij ministros pertinere quod Paulus de semetipso dicit. Quia enim Deus vult omnis loci & ordinis homines saluos fieri, & in Veritatis cognitionem venire, nihil dissimulare, nihil tectius aut obscurius proponere, nihil ambiguis locutionibus fucare debent ij, quibus Veritatis doctrina credita est. Admonet de eo Christus, qui Apostolos quæ in occulto audierint, per plateas vulgare: & quæ ipsis in aurem dicta sunt, ex tectis publicè omnibus annunciare iubet. Et Isaiæ dicitur: Clama ex gutture, exalta tubæ instar vocem tuam, & annuntia populo meo peccata sua. Neque terreat aliquem mundi potentia & ferocia, qui cùm Veritatis lucem oderit, eius prædicationem vel legibus certis circumscribere, vel omnino impedire et abolere Ministri liberè & apertè loquantur. Matth. 10. Isa. 58.

Ioan. 3. Luc. 12. conatur. Perrumpet enim per omnia obstacula Dei Spiritus, qui in Euangelio sese exerit, & ardeat oportet ignis ille, quem Dominus accensum vult. Stultus omnium iudicio putaretur, qui Austri vel Boreæ spirantis flatus impedire vellet, aut incendij iam grassantis & ipsa tectorum fastigia superantis vim vna aut altera aquæ guttula restinguere. Et tu eos aliquid effecturos putas, qui Spiritus sancti per Euangelium spirantis flatum obturare, & ignis illius diuini atq; cœlestis ardorem extinguere conantur? Etenim Euangelium reuera Verbum illud Domini est, quod omnibus in nihilũ redactis manebit in æternum. Omnis caro fœnum (clamat ex Dei mandato Isa. 40. Isaias) & omnis gloria carnis flos agri. Exaruit fœnum, flos defluxit, Verbum autem Domini Dei Matth. 24. nostri manet in æternum. Quibus consentit istud Christi: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt aut intercident. Est ergo inconsulta planè & impia eorum temeritas, qui Euangelij prædicationem certis finibus circumscribere, aut illius cursum suis machinationibus remorari in animum inducunt. Quid enim illi aliud quàm in cœlum expuunt, & contra stimulum calcitrant, vt sibiipsis ignominiam & exitium accersant? Rursus nimiùm ignaui sunt, qui cùm in tam sublimis ministerij dignitatem à Deo euecti sint, sibi tamen à mundo hoc infelici & mox periturо metuunt.

Velamen Mosis. Quia verò semel in Mosis & Legis mentionem Apostolus inciderat, repetit quod nuper de facie eius fulgente aut coruscante dixerat, cuius splendorem Israëlitæ ferre non potuerunt: vt quoad hunc quoq; maiorem Apostolorum dignitatem esse euincat. Non sumus (inquit) sicut Moses, qui imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filij Israël in finem eius, quod aboletur, &c. Quasi diceret: Ne mihi Mosem obieceritis & ex facie eius emicantes fulgoris cœlestis radios. Quid enim hoc Israëlitis contulit? aut quæ nam fuit splendoris illius vtilitas? Nulla sanè. Quin potius oculos illorum perstrinxit, vt illum non possent coràm intueri. Itaque ei velo opus fuit, quo ad populum verba facturus faciem suam tegeret. At nos non ita agimus, qui facie retecta & voce libera IESVM CHRISTVM prædicamus, longè maioris atque salubrioris claritatis seu gloriæ Mediatorem, &c.

Christianorũ conditio potior quàm Iudæorum. Istis verò simul docet, quantò melior feliciorq; sit conditio Christianorum in Nouo testamento, quàm olim Israelitarum sub Mose fuerit. Illis velo opus fuit, quia non potuerunt intueri in finem eius quod aboletur. Id verò de Lege dicitur, quam abolendam fuisse nuper dixerat, & cuius finem, id est, verum legitimumq; vsum Israelitæ videre siue intelligere non potuerint. Est autem finis Legis Christus, & proinde vsus illius est, vt pædagogi instar nos ad hunc deducat: sicuti in Galat. 3. epistola ad Galatas prolixè docetur. At nos (inquit) Christum coràm cernimus, & eundem absq; omni inuolucro omnibus spectandum proponimus, vt finem & summam felicitatis suæ & salutis æternæ videant atq; intelligant. Ita verò demonstrat, libertatem illã dicendi, qua Euangelij præcones vtuntur, si rectè æstimetur, nemini molestam, sed ipsis quoq; auditoribus vtilem esse, qui per eam ad Christum adducuntur, vt in eo felicitatis veræ & æternæ participes fiant. Est præterea hoc non vulgare diuini fauoris argumentum, quòd apertè & liberè per ministros suos ille nobiscum loquitur. Beati ergo qui patienter ferunt, & quæ dicuntur ad suam institutionem accommodant, vt in melius indies proficiant.

Scandalum ex Iudæorum cæcitate nascens tollitur. Cæterùm non ideo solùm tam diligenter de Mose & Legis ministerio disserit Paulus, vt ministerij Euangelici & Noui testamenti dignitatem supra illud extollat: sed simul aliud quoq; agit, quod non minoris erat momenti: Nam scandalum è medio tollit, quo nullum tunc erat nocentius, & quo fidei in Christum prædicatio magis impediretur. Erat hoc, quòd Iudæi, qui soli hucusque electus ille populus, Dei peculium & regnum illud sacerdotale fuerant, quosque Moses solos gentem sapientem esse dixerat, quibus deniq; promißiones omnes datæ erant, Christum ex ipsis natum adeò non agnoscebant, vt potius eius prædicationi sese hostiliter opponerent: quod Corinthi quoque tanta cum improbitate factum fuisse Lucas scribit, vt Paulus pedum puluere in illos excusso, ad gentes se conuerteret. Eo certè cordatiores quique ita offendebantur, vt existimarent, nimiùm imprudenter facere eos, qui abiecta patria & auita religione, eum vellent Redemptorem & Seruatorem suum profiteri, qui à proprijs gentilibus fastidiretur. Vt ergo scandalum hoc remoueat Paulus, ostendit hanc Iudæorum contumaciam non nouam aut prius inauditam, sed iam olim præfiguratam

guratam esse: idq; per velamen illud Mosaicum docet, cuius mysterium omne diligentius explicat, sic dicens: Itaq; occalluerunt mentes eorum: Nam vsq; in hodiernum diē in lectione Veteris testamenti manet non retectum velamen illud, quod per Christum tollitur. Et mox amplius hoc exponens, per repetitionem addit: Quin ad hunc vsq; diem, cùm legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est: postquam autem conuersus fuerit ad Dominum, tolletur velamen. Quorum omnium hic sensus est: Non est, quòd istorum hominum incredulitas & contumacia aliquem offendat. Si enim quod in Legis promulgatione (de cuius maiestate illi tantopere gloriantur) factum est, diligentius excutiamus, iam tunc cæcitatis illius præludium hoc fuisse patebit, quo Deus toti mundo declarare voluit, quale populi istius ingenium semper futurum esset, & quàm infelix conditio. Dum enim Mosis faciem non potuerunt intueri, & proinde eam velo contegi oportuit, haud obscurè significauit Deus, illos verum Legis sensum & vsum nunquam percepturos esse, sed potius sibijpsis velum oppositurος, quò minus sub Legis inuolucris delitescentem Christum poßint agnoscere. Et quod tunc obscurius adumbratum fuit, nunc reipsa fieri videtis. Manet enim velamen istud vsq; in hodiernum diem non retectum, quoties Vetus testamentum siue Lex istis hominibus recitatur. Vnde verò hoc? Quia per solum Christum illud tollitur, qui sua luce Veteris testamenti vmbras discußit. Quem cùm illi reijciant, velum cordi ipsorum impositum manebit, quoad ad Christum conuersi, in eo verum & germanum Legis sensum atq; vsum videre poterunt. Quare ipsorum in Christo persequendo contumacia adeò neminem offendere debet, vt potius eorum exemplo territi illum amplecti & constanter retinere omnes debeant, ne quid simile cum Iudæis patiantur.

Porrò vt ista nostræ institutioni magis seruiant, diligentius paulo Iudaici populi conditio inspicienda erit. Fuit is (vt antea quoq; diximus) dilectus ille populus Dei, quem primogenitum suum vocat, & in quo cultus sui sedem constituerat. Imò vt olim illis solis Legem suam dedit, ita nostro adhuc seculo eos quasi depositarios & custodes oraculorum Dei esse videmus, sicuti Paulus quoq; ad Romanos fatetur. Nam Legis & prophetarum libros penes se habent, ijsdē suo exilio testimonium ferunt luculentum, simulq; eorum temeritatem coercent, quos non puderet Scripturas sacras corrumpere, nisi fraudem illam per Iudæos argui & depræhendi posse scirent. Verumtamen neq; olim vetus illa dignitas illis profuit, neq; hodie eis prodest, quòd in Mosis atq; Prophetarum scriptis dies noctesq; versantur. Olim enim cùm Legem ipsis Deus daret, huius ex monte Sinai concionantis vocē ferre non potuerunt. Iidem Mosis faciem rutilantem timuerunt, vt eam velo contegi oporteret. At velum seruitutis quoq; symbolum antiquitus fuisse, in prioris epistolæ capite vndecimo diximus. Itaq; ex Lege non aliud quàm terrores & metum, adeoq; seruitutis spiritum retulerunt. Accessit his grauius malum, Excæcatio nimirum cum incurabili cordis induratione coniuncta: qua factum est, vt in solam Legis literam intenti, nihil præterea admiserunt, ex quo verum huius sensum atq; vsum addiscerent. Id vero illis exitium attulit, sicuti olim Isaias prædixerat. Nam causa fuit, quòd partim suorum operum iustitiam ex Lege non intellecta statuerunt, partim ex ceremonijs legalibus impunitatem scelerum omnium sibijpsis polliciti securè peccarunt, neq; vllis admonitionibus, imò ne correptionibus quidem, ad resipiscentiæ studium adduci potuerunt. Imò dum veteres promißiones secundùm literam modò intellexerunt, Christum sibijpsis longè alium, quàm is reuera sit, finxere, & proinde eius humili specie offensi sunt, quò minus illum amplecterentur.

Iudæorum infelix conditio.

Rom. 3.

Isa. 6.

Quo exemplo admonemur, quàm periculosum atq; noxiū sit, non rectè æstimare Dei beneficia, & neglecto germano verbi diuini sensu externis titulis confidere aut superbire. Quod enim Iudæis olim accidit, hoc ipsum hodie multos pati videmus. Nam reuelat quidē toti mundo verbum suū Deus: multi verò de eius obscuritate, difficultate, & quòd seipsos extricare nō poßint queruntur. Vnde autem hoc illis accidit? Quia ipsi oculis suis velum obtendunt, dum affectibus se duci patiuntur, & carnis suæ rationes audiunt. Alij enim in Christo regnum terrenum, opes, honores, pacem huius mundi & otium quærunt, vt olim discipuli quoq; fecerunt, neq; alium Christum animo concipiunt, quàm qualis Meßias ille Iudæorum est, quem infelices adhuc hodie expectant. Alij peccandi licentiam & impunitatem desiderant, & ad hanc Christi merito & fidei in illum profeßionē

Proprij sensus fiducia noxia.

non minus, quàm olim circumcisione & sacrificijs Iudæi, abutuntur. Multi cum Euangelio veteres superstitiones coniungunt, & ita nouum illud vinum in vtres veteres recondunt, quibus non potest contineri. Alij doctrinæ veritatis traditiones humanas assuunt, quibus totam deformant, ipsi verò ambidextri fiunt, & in vtrumq; latus claudicant. Hinc ergo noua pro peccatis sacrificia prodeunt, hinc Diuorum intercessio & inuocatio nascitur, hinc purgatoriũ, indulgentiæ, sacra pro defunctis & sexcenta alia instituuntur, quæ singula IESV CHRISTI merito derogant, & religionem hominibus auaris atq; indoctis quæstum faciunt. Et isti quidem omnes, si quando admonentur, vt rectius sentiant, atq; aliter res suas instituant, non aliud quàm rationis humanæ argumenta nobis obijciunt, quibus addunt consuetudines, longi temporis præscriptionem, Regum potentissimorum exempla, Pontificum authoritatem, Conciliorum & Patrum decreta, victorias deniq;, quibus superstitiones quasi cœlitus confirmatas esse clamant. Atqui eadem ratione Neronis, Domitiani, Valeriani, Diocletiani & similium exempla adducere poterant, qui omnes Imperij maiestate & triumphis illustres fuerunt, Christi verò fidem hostiliter persecuti sunt. Et miror eos carnificum obliuisci in hoc argumento, qui suam crudelitatem olim in sanctis Martyribus cum totius populi applausu exercuerunt. Ista ergo dum infelices illi vndique colligunt, non aliud quàm vela contexunt, quibus indies magis excæcati tandem in sua contumacia malè pereant.

Salus in sola conuersione ad Christum habetur.

Quid verò faciendũ, ne quid huius nos quoq; patiamur? Docet hoc breui sententia Paulus, quando de Israelitico siue Iudaico populo dicit: Postquam conuersus fuerit ad Dominũ, tolletur velamen. Conuenit hoc quoq; cũ typo veteri. Moses enim quando à populo ad Dominũ reuertebatur, velum deponere solebat: ita nimirum innuente Spiritu sancto, ipsos quoq; absque velo Legis sensum perspecturos esse, si se totos ad promissum patribus seruatorem, & æternum Dei Filium, IESVM CHRISTVM, conuertant. Et huc facit, quod in Lege illis Moses dixit: Disijciet vos Dominus in populos, & reliqui eritis pauci numero in gentibus, ad quas vos Dominus ducet: seruietisq; ibi Dijs, qui sunt opus manuum hominis, nempe ligno & lapidi, qui non vident, neq; audiunt, neq; comedunt, neq; odorantur. Inde tum quæres DOMINVM Deum tuum, atq; inuenies, siquidem eum inuestigaueris toto corde & toto animo tuo, &c. Et Paulus in epistola ad Romanos Iudæis in sola conuersione ad Christum spem salutis reliquam esse docet. Etenim vt probè obseruauit Chrysostomus ea est Legis conditio, vt si ab ea recedas ad Christum, tunc illius sensum verum videre, eamq; tibi salutarem facere possis: sin verò relicto Christo illius literæ intentus in ea sola hæreas, ne ipsam quidem intelliges, & proinde per eam impedieris potius quàm iuuaberis. Debet hoc ipsum nostris quoq; hominibus aptari. Nec enim errorum & superstitionum nocentissimarum finis erit, donec relictis omnibus alijs figmentis, ad Christum conuersi hunc vnum respiciant, vnum hunc audiant, & in illo solo per fidem veram acquiescant. Ita videbunt, illum non opes & huius seculi regna, sed cœlestia bona & æternæ salutis thesauros nobis largiri: eidem quoq; omnem deberi nostræ salutis gloriam: neq; per illius meritum peccandi licentiam & impunitatem inuehi, sed potius argui scelerum atrocitatem. Iidem non mouebuntur etiam porrò hominum authoritate, consuetudine, victorijs, quando omnibus his Christum præstare vident, qui in ipso mundi exordio promissus, in hunc vsq; diem Ecclesiam suam defendit, & omnibus seculis per crucem de hostibus suis triumphauit. Istis ergo intenti Deum assiduè precemur, vt is procul amoto carnis & cogitationum carnalium velo, faciem Filij sui IESV CHRISTI nobis retegat, in qua vna salus & bonorum omnium satietas inueniri potest. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Deut. 4.

Rom. 11.

HOMILIA XIIII.

Dominus verò Spiritus ille est: vbi autem Spiritus ille Domini, illic libertas. Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu.

QVoniam homo natura sua ad malum procliuis est, ijs etiam ad exitium suum abuti solet, quæ saluti ipsius seruire debebant. Exemplum huius rei memorabile in Iudæis habemus. Elegerat hos ex omnibus alijs gentibus Deus, vt suum essent peculium, & ijsdem Legem dederat, quæ & vitæ morumq́ præcepta tradit, & omnia salutis æternæ mysteria continet. Et ne in externis ceremonijs seruilius hærerent, non modò promißiones olim patribus dederat de benedicto illo semine, in quo omnes gentes terræ benedici & seruari oporteat: verumetiam post Legem promulgatam & externum cultum iam probè institutum, Moses illos ad Prophetam illum Magnum remiserat, quem audire debeant omnes, qui seruari velint: & quem non alium esse, quàm IESVM CHRISTVM, Petrus & Stephanus Protomartyr docent. Quid verò illi? Promißionum veterum simul & admonitionis Mosaicæ immemores, & in solam Legis literam intenti, neglecto eius sensu spirituali, qui ad Christum deducebat, totum Legis vsum peruerterunt. Quo factum est, vt extincta apud eos vnici veriq́ Seruatoris cognitione, salutem in frigidißimis ceremonijs & suorum operum iustitia quæsiuerint, seq́ ipsos iustitia simul & omni salutis spe spoliarint, quam Deus in Filio suo, IESV CHRISTO, ipsis offerebat. Factum hoc est non modò Prophetarum tempore, quando omnia adhuc obscuriora & vmbris inuoluta erant: verumetiam manifestato iam in carne Filio Dei, eum hoc nomine persecuti sunt, quòd per eius doctrinã operum Legis iustitiam euerti, & salutis rationem tradi viderent longè aliã ab ea, quam ipsi hactenus secuti fuerant. Et tanta erroris semel concepti vis fuit, vt inter eos quoq́ vix omni studio & labore euelli potuerit, qui audito Euangelio, iam nomen Christo dederant. Nam ex his prodierunt, viuentibus adhuc Apostolis, qui Euangelio Legem miscebant, & operum iustitiam exigendo Ecclesias paßim turbabant. Tales in Corinthiorum quoque Ecclesiam irrepserant, qui vt causam suam facilius obtinerent, Legem magnificè prædicabant, & indignißimum facinus esse clamabant, si ea aboleretur iam, quæ olim tanta cum maiestate à Deo lata fuisset: simulq́ patrum exemplo nitebantur, qui omnes iam multis seculis sub illa vixissent & seruati essent. Diligenter ergo hanc causam agit Paulus, & nuper quidem longè maiorem Euangelij gloriam & dignitatem esse ostendit, neq́ aliquem hìc patrum exemplo defendi posse, quando ne hi quidem per Legis opera seruati, in illis autem præfigurata sit excæcatio illa & contumax incredulitas, quæ hodie adhuc in posteris eorum conspiciatur. Id nunc amplius illustrat, simulq́ docet, quantò felicior sit fidelium Christi conditio, qui per Euangelij prædicationem illuminati sunt, quàm veterum qui sub Mose & Legis disciplina vixerunt.

Sunt autem nonnulla ex ijs, quæ nuper dixit, repetenda. Illic inter alia vno verbo responderat ineptis & superstitiosis Legis admiratoribus, qui in eius litera pertinacius hærebant: Litera occidit, Spiritus viuificat. Vt ergo constet, quis nam sit Spiritus ille viuificans, in præsenti ait: Dominus verò Spiritus ille est. Quasi diceret: Dixi, nos Apostolos non literæ, sed Spiritus ministros esse, & ita omnino fieri oportere, quia litera occidat, Spiritus autem viuificet. Vt ergo rem dilucidius expediam, & ne quid hæreatis, Spiritum illum, cuius ministri sumus, ipsum Dominum IESVM CHRISTVM esse dico. Is literam Legis, adeoq́ Legem totam viuificat, si quis ad illum omnia referat, aut hunc in illam inferat. Dicitur autem Christus Spiritus Legis, quia ipse nos à damnatione Legis liberatos in vitam nouam restituit. Deinde, quia Legi, quæ per carnem nostram infirmatur, vt nos seruare nequeat, ipse succurrit dum sua obedientia id sarcit, quod in nobis desiderabatur, imò quod nobis præstitu erat impoßibile. Ita hoc mysterium Paulus ipse exponit, ad Romanos sic scribens: Siquidem cum impotens esset Lex, eò quòd nihil posset in carne, Deus suo ipsius Filio misso in similitudine carnis peccato obnoxiæ, etiam de peccato condemnauit peccatum in carne, vt ius illud Legis compleatur in nobis. Quò etiam referri potest, quòd chirographum Legis, quo nos damnabamur, cruci affixum proprio sanguine deleuisse scribitur, adeò vt iam nulla condemnatio illis timenda sit, qui ipsi per fidem veram sunt insiti. Et huc facit etiam, quod in præsenti addit: Vbi autem Spiritus ille Domini, illic libertas, scilicet à metu siue terrore Legis, peccati, damnationis & mortis. Cur enim peccati seruus posthac dicatur, cuius iustitia Christus est? Cur damnetur is, quem Dei Filius, cui omne iudicium à Patre datum est, absoluit? Cur mortem timeat, aut huic obnoxius dicatur is, cuius vita in Christo est

Spiritus Legis est Christus.

Rom. 8.

Colos. 2.

abscondita? Videtur autem in præsenti hanc particulam ijs opponere, quæ nuper de velo Mosis & Iudæorum, quod seruitutis symbolum fuit, dixerat. Itaq; docere vult, quòd vbi Christus nobis illucescit, tunc hominum mentes illuminentur, vt se in libertatem Filiorum Dei translatos esse sentiant, & proinde Spiritu adoptionis donati non amplius ex seruili metu, sed voluntarij & alacri animo Deo seruiant: qualem fore Christi populum, olim Dauid prædixit.

Quomodo intelligi debeant Legis encomia.

Itaq; facit locus iste ad explicationem locorum, in quibus Lex magnificè prædicatur, sicuti nuper quædam ex Psalmo 19. adduximus: vbi animam conuertere, imperitis sapientiam subministrare, cor exhilarare, oculos item illuminare dicitur. Ista enim tunc præstat, quando per Christum animatur, qui eius finis, impletio & vita est. Quòd si hunc ab ea remoueas, tunc non aliud agit, quàm quòd peccatum arguit, accusat, concupiscentias in carne latentes irritat, mortis reos agit, condemnat, terret deniq;, & in angustias extremas adducit, vt cum Paulo cogamur clamare: Miserum me, quis me liberabit ex corpore mortis huius? Rom. 7.

Libertas vera quæ?

Docemur itaq; horum consideratione, quæ nam vera libertas sit, ad quam omnes homines aspirare debent: Ea nimirum, quæ in vno vindice & seruatore nostro IESV CHRISTO, habetur. Hic solus peccati nexus dissoluit: Solus ex diaboli tyrannide & seruitio tristi asseruit: mortem deuicit vnà cum eo qui mortis habebat imperium. Solus item Spiritu adoptionis donat, & ex seruis peccati filios Dei facit. Deniq; is est, de quo verissimè Paulus alibi pronuntiauit: Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosis absolui, per hunc omnis qui credit absoluitur. Ideo ipse in Euangelio dicebat: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Ioan. 8.

Actor. 13.

Confutantur cultus electitij.

Euertuntur ergo huius loci authoritate omnes superstitiones, & omnes cultus arbitrarij (quas ἐθελοθρησκείας Græci vocant) ab hominibus conficti & instituti, vt per eos peccatorum remissionem & vitam æternam consequantur. Quia enim libertas in solo Christo habetur, vtiq; adhuc peccati & diaboli mancipia sunt, quicunq; illum nondum appræhenderunt, qualiacunq; alia illa sint hominum iudicio, quibus occupantur. Quid, quòd ijdem ferè hominum superstitiosissimorum, imò auarissimorum, aut ventris gulæq; mancipiorum serui sunt vilissimi? Nec enim eorum modò decretis omnibus, vel somnijs potius, obedire, verumetiam eosdem alere, imò saginare, imò diuites facere coguntur. Sic olim Baalis sacerdotū seruus fuit Achab, qui Eliam regni turbatorē iniustè vocabat. Et quàm turpem atq; infelicem tā animæ quàm corporis seruitutem seruiant viri principes, qui Romanis Pontificibus obedire & ab eorū nutu toti pendere solent, vel cæcus videat. Nam ad pedū oscula cernui procumbunt, equū ascensuris ipsi stapedes tenent, prandentibus & cœnantibus ministrant, ex illorum arbitrio bella suscipiunt & gerunt: imò in suæ fidei commissum populum sæuiunt, si ita iubeant Pontifices. Iidem deniq; impuris sacrificis & indoctis monachis peccata sua in aurem confitentur, ijsdem arcana quoq; consilia credunt, & quàmuis Reges atq; Imperatores ab hoc hominum genere non semel proditos esse norint, eorū tamen dolos cauere neq; possunt, neq; volunt. Nec est, quòd obedientiam istā Deo probari putent, idq; tunc imprimis, si ieiunijs, cilicijs alijsq; exercitijs superstitiosis sese macerent. Sunt enim hæc illorū opera omnia mortua, cùm absq; fide fiant: & proinde neq; Deo placere, neq; ijs à quibus fiunt, vitā conferre possunt. Si enim ab ipso Deo lata Lex mortua est & occidit, nisi per Christi Spiritum viuificetur, quantò magis illud de hominū figmentis sentire debemus, quæ Deus iā olim toties damnauit?

Quantò potior conditio nostra sub Christo quàm veterum sub Mose?

Sed ad Paulum redeamus, qui hoc libertatis per Christum nobis partæ beneficium exemplo communi Christianorum illustrat, eaq; occasione docet, quantò præstantior & beatior sit horum conditio, quàm illorum, qui olim sub Mose fuerunt. Nos autem omnes (inquit) retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu. Scio aliquos ista de solis Euangelij administris exponere, sed vt supra de Israelitis omnibus narrauit, quæ horum sub Mose conditio fuerit: ita hîc in omnium fidelium Christi persona loquitur, vt quantùm isti Iudæis præstent, doceat. Itaque hic verborum istorum sensus est: Si durum aut mirum alicui videtur, libertatem illam certamq; salutis fiduciam ad vnum Christum astringere, cogitate quæso diligentius, quæ veteris populi conditio fuerit. Olim solus Moses ingrediebatur nubem, vt cum Domino colloqueretur, & gloriæ eius conspectu frue-

spectu frueretur. At nunc Patre nobis per Christum placatò, omnes credentes in illius conspectum admittuntur, & liberum tutumq; habent ad thronum gratiæ accessum, deinde vulgus Israelitarum ne Mosis quidē splendorem ferre potuit: At nobis licet facie retecta & ab omni velamine liberata ad Deum ipsum appropinquare, & clamare, Abbà pater. Præterea solius Mosis facies splendorem illum & cælestis lucis radios ex colloquio familiariori cum Deo concepit: At nos simul omnes gloriam Domini ceu in speculo intuentes, in eandem gloriam transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Spiritu Domini, id est, Dei Spiritu hoc in nobis agente, qui suam virtutem apertè & euidenter in nobis transformandis exerit. Continet locus hic omnia, aut saltem præcipua Christianæ doctrinæ & salutis humanæ mysteria, & non sine dulcissima consolatione eam dignitatem & gloriam exponit, quæ nobis per meritum IESV CHRISTI parta est, ideoq; singulæ partes propius excuti debent.

Primò enim docemur, veram & salutarem Dei cognitionem non aliunde quàm ex Euangelio percipi posse. Deum enim (vt Ioannes ait) nemo vidit vnquam (nimirum carnis sensu & intellectu ductus) sed Filius ille Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ea nobis manifestauit, quæ ad eum cognoscendum nobis sufficiunt. Idem est splendor & character personæ eius, adeò, vt qui Filium vidit, is simul Patrem viderit. At Filius Dei, IESVS CHRISTVS, in Euangelio se nobis videndum & cognoscendum proponit: illic nobis concionatur, illic miraculosis operibus suam virtutem humana maiorem declarat, nosque de Patris sui voluntate edocet, quoad omnia, quæ nostræ saluti seruiunt, ex quibus certò sequitur non posse non falli & errare omnes eos in Dei cognitione, quotquot Christum ignorant, & extra hunc per humanæ philosophiæ ambages vagantur. Vnde rursus hoc quoq; colligimus, inanes & inutiles esse cultus omnes, quorum institutio & regula non ex solo Euangelio petitur. Nam vt Deum absq; eius cognitione colamus, impossibile est: eundem verò cognoscere nemo poterit, nisi Vnigenitum eius Filium in Euangelio loquentem audiat. Vera Dei cognitio ex solo Euangelio discitur.

Secundò de fine prædicationis Euangelicæ & cognitionis Dei, quæ per illam nobis obtingit, hic locus nos admonet. Est ille, vt ad eandem imaginem gloriæ Dei transformemur. Non ergo mortua & inanis contemplatio hic commendatur, sed viua & efficax, quæ Dei imaginem in nobis instauret. Scimus enim initio secundùm hanc Adamum conditum fuisse: sed amisit eam, quando contra Dei mandatum ex arbore vetita comedit. Itaque peccator & peccati mancipium factus in sua imagine, id est, in vitiosa & corrupta natura, quam ex peccato contraxit, omnes suos filios genuit, & ea ratione peccatum in omnem eius posteritatem deriuatum est. Ergo vt huic naturæ nostræ vitiositati mederetur, & Dei imaginem in nobis instauraret, Vnigenitus Dei Filius in mundum venit: qui vt peccata nostra expiauit, ita in se credentes Spiritu suo donat, & ex Euangelij sui semine renatis in eodem gloriam Dei ita nobis spectandam proponit, vt qui in illam seriò intueuntur, & collatum ipsis redemptionis beneficium diligentius cum fide vera expendunt, ipsi quoque nouis gratiæ Dei radijs illustrati ad primam illam imaginem transformentur, & hunc suum redemptorem æternumq; Dei Filium, IESVM CHRISTVM, vita sua tota referant. Quò Apostolus noster respiciens, ad Galatas dicebat, Viuo, non amplius ego, sed viuit in me Christus: & vitam, quam nunc viuo in carne, per fidem viuo, quæ est in Filium Dei. Vt verò Christiani homines in hac mortali carne Filij Dei imaginem gerunt: ita olim in resurrectione toti glorificabuntur, vt quoad corpus quoque illi conformes & similes efficiantur. De quo idem Paulus ad Philippenses sic scribit: Ciuitas aut municipium nostrum in cælis est, vnde etiam Seruatorem expectamus, Dominum IESVM CHRISTVM: qui transformabit corpus nostrū humile, vt cōforme fiat corpori suo glorioso, &c. Id verò de solis veris & germanis Christianis debet intelligi, non de fucatis aut hypocritis: multò minus autē de sceleratis, qui quam ore profitentur fidem, factis abnegant, & ideo diaboli potius quàm Christi imaginem referunt, dum mentiuntur, furantur, rapiunt, cædes spirant, libidinibus vagis & illicitis diffluunt, blasphemijs, execrationibus, deierationibus, periurijs & dicterijs turpissimis atque scandali plenis toti crepant. Quis enim penes istos libertatem illam esse dixerit, cuius Spiritus Christi author est? Quapropter Apostolus cùm ad Romanos scribens dixisset: Nulla est condemnatio his, qui sunt

Finis Euangelij & cognitionis Dei.

Genes. 5.

Galat. 2.

Philip. 3.

Rom. 8.

in Christo: mox addit per ἐπεξήγησιν: Nempe ijs, qui non secundùm carnem incedunt, sed secundùm spiritum. Item: Si secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini: sed si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Quibus merito hanc quoq; eiusdem Apostoli exhortationem addideris: Precor vos fratres, per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum: Et ne configuremini seculo isti, sed transformemini per renouationem mentis vestræ ad hoc, vt probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta & perfecta.

Rom. 12.

Quomodo trãsformemur ad Dei imaginẽ.

Tertiò, modum quoq; huius transformationis Paulus exprimit, dicens: Ex gloria in gloriam, id est, successiuè, & quasi per gradus. Ergo non vno momento hoc opus tam arduum perficitur, sed incrementis quotidianis constat glorificatio nostra. Vt enim in morbos subitò quidem incidimus, ex ijsdem verò subitò restitui aut conualescere non possumus: ita in hoc spirituali naturæ nostræ vitiosissimæ restitutione fieri consueuit. Imò quoad in carne vixerimus, quæ natura ad malum procliuis est, ad summam illam perfectionem peruenire non possumus. Cernimus enim nunc quasi per speculum, sed ex parte tantum, & quantum nunc satis est: sed profectu quotidiano opus est, vt aliquando in virum perfectum adolescamus: neq; hîc socordiæ locus est, quando in sanctissimis quoq; næuos & labes esse videmus. Arguit hoc eos, qui quasi metam iam attigerint, ignaui cessant, vel etiam à tergo respiciunt. Quia enim ea animæ conditio est, vt otiari aut quiescere non possit, sed in actione sit perpetua, non potest non ad praua opera declinare, nisi eam circa veræ pietatis exercitia perpetuò occupatam teneamus. Agnouerunt hoc sancti omnes, & ideo precantur in Psalmis, vt Deus ipsos confirmare, in semitis suis deducere, & quod in ipsis inchoauerit opus, perficere dignetur. Psal. 51. 25. 119. 90, &c.

1. Cor. 13.

Causa efficiens transformationis.

Postremò causam efficientem huius transformationis Paulus indicat, dum ait: Sicut à Domini Spiritu. Nec enim hæc simplex similitudinis nota est, sed potius rem ipsam exprimit, & transformationem istam ita fieri docet, vt constet eam Spiritus Dei opus esse, non humanarum virium. Ideo Christus, hominem cœlitus renasci oportere, dicebat. Quis enim Deum spectet, quando ne in Solem quidem intueri possumus? Certè ad Angelorum apparitiones sanctissimos quosq; consternatos concidisse legimus. Et cùm corporis vitia, quæ nobis agnata sunt, emendare non sit in nostra potestate, quantò minus naturam totam, quam ex primo parente contraximus mutare licebit? Itaq; Deus hîc manum admoueat opus est. At si Spiritus Domini ad huius imaginem nos transformat, quis obsecro spiritus ille est, qui Francisco, Dominico & alijs ineptissimarum impijssimarumq; superstitionum authoribus similes fieri docet? Euertitur certè hîc omnis superstitionum officina. Nostrum fuerit Dei bonitatem agnoscere, & medijs quibus hic in nobis transformandis vtitur, nos accommodare, omniq; studio ad hunc finem contendere, vt Dei imagine in nobis instaurata, ipsum glorificemus per IESVM CHRISTVM: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Ioan. 3.

CAPVT IIII.

HOMILIA XV.

PRopterea cùm ministerium hoc habeamus, prout misericordiam consecuti sumus, non segnescimus. Sed abdicauimus tegumenta turpitudinis, non incedentes cum calliditate, neq; falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei.



MVLTA hucusque Paulus præclarè dixit in Euangelij commendationem, & hoc Lege Mosaica præstantius esse docuit, eò quòd vitæ & iustitiæ ministerium sit, & plenam tradat IESV CHRISTI cognitionem, per quam nos quoque transformemur ad Dei imaginem, quæ in Adamo collapsa & obliterata fuit. Finis omnium hic est, vt eos in viam reuocet, qui à pseudoapostolis decepti Legem cum Euangelio miscebant, quasi huius doctrina

doctrina ad salutem non sufficiat. Nobis verò eorundem hic vsus esse debet, vt procul relictis omnibus alijs doctrinis, vnum Euangelium audiamus. Si enim Mosis Legem huic cedere oportuit, quis non videat, quàm ineptè & iniquè faciant, qui hominum traditiones ei præferunt, aut saltem æquant? Quia verò de Pauli persona potissimum agebatur, cuius authoritatem aduersarij labefactare studebant, vt facilius omne in Ecclesiam ius & imperium sibi vendicarent, redit nunc ad ea, quæ sub finem Cap. secundi & initium tertij tractare cœperat, & amplius docet, se in munere Euangelico bona fide versatum esse, sic vt nullius doli aut sceleris sibijpsi conscius sit.

Estq́ obseruatu dignissimum Pauli exemplum, cui non satis fuit suæ functionis dignitatem atque præstantiam demonstrauisse, nisi suam quoque in ea obeunda fidem atque industriam omnibus perspectam & testatam faceret. Etenim est quidem magna ministerij Euangelici dignitas, & non temere, qui in eo versantur, legati Domini exercituum dicuntur, & eosdem Dei Filius salem terræ & lucem mundi vocat, domus item suæ dispensatores, adeoq́ seruatores hominum. Sed ad salutem non sufficit, in sublimiori aliquo gradu constitutum esse, sed vt te eo dignum esse reipsa probes necesse est. Ad omnes enim pertinet Christi dictum: Cui multum datum est, ab eo multum exigetur: & apud quem multum deposuerunt, ab eo multum repetent. Itaque quoties ministri de muneris sui excellentia cogitant, tunc simul meminerint, quid ab ipsis requirat Dominus, & quòd olim omnium quæ fecerunt rationem illi reddere cogentur. Transferant hoc etiam ad se, qui magistratum aliquem gerunt. Nam horum quoque dignitas maxima sit oportet, quos Scriptura Deos dicere dignatur. At nisi Deo atque populo eius fideles, adhæc iustitiæ cultores, & strenui iudiciorum Dei vindices sint, graues pœnas dabunt, quas Prophetæ illis non vno loco minantur, & quas multorum exemplis confirmatas esse constat.

Fidem suam in ministerio asserit.

Luc. 12.

Sed Paulum audiamus, qui diligenter ac grauiter exponit, quis & qualis hucusque fuerit in suo ministerio, & qualis porrò futurus sit. Id verò ea ratione facit, vt arrogantiæ suspicionem omnem diligenter declinet. Nam cum ijs, quæ proximè præcesserunt, locum hunc connectens, sic scribit: Propterea cum ministerium hoc habeamus, prout misericordiam consecuti sumus, non segnescimus, &c. Quasi diceret: Non ista in eum finem dico, vt me supra omnes insolenti propriæ dignitatis fiducia extollam. Scio enim mihi non imperium, sed ministerium commissum esse, idq́ ex gratuita misericordia, cùm indignissimus essem, qui vel extremū in Ecclesia locum tenerem, cuius persecutor fueram. Quapropter adeò non efferor aut superbio, vt potius hæc me cura subinde solicitum teneat, ne aliquando segnescam, neue aliquid mea functione indignum committam, quod me cogat latebras quærere, aut ad excusationes confugere, quæ homines probos & ingenuos minus decent. Itaque ab omni astutia & fraude alienus, Verbum Dei sic tracto, vt mihi liceat tam hominum conscientias quàm Deum meæ fidei & integritatis testes appellare. Est autem locus hic admodum insignis, & dignus, quem nunquam non sibijpsis occinant omnes Ecclesiarum ministri: quare singula ex ordine inspiciamus.

Arrogantiæ crimen declinat.

Primum occurrit, quòd Apostolatum siue munus Ecclesiasticum, quod obibat, subinde ministerium dicit. Conuenit hoc cum ijs, quæ Dominus noster IESVS CHRISTVS discipulis suis dixit, quando seruis eos confert expectantibus dominum suum à nuptijs breui rediturum. Sed & ipsa Apostoli vox dignitatem eiusmodi denotat, quæ cum ministerio coniuncta est. Dicuntur autem tales ministri duplici ratione. Primùm, quia Christi serui sunt, qui eos vocat, & ad hanc functionem destinat. Ideò frequenter Paulus in epistolarum inscriptionibus se IESV CHRISTI seruum dicere consueuit: quod ipsum Petrus quoque & Iacobus faciunt. Deinde, quia Ecclesiæ seruiunt, in qua illos Deus vt œconomos & dispensatores constituit. Vnde satis apparet, Ecclesiam non propter ipsos, sed hos propter Ecclesiam institutos esse. Quod vnum abundè sufficit ad arguendam eorum arrogantiam, qui sibi in Ecclesiam ius & imperium vendicant, contra Petri Apostoli admonitionem, qua ne quid huius fiat, grauissimè monuit. Meminerint potius se ministros esse, & quidem Dei gratia esse quicquid sunt, deque officio suo potius faciendo, quam de dominio in hæreditatem Domini exercendo cogitent.

Apostolatus ministerium dicitur.

Luc. 18.

1. Pet. 5.

Debet hoc ipsum in omnibus alijs muneribus atq; dignitatibus obseruari, quæ aliquam habent excellentiæ aut eminentiæ speciem. Nam si rem propius contemplemur, ita Deus res homi-

Functiones omnes ministeria sunt.

num instituit, vt quicunq; in gradu sublimiori sedent, serui potius aut ministri sint, quàm domini: serui (inquam) Dei, qui omnium functionum author atq; distributor est: deinde hominum quoq;, quibus ideò præfecti sunt, vt pro illis vigilent, atq; saluti eorum consulant. Est hoc satis euidens in ijs, qui ad Reipub. gubernacula sedent. Quòd hi excellunt alios, id Dei donum est, qui vt Psal. docet, pauperem ex pulueribus & tenuem abiectumq; hominem ex stercore erigit, vt eum inter populi sui principes collocet. At eorundem hæc summa gloria, & omnis quam habent authoritatis vnica causa est, quòd Dei serui sunt, quales Paulus alibi dicit. Agnouit hoc Constantinus ille Magnus, laudatißimus Imperator, qui in Nicena Synodo hoc potißimùm nomine gloriabatur, quòd se episcoporum σύνδουλον, id est, conseruum posset dicere. Quod autẽ illud munus est, in quo principes viri Deo seruiunt? Illud nimirum, quòd populum suæ fidei creditum regere, ius dicere, bonos tueri, commodis publicis consulere, pacem publicam summo studio conseruare, deniq; toti in eo esse debent, vt omnes Deum sanctè colant, & inter se vitam viuant honestam, tranquillam & pacificam. Quid verò hoc aliud est, quàm publicum totius populi, & simul priuatum vniuscuiusq; seruum esse, qui consilio, auxilio, defensione opus habet? Hæc qui diligentius expendunt, ij certè quiescere non possunt, tamq; abest vt sua dignitate superbiant, aut securi delitientur, vt potius alijs securè dormientibus, aut genio indulgentibus, ipsi vigilent. Vidit ista Rex ille barbarus, qui oblatum sibi diadema diu contemplatus, tandem cum gemitu dicebat: O nobilem & pretiosum magis quàm felicem pannum, quem si quis nosset tot curis & solicitudinibus refertum esse, ne humi quidem iacentem tolleret. Eadem parentum quoque conditio est: qui etsi liberis præsint, eorundem tamen serui sunt, quoad educationis molestias, institutionem, labores & curas, quas vt illis honestè prospiciant, sustinent. De patrefamiliâs certè rectè olim Græcus Senarius pronuntiauit, vnum hunc in domo sua seruum esse: nimirum quòd in eius humeros tota domus cura recumbit. Sic maritus vxoris quidem caput est, sed ita, vt huic seruiat, sicuti caput videndo, audiendo, olfaciendo, cibos per os admittendo, reminiscendo, cogitando, loquendo, toti corpori & singulis in eo membris suum obsequium præstat. Idem de scholarum præfectis, omnibus denique alijs dici potest, qui aliquod ius & imperium in alios obtinent. Estq; hoc singulare bonitatis & sapientiæ diuinæ argumentum, quæ cum nostris ministerijs minimè opus habeat, ijs tamen vti dignatur, simul verò sic res hominum temperat atque moderatur, vt qui in altiori fastigio constituti sunt, pluribus alijs seruiant. Hoc ipsum autem inferioris quoq; conditionis homines officij sui admonet, vt ijs sese obedientes & gratos præbeant, quos ipsis Deus præfecit.

Psalm. 113.

Rom. 13.

Pauli constantia.

Porro ad Paulum reuertamur, qui vt in suo ministerio versatus sit diligenter narrat. Et primò quidem, se non segnescere aut deficere ait. Græca vox significat malis aut aduersis fatigari & quasi vinci, vt à statione nobis credita discedamus. Itaque se in commisso sibi munere constanter perseuerare ac pergere testatur: quod illum reuera fecisse, totus Actorum liber docet, vt iam de ijs nihil dicamus, quæ infra capite vndecimo scribuntur, & quorum in prioris epistolæ Capite quarto meminit. Etenim ab ipso die vocationis suæ agitatus est omni periculorum genere, laboribus aßiduis, peregrinationibus per terras & maria, æmulorum calumnijs, certaminibus item contra falsos fratres, & infinitis alijs casibus, quos ex ordine recensere longum foret. In omnibus tamen vicit, & vt Euangelicæ doctrinæ atque fidei puritatem tueretur, omnibus ea animi constantia sese opposuit, adeò, vt Petro quoque in faciem resisteret, cum illum in Iudæorum gratiam dißimulatione minus ingenua non sine scandalo eorum vti videret, qui ex gentibus crediderant. Vide Galatas secundo Capite.

Ministros Ecclesiæ constantia decet.

Decet eadem constantia & fortitudo omnes Ecclesiæ ministros. Sunt enim innumera, quibus tentantur, inter quæ molestißima illis est ingratitudo eorum, quorum saluti ipsi quàm maximè consultum volunt, & quòd laborem suum ferè irritum & infructuosum esse vident. Hoc certe Eliam olim mouit, vt de fuga cogitaret, imò mori cuperet. Et Ieremias de sua sorte grauißimè conqueritur, vt inter alia dicat: Væ mihi ô mater mea, quòd me peperisti virum litigatorem, & virum controuersiæ vniuersæ terræ. Sed hîc meminisse oportet, nos in Dei ministerio laborare, qui agonothetes simul & remunerator est liberalißimus, & omnibus dici, quod olim discipulo cuidam dixit Dominus: Nemo, qui vbi manum aratro admouit, à tergo respicit, idoneus est ad

1. Reg. 19.

Ierem. 15.

Luc. 9.

regnum Dei. Breue item est tempus illud, quo nobis in hac palæstra cum mundi ingratitudine & contumacia luctandũ est: eos autem, qui in finem vsque perseuerant, immarceßibilis corona iustitiæ manet, quam Deus omnibus præparauit, qui ei fideliter seruiunt. Pertinet hoc ipsum ad Reip. præfectos, quorum eadem ferè sors est, quæ Ecclesiæ ministrorum, vt ingratos & rebelles esse sentiant eos, pro quorum salute ipsi laborant & vigilant. Sed nunquam deerit illis Deus, si in eius gloria tuenda fideles sint. Eius enim promißio est: Honorantes me honorabo. Et exempla sunt in Dauide, Ezechia, Constantino, Theodosio & multis alijs, qui per infinita pericula eluctati immortalem gloriam sibi parauerunt, & nunc cum Christo beati & felices regnant. Obseruent hoc ipsum singuli priuatim in fidei & religionis causa, ne inter persecutionum pericula deficiant. Cur autem se vinci patiantur, quando maior est qui in nobis agit, quàm qui in mundo infelici tumultuatur & furit? Et quantæ illius vires sint, quamq́ efficax consolatio sit, qua suis luctantibus adest, Martyrum multorum exempla docent, qui carnificum quidem manus patientia sua fatigarunt, ipsi verò omnibus tormentis superiores facti sunt. 2. Tim. 4.

Quia verò multi perstant quidem in statione sua, sed interim insyncerius agunt, pergit Paulus, & omnem fraudis doliq́ suspicionem procul abs se remouet, & se in ministerio suo sic versari ait, vt non opus sit ipsi vllis latebris quibus sese aut imposturas suas occultet. Abdicauimus (inquit) tegumenta siue latebras turpitudinis. Sic autem vocat omnes prætextus, quibus qui mala fide agunt, seipsos & consilia sua palliare solent, ne quales sint deprehendantur. Itaque sensus est, se bene sibi conscium nullas latebras quærere, vt quem neque sui ministerij pudeat, neque eorum, quæ hucusque in illo fecerit. Est hoc veræ integritatis argumentum. Vt enim Veritas non quærit tenebras, sed luce delectatur, ideoq́ simplicißima est eius oratio: ita omnes solent: qui Veritati student, & res suas animo syncero atque integro instituunt. Pauli integritas.

Habemus autem in Pauli exemplo communem regulam, quam omnes homines, cuiuscunque sint loci aut ordinis, sequi debent: Nimirum vt ita res suas instituant, ne ipsos alicuius dicti aut facti pudere poßit, neue cogantur ad latebras aut angulos confugere, quos homines minus ingenui, vel potius improbi impostores, quærere solent. Semper ergo sibijpsis occinant: Quid verò si hoc tuum institutum innotesceret? quid si quod nunc instituis, cogitas, facis, alij rescirent? quanta nomini tuo inureretur macula? Adhæc meminerint, Dei oculis abstrusißima quæque patêre, & eundem plerunque suo tempore in lucem proferre ea, quæ bene tecta putabamus: quare veteres olim Veritatem temporis filiam esse dixerunt. At si hoc decet Christianos homines, quid de Apostolicis Romanensibus dicemus, qui in ijs quidem, quæ ad religionem pertinent, fuco inani sese ostentant, interim verò quoad mores in publico helluantur, scortantur, mœchantur, belligerantur, deierant, blasphemijs & diris crepant, idq́ fronte plus quàm meretricia, cùm adeò latere nolint, vt etiam in nequitijs suis glorientur: & ne quid omittant, cùm tales sint, irreprehensibiles tamen & sanctißimi, imò ipsa Sanctitas dici & haberi volunt? Vtinam verò hîc ab omni culpa puri essent omnes, qui Euangelij doctrinam synceriorem profitentur. Christiani sic agant, ne latebras quærant.

Cæterùm exponit seipsum Paulus, dicens: Non incedentes in caliditate, neque falsantes sermonem Dei. Ita suam integritatem asserit, vt simul perstringat pseudoapostolos, qui omnia astutè & fraudulenter faciebant, vt longè alij viderentur plerisque quàm reuera essent. Primò enim, vt Iudæos sibi propitios facerent, qui præcipui erant omnium persecutionum authores, Circumcisionem & Legales ceremonias paßim in Ecclesijs vrgebant: & cùm non aliud quàm otium quærerent, & crucem declinare aut subterfugere cuperent, ij tamen videri volebant, qui Ecclesijs quàm optimè vellent consultum. Astute ergo suis cupiditatibus & studijs priuatis publicam omnium salutem prætexebant, cùm interim alteros illos in seruitutem redigerent, & iugum (vt Petrus dicebat) illorum ceruicibus imponerent prorsus intolerabile. De eo ipse Paulus apertius in Epistola ad Galatas loquitur his verbis: Quicunque volunt speciosi apparere in carne, ij cogunt vos circumcidi, tantùm ne ob Crucem Christi persecutionem patiantur: Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, Legem seruant: sed volunt vos circumcidi, vt de vestra carne glorientur. Deinde simulabant se quoque nihil postulare ab Ecclesijs, interim autem plus emungebant, quàm qui legitimo & ordinario stipendio erant contenti. Adhæc cùm sanctitatis specie sese ven- Pseudoapostolos perstringit. Galat. 6.

ditarent, gulæ tamen & ventris mancipia erant, & per omne genus nequitiæ volutabantur. Ideo Paulus eos alibi canes, malos operarios & concisionem vocat: imò hæc de illis scribit: Complures ambulant, de quibus sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimici Crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus venter, & gloria in dedecore eorum, qui terrestria curant. Denique fucum faciebant imperitis arte dicendi & verborum præstigijs, simulque Euangelij doctrinam adulterabant doctrinæ Legalis additionibus, vt iam sæpe est dictum. Rectè igitur illis Paulus πανουργίαν, id est, astutiam eiusmodi tribuit, qua se in omnes formas vertere, & omnium ingenijs sese accommodare norint. Tales hodie multos est passim inuenire, qui interea ne à calumnijs quidem abstinent, quibus fidos Christi ministros proscindunt, vt his in odium apud Ecclesias adductis, ipsi facilius res suas possint agere. At ista omnia procul abs se reijcit Paulus, vt qui bona fide & ingenuè egerit, atque Euangelium, quod ipsissimum Dei Verbum est, syncerè prædicarit, nullo fuco falsatum aut adulteratum. Confirmationi istorum seruit, quod in priori epistola scripsit: Ego cùm venirem ad vos fratres, non veni cum eminentia orationis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei: Non enim iudicaui me quicquam scire inter vos, nisi IESUM CHRISTUM, eumque crucifixum. Quod item ad Galatas tanta cum libertate pronuntiat: Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Galat. 1.

Philip. 3.

1. Cor. 2.

Quid faciant ministri, ne cogantur latebras quærere.

Docent ista Verbi administros, quid eos facere conueniat, ne cogantur latebras aut tegumenta dedecoris quærere. Abstineant ab omni dolo, & ingenuè dicant agantque omnia. Si enim in prophanis turpe est, ex eodem ore calidam & frigidam efflare, quantò turpius fuerit in diuinis tale quid facere, vbi nullus mendacio aut dolo locus est reliquus? Neque alij Ecclesijs nocentiores sunt, quàm qui dolosè agunt. Olim certè Imperatores & Episcopos, non sine magno Ecclesiarum malo, ambiguis locutionibus ludificarunt Ariani quidam nebulones, qui Sophisticæ potius quàm Veritati studebant. Et quantum nostro seculo in re Sacramentaria nocuerint, dolosi quidam compositores, qui cothurnis verborum vtrique parti fucum facere conabantur, satis notum est. Solent tales dolum sanctum prætexere. Sed nullo dolo opus est Veritati, neque sanctus dici potest dolus, quo illa obscuratur, & qui cum aliqua simulatione coniunctus est. Quicquid enim huius est, id ad diaboli ingenium accedit, quem mendacem atque impostorem esse scimus. Deinde imprimis caueant ministri, ne falsent sermonem Domini. Fit hoc, quando vel humanorum figmentorum paleæ tritico Dominico miscentur, vel Verbum Dei in sensum alienum detorquetur. Faciunt hoc ferè, qui suis potius commodis quàm gloriæ Dei & Ecclesiarum ædificationi student.

Conscientias aliorum appellat testes.

Addit in præsenti Paulus: Sed declaratione Veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei. Id est, non aliam gloriam siue commendationem quærimus, quam quæ ex fideli muneris nobis crediti administratione nascitur. Itaque sic agimus, vt non vereamur ipsas hominum conscientias appellare, & in ipsius Dei conspectu nos quibusuis offerre, vt in nos & doctrinam nostram inquirant, eamque ad regulam Verbi Dei examinent. Quo loco ministri admonentur, quid ipsis spectandum sit, si quando iniquis hominum iudicijs sese premi sentiunt. Accidit id Paulo. Quid autem ille? Num ideo mutata docendi ratione, in posterum omnibus placere studuit? Vel num fuco externo sese occultauit? Nequaquam. Sciebat enim se seruum Christi non fore, si hominibus placere vellet. Hoc ergo curauit, vt quorumuis conscientias, & quidem aduersariorum quoque, suæ fidei & integritatis testes haberet. Id verò facilè obtinere poterat, cùm se Deo probari sciret, qui in omnium conscientias ius habet. Idem olim Mosem, Samuelem, Dauidem & alios Dei seruos factitauisse legimus.

Virtutis vis magna.

Hostium veritatis contumacia.

Magna igitur virtutis vis est, quæ pessimorum quoque hominum conscientias potest conuincere. Exemplum eius rei euidens in Saule habetur, cui Dauidis fides & integritas tot modis perspecta, non modo veri confessionem, verumetiam lachrymas expressit. E contra arguitur his eorum deplorata contumacia, qui cùm intra conscientias suas sese conuictos esse sentiant, adhuc tamen contra Veritatem & eius ministros pugnare pergunt, & furiosorum instar quæuis temere arripiunt, quæ in illos eiaculentur. Faciebant hoc Pauli æmuli, quos plerique ex nostris aduersarijs

sarijs hodie imitantur. Fatentur enim hi nobiscum Scripturas sacras, communem nobiscum habent Symboli Apostolici confeßionem, orationem Dominicam, Decalogum, veterum item Conciliorum Symbola. Neque negare possunt, Dei Filium IESVM CHRISTVM, ideo in mundum venisse, vt nos seruet: imò Diuos cælites hoc nomine colunt, quòd in fide Christi constantes, eam alijs tradiderunt, & pro eadem martyrio coronati sunt. Interim nos hæreticos esse dicunt, & quouis supplicio dignos, qui illorum doctrinam constanter retinemus, nec eo contenti, ipsum Euangelium apertè oppugnant, quòd Diui illi olim prædicarunt, & pro cuius assertione dirißimos exquisitißimorum tormentorum cruciatus sustinuerunt. Ad eam verò insaniam eos iusto iudicio Deus deuenire sinit, vt quoniam affectus suos prauos Veritati & gloriæ Dei anteponunt, excusso simul cum pudore sensu communi, in proprias conscientias peccent. Sed plura de his mox sequentur. Nunc obseruemus diligenter, qua fide Apostoli egerint, & proinde eorum doctrinam totis animis complectamur, neque ideo ei reluctemur, quòd nostris cupiditatibus minus conuenit: sed Deum potius oremus, vt Filij sui, IESV CHRISTI, vera cognitione illuminatos seruet & regat ad nominis sui gloriam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVI.

Quòd si tectum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt tectum est: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosipsos prædicamus, sed CHRISTVM IESVM, Dominum, nos autem seruos vestros propter IESVM. Quoniam Deus qui dixit, vt è tenebris lux splendesceret, is splenduit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis in facie IESV CHRISTI.

ETsi Euangelium, æternum Dei Verbum sit, quo is suam voluntatem nobis reuelat, seque ipsum cum bonis suis omnibus nobis offert, tanta tamen est mundi peruersitas, vt plerique illud fastidiant, multi etiam oderint, eò quòd illud prauis suis affectibus obstare sentiunt. Sunt igitur hîc duo admodum necessaria obseruatu. Primum, vt de eo rectè iudicare discamus: quòd nimirum sit Verbum vitæ, Regni Dei nuntium, lucerna mundi, thesaurus omne in se bonum continens, & margarita illa pretiosa, propter quam omnium facultatum iactura fieri debeat. Alterum, qua fide illud Apostoli tradiderint. Vtrumque Paulus in præsenti tractatione tradit. Hactenus enim ostendit, Euangelium esse ministerium vitæ & iustitiæ, per quod Dei imago in nobis instauretur. Quibus adde, quòd alibi illud potentiam Dei saluificam dixit, & quòd à Petro semen regenerationis dicitur. Nuper verò fidem & integritatem suam, qua in illo prædicando vsus sit, grauiter asseruit. Vbi de eorum, quæ dixit, veritate dubitare non possumus, quando cogitamus, illum ijs scripsisse, & eorum conscientias appellauisse, qui omnia eius calumniabantur. Accedit his, quòd fidem & studium suum Apostoli tot laboribus atque periculis, & tandem mortis quoq; & proprij sanguinis testimonio toti mundo approbauerunt: à quibus omnibus immunes esse poterant, si Dei gloriam & hominum salutem voluissent negligere, aut si aliam salutis rationem extra Christum inueniri posse sciuissent. Quid, quod ipse Dei Filius iniquitatis accusari poterat, si propter Euangelium, quo carere poteramus (vt impij quidam loquuntur) homines innocentes, qui se totos ipsi consecrarant, voluisset periculis tam diris obijcere.

Quid in Euangelij doctrina obseruari debeat?

Rom. 1.

1. Pet. 1.

Sed vt ad præsentis loci explicationem accedamus, poterat aliquis obijcere: Si tam bona fide & absque omni dolo hucusque sermonem Dei prædicauisti, quî fit quòd tuam prædicationem siue doctrinam non omnes recipiant? cur plerique ei reluctantur? cur denique multis non minus tecta & obscura est, quàm Iudæis Lex Mosaica sit, vt tu modò dixisti? Huic ergo obiectioni per Præoccupationem respondet, quæ Concessionis speciem habet: Quòd si tectum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt tectum est, &c. Euangelium suum dicit, non quòd ipse huius author

Euangelium quibus velatū sit?

esset, aut sibi in illud ius & imperium vendicaret, sed per Mimesim ex aduersariorum sententia loquitur, qui illud ea occasione pro ludibrio haberent, quòd Pauli esse dicerent: eorum nimirum similes, qui hodie etiam clamant: Nescimus quale nam sit nouum illud Lutheri & Zuinglij Euangelium, &c. Vt ergo ostendat, ipsum eius nequaquam pudere, sic loquitur sub Concessionis specie, vt modò diximus, & sensus est: Fateor equidem complures esse, qui Euangelium hoc, cuius ego minister sum, non agnoscunt, & in densissimis ignorantiæ tenebris demersi hærent, deq; illius obscuritate queruntur, vel etiam audacter illud reijciunt. Sed istorum cæcitas siue ignorantia illius luci aut splendori nihil derogat. Nam illis solis velatum siue tectum est, qui pereunt, id est, qui ad perditionem destinati sunt, ideoque indigni sunt, quorum exemplo aliquis electorum moueatur: quin potius omnes eo terreri debent, ne illud imitentur. Et mox eosdem describit, qui nam & quales sint: In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, &c. Vocat autem Deum huius seculi diabolum, eadem ratione, qua eum Dominus in Euangelio principem huius mundi dicit: Non quidem quòd reuera Deus sit, aut ius aliquod in mundum habeat legitimum: sed per Catachresim, & eorum respectu, qui toti huic seculo immersi, non nisi terrena curant, & diabolo seruiunt: dum praua carnis desideria sectantur. Sic quorundam Deus dicitur Mammon & Venter, vt nuper ex Epistola ad Philippen. audiuimus. At si propriè loquendum est, scimus Deum vnum esse, ad quem terræ & omnium, quæ in ea sunt, imperium pertinet, & qui idem Dominus est seculorum omnium. Sunt autem in his quædam diligentius consideranda.

Ioan. 14. 16.

Perditionis filij sunt, qui Euangelium non recipiunt.

Primum, quòd perditionis filios eos esse pronuntiat, qui Euangelij doctrinam non agnoscunt, neque recipiunt. Est hoc magnæ fiduciæ argumentum, quæ Paulum de sua doctrina certissimum fuisse docet, & qua omnes eos armatos esse oportet, qui in hoc ministerio versantur. Interim admonemur contemptum Euangelij pertinacem reprobationis signum esse, sicuti è diuerso fides electionis nota est, secundùm illud: Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur eam: item: Qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitã æternam. Etenim in Euangelio vox Christi sonat, per quam se totum ille nobis offert. Et quia idem ille solus nobis à Patre iustitia factus est, & solus eundem nobis placat, sequitur, iram Dei (sicuti Baptista testatus est) super omnes manere, qui illum audire dedignantur, neque in eum credunt. Obseruabis autem, hoc non nisi de pertinaci incredulitate, aut pertinacia incurabili dici, quæ peccatum est in spiritum sanctum. At quia hæc nobis ferè incognita est, nec scire possumus, qualis quisque in posterum futurus sit, non temere de quoquam debemus pronuntiare, sed potius preces pro illis fundere ad Deum, qui nunc increduli sunt, & Euangelio audacius reluctantur. Verumtamẽ certum est, eos qui in finem vsq; increduli esse pergunt, inq; ista contumacia sua moriuntur, simul in eadem æternùm perire.

Ioan. 5. 10.

Ioan. 3.

Excæcationis author quis?

1. Reg. 22.

Deinde de Excæcationis & indurationis istius authore nos locus hic admonet. Est is Deus huius seculi, Diabolus. Alibi Deus ipse excæcare & indurare dicitur: & certum est, diabolum absque huius permissione nihil posse: quod Micheas Propheta Achabo Regi exitium denuntians eleganti visione docuit. Quia autem Dei iudicia sunt iustitia & veritas, probè in tota hac causa tenere oportet, causam excæcationis propriam in nobis esse, qui natura prauis desiderijs ardemus, & terrenis addicti cœlestia negligimus. Itaq; excæcat & indurat Deus, non quòd nouam in nobis malitiam creet, (ea enim nequaquam opus est nobis, qui quanti quanti sumus, nihil quàm peccatum sumus) sed dum iusto iudicio nos nobisipsis permittit, & diabolo tradit, qui in sensum reprobum abreptos pro sua libidine versat. Quod magno nostro merito fieri, exempla docent. Quis enim Pharaonem indignum fuisse dixerit, quem Deus induraret, & in quo potentiam & vindictam suam iustam ostenderet, qui horribiles recens natorum infantium cædes & iniustam in Israelitas meliora de Ægypto meritos tyrannidem, cum impia & Cyclopica illa voce diligentius expenderit: Quis est Iehoua, vt audiam vocẽ eius? Idem de Achabo dicemus, si quæ ante extremum hunc actum ille fecit, consideremus. Eadem postea fuit gentis Iudaicæ conditio, quæ multiplici & scelerato Euangelij contemptu se dignam ostendit, quæ incurabili cæcitate mulctata malè periret. Sic gentes, cùm contempta Dei cognitione, qua is se illis reuelauerat, ex sui ingenij acumine in illius maiestatem altius inuestigare ausi sunt, & eius gloriam cum fœdissimorum animalium imaginibus

Roma. 1.

ginibus

ginibus commutarunt, meritò ab eodem in reprobum sensum traditi sunt, vt nepharijs libidinibus sua quoque propria corpora pollueren. Et si ad nostra tempora accedamus, de nostri quoque seculi hominibus intelligi debet, quod Christus ait: Hæc est condemnatio, quòd Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines tenebras potius quàm lucem. Ioan.3. Quis ergo non dixerit dignos, qui in tenebris pereant? Et huc pertinet, quòd Paulus Antichristo suis dolis & artibus in eos ius fore dicit, qui Veritatis doctrinam ipsis affulgentem nolunt recipere. 2.Thess.2. Propterea (inquit) mittet illis Deus efficacitatem deceptionis, vt credant mendacio: vt damnentur omnes, qui non crediderunt Veritati, sed acquieuerunt in iniustitia. Nulla ergo ratio est, quæ nos Deum vel peccati vel nostræ perditionis authorem facere iubeat. Vt enim nostra sponte peccamus ex propria natura nostræ vitiositate, ita perditio ex nobis est, ex Deo autem salus nostra. Hos.13. Admonent ergo hæc ne oblatam nobis diuinitus Euangelij lucem respuamus, ne idem nobis quoq; contingat. Incredulitate enim & contumacia occasio datur diabolo, vt vel prauis opinionibus de Deo nos decipiat, vel superstitionibus aut sceleribus nos immergat, ad quæ natura nostra plus satis procliuis est.

Et huc facit finis, propter quem diabolus homines excæcat, de quo Paulus sic loquitur: Ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei, id est, Euangelium illud, quo gloria IESV CHRISTI nobis reuelatur. Finis excæcationis. Etenim Satan totus in eo est, vt homines à vera salutis via abductos æternæ perditioni mancipet. At salus nostra à Veritatis Euangelicæ cognitione depẽdet, quod Paulus non obscurè innuit, quando in priori ad Timoth. scribit: Deus vult omnes homines saluos fieri, & in Veritatis notitiam venire. 1.Tim.2. Nam hoc dicendo, Veritatis cognitionem & salutem res coniunctas esse ostendit. Et consentit ei Christus, dicens: Si manseritis in sermone meo, cognoscetis Veritatem, & Veritas reddet vos liberos. Ioan.8. Quò Constantinus respiciens ad Synodum Tyriam scribebat: ὁ τὴν ἀλήθειαν ἀγνοῶν, οὐδὲ τὸν θεὸν ἐπιγινώσκει, id est, qui Veritatem ignorat, is ne Deum quidem agnoscit. Etenim Veritas est ipse æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, in quo promißiones quoq; Dei omnes sunt Etiam & Amen, sicuti in primo Cap. didicimus. Ergo huius cognitioni Satan sese maximè opponit, quod in præsenti Apostolus monet, quando illum homines ideo excæcare dicit, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Et hoc de Christo addit, vt quanta sit excæcationis huius efficacitas ostendat, quando ipsam quoq; Dei imaginem nobis obscuriorem facere potest. Sic autem propriè dicitur Christus, non quòd nuda solummodo Dei imago, non autem reuera Deus ipse sit, sed quòd Patris imago viua est atque essentialis, in qua Deus, qui natura inuisibilis est, se nobis repræsentat & cognoscendum præbet, secundùm illud Euangelistæ dictum: Christus vt Dei imago sit? Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus autem ille Filius, qui est in sinu Patris, manifestauit nobis. Ioan.1. Quò etiam pertinet, quod Paulus de Christo loquens, Deum in carne manifestatum esse scribit. 1.Tim.3. Itaque nemo ex præsenti loco colligat: Si imago Dei est Christus, ergo non est verus Deus. Si enim de essentia sermo sit, perpetuò verum est, quod ille dixit: Ego & Pater vnum sumus. Itẽ, qui me videt, Patrem videt. Nõ credis quòd ego sum in Patre, & Pater in me? Quoad verò pietatis mysterium (vt Paulus loquitur) cui ex æterno Patris decreto destinatus fuit, illius imago dicitur, eò quòd in eo nobis manifesta fiunt, quæcunque ad veram & salutarem Dei cognitionem faciunt.

Porrò quoad præsentem locum, discimus, nullam esse veri Dei cognitionem absque Christo, & proinde ne cultum quidem Dei aliquem esse apud eos, qui illius cognitione destituuntur, quæ ex solo Euangeli[illegible] discitur. Absq; Christo nulla Dei cognitio aut cultus. Docet hoc ipse, apud Ioannem dicens: Qui non honorat Filium, is ne Patrem quidem honorat. Ioan.5. Sufficit hoc ad euertendum omnes aliarum gentium superstitiones, quæ salutem alibi quàm in vno IESV CHRISTO monstrant. Sequitur etiam ex huius loci authoritate, diaboli ministros & seruos esse omnes eos, quotquot Euangelij doctrinæ obstant, ne per eam vera Christi cognitio hominibus manifestetur. Imò ijdem peßimi & nocentißimi generis humani hostes sunt: quia publicæ saluti officiunt, non contenti seipsos perdidisse, nisi plures alios secum in exitium abripiant. E contra & Deo fideles sunt, & publicæ saluti optimè consulunt, qui Euangelij prædicationem promouent, vt Veritatis lux per eam longè lateq; spargatur.

Cæterùm redit Paulus ad asserendam fidem sui ministerij: & quia nuper dixerat, se paratum esse, vt se examini omnium conscientiarum sistat in conspectu Dei; nunc vnde hæc fiducia ipsi fuerit, Vnde tanta Paulo fiducia fuerit?

nascatur, docet. Non enim (inquit) nosipsos prædicamus, sed CHRISTVM IESVM, Dominum, nos autem seruos vestros propter IESVM. Seipsos prædicant, qui non Christi, sed suam causam agunt, dum vel gloriæ priuatæ, vel quæstui student, & ideo sibijpsis discipulos faciunt, non Christo. Id verò faciunt non modò qui à Christo prorsus alieni sunt, verumetiam interdum qui illum semper in ore habent. Ideo hic se in magno illo die multis, qui dicunt, Domine Domine, responsurum ait: Non noui vos, &c. Rursus ergo Paulus hîc pseudoapostolos perstringit, qui cùm etiam ipsi vellent Christi præcones haberi, hoc tamen vnum agebant, vt ipsi supra omnes eminerent, & proinde sectarum manifesti erant authores. Rursus CHRISTVM IESVM prædicare Dominum, est omnes ad hunc deducere, vt eum suum vindicem, redemptorem & Dominum agnoscant, ei vni fidant, vnum colant, seq; totos ei subijciant. Huc ergo respiciens Paulus, ait: Non nosipsos prædicamus, sed CHRISTVM IESVM, Dominum, nos autem seruos vestros propter IESVM: qui scilicet ita vos dilexit, vt me vobis seruum dederit. Huic igitur obedire studeo, & propter hunc facio quæcunque facio, non priuati quæstus aut gloriæ studio. Et hæc illum verè scripsisse, ex eo apparet, quòd solum Christum eis prædicauit, & ne à seipso quidem aliquos denominari voluit, cum in diuersas sectas scindi cœpissent. Ita verò simul stolidam Corinthiorum ingratitudinem perstringit, qui hoc eius studium non agnoscebant; sed ipsum reijcientes, qui eorum seruus esse cupiebat, eos audiebant, qui superbum in illos dominium affectabant, non sine publica eorum ignominia.

Matth. 7.

Ministri solum Christum prædicent.

Rursus autem ministri Ecclesiarum sui officij admonentur. Primum eius caput est, vt non seipsos prædicent, sed vnum IESVM CHRISTVM. Est hoc necessarium valde, eò quòd in illo vno salus habetur, neq; aliud nomen sub cœlo hominibus datum est, in quo nos seruari oporteat. Et qui seipsos quærunt, ne ipsi quidem credere possunt. Vnde Christus Iudæorum sacerdotibus dicebat: Quomodo vos potestis credere, cùm gloriam alij ab alijs captetis, & gloriã, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? Et sanè scribit Ioannes, multos ex principibus credidisse in IESVM, sed non ausos fuisse illum profiteri propter pharisæos, ne ex synagoga eijcerentur. Hic ergo nostriipsius abnegatione opus est, sine qua nihil proficiemus. Deinde meminerint, se ecclesiæ seruos esse, nõ dominos. Gloriatur quidẽ hoc titulo Papa, sed quàm ridiculè, imò quàm scurriliter sub eo toti orbi Christiano insultet, res ipsa loquitur. Seruitium enim Ecclesiæ non inani titulo constat, sed doctrina & aßiduo publica omnium salutis studio: qua de re multa præclarè dicuntur Ezech. 34. Acto. 20. 2. Tim. 4. Finis autem omnium est, vt homines Christo adducantur: ideoq; omnia ministri propter illum facere debent, qui eos gregi suo præfecit. Quid ergo de illis iudices, qui homines perire malunt, quàm suæ existimationi & quæstui aliquid decedere. Itaq; Pauli exemplum imitentur, qui germani Christi serui esse volunt.

Ioan. 5. & 12.

Ministri Ecclesiæ pro Christi seruis agnosci debent.

E contra Christianorum hominum est, pastores suos ita pro seruis suis agnoscere, vt eos simul Christi seruos esse meminerint. Hîc enim multum hodie peccatur, maximè à principibus viris, qui doctores aut Verbi præcones seruorum quidem loco habent, sed eorum, in quos ipsis ius sit, quibus dicendi & tacendi leges pro sua libidine præscribant, vt olim Iudæorum principes, qui Prophetis dicebant: Ne prophetetis, neq; stilletis: Ne videatis, ne contemplemini nobis plana, loquimini nobis blanda, contemplamini illusiones, recedite à via, declinate à semita, facite quiescere à facie nostra Sanctum Israëlis. Hæc & horum similia hodie ex multorum ore audiuntur, qui præcipui Euangelicæ doctrinæ patroni haberi volunt, si quando liberius ob vitia sua corripiantur, aut officij admoneantur. At non eiusmodi seruos Ecclesiæ suæ Christus dedit, qui talium hominum petulantibus edictis aut minis cedant. Et tu quis es, qui in seruum alienum tibi ius & imperium vendicas? Imò qui IESV CHRISTI seruum pro tuo arbitrio loqui aut tacere iubes? Discant potius Christiani homines Ecclesiæ ministros ex Christi maiestate & muneris sui dignitate æstimare, eosq; legatos Domini exercituum esse meminerint.

Amos 2.
Mich. 2.
Isa. 30.

Ministri Dei negotiũ agunt.

Sed rationem reddit Paulus, cur solum IESVM CHRISTVM prædicet, non seipsum, cur item se ipsorum seruum esse profiteatur. Quoniam Deus est, qui dixit, vt ex tenebris lux splendesceret: is splenduit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis in facie IESV CHRI-

STI. *Sensus horum verborum est: Quia non nostrum, sed Dei negotium agimus. Vt enim is olim in creatione mundi, cùm omnem illam massam, Verbi virtute ex nihilo productam, tenebræ occuparent, eodem Verbo lucem è tenebris protulit: ita etiam nunc, cùm ignorantiæ tenebræ totum terrarum orbem occupauissent, ille ipse nostris cordibus illuxit, nosque Apostolos Filij sui cognitione irradiauit: non vt lucem istam salutiferam nobis solis seruemus, sed vt eadem cognitione alij quoque illuminentur in facie* IESV CHRISTI, *in quo scilicet, ceu viua imagine (vt modò diximus) seipsum toti mundo reuelat. Facit ergo ad huius loci expositionem, quod de Pauli vocatione & missione ad gentes in Actis habetur: Ad hoc apparui tibi, vt designarem te ministrum ac testem cùm eorum quæ vidisti, tum eorum in quibus apparebo tibi, eximens te ex hoc populo & gentibus, ad quos nunc te mitto: Vt aperias oculos eorum, vt se conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, &c. Voluit autem in præsenti faciei Christi meminisse, vt in cœpta allusione persistens doceat, nos in Christo plus habere, quàm Iudæi olim in Mosis facie splendente habuerint.* Acto.26.

Testatur autem locus iste, totum Euangelij negotium, cuius administri fuerunt Apostoli, non humanum, sed diuinum esse, & ex æterno Dei consilio siue decreto pendere. In nobis enim nihil quàm tenebras est inuenire: & nisi ille Prophetarum & Apostolorum corda illuminauisset, non habuissent isti quod nobis traderent. Vicissim nisi idem nostris cordibus irradiaret & ea efficaciter traheret, nunquam crederemus. Ergo quicquid habemus diuinæ cognitionis & fidei, id omne gratuitum misericordiæ Dei donum est: quod vnum ad destruendam omnium nostrorum meritorum fiduciam abunde sufficit. Interim seruit hoc ministrorum quoque institutioni, vt meminerint, se quicquid habent cognitionis & donorum spiritualium, habere propter alios, quibus illuminandis studere debeant. Quod personatos illos doctores arguit, qui illuminati & Seraphici dici volunt, & Ecclesiæ candelabra, cùm nemini præluceant, imò laterna fuliginosa obscuriores sint, adeòque (vt Christus de Scribis Iudæorum pronuntiat) cæci sint cæcorum duces. Soletur præterea nos locus hic aduersus audaces hostium Euangelij conatus. Quia enim Deus ministros Verbi sui excitat, & quotidie horum opera aliquos illuminari vult, nemo certè obstare poterit, quò minus fiat, quod ille decreuit. Euangelij negotium, diuinum est. Matth.15.

Sed finis quoque Euangelij exprimitur à Paulo, qui est, vt præbeat illuminationem cognitionis gloriæ Dei. Ita verò loquitur, quia gloria Dei nuspiam clarius & euidentius conspicitur, quàm in Christo, qui per Euangelium prædicatur. In eo enim, ceu in speculo limpidissimo, cernere possumus, quæcunque de Dei iustitia, bonitate, veritate, sapientia, omnipotentia in Scripturis traduntur. Nimiùm ergo & plus quàm aniliter delirant, qui Dei cognitionem ex mutis simulachris petunt, quos laicorum libros esse nugantur. In facie Christi imago Dei inuenitur, non picta aut sculpta, sed viua & efficax in omnibus ijs, qui Euangelium cum fide audiunt. In hunc ergo vnum intenti simus, & in eo nobis oblatam salutem toto corde amplectamur, curemus autem, vt ipsi quoque vita & moribus Dei imaginem referamus, quam æternus eius Filius, IESVS CHRISTVS, *in nobis instaurauit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.* Euangelij finis

HOMILIA XVII.

Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, vt præstantia virtutis sit Dei, & non ex nobis: Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus: persecutionem patimur, sed in ea non deserimur: deijcimur, at non perimus: Quolibet mortificationem Domini IESV in corpore circumferentes, vt etiam vita illa IESV in corpore nostro manifesta fiat. Semper enim nos qui viuimus, morti tradimur propter IESVM, vt etiam vita IESV manifesta fiat in mortali carne nostra. Itaque mors quidem in nobis agit, vita verò in vobis.

Euangelium cur contemnatur?

VT mundus hic in omnibus alijs rebus externo splendore ducitur: ita in religione quoq; & doctrina illum spectare solet. Quæ causa est, quòd Euangelium, etsi non omnibus exosum aut inuisum sit, à plerisq; tamen contemnatur, eò quòd eius præcones nulla huius seculi dignitate illustres, sed plerunq; homines obscuri & contemptibiles, adhæc omnis generis calamitatibus obnoxij sunt. Vix enim credibile videtur humanæ rationi, illos Dei seruos esse, quos hic tot periculis exagitari sinit. Prodest ergo nos in hac causa diligenter institui, ne propter externam speciem, Veritatis & salutis æternæ doctrinam magno nostro malo reijciamus. Etenim semper ratum erit, quod

Marc. 16. æternus Dei Filius pronuntiauit: Quisquis crediderit Euangelio, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Facit autem huc imprimis præsens iste locus, quem ijs, quæ proximè præcesserunt, Paulus commodè subtexit. Multa enim præclarè de Euangelio & ministerij eius excellentia dixerat, & suam in illo obeundo fidem constanter à calumnijs vindicauerat. Id verò multis ridiculum videbatur, quòd Apostoli homines essent vulgo contempti & omnium iniurijs expositi: &

Acto. 9. præ alijs quidem Paulus, de quo Dominus initio pronuntiarat: Ego ei ostendam, quàm multa eum pati oporteat pro meo nomine. Et credibile est, vili & misera eius specie vehementer offensos fuisse Corinthios, qui vt diuites & mercaturæ dediti solent, nihil magnificum ducebant, quàm quod splendore aliquo externo commendaretur. Ideo vt scandalum istud remoueat, diligenter nunc rationem reddit omnium eorum, quæ Apostolis aduersa & tristia accidebant.

Euangelium thesaurus dicitur.

Et primò quidem ingenuè fatetur, quod aduersarij obijciebant, vt Euangelium vulgo contemptum facerent. Habemus thesaurum hunc (inquit) in testaceis vasculis, &c. Thesauri nomine Euangelium intelligit, quod nuper ministerium iustitiæ, gratiæ & vitæ dixit: & alludit ad thesau-

Matth. 13. ri parabolam, qua Christus illud ipsum nobis commendans vsus fuerat. Et sanè thesaurus est, quo nullus sub cœlo pretiosior inuenitur. Nam si huius seculi opes spectemus, hæ non nisi perituris rebus constāt: Euangelium verò bona cœlestia & æterna continet. Opes præsenti solummodo vitæ seruiūt, & ne hanc quidem seruare possunt, quando finis eius appropinquat: imò multis exitio sunt, qui voluptatibus immodicis sese perdunt, vel ab alijs occiduntur, qui pecunijs illorum insidias struunt. Ad æternam verò vitam adeò nihil conferunt, vt eam impediant potius: quia illis plerunque coniuncta est radix omnium malorum auaritia, ambitio, superbia, petulantia morum & quiduis audendi licentia: vel si ista desint, edaces curæ: quæ omnia vt Verbi Dei semen in cordibus con-

Luc. 18. ceptum suffocant: ita viam ad cœlos nobis difficillimam faciunt, sicuti diuitis illius primatis exemplo docemur. Euangelium verò vtriq; vitæ seruit. In præsenti enim inter varia tentationum certamina Christum nobis offert, qui lux & via est, panis est, fons aquæ viuentis est, pastor item non minus fortis ac potens quàm robustus. Idem nos Patri reconciliat: quo fit, vt in eo acquiescamus, & sorte nostra contenti simus: quem quæstum vberrimum esse, Paulus alibi testatur, & quem non alia ratione possumus assequi. Tandem verò, vbi huius vitæ cursum emensi sumus, alacri fide instructos ad ipsum Christum in cœlos deducit Euangelij doctrina, vbi vitam viuemus æternam & nullius indigam. Adde his, quòd opes eripi possunt, Euangelium ita nos Christo vnit, vt nec ipsi ab eo diuelli possimus, nec ipse nos sibi ex manibus suis rapi patiatur. Quis nos se-

Rom. 8. parabit (inquit Paulus) à dilectione Dei, &c? Et Christus: Oues meas nemo potest rapere ex

Ioan. 10. manu mea. Est ergo Euangelium reuera thesaurus nobilissimus, cum quo si totius Orientis gazas, imò quæcunque orbis totus habet, contuleris, hæc præ illo quisquilias, pulueres, imò stercora esse videbis. Ad hunc ergo omnes aspirent, relictis omnibus alijs, quæ infelix hic mundus admiratur.

Apostoli & ministri omnes vasa testacea sunt.

Quoad verò præsentem locum, Apostolos thesaurum istum in vasculis testaceis aut fictilibus gestare ait. Ita vocans corpus hoc, quod è terra sumptum, non corruptibile modò & mortale est, verumetiam dum viuit, varijs casibus atque periculis obnoxium est: adeò, vt si humanæ rationis calculo res æstimetur, millies in die frangi & perire queat. Finis autem Comparationis istius est, Euangelium propter ipsos, qui contempti, miseri & mortales sint, non contemni, sed ipsum in se æstimari debere. Etenim iure stultus diceretur, qui auri thesaurum vel gemmas nobilissimas ideo aspernaretur, quòd in theca coriacea aut lignea eas asseruari cerneret: quantò autem stultior fuerit, qui æternæ ac cœlestis vitæ thesauros fastidit propter Euangelij præconem obscurum atque contem-

contemptibilem? Qui id faciunt, ij certè non meminerunt, qualis in terris hisce Christus fuerit, de quo Propheta in Spiritu dixit: Non est illi forma neque decor: videbimus eum, sed non est ei aspectus, vt cupiamus eum: despectus est, & reiectus inter viros, &c. At simul rationem reddit Paulus, cur ita Deus rem instituerit: Nimirum, vt præstantia virtutis sit Dei, & non ex nobis, id est, vt omnibus constet, omnem illam virtutem atque efficacitatem; quæ per Euangelium non sine totius orbis admiratione sese exerit, non ex nobis, sed ex Deo esse, adeoque totum hoc negotium Euangelicum non humana, sed diuina virtute gubernari conseruarique. Vide similem locum 1. Corinth. 1. Isa. 53.

Est autem hic perpetuus Dei mos, vt res maximas per media contemptibilia perficiat. Quod enim hîc de Apostolis dicitur, hoc in toto humanæ redemptionis negotio obseruatũ esse scimus. Cùm enim fœdus suũ, ex quo illud dependet, instaurare vellet Deus, ad rem tanti momenti Abrahamum delegit, eumq; prius peregrinum & extorrem fieri voluit, ne quid hîc humanæ authoritati posset tribui. Ita cùm populum suum ex Ægypto educere statuisset, ad id Mosis opera vsus est, quem infantem expostitium primò, deinde exulem quoque fuisse scimus. Quid de Maria Virgine & tota domo Dauidis dicemus, cùm illa quidem paupercula, hæc autem contemptissima fuerit, cùm Christus nascebatur: adeò, vt ex nobilissima illa tot Regum stirpe, vix truncus quidam reliquius esse videretur? quod ita fore, olim Isaias prædixerat. Sed & ipse Christus in hoc mundo pauper & contemptibilis vixit, vt multi eius vili specie offensi fuerint. Et vt Apostolos habuit pauperes, contemptibiles & nullius in mundo existimationis: ita Euangelij quoque prædicatio simplex atque humilis, adhæc cum cruce & multis aduersis coniuncta est. Perrupit tamen per omnia obstacula, & obscuri illi serui IESV CHRISTI per mille mortes de toto terrarum orbe triumpharunt. Agnoscamus ergo totum hoc negotium Dei esse, & ideo huic soli omnem gloriam transcribamus, neq; dubitemus de eius voluntate & potentia, qua in posterum quoq; Euangelij doctrinam in terris conseruabit. Facit ergo hoc multum ad confutandum eos, qui Diuos suæ salutis authores faciunt. Peccant enim directè in Dei consilium, qui vilibus & obscuris ministris vti voluit, vt ipsi soli omnis ista gloria cederet.

Deus res magnas per media contemptibilia perficit.

Isa. 11.

Debet etiam hinc generalis doctrina peti, quam omnes sibi applicent. Nam thesaurum hunc pretiosissimum Deus omnibus per Euangelium offert, & idem à nobis sola fide percipitur. At qui nos sumus? Vasa nimirum testacea, de quo vel primi parentis creatio nos admonere potest, quem ex luto factum fuisse Moses scribit. Fragiles ergo sumus, quanti quanti sumus. Anima enim affectibus varijs obnoxia tumultuatur & turbatur: Corpus infirmum, caducum, morborum mille officina, & mortale est. Via totius vitæ lubrica & plena periculi, cum natura ad malum procliues simus, & insuper mundi illecebris & diaboli suggestionibus nunquam non tentemur. Itaque eadem est omnium nostrûm conditio, quæ eorum, qui liquorem aliquem pretiosissimum in testaceo vrceolo aut ampulla vitrea per glaciem ferunt. Quod vt plus quàm paternam Dei bonitatem nobis commendat, qui nobis, cùm tales simus, tantum thesaurum credere dignatur: ita nos admonet, vt cautè agamus, ne vnquam pedes nostri labantur aut offendant: adeoq; (quod alibi monet Apostolus) salutem nostram in timore & tremore operemur. Sunt etenim nimiùm stulti, qui ipsi lubricitates quærunt, dum sese conditionibus periculosis ingerunt, & carnem per se plus satis lasciuientem fouent. Quò enim in sublimiori gradu consistimus, eò maiori cura & studio nobis opus est.

Omnes homines vasa testacea sunt.

Phil. 2.

Porrò ad statum huius loci propius accedit Paulus, vt doceat, propter ipsorum vilem atque afflictam conditionem nihil decedere Euangelio, sed hac ratione illustrari potius Dei potentiam, qua inter tot casus mirificè seruentur. Habet autem totus hic locus tacitam comparationem, qua pseudoapostolos perstringit, qui in otio viuebant, deque multorum fauore atque amicitijs gloriabantur. His enim ista opponit. Quasi diceret: Glorientur illi vt libet, nos nihil horum possumus producere, sed ijs contenti sumus, quæ nobis euentura Christus prædixit: persecutionibus nimirum, exilijs, carceribus, plagis & omni afflictionum genere, quibus indies exercemur. Sed videamus singula.

Apostolorum vilis conditio nihil derogat Euangelio.

Euangelij & ministrorum eius sors in terris. *Primum, In omnibus premimur, inquit: sed non coarctamur, vel in angustias redigimur. Exprimitur hoc membro, quæ Euangelij & ministrorum eius sors sit. Veritas in terris hisce peregrina, & vix aliud magis quàm illa inuisum & exosum est, eò quòd mundus ferè opinione ducitur, & plerique fuco inani sese venditant. Itaque qui Veritatis luce fucum & errores arguunt, ij vbique locorum hostes inueniunt, domi, foris, imò inter intimos & sibi familiarissimos. Et qui lucem istam prorsus extinguere nequeunt, ij saltem hoc agunt, vt in angustum redigant, & arctioribus finibus concludant. Sed est hoc impossibile, quia ignem istum Deus ardere, & Spiritum suum libero flatu omnes terras penetrare vult. Et quod in præsenti Paulus dicit, hoc res ipsa probat. Premebantur Apostoli initiò statim Hierosolymis, ne in nomine IESV prædicarent: nec edictis modò minacibus agebant Sacerdotes, sed carceribus & plagis ignominiosis. Instituta est mox persecutio tam sæua, vt ne domi quidem intra priuatos parietes Christianis tutis esse liceret. Sed adeò non coarctatum est hoc furore incendium istud saluberrimum, vt eius scintillæ vicinam Iudæam, Samariam, Phœniciam illuminarint, & inde per totum orbem dispersæ sint. Idem postea factum est, cùm ne inter gentes Euangelium prædicaretur, Iudæi obstiterunt. Nam adeò nihil profecerunt, vt solus Paulus illius prædicationem ab Hierosolyma in Illyricum vsque extenderit, & eadem viuentibus adhuc plerisque Apostolorum in toto orbe fuerit diuulgata. Poterant hîc commemorari, quæ sub Romanis Imperatoribus acciderunt, sed cùm nostro seculo hoc ipsum fiat, veteribus exemplis non est opus. Agnoscant modò singuli, hoc diuinæ virtutis argumentum esse, qua totum hoc negotium gubernatur.*

1. Premimur, sed non coarctamur.

Rom. 15. Col. 1.

2. Hæsitamus, sed non prorsus hæremus. *Secundò ait Paulus: Hæsitamus, sed non prorsus hæremus. ἀπορεῖσθαι non simpliciter dubitare, sed simul consilij inopem esse significat. Ideo ἐξαπορεῖσθαι supra Cap. primo pro desperare posuit, quod ferè sequitur ex priori, nisi Deus nobis dexter affulgeat. Itaq; sensus huius membri est: Sæpe quidem difficultates obijciuntur, vt carnis rationi nulla euadendi via pateat: sed tunc non vt impij solent, spe abiecta hæremus: quia Deus mox nos extricat, neque supra vires tentari sinit. Tale quid initio statim Damasci expertus fuerat, cùm Aretæ regis præfectus ipsi insidias strueret, vt infra Cap. 12. pluribus dicetur. Docet autem locus hic, non desperandum esse inter pericula, si quando in humanis nulla effugij via apparet. Nam si Deus liberare nos velit, facilè is viam inueniet, cui naturæ quoque leges cedunt. Exemplum eius rei memorabile in transitu Israëlis per mare rubrum habemus. Quid, quòd interdum per hostes nobis opem fert? quod Dauid expertus est, quando Philistæi Saulem ab illius persecutione reuocarunt. Et Persas Iulianum ab Ecclesiæ ternicibus retraxisse, historiæ testantur: & Valentem fidei catholicæ hostem acerrimum, Gotthi perdiderũt, à quibus ille in acie victus, & in tugurio, quò cõfugerat, exustus est. Non dubitemus ergo, tunc diuinum auxilium incipere, quando humanum desinit, vt olim Philo dicebat. Quòd si verò velit Deus nos diutius periclitari, vel etiã periculis succumbere, feramus patienter quod ille dederit.*

1. Sam. 23.

3. Persecutionẽ patimur, sed non deserimur *Tertio dicit Paulus: Persecutionem patimur, sed in ea non deserimur. Facit ad huius membri explicationem atq; confirmationem totus Actorum liber, qui persecutiones Apostolorum perpetuas, & noua subinde diuini auxilij exempla continet: quibus adde, quæ infra Cap. 11. audiemus. At pertinet hoc quoq; ad omnes credentes. Nam omnibus dictum est: In mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Et vt suos omnes ad crucem ferendam vocat Dominus, ita omnibus se tutorem & vindicem fore pollicetur. Id verò præstat, siue liberet ex periculis, seu minus. Nam etiamsi nos perpetuis persecutionibus exerceri velit, semper tamen nobis adest, nosq; in fide confirmat, vt per nos de mundo eiusq; principe triumphet.*

Ioan. 16.

4. Deijcimur, at nõ perimus. *Quartum sequitur: Deijcimur, at non perimus. Simile ab ijs sumptum, qui inter luctandum prostrati aut lapsi, mox iterum in pedes exiliunt, & luctam cum aduersario instaurant. Accidit autem sæpe pijs, vt prostrati & nunquam emersuri videantur: quò pertinet, quod Paulo Lystris accidit: & idem Corinthi se in maximo timore & tremore versatum esse fatetur. Quid, quod infirmitate aliquando vincuntur sancti, vt fidem quoq; vel dissimulent, vel etiam apertè negent? cuius rei exemplum in Petro habemus. Sed tunc illis manum porrigit Deus, & nouis viribus instauratos erigit, vt ad officium redeant. Admonet ergo nos huius membri consideratio, ne tunc quidem nos spem omnem abijcere debere, quando nos victos & lapsos esse sentimus, adeò vt indigni videamur,*

Act. 14. Matth. 12.

quorum

quorum curam Deus porrò habeat. Christus enim non extinguit linum fumigans, neque arundinem quassatam conterit. Imò nostro bono nos aliquid humanitus pati sinit, vt in posterum minus confidentes, ab ipso solo pendeamus, & pugnam fortius instauremus. Et hîc imprimis locum habet quod prouerbio dicitur: Vir fugiens denuo pugnabit: ideoque alios quoque non temerè debemus damnare, quibus simile quid accidit. Isa.42. Matth.12.

Interim meminerimus, toto hoc loco cõmendari Euangelicæ doctrinæ & fidei Christianæ certitudinem, quæ inter tot & tanta pericula propagata, & in hunc vsque diem defensa atque seruata est. Gentium superstitiones nemo vnquam aperta vi persecutus est, quin potius vnanimi totius orbis consensu receptæ & probatæ fuerunt. Eædem tamen manifestato in carne Dei Filio collapsæ sunt, neque eas vel vnanimis populorum consensus, vel Romani Imperij amplitudo & potentia aduersus Euangelij prædicationem defendere potuit. E contra doctrina de CHRISTO IESV, & quæ huic nititur fides, iam inde ab initio mundi persecutionibus obnoxia fuit: durat tamen adhuc, & durabit vsque in finem sæculi. Ista nos consolentur inter turbas & machinationes, quibus mundus hic illam euertere studet. Fidei Christianæ certitudo.

Porrò quod per partes exposuerat Paulus, id nunc summatim comprehendit, dicens: Quolibet mortificationem Domini IESV in corpore circumferentes, &c. Ita verò vocat afflictiones quotidianas, quæ ipsis in horas mortem minabantur, & has eodem sensu mortificationem Christi dicit, quo supra Cap. primo passiones Christi dixerat: Nimirum, quòd ista propter hunc sustinerent, & quòd is sibi factũ putat, quicquid suis fit. Et ita ipse mox exponit: Semper enim nos qui viuimus (scilicet in Christo & ex eius virtute) in mortem tradimur propter IESVM. Et cur hoc? Vt etiam vita IESV manifesta fiat in mortali carne nostra. Dicit autem vitam IESV, viuificam illam virtutem, qua is mortem deuicit, vt per hanc ad vitam cœlestem transierit, in quá nũc regnat atque suos tuetur. Itaque hic verborum istorum sensus est: Nemo nos propter vitæ genus afflictissimum & persecutiones continuas contemnat, aut Euangelium ideo minoris faciat. Quicquid enim patimur, id omne propter Christum patimur: qui vt in nobis affligitur, ita nos sibi conformes facit, simulque suã vitam in nobis manifestat, dum nos adhuc in mortali carne agentes mirificè seruat, & quotidie ex mille mortibus eripit. At hoc dicendo, simul acriter pungit ministerij sui contemptores, quòd nimirum iniuria hæc, qua ipsum & reliquos Apostolos afficiant, in æternũ Dei Filium IESVM CHRISTVM, redundet. Mortificatio Domini Iesu. &c.

Rursus autem hoc etiam loco admonemur, quid de afflictionibus piorũ iudicari debeat? Primò, quòd ipsius Christi passiones siue mortificationes sint. Vt enim corpus affligi dicitur, quando vnum modò membrum vulneratur aut læditur, imprimis autem caput curam membri affecti ad se pertinere putat: ita inter Christum & eius corpus, Ecclesiam, eadem planè est compassionis ratio. Quoties ergo pius aliquis vincitur, cæditur, relegatur, occiditur, toties hæc ipsa Christum pati putemus. Quanta ergo impietas est pios & credentes affligere? quàm infelices item & miseri, qui pios affligendo, Christi iram aduersus se prouocant? Deinde Christo nos conformes faciunt afflictiones eiusmodi. Est hæc præcipua, quæ homini potest obtingere, gloria. Quis enim nolit similis censeri filio Regis, qui in acie periclitatus per honesta vulnera victoriã de hostibus retulit? Tertiò ad gloriam Christi & nostram salutem afflictiones faciunt. Ita enim manifestatur vita Christi in nobis, id est, certò demonstratur, eum reuera viuere & regnare, imò vitæ & mortis esse dominum. Nisi enim is esset, neq; suos in tantis periculis tueri, neq; in medio hostium dominari posset, sicuti de illo Dauid vaticinatur. Nos verò afflictionibus mortificati quoad carnem, per illas ad vitam nouam ingredimur. Pertinet ergo ad huius loci expositionem, quod Paulus ad Colossenses scribit: Mortui estis, id est, dum in hac carne viuitis, mortem quasi circumfertis: Vita autem vestra abscondita est cum Christo in Deo, cuius virtutem nunc quidem experimini: Olim verò quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi, & ceu arca reclusa toti mundo patebit vita & gloria vestra, cuius nobis Mediator est Christus. Consentit his Ioannes Apostolus, sic scribens: Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus: scimus autem fore, vt cùm ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est. Ista ergo nos in tentationibus consolentur, ne iniquis cæci mundi iudicijs moueamur. Quid iudicari debeat de piorum afflictionibus. Col.3. 1.Ioan.3.

Apostolorum labores mūdo fuerunt salutares.

Cæterùm concludit hanc Comparationem Paulus: Itaque mors quidem in nobis agit, vita verò in vobis. Quasi diceret: Quid multis opus est? In nobis nihil quàm mortem cernitis, quæ vt hostis aliquis, omnes vires contra nos exerit, & ad nos opprimendos comites siue satellites suos omnes educit, egestatem nimirum, exilia, vincula, tormenta, famem, & quæcunque excogitari alia possunt. At in his vos spectare decebat, ad quos nam omnis istorum fructus redeat. Ad vos nimirum, in quibus vita agit. Propter vos enim periculis istis exercemur, vt nimirum Verbum vitæ omnibus prædicemus, & eosdem nostro exemplo confirmemus, qui iam ad fidem adducti sunt. Itaq; nostri sunt labores, nostra pericula, nostræ mortes, quas subimus: vos autem istorum omnium fructum percipitis. Sic ipse paulò post exponet: Omnia propter vos, vt gratia illa copiosissima, pluribus gratias agentibus, redundet in gloriam Dei. Subest autem huic clausulæ acris exprobratio ingratitudinis, qua æmuli Paulo afflictiones suas exprobrabant, ex quibus fructus tam luculentus ad ipsos redibat. Causa huius vitij illis præcipua fuit, quòd Christianismum sibi fingerent absque cruce: quæ opinio hodie etiam multos decipit, vt iniquissimè de Euangelij prædicatione iudicent.

Ingratitudo mundi.

Quod autem Paulus de Corinthijs queritur, hoc omnibus ferè accidit, qui aliorum salutem promouere cupiunt. Olim certè non alia Mosis sors fuit. Cùm enim propter Israëlitas, gentiles suos, à Regis gratia excidisset, & cum diuitijs amplissimis honores atque dignitates tantumnon regias reliquisset, vt illos ex dura seruitute assereret, eosdem tamen ingratissimos expertus est, ad quos omnis laborum & periculorum fructus redierat. Idem Prophetæ postea passi sunt, quos publicæ salutis studium mouit, vt periculis atque odijs multorum sese exponerent. Et reliquis Apostolis, perinde vt Paulo pessimam gratiam infelix mundus retulit. Quid ergo miramur, si hodie idem fiat? Fit idem plerunque ijs, qui in repub. administranda fideles sunt. At non propterea segnescere debent, sed potius officium sedulò facere, & spem in Deo collocatam habere, qui in sua vocatione laborantes non deseret, sed propitius illis aderit, vt tandem in ipsis manifestetur vita illa gloriosa IESV CHRISTI Domini nostri: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVIII.

Et quia habemus eundem Spiritū fidei, secundùm illud quod scriptum est: Credidi, & ideo locutus sum: nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur: Scientes fore, vt qui excitauit Dominum IESVM, nos quoque per IESVM excitet, & sistat vobiscum. Nam hæc omnia propter vos, vt gratia illa copiosissima, pluribus gratias agentibus, redundet in gloriam Dei. Propterea nō segnescimus: sed etiamsi homo noster externus corrūpitur, internus tamen renouatur quotidie. Mome̅tanea enim leuitas oppressionis nostræ excellenter excellenter æternū pondus gloriæ conficit nobis: dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna.

QVoniam aliqui Corinthiorum Euangelij doctrinam contemptui habebant, eò quòd Apostolos vbique gentium contemni, & multorum odijs atque persecutionibus obnoxios esse viderent, Paulus nuper multis docuit, hoc adeò nihil derogare Euangelio, vt potius in eo eluceat admirabilis Christi virtus, qui dum ipsos inter medias mortes seruat, apertè testetur, se mortis & vitæ dominum esse, & negotium hoc omne ipsius auspicijs gubernari. Ea autem occasione de seipso & reliquis Apostolis magnificè locutus erat, simulque obiter perstrinxerat Corinthiorum ingratitudinem, qui non agnoscant, laborum & periculorum omnium, quæ ipsi sustineant, fructum ad se pertinere: cùm Apostoli in hoc vnum intenti sint, vt Ecclesias passim Christo colligant, collectas seruent, & ita multos vitæ æternæ participes faciant. At poterant ista à maleuolis accipi, quasi arrogantius loqueretur, & vulgus Christianorum præ se contemneret, vt qui hodie in Papatu

putant se solos spirituales & clerum Domini esse iactant. Ideò in præsenti huius tantæ fiduciæ rationem reddit, sic vt Deo quidem omnem ministerij sui gloriam transcribat, Corinthios verò eiusdẽ victoriæ & salutis socios faciat.

Sic verò orditur: Et quia habemus eundem Spiritum fidei, secundùm illud quod scriptum est: Credidi, & ideo locutus sum: nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur. Dauidis exemplum adducit, ne quis fiduciam hanc dicendi nouam & Dei seruis inusitatam esse putet. Extat locus in Psalmo CXVI. Continet is gratiarũ actionem, quâ Dei laudes celebrat, qui ipsum ex Absolomi & coniuratorum eius manibus liberatum in regnum restituerat. Vtque illustrius sit beneficium istud, magnitudinem periculi describit: Circumdederant me laquei mortis, angustiæ inferni inuenerant me: angustiam & dolorem inueneram. Et in nomine Domini inuocabam: Obsecro Deus, eripe animam meam, &c. Et tandẽ subijcit: Credidi, & ideo locutus sum: cùm affligerer valdè, & cùm dicerem in præcipitatione mea: Omnis homo mendax, &c. Id est, cùm regno & vrbe eiectus, omnes eos perfidos experirer, qui mihi imprimis fidem & obedientiam debebant, nihilominus eam fidem retinui, quòd Deus iustus scelerum vindex, & fidelis suorum redemptor sit, eaque fide suffultus ipsum inuocaui. Hæc nunc sibi accommodans Paulus, ita dicere videtur: Si Dauidi olim in extremis angustijs constituto licuit Deum inuocare, sibique certam polliceri de iniquis hostibus victoriam, cur mihi & collegis meis, Apostolis, non idem liceat? Atqui eundem habemus Spiritum fidei, & proinde idem, quod ille olim dixit, dicere possumus. Voluit autem Spiritum fidei potius quàm fidem dicere, vt huius efficaciam simul atque authorem exprimat: eundem videlicet Spiritum, qui olim in Dauide egerit, ne eius fides in periculis succumberet.

Rationem reddit suæ fiduciæ.

Est ergo idem Spiritus Veteris & Noui testamenti. Obseruari hoc debet propter Manichæos, quorum furores hodie in Anabaptistis sese exerunt, qui Veteris Scripturæ libros & exempla, vt nihil ad nos pertinentia, reijciunt. Atqui easdem nobiscũ promissiones acceperunt veteres, quæ omnes in Christo sunt Etiam & Amen. Pater item omnium credentium dicitur Abrahamus. In vnum quoque Christum illi olim respexerunt; & tandem in venturo collocarunt fiduciam, quam nos in exhibito collocatam habemus. Eadem denique est nostra & illorum hæreditas: quando nos cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno Dei accubituros esse Christus testatur. Quibus adde, quòd in præsenti Paulus eundem Spiritum fidei, quem nos habemus, veteribus tribuit. Ergò quæ cum illis Deus olim egit atque locutus est, ad nos quoque pertinent, vt ex ijs cùm fidei tum vitæ præcepta atque exempla petamus. Simul autem ista docent, quo Spiritu ducantur, qui in periculis alios quàm vnum Deum per nomen IESV CHRISTI inuocant.

Idẽ Veteris & Noui testamenti Spiritus.

Matth. 8.

Exprimitur simul hoc loco fidei ingenium. Hæc totum hominem Deo vendicat, ideoque tam in dictis quàm factis sese exerit, vt Iacobus dicit: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis. Et quia viuum vereque efficax Dei donum, adeoq; verissima hominis ἐντελέχεια est, perpetuo actu sese declarat, & quò magis premitur, eò magis cum aduersaria vi luctatur, & linguas simul atque manus soluit ad ea, quæ nostri sunt officij. Hinc fit, quòd credentes in aduersis ad Deum clamant, & contra crudelissima tyrannorum edicta fidem suam liberè & palàm fatentur. Exempla eius rei in Daniele & socijs habemus, & innumerabilia in Martyribus extant, qui omnes vitam potius inter dira tormenta profundere, quàm à Dei nominis inuocatione abstinere voluerunt. Arguunt hæc nostri seculi Pseudonicodemos, qui confessionem, quæ ore fit superuacaneam esse aiunt, eò quòd fides in corde latens atque seruata ad salutem sufficiat. Fingunt illi fidem, quæ nihil quàm inanis & mortua persuasio est, aut ex proprio cerebro concepta opinio. Atqui aliter Christus docet, qui se pro suis agniturum esse negat, quos sui nominis apud mundum hunc degenerem puduerit. Et notum est illud Pauli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Arguuntur etiam hi, qui in sua functione socordes & ignaui sunt, nec aliquid audent pro gloria Dei & salute publica. Etenim, si fidem haberent, procul dubio intrepidè loquerentur & facerent, quæcunque officij ipsorum ratio requirit.

Fidei ingeniũ.
Iac. 2.

Mar. 8.
Rom. 10.

Quid verò credidit Paulus, quod tam fortem atque intrepidum fecit? Scientes (inquit) fore, vt qui excitauit Dominum IESVM, nos quoq; per IESVM excitet, & sistat vobiscum, &c. Resurrectionis suæ nomine hoc loco liberationem ex periculis maximis intelligit, quæ Cap. primo mor

Quid Paulus crediderit?

tem dixerat. Fiduciam verò liberationis istius concepisse se scribit ex resurrectione Christi, & proinde sensus verborum est: Quoniam scimus Deum Filium suum ex mortuis excitauisse, ex eo firma fide colligimus, eundem nos facilius multo ex quouis vitæ discrimine liberare posse: imò non dubitamus, quin nos iam in medijs mortis tenebris versantes erepturus sit, vt me vobis restituat, & præsentem sistat. Nam propter vos omnia ista fiunt, quibus nunc exerceor, & ideo propter vos quoque liberabor: vt copiosissima illa gratia, id est, præclarum hoc & illustre liberationis meæ beneficium, publica totius Ecclesiæ gratiarum actione celebratum, ad nominis sui gloriam exuberet. Conueniunt his, quæ primo Cap. in eandem sententiam dixit.

Fiducia nostra per Christi resurrectionē confirmatur.

In his autem primo obseruabis, quòd fiduciam suam argumento ex Christi resurrectione desumpto confirmat. Facit hoc secundùm ipsius Domini exemplum, qui quoties cũ discipulis suis de sua morte disseruit, semper eosdem resurrectionis suæ promissione consolatus est. In eandem ergo nos quoque respicere conuenit. Vt enim ea nostræ salutis complementum continet: ita sola scandalo crucis medetur, dum illum voluntarium pro nobis passum esse, adhæc vitæ mortisq; dominum esse demonstrat. Eadem quia mortis terrores discutit, simul animat nos ne vllis periculis succumbamus. Ideò cùm Paulus ad Roman. dixisset: Christus est, qui mortuus est, imò verò, qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam postulat pro nobis: mox lætum illud & plenum consolationis epinicium subijcit: Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio? &c. Roman. 8.

Bonitas Dei, qui suos propter mundum hunc periculis exercet.

Obseruabis præterea, quòd omnia, quæ tam ipse quàm collegæ ipsius Apostoli reliqui patiebãtur, propter Corinthios fieri dicit. Atqui erant illi iam salui ex Christi merito, quem fide apprehenderant. Sed in eo laborarunt Apostoli, vt salutis notitiam indies ad plures alios propagarent, & quos iam Christo lucrifecerant, in officio continerent. Est hoc luculentum φιλανθρωπίας aut bonitatis Dei argumentũ, qui homines sibi amicissimos tot laboribus & periculis exerceri voluit propter mundum hunc, qui totus in malo iacet, vt Ioannes ait. Prouidentiæ item singularis opus est, quòd eos, quos in fide nouit firmiores esse, periculis obijcit, vt in eis primus hostium furor hebetetur, simulque infirmiores fidei & patiẽtiæ exempla habeant, quibus confirmentur. Factum hoc nuper in Gallia, quando Tridentini Concilij furorem in fratres nostros, qui illic sunt, effundi voluit, quòd non ignoraret, quid facturi fuissent alij, quos otij abundantia in fide frigidiores iam fecerat si tempestas illa in ipsos primos fuisset deriuata. Si quid ergo huius alibi quoq; fit, agnoscamus Dei consilium, & fauore atq; precibus nostris prosequamur eos, qui pro communi causa periclitantur.

Gratiarum actio debetur Deo.

Adhæc docemur hoc loco gratiarum actionem deberi Deo pro acceptis beneficijs. Vult enim hic, vt gloriam nominis sui pro virili prouehamus. At quid obsecro illi conferre possumus præter gratiarum actionem, cùm neque ille nostri indigeat, neque nos aliquid ex nobisipsis habeamus? Illa verò, vt de animi nostri pietate testatur, & confessionis species est: ita plures alios exemplo excitat, vt idem faciant. Ideo in Lege Deus sacra eucharistica instituit, & gratiarum actionem publicam sancti in Psalmis vouent, qua nullũ sacrificiũ Deo magis acceptũ & pretiosius esse, Dauid testatur. Christus quoque abolitis omnibus sacrificijs, Cœnam suam mysticam instituit, qua mortem ipsius prædicemus, quo nomine illam veteres Eucharistiam siue Gratiarum actionem, & propter hanc sacrificium quoque dixerunt. At in hac etiam parte plurimùm peccatur. In aduersis quidẽ plurimi ad Deum clamant: at qui liberati beneficium eius agnoscant, pauci sunt. Quid, quòd plerique eius beneficijs abutuntur? Quòd si verò Corinthij simul omnes publicè Deo debuerunt gratias agere, si Paulus ipsis restitueretur, quid nos non debemus Domino, qui hoc nouissimo tempore cum Apostolis ipsum quoque Christum per Euangelij doctrinam nobis restituit, quæ sub Antichristianis tenebris diu sepulta latuerat? Quàm ingens hoc beneficium sit, sentiunt qui adhuc tyrannide pseudocleri papistici premuntur. Ex nobis verò multos satietas iam cœpit, quam fames noua breui discutiet.

Psal. 69.

Christiani non segnescant.

Porrò redit Paulus ad id, quod initio huius Cap. dixit, & ostendit quibus fulcris fidem suam sustentet, vt non succumbat tot tantisque laboribus: & de his quidem sic disserit, vt suo exemplo Corinthios quoque instruat & confirmet. Quæ ergo hic dicuntur, singuli sibiipsis accõmodare debent, vt ijsdem argumentis suam quoque fidem ad constantiam arment. Propositio est: Propterea

non

non segnescimus, id est quicquid aduersi aut periculi incidat, ego tamen non deficio in fide, quò minus perseuerem, & per omnia obstacula eluctêr. Quod verè ab illo dici, totus Actorum liber abunde probat. Atqui hoc imprimis omnes Verbi administros decet, imò vt constantia sese armẽt, plus quàm necesse est: quia infinita sunt, quæ eos tentant, inter quæ præcipuum ferè est Ingratitudo hominum, & quòd se nequicquam laborare putant. Hoc certè Mosem, Eliam, Ieremiam & plures alios fatigauit olim, qui in Dei seruitio præstantissimi fuerunt. Et hodie multos decipit, quòd quid hucusque fecerint & passi sint solummodo respiciunt, non autem obseruant, quid porrò agendum restet. Hinc voces illæ importunæ proficiscuntur: Nos abunde satis laborauimus, satis periclitati sumus, satis diù hoc saxum voluimus. Laborent nunc alij quoque & periclitentur: nos rude donari meremur. At quantò iustius sic loqui poterat Paulus? Sed longè alia eius sententia atque mens fuit, cùm se non segnescere dicat propter ea, quæ hucusque fecerat. Et alibi post innumeros labores, obsecrantibus illum pijs, vt sibi parceret, se non vinciri modò verum etiam mori pro Christo paratum esse testatur. Et quis frugi seruum dixerit eum, qui ipse sibi absque heri sui consensu ferias facit? Sed audiamus rationes Pauli.

Primam nuper ex Christi resurrectione desumpsit, & ea docuit, facillimum esse Deo in media etiam morte suos seruare. Eam nunc expolit, & ita carnis obiectioni respondet: At interim tu laboribus consumeris, & tandem omnino peris. Ostendit ergo nihil periculi subesse, dicens: Nam etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie. Per prosopopœiam in vna hominis Christiani persona duos homines fingit, Externũ & Internum. Externũ dicit, nõ corpus solũ, sed quæcunq; ad hoc spectant, & præsentis vitæ conseruationi seruiunt, qualia sunt, opes, honores, voluptates licitæ, gaudia, integrior hominis valetudo. Internus homo similiter, non anima sola aut spiritus dicitur: sed potius noua illa creatura, quam ex regeneratione habemus, adeoq; ipse fidelis, qui non carnalibus desiderijs seruit, sed totus spiritu Christi regitur, & huic obtẽperat. Quare per Concessionem ista loquitur Apostolus: Fateor sanè, multum mihi interea decedere, quoad corpus & vitæ huius præsentis commoda. Qui enim inter Iudæos diuitijs abundabam, dignitatibus florebam, omnibus charus eram, commodissimè item & hilariter viuebam: nunc bonis exutus incertis sedibus hinc inde oberro, conuitijs multorum proscindor, periculis quotidie nouis obijcior, laboribus frangor, decurrente simul ad suum finem hac vita, de qua mihi porrò non multum polliceri possum. Interea autem internus homo, quoad mentem & nouam, quæ mihi ex regenerationis Spiritu obtigit, creaturam, indies renouatur, dum nouas subinde fidei & spei vires concipio, & ad officium faciendum alacrior fio. Non possum ergo segnescere aut defatigari, cùm me indies robustiorem fieri sentiam. Simile quid infra Cap. duodecimo sibi à Domino dictum fuisse scribit: Sufficit tibi gratia mea: quia virtus mea in infirmitate perficitur.

Afflictiones hominem internum innouant.

Rursus autem commẽdatur nobis hoc loco vsus præcipuus afflictionũ: qui est quòd nos ad vitã cœlestem præparant, inq; ijs instructiores reddunt, quæ ad hanc consequendam faciunt. Quod enim Paulus de seipso dicit, hoc de omnibus Christianis debet intelligi, & facit ad huius loci explicationem quod habetur ad Romanos quinto Cap. Afflictio patientiam parit, patientia autem experientiam, &c: de quò cum alibi dixerimus, eadem hîc repetere non est opus. Hoc tamen in præsenti addimus, quòd vt aurum ex igne splendidius prodit: sic fides afflictionum flammis excocta nos illustriores facit. Singuli ergo hæc sibijpsis applicent, & obseruent Dei consiliũ, qui corpori aut carni vitæ præsentis commoda subducit, vt nos cogat relictis terrenis ad cœlestia aspirare. Sic opes aufert, vt discamus non in his, sed in Deo viuente confidere. Valetudinem corporis affligit, ne ea ad libidinẽ & voluptates illicitas abutamur: sed mẽbra nostra faciamus arma iustitiæ Dei, nosq; totos huic sistamus viuentẽ hostiã. Aduersis nos vndiq; premit, vt huius sæculi pertæsi, animos in patriæ cœlestis desideriũ attollamus. Vinculis & carceribus coercet, vt mens liberius Deũ colat. Deniq; vita ipsa atteritur, vt eam cum æterna & immortali commutemus. Ita enim fieri oportet, quãdo corruptilibis hæc natura ad ἀφθαρσίας id est, conditionis illius incorruptibilis non est capax, quã nobis Christus in cælis parauit. Hæc vt cõsolationem dulcissimã pijs afferunt, ita docent quoq; quàm vani sint impiorum conatus, qui fidei lucem & regnum Dei in credentibus opprimi posse putant tormentis & diris exemplis suppliciorum. Quod enim hîc dicitur, hoc omnium sæculorum exemplis iampridem confirmatum est, & hodie multa fiunt passim, quæ his fidem faciunt.

1. Cor. 15.
Vsus afflictionum.

Finis & effectus afflictionum.

Sequitur altera Pauli ratio, à fine & fructu crucis aut afflictionis desumpta. Momentanea enim leuitas oppreßionis nostræ excellenter excellenter æternum pondus gloriæ conficit nobis, &c. Finem afflictionum nobis lætißimum à Deo propositũ esse docet, quem certò tandem aßequamur. Amplificat verò argumentũ hoc eleganti antithesi. Momentaneo enim opponit id, quod excellentißimè æternum, adeoq; ipsa æternitate (vt sic dicam) æternius est. Leuitati item pondus, afflictioni gloriam opponit. Vere autem momentaneas dicit afflictiones, quia citò præteruolant, neque diu durare poßunt, quando vita ipsa momentanea & (vt Iacobus scribit) vapor est subitò exurgens & euanescens. Simul autem modum exponit, quo comparationem istam ad consolationem aut fidei suæ confirmationem applicet: Dum scilicet non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Et huius quoq; dicti rationem reddit: Nam quæ cernuntur, temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna. Ita verò docet suo exemplo Paulus, quæ Christianorum hominũ meditationes esse debeant. Conferant inter se diligenter conditionem vitæ præsentis & futuræ. Quæcunq; ad illã faciunt, & sub sensum cadunt, temporaria sunt. Transit enim figura mundi huius, & æuum nostrum (vt Dauidis verbis vtar) est quasi non sit, & in imagine vadit homo. Et debet hoc tam de lætis quàm tristibus, secundis & aduersis intelligi. Nihil in hoc sæculo perpetuũ & stabile. Futura autem illa, vt nõ videntur, ita nullis casibus obnoxia sunt, sed æternùm durant. De his Propheta olim pronuntiauit: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, ea parauit Dominus ijs, qui ipsum diligunt. Et Christus thesauri nobis in cœlo repositi meminit, quem neque ærugo & tineæ exedant, neque fures furari poßint. Vsus istorum nobis hic esto, ne propter aduersa stationem nostram deseramus, neue propter huius vitæ commoda aliquid faciamus præter officiũ. Hæc enim euanida sunt, neq; certò constat, quàm diu eis frui poßimus: at quæ ignauis defectoribus paratæ sunt pœnæ, æternæ sunt. De illis enim dictũ est: Vermis eorũ non morietur, et ignis eorũ non extinguetur. Isa. 66. Vide concionẽ Simeonis Seleuciæ episcopi, qua centũ Martyres, qui simul omnes à Sapore Persarum rege occidebãtur, cõsolatus est. Sozomenus. lib. 2. Cap. 10.

Iacob. 4.

Psal. 39.

Isa. 64.

Matth. 6.

Afflictionibus non tribui debet meritum.

Sed priusquam dicendi finem faciamus, propius aliquanto inspici debet locutio qua momentaneam afflictionem æternum pondus gloriæ nobis conficere dicit. Hanc enim quidam intelligunt, quasi afflictionibus gloriam cælestem & vitam æternam mereamur. Sed obseruare oportet, hîc de solis credentibus agi, qui dum affliguntur, Christo conformes fiunt. Nihil ergo hæc ad impios, quibus afflictiones scelerum pœnæ sunt, & nisi resipiscant, infernalium suppliciorum præludia. Quoad pios, hi quidem per afflictiones multas (vt alibi dicitur) ingrediuntur in regnum Dei, nõ autẽ hoc illis merentur. Primò enim non sunt hæ comparandæ cum gloria illa æterna: quæ olim reuelabitur. Deinde regnum cælorum hæreditas est, cuius ius ex regeneratione dependet, & non nisi Dei filijs debetur. Quòd ergo huius sæculi aduersa nobis adiumento sunt ad æternam salutem, id ex eo est, quòd Christus ea suo merito sanctificauit, & propter hunc Deo probatur nostra in his ferendis patientia. Deinde, quòd carnem in ordinem redigunt, ne eius affectus praui nos transuersos abripiant. At si fides desit, ne hoc quidem præstant, sed potius murmuratores faciunt. Itaque vniuersa nostræ salutis gloria vni Deo transcribi debet, qui nos ex gratuita misericordia elegit, & Filium suum, IESVM CHRISTVM, nobis redemptorem dedit, in quo vno habentur, quæ ad salutẽ faciunt. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Acto. 14.

Rom. 8.

CAPVT V.

HOMILIA XIX.

SCimus enim, nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domiciliũ videlicet non manufactum, æternum in cœlis. In hoc enim suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui: siquidem etiam induti, non nudi reperiemur.

ETSI Deus per Euangelij prædicationem miseris mortalibus æternæ salutis thesaurum in Filio suo, IESV CHRISTO, offerat: pauci tamen Euangelium, vt par erat, recipiunt. Caussa inter alias non postrema est, quòd illi crucem & persecutiones coniunctas esse vident. Quia enim carnis ratio Dei fauorem huius seculi commodis metitur, non potest sibi persuadere, eam doctrinam ex Deo esse, Deoq́ probari, cuius ministri & sectatores tot casibus atque periculis exagitantur. Opus itaque est, vt hìc diligenter instituamur, ne publicum hoc scandalum fidei & saluti nostræ officiat. Ideo Paulus, cùm sciret multos ministerium suum propter persecutiones, quibus aßiduè vexabatur, suspectum habere, multis docuit hucusque illas Euangelio nihil derogare, neque se propterea animo frangi. Rationes adduxit: primam, quia ex his pateat, doctrinam hanc diuinitus conseruari: alteram, quia salus nostra aduersis iuuetur atque prouehatur. Nam quantum externo homini decedit, tantum accedit interno. Quibus tertiam adiecit, quòd momentaneæ huius seculi afflictiones sempiternis beatæ immortalitatis præmijs compensabuntur. His modò subtexit diligentiorem huius doctrinæ explicationem, cuius hic status est, vt nos aduersus omnia vitæ huius incommoda atque pericula, fide constanti atq; patientia inuicta armet, simulq́; carnis imbecillitati medeatur, quæ à cruce abhorret, & proinde huius terroribus facilè succumbit.

Sic autem orditur: Scimus enim, nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manufactum, æternum in cælis. Perstat in instituta comparatione vitæ præsentis & futuræ, quæ credentibus in cælo parata est. Et vt nuper duos homines finxit, Externum & Internum: ita nunc duo fingit domicilia, Tabernaculum videlicet, vel domum luteam, & Ædificium solidum, firmum & stabile, quod perpetuò duret. Et per illud quidem, non corpus solum, sed totam hominis in hoc seculo conditionem intelligit: per hoc verò beatum illum tam corporis quàm animæ statum, in quem olim credentes in cælesti patria euehentur. Itaq; sensus verborum est, Non posse se multum moueri cruce & periculis, quæ ipsi mortem perpetuò minentur: eò quòd hæc non aliud sit, quam ruinosi & sordidi tabernaculi destructio, in quo nunc vitam miseram & calamitosam agimus, ex quo item in æterna Regni Dei palatia simus transferendi. Sed vtile fuerit, si verba singula excutiamus.

Præsens conditio tabernaculo, futura domui confertur.

Primò, Scimus, inquit. Vnde verò hæc sciuit Apostolus? Quis enim vnquam (vt prophani homines loquuntur) è cælis rediit, vt ista nobis annuntiaret? Annon ipse scribit, hominem animalem non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei? At Paulus non vt homo animalis, sed vt renatus in Christo, & vt ex fide loquens considerari debet. Hæc enim, quia non carnis sensu, sed Dei Spiritu & verbo ducitur, certa & indubitata notitia apprehendit ea, quæ neq; videntur, neq; ratione humana intelligi possunt. Ideo in epistola ad Hebræos substantia dicitur eorum quæ sperantur, & eorum quæ non videntur demonstratio. Et Petrus cognitionem eiusmodi cum fide coniungit, quando CHRISTVM IESVM publicè confitens, dicit: Et nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, Filius ille Dei viuentis.

Paulus sciuit futuræ vitæ conditionem.

Hebr. 11.

In his ergo apparet discrimen, quod est inter filios Dei, & homines mundo aut carni addictos. Hi sola opinione ducuntur, & nihil certi habent in ijs, quæ ad diuinorum & cælestium bonorum cognitionem faciunt. Argumentum eius rei est, quòd felicitatem sibi pollicentur ex rebus vanissimis, quæ cùm fluxæ & caducæ sint, nihil conferre possunt ad vitam verè beatam: quales nimirum sunt opes, honores, corporis forma & decor, voluptates, vulgi fauor, potentum amicitiæ, quæ omnia in horas mutantur, & suos admiratores turpiter fallunt. Itaque non possunt de certa scientia gloriari, cum exemplis quotidianis confutentur. At germani filij Dei in huius promißiones respiciunt, quæ vt eos ad æterna & cælestia bona remittunt: ita neminem fallunt, cùm omnes iam olim in Christo impletæ sint. Deinde ijdem Dei Spiritu confirmantur, qui salutis arrhabo certissimus est, neq; eos fluctuari sinit. Vide Rom. 8.

Discrimen inter filios Dei et mundo addictos.

Interim hoc teneamus, non satis esse, vt cum alijs dicamus, nos ista scire, sed necesse est, vt vnusquisq; apud se probè persuasus sit, sibi post huius vitæ curriculum, locum in cælis paratum esse, in quo tam corpus quàm anima beatitate vera & æterna fruantur. Alioqui nulla consolatio efficax, nulla spei certitudo esse poterit, quæ animum pacatum & tranquillum reddat. Et no-

Quòd sciunt singuli sibiipsis applicent.

Habak.2. tum est illud Prophetæ: Iustus ex sua fide viuet. Opus ergo est diligenti promissionum Dei consideratione, & huic exempla tùm vetera tum recentia coniungere oportet, vt illas nobis ipsis applicare discamus. Sic Paulum in præsenti facere videmus, vt postea quoque, quando Romæ captiuus mortis supplicium in omnes horas expectabat. Tunc enim verba ista, plenissima consolationis protulit: Ego iam libor, & tempus meæ resolutionis instat: Certamen istud præclarum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus ille iudex: non solùm autem mihi, sed simul omnibus, qui expetierint illustrem illum ipsius aduentum. En sibi peculiariter applicat, quod omnibus pijs promissum & præparatum esse sciebat. Idem Iobus olim fecit, quando communem illam beatæ resurrectionis spem ita ad se restringit, quasi sibi soli dicta sint, quæ de illa suo seculo tradebantur. Quod ipsum Dauid quoque in Psalmo 16. & plures alij sancti fecerunt. Horum itaq; exempla imitemur, neq; fallet nos spes nostra, quæ vt æterno Dei verbo nititur, ita infinitis electorum exemplis confirmata est.

2.Tim.4.

Iob.19.

Futuræ vitæ cũ præsenti consideratio coniungi debet.

Quid vero illud est, quod Paulus sciuit, & quod credentes aut Christiani omnes scire debent? Quæ nimirum sit vitæ præsentis & futuræ conditio. Debet enim vtraq; semper coniungi in ista consideratione. Nam huius vitæ conditionem infelicem, ærumnosam & instabilem esse, gentium quoque philosophi intellexerunt. Heraclitus certè ideò res mortalium continuis lachrymis, Democritus autem risu perpetuo prosequebatur. Alij verò optimum dicebant esse, vel non nasci, vel statim à partu mori. Et Thraces suorum natales deflebant, funera verò ducebant cum gaudio & tripudijs. Sed quia isti omnes futuræ vitæ cognitionem aut nullam omnino, aut saltem non certam neq; solidam habuerunt, præsentis quidem illos tædere potuit, nulla autem futuræ spe fuerunt confirmati. At longè aliter Christiani, qui nõ in præsentibus hærent, sed animos supra terras in cœlum euehunt, & vtriusq; vitæ statum diligentius expendunt. Audiamus ergo nos quoq; Paulum de vtroq; loquentem.

Præsentis vitæ conditio.

Præsentis ergo conditionem terrestris nostræ domus tabernaculum dicit. Theodoretus domus nomine vniuersam vitæ nostræ in terris conuersationem intelligit, per tabernaculum verò corpus hoc significari dicit. Illam verò terrenam dicit, quia vt homo ex terra originem habet, ita terrenis subsidijs ei ad vitam tuendam opus est. Tabernaculi autem simile rem hanc omnem elegantissimè adumbrat, & huic causæ optimè seruit. Nam tabernaculorum vsus est, vbi sedes certas non habent homines, sed hinc inde migrantes, nunc hîc nunc illic tentoria aut tabernacula erigunt. Talis Abrahami, Isaaci & Iacobi vita fuit in terrra Chanaan. Talis Scytharum quoque esse fertur, & Arabum, quos olim Nomades dixerunt, quòd cum pascuis tentoria quoque sua mutarent. Atqui eadem est omnium nostrûm conditio. In terris enim hisce peregrini sumus, neque habemus hîc ciuitatem permanentem aut stabilem, cùm patria nostra in cœlis sit. Quò Petrus respiciens, scribebat: Iustum arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitionem: cùm sciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum meum, &c. Deinde tabernacula, quando primum eriguntur, amœnissima sunt, eadem verò mox marcescunt: Sic vita nostræ initium iucundum est, propter ætatis florem, vires corporis integras, ingenij & memoriæ acumen, & omnis generis voluptates: quibus interdum opes quoque & honores siue dignitates publicæ accedunt. Sed hæc omnia incerta & euanida sunt. Cùm ætate enim formæ decor deperit, vires deficiunt, hebetatur ingenium, diffluit memoria, augentur curæ, labores, morbi, tandemq; dierum saturi (vt Scriptura loquitur) tam nobisipsis quàm alijs oneri sumus. Postremò, vt tabernacula tandem soluuntur & destruuntur, vel spontè corruunt: Sic vita hæc ad suum finem quotidie decurrit, & vbi eum attigerit, iam aut morbis ex improuiso incidentibus soluitur, aut violenter abrumpitur, vel si nihil huius fiat, paulatim euanescit. Nam fiat oportet, quod primo parenti dixit Deus: Terra es, & in terram reuerteris. Quæ ergo stultitia est præsentibus addictum viuere, aut in illis aliquam spem collocare? Nam vt omnia nobis ex voto succedant, non possunt tamen, qui cordatiores sunt, non perpetuis solicitudinibus discruciari, quando de instabili rerum humanarum conditione & mortis hora incerta cogitant. Taceo nunc, quòd ne gaudia quidem huius mundi syncera sunt, cùm semper triste quid & acerbum coniunctum habeant.

2.Pet.1.

Conferamus

Conferamus autem cum his futuræ vitæ statum, quem Paulus ædificium ex Deo, domicilium non manufactum, æternum item in cælis nominat. Primò ædificium ex Deo dicit. Atqui in hac quoque vita corpus nostrum, & quæcunque ad hoc spectant, ex Deo habemus. Sed quoad futuram, longius prospicit Apostolus: quòd nimirum ea absque omnibus medijs naturalibus sola Dei virtute sustentetur, & proinde corruptioni non sit obnoxia. Ideò expositionis loco subijcit: Domicilium videlicet non manufactum. Quod hominum manibus fit, ab ijsdem etiam potest destrui. At alia longè est domus illius cœlestis conditio, quæ nobis à iactis mundi fundamentis parata, & æterni Filij Dei sanguine acquisita, mansiones habet stabiles, sicuti ipse Christus illas vocat. Et in præsenti Paulus domicilium istud disertè æternum dicit, quo nomine ab omni corruptione prorsus eximitur. Vtq; minus dubitemus, locum eius in cœlis monstrat. Quis verò in cœlos ius habeat, aut manum suam eò vsque extendat? Sunt hæc singula dulcissimæ consolationis plena: quare hic nobis eorum vsus esse debet, vt quemadmodum Paulus ista contemplatione confirmatus, pericula omnia contempsit, & inuicta animi constantia per omnes casus atque aduersa eluctatus est, neque horruit huius mortalis tabernaculi dissolutionem: ita nos quoque intrepida animi fiducia feramus quicquid Dominus dederit. Cur enim timeamus ea quæ momentanea sunt, & quando quàm maximè nocere videntur, vehiculi instar nos ad cœlestium bonorum possessionem deducunt? Futuræ vitæ status.

At quia non satis est ista scire, aut etiam de ijs differere posse, nisi ea nobisipsis applicemus, id nunc Paulus suo exemplo docet, sic dicens: Etenim in hoc scilicet corpore aut terreno tabernaculo nostro suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui: siquidem etiam induti, non nudi reperiemur. Docet his verbis, tam certam esse hanc spem, vt diligentius considerata præsentis vitæ tædium, cœlestis verò & æternæ desiderium ardentissimum pariat. In hoc corpore (ait) nihil quàm gemitus & suspiria sentimus. Vnde verò hæc enascuntur? Quòd ex tabernaculo hoc ruinoso liberari, & domicilio nostro æterno, quod è cœlo est, superindui expetimus. Ita verò dicit corpus illud clarificatum, quod nobis in resurrectione dabitur (vt in prioris epistolæ capite decimo quinto didicimus) vel potius ipsam gloriam, qua tunc corpora nostra donabuntur. Innuit hoc Superinduendi verbum, & quòd domicilium è cœlo dicit. Nec enim tunc corpus nouum è cœlo dabitur, sed hoc ipsum, quod moriendo cecidit, & sepultum in puluerem aut primam materiam redijt, illud (inquam) resurget, superinduetur autem noua gloria: cœlesti nimirum, & eiusmodi conditione, quæ regni illius æterni capax sit. Cœleste ergo dicitur, non quoad materiam, sed quòd gratia & virtute Dei cœlitus sese exerente gloriosum, incorruptibile & immortale fiet. Sancti desiderio vitæ cœlestis tenentur.

Cæterùm, ne tantum bonum omnibus hominibus promiscuè, & proinde impijs quoq;, commune facere putetur, illud ad solos Christi fideles restringit, addens: Siquidem etiam induti, non nudi reperiemur. Alludit ad parentis nostri Adami historiam. Is cùm peccauisset, se nudum esse vidit, nec pudore solùm suffusus, verumetiam peccati conscientia ita consternatus est, vt ne vocem quidem Dei aduentantis ferre potuerit. Eadem est omnium nostrûm conditio, quoad natales nostros. Nam in peccato concepti & geniti, non tam corpore quàm anima nudi nascimur. Et vt Adam ex ficorum folijs subcinctoria aut tegumenta contexit, quibus turpitudinem suam velaret: Ita pleriq; hominum ad suæ rationis figmenta conuersi, multa contexunt, speciosa quidem carnis iudicio, quibus iniustitiā suam palliare, & Dei oculos fallere student. Sed sunt hæc verè ficulnea, & noxia magis quàm vtilia præsidia. Quia quàm primùm Deus sua voce intonans quærit, qui nā & quo loco fuerimus, & vbi nunc simus, mox propriæ conscientiæ testimonio conuicti trepidamus, & cùm nullus fugæ locus sit, terram potius nobis dehiscere, quàm in illius conspectū prodire vellemus. Quis enim vocem illam terribilem sustineat? Maledictus, quisquis nō fecerit quæcunq; scripta sunt in libro Legis: & dicet omnis populus, Amen. Intellexerunt sanctissimi quiq; ea sententia vniuersum genus humanum damnari, & ideo precati sunt, Domine, ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo. Et nos similiter precari iubemur: Remitte nobis debita nostra, &c. Vitæ futuræ spes ad fideles solos restringitur. Deut. 27.

Itaq; longè alia veste, quàm quæ hominum manibus contexatur, opus est: Monstrauit hanc Adamo Deus, quando de semine mulieris ei concionatus est, cuius merito & virtute serpentis, Christus vestis illa est, qua tegimur.

id est, diaboli caput conculcari, & ex eius imperio siue tyrannide humanum genus redimi oporteat. Atqui semen hoc est æternus Dei Filius, qui absque viri congressu ex intemerata Virgine verus homo natus est, & proinde verè & propriè semen mulieris dicitur. Hic nobis à Patre factus est Sapientia, Satisfactio, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio, & ideo solus vestis illa nuptialis est, quæ peccatorum nostrorum fœditatem tegit, & nouum decorem nobis confert, quo ornati in Dei iudicio comparere, & in nuptijs illis cœlestibus locum honestum obtinere possumus. Induitur autem is per solam fidem: quia extra hanc nulla ratio aut medium inuenitur, per quod illum apprehendamus, & tam ipsius quàm bonorum, quæ nobis meruit, participes efficiamur. Ideo ad Galatas Apostolus noster scribebat, Omnes filij Dei estis, per fidem in CHRISTO IESV. Nam quicunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis: Ad hæc ergo mysteria in præsenti respiciens Paulus, eos cœlesti & æterno domicilio superinduendos dicit, qui in illo die non nudi reperiantur, sed Christi iustitiam per fidem induerint, cùm in terris hisce vitam mortalem viuerent. Et his solis seruiunt promissiones: Vbi ego sum, illic volo sit minister meus. Pater, volo, vt vbi ego sum, illic etiam sint, quos dedisti mihi: Nihil ergo ista ad apertè sceleratos, aut mendaces hypocritas, qui sese in Ecclesiam absque veste nuptiali, imò prorsus nudi, vel suorum operum centonibus malè tecti, insinuant: quibus non profuerit, si aliquandiu locum aliquem inter pios teneant: quia nulla temporis longi præscriptione excusatur hypocrisis. Quamobrem singulis dicetur: Amice, quomodo huc intrauisti, non habens vestem nuptialem? Obmutescent tunc illi, quia non habebunt, quod iudici respondeant: & proinde eijcientur in tenebras exteriores.

Galat. 3.

Ioan. 12. & 17.

Fidei effectus multiplex.

Venit autem toto hoc loco diligenter considerandus fidei veræ effectus multiplex atque saluberrimus. Primùm enim, nos in mortali adhuc corpore agentes Christi iustitia induit, quæ causa est, vt peccata nobis non imputentur. Ita verò nos in eorum censu ponit, quos Scriptura verè beatos pronuntiat. Deinde excitat nos, ne euanidis huius seculi studijs atque voluptatibus nos decipi & circumduci patiamur: sed totis animis ad cœlestia aspiremus. Adhæc mortem nobis leuem & optabilem facit, quam omnes natura horrent: Qui enim bonorum cœlestium dulcedinem iam fide degustarunt, ij dissolui cupiunt, vt propius cum Christo coniungantur. Neque eis graue est mori, quacunque ratione id fiat, quando genus mortis saluti ipsorum nihil derogat. Iidem ergo ad migrandum semper parati sunt, vt is qui carceri tetro conclusus liberationem auidè expectat. Alia longè est impiorum sors, qui cùm iustitia Dei careant, perpetuis conscientiæ terroribus discruciantur. Iidem terrenis interea addicti, cœlestia negligunt: ad mortis mentionem toti horrent ac trepidant: & tandem quia nudi inueniuntur, anima simul & corpore æternùm pereunt. Agnoscamus ergo inæstimabile illud Dei beneficium, quod nobis in Filio suo IESV CHRISTO contulit, eumq; fide amplexi, eidem seruiamus in Spiritu & veritate. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XX.

Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati: in quo non cupimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita. Porrò Deus is est, qui nos ad hoc ipsum condidit: qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus. Confidentes igitur semper, & scientes nos aduenas esse in corpore, peregre absumus à Domino. Per fidem enim incedimus, non per aspectum.

Diuus Paulus de afflictionibus & periculis, quibus exercebatur, ita disserit, vt non suæ modò fidei constantiam atque inuictam animi patientiam testetur, verumetiam suo exemplo Christianos omnes doceat, quales ipsi esse debeant, si quid durius & grauius patiantur. Postremum in hac tractatione fuit vitæ præsentis cum futura comparatio: in qua illi quidem luteum & caducum tabernaculum tribuit, huic verò domum cœlestem ac æternam. Simul autem ostendit, pijs adeò

pijs adeò non grauem esse mortem, qua tabernaculum hoc destruitur, vt potius hoc fieri cupiant, vt cœlesti gloria superinduantur, & cum Christo in cœlis viuant: quod omnibus à Deo promissum & præparatum esse docet, qui dum hic viuunt, Christum ex fide vera induerint. At si dum ista proponuntur, in nosipsos altius descendamus, illa captum nostrum superare sentiemus, & multa occurrent, quæ nobis scrupulos inijciunt, vt nonnihil hæreamus atque dubitemus. Quapropter nunc diligentius rem hanc tractat Apostolus, & obiectionibus, quæ hic mouentur, præcipuis respondet.

Et initio quidem duas simul complectitur. Prima est, quòd mortis horror aliqua ex parte in pijs quoque & electis adhuc locum habet: quod vt multorum exemplis demonstrari potest, ita vnius Christi abunde sufficit, qui ad diræ suæ mortis recordationem toto animo perturbatus fuit, & præ animi angustia sudorem sanguineũ profudit. Nec facilè aliter fieri potest, cùm mors ex peccato originem ducat, & huius pœna à Deo constituta sit. Nam quàmuis per Christi meritum eius conditio mutata, & pijs transitus, ex hac lachrymarum valle in vitam æternam facta sit, adhuc tamen de peccati atrocitate nos admonet, & quid porrò mereamur docet, si Deus stricto iure nobiscum agere instituat. Est præterea vtilis hic mortis horror: quia obstat, quò minus in grauioribus angustijs desperatione superati, nobisipsis manum inferamus. Cùm enim hoc multi nunc faciant, quid non facturi essent plerique alij, nisi hoc quasi fræno retinerentur? Altera obiectio est, frustra mortis desiderio homines Christianos gloriari, quando inter ethnicos olim inuenti sint, qui in illam sese alacri animo coniecerint. Et vetera quidem exempla habemus in Decijs, Curtijs, Gymnosophistis: quibus Manichæos & Donatistas connumerare licet, quorum vestigijs hodie ferè Anabaptistæ insistunt. Et inter Turcas sunt, quibus iucundum est pro Lege Mahumetis sui mortẽ oppetere. At istos omnes vel desperatio olim mouit, quam poetæ per furias intellexerunt: vel præsentis vitæ tædium cum impatientia coniunctum: vel ambitio immodica: vel pertinax defendendæ semel conceptæ opinionis studium: non autem, quòd melioris vitæ aliquam cognitionem aut spem habuerint. Ideo Paulus ad istas obiectiones respondens, longè aliam esse docet Christianorum hominum conditionem, atque proprias pij istius desiderij, quo illi ardent, causas exponit, dicens: *Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati, in quo non cupimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita.* Sensus est: Gemimus quidem in hoc misero corporis tabernaculo, & semel dissolui vel liberari cupimus: non autem conscientiæ desperabundæ stimulis exagitati, aut quòd sortem nobis à Deo destinatam impatientius feramus: sed quòd nos carnis sarcina peccatrici, eiusque prauis desiderijs grauari sentimus, quò minus ad cœlestia queamus eluctari. Itaque, si propriè loquendum sit, non cupimus exui hoc corporis tabernaculo, tanquam per se mali & detestabilis: sed potius superindui, vt quod mortale & caducum in nobis est, absorbeatur à vera illa & gloriosa vita, quæ nobis in cœlo præparata est.

Obiectiones cõtra mortis desiderium quo pij tenentur.

Rursus autem hîc exprimitur ingenium piorum siue electorum Dei, & in quo à reprobis huius seculi filijs differant. Hi si non omnia pro voto eis succedant, mori volunt, cùm aliàs de vita futura nunquam cogitent. Pij autem, etsi non alieni sint ab affectionibus humanis, & proinde ingemiscant quoque & suspirent, quoties carnis infelici massa se grauari sentiunt, sortem tamen suam patienter ferunt, cùm sciant, se inter labores & molestias huius seculi Deo gratissimum obsequium præstare posse, si in fidei obedientia constanter perseuerent. Grauantur ergo non tam communibus ærumnis, quàm innata carnis vitiositate, quæ illos non semper sinit animos altius ad cœlestia attollere. Itaque quòd mori cupiunt, ex eo est, quòd τὸ θνητὸν siue mortalitatem omnem semel à vita absorberi vellent. Eodem enim sensu mortalitas hîc ponitur, quo corpus mortis ad Romanos septimo capite, vt nimirum non tam sortem mortalem denotet, quàm innatam vitiositatem, qua fit, vt in dies peccando nunquam non mortem mereamur. Nam etsi nos ab ea Christus liberauerit (sicuti Paulus loco nunc citato fatetur) attamen nondum plenè effectum suum habet redemptio nostra, sed olim perficietur, quando ille in nubibus cœli ad iudicandum veniet. Ideo cùm in Euangelio de horrendis & periculosis nouißimorum temporum motibus dissereret, discipulis dicebat: *His autem incipientibus fieri, attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Vt ergo semel hunc locum expediamus, gemunt pij in hoc corporis sui taberna-

Pij in quo à reprobis differant.

Luc. 21.

culo, quia se à patria exulare, & corpus hoc ergastuli instar esse sentiunt, ex quo mens liberari cupit, vt in cælos transferatur.

Futura vita quantò præstet præsenti.

Admonet etiam locus hic, quantum futura vita præstet præsenti. Hæc, si rem ipsam propius consideres, nihil nisi mortalitas est: vt quæ obnoxia sit omnibus ærumnis, quæ cum morte in mundum introierunt, & quarum finis nullus est, donec ista huius vitæ filum abruperit. Imò quoad in carne hac viuimus, mortem nobiscum circumferimus, quæ corpus hoc cum omnibus huius vitæ subsidijs tandem quasi absorbet, vt nos seruare non possint. At futura illa verè vita est, & adeò nullis obnoxia est casibus, vt ipsam quoque mortem & mortalitatem omnem absorbeat. Nam vt Theodoretus annotauit, quemadmodum lux tenebras discutit, sic vita æterna mortem omnino abolet. Rectè ergo huius spe fideles triumphant, & cum Paulo dicunt: Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Imò in his omnibus plus quàm victores sumus per eum, qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, quòd neque mors, neque vita, &c. nos separare poterit à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV, Domino nostro. Stulti ergo reuera, imò amentes sunt, qui mortalem hanc & miseram vitam futuræ præferunt, & huius seculi studijs sic addicti sunt, vt cœlestia bona negligant. Etenim quis non absque omni mora è domo ruinam minante, aut mox arsura exilire cupiat? Quis non velit quàm ocyssimè in littus exponi ex naui, quam mox naufragium facturam intelligat? Atqui non alia est totius mundi conditio, qui breui totus ardebit & corruet. Sibi ergo dictum putent omnes, quod olim Angeli Lotho dixerunt: Serua vitam tuam, neq; respectes post te, neq; consistas in tota ista planitie, effuge montem versus, ne fortè absumaris. Gen. 19.

Rom. 8.

Confirmat doctrinam de immortalitate.

Porrò si ista ad nostræ rationis calculum reuocemus, vires & captum hominis longè superant. Caro enim conditione hac calamitosa & misera delectatur, & vt qui casæ siue tugurio assueuit, ægre ab eo diuellitur, etiamsi palatium regium sibi paratum esse audiat: ita homo huius vitæ consuetudine captus, vix adduci potest, vt volens eam relinquat. Impedit nos etiam innatus nobis mortis horror, de quo diximus. Cum ratione item pugnare videtur, vt corpus idem, quod in terram abijt, resurgat, quodq; insuper ἀφθαρσίᾳ & immortalitate donetur. Adhæc, si qui istis fidem adhibent, periculum est, ne vel confidentius sibijpsis aliquid tribuant, vel securiores facti, minus intenti sint in oblatas sibi salutis occasiones. Itaque omnibus istis vitijs Paulus occurrit, & simul doctrinam hanc omnem amplius confirmat, dicens: Porrò Deus is est, qui nos ad hoc ipsum condidit: qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus. Sensus verborum est: Non debent hæc alicui mira vel absurda videri, aut etiam impossibilia. Deus enim is est, qui ista agit. Is initio hominem ex terra lutoue desumptum, ad suam imaginem condidit, cuius non postrema dos est Immortalitas. Ergo, vt immortales simus, nos creauit. Idem nos lapsos & perditos restituit per Filium suum, qui caput veteris serpentis contriuit, & vnà mortis vires atque imperium destruxit. At quis omnium istorum fructus esset, si adhuc morte æternùm detineremur? Siue ergo primam hominis creationem, siue eiusdem restitutionem in Christo spectemus, immortalitatis beatæ spes sese offert. Accedit his arrhabo Spiritus sancti, qui spem istam confirmat sicuti supra quoque capite primo diximus.

Certitudo salutis nostræ.

Admonent nos ista de certitudine salutis nostræ. Hæc tota ex Deo est, & æterno eius decreto nititur, quod per primas promissiones patribus olim reuelauit, & tandem misso in carnem Filio suo executus est. Agnoscamus ergo hoc totum gratuitæ misericordiæ beneficium esse, & proinde nihil hìc nostris siue viribus siue meritis tribuamus. Deinde hinc petamus solida consolationis argumenta, quibus confirmati, nullis tentationibus succumbamus. Quis enim æterno Dei decreto obstabit, quò minus effectum suum habeat? Num peccatum? Atqui Deus est, qui iustificat. Num Satan? Atqui hunc iampridem deuicit Dei Filius, eiusq; caput contriuit, omnemq; potentiam euertit. Num mundus? Atqui fides est victoria nostra quæ vincit mundum. Num tyranni? At hi nihil iuris aut potestatis habent in animas nostras, multò minus autem in cælos, vt nos ab eorum possessione excludant. Num ipsa mors? Atqui hæc luteum istud tabernaculum dissoluit, vt suo tempore idem nobis gloriosum & æternum restituatur. Vt ergo ædificaturi, dum veteres

parietes de-

parietes demoliuntur, nouo ædificio locum parant: ita per mortem nostræ reparationis & glorificationis materia paratur. Ista verò non solùm in Scripturis traduntur, verumetiam intra animos nostros Spiritus Sancti testimonio confirmantur. Sunt ergo impudentißimi impostores, & nocentißima Satanæ organa, qui hominem de salute sua certum fieri posse negant, & ita simplicium fidem labefactant, quos potius consolationibus Euangelicis fulcire debebant.

Nos potius Paulum audiamus, qui huius fiduciæ effectum amplius exponit, sic vt totam Christiani hominis vitam nobis ceu in tabula spectandam proponat. Propositio aut summa omnium est, se nullis periculis siue afflictionibus, imò ne mortis quidem terroribus, superari & frangi posse, vt in ministerio sibi commisso remißius agat. Id verò ex ijs, quæ proximè præcesserunt, sic infert: Confidentes igitur semper, & scientes nos aduenas esse in corpore, peregre absumus à Domino: Per fidem enim incedimus, non per aspectum. Confidentem se esse protestatur, id est, animo præsenti & ad quæuis subeunda parato, quicquid tandem accidat. Videtur autem ad Christi præceptum respicere, qui apud Ioannem discipulis dicebat: In mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. In præsenti verò suæ fiduciæ rationem Paulus affert, quæ cum ijs, quæ nuper dixerat, conuenit: Scientes nos aduenas esse in corpore, peregre absumus à Domino. Quod nuper lutei tabernaculi cum domicilio cœlesti & fixo comparatione docuit, id nunc peregrinantium & in patria agentium exemplo illustrat. Quasi diceret: Qui peregre agunt, ijs non nouum aut insolens est, si non omnia ipsis ex voto succedant. Sciunt enim se longius abesse à parentibus & amicis, in quibus præcipuam spem habent collocatam. Atqui eadem planè est nostrûm omnium conditio. Patriam enim nostram in cœlis habemus, & ibidem Pater quoque noster est, quem inuocamus. Quoad ergo in hoc corpore vitam agimus, aduenæ ac peregrini sumus in terris, absumus autem à Deo, qui nobis Pater est, & in cuius domo patrimonium & hæreditatem nostram reconditam habemus. Itaque non possumus ceu casu improuiso consternari, & animo deici, si in hoc quasi exilio constitutis aliquid aduersum aut triste accidat. Fiduciæ Christianæ effectus.

Rursus autem hoc loco apparet discrimen inter pios & impios, electos & reprobos: quid item illos quidem in periculis animosos & mortis contemptores faciat, hos autem terroribus immodicis deiectos perdat: Pij se in terris peregrinos esse, per mortem verò ad Dominum migrare norunt, vt huic verè vniantur. Non possunt ergo vllis periculis succumbere, neque eos formidant, qui necem ipsis minitantur. Nam hi illis viam in cœlos aperiunt, & carnis infelicis carcere eos liberant. Adhæc horum memores, minus occupantur circa res huius seculi, & quò propius ad finem vitæ se peruenisse vident, eò minus de temporarijs soliciti sunt, liberalitati autem & beneficentiæ impensius student. Impij verò cùm præter huius seculi vitam non aliam vllam norint aut sperent, non possunt non contremiscere ad ea, quæ illius interitum afferunt. Iidem verò, cùm se mortales norint, tamen circa opum studium perinde tumultuantur, ac si immortalitatem ipsis Deus promisisset: & quò propius ad metam suam peruenerunt, eò plura cupiunt: perinde ac si quis longinqua profectione iam quasi perfecta, de viatico solicitus esse incipiat, quando patriæ mœnia iam in conspectu habet. Sunt hi stultißimi mortalium, præsens autem huic stultitiæ remedium afferri potest, si hæc Pauli verba memori mente perpetuò versemus. Quid pios in periculis animosos, impios meticulosos reddat.

Poterat autem aliquis obijcere: Atqui aliâs dixisti, corpora nostra esse templa Spiritus sancti, in quibus Deus ipse habitet: & Christi promißio est, quòd nos nolit orphanos relinquere, sed nobis adesse velit vsque in consummationem seculi. Quomodo igitur nunc dicis te peregre abesse à Domino? Respondet ergo ad hanc quæstionem: Per fidem enim incedimus, non per aspectum. Sensus huius dicti est: Vera quidem sunt, quæ alibi diximus, tamque arcta est inter Christum & nos coniunctio, vt nihil nos separare poßit ab eius dilectione: & idem nobis nunquam non adest suo Spiritu & virtute, qua in nobis efficaciter agit. Sed quoad nos & totam hanc vitam, quam in corpore agimus, tota hæc conuersatio fide & spiritu constat, nec adhuc coràm cum illo versari & regni illius cœlestis thesauris frui datur. Idem ergo hîc dicit, quod pluribus in Cap. 13. prioris epistolæ exposuit: Cernimus nunc per speculum, & per ænigma: tunc autem coràm cernemus, &c. Et ad Colossen: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum etiam vos cum eo declarabimini gloriosi. Coloss. 3. Quomodo pij peregre absint à Domino? Ioan. 14. Matth. 28.

Contra corporalem Christi in terris præsentiam.

Apparet autem ex hoc & similibus locis, quàm procul Apostoli abfuerint à crassa illa Capernaitarum nostri seculi opinione de corporali & substantiali IESV CHRISTI *in terris hisce præsentia. Nam si hanc credidisset Paulus, nulla cum ratione dicere poterat, nos dum in carne hac viuimus, peregre abesse à Domino. Nec etiam in Cœnæ Dominicæ reformatione scripsisset: Quotiescunque hunc panem comederitis, & hoc poculum biberitis, annuntiate mortem Domini* DONEC VENIT. *Sed procul dubio ad illius verba respexit: Vos in mundo estis, ego non amplius sum in mundo. Quæ locutio cum ijs, quæ Matthæi 18. & 28. habentur: Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum: Ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi: non aliter conciliari potest, nisi illam de corporis eius absentia intelligamus. At hodie huius præsentiam corporalem quidam tam pertinaciter vrgent, vt ipsos cœlos quoque in terras detrahant. At dicant illi, quomodo peregrini in terris dicamur, si iam nunc cœli cum Christo nobis adsunt? Quia ergo hæc non minus inepta quàm falsa sunt, discamus procul relictis curiosis disputationibus, animos per fidem in cœlos attollere, vt illic* IESVM CHRISTVM *apprehendamus, in quo vno vita & salus est. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XXI.

Confidimus autem & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum. Quapropter etiam ambimus & incolentes & migrantes ei esse accepti. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi vt vnusquisque reportet quæ in corpore fecerit secundùm id quod fecit, vel bonum vel malum.

QVoniam vitæ huius cupiditas omnibus innata est, eadem verò nos à cælestibus bonis & vera vita abstrahit: non tam vtile quàm necessarium est, vt de præsenti simul & futura vita rectè iudicare discamus. Docet id Paulus diligenter: qui nuper quidem, nos quoad hanc vitam, tabernaculum luteum & ruinosum incolere dixit, domum verò in cælis habituros stabilem & nullis casibus obnoxiam. Deinde huius seculi vitam peregrinationi confert, in qua nunc absimus peregre à Domino, neque aliter quàm per fidem apprehendi queat: Conueniunt ista cum totius Scripturæ tam Veteris quà Nouæ doctrina, & cum consensu sanctorum, qui omnes hoc ipsum semper confessi sunt, & huius peregrinationis suæ finem ardentibus suspirijs desiderauerunt. Hic ergo nobis etiam istorum vsus esse debet, vt terrenis quidem bonis vtamur piè & sobriè, quoad Deo placuerit nos hic agere, interim verò conditionis nostræ instabilis memores, toto animo ad cælestia aspiremus: vbi vita nostra cum Christo in Deo recondita est. Id verò in præsenti nos Paulus suo exemplo amplius docet.

Salutis spes certissima.

Confirmat quod dixit, nos per fidem incedere, non per aspectum: Confidimus autem, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum. Quasi diceret: Nemo putet, nos ita nunc peregre abesse à Domino, vt incerta sit nostræ salutis spes. Nam fiducia eius tam certa est, vt si optio detur, malimus emigrare ex hoc mundo, & corporis istius ergastulo, & ad Dominum abire, vt illic domicilium nobis paremus fixum & stabile. Conueniunt hæc cum ijs, quæ ad Philippenses postea scripsit: Cupio dissolui, aut migrare & esse cum Christo. Et cum Dauidico illo: Væ mihi, incolatus meus prolongatur. Psalm.120.

Fides accendit mortis desiderium.

Obseruabis autem hoc loco, fide non modò mortis metum discuti, verumetiam sanctum eius desiderium accendi. Vt enim bonæ indolis filius, vt vt apud exteros peregre agens amicis & hospitij commoditatibus delectetur, cum læta tamen & gaudij plena spe eum diem expectat, quo auulsus ab exteris domum redeat, & parentum conspectu exhilaretur: Ita qualiscunque sit piorum in terris conditio, præponderat tamen patria cælestis & bonorum, quia illic nobis reposita sunt,

sunt, desiderium, vt ad ea contendere cupiant. Est ergo perquàm euidens τῆς ἀπιςίας seu incredulitatis indicium, si qui mortis metu superati turpiter & immoderatè eiulant, & vt præsenti vitæ consulant, multa præter officium faciunt. Verumtamen hîc probè tenendum est, hunc piorum affectum longè alium esse ab eo, quo impij mori cupiunt, non cœlestis patriæ amore, sed præsentis vitæ & laborum tædio atque impatientia. Pios solùm cœlestium bonorum & ipsius Christi desiderium trahit. Quoad verò in hac vita Deo seruire possunt, moram hanc patienter ferunt. Et ita Paulum affectum fuisse, non hic modò locus, sed ille alter etiam, quem paulò ante adduximus, docet: Nam mihi (inquit) vita Christus est, & mori lucrum. Vtrum verò viuere in carne mihi operæpretium sit, & quid eligam ignoro. Coarctor enim vtrinque, desiderans migrare, & esse cum Christo: Nam id longè optimum est. Sed permanere in carne, magis necessarium est propter vos. Philippen. primo capite.

Facit eodem quod in præsenti subijcit: Quapropter etiam ambimus & incolentes & migrantes, id est, siue diutius in hoc infelici tugurio viuendum, siue moriendum sit, vt Domino simus accepti. Exprimit his verbis vitæ Christianæ scopum, quem omnes sibi propositum habere debent, qui fidem in Christum profitentur. Est is, vt Domino placeamus. Vt enim vxor fidelis tota in eo est, vt marito placeat, & si hoc impetret, non multum petulantium & improborum sermonibus mouetur: vtque seruus frugi in solius heri voluntatem respicit, cui si probetur, aliorum de se iudicia facilè contemnit: Ita erga Deum affecti esse solent, quotquot illius filij sunt germani: & in hoc ipso à filijs huius seculi procul differunt. Vellent enim hi quoque placere Deo, vt vitæ æternæ (si quæ est, vt ipsi loquuntur) participes fieri possint. At qui in hac carne agentes, quoad vitam & mores hunc scopum sibi propositum habeant, paucos est videre. Imò hæc plerisque sola videtur sapientia esse vera, si se mundo approbent, & hominibus placeant. Sed de illis proprijssimè dicuntur apostolica illa: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Item: Amicitia huius mundi est inimicitia cum Deo. At longè aliud electorum & filiorum Dei ingenium est, qui siue viuere, siue mori oporteat, Deo placere student. Id verò assequuntur, quotquot æternum Dei Filium, IESVM CHRISTVM, fide non fucata apprehendunt. Hic enim solus est, qui Patrem nostris peccatis iratum, nobis placauit, vt propter hunc nos pro dilectis filijs agnoscat, qui prius iræ filij eramus. Vt autem studeamus Deo probari, multa nos mouere possunt. Primùm, quòd in hunc finem sumus conditi. Vt enim omnes creaturæ hominis vsibus seruiunt, adeoque hunc suum dominum atque principem agnoscunt: Ita nos ad suam imaginem Deus condidit olim, vt eius seruitio dediti, ipsum colamus & glorificemus. Deinde IESVS CHRISTVS propter nos mortuus est & resurrexit, vt vitiatam in nobis Dei imaginem instauraret, & vt nos siue viuamus, siue moriamur, ipsius simus peculium atque cohæredes, sicuti Paulus ad Romanos scribens testatur. Quibus adde, quòd cùm mundi huius iudicio mors nulla nobis gloriosior obtingere possit, quàm si pro patria dulci in acie pugnantes occumbamus: multò felicius & gloriosius moriantur oportet, quibus datur vitam & sanguinem suum pro æterno Dei Filio profundere. In eo certè imprimis consistit Christianorum hominum dignitas & prærogatiua, qua præ alijs fruuntur, quòd Deum moriendo quoque colunt atque glorificant. Multum ergo fallitur infelix mundus suo de Christi seruis atque Martyribus iudicio, dum eos hominum miserrimos atque calamitosissimos esse arbitratur. Hi enim sanguine suo Deum honorant, & reuera beatissimi illi phœnices sunt, qui in medijs flammis vitam hanc corruptibilem cum incorruptibili commutant, & depositis carnis nostræ infelicibus exuuijs, in cœlos subuolant. At qui hos mactant tyranni, & quicunque alij ex ipsorum supplicijs voluptatem capiunt, ij sibijpsis quidem inter homines infamiam perpetuam conciliant, in futuro autem seculo sempiternis inferorum cruciatibus mancipantur. Quis ergo vmbratilem, qua nunc superbiunt, eorum gloriam aut felicitatem admiretur? Aut quis non malit cum Christo mori, vt cum eodem viuere & regnare detur?

Quia autem Paulo cum Corinthijs res erat, inter quos maximus erat hominum carnalium numerus, quos ista non multum mouent, eò quòd putent sufficere, si studia sua & mores hominibus probentur: aliud argumentum subiungit, quo istos quoque perterrefaciat. Nam ad Dei tribunal omnes eos citat, qui dolo malo sese insinuabant Ecclesiæ, ipsum verò & alios fideles

Scopus vitæ Christianæ.

Galat. 1.
Iacob. 4.

Rom. 14.

Nouißimi iudicij denuntiatione terret infideles.

Christi Apostolos calumnijs suis in contemptum & suspicionem adducebant. Sic autem scribit: Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, secundùm id quod fecit, vel bonum, vel malum. Quasi diceret: Non temere hoc moneo, vt Deo placere studeamus. Nam etiamsi fucata pietatis specie nos toti mundo approbemus, nulla tamen ex eo ad nos redibit vtilitas certa & solida. Olim enim dies ille præfinitus illucescet, quo omnes homines ad IESV CHRISTI *tribunal sistentur, vbi non secundùm speciem aut fucum externum, neque ex communi hominum sensu siue arbitrio iudicabitur: sed vnusquisque in suo corpore feret eorum quæ vnquam fecit retributionem, siue illa bona siue mala fuerint. Conuenit cum hoc loco, quod in priori epistola Capite quarto dixit: Ne ante tempus quicquam iudicetis, vsque dum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Proderit autem præsentis huius loci verba singula expendere, cum circa hanc doctrinam totus salutis nostræ cardo versetur.*

Omnes sistentur ad tribunal Christi.

Primò eos denotat, qui iudicio sistendi sint, & in genere OMNES *dicit, vt omnis loci aut ordinis homines comprehendat. Neminem ergo tunc vel ætas excipiet, vel sexus, vel natio, vel dignitas, vel potestas, vel opes, vel egestas, nihil denique eorum, quæ in mundo vel magnifica habentur, vel contemptu & odio digna putantur. Vt enim in quouis vitæ genere aut statu, per se bono & honesto, possumus gratum Deo obsequium præstare: sic etiam in quouis peccari & æternæ salutis iactura fieri potest, si ab officio nostro discedamus. Falluntur ergo vehementer, qui ex gradu sublimiori, aut opum abundantia, impunitatis spem concipiunt, vel quos sua paupertas aut vitæ genus contemptibilius securos facit, quoad salutis causam. Nec enim de fortunis iudicium feretur, sed de nobis & studijs nostris.*

Ad Christi tribunal manifesti fiemus.

Deinde nos comparere, vel (vt Græci vocabuli vim melius exprimamus) manifestos fieri oportere dicit. Poterat dicere, Sisti, qua voce in epistola ad Romanos vsus fuerat. Sed quia multi iudicio sistuntur, qui sua vel astutia vel dicendi facultate iudices fallunt, sic potius loqui voluit, vt ostendat, quòd etsi nunc multi lateant, in illo tamen die toti mundo notum fore, qui nam & quales singuli fuerint. Nam vt Daniel scribit: Libri omnes aperientur, & omnium conscientiæ patebunt, adeoq́; retegentur tunc omnium oculis, quæ nunc probè tecta & æterno silentio sepulta esse putantur. Et quis de eo dubitet, quando in hac etiam vita raro ita celari possunt atrociora scelera, vt non tandem manifesta fiant, & id quidem plerunque eorum indicio, qui illa patrauerunt, & pœnas sibi paratas esse non ignorant? Quantum verò momenti hæc consideratio ad pietatis studium afferret, si in ea essemus diligentiores?

Dan. 12.

Necesse est, vt Christo sistamur iudicandi.

Habet quoque emphasim verbum, OPORTET. *Poterat enim dicere, nos aliquando comparituros in iudicio: Sed omnes comparere aut manifestos fieri* OPORTET, *inquit: Nimirum, quia Deus sic decreuit, cuius consilium manet in æternum. Nam Domino exercituum aliquid constituente, (vt Prophetæ verbis vtar) quis illud faciet irritum? Et facit ad huius loci confirmationem, quòd cum tuba Dei & voce archangeli Christus veniet, & angelos suos mittet, qui omnes omnium seculorum & nationum homines ad suum tribunal colligant. Nemo igitur vel astutia sua sese subducere, vel violenter resistere poterit, quò minus se quoque huic iudici sistat. Exigit præterea hoc iustitia Dei, vt cùm quotidie multorum scelera puniat, multos autem impunitos dimittat, tandem hi quoque digna factis suis præmia accipiant. Siue ergo Dei iustitiam, siue iudicis potentiam, siue infirmas hominum vires spectes,* OPORTET *sanè omnes nos comparere.*

Isa. 14.
1. Thess. 4.
Matth. 24.

Christus iudex vniuersalis.
Ioan. 5.
Acto. 17.

Vbi autem comparebimus? Coram tribunali Christi. Huic enim omne iudicium dedit Pater, & idem vir ille prædestinatus est, per quem electos quidem suos seruare, impios verò punire decreuit. Æternus nimirum Dei Filius, IESVS CHRISTVS, *qui pro nobis in cruce diram mortem subijt, & cui nunc omnis potestas data est in cœlo & in terra. Hunc ergo iudicem suum in assumpta hominis natura agnoscere & ferre cogentur, qui nunc illum Seruatorem suum agnoscere nolunt, secundùm illud Prophetæ: Videbunt in quem pupugerunt. Et huc referri debet, quod de signo Filij hominis in nubibus tunc compariturо, ipse prædixit. Matth. 24.*

Zacha. 13.

Porrò finem quoque istius actionis totius indicat Paulus: *Vt vnusquisque reportet quæ per corpus, id est, in corpore ipsi debentur, siue gloriam, siue ignominiam, secundum id quod fecerit vel bonum vel malum.* Erit ergo iudicium istud iustum prorsus & æquum, cùm neque iudicem aliquis fallere, neque sententiæ, quæ tunc feretur, executionem impedire possit. Facit autem locus hic quàm maximè ad asserendam corporum nostrorum resurrectionem. Nam nisi eam admittamus, Paulum ex spiritus sancti suggestione loquentem mendacij arguemus, qui vnumquemque in corpore reportaturum dicit, quæ ipsi debentur. Nec est, quòd eos audiamus, qui corpora quidem surrectura dicunt, sed alia quàm hæc nostra sint, in quibus nunc viuimus. Ita enim Dei iustitia periclitaretur, si vel glorificarentur in cœlis, vel apud inferos torquerentur corpora, quæ neque peccassent, neque virtutis ac pietatis organa, aut certaminum, quibus in hac vita pij exercentur, socia fuissent: qua de re alibi prolixè est dictum. Finis iudicij & retributionis.

Nunc vsum istius doctrinæ spectare oportet. Nam etsi sæpius de eo dixerimus, vtile tamen & necesse est eadem crebrius repetere. Consistit autem ille potissimùm in duobus. Primum est, vt ex ea consolationẽ habeant pij, qua seipsos in omni genere tentationum confirment. Laboratibi fama propter calumnias, quæ tibi fiunt? Cogita tunc, fore tempus, quando innocentia tua ipsius Christi testimonio publicè approbabitur. Videntur nunc mortalium omnium abiectissimi esse, qui Deo ex fide vera seruiunt? Sed olim apparebit, eos germanos esse Dei filios. Affliguntur nunc illi inedia, siti, morbis, carceribus & diris exquisitissimorum suppliciorum tormentis? Sed erit tunc remuneratio, quæ ad animam simul & corpus redundabit. Imò tunc vindicem suum pij tum incomparabili gloria videbunt, pro cuius nomine nunc affliguntur. Ita olim hoc articulo vsi sunt sanctissimi cultores Dei: vt alibi Iobi & Pauli exemplo docuimus. Alterum est, vt ista ad nostram institutionem accommodemus aduersus peccati & mundi illecebras. Tentaris securitate & ignauia? mox igitur animo repete, quis & qualis ad iudicium venturus sit Christus Dominus. Blanditur tibi voluptas & gulæ studium? hìc oppone, quod de epulonis diuitis miserabili apud inferos conditione in Euangelio dicitur. Superbiæ spiritu turgere incipis? Succurrat mox, te breui reum fore ad Christi tribunal. Quòd si veritatis odium te ad maiorem audaciam & impietatem extimulet, vt illius ministros atque sectatores diris incessere & aperta vi oppugnare libeat: tunc in mentem veniant, quæ Christus olim hostibus suis minatus est: fore nimirum, vt ferreo sceptro eos comminuat, qui virga Euangelij sui gubernari nolunt. Item: *Qui vos tangit, tangit pupillã oculi mei.* Et rursus: *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Etenim si tanta est iudicij istius grauitas, vt nunc cõscientiæ de illo diligentius cogitantis terrores sustinere non possimus: quanto intolerabilius erit, iudicis sententiam coràm audire, & mox sequentem eius executionem sentire? Ad primum sanè iudicis illius aspectum plangent omnes tribus terræ. Quid multis opus est? Discant omnes hunc sibi totius vitæ & actionum omnium scopum proponere, vt Deo placeant, seq́ ipsos fide constanti & sanctimonia non fucata præparent in occursum Domini nostri & venturi iudicis, IESV CHRISTI, vt ad eius tribunal læta conscientia audiamus dulcissimam istam & verè saluificam vocem: *Venite benedicti Patris mei, & possidete regnum, paratum vobis ab exordio mundi.* Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Vsus doctrinæ de nouissimo iudicio.

HOMILIA XXII.

Scientes igitur terrorem illum Domini, homines persuademus, Deo autem manifesti sumus: & spero nos etiam conscientijs vestris manifestos esse. Enimuero non iterum nosipsos commendamus vobis: sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis: vt habeatis quid aduersus eos, qui ex facie gloriam captant, at non ex corde. Nam siue insanimus, Deo insanimus: siue sana mente sumus, vobis sana mente sumus.

SPiritus Sanctus in Scripturis non solùm doctrinam Prophetarum & Apostolorum proposuit, verumetiam diuersa de illis hominum iudicia describit, odia item, insidias & persecutiones, quibus exagitati sunt. Vsus istorum nobis hic esse debet, vt si quid huius etiam hodie fieri videmus, non offendamur, quin potius constantes simus in retinenda ea fide & doctrina, quam illi tanto cum consensu nobis tradiderunt: imò tunc recurramus ad argumenta illa, quibus illi suæ doctrinæ authoritatem aduersus impiorum calumnias defenderunt. Debet hoc obseruari in tota hac Pauli epistola: in qua multa ille de suo ministerio, deq; sua fide & integritate disserit, qua in illo obeundo hucusque sit vsus. Argumentum eius nuper euidens adduxit, quòd nullis periculis, & ne morte quidem se absterreri patiatur, quò minus inuicta animi fiducia pergat. Nam se hoc vnum spectare dicit, vt siue diutius ipsi viuendum, siue iam nunc moriendũ sit, Deo placere queat: neque se hominum iudicijs multum moueri, quando nos omnes olim apud Christi tribunal manifestari oporteat, vbi singulis digna suis factis præmia retribuentur. Quod autem in genere dixit de nouissimo Christi ad iudicium aduentu, id nunc sibijpsi propius applicat, & docet, vt illius consideratione in suo ministerio confirmetur. Quo exemplo omnis loci & ordinis homines docentur, non sufficere generalem IESV CHRISTI cognitionem, sed vt quæcunque de illo dicuntur singuli ad se transferant necesse esse, & se quoq; olim ad illius tribunal sistendos esse meminerint.

Doctrinam de iudicio nouiss. sibi applicat Paulus.

Sic autem rem istam proponit: Scientes igitur terrorem illum Domini, homines persuademus, Deo autem manifesti sumus, &c. Terrorem Domini dicit terribile illud Christi tribunal, cui omnes homines sisti oportere dixerat. Et de quo Daniel olim sic scripsit: Cuius solium flammæ ignis, & rota eius ignis flagrans: Igneum flumen dimanabat egrediebaturq; ab eo, & millies mille ministrabant ei, ac decies mille myriades ante ipsum stabant. Ad ista & alia huius generis respiciens Paulus, sic videtur dicere: Cùm non ignoremus quid futurum sit, imò frequenter cogitemus de magno illo die, quo ratio reddenda erit de omnibus, quæ nobis à Deo in mandatis data sunt: non possumus non diligenter & seriò versari in nostro Apostolatu. Itaque hominibus passim persuadere conamur, vt ipsi quoque Deum illum timeant, & IESVM CHRISTVM fide vera amplectantur, ne dies ille ipsis tristis & intolerabilis illucescat. Et quo animo istud omne à nobis fiat, Deus nouit, qui corda & renes scrutatur. Cæterùm spero, fidem & integritatem nostram, non illi solùm, verumetiam vobis iam perspectam esse: qui si velitis fateri quod verum est, propriæ conscientiæ testimonio conuicti cogemini dicere, me nullum fidi doctoris officium apud vos prætermisisse. Ita verò pseudoapostolorum & æmulorum calumnijs partim ipsius Dei, partim propriæ ipsorum conscientiæ testimonium opponit.

Ministri non doceant modò, sed suadeant quoque.

Est autem in his verbis obseruatu dignissimum, quòd de suo & collegarum suorum ministerio loquens, non Docendi aut Prædicandi, sed Suadendi vocabulo vtitur. Quia enim Regnum Dei non in sermone aut nuda inaniue cognitione consistit, non satis est scire quid credas & facias: sed vt id reuera præstes necesse est. At multa hîc nobis obstant: Innata nimirum vitiositas, qua fit, vt figmenta cordis nostri ab ineunte ætate praua sint: intellectus nostri tarditas, qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: exemplum mundi, qui totus in malo iacet, & varijs voluptatum atque scelerum illecebris nos ab officio reuocat: quibus accedit tyrannis & aperta vis impiorum, qui synceros Christi cultores hostiliter persequuntur. Quapropter Verbi administros omnes ingenij vires cum ardenti zelo intendere oportet, vt persuadeantur qui vel moras nectunt, vel iam iter ingressi pedem referunt. Videmus enim quotidie & passim fieri, quod Lotho & vxori eius accidisse Moses scribit, cùm è Sodomis exire iuberentur. Hinc illa Prophetarum vehementia in dicendo, qua ex mandato Dei vsi sunt, dicentis: Clama ex gutture, exalta instar tubæ vocem tuam, &c. Hinc illa Ioannis Baptistæ libertas, qui neque Sacerdotibus, neque Senioribus, neque Herodi Regi parcendum esse putauit, cùm hos omnes multa præter officium facere videret. Hinc etiam manarunt acres illæ conciones Apostolorum, quibus Iudæorum principibus immane illud parricidium, in Dei Filium recens patratum, publicè exprobrauerunt. At quæ nostri seculi mollities est, vel malitia potius, plerique putant sufficere, si obiter prædicetur Veritatis doctrina, & nimios clamant esse eos, qui huic obiurgationes, increpationes, & pœnarum denuntiationes admiscent. Atqui sufficeret simplex Verbi prædicatio, si mox facerent homines quod

Isa. 58.

rectum

rectum esse intelligunt. Sed quid fiat, nemo tam cæcus est qui non videat. Regnāt vbiq; gentiū superstitiones, & ab his ne ij quidē immunes sunt, qui Euangelij doctrinā profitentur, cum interim mūdo placere studeāt, et pro Veritate in nullius odiū incurrere velint. Regnāt itē, imò grassantur apud omnis loci homines vitia, quibus Dei ira accenditur: qualia sunt, ebrietas, luxuria, libidines vagæ, auaritia, vsuræ, fraudes, rapinæ, cædes, & quæcunque alia solent ista comitari: neque vllis iudiciorum Dei exemplis, quæ is multa & non vulgaria edit, infelix mundus mouetur. Quæ ergo diligentia nimia, quæ dicendi vehementia non necessaria videri potest, quando vix centesimus quisque se de ijs persuaderi patitur, sine quibus salus nostra non potest consistere? Matth. 5.

Quid verò illud est, quod Apostoli omnibus hominibus persuasum esse voluerunt? Terror siue timor Domini, qui ex certa cognitione atque indubitata IESV CHRISTI ad iudiciū venturi fide nascitur. Est hic articulus plus quàm necessarius, qui & inculcetur ab Ecclesiarū ministris, & in cuius meditatione homines Christiani assiduè versentur. Nā hæc ferè nocentissima est salutis remora, quòd plerią; præsentis modò sæculi bonis intenti perpetuam sibi impunitatem pollicentur, quando multos inter absurdissimas superstitiones & atrocissimorum scelerum licentiam foeliciter agere, & seipsos non statim puniri vident postquam ijsdem studijs sese addixerunt. Tunc enim comminationes Verbi Dei ridere, & Prophetis quoq; insultare audent, & audiuntur voces illæ nefariæ: Vbi est pollicitatio aduentus Domini? Non est Deus, qui mortalia curet: Deus non videt, Dominus non audit: Fœdus fecimus cum inferis, & pactum cum morte pepigimus, &c. Et eiusmodi quidem illusores omnibus sæculis fuerunt: quæ causa fuit, quòd Apostoli huius articuli frequenter meminerunt, & diligentissimè quidem apud eos, qui humanæ sapientiæ studio decepti, lusum iocumque esse putabant omnia, quæ de illo in Scripturis traduntur, quales cū Corinthijs omnes ferè Græcos, & quidem Athenienses imprimis fuisse constat. Et huc pertinent, quæ apud Felicem præsidem coram Agrippa Rege dixit Paulus, & quæ Petrus apud Cornelium testatus est, vt iam ea omittamus, quæ in posteriori sua epistola idem ille scripsit de illusoribus, qui nouissimis temporibus futuri sint. Et ne vnquam articuli huius obliuio Christianis possit obrepere, disertis verbis eum in Symbolo, quod Apostolicum vocant, expresserunt.

Nouissimi iudicij articulus creditu necessarius est.

Psal. 83. Psal. 73. 2. Pet. 3. Job 22. Gen. 18. Act. 10.

At hîc quærunt multi, quî fiat, quòd non omnes moueantur articulo isto? Quibus respondere potest: Quia eum pauci ea ratione considerant, qua Paulum vsum fuisse audimus. Hic non contentus hominum de se iudicio, neque si æmulorum calumnias propriæ conscientiæ testimonio confutauisset, insuper se in Dei conspectu versari cogitauit, qui omnia eius nota atque perspecta habeat. Decet hoc omnes homines, vt suam fidem atque industriam Deo approbare studeant. Possunt enim homines suo iudicio falli, at Deus falli non potest, cùm corda simul & cogitationes omnium norit, & eius oculi (vt Propheta ait) discurrant per vniuersam terram. Et vt ipsi perpetuò lateamus aut scelera nostra semper occultemus, impossibile est. Habet enim vindices oculos Deus (vt Græci loquuntur) & Veritatem alij Temporis filiam esse non ineptè dixerunt, eò quòd illud omnia reuelat. Exemplum eius rei memorabile in Dauide proponit scriptura, qui cùm adulterium & indignam Vriæ cædem mirifico astu simul & authoritate regia celaret (quis enim tale quid de illo vel mussitare ausus fuisset?) Dei tamen oculos latere non potuit, qui per Nathanum seruum suum non priuatam modò, sed publicam quoque tanti sceleris confessionem ei extorsit: vt nimirum hanc Psalmis de seipso compositis populo decantandam proponeret. Quod infinitis alijs, tam bonis quàm malis accidisse scimus. Et esto inueniantur interdum, quorum flagitia, quoad hîc viuunt, perpetuo silentio tecta manent, ijdem tamen magnum illum nouissimi iudicij diem subterfugere non poterunt, quando libri aperientur (vt nuper ex Daniele docuimus) & omnium conscientiæ angelis simul atque hominibus patebunt. Meminerimus ergo omnem virtutis simulationem inanem esse, nisi quod videri volumus, reipsa præstemus. Itaque quod Solomon olim monuit, terror aut timor iste Domini, de quo in præsenti Paulus loquitur, præcipua hominis sapientia est. Nam solus ille indomitos carnis affectus quasi fræno coercet, & fidei obedientiam gignit, quæ nos post illicita corruptæ naturæ nostræ desideria exorbitare non sinit. Applicent ergo sibiipsis singuli doctrinam istam, & imprimis quidem Verbi Dei administri. His enim commisit ille id, quo nihil vel in terris vel in cœlo pretiosius habet

Cur pauci articulo isto moueantur?

Zach. 4. Dan. 7. Prou. 1.

bet & charius: Ecclesiã videlicet, quã proprij sanguinis pretio redemit, & ablùit vt eam sibi sponsam & bonorum omnium consortem faceret. Eosdem quoque donis necessarijs instruit, vt functioni huic, quæ per se humanas vires longè superat, possint sufficere. Et veniet tempus, quando de illis rationem exiget, sicuti Christus in talentorum parabola disertè docet. Quòd si ergo segnes et malæ frugis fuerint, vel etiam (quod multi solent) ipsi authoritatem suam turpi morum licentia prostituerint, id nunquam inultum ferent. Veniet enim Dominus, cùm minimè putarint, & eodem, quo proditores puniri solent, iudicio damnatos in tenebras exteriores eijciet. Et quid plerosque in hoc etiam sæculo maneat, horribili illo filiorum Heli exemplo Spiritus Sanctus abunde docet. At non minus ad eos quoque hæc cura pertinet, qui magistratum gerunt. Imponit illic multis arrogantia, quòd populum sui omnino iuris, seque rerum dominos esse sibi persuadent, quibus liceat pro suo arbitrio leges figere & refigere, iura denique publica torquere, vel etiam omnino abrogare. Atqui populus Dei peculium est, qui & hunc pro suo agnoscit, & illorum consessibus medius adest, & non solùm quid dicant aut faciant, verumetiam quo animo omnia agant, intelligit. Huius ergo iudicia enuntient, eiusdem gloriam vnicè quærant, paci & saluti publicæ pro virili studeant, imprimis autẽ (vt Psalmus admonet) pretiosum ducãt sanguinẽ subditorũ suorũ. Terreant item eos exempla, quæ omnibus sæculis in tyrannos ædidit Deus, qui vel populo licentiæ authores fuerunt, vel eundem insolenter oppresserunt. Transferant ista ad se quoque parentes, & liberos suos depositum Dei esse meminerint, qui hos sibi consecratos esse velit, & eosdem de manibus ipsorum requisiturus sit. Curent ergo, vt hic de ipsis idem testimonium ferat, quod olim de Abrahamo illum tulisse, Moses scribit. Pertinet deniq; consideratio ista ad coniuges, seruos, subditos, diuites, pauperes: qui omnes & hîc honestius atque commodius viuent, & olim ad vitæ æternæ possessionem admittentur, si ingenuò hoc Dei timore sese in officio continere studeant.

Matth. 25.

Psal. 82.

Psal. 72.

Gen. 18.

Ambitionis crimen excusat.

Sed vt ad Paulum redeamus, poterant ista aliquibus ambitiosius dicta videri; quare rursus se excusat, & quo animo & in quem finem ea dixerit, docet. Enimuero non iterum nosipsos commendamus vobis: sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis, &c. Particula, ITERVM, Paulum hæc per Mimesin dicere ostendit, qua aduersariorum de se sermones perstringit. Solebant enim illi quacunq; occasione oblata exclamare: En Thrasonem rursus in suas laudes digredientem, &c. Ostendit ergo, se nihil minus facere, quàm quod isti calumnientur: sed hæc omnia propter ipsos & ipsorum vtilitatem dici, & ideo duas causas adducit, quibus moueatur. Vnam, vt vobis occasionem præbeamus gloriandi de nobis, id est, vt argumenta habeatis, quibus ministerium meum & quam ex nobis didicistis doctrinam possitis defendere. Erat hoc plus quàm necessarium: quia fide ministri labefactata, huic tutò credi non potest, & simul multorum salus periclitatur: Cùm ergo Paulus multorum calumnijs peteretur, opus erat Corinthios argumentis instrui, ne de eius ministerio & authoritate dubitarent. Alterã, vt habeatis quid aduersus eos, qui ex facie gloriam captant, at non ex corde, id est, qui magnificè sese extollunt, quasi germani sint IESV CHRISTI Apostoli, cùm nihil huius in corde suo habeant, imò proprij cordis testimonio falsi conuincantur. Adhæc ex facie gloriam captare dicuntur, qui non nisi laruis externis sese venditant, verborum ornatu & eloquentiæ ostentatione superbiunt, nihil autem habent in recessu, quod germanos Christi ministros esse testetur. Tales erant isti, qui Corinthiorum Ecclesiam turbabant. Gloriabantur de suo zelo & fide, qua publicæ omnium saluti consultum vellent: cùm non nisi sua quærerent. Deinde Hierosolymitanæ Ecclesiæ authoritatem prætexebant, seque Apostolorum, qui illic agerent, discipulos esse iactabant: cùm pharisaici essent impostores. Præterea philosophiæ & eloquentiæ existimatione sese ostentabant, à fide autem & vera pietate, quæ in puro cordis affectu consistit, erant alienissimi. Aduersus istos (inquit Paulus) ego vos armis instruo, ne ab eis decipiamini. Ita verò obiter Corinthiorũ ingratitudinẽ arguit, qui nõ agnoscebãt eum pro ipsis laborare, sed quasi hæc nihil ad se pertinerent, admittebant calumnias eorum, qui eius authoritatem labefactabant. Fit hoc ipsum hodie. Imperiũ in Ecclesias omnes iampridem sibi vendicarunt Pontifices & Episcopi, qui ex sola facie gloriã captant: quòd nimirum Apostolorum successores et Christi vicarij sint, quòd ad ipsos totius orbis Ecclesiarũ cura pertineat, quòd zelo domus Dei vrantur. Accedunt his opes immodicæ, multus auri & gemmarum splendor, vetus pur-

puræ dignitas, mitræ bicornes & tiaræ triplices, galeri, pallia, peda, cruces aureæ & argenteæ, sexcenta item alia, quæ rudis populi oculos possunt perstringere. Quales autem sint, ipsorum dicta & facta abunde docent, & illos cum Christo simul & eius Ecclesia ludere, vel vnius Alexandri VI. dictum probat, qui cum aliquando de re Christiana sermo incidisset, exclamauit: Atqui hæc bona est persuasio, quia per hanc nos regnamus. At dum ista fideles Christi serui arguunt, ne rudiores laruis eiusmodi capiantur, multis suspecti fiunt, qui illos affectui indulgere & res suas quærere calumniantur quò fit, vt illis ferè exosi sint, pro quorum salute ipsi contra communes Ecclesiæ & religionis Christianæ hostes pugnant. Sed non debent ista aliquem offendere, quò minus officium faciat. Nam qualiacunque sint mundi infelicis de nobis iudicia, argui tamen oportet eorum imposturas, qui vulgi simplicitate ad tyrannidem suam stabiliendam abutuntur. Tueantur ergo Veritatis doctrinam, & alios quoque argumentis instruant, quibus aduersus impostores illos eandem tueri possint.

Porrò clarius aliquanto seipsum explicat Paulus, dicens: Nam siue insanimus, Deo insanimus: siue sana mente sumus, vobis sana mente sumus. Insaniam siue insipientiam dicere solet, quando de seipso & ministerio suo magnificentius loquitur. Sic infra Cap. vndecimo hoc argumentum tractaturus, inter alia dicit: Quod dico, non secundùm Dominum dico, sed vt per insipientiam. Et rursus Cap. duodecimo post longam eorum, quæ per ipsum Deus fecerat, expositionem subijcit: Fui insipiens gloriando, vos me coegistis. Ita verò loquitur, partim quòd per se videatur parum cordati hominis indicium esse proprias laudes cantare: partim ex aduersariorum iudicio, qui hinc occasione arrepta ipsum stolidæ arrogantiæ accusabant. Huic opponit σωφρονεῖν, quod sana mente vti significat, & quoad huius loci sensum, idem est, quod de seipso modestius sentire & loqui. Itaque sic vult dicere Apostolus: Si quando aduersariorum calumnijs coacti, nostram authoritatem tuemur, deque ministerio nostro ea dicimus, quæ dicere res ipsa iubet, vobis quidem insanire videor, sed id me non multum mouet: quia Deo insanimus, id est, hoc vnum agimus, vt Dei Verbo sua authoritas salua maneat, neque illi per impostores illos sua fides derogetur. Rursus, si quando humilius de meipso & ministerio nostro loquor (quæ vobis demum vnica sapientia esse videtur) id vobis damus, adeoque propter vos facimus, ne nimium grauemini, & vt nostro exemplo humilitatem & modestiam discatis. In summa, hic mihi scopus propositus est, vt Deo & Ecclesiæ seruiam, & multorum saluti consulam. Dum ergo hoc consequi studeo, non multùm moror, quid de me iudicent, qui suis potius affectibus seruire volunt, quàm Dei gloriam tueri.

Scopus Pauli, vt Deo & Ecclesiæ seruiat.

Obseruemus nos hoc loco, quàm iniquè mundus de Verbi Dei administris iudicet. Odit enim huius lucem, & extinctam cupit, vt iam sæpe diximus. Itaque qui in mundo meliores sunt, ij Verbi præcones stultescere, aut etiam prorsus insanire dicunt. Etenim carnis iudicio stultissimum videtur, omnia velle ex Verbi illius præscripto facere, contemptis omnium aliorum exemplis proprium vitæ genus sectari, aliorum studijs sese opponere, odia & inimicitias sibi accersere propter Veritatis cognitionem, quæ plerisque dubia esse, & (vt Philosophus dicebat) in puteo profundo delitescere videtur. Hinc illa prophanorum hominum de seruis Dei iudicia, quorum Scripturæ non vno loco meminerunt. Cùm Iehu à quodam illorum in regem vnctus esset, & is mox se aliò proripuisset, interrogauit mox illum alius: Quam ob causam ingressus est ad te væsanus ille? Isaias item se cum suis discipulis portenti instar esse querebatur in Israële. Similiter Paulo de Regno Dei disserenti Festus acclamauit: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam redegerunt. Et cùm primum Spiritu donati essent Apostoli, & linguis varijs Euangelij doctrinam prædicarent, multi eos musto plenos dixerunt. Hodie phanatici dicimur, capitosi, rerum ciuilium imperiti, imprudentes & temerarij rerum nouatores. Sed quid mirum, quando Christus modò insanire, modò dæmonio agitari dictus fuit? et quis ignorat, quàm scurriliter ipsum exceperit Pilatus quando se ideo in mundum venisse dicebat, vt Veritati testimonium ferat? Horum ergo memores Ecclesiarum ministri, in officio suo fidi & constantes sint, alij verò omnes Dei Verbum patienter audiant, vitàque suâ omnē secundum illius præscriptum instituant, vt olim in aduentu Domini nostri

Mundi de Verbi ministris iudicia.

2. Reg. 9.
Isa. 8.
Acto. 26.
Mar. 3.
Ioan. 18.

IESV CHRISTI, *salute & vita æterna fruantur. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XXIII.

Charitas enim illa Christi constringit nos; vt qui hoc statuerimus, quòd si vnus pro omnibus mortuus fuit, vt pote omnes mortui fuerunt: & ille pro omnibus mortuus est, vt qui viuût, post hac non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaque nos posthac neminem nouimus secundum carnem: quòd si etiam nouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est. Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia.

Paulus Apostolus hucusque suam authoritatem contra æmulorum suorum calumnias diligenter asseruit, eaque occasione multa dixit de suo erga Ecclesiam studio. Id verò non fecit, vt suæ modò existimationi consuleret, sed potius ne Euangelij doctrina apud Corinthios in contemptum veniret, vtq; simpliciores argumentis instrueret, quibus fidem suâ tueri, & doctrinæ sanioris aduersarios arguere atque confutare possent. De istis verò omnibus sic disserit, vt simul suo exemplo doceat, quibus stimulis singuli seipsos excitare debeant in suis functionibus, quas illis Deus credidit. Quò cumprimis facit, quod de nouissimo IESV CHRISTI *aduentu dixit, ad cuius tribunal omnes nos sisti & manifestari oporteat. At ne quis ipsum ignobili solùm & seruili timore vrgeri putaret, nunc præcipuam sui studij causam indicat, quæ ipsum segnescere aut laboribus periculi sue fatigari non sinat: sed excitet potius, vt contemptis hominum de se iudicijs, totus in eo sit, vt quàmplurimos Christo adducat, & fidem in hunc longè lateq; propaget.*

Charitas Christi Paulum cõstrinxit, ne segnesceret.

Charitas enim illa Christi (inquit) constringit nos, &c. Paulò ante se hoc necessariò facere dixit, quia nouissimi iudicij terror ipsum vrgeat, at nunc se Christi charitate magis adhuc constringi testatur. Debet autem ea hoc loco Actiuè simul & Passiuè accipi: pro dilectione nimirum, qua Christus nos diligit, & pro ea, qua nos eum complectimur. Itaque hic verborum sensus est: Videor quibusdam affectui priuato indulgere, dum tanta cum constantia Christo gloriam suam vendico, vt omnes ab illo vno pendeant. Sed longè alia mihi mens est. Ita enim monet officium, quo illi obstrictus sum: & vt nihil porrò dicam de terrifico illius ad iudicium aduentu, & magno illo die, quo omnes ad eius tribunal sistemur, ipsa charitas, qua ille nos complexus est, & qua nos eum vicißim complecti debemus, nos quasi vinculis quibusdam constringit, vt non poßimus non apud omnes instare, vt debitum illi obsequium præstent. Etenim cùm inter homines (ipso Christo teste) hic summus dilectionis gradus sit, vt quis animam suam pro amicis suis deponat: ipse vt hûc superaret, pro inimicis & rebellibus mori dignatus est. Quis ergo illum satis dignè diligat? Ego certè me eius amori nunquam respondere posse sentio, qui me, crudelißimum Ecclesiæ suæ persecutorem, singulare gratiæ & bonitatis suæ exemplum facere dignatus est. Non poßum ergo nõ me ei totum impendere, &c. Ista autem verè dici à Paulo, Apostolorum facta testantur, qui vt initio omnia quæ habebant, propter Christum reliquerunt, & multis ab eo interdum deficientibus, ipsi cõstanter ei adhæserunt: ita postea cum gaudio pertulerunt carceres, plagas, conuitia, opprobria, imò volupe eis fuit pro illo mori, quem communis omnium nostrum vitæ authorem esse sciebant. Testis locupletißimi instar est totus Actorum liber, qui illorum res gestas, & imprimis quidem Pauli, prolixè describit. Ipse certè in Miletana Synodo dicit: Nunc ecce, ego vinctus Spiritu proficiscor Hierosolymam, quæ illic obuentura sint mihi, ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur, dicens, quòd vincula & afflictiones me manent. Verum nullius rationem habeo, neque vita mea chara est mihiipsi, vt consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino IESV, *ad testificandum Euangelium gratiæ Dei. Quibus consentiunt ea, quæ aliquantò post suis ab itinere suscepto ipsum dehortantibus, Cæsareæ respõdit: Quid facitis*

Ioan. 15.

Acto. 20.

facitis flentes & comminuentes cor meum? enimuero ego non solùm vinciri, sed & mori paratus sum in Ierusalem pro nomine Domini IESV. Vide Acto.20. & 21.

In præsenti autem docet suo exemplo Apostolus, quæ nam efficacissima ratio sit, qua nos excitemus ad veram fidei obedientiam, inque ea nos confirmemus aduersus tentationes, quæ nos inter pericula grauiora absterrere solent. Diligens nimirum atque seria amoris siue dilectionis Christi cõsideratio. Natura enim sic cõparatũ est, vt non possimus nõ redamare eos, à quibus nos ardentissimè amari nobis persuasimus. At quis de Christi amore dubitet, qui hunc pro nobis sanguinem suũ effudisse, & seipsum diræ atque infamis crucis supplicio tradidisse audit, vt nos ex morte in vitam assereret? Quid ergo de illis dicemus, qui Christi gloriam securi negligunt, neque aliquid audent pro ea asserenda, imò homines pluris quàm illam faciunt? Sunt isti profectò adhuc alieni à vera Filij Dei cognitione, neque credi potest, eos vnquam seriò cogitauisse de eius dilectione, qua & ille nos complexus est, & qua vicissim nos illum prosequi debebamus. — Fidei obedientia quomodo excitetur.

Cæterùm explicat seipsum Paulus, & quomodo ex dilectione Christi argumentetur, docet: Vt qui hoc statuerimus, siue ad hunc modum colligamus: Quòd si vnus pro omnibus mortuus fuit, vtique omnes mortui fuerunt: & ille pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Ex causa mortis Christi argumentatur, quòd nimirum nos per eam redimi oportuerit: & potest argumentum sic formari: Christus pro ijs mori debuit, qui iampridem mortui seipsos viuificare non poterant (Nec enim qui sani & validi sunt, opus habent medico, sed inualidi) At illum pro omnibus mortuum esse, Scripturæ non vno loco testantur: & ipsius verba sunt: Sic Deus dilexit mundum (Mundi vocabulo vniuersum genus humanum comprehenditur) vt Filium suum, Vnigenitum illum, pro eo traderet, &c. Item: Panis, quem dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Et rursus: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni Creaturæ, &c. Ergo totum mundum, id est, omnes homines peccatis demersos & in ijs obrutos fuisse oportet, adeò vt nemo sibijpsi subuenire potuerit. Quis verò hunc tam ardentem Christi amorem, & quod ex eo ad nos redundauit æternæ salutis beneficium dignè prædicauerit? Quid autem ex his colligit Paulus? Pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, posthac non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Continetur hoc argumento vniuersa salutis ratio, in qua hæc ex ordine consideranda veniunt. — Paulus quomodo ex Christi dilectione argumentetur. — Matth.9.

Primum, qui & quales sint omnes homines, si ex innata sibi & propria conditione æstimentur. Omnes mortuos fuisse dicit, & quidem ex Dei decreto, qui Adamo dixerat: Quacunque hora comederis ex fructu arboris huius, morte morieris. Comedit autem ille, & peccator mortisque reus factus, in hac sua vitiosa & infelici conditione posteros suos omnes genuit. Ideo de gentibus omnibus Paulus ad Ephesios sic scribit: Et vos vnà viuificauit, cùm essetis mortui in offensis & peccatis: in quibus olim versati estis, vt est vita mundi huius, secundùm principem, cui potestas est aëris, & Spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus. Inter quos & nos omnes olim conuersati sumus in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, eramusque natura filij iræ, vt etiam reliqui. Ad quorum confirmationem faciunt, quæ ad Roman. septimo Cap. de semetipso scribit, vbi legem peccati in membris suis inueniri queritur, & corpus suum corpus mortis vocat: nimirum vt demonstret peccatum in electis quoque adhuc locum habere, imò certamina subinde noua aduersus Spiritum instaurare, in quibus Dei gratia & auxilio peculiari opus sit. Quod si quis negare audeat, neque hoc in semetipso agnoscere velit, is aut Christum pro ipso mortuum esse, simul negabit, aut eius morte falsi conuincetur. Euertit ergò locus iste nõ solùm merita operum nostrorum, verumetiam vires nostras omnes. Quid enim faciat, aut facere possit mortuus? Ideo supra Cap. tertio, nos ne cogitare quidẽ aliquid posse dixit, tanquam ex nobis ipsis. — Homines qui & quales sint. — Ephe.2.

Secundo loco, vnde nobis per peccatum mortuis vita obtingat, Paulus docet. Ex eo nimirum, qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Est is Vnigenitus ille Dei Filius, qui ex Virgine Maria homo factus est, vt ea, quæ ad humani generis redemptionem requirebantur, posset perficere. Is mortuus est vt peccata nostra expiaret quæ in ipsum Pater nostri misertus deriuarat, sicuti ab Isaia fuit prædictum. Ita verò simul Legem, cuius sententia ad mortem deposce- — Vita ex Christo nobis obtingit. — Isa.53.

Rom. 8. Colos. 2. Heb. 2. bamur, eneruauit, & quod ex ea aduersus nos conscriptum erat chirographum aboleuit. Idem non mortuus modò est, verumetiam resurrexit ex mortuis, vt mortem vnà cum eo, qui huius habebat imperium, destrueret, & nobis vitam restitueret. Verissimè ergo de semetipso pronuntiauit: Ioan. 11. Ego sum Resurrectio & Vita. Et hæc quidem omnia Paulus gratuitæ dilectioni tribuit, qua nos ille complexus est: quod vt rursus omnem nostri meriti aut dignitatis fiduciam euertit; ita nos in illo solo acquiescere docet, quando præter eum nomen nullum sub cælo hominibus datum est, in quo nos seruari oporteat, &c. Acto. 4. Cap.

Officium hominis Christiani.

Tertiò, quod sit hominis Christiani officium, hoc loco admonemur: Vt qui viuunt, id est, qui vitæ illius veræ per ipsum participes facti sunt, non sibijpsis, sed ei viuant. Ergo ad solos Christianos, qui verè credunt, doctrinæ huius fructus debet restringi. Nam etiamsi Christus pro omnibus mortuus sit, omnes item ad se inuitet, eiusque meritum omnibus seruandis sufficiat, non tamen omnes in eo vitam consequuntur, quia non omnes credunt: imò plerique hominum dum praua carnis desideria illius Verbo præferunt, ipsimet sibi perditionis authores sunt. At qui illum per fidem amplexi, vitã illam veram gustauerunt, ij iam non amplius sibijpsis viuunt, sed ei, cuius morte & resurrectione se redemptos esse credunt. Sibipsis autem viuunt, qui suæ rationis dictata sequuntur, affectibus & desiderijs suis indulgent, neque aliquam habent vel voluntatis diuinæ, vel iustitiæ, aut receptæ inter homines consuetudinis rationem. E contra Christo viuere dicuntur, qui se totos huic impendunt & consecrant, & in illo homines quoque amore fraterno & syncero complectuntur. Et hoc est Christiani hominis officiũ, de quo in præsenti Paulus disserit, quodque negligere non possunt, quotquot exhibitum sibi in Christo æternæ salutis beneficium rectè agnoscunt. Nam exigit hoc Lex naturæ, & de eodem mos inter homines probos & honestos receptus nos admonet. Qui enim alicuius liberalitate ex vinculis aut triremi, ad quam damnati erant, redimuntur: ij se totos debent redemptori suo, & si huic ingrati sint, quouis supplicio digni esse indicatur. Quid ergo nos IESV CHRISTO negare possumus, qui cùm propter peccata nostra ad æternos inferorum carceres damnati essemus, nos sanguinis sui pretio redimere dignatus est? Quis non ingratos, iniustos, iniquos, imò indignos quos terra ferat, dixerit eos, qui seipsos non illi totos consecrant? Tales certè ne hominum quidem nomine digni sunt, cum neque naturæ legibus obtemperent, neque Dei & creaturarum, quas ille propter nos creauit, exemplo moueantur, vt suum faciant officium. Etenim Deus, cùm sibijpsi sufficiat, neq; alicuius creaturæ seruitio opus habeat, nõ tamen sibi soli viuit & regnat: sed quicquid habet bonorum, id omne in creaturas suas transfundit: & hominem ideo condidit, vt eum suæ gratiæ & bonitatis consortem faceret. Et si omnes huius mundi partes consideremus, vnà cum brutis animalibus, nihil in his omnibus inuenies, quod non alicuius vsui seruiat. Quis ergo hominem dixerit esse eum, qui omnibus alijs neglectis, & nulla beneficij per Christum sibi exhibiti ratione habita, sibi soli viuit, suisque modò desiderijs indulget? In horum consideratione si omnes diligentius versarentur, nullius certè laboris & studij eos tæderet in promouenda Dei gloria & aliorum salute.

Errant, qui nõ ab vno Christo pendent.

Quia verò homines Christiani, non sibijpsis, sed soli Christo viuere debent, sequitur eos etiam errare, qui homines quoscunque ex carne, id est, ex ijs quæ carnis iudicio magnifica sunt, metiuntur & æstimant, sic vt ab his potius quàm ab vno Christo pendeant. Erat hoc admodum vulgare apud Corinthios, adeò vt ex doctoribus suis quidã denominari vellet, & nimia istorũ admiratione decepti in diuersas sectas & factiones scinderentur. Et qui inter ipsos erant pseudoapostoli nõ nisi titulis inanibus sese venditabant. Ergo quod modò dixit, nunc huic etiam vitio applicat, et vt ei medeatur, sic infert: Itaque nos posthac neminem nouimus secundum carnem, &c. Quasi diceret: Glorientur alij carne, quòd ex Iudæis progeniti, quòd circumcisi, quòd Hierosolymæ à germanis & præcipuis Apostolis instituti sint: nos tamen qui ab vno Christo pendemus, & huic soli viuere instituimus, non possumus ista magni facere, aut aliquem propter ea maioris æstimare. Faciunt ad huius loci explicationem, quæ Paulus ad Philippen. scribit: Si quisquam alius videtur fiduciã habere in carne, ego magis habeo: Circũcisus octauo die, ex gẽte Israëlis, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus: quòd ad zelũ, persequens Ecclesiã: quòd ad iustitiã quæ est in Lege, irreprehẽsus. Sed quæ mihi erãt lucra, ea duxi ꝑpter Christũ dãnũ esse, etc. Vide locũ Phil. 3.

At hîc apparet, quàm errent, qui hodie omnes ad Romanam sedem astringunt, vtq; huic omnes animæ obtemperent, ex salutis necessitate esse aiunt: idq; propter successionem Apostolicã, quâ Pontifices Romani superbiunt. Nam vt hanc illis demus, eadem tamen ex carne est: & non ex personis fides probatur, sed personas ex fide probari necesse est, ideoq; non personarum, sed doctrinæ & fidei successio in hac controuersia spectari debet: quod olim Tertullianus quoq; monuit. Quis enim nescit, omnibus ferè seculis nequissimos impostores fidis Dei seruis successisse? Christi certè tempore in Mosis cathedra sedebant Annas, Caiaphas, Alexander, & horum similes nõ minus impij quàm inepti architecti, qui lapidem illum pretiosissimum reiecerunt, quem Deus vt caput anguli esset, destinauerat. Et quid obsecro successioni nudæ tribui debet, quando Paulus seipsum pro anathemate habere iubet, si aliud quid prædicet præter id, quod iam prædicatum erat? Galat. 1. Contra Romanæ sedi addictos.

Quoad verò huius loci argumentum, aduersarij Paulo ista dicenti, Christum obijciebant, qui ipse ex Iudæis natus, circumcisus, legi obnoxius & Iudaicæ gentis Apostolus fuisset. Illis ergo respondet, dicens: Quòd si etiam nouimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Sensus est: Nemo hîc mihi Dominum & Seruatorem nostrũ, IESVM CHRISTVM *obijciat, in quo eadem illa inueniantur, quibus æmuli mei seipsos vobis commendant. Nam olim quidem ista in illo agnouimus, & eadem tunc suum vsum habuerunt, quando ex æterno Patris decreto illum ex Dauidis stirpe verum hominem nasci, circumcidi & Legi subijci oportuit, vt noster vindex factus nos à Lege & maledictione, quæ nos premebat, liberaret. At nunc cùm omnia peregerit, quæcunq; in carne fieri oportuit, & iam moriturus ea omnia iam consummata esse testatus sit, carnem denique suam ex terris hisce in cælos euexerit, illum non amplius ex carne æstimamus, sed ex eo, quòd æternus est Dei Filius, in quo omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter, qui vt nobis à Patre vindex & redemptor datus est, ita nunc pro nobis apud Patrem intercedit, fidelis Pontifex in omnibus quæ illic sunt agenda. Quare non in carnis eius præsentia, aut aliqua carnis prærogatiua hæremus, vt Iudæi (qui quia ex ipsis natus est, illum ad ipsos solos pertinere putant) sed animis per fidem supra cælos euectis, eum ad dexteram Patris quærimus, vbi sedet Rex & Pontifex noster in æternum, &c. Hic loci huius sensus germanus & simplicissimus est, & ipsius Christi authoritate confirmatur, qui quoties aliqui in solam carnem eius intenti fuerunt, eos ad Ascensionem suam & Spiritum remisit. Capernaitis certè crassum quid de carnis suæ manducatione cogitantibus, dixit: Quid igitur, si videritis Filium hominis ascendentem eò, vbi erat prius? Et in vltima Cœna discipulos, qui propter ipsius discessum mærebant, consolaturus ait: Ne turbetur cor vestrum: creditis in Deum, etiam in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. Et ibidem: Rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Nempe Spiritum illum Veritatis, &c. Rursus nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego abeam: nam nisi abiero, Consolator ille non veniet ad vos, &c. Quibus addi potest, quòd quoties in ijs occupatus fuit Christus, quæ ex Patris cœlestis mandato pro hominum salute agenda erant, neq; matrem neq; fratres aut secundùm carnem sibi cognatos agnouit. Etenim cùm puer adhuc in templo doceret, & post longam & solicitam inquisitionem illic inuento Virgo mater diceret: Fili, cur ita fecisti nobis? ecce pater tuus & ego cruciati quærebamus te: Respondit ille: Quid est quòd quærebatis me? an nesciebatis, quòd in ijs quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et in nuptijs de vini penuria à matre requisitus dicebat: Quid mihi tecum mulier? nondum venit hora mea. Quò etiam pertinet, quòd cùm docenti quidam dixisset: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui: mox ei respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extensa manu in discipulos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei: Quisquis enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror, & mater est. Ex his omnibus Paulus à maiori ad minus argumentatur: Si ne Christus quidem ipse secundùm carnem spectari debet, quantò minus homines, qui toti nihil nisi caro sunt, priusquam Dei Spiritu innouantur?*

Paulus non nouit secundùm carnem. Ioan. 6. Ioan. 14. Ioan. 16. Luc. 2. Ioan. 2. Matth. 12.

Diligentius ista annotamus, quia olim quidam hoc loco abusi sunt, vt carnem Christi à diuinitate absorptam, & iam Deificatam esse euincerent. Quorum errorem, olim publica Ecclesiæ Ca- Contra Eutychianos.

tholicæ & Orthodoxæ authoritate damnatum, hodie instaurant, qui nobiscum de corporali carnis Christi præsentia & manducatione contendunt. At Paulus hîc Christum carnem veram habere, nequaquam negat: sed à carnis præsentia & superstitiosa eius fiducia homines Christianos suo exemplo auocare vult, vt talem agnoscant, qualis nunc est, quoad regnum & officium suum. Fecit enim caro eius, quicquid in terris facere debuit. Nunc in cælis habet quod agat, quibus illam capi oportet vsq; ad diem restitutionis omnium. Ibi eius vsus est, vt arrhæ loco nobis certam spem faciat, quòd nos quoq; corporibus nostris illuc transferendi simus: quod tunc fiet, quando ipse in carne sua veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Simul ergo confutatur his crassus illorum error, qui carnem Christi corporaliter, realiter, substantialiter in Cœna præsens adesse, & in vel sub vel cum pane contrectari, & à dignis simul & indignis realiter & oraliter manducari docent. Accusant illi nos, quòd Capernaitarum more crassum quid somniemus. At hoc ipsi faciunt, & simul alijs crassissimarum cogitationum authores sunt, dum illis non sufficit, si IESVM CHRISTVM, verum Deum & Hominem fide manducari dicamus, nisi eiusdem corpus verè & realiter manibus nostris contrectari, in os nostrum inseri, dentibus conteri, & verè atq; corporaliter deglutiri fateamur. At quis obsecro Cyclops aut Anthropophagus de suis epulis crassius & crudelius loqui poterat? Et qua fronte isti cum Paulo dicent: Quòd si etiam nouimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non amplius nouimus? cùm & meritum & Spiritus Christi, vnà cum fide & omnibus eius attributis illis nullius momenti esse videantur, nisi carnalem corporis eius præsentiam atq; manducationem cum illis confitearis?

Acto. 3.

Christianus est noua Creatura.

Sed audiamus huius loci conclusionem: Si quis igitur est in Christo, noua creatura est. In Christo esse dicuntur, qui ei per fidem insiti, & proinde veri & germani Christiani sunt. Et sensus est: Christianum hominem ex nulla carnis prærogatiua, sed ex regenerationis & innouationis effectu æstimari debere. Idem ergo hîc dicit, quod ad Galatas: In CHRISTO IESV neq; Circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed noua Creatura. Vnde autem hæc obtingit, aut ex quibus signis agnoscitur? Hoc idem ille in eadem epistola docet his verbis: In Christo neq; Circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed fides per charitatem agens. Ita verò vocat fidem veram & viuam, vt hanc à mortua distinguat, de qua Iacobus loquitur, quando nos non sola fide iustificari scribit. Quia verò quod in præsenti dicit, ijs qui adhuc à Lege toti pendebant, durum videri poterat, rationis loco subijcit: Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Quasi diceret: Nemo mihi veteres ritus & multorum seculorum præscriptione confirmatum cultum obijciat. Scitis enim, Nouum testamentum olim per Ieremiam promissum fuisse. Hoc Christus in sanguine suo nobis monstrauit, cùm in Cœna mystica solennem suæ mortis memoriam institueret: & ideo iam moriturus dicebat: Consummatum est. Et mox spiritum suum Deo Patri reddens, velum templi totum disrupit. Sunt ergo abrogata iam vetera illa, quæ hucusq; tam magnifica visa sunt, & Dominus per suæ mortis meritum nouam atq; veteri præstantiorem cultus diuini faciem inuexit, simulq; impleuit omnia, quæ olim sub typis & figuris illis adumbrabantur. Opus ergo est, vt relictis veteribus istis, ei posthac in Spiritus nouitate seruiamus.

Galat. 6.

Galat. 5.

Ierem. 31.

Externa non possunt seruare.

Debet hinc generalis doctrina peti: nihil esse inter omnia externa, quæ carni magnifica & præclara videntur, cuius aliqua sit in æternæ salutis vtilitas, nisi Spiritu Christi innouemur. Nam (vt paulò ante diximus) veri Christiani sunt, qui illi sunt insiti. Quotquot ergo extra Christum vagantur, & circa quascunq; alias res occupantur, ij Christiani non sunt. At qui in Christo sunt, ijdem noua Creatura sunt. Nec enim conuenire possunt inter se Caro & Spiritus, vt alibi Paulus ait. Manent quidem in electis reliquiæ carnis & peccati, ex quibus pugna illa exoritur, de qua ad Rom. 7. Cap. legimus. Sed non in ea succumbunt credentes, sed ius suum in illis Spiritus obtinet. Quòd si verò vetera illa aboleri oportuit, quæ stultitia, vel potius dementia est, in eorum locum substituere superstitiosorum hominum figmenta? In huius ergo loci meditatione diligenti nos assiduè exerceamus, & in vno IESV CHRISTO collocata omni salutis nostræ fiducia, eidem vni viuamus, vt ipse in nobis regnet & triumphet: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Galat. 5.

HOMILIA XXIIII.

Hæc autem omnia sunt ex Deo: qui reconciliauit nos sibi per IESVM CHRISTVM, deditq́ nobis ministerium reconciliationis. Etenim Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuitq́ in nobis sermonem reconciliationis huius. Itaq́ nomine Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine: Reconciliamini Deo. Fecit enim eum qui non norat peccatum, pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.

QVemadmodum Deus miseris mortalibus per Euangelij prædicationem omnes gratiæ suæ thesauros atq́ plenam salutem offert: ita ab eius gratia & salute excidunt, qui Euangelium audire dedignantur. Ideo Paulus in ijs, quæ proximè præcesserunt, ministerij sui rationem sic reddidit, vt simul summam doctrinæ Euangelicæ & totius religionis Christianæ complexus sit, quæ est: Homines, qui natura peccatores & filij iræ sunt, per IESV CHRISTI *meritum redemptos, & eiusdem Spiritu innouatos esse: & propterea illos huic vni viuere, omnibus autem ijs, quæ mundo magnifica videntur, renuntiare debere, vt omnis salutis nostræ gloria vni Christo transcribatur. Quia autem illic quædam obscurius dicta videri poterant, eadem in præsenti illustrat, & duo tradit, quæ in toto hoc negotio obseruatu & cognitu quàm maximè necessaria sunt. Primum, qua ratione Deus homines sibi reconciliarit. Alterum, vt nos reconciliationis istius participes efficiamur. Est ergo locus hic vnus ex præcipuis, qui in Scripturis habentur: vt qui summam eius doctrinæ continet, quæ in Ecclesia perpetuò debet retineri. Quapropter non pigeat singulas illius partes diligentius inspicere.*

Principiò præsentem locum cum ijs, quæ præcesserunt, connectens, summam omnium, quæ dicturus est, præmittit. Ea est, Deum homines sibi reconciliauisse per Filium suum, IESVM CHRISTVM, *beneficium verò hoc nobis offerre per Apostolorum ministerium, qui Euangelium in toto orbe terrarum prædicare debeant. Id verò sic enuntiat: Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibi, &c. Omnia ex Deo esse ait; quod in genere verum est, & de omnibus intelligi potest, quæ in cœlo & in terris siue sunt, siue fiunt. Nam & omnia condidit Deus, & idem omnia gubernat seq́ demittit (vt Psaltes canit) vt videat quæcunque in cœlo & in terra sunt. Sed in præsenti de ijs agitur, quæ ad humanæ redemptionis atque salutis negotium pertinent, de quibus hucusq́ dixerat: Christum videlicet pro nobis mortuum, nosq́ in illo nouam Creaturam factos esse, & ideo nos huic vni viuere, atque procul relictis omnibus, quæ caro admiratur, in hoc vnum intetos esse debere, vt nos verè per illum innouatos esse vniuersa vita nostra testemur. Hæc (inquit) omnia ex Deo sunt, qui nos infelices sibi per Christum reconciliare dignatus est, nobis autem Apostolis ministerium reconciliationis istius commisit.*

Tota salutis ratio ex Deo est.

Psal. 113.

Obseruabis autem hoc loco diligenter, authorem omnium, quæ ad nostram salutem faciunt, vnum Deum nobis monstrari, idq́ absq́ omni conditione, quæ vel tantillum nobis tribuat. Si enim nos spectes, nihil quàm vitiositatem totius nostræ naturæ extremam & prorsus deploratam inuenies. In peccato concipimur & nascimur. Ad bonum vires in nobis nullæ sunt, ne ad cogitandum quidem. Accedunt quotidiani lapsus, & omnis generis delicta, quibus recensendis nemo sufficiat, nos autem illa perpetuò clamare cogunt cum filio prodigo: Pater, peccaui in cœlum & in te, neque sum dignus, qui postbac filius tuus dicar. Item: Ne ingrediaris Domine in iudicium cum seruo tuo: Si enim transgreßiones nostras obserues, quis consistet? Quòd ergo vnigenitus ille Dei Filius, IESVS CHRISTVS, *in mundum venit, quòd idem ille hominem verum induit, quòd pro nobis in cruce mortuus mundi peccata expiauit, quòd in eo noua creatura, id est, ex peccatoribus iusti, ex filijs iræ filij dilecti, ex abdicatis regni cœlestis hæredes, ex carnalibus spirituales facti sumus: quòd item ministri aut præcones Verbi dantur, qui hæc tanta bona nobis annuntient: id omne ex Deo est, qui ita dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum traderet, vt omnis qui credit in*

Confutantur vires & meritum hominis.

Luc. 15.

Psalm. 143. & 130.

eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sufficit hoc confutandis omnibus, qui suis viribus aut meritis aliquid tribuunt. Poteſt enim singulis dici: Ex Deo eſt illud omne quo gloriamini. Quid habes, quod non accepisti? quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et hanc quidem doctrinā sacræ literæ passim inculcant, vtq; sic fiat necesse eſt, vt certa nobis esse possit salutis per Christum partæ fiducia. Nisi enim gratuitæ dilectionis & misericordiæ Dei fundamento nitamur, non possumus non fluctuare, cùm in nobis nihil omnino sit, in quo confidere possimus. Simul etiam nos officij nostri hæc doctrina admonet: Vt nimirum omnia nostra ad vnum Deum referamus, & (vt initio monuimus) illi vni viuamus, vt ipse in nobis glorificetur. Itaq; turpissimè falluntur, qui ex gratiæ Dei prædicatione licentiæ prætextum venantur. Quia autem duo his verbis proposuit Apostolus, vtrumq; diligentius explicat.

1. Cor. 4.

Quomodo nos Deus sibi reconciliarit in Christo.

Primū est, quomodo nos Deus sibi reconciliarit in Christo. In eo enim ferè offendit caro, dum non poteſt videre, quomodo vnus Christus tantæ rei sufficiat, vt nimirum per ipsum solum omnes omnium gentium & ætatum homines Deo reconcilientur. Dicit ergo: Etenim Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum, &c. Deus (inquit) erat in Christo, non quidem communi modò ratione, qua in omnibus creatis eſt & agit, sed ea, quam ipse Apostolus in epistola ad Colossenses exprimit, quando omnem plenitudinem Deitatis in ipso habitare dicit σωματικῶς vel corporaliter, id eſt, verè & essentialiter, vt qui non homo solùm sit, verumetiam Deus, eiusdem cum Patre substantiæ, potestatis & dignitatis: quod ipsemet testatur, dicens: Ego & Pater vnum sumus. Philippe, qui me videt, Patrem videt. Item: Non credis, quòd ego in Patre sum, & Pater in me eſt? Ad ista ergo respiciens Paulus, in præsenti scribit: Etenim Deus erat in Christo: hoc nimirum volens dicere: Nemo miretur, nos in hac causa tam graui solius Christi meminisse, per quem Deo reconciliati simus, neque huius vilis & ignobilis speciei, quam in carne sustinuit, aliquem offendat, vt eum tanto negotio solum sufficere non posse arbitretur. Nam hic ipse qui ex paupercula Virgine Maria Bethlehemi in stabulo verus homo natus eſt, qui item in extrema egestate educatus esuriuit, sitiuit, alsit, & poſt infinitos labores, opprobria & conuitia, diram atq; infamem mortem in ara crucis subijt: is (inquam) verus & germanus Dei Filius eſt, Patri consubstantialis & coæternus, ideoq; verus ille Immanuel eſt, de quo olim Isaias vaticinatus fuit, & proinde tantæ rei potuit sufficere. Nec temere hoc argumento Paulus vtitur, qui Christum eodem vsum fuisse sciebat, quando se bonum illum & fortem pastorem esse probare voluit, qui oues suas aduersus omnes insidias atque pericula possit seruare. Ego (inquit) do vitam ouibus meis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea: Pater meus, qui eas dedit mihi, maior omnibus eſt, nec quisquam poteſt eas rapere è manu Patris mei: Ego & Pater vnum sumus. Ioan. 10.

Col. 2.

Solus Christus reconciliationis Mediator.

Isa. 42.

Ioan. 14.

1. Tim. 2.

Acto. 4.

Discimus itaq; ex hoc Pauli loco, Mediatorem reconciliationis eius, qua nos in gratiam Deus recepit, esse vnum IESVM CHRISTVM, de quo ipse Pater olim per Isaiam pronuntiauit: Ecce seruus meus, quo nitar: electus meus, quo placatur anima mea. Et hæc ipsa verba cœlitus postea bis intonuit, δεικτικῶς de illo dicens: Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Verè igitur ipse discipulis dixit: Ego sum Via, & Veritas, & Vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et Paulus ad Timotheum: Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Quibus consentit Apostolicum illud axioma, quo coram Senatu Hierosolymitano publicè simul omnes protestati sunt, non esse aliud nomen sub cœlo inter homines datum, in quo nos seruari oporteat. Sunt loci isti diligenter obseruandi propter eos, qui gloriam, quæ vni Christo debetur, in Diuos partiuntur, & eadem opera multos ab illo abducunt. At si Christus reconciliationis istius Mediator esse non poterat, nisi Deus esset verus & Patri coëssentialis, nunquam ei aliqui per nos æquari poterunt, nisi eos quoq; Deos faciamus. Ita verò in principium fidei & religionis peccabimus, quod eſt: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Item: Etsi multi sint qui dicantur Dij, & in cælo & in terra: nobis tamen vnus eſt Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. 1. Corinth. 8.

Deut. 6.

Modus reconciliationis cum Deo.

Porrò modum quoque reconciliationis cum Deo Paulus exprimit, dicens: Non imputans eis

peccata:

peccata: nimirùm propter Christum, qui illa sua mortis merito expiauit. Rursus ergo totum mundum peccati arguit, simul autem eos consolatur, qui quòd se peccatores esse sentiunt, de reconciliatione cum Deo dubitant. Docet ergo hanc non in aliqua satisfactione nostra consistere, sed in eo, quòd nobis Deus peccata porrò non imputet, quæ Filius suus dilectus in se transtulit, & pro iisdem in ara crucis satisfecit. Est verò hoc nobis plus quàm necessarium, ne peccata nobis imputet Deus. Quia vbi peccatum, ibi ira Dei & mors. Cùm autem nemo mortalium illa expiare, aut pro suis delictis ipse satisfacere possit, vt ea ex gratia remittantur, & nobis non imputentur necesse est. Neque noua videri debet cuiquam doctrina ista, quando in ea omnes Scripturæ tam Veteris quàm Noui testamẽti consentiunt. Primæ etenim promissiones salutem nõ in aliquo hominũ opere, sed in solo semine illo benedicto monstrant, quod suo tempore nasciturum sit. In Lege verò etsi sacrificia pro peccatis plurima fuerũt instituta, ipse tamen sacrificandi ritus illos de eo admonebat, quod hic Paulus docet. Sistebatur victima ad altare. Imponebat illi manus is, qui eam adduxerat, vel sacrificulus illius nomine. Inde mactabatur, & spargebatur sanguis ad cornua altaris, vel etiam versus velum Sancti sanctorum. Innuebat autem manuum impositio, peccata in eum transferri, cuius typus erat victima illa, & proinde non imputari amplius iis, qui ea designauissent. Et Nathan cùm Dauidem audiuisset ex animo dicentem, Peccaui Domino: mox respondebat: Dominus transtulit peccatum tuum. Sed & ipse Dauid docere volens, in quo vera hominis beatitas consistat, sic canit: Beatus is est, qui exoneratus est transgressione, & cuius peccatum tectum est: Beatus homo, cui Dominus iniquitatem non imputat. Quibus consentit, quod Deus ipse per Isaiam pronuntiauit: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et rursus: Ego delebo transgressiones tuas vt densas nebulas, & vt nubẽ peccata tua. Quibus addi debet parabola creditoris & debitoris, quam Christus in Euangelio in hac causa proposuit: & quod nos omnes ex eius mandato precamur: Remitte nobis debita nostra, &c. Et hæc quidem sufficiunt contra ambitiosum illud commentum de satisfactionibus hominum, quas primitiua Ecclesia aliquot seculis ignorauit, & vtinam hodie adhuc ignorarentur.

2. Sam. 12. Psalm. 32. Isa. 43. & 44. Matth. 18.

Accedamus nunc ad alterum huius loci caput, quo vt nos reconciliationis istius cum Deo participes efficiamur, Apostolus docet. Pertinet ad hoc, quod in propositione dixit: Dedit nobis ministerium reconciliationis. Id verò nunc exponens, ait: Posuitq; in nobis sermonem siue verbum reconciliationis huius. Ita verò dicit Euangelium, quia per hoc prædicatur, Deum nobiscum in gratiam rediisse. Itaq; sensus est: Deus, qui mundum sibi reconciliauit in CHRISTO IESV, is nobis Apostolis hoc in mandatis dedit, vt faustum illud lætumq; gratuitæ reconciliationis nuntiũ omnibus gentibus prædicemus, & sic hoc tã salutari beneficio fruantur omnes, qui Euangeliũ audiunt, & audito credunt. Facit ergo ad huius loci explicationẽ, quod Dominus discipulis dixit: Ita oportuit Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Item: Profecti in vniuersum orbem prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Luc. 24. Marc. 16.

Vt reconciliationis participes efficiamur

Itaq; Euangelii prædicatio legitimum illud & ordinarium medium est, per quod gratia Dei & tota salus, quæ Christi merito quæsita & parta est, nobis applicatur. Hinc est, quòd Apostoli peccata remittere & seruare dicuntur: non quòd id in ipsorum sit arbitrio & potestate, sed quòd Euangelium prædicant, quo gratuita peccatorum remissio omnibus credentibus offertur, quodque Dei potentia est ad salutem omni credenti. Hæ etiam claues sunt, quibus Ecclesiarum ministri credentibus cœlos reserant, incredulis autem & pœnitere nesciis eosdem claudunt. Euangelio subseruiunt Sacramenta, quasi appendices & sigilla promissionum salutis, quæ in illo proponuntur. In istis ergo sese exercere debent Ecclesiarum ministri, vt nimirum in Euangelii prædicatione fideles sint, & salutare illud reconciliationis nostræ cum Deo mysterium omnibus diligenter commendent, inq; eius fide quosuis, quantum in ipsis est, confirment, curent denique ne qui nouam rebellionem faciant, dum abnegata fide & calcato per Christum ipsis exhibito salutis æternæ beneficio, ad diaboli castra redeunt.

Salus nobis applicatur per Euangelium.

Sunt hæc diligenter obseruanda propter Romanos Pontifices, quorum immoderata potentia

Contra Pontificum tyrannidem.

atque tyrannis huius loci authoritate validißimè confutatur, imò funditus euersa ruit. Primò enim, cùm Paulus ministerium reconciliationis Apostolis commissum esse dicat, illi imperium & dominium in Ecclesia sibi vendicant, & se Christi vicarios esse dicunt, quibus perinde vt huic data sit omnis potestas in cœlo & in terra. Quod Paulum IIII. nostro tempore apertè dixisse, cum aliquando ad eius mensam Monachi duo de Pontificia potestate ineptius disputarent, ex viro illustri audiui, qui tunc præsens adfuerat. Ea autem confidentia ijdem elati, diuina & humana turbant, & (quod Daniel fore prædixit) leges & tempora mutant, & mille modos, quibus per Christum parta salus nobis applicetur, à Magorum & incantatorum præstigijs non multum differentes, excogitarunt. Nam quod de Clauibus Christus dixit, illi ad Confeßionem auricularem & absolutionem priuatam transtulerunt, quam susurro quasi Magico obmurmurant ijs, qui ad ipsorum genua procidunt. Deinde ex Cœna Domini mystica Missam fabricarunt, quæ tota susurris & cantu à nemine intellecto, atque gesticulationibus theatricis constat: & per hanc meritum Christi & salutem omnem, non viuentibus modò, qui illam spectant, verumetiam mortuis applicari fabulantur. Pugnat hoc cum vsu Cœnæ ordinario, qui est, vt commemoratio sit mortis Domini, & per hanc nobis acquisitæ salutis sigillum. Fatemur quidem Sacramenta Euangelij appendices esse, sed eadem si absque illo considerentur, nihil sunt, & sine fide sumpta non quicquam prosunt. Accessit his Indulgentiarum mercatura, quas graui plumbo munitas, ceu amuleta quædam, hominibus superstitiosis vendiderunt. Enata ex his est peregrinationum superstitio & reliquiarum cultus: quibus omnibus, si ieiunia, vota monastica, cucullas, cilicia, conductitias preculas, campanarum pulsum, suffitus, oleum, sputum, salem, rosaria, & quæcunq; alia sunt huius generis adnumeres: mox videbis quàm parum fidi sint in domo Domini dispensatores, qui eius familiam tot frustraneis laboribus atque impensis inutilibus grauarunt. Quis verò hominum tales seruos domi suæ ferret, qui omni ordine turbato pro sua libidine omnia agerent? Et nos Christum putemus tam ambitiosis & auaris hominibus Ecclesiam suam subiecisse, quam proprij sanguinis pretio sibi acquisiuit? Discant potius omnes se accommodare ei ordini, quem Paulus in præsenti ab ipso Deo institutum esse scribit.

Summa & modus ministerij Apostolici.

Et hinc occasione sumpta, vt ipse atque alij Apostoli hoc suum ministerium obeant, docet. Itaque nomine Christi (inquit) legatione fungimur, velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine: Reconciliamini Deo, &c. Sunt singula emphatica, & sic causam istam proponi necesse erat, vt Euangelij prædicationem quæ tunc à multis contemnebatur, ab omni contemptu vindicaret. Sic ergo vult dicere: Hæc cùm ita sese habeant, nemo nobis vitio vertat, quòd liberius & maiori cum fiducia agimus. Vt enim sic agamus, nostri ministerij author, & communis salutis neceßitas exigunt: quæ monent, vt tanquam legati Regis regum apud omnes instemus qua possumus diligentia, vt sese cum Deo reconciliari patiantur. At quia in Apostolis ordinarium Euangelij ministerium institutum est, debent ista de omnibus ministris exponi, vt quid de ipsis iudicari debeat, discamus.

Ministri legationem obeunt Christi nomine.

Primò quia ministerij prius meminerat, & ministeriorum genera varia atque diuersa sunt, quale illud sit docet, quod ipsis Deus mandarit. Nam ipsos legatione fungi dicit, ipsius Christi nomine. Admonet de eo Apostoli vocabulum, quod Græcis legatum significat. Emphasim verò habet, quòd ipsos legationem hanc ipsius Christi nomine obire ait. Eo enim innuit, ipsos non solùm ab illo missos, verumetiam virtute ac Spiritu instructos esse. Id verò Verbi administros omnes officij admonet, vt nihil prædicent, quàm quod in mandatis acceperunt: in eo autem fidi sint atque intrepidi, ne vel mundi illecebris, vel tyrannorum minis sese ab officio dimoueri sinant. Etenim execrabilis ignauia est, Dei negotium timidius agere, qui vt vbique præsens adest, ita pro suo nomine laborantes deserere non potest. At simul meminerint in legatis morum grauitatem requiri, ne leuitate sua & petulantia, causæ, quam agunt, officiant, vel etiam heris suis inuidiam siue contemptum pariant. Curent ergo diligenter, ne vita exemplo destruant, quod docendo ædificarunt. Huc pertinent, quæ Paulus alibi de Episcopi vita & moribus præscripsit. Rursus verò singulorum est, Euangelij præcones pro legatis æterni Filij Dei agnoscere, ne horum contemptus in ipsum Christum redundet.

Deinde

Deinde, quomodo legationem hanc obeant, docet: *Velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine: Reconciliemini Deo.* Ostendit ipsos neq; obiter aut perfunctoriè, neq; etiam imperiosius ac insolenter agere: sed tanto studio & animorū contentione communem salutis causam vrgere, vt cum doctrina & adhortatione preces quoq; coniungant, neque pudeat supplices fieri ijs, quos videant esse præfractiores. Id autem verè ab eo dici, non ipsorum modò conciones & scripta testantur, verumetiam quæ in Asia Paulus fecit, & quæ tam nota fuerunt omnibus, vt in frequenti illa episcoporum Asiæ Synodo, coram omnibus auderet dicere: *Vos scitis, à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni modestia & multis lachrymis ac tentationibus, quæ mihi euenerant ex insidijs Iudæorum: Vt nihil subfugerim eorum, quæ vobis conducerent, quin annuntiarem vobis, & docerem vos publicè ac per singulas domos, &c.* Debent autem exemplum hoc imitari omnes ministri, vt quacunq; possunt ratione instent, vt quàm plurimos Christo lucrifaciant. Non pudeat ergo precari quoq; eos, qui vix alloquio digni videbantur: imprimis autem Deum orando fatigent, vt is suo Spiritu contumaciores emollire & flectere dignetur. At longè aliam viam Pontifices ingrediuntur, qui cùm Apostolici haberi velint, pro imperio quiduis mandant, & seculari brachio atq; Regum armis muniti, vel inuitos cogunt obedire omnibus, quæ ipsi ex suo cerebro fingunt.

Quomodo legationem suā obierint Apostoli.

Actor. 20.

Est autem hìc obseruatu dignißima plus quàm paterna Dei bonitas, qua erga nos vtitur. Etenim ea est nostræ naturæ & sortis humanæ calamitas siue miseria, vt nobis opus sit perpetuis ad Deum supplicationibus ea postulare, quæ ad salutem sunt necessaria. At cùm hìc vel negligentes nimiùm, vel etiam præfracti & gratiæ eius improbi contemptores simus, ipse per seruos suos eò vsq; se demittit, vt nobis quasi supplex fiat, & precibus apud nos obtinere studeat, vt quam ipse nobis offert gratiam amplectamur. Fecit hoc olim per Prophetas, vt in eorum sermonibus est videre. Apud Isaiam certè clamat: *O vos omnes qui sititis, venite ad aquas, & vos quibus non est pecunia, venite: comparate & comedite, emite sine argento & sine pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro non pane? &c.* Et per eundem Prophetam queritur, se tota die manus suas expandisse ad populum desertorem. Imprimis autem pathetica & amoris paterni plena est actio, quam apud Mich. cum ijsdē instituit, dicens: *Popule mi, quid feci tibi? aut qua nam re molestus tibi fui? Responde mihi. Num quòd eduxi te de terra Ægypti, et de domo seruitutis te redemi? quòd item misi ante te Aaronē, Mosem & Mariā? Popule mi, recordare quæso, quid consultarit Balak, &c.* Quis non admiretur tantam Dei indulgentiā? At superat hæc, quòd cùm tot seculis apud contumaces istos nihil profecisset, tandem Filium suum Vnigenitum misit, qui preces easdem apud eos repeteret. Et cum huic quoq; peßimam gratiam retulissent, idem Apostolos post se reliquit, qui legatione ista apud Iudæos simul & gentes ipsius nomine fungerentur, adeoq; supplices vbiq; clamarent: *Reconciliamini Deo.* Experimur hanc Dei bonitatem etiam nostro seculo, & paßim ad rauim vsq; clamant Christi præcones, vt ebriosi, auari, vsurarij, scortatores, idololatræ, quotquot deniq; alij iram Dei hucusq; flagitijs suis irritauerunt, his relictis ad illum redeant, & gratiam eam amplectantur, cuius nobis Mediator est factus IESVS CHRISTVS. Accedunt serijs ministrorum obtestationibus prodigia omnis generis, fames item, pestis, bella, seditiones, quibus omnibus Deus quasi cogere studet, vt ad mentem meliorem redeant ij, qui verbis flecti non possunt. Sed plerosq; plus quàm belluinus stupor occupauit, vt nihil audiant vel sentiant: digni nimirum, contra quos sui iudicij rigorem Deus breui proferat.

Deus nos rogare dignatur.

Isa. 55. & 65.

Mich. 6.

Cæterùm in præsenti rationem præcipuam Paulus adducit, qua Apostoli hominibus resipiscentiam persuadere studuerunt. *Fecit enim (inquit) eum, qui non norat peccatum, pro nobis peccatum vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.* De Christo loquitur, quem omnis peccati immunem fuisse dicit, adeò, vt ne norit quidem peccare. Quia enim eius conceptio & natiuitas purißima fuit, & ab omni Originalis vitiositatis labe prorsus immunis, peccatum in illo locum habere non potuit. Et ita facto opus erat, quia alioqui non potuisset pro nostris peccatis satisfacere. Illum (inquit) fecit peccatum pro nobis, id est, hostiam aut victimam pro peccatis nostris, dum eorum reatum illi imposuit, vt (sicuti Propheta ait) cum sceleratis fuerit reputatus. Cur verò id fecit Deus? Vt nos efficeremur iustitia Dei in eo, id est, vt nos, qui natura peccatores sumus, ad Dei tri-

Euangelij summa.

Isa. 53.

bunal pro iustis possemus comparere: Nimirum propter ipsum, qui nobis à Patre iustitia factus est. Vt enim Christus peccatum factus dicitur, quia nostrorum peccatorum reatus ei imputatus siue impositus fuit: ita nos iustitia Dei, siue coram Deo iusti dicimur, quia Filij sui iustitiam nobis Pater imputat, si illum vera fide amplectamur. Itaq; natura quidem peccatores sumus, iustitia autem nostra omnis ex imputatione est, vt alibi diligentius est explicatum. Ita verò pauris Euangelij summam Paulus comprehendit, vt nihil vehementius, nihil efficacius dici possit. Etenim ferreus sit oportet, qui Dei Patris nos tam amicè ad gratiam inuitantis voce non mouetur. Quis item non horreat peccatum, quod non aliter quàm indigna Filij Dei morte expiari potuit? Quis verò non ardeat eius iustitiæ desiderio, quæ sola nos apud Dei tribunal tuetur? Agnoscant ergo singuli hanc Dei Patris bonitatem indulgentißimam, & procul relictis vitæ prioris studijs, IESVM CHRISTVM toto animo complectantur, seq; totos ei consecrent vt cùm eodem ad regni cœlestis hæreditatem accedant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT VI.

HOMILIA XXV.

Operam verò nostram conferentes etiam hortamur, ne frustra gratiam Dei vos receperitis. Dicit enim Deus: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Nullam vlla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium: sed & in omnibus nos approbantes, vt Dei ministri.

Argumentum Capitis.

SVB finem quinti capitis summam humanæ salutis Paulus breuiter complexus est, & huius legatos à Deo constitutos esse dixit Apostolos, qui omnis loci & ordinis homines summo studio vrgere debeant, vt quam Deus nobis in Filio suo, IESV CHRISTO, gratiam spontè offert, gratis animis amplectantur. Ex eo autem occasione sumpta, quod in genere dixit, nunc Corinthijs applicat, quos grauiter hortatur & vrget, vt in semel recepta fide constantes perseuerent, ne gratiam sibi factam à Deo, sua negligentia aut inobedientia inanem reddant. Argumenta adducet plurima, quæ singula suis locis videbimus. Admonentur autem Pauli exemplo omnes Ecclesiarum ministri, vt non solùm de suo ministerio magnificè concionentur, eiusq; authoritatē contra improbos illius cōtemptores asserant, sed vt eadē vtantur quoq; fortiter apud omnes, quos admonitione, hortatione, vel etiam correptione acriori opus habere vident.

Applicat Corinthijs, quæ de ministerio suo dixerat.

Propositio totius Cap. est: Operam verò nostram conferentes etiam hortamur, ne frustra gratiam Dei vos receperitis. In Græco habetur συνεργοῦντες, quod si literam respicias, Cooperantes significat, & hoc loco variè exponi potest: Vt nimirum vel ad Deum referas, cuius cooperarios siue adiutores verbi administros esse in priori epistola dixerat: Vel ad Corinthios, quos in pietatis studio adiuuare soleat (quæ sententia Chrysostomo & Theodoreto placuit:) Vel ad ipsum Euangelium, quod adhortationibus crebris adiuuatur, adeoq; viuificatur, vt suum effectum habeat apud auditores: Vel ad ipsos ministros siue Apostolos, qui opus Domini quasi in vnum collatis viribus vbiq; locorum vrgeant. Et non malè omnes isti sensus argumento præsenti conueniunt. Itaque hoc dicere videtur: Quia ergo Deus sublime istud & salutiferum reconciliationis per Christum factæ ministerium nobis Apostolis commisit, quibus ceu socijs & adiutoribus vti dignatur: æquum est, vt nos quoq; coniunctis viribus negotium istud agamus, & hortationibus aßiduis vobis quoq; ad pietatem adiumento simus, neq; patiamur vos in cursu bene cœpto deficere, vt salutem iam parta vobis quasi ex manibus elabatur. Quod dum facimus, nemo nos vel morosos vel arrogantes esse putet: quia hoc omne ex officio, & quia vobis ita opus est, facimus.

Omnes homines adhortatione opus habēt.

Estq; hîc non oscitanter obseruandum, hæc Corinthijs dici, quos initio in fide plenè & perfectè insti-

fectè institutos fuisse, & omni scientia atq; cognitione abundauisse, Paulus ipse testatus est. Eosdē verò admonitione & adhortatione ista opus habuisse partim abusus, qui apud eos publicè irrepserant, partim vitia quibus pleriq; illorum priuatim laborabant, satis ostendunt. Inter quæ prorsus inexcusabile fuit, quòd eò licentiæ vsq; progreßi erant, vt idololatrarum quoq; epulis communicarent: quæ etiam causa fuit, vt Apostolus sub finem capitis huius adhortationem istam imprimis ad publicam illam Christianæ professionis prophanationem restringat. At non minus omnes homines admoneri necesse est, cùm propter innatam ingenij nostri vitiositatem, tum propter varias mundi illecebras, quibus nos Satan transuersos abripere studet. Omnibus ergo hanc Pauli adhortationem applicent ministri, ne qui gratiam Dei in vanum recipiant.

Fit hoc non vno modo. Primum, quando non contenti vno Christo, noua quædam salutis subsidia ei coniungimus, quæ homines superstitiosi ex suo cerebro finxerunt. Faciebant hoc Apostolorum tempore multi, qui Pharisaicæ doctrinæ fermento adhuc infecti, legem cum Euangelio miscebant, & circumcisione recepta seipsos Legi subijciebant. Quos in epistola ad Galatas Paulus acerrimè corripiens, inter alia dicit: Ecce, ego Paulus dico vobis, quòd si circūcidamini, Christus nihil vos iuuabit. Testor enim rursus omni homini, qui circumciditur, quòd debitor est totius Legis seruandæ. Vobis inanis factus est Christus per vosipsos, quicunq; per Legem iustificamini: à gratia excidistis. Quid grauius dici poterat, quàm Christum inanem fieri aliquibus, & eosdem à gratia excidere? At quantò verius hoc de illis dicetur, qui nō Legem Mosis, olim ab ipso Deo certas ob causas datam, sed vanißimorū hominum traditiones sequuntur? Obseruent hi, solum Christum esse viam, veritatem & vitam, nec alia via, quàm, per ipsum, ad Patrem veniri posse: eundem quoq; vnicum esse gregis Dei pastorem, ostium item in ouile Dei vnicum, fures autem & latrones esse eos, qui alia via in hoc perrumpere volunt. Deinde ij etiam gratiam in vanum recipiunt, qui Euangelium non applicant ad vitæ suæ & morum institutionem, vt fructum ferant sua professione dignum. De his in sementis parabola Dominus loquitur, & tales sunt, qui in viam vel in spinas verbi semē excipiunt: vbi vel à prauis diaboli suggestionibus aufertur, vel à mundi exemplo conculcatur, vel huius seculi curis atq; solicitudinibus suffocatur. Ita fit, vt ijsdem vitijs, quibus antea laborarunt, se iterum polluant, & factis negent fidem, quam ore profitentur: quæ manifesta est nominis Christiani prophanatio. Discant hi seipsos Deo hostiam viuentē sistere, vt Paulus ad Romanos monet. Postremo in vanum receperunt gratiam Dei, qui aliquousq; progreßi, tandem deficiunt, si quando crucem & pericula sibi imminere vident. Sunt hi, quos in loca lapidosa semen illud excipere Christus dicit, in quibus radices non potest agere. Itaq; cùm iam manu aratro admota, ad mundi huius fauorem respiciant, & pacem atq; otium quærant, nō sunt idonei ad Regnum Dei. Hodie tria hæc hominum genera paßim inueniuntur inter eos, qui Euangelium audiunt, & Christo nomen dedisse videri volunt: quare paucißimos est videre, qui verbum gratiæ non in vanum recipiant.

Vt Dei gratia in vanum recipidtur?

Galat. 5.

Luc. 8.

Rom. 12.

Luc. 9.

Quapropter Ecclesiarum ministros meminisse oportet, legationis suæ summam non in eo consistere, vt homines semel in gratiæ Dei & salutis cognitionem adducantur, sed vt qui adducti sunt, in ea perseuerent, & (quod Petrus monuit) vocationem & electionem suam firmam efficere studeant. Vt enim fidi legati est, Regis sui mandata non obiter modo exponere ijs, ad quos missus est, verumetiam rationibus & argumentis instare, vt eadem illi rata habeant: Ita ministri non docere modò, verumetiam monere, hortari, arguere, increpare, instare deniq; debent opportunè & importunè, donec se aliquid profecisse videant. Docet idem agriculturæ parabola, qua Spiritus sanctus sæpe in hoc argumento vtitur, & quæ ei optimè conuenit, cùm Ecclesia Dei aruum atq; vinea sit. Non autem sufficit hîc, vt singuli officium faciant, sed vt concordi & vnanimi studio operas suas conferant necesse est. Vt enim animorum distractio in re quauis noxia, ita inter Ecclesiæ ministros pernitiosißima, adeoq; exitialis est. Nam Ecclesiam in sectas distrahit, noua dogmata parit, altercationes & rixas excitat, & ita animos addit apertis fidei hostibus, vt multa tentent, de quibus ne cogitarent quidem, si illos idem sentire & velle cernerent. Exempla, quibus hoc confirmetur, in historia Ecclesiastica paßim habentur. Debebant ista nostro seculo diligentius considerari, quando pleriq; in vulgo Christianorum de gratia Dei nunquam, aut rarò, cogitant, sed

Ministri retinere studeant in Dei gratia eos, quos huic adduxerunt.

2. Pet. 1.

2. Tim. 4.

plus æquo securiores vitam viuunt plenam scandalorũ: Ministri quoq; plurimi, quasi nihil porrò ipsis agendum restet, vel cum improbis huius seculi filijs colludunt, vel inter se rixis & iurgijs minimè necessarijs digladiantur: interim verò ea collabi sinunt, quæ antecessorum cura & pio labore ædificata fuerunt. Sed quia hæc deplorari facilius quàm corrigi possunt, nos ad Paulum redeamus, qui quod proposuit, argumentis validißimis confirmat.

Ratio, à temporis circumstantia.

Primum à temporis circumstantia sumitur, & Isaiæ prophetæ authoritate confirmatur, apud quem Deus ista pronuntiat, quæ hîc Paulus adducit. Locus extat capite 49. Vaticinatur illic Propheta de Christo, qui Ecclesiam suam ex omnibus gentibus collecturus sit, etiamsi Iudæi seipsos ei minus obsequentes præbeant. Vtq; magis ad se pelliciat hominum animos; omnis generis bona pollicetur, quorum ille author siue mediator est omnibus, qui ipsum cum fide recipiunt. Primum his verbis explicat: Tempore accepto exaudiam te, in die salutis adiuuabo te. Quæ verba Paulus per præterita citat, dicens: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Id verò facit exemplo communi Prophetarum, qui de rebus futuris vaticinantes, præteritis vtuntur, vt promißionum Dei certitudinem & veritatem indubitatam exprimant. Infert autem ex his Prophetæ verbis Paulus: Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Quod autem tempus acceptum nos dicimus, id Hebræi tempus Razon, id est, beneuolentiæ & gratiæ, aut beneplaciti vocant: & ita tempus illud dicitur, quod Deus præfiniuit ad hoc, vt humani generis missertus cum eo in gratiã redeat: quod Paulus alibi tempus plenitudinis dicit, eò quòd peracta & impleta fuerunt, quæcunq; prius fieri oportebat, vt nihil restaret præter aduentum Filij Dei in carnem. Rectè autem & propriè illud tempus acceptum, siue tempus gratiæ dicitur, quia eos quoq; recipit Deus (vt Chrysostomus annotauit) qui millies peccarunt: nec modò in gratiam recipit, verumetiam in pristinam gloriam, ad quam Adamus conditus fuerat, & libertatem filiorum suorum restituit. Est autem argumentum, quo Paulus vtitur, eiusmodi: Deus certum constituit tempus, quo miseros mortales in gratiam recipere vult, & bonorum cœlestium hæredes facere: Ideo se huic tempori accommodare debent, quicunque gratiæ & salutis æternæ cupidi sunt. Atqui tempus illud est, quo Filium suum vnigenitum in mundum misit, qui nos illi reconciliauit, & suæ mortis merito partam salutem per Euangelium omnibus liberaliter offert: Ergo accommodate vos huic, ne gratia hæc vobis ex manibus elabatur, & à salute excidatis, quam iam apprehendisse videbamini. Argumenti huius ratio ex communi ordine dependet, quem in tota rerum natura Deus instituit. Nam vt sapiens ille ait, certum tempus habent omnia, quæ sub sole fiunt: & aliud quidem tempus arationi, aliud sementi, aliud meßi, aliud vindemiæ, aliud nauigationi destinatum est: quæ momenta temporum si quis præterlabi sinat, frustra tentabit postea, quæ suo tantum tempore vtiliter possunt fieri. Ita verò gratiæ quoq; suæ tempus certum definiuit Deus: quod si quis neglexerit, frustra illam postea requiret.

Eccles. 3.

Tempus gratiæ quid sit?

Vbi tamen nemo superstitiosas dierum aut horarum obseruationes animo concipere debet, circa quas multi occupantur. Sed in genere tempus gratiæ censeri debet totus ille omnium seculorum decursus, qui à nato ex virgine Christo ad finem mundi vsq; extenditur. Nam totum illud tempus Christo tribuitur, qui nobis gratiæ Dei Mediator atq; vnicus salutis author est. Deinde singuli tempus gratiæ sibi adesse sciant, quoties Deus ipsis per Euangelium aures vellicat, & vt Filium suum vnigenitum audiant, eiq; obtemperent, hortatur. Habent enim singulæ gentes & singuli homines suum tempus, quo lucem veritatis Deus illis reuelat: quod non obscurè Paulus innuit, quando in concione ad Lystrenses fatetur, permisisse Deum præteritis ætatibus gentes ambulare in suis vijs. Et si Apostolorum acta legas, videbis illos non temere discurrisse per orbem terrarum, sed spiritum ducem secutos esse, qui eos modò hîc modò illic prædicare iussit. Petrus certè non sponte, sed à Deo euocatus Euangelium Cornelio Centurioni prædicat. Paulus & Barnabas à Spiritu sancto segregantur, vt Euangelium inter gentes prædicent. Imò Paulus aliquando in Asia docere à Spiritu Sancto prohibitus fuit: & cùm ex Mysia in Bithyniam proficisci statuisset, non permisit hoc idem Spiritus: nimirum, quòd iam tempus illud instaret, quo Macedonibus verbum gratiæ annuntiari oportebat. Et quoad singulos homines, permittit interdum Deus, vt qui ex electorum numero sunt, aliquandiu in superstitionibus & erroribus vagentur, imò per

Actor. 14

Acto. 10. 13. 16.

scelerum

scelerum quoq; lacunas volutentur, suo autem tempore veritatis luce conuicti resipiscant, & ad Christum accedant, cuius gratiæ exempla in publicanis, meretricibus & Paulo Euangelica historia proponit. Ita verò salutis æternæ donum Deus dispensat, vt vel ex eo constet, illum nos ex gratuita misericordia seruare, neq; vllis legibus esse astrictum. Ideo in præsenti tempus gratiæ aut beneplaciti primo loco ponitur, & huic subijcitur dies salutis: nimirum, quia hanc sperare non liceret, nisi nos sua gratia & misericordia Deus dignaretur.

At hîc tenere oportet, notam siue signum eius diei esse Euangelij prædicationem, per quam Deus & gratiam suam, & salutem nobis offert. Etenim seriò is nobiscum agit, neque ludit nos inanibus promissis. Tunc ergo nos aduigilare conuenit, ne oblatam nobis salutis occasionem negligamus. Nam instar pluuiæ aut imbris transeuntis est Euangelij prædicatio, & ferè non redit ad eos, qui semel sibi oblatam excluserunt. Quoad singulos autem, pœnitentiæ & gratiæ tempus est, quàm diu hac vita frui datur: quia quandocunq; nos peccatorum pœnitet, & ad Deũ conuerti iuuat, fores gratiæ eius nobis patent. At huius vitæ curriculum emensis nulla spes reliqua est: quia (vt Abraham diuiti epuloni dicebat) nemo ex inferis in cœlos ascendere, aut ex his ad illos transire potest. Et notũ est, quid fatuis virginibus acciderit, quæ lampades suas in sponsi occursum nõ præparauerant. Quoties ergo Deus nos ad pœnitentiã inuitat, & gratiam suam nobis in Christo offert, tunc tempus illud acceptũ adesse, & illum ad ostium stare atq; pulsare cogitemus, & illum toto animo admittamus. Stulti nimiùm & infelices sunt, qui rem qua nulla magis necessaria est, in extremam senectam vsq; differre instituunt, cùm ignorent, an vel in crastinum vsq; superstites futuri, nedum num ad senectam peruenturi sint.

Signũ gratiæ, prædicatio Euangelij.

Isa.55.

Matth.25.

Porrò vt ad Paulum redeamus, quia administrorum verbi adhortationes parum efficaces sunt, nisi ipsi eas proprio exemplo confirment, & ita se gerant, vt appareat eos seriò agere, neq; dubitare de ijs, quæ alijs persuasa volunt, nunc seipsum Apostolus in exemplum proponit. Nos (inquit) vos hortamur, qui nullam vllâ in re præbemus offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum: sed & in omnibus nos approbamus vt Dei ministros. Quasi diceret: Si iniqua aut dura præscribere videor, meipsum respicite, & vt me geram videte: & spero vos mox intellecturos, me atq; collegas meos hoc ipsum summo studio agere, quod à vobis impetrare cupimus. Etenim in hoc sumus, ne quam alicui demus offensionem, ne (quod alibi dixi) dum alios hortamur, ipsi reprobi esse, & in vanum cucurrisse depræhendamur. Et poterat hoc dicere Paulus, cùm (vt aliâs audiuimus) à licitis quoq; abstineret. In sequenti autem sermone exponet, quibus studijs fidem suam Deo & hominibus approbet. Hoc autem dicendo, simul Corinthiorum stultitiam arguit, qui contemptis fidis & germanis Christi ministris, homines nequam & impostores, neq; vllis virtutibus apostolicis ornatos, in pretio habebant.

Ministri adhortationes exemplo proprio confirment.

1.Cor.9.

Interim suo exemplo docet, quid eos facere conueniat, qui alios docere aut monere ac hortari instituerunt: Nimirum, ne quam ipsi dent offensionem. Non ait: Ne quem offendamus: Aut, ne quis offensionis ansam siue scandalum ex nobis arripiat. Id enim ministri cauere non possunt. Nã vt coguntur multa ex officio dicere, quæ multos offendunt: ita multi scandalum arripiunt, vbi reuera nullum datum est. Exempli gratia: Si Ecclesiæ minister vxorem ducat, multi offenduntur: si scortetur, non item. Quis verò sanæ mentis propter istos scortandum potius quàm nubendũ esse dixerit? Et inter eos, qui Euangelicæ doctrinæ sectatores haberi volunt, multos dicendi & & corripiendi libertas offendit, à qua tamen ministri sibi temperare non possunt, siquidem Deo & Ecclesiæ fideles esse velint. Sufficit ergo, si curent, ne quam dent offensionem, ea faciendo, quæ vel per se mala & inhonesta sunt, vel saltẽ non necessaria sunt factu, & quæ vtilius omitti poterant. Etenim qui calumniandi occasionem præbent non necessariam, quâ Euangelicæ doctrinæ cursus impeditur, ij non vno scelere seipsos grauant. Nam & Dei consiliũ remorantur, quantum in ipsis est, qui ignem hunc vbiq; locorum ardere & indies latius propagari vult: & multorum saluti obstant, quibus seruandis potius studere debebant. Sunt igitur ex eorum numero, qui cæco scandalũ ponunt, quos Deus in Lege totius Ecclesiæ consensu pro maledictis & execrationi obnoxijs censeri vult. Vtinam verò illud hodie omnes diligentius expenderent, quando apud omnis loci homines peccatur. Inter eos enim, qui Ecclesiarum præsules haberi volunt, plurimi sunt, qui nec ipsi do-

Offensiones ne dentur.

Leuit.19.
Deut.27.

Luc.11. cent, nec alios docere sinunt. Scribarum nimirum similes, qui nec ipsi in Regnum cælorum ingrediebantur, neq; alios ingredi sinebant. Alij falsa docent, & non nisi sua quærunt, ideoq; infelicem popellum in ignorantia & superstitionibus studiose retinent. Sunt rursus qui bene quidem docent, sed quod docendo ædificant, vitæ suæ exemplo destruunt: quales nimirum sunt vsurarij, scortatores & adulteri, percussores, ebriosi, voluptuarij & Epicuri de grege porci. Quibus omnibus seruit

1.Sam.2.3. Malach.2. filiorum Heli exemplum, & grauis illa Dei sententia, quam Malachias contra sui seculi Sacerdotes pronuntiauit. Quòd si ad viros politicos transeamus, ibi quoq; sunt, qui veritatis doctrinā persequuntur. Quod qui nō faciunt, ij saltem suo exemplo illā apud vulgus in contemptū adducunt, dū vel bona Ecclesiæ impudenter diripiunt, vel scholas euertūt, et bonas leges improbè dissipant. Nec minus hoc loco parentes peccant, qui liberos suos negligunt, vel etiam iisdē mali exempli authores sunt: quibus adnumerari debent omnes, qui Christiani nominis professioni minus respondent. Hos

Matth.18. omnes suo ore Christus damnat, quando ei, qui pusillum aliquem offenderit, vtilius fore dicit, si mola asinaria ex collo ipsius suspensa demergeretur in mare. Meminerint ergo singuli, Regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute, & ita viuant, ne gratiam Dei in vanum receperint, sed potius proficiant indies in IESV CHRISTO, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXVI.

In tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in tumultuationibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs: in puritate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu Sancto, in charitate non simulata: in sermone veritatis, in virtute Dei, in armis iustitiæ dextris ac sinistris: per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes, vt seductores, & tamen veraces: vt ignoti, & tamen noti: vt morientes, & ecce viuimus, vt qui castigamur, nec tamen occidimur: vt dolentes, semper tamen gaudentes: vt pauperes, sed multos ditantes: vt nihil habentes, sed omnia obtinentes.

Hortatus est nuper Paulus Corinthios, vt curent, ne gratiam Dei in vanum receperint, sed fide constanti & moribus verè Christianis salutem suam tueantur. Vtq; efficacior apud illos esset adhortatio ista, rationibus eam confirmauit, quarum prima à tempore sumitur, cuius occasionem non debeant negligere: alteram à proprio exemplo producit, docens, se nihil ab ipsis requirere, quod non ipsemet faciat, qui totus in eo sit, ne cui scandalum præbeat, sed se fidelē Dei ministrū esse factis & studijs suis omnibus publicè testetur. Quod verò in genere proposuit, id nunc diligentius explicat per partes, & amplius suo exemplo docet, quibus virtutibus vacare & studere debeant, quicunq; Deo probari volunt. Quia ergo ista omnium institutioni seruiunt, singula ex ordine videbimus.

I. Tolerantia Apostolorum. 2.Tim.3. Luc.8. Primo loco tolerantiam siue patientiam ponit, quæ hîc ceu fundamento aliarum virtutum opus est, quia omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur, neq; ex verbi semine fructus aliquis nascetur, nisi patientia armati per omnia obstacula & propriæ carnis illecebras eluctemur. Ideo patientiam multam sibi tribuit, vt ostendat, non modica aut vulgari opus esse, quando multa vndiq; occurrunt, quæ Dei seruis molestiam & labores exhibent. Ne tamen patientiam iactare videatur, qua nulla opus sit (vt hodie personati Apostolici inter amplissimas opes atq; omnis generis delitias se multa pro Ecclesia Christi & publica salute pati atq; sufferre gloriantur,) multas & diuersas afflictionum species, quibus exerceatur, enumerat.

Necessitates. In his primæ sunt necessitates, per quas penuriam rerum necessariarum intelligit, qua illum sæpius laborauisse, ex eo apparet, quòd interdum manuum suarum labore victum sibi parauit. Id verò credentium eius seculi ingratitudinem arguit, qui tanto Apostolo tam illiberaliter prospexerunt,

seruirent, cùm interea gentium sacrifici & malorum dæmonum mystæ splendidè viuerent atque voluptuarentur. Sed est hæc sors seruorum Dei in hoc mundo, qui mendacia Veritati præfert, & ideo impostoribus magis quàm Verbi diuini administris fauet. Sic olim in speluncis pane & aqua non sine periculo alebantur Prophetæ, cum Baalis Sacerdotes ex regia mensa delitiarentur. Nemo igitur hodie offendatur, si quid simile accidit. Meminerint autem ingratissimi homines, plerunque diabolo tandem ea cedere, quæ Christo & eius seruis negantur. 1.Reg.18.

Secundò angustiæ siue anxietates nominantur: quibus pericula ineuitabilia intelligit, quæ nos omnis consilij & auxilij incertos reddunt. Tale fuit, quod in Asia ei accidit, quando de vita sua iam quasi desperauerat, vt Cap. primo audiuimus. Tertiò plagarum meminit, quas ipsum non semel perpessum esse constat. Nam Philippis virgis cæsus, & apud Lystrenses lapidatus quoque fuit. Infra quoque scribet, se à Iudæis quinquies plagas quadragenas, vna modò minus, accepisse. Quarto carceres addit, quibus eum frequenter conclusum fuisse, non est dubium, cùm toties verbera & plagas sustinuerit. Memorabilis tamen præ alijs est historia, quæ Acto.16. Cap. describitur de carceris custode ad fidem Chisti conuerso per miraculum, quod in Paulo & Syla, qui in vinculis detinebantur, æditum esse videbat. Angustiæ. Plagæ. Carceres.

Coniungit his quinto loco tumultuationes. Græca vox agitationes & confusos atque subitos motus significat, qui nos certas sedes habere non sinunt, sed solum subinde cogunt vertere. Quod ferè in seditionibus fieri solet, in quibus plerunq; meliores præ alijs periclitantur. Istis verò Paulus iam inde ab initio suæ vocationis exagitatus fuit. Etenim Damasci tota vrbs commota, & præsidia militum portis imposita fuerunt, vt non alia effugij via ei pateret, quàm per mœnia, ex quibus sportæ impositum discipuli demiserunt. Mox Antiochiæ in Pisidia per seditionem ex finibus eius regionis eiectus fuit. Grauiora autem Lystris passus Derbam se contulit. Eadem eius sors fuit in Macedonia, vbi publicæ seditiones contra illum excitatæ sunt sub legum Romanarum prætextu. Apud Corinthios verò, etsi diutius moram traxerit, parum tamen tuta ei fuit ciuitas illa, adeò vt se illic cum timore & tremore multo versatum esse, in priori epistola testetur. Superauit omnia hæc Ephesina seditio, quam Demetrius aurifaber concitauit, quæ illinc quoque Paulum abire coegit. Et hæc quidem omnia acciderunt, priusquam hanc epistolam scriberet. Accesserunt deinde grauiora Hierosolymis, vbi per seditionem captus, & tandem Romam vsque deductus est. Tumultuationes.

Debet autem hoc loco obseruari singulare diaboli stratagema, qui ferè sicubi Euangelium primò prædicatur, illic publicos motus & seditiones excitat; vt ea ratione doctrinam hanc exosam & inuisam reddat. Scit enim optimos quosq; nihil perinde atque seditiones odisse, quibus nihil Reipub. periculosius accidere potest. Exempla huius generis multa vidimus nostro seculo, quæ Euangelij ministros excitare debent, vt prudenter & circumspectè agant, ne importunitate nimia, aut non necessarijs mutationibus alicui occasionem tumultuandi præbeant. Quin potius commendent diligenter populo obedientiam, quæ magistratibus debetur, & eundem ad patientiam potius quàm ad vindictã instruant. Quòd si nihilominus absq; ipsorum culpa motus publici exoriantur, tunc quoad eius fieri potest, intrepidi suam stationem teneant, neque illos moueant impiorum calumniæ, qui malum hoc omne ipsis & Euangelio acceptum ferunt. Sic Eliam olim fecisse legimus, quando turbati Israelis crimen ei immerenti Achab obijciebat. Et memorabilis imprimis est D. Ambrosij constantia, qua cum Mediolani propter basilicas, quas Cæsar Arianis tradi volebat, populus tumultuaretur, vsus est. Vide eius epistolam ad Marcellinam sororem, quæ in libro quinto trigesima tertia habetur. Diabolus Euangelium inuisum facit per seditiones.

Sed redeamus ad Pauli catalogum, qui sexto loco labores nominat, quos sanè multos & graues sustinuit. Nam in apostolatu suo plus alijs laborauit hinc inde terras obeundo, vt quàm plurimos Christo adduceret. Idem suis humeris Ecclesiarum omnium curam impositam esse sentiebat, cùm gentium Apostolus & doctor esset designatus. Quibus accedebat, quòd sæpe manuum labore victũ quoq; quærere cogebatur, vt initio diximus. Et poterant de eo Corinthij testari, qui tentoria texentem viderant. Et huc vigiliæ pertinent, quarum simul meminit, & quas partim labor ille textorius requirebat, partim ipsa quoq; docendi functio. Scimus enim non tutum fuisse tunc tem- Labores. Vigiliæ.

poris hominibus Christianis cœtus diurnos habere, & ideo ferè noctu ad audiendum Verbum Dei, ad Sacramentorum distributionem & preces publicas conuenire solebant. Exempla habes Acto. 12. & 20. cap. Et Plinius secundus in suis ad Traianum Imp. epistolis eiusdem moris meminit. Ex eo per κακοζηλίαν initium sumpserunt vigiliæ Papisticæ, vnà cum lampadibus & cereis, quæ hodie interdiu quoq; in illorum templis ardent, quibus homines superstitiosi salutis quoq; meritum tribuunt. At longe alia fuit veterum Christianorum conditio, quibus ignaui illi Penelopes sponsi tantumnon illudunt & insultant, dum cum populi Christiani ludibrio ijs ad hypocrisim & quæstum abutuntur, quæ illi sit facere olim coacti sunt. Addit his Paulus ieiunia quoq;, non quidem voluntaria (cur enim ista hic referret?) sed ea quorum ei causa erant vel penuria, vel negotiorum multitudo, vel peregrinationes non minus periculosæ: quàm laboriosæ: in quibus ne cibum quidem suo tempore semper capere licebat: quod Christo quoq; aliquando accidisse scimus, vt propter populi concursum ad mensam non posset accumbere.

Ieiunia.

Multæ sunt afflictiones piorum.

Et ista quidem sunt, in quibus Apostoli patientiam suam exercuerunt: quo loco admonemur, quàm duris quamq; varijs casibus Deus seruos suos exagitari sinat. Quod enim Paulo accidit, hoc ipsum multis alijs accidisse scimus, qui Dei seruitio se totos consecrauerunt. Nec temere dictum est: Multæ sunt tribulationes iustorum. Item: Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei. Neminem ergo hodie similia exempla offendant. Est enim in hoc seculo vallis lachrymarum, neq; à malis immunes sunt, qui mundo & prauis suis desiderijs seruire in animum induxerunt: imò illos interdum horrenda exempla fieri videmus, dum improuisis calamitatibus oppressi, nulla autem spe auxilij diuini suffulti desperant, & belluino vlulatu nequicquam de suis aduersis quiritantur. Itaque soletur nos magnum illud, quod inter nos & illos est discrimen. Nos enim Deum habemus propitium: hunc illi sibi iratum sentiunt. Nobis item per aduersa iter ad cælos patet, & in illis Christo conformes efficimur: illis verò hæc maiorum & æternorum cruciatuum sunt initia.

Psalm. 34.
Acto. 14.

II. Virtutes Apostolicæ.

Quia verò huius seculi afflictiones per se non seruant, nisi officiũ faciamus, subijcit his Paulus virtutes verè Apostolicas, quibus homines Christianos instructos esse oportet. Nam se ista, quæ enumerauit, sufferre dicit: In puritate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, &c. Primò puritatem nominat. Græcè est ἁγνότης, quam castitatem verterunt: vnde occasionẽ arripuerunt superstitiosi, vt locum hunc de Virginitate interpretarentur, quæ tandem impurum illum cœlibatum in Papatu peperit. Sed puritas ista totum hominẽ requirit, & initium eius ex corde est (sicuti Dominus apud Matthæum admonet) & inde ad omnes vitæ actiones extenditur. Decet ea omnes Christianos, & in coniugio quoq; locum habet, cuius thorum Apostolus ἀμίαντον, id est, impollutum dicit. Quò Paphnutius respiciens congressum cum propria coniuge castitatem esse dicebat. Sunt ergo parum Apostolici, qui sub cœlibatus prætextu per omne genus libidinis volutantur. Discant Christi serui alijs exemplar esse in puritate. 1. Tim. 4.

Puritas.

Matth. 15.
Hebr. 13.

Scientia.

Deinde Scientiam ponit, nimirum rerum spiritualium, quæ ad salutem sunt necessariæ. Comprehendit hæc docendi facultatem, quæ nisi minister instructus sit, scientia eius non multũ proderit Ecclesiæ. Obtingit illa à solo Deo, patre luminum, vt Iacobus ait. Opus tamen studio diligenti & assidua lectione, ad quæ Paulus Timoth. suum hortatur: precibus item serijs & ardentibus. In his ergo sese exerceant, qui in Verbi ministerio cum laude & fructu aliquo versari volunt. Arguit hoc ignauos & mali exempli ministros, qui procul relictis libris pocula sectantur, aut venationi & aucupijs vacant, obliti nimirum, se ad homines capiendos à Domino destinatos esse.

1. Tim. 4.

Vide Matt. 4.

Longanimitas.

Tertio longanimitatis meminit, de qua dictum in prioris epist. cap. 13. Opponitur ea iræ præcipiti. Opus illa doctori, cum quia Dei minister est, qui tardus ad iram esse dicitur: tum quia hoc requirit hominum prauitas & contumacia, quæ nisi arte tractetur, ferè incurabilis solet fieri. Neq; hic ministrum alicuius laboris & studij pigere debet, quando videmus quàm patientes et industrij sint, qui elephantes, vrsos aut equos ferociores instituere & cicurare statuerunt. Parum ergo proficiunt, qui mox ad excommunicationis fulmen recurrunt, aut gladio cædendos iudicant, qui vel in minimo ipsis cõtradixerint. Vtinam illi de colligendis potius ad Ecclesiam hominibus cogitarent, deq; ijs retinendis, qui spontè secessionem parant. Audiant illi Paulum Timotheo suo sic dicentem:

dicentem: Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrariè sunt animo affecti, si quando det eis Deus, vt conuersi agnoscant veritatem, &c. 2. Tim. 2.

Quarto bonitas ponitur, quæ cum longanimitate coniuncta est, & placidos facit, qui se omnibus faciles & commodos præbent. Ex his ergo æstimari debent homines Christiani. Nam licet Paulus de seipso loquatur, & proinde eius exemplum imprimis ad Verbi administros pertineat, idem tamen hoc toti Corinthiorum Ecclesiæ proponit, vt iisdem virtutibus omnes studeant, ne Dei gratiam in vanum receperint. Ad ista ergo sese examinent, quicunque nomen Christianum profitentur, ne corrupti mores falsi eos arguant. Bonitas.

At non sunt ista nostrarum virium, & ne ea præstemus ingenij nostri prauitas nobis impedimento est. Ne quid ergo Paulus sibiipsi tribuere putetur arrogantius, docet etiam, quibus armis aut subsidijs adiutus ista perficiat. Et hîc quidem ante omnia Spiritum sanctum nominat, quo Apostolos instructos fuisse scimus. Ita verò vno verbo omnem sui ministerij gloriam solidè vni Deo transcribit. Simul autem redit ad virtutum catalogum, quas Spiritus ille in nobis efficit, vt iis tanquam organis vtatur ad ea perficienda, quæ facto opus sunt. III. Arma Apostolorum. Spiritus Sanctus.

In charitate (inquit) non simulata, in sermone Veritatis, in virtute Dei, in armis iustitiæ dextris ac sinistris. Charitatem primò nominat, quia regulæ instar est, quæ Dei dona omnia simul & actiones nostras ad suum finem dirigit, vt nimirum ædificationi aliorum seruiant. Etenim sine illa nihil rectè fit, & qui ea destituuntur, ij ferè Dei donis abuti solent cum aliorum contemptu & scandalo, vt alibi diximus. Ideo etsi communis sit omnium Christianorum tessera, ea tamen Verbi administri imprimis opus habent: quia nisi eius igne ardeant, aut laboribus & periculis succumbent, aut insolentiores facti omnia agent pro sua libidine. Quàm væhemens autem & quàm syncera fuerit Pauli charitas, eius labores atque pericula testantur; imprimis autem ardens illud studium, quo eorum saluti consultum voluit, quos erga se ingratissimos mortalium esse experiebatur: quales ex parte Corinthij fuerunt, Iudæi item, de quibus alibi diximus. Eius ergo exemplum imitentur, quicunque vel in Ecclesia vel Repub. laborant. Charitas.

Charitati sermonen veritatis subijcit. Sic dicitur Euangelium, quia Christum prædicat, qui vera Veritas est, cùm in eo promissiones omnes suum habeant complementum. Estq; hoc ordinarium Spiritus Sancti organum, per quod fides datur, vt alibi ex epist. ad Roman. docuimus. Idem gladius quoque est, quo Apostoli olim orbem totum debellarunt, & quo etiam hodie Ministri pugnare debent. Nam eo Antichristum in hominum animis iugulari, Paulus in posteriori ad Thessalonicen. docet, & ipsi quotidie experimur. At hic diligenter cauere oportet, ne vllis hominum figmentis hebetetur. Quàm primùm enim ista admiscentur, iam Veritatis sermo dici non poterit. Sermo Veritatis. Rom. 10.

Addit huic Paulus Dei virtutem, per quam Spiritus Sancti efficacitatem intelligit, quæ in Apostolis sese multis atque varijs indicijs exeruit: vtpote magnanimitate, qua aduersus omnia pericula intrepidi constiterunt: mirabili item Euangelij propagatione, qua per omnis generis obstacula eluctati sunt: miraculis quæ multa & maxima ædiderunt: impiorum pœnis, quos Satanæ tradiderunt mulctandos: quæ omnia tam perspicua fuerunt, vt hostibus quoque formidabiles fecerint, sicuti Acto. 2. 4. 5. cap. est videre. Virtus Dei.

Coniunguntur his arma iustitiæ dextra & sinistra. Arma iustitiæ ea dicit, quibus iustitiæ seruitur. His se instructum dicit à dextris & sinistris, adeò vt ad omnem euentum paratus stationem suam fortiter tueri possit. Militi ergo se confert, vt infra quoq; Cap. 10. Vt enim Christianorum omnium vita militiæ instar est: sic imprimis eorum, qui Ecclesiæ seruiunt. His enim nunquam non pugnandum est aduersus Satanam, mundum, peccatum, falsos fratres, propriam deniq; carnem, quæ nouas subinde remoras eis obijcit. Itaq; à Dextris quidem gladio Verbi opus est, quo hostem feriant: à sinistris autem scuto fidei, quo tela & ictus hostiles excipiant, vel eludant. His armis diabolo resistitur, & hæc ipsa victoria nostra est, qua mundum vincimus. Arma iustitiæ, &c.

Debet autem in ista cōmemoratione Pauli scopus subinde obseruari, qui seipsum quidem omnibus exemplum proponere voluit, simul autem Corinthiorum stoliditatē arguere, qui præpostera Scopus totius loci.

pseudoapostolorum admiratione decepti, eos in pretio habebant, in quibus nihil cernebatur, quod Christi apostolos deceret. Nam Spiritu Sancto prorsus destituti, suis desiderijs indulgebant: charitate vacui, non Ecclesiæ ædificationem, sed sua commoda quærebant: Veritatis sermonem non purè sed suorum figmentorum paleis adulteratũ prædicabant: nulla in ipsis erat Spiritus Dei virtus, sed inani modò ostentatione turgebant: deniq; ignaui milites, vel potius proditores, diabolo locum dabant. Vult ergo, vt tales agnoscant, fidos autẽ Christi seruos obseruent, qui dignis virtutibus commendentur. Nobis verò ô fratres, idem istorum vsus esse debet, vt fidos doctores à fucis ignauis discernere, & malè fidos cauere discamus. Gloriantur quidem pleriq; Dei Spiritu, at non propterea illis credere, sed (vt Ioannes monet) spiritus probare debemus, an ex Deo sint. Et quis obsecro hodie eos Spiritu Dei duci dixerit, qui nulla necessitate coacti Ecclesias sibi creditas deserunt, vel etiam lucri causa permutant? qui Euangelium susq; deq; faciunt, & doctrinam hominum affectibus accommodant? qui denique ex acie discedunt, quando diaboli machinationibus resistere eos deceba? Nihil nunc de illis dico, qui cum mundo colludunt, & fidis Christi ministris odium conflant, vt ipsi in pretio habeantur.

1. Ioan. 4.

Obstacula Apostolis obiecta.

Cæterum ne vanus ardelio putaretur Paulus, ad rem ipsam accedit, & quæ tam ipsius quàm Apostolorum omniũ conditio sit, & per quam varia obstacula his donis armati eluctentur, diligentius exponit, sic dicens: Per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: vt seductores, & tamen veraces: vt ignoti, & tamen noti, &c. Primò, approbamus (inquit) nos vt Dei ministros per gloriam & ignominiam, id est, siue in pretio habeamur, siue contemnamur, constanter tamẽ pergimus in functione, quam nobis Deus commisit. Ita ipse exponit, dum subdit: per conuitia & laudes. Ab eo autem non temere orditur Apostolus. Paucos enim est videre, qui vel gloriam & laudes publicas, vel ignominiam & opprobria rectè ferant. Vt enim natura gloriæ cupidi sumus: ita si ea nobis obtingat, ferè insolentiores facti, nihil nõ nobis licere putamus, & potestate nostra abutimur. Hinc est quòd fortunam non satis æquè omnes ferunt, imprimis autem qui animo seruili prædititi sunt, vulgi applausu & fauore excæcati spiritus maiores concipiunt, seq; insolentius efferunt. E contra generosiores, cùm aduersa quæuis constanter ferant, contumeliarum tamen & iniuriarum ferè sunt immpatientissimi. Ionam certè ignominiæ nota terruit, ne Dei mandato obediret, qui eum Niniuen abire, & illi ciuitati imminens excidium denuntiare iusserat. Et Ieremias hoc nomine potissimùm de sua sorte queritur, quòd se omnium opprobrijs atq; conuitijs expositum esse videret. Similes item Dauidis querelas in Psalmis habemus. Imò hæc remora omnibus seculis multos impediuit, quò minus ad cognitionem Christi peruenirent, quòd publicam infamiam metuerent. Exempa eius rei in Iudæorũ Scribis & Pharisæis Euangelica historia proponit. Et quid hodie multi patiantur, notius est, quàm vt opus sit narrare. Itaq; vt in vtramq; partem instructi simus necesse est. Quare quoad gloriam huius seculi, meminerimus, nos nihil ex nobisipsis habere, quod laudem mereatur, & ideo si quid habemus, id ad vnum Deum authorẽ referri debere. Adde, conditionem nostram lubricam esse, nosq; thesaurum salutis gestare in vasis testaceis: & proinde tunc maximè casum timeri debere, quando egregiè stare videmur. Quoad verò contumelias & iniurias, famam quidem & nominis nostri existimationem tueri debemus, quatenus id Dei gloria & Ecclesiæ ædificatio requirit: quòd si verò id non datur, & nobis clausa videmus omnia tribunalia, tunc cogitemus nihil nouum aut insolens nobis accidere, beatos autem esse eos, qui propter iustitiam malè audiunt apud mundum hunc malum atq; adulterum. Etenim qualescunque nos hic æstimet, nomina tamen nostra in cœlis ascripta sunt, & olim corona iustitiæ donabimur. Luc. 10. 2. Timoth. 4.

Gloria & ignominia.

Ierem. 15.

Ioan. 12.

Sed pergit Paulus: Vt seductores (scilicet iudicamur) & tamen veraces sumus. Sensus est, se non moueri hominum iudicijs, qui impostorem ipsum esse dicant, sed hoc potius agere, vt veritatis minister sit fidelis. Ita affectos esse conuenit omnes Verbi Dei administros. Nam ex improborum calumnijs Veritati nihil decedit, quæ vt sibijpsi semper constat, ita emergit tandem suo tempore, & osores suos merita ignominia confundit. Sunt ergo stultissimi mortalium, qui hodie à Concilijs pendent, & propter ea de Euangelio dubitant. Quid enim isto traditur aliud, quàm quod Scripturæ passim docent, & quod cum principijs religionis Christianæ per omnia conuenit?

Iudicia hominum iniqua.

pia? qualia sunt, de Deo vno colendo & adorando, deq; vno Seruatore & Mediatore IESV CHRISTO. Atqui omnia ista disertè in Scripturis per Dei Verbum traduntur, quod in æternum manet, quicquid infelix hic mundus blateret.

Sequitur: Vt ignoti (scilicet reijcimur) & tamen noti sumus. Ignoti dicebantur Apostoli, quòd homines peregrini essent: quod ferè solent impij ijs exprobrare, qui ipsorum studijs prauis resistunt. Sic Lothum aduenam dicebant Sodomæi. At Paulus hoc membro peruersum aduersariorum iudicium perstringit, qui peregrinitatem & obscuritatem Apostolis exprobrabant, qui tamen ex Spiritus Sancti effectis toti mundo iam abunde noti erant: quòd nimirum Dei serui essent, & huius negotium agerent. Quid, quòd ne mali dæmones quidem id ignorabant? Notum est enim, quod spiritus Pythonis de Paulo & Syla Philippis pronuntiauit: Isti homines serui sunt Dei illius summi, qui annuntiant nobis viam salutis. Et apud Ephesios maleficis præstigiatoribus dæmon dicebat: IESVM noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Quæ ideo diligenter obseruari debent, vt videamus vel ipsius diaboli testimonio conuinci impios, qui ignorantiæ prætextum suæ contumaciæ prætendunt. Admonemur autem hoc loco, in Verbi administris non tam spectandum esse, num natales habeant illustres, quàm num Dei ministri sint. Quia enim hic omnium gentium Dominus est, nemo propter gentem repudiatur. Vt ergo Regum legatis fides habetur, quia regij legati sunt, neque in eorum natales curiosius inquiritur: ita multò magis hoc in ijs obseruari debet, qui Dei legatos agunt, vt nuper Cap. quinto diximus. — Ignoti vel peregrini. — Acto. 16. 19.

Addit his Paulus: Vt morientes, & ecce viuimus. Id est, ea est nostra conditio, vt inter mille mortes versari, & iam nunc perijsse videamur, & ideo nobis multi insultant: sed ecce viuimus, nimirum Dei virtute, qui inter pericula & in media morte nos seruat. Et emphasim habet particula ECCE. Ea enim stupidos illos pungit, qui Apostolos propter pericula contemptu dignos putabant, non obseruabant autem manum Dei ipsos tam fideliter protegentis. Ita hodie fit: imò fidelium ministrorum mortem multi auidè expectant, & ex ea sibijpsis certam victoriam pollicentur. Sed ecce viuunt illi, & viuit spiritus eorum, qui in successoribus aliquando efficacius agit, vt in Elisæo olim factum fuisse videmus. Et huc refer, quæ de duobus Prophetis sine testibus habentur in Apocalyp. Capite 11. — Morientes viuimus.

Sed quæ sequuntur, audiamus: Vt qui castigamur, nec tamen occidimur. Loquitur de perpetuis afflictionibus, quibus videbantur ab ipso Deo castigari, vt qui id suis sceleribus meruissent. Sed non occidimur, inquit. Quasi diceret: non vincunt nos afflictiones istæ, quò minus salui & incolumes emergamus. Quo loco Chrysostomus nō ineptè obseruauit, afflictionum fructum denotari. Sunt hæ castigationum instar, quibus Deus carnem nostram vel coercet, vel excitat, ne cum mundo incurabili & pœnitere nescio condemnemur. Quia ergo earum nobis administri sunt hostes nostri, ijdem tunc quàm maximè benefaciunt nobis, quando nos volunt perdere. — Castigamur, sed non occidimur.

Ideo subijcit Paulus: Vt dolentes, semper tamen gaudentes. Id est, nunquam non quidem nobis doloris materia obijcitur, quoad carnis iudicium: sed interim perpetuò gaudemus, quòd nimirum eo honore nos dignatur Deus, vt pro nomine eius aliquid feramus, quodq; illum in nobis videmus triumphare. Exemplum huius dicti in Apostolis habes Acto. 5. Cap. Et imprimis huc pertinet locus in epistola ad Roman. Cap. 5. vbi gaudij huius causæ diligentius ex ordine exponuntur. Quibus adde, quòd pro afflictionum ratione, consolationes quoq; abundant, vt in primo Cap. huius epist. audiuimus. Etenim fidelis est Deus, qui nos supra vires tentari non finit. Hæc qui attentius obseruant, ij in medijs doloribus gaudij veri & solidi materiam inueniunt. — Vt dolentes, tamen gaudemus.

Additur his maius quid: Vt pauperes, sed multos ditantes. Ingratitudinem Corinthijs & omnibus horum similibus exprobrat: qui Apostolos propter paupertatē & inopiam despicatui habebant, à quibus ipsi æternis Regni cœlorū bonis ditabantur: neq; interea animaduertebant, se præcipuos esse egestatis Apostolorū authores, cùm eos negligerent, quibus vt patribus suis in Christo debebant prospicere. Quid verò de nostri seculi hominibus iudicari debet, quorū multi per Euangelium diuites fiunt, etiā quoad hoc seculum: ijdem verò eius ministros cane & angue peius oderunt, eosdem cum inopia & fame conflictari sinunt, deinde autem contemptu dignos putant, eò quòd pauperes sint? Meretur horum scurrilitas graues pœnas, quas suo tempore Deus ab eis exiget. — Pauperes, sed multos ditamus.

Nihil habentes omnia poßidemus.

Nunc postremum huius loci membrum videamus: Nihil habentes, sed omnia obtinentes, siue poßidentes. Etenim omnia reliquerant Apostoli, & incertis sedibus oberrabant: ijdem tamen omnia obtinebant, quæ ad vitæ huius vsum erant necessaria. Quia vbique gentium erant homines Christiani, à quibus excipiebantur, & pro suæ functionis dignitate tractabantur. Galatas certè hoc nomine Paulus commendat, quòd si fieri potuisset, oculos quoque suos effossos ipsi dedissent. Et hoc illud est, quod discipulis suis Christus promisit: fore nimirum, vt qui propter ipsum & Euangelium eius relinquunt domos, agros, parentes, fratres, centuplum recipiant in hoc seculo, & in futuro vitam æternam. Alia longè est hodie Apostolicorum Romanensium conditio, qui cum omnia poßideant, pauperes tamen haberi volunt, & cùm Regibus quoque dominentur, seruos tamen seruorum se dicunt. Quod quid aliud est, quàm cum hominibus ludere sub Christi & religionis prætextu? Continet verò totus ille locus vniuersalem doctrinam & consolationem, quam inter afflictiones meditemur. Est enim eadem omnium Christianorum sors. Nemo igitur secundùm speciem externam iudicet, sed quales ijdem sint in Dei conspectu, diligentius expendat: & mox in illorum ignominia gloriam, in exilijs patriam verè stabilem, in doloribus vberrimam gaudij materiam, in morte denique vitam ipsis constare videbit. Vt enim athletæ vulnerantur quidē, sed per vulnera coronas accipiunt: ita pij per vulnera & mille mortes ad immarceßibilem iustitiæ coronam contendunt, quam illis præparauit fidelis ille agonothetes, IESVS CHRISTVS, Dominus noster: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Galat. 4.

Marc. 10.

HOMILIA XXVII.

Os nostrum apertum est erga vos, Corinthij, cor nostrum dilatatum est, Non habitatis angustè in nobis, sed angusti estis in visceribus vestris. Loquor autem vt filijs de pari compensatione; Dilatamini & vos. Ne alieno iugo copulemini cum infidelibus.

APostoli non solùm fidem in IESVM CHRISTVM docent, qua hunc & in ipso exhibitam nobis salutem amplectimur: verumetiam sedulò hortantur, vt in fide illa constanter in finem vsque perseueremus. Et huc facit tota huius Capitis tractatio. Huius enim summa est, vt Corinthij curent, ne Dei gratiam in vanum receperint: sed ita se gerant, vt ipsorum vita atque mores profeßioni fidei respondeant. Vtq; maioris momenti atque efficacior esset exhortatio ista, inter alias rationes commune Apostolorum exemplum adduxit, multis exponens, per quàm multas quamq; graues difficultates atq; angustias ipsis eluctandum sit, vt se fidos Dei ministros esse probent. Cæterùm ea erat Corinthiorum conditio, vt non admonitione vel exhortatione solummodo opus haberent, verumetiā increpationem seueriorem mererentur. Hanc ergo nunc subijcit, sed ita eandem temperat, ne eos, quos ferociores & intractabiliores esse sciebat, magis irritet: vtq; id è medio tollat, quod ipsius admonitionibus authoritatem derogabat: Nimirum, quòd nō rectè erga ipsum essent affecti. Itaq; exemplū memorabile hic locus proponit, quo omnes Ecclesiarū ministri discunt, vt ipsi quoq; eos tractare debeant, quorum vitia correptionē seueriorem requirunt.

Pauli erga Corinthios studium.

Principiò, suum erga illos amorem atq; studium declarat, vt increpationis acerbitatem mitiget. Os nostrum apertum est erga vos Corinthij, cor nostrum dilatatum est, &c. Aperto ore loqui dicuntur, qui liberè & ingenuè dicunt, quod res est. Itaque sensus huius loci est: Libere vobiscum ago, nec quicquam dißimulo, quò minus quod intra animum sentio, id verbis quoque disertis eloquar. Et eius libertatis mihi causa est, quòd cor meum erga vos dilatatum est, id est, toto animo vos complector, & si possem, cor ipsum vobis impartiri velim, quo cùm non opus habeatis, hoc saltem ita dilataui, vt omnibus vobis capiendis sufficiat. Est verò hoc magni amoris & studij ardentißimi argumentum. Nam si quos ex animo diligimus, cum ijs magno cum desiderio & libere colloquimur de ijs rebus, quas ipsis vtiles & necessarias esse scimus, & in eosdem nos totos effundere cupimus. Ista verò omnia in eum finem à Paulo dicuntur, vt Corinthios sibi conciliet, ne quæ dicturus erat, ex odio vel inuidia manare putarent.

Admonen-

Admonentur autem hoc exemplo omnes Ecclesiarum ministri, vt ipsi quoq; liberè & apertò ore loquantur, nec aliquid in cuiusquam gratiam dißimulent. Sunt enim Veritatis ministri, quã veteres nudam finxerunt, eò quòd latebras nullas quærit, neq; eam suiipsius pudet. Deinde, vt ita fiat, mundi huius improbitas & contumacia requirit, in quo pleriq; tergiuersantur, & vel ignorantiam prætexunt, vel quæ dicuntur, nihil ad se pertinere putant: eorum nimirũ similes, de quibus Dominus apud Ezechielem disserit, quòd Verbum suum perinde vt cantilenam aliquam audiat. Multi etiam quàmuis intra animos suos abunde cõuicti sint, tamen responsare audet, & Deo obloqui. Ideo speculatoribus conferũtur Prophetæ, & iisdem tuba tribuitur, libera nimirum & intrepida Verbi prædicatio, qua delinquentium vitia publicè arguant, & quosuis ad resipiscentiã excitent. Et Christus Dominus, quando ad populũ verba facturus erat, os aperuisse, & interdũ clamauisse quoq; dicitur. Idem Apostolos quoq; monet, vt liberè & super tecta diuulgent, quæ ipsis in aurem dicantur. Qua in re illos fidelißimos fuisse, acres illæ conciones testantur, quas Hierosolymis ad populũ & ad Senatum siue Conciliũ eius loci habuerunt. In Paulo certè tam intrepida fuit dicendi libertas, & tã ardens fidei syncerioris zelus, vt Petro quoq; publicè resistendũ esse putarit, cùm illũ videret non satis recto pede secundũ Euangelij veritatem incedere. Istorũ ergo exempla imitẽtur ministri, neq; huius seculi sapientes audiant, qui ipsis sub modestiæ & charitatis prætextu silentium mandare & liberiorem Verbi prædicationẽ impedire satagunt. Sunt hi nimiùm alieni à primitiuæ Ecclesiæ ingenio atq; moribus, quæ feruente persecutione & vndiq; imminẽtibus periculis, publicas preces pro Apostolis concipere solebat, vt cum omni libertate sermonem prædicarent, &c. Vide Acto. 4. Ministri liberè loquantur. Ezech. 3. Isa. 58. Hos. 8. Matth. 5. & 10 Galat. 2.

Cæterùm, quia hucusq; non multum apud Corinthios profecerat Paulus, & multi hoc ipsius vitio siue culpa accidisse calumniabantur, qui nimiùm imperiosè cũ ipsis egisset, ita sese excusat, vt illè moram, quæ suæ doctrinæ seu prædicationis fructũ hucusq; impedierit, in ipsis fuisse ostendat. Non habitatis angustè in nobis, sed angusti estis in visceribus vestris. In Græco habetur στενοχωρεῖσθε, quod in loco angustiori habitare significat, vbi ita coarcteris, vt neminem præterea ad te poßis recipere. Id verò per Metaphoram ad animum transferens, sic vult dicere: Ego cor meum ita aperui vobis atq; dilataui syncero amoris affectu, vt vobis omnibus apud me locus sit amplißimus, nec mihi graue est vos simul omnes, quotquot estis, animo meo cõplecti (Sic ipse in Cap. proximo exponet, dicens: Capite nos, nam ante dixi, vos esse in cordibus nostris ad simul moriendum, & ad simul viuendum.) Quòd autem meo hoc studio minus proficio, id ex eo est, quòd vos in vestris visceribus coarctamini: dum videlicet sinistro affectu, & nescio qua suspicione præoccupati, corda vestra quasi contrahitis: vt mihi non perinde apud vos locus sit: aliter haud dubiè de me iudicaturi, si meum erga vos studium, meas item curas & labores rectius inspiceretis. Itaq; eiusdem amoris recompensationem vt filijs præcipio: Dilatamini & vos: vt nimirum simili studio & amore me complectamini, quo ego vos complecti soleo. Hic verborum istorum sensus est. Latet ergo sub illis non obscura ingratitudinis exprobratio. Quasi diceret: Quàm verò indignum est, me apud vos, qui multi estis, non tantum studij inuenire, quantum ego vnus in vos singulos confero? Ego enim vnus vobis omnibus in meo corde locum do, & hoc mihi volupe est vos in animo meo inscriptos gestare, deq; vobis vbiq; gentium gloriari: vos autem multi me vnum non capitis, &c. Poterat hoc, prout ipsi merebantur, multis & grauioribus verbis amplificare: sed quia aliquos irritabiliores esse sciebat, acerbitatem huius exprobrationis patris simili mitigat, quando se patris instar non aliud exigere dicit, quàm vt pari amore ipsum vicißim diligant. Et sanè erat hæc æquißima petitio, cùm alibi testatus esset, se ipsorum patrem esse in Christo, neq; hoc illi possent negare, cùm per eius ministerium regeniti essent in Dei filios. Vide 1. Cor. 4. Ingratitudo Corinthiorum 2. Cor. 3.

Describitur autem hoc Pauli exemplo ingenium veræ & syncerę dilectionis. Solet illa hominũ corda dilatare, vt suũ studium & beneuolẽtiam ad omnes alios, adeoq; ad quosuis obuios extendat. Causa eius est, quòd in omnibus inueniunt, quæ ipsos ad cõmiserationem excitare possunt: quãdo alij in corpore affliguntur, alij cũ paupertate conflictantur, alij animis suis saucij sunt, & sub dura conscientiæ sarcina laborant. Vt ergo bonus ille Samaritanus viso seminece illo, quem latrones multis vulneribus mulctauerat, mox totis visceribus incaluit, atq; eius misertus opem illi tulit pro virili: ita Christiani homines affecti esse solẽt, quos diuinus ille charitatis ignis semel accendit. Præterea Dilectionis ingenium. Luc. 10.

linguas nobis soluit syncera dilectio, vt liberè cum illis loquamur, quos videmus admonitione, correptione & consilio indigere. Quid verò de linguis loquor? Imò manus, pedes & membra omnia mouet charitas, vt quam egentibus debemus opem, libenter conferamus. Sunt ergo à charitate alienissimi, qui omnes occasiones quærunt, quibus corda sua contrahere, & dilectionis officia quibusuis negare poßint. Quibus etiam adnumerari debent, qui subdolè & malignè agunt, qui adulantur, simulant, & ita fallunt eos, quos prius falsa aliqua spe inescarunt.

Qui amant, redamari petunt

Videmus item in hoc exemplo, quid vicißim petant ab alijs ij, qui charitate vera ardent. Nimirum non aliud, quàm parem amoris compensationem, id est, vt ipsi quoq; ab ijs redamentur, quibus se totos impendunt. Sufficit ergo eis, si sua officia alijs accepta & grata esse, seq; vicißim ab illis diligi sentiant. Id verò non tam sua causa requirunt, quàm aliorum, quorum salutem nolunt propter ingratitudinem suam in periculum venire. Arguit hoc auaros Ecclesiarum ministros, quibus nihil sufficit, & quàmuis se Ecclesijs suis charißimos esse, & laboris sui fructum non pœnitendum videant, subinde tamen quiritantur, & lucri aut opulentioris stipendij causa de illis deserendis cogitant. Imitantur hos multi alij priuatim, qui omnes non fratres, sed seipsos diligunt, & ex charitate quæstum faciunt.

Indigna ministrorum Verbi sors.

At simul elucet hîc quoq; indigna administrorum Verbi sors, quam pleriq; eandem cum fidis parentibus sibi obtingere sentiunt. Vnus pater liberos cōplures gignit, educat, alit, vestit, singulos deniq; omni amore atq; studio prosequitur, adeò, vt propter illos sæpe genium suũ defraudet, curis conficiatur, noctes insomnes ducat, & labores atq; pericula quæuis subeat? At ijdē illi simul omnes ipsum vnũ, si necessitas exigat, vix alere possunt, & ne ab illicitis quidem abstinēt, vt patrē ætate & laboribus confectum recreent. Quid, quòd qui in vna & angusta domo turbam liberorũ aluerunt parentes, vix in multis & amplis eorundem iam adultorum ædibus angulũ aliquem obtinere possunt, in quo ipsis securis & quietis, quod reliquum est vitæ transigere liceat? Idem solet fidis quoq; doctoribus accidere, qui homines ex Verbi semine regenerant & Christo adducunt, vt in eo seruentur. Exemplo nobis sunt Prophetæ veteres, ex quorum numero si vel vnum Ieremiam inspicias, hoc à nobis verißimè dictum esse patebit. Quid enim ille non fecit, & quid non pertulit pro populi Iudaici salute, quem ad interitum suum properare videbat? Quoties incautos monuit? quoties cunctātes hortatus est? quoties contumaces corripuit? quoties pro illis apud Deum intercessit? quàm acerbis lachrymis eorundem excidium defleuit? Et ne quid omitteret, cùm Nabuchodonozorē in Babylonem sequi posset, vbi quiete & honoribus quoq; frui poterat, maluit tamē cum pauperculis & obscuris illis manere, quos in terra miserè vastata ille relinquebat, ne hos Verbi doctrina atq; consolatione fraudaret: imò eosdem non vno modo in se contumeliosos atq; iniquos, in Ægyptum secutus est. Quam verò pro omnibus illis officijs gratiam retulit? Non aliā, quàm quòd iam senio, curis & laboribus fatigatum lapidibus obruerunt. Idem de alijs quoq; dici posset. Et quod Corinthij in Paulum designarũt, hoc ipsum alij quoq; Apostoli ab ijs paßi sunt, qui eos pro patribus suis debebant agnoscere. Seruat hoc suũ ingenium infelix mundus in hunc vsq; diem. Nec est quòd istud miremur, quando Christus olim non meliorem gratiam reportauit ab ijs, quos proprij sanguinis pretio redimere studuit. Et quid in ipsum Deum quotidie impijßimi homines designent, notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Hæc certè causa præcipua est, ob quam pauci ex Euangelio proficiũt.

Applicat hortationem ijs, qui gentium sacris communicabant.

Porrò his præmißis, redit nunc ad institutum Apostolus, & quod initio Capitis in genere monuit, ne gratiam Dei in vanum receperint, nunc ad id applicat, quo quàm maximè à fidei veritate auocabantur. Vt verò rem omnem rectius intelligamus, repetenda hîc est illorum temporum conditio. Versabantur tunc homines Christiani inter ethnicos & idololatras, penes quos summa erat rerum potestas. Non poterant ergo ab horum commertijs prorsus abstinere quoad ea, quæ ad communem vitæ vsum spectant. Multi verò longius progreßi, vt ciuibus suis, & imprimis magistratibus magis propitijs vterentur, in ijs quoq; cum illis communicabant, quæ à professione fidei Christianæ erant alienißima. Nam sacris illorum astabant, ad epulas in Deorum honorem institutas accedebant, festos dies agebant: nec dubium est, quin spectaculis quoq; interfuerint, quæ & idololatriæ pars erant (maximè si de ludis Isthmijs sermo sit, qui in vicinia in honorem Neptuni celebrabantur, vt Plutarchus in Theseo scribit) & in quibus multa non crudeliter modò, verumetiam

turpiter

turpiter & inhonestè cum multorum publico scandalo fiebant. Accedebant his coniugia cum infidelibus, ad quæ defendenda Pauli consilio abutebantur, quod in priori epistola de imparibus coniugijs dederat. Ita fiebat, vt multi quotidie in fide languidiores fierent, multi aliorum sceleribus polluerentur, multi indies in peius proficiendo gratiam Dei tantumnon euacuarent. Itaq; vehementiori correptione opus erat, quam ita adhibet, vt rursus appareat, ipsum non aliquo affectu sinistro abripi, sed honori & saluti ipsorum consultum velle.

Propositio est: Ne iugo alieno copulemini cũ infidelibus. Græca vox ἑτεροζυγεῖν significat iugum alienũ ducere, vel iugo alieno copulari: vt quando diuersi generis iumenta ad vnum iugũ copulantur, quod ne fiat, Deus olim in Lege prohibuit. Non arabis (inquit) cum boue & asino simul. Nam quando hoc fit, vterq; iugum alienum ducit. Id verò ad fideles transfert Paulus, & Legis Allegoriam exponit: hoc nimirum Deum velle docens, ne qui ipsius populus dici volunt, cum infidelium operibus atq; studijs communicent. Est præceptum hoc necessarium valde, cùm natura ad malum procliues simus, exemplorum autem, & consuetudinis magna vis sit. At quia illo multi hodie abutuntur, dum temere quosuis abs se dissentientes damnant, & scismata faciunt non necessaria, duo nobis aliquantò diligentius sunt obseruanda. Iugum alienum ducere prohibet. Deut. 22.

Primum, quorum commercia prohibeat Apostolus? Infideles nominat, non quidem eos intelligens, qui cùm fide vera & viua destituantur, eam tamen simulant, & Ecclesiæ membra censeri volunt: sed eos, qui professionem à fide alienam sequuntur, & ne dici quidem volunt Christiani: quales illo tempore erant ethnici alienorum Deorum cultores & idololatræ, Iudæi item aperti Dei hostes, & crudelissimi Christi atque Ecclesiæ eius persecutores: quales item hodie sunt Turcæ, vnà cum Papistis contumacioribus, qui Euangelij doctrinam & verã in vnũ IESVM CHRISTVM fidem hæreseos damnant, imò ferro & igne hostiliter persequuntur. Ab horum iugo Paulus homines Christianos iubet abstinere. Quorum commercia Paulus prohibeat?

Abutuntur igitur hoc præcepto, qui istud de Christianis exponunt, qui vel in articulo aut dogmate aliquo minus necessario ab ipsis dissentiunt, vel aliquo scelere seipsos polluerunt: quos mox ab Ecclesiæ consortio excludunt, vel si id non possint obtinere, ipsi ab Ecclesia secessionẽ faciunt, & ita fieri debere clamant, quia Paulus dixerit: Ne iugo alieno copulemini cũ infidelibus. Hoc prætextu ferè Anabaptistæ Ecclesias scindunt. Sic quidam crassiores Lutherani nos omni cõmercio fidelium indignos esse dicunt, vtpote hæreticos & Papistis deteriores, quia crassam illam & plus quã Capernaiticam corporis Christi manducationem, in qua ipsi puppim proramq; salutis collocant, nolumus admittere. Sed vtriq; vehementer errant. Iugum enim cõmune omnibus Christianis est, de quo Christus in Euangelio pronuntiat: Tollite iugũ meum super vos, & discite à me, quòd mitis sim & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum facile est, & onus meum leue est. Quod verò illud iugum est? Audi illum rursus dicentem: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Non ergo alienum iugum cum infidelibus ducunt, qui in eiusdem Ecclesiæ societate manent cum ijs, qui vnum IESVM CHRISTVM Seruatorem profitentur, eius leges probant, ipsi obtemperare student, in aduersis pro nomine eius perferendis patientes sunt, & fide pura in hunc vnum intenti, exemplum eius sibi imitandum proponunt, & sicubi peccarunt, pœnitentiam spondent, deq; vitijs suis emendandis seriò cogitant. Temerarij autem nimis sunt, qui tales damnant propter dogma aliquod controuersum, per quod neq; Christi merito, neq; fidei Christianæ principijs aliquid derogatur. Et periculum est, ne qui istos temere damnant, & scisma in Ecclesia faciunt non necessarium, cum diabolo iugum ducant, qui dissensionibus & dissidijs gaudet, dum apertis fidei hostibus lætum spectaculum præbent cum publico Ecclesiæ & totius orbis scandalo. Abusus huius loci. Matth. 11. Matth. 16. Luc. 9.

Alterum hîc obseruari debet, de quibus commercijs Paulus loquatur? Vtiq; non de ijs quæ ad communem vitæ vsum pertinent, sed ijs quibus fidei confessio & religio Christiana vitiatur, aut quæ nos palàm à Christo auocant. Quoad enim illa priora, multa nobis cum impijs communia sunt, quibus carere non possumus: vtpote Sol, aër, aqua, ignis, telluris prouentus, & quæ alia sunt huius generis. Sunt etiam commercia cum gentibus exteris necessaria, eò quòd non omnis fert omnia tellus. Itaq; quod alibi Paulus ait, è mundo exeat oportet, qui nulla prorsus in re cum impijs aut in- Quibus cõmercijs interdicat Paulus? 1. Cor. 5.

fidelibus cōmunicare velit. Sunt autem alia, quæ vt non sunt necessaria, ita religioni & fidei Christianæ inimica sunt, & eiusdem professionem polluunt. De his Pauli præceptum debet intelligi.

1. Illiciti cultus.

In istis primus locus externo cultui debetur: qui vt ad vnum Deum restringi, ita secundùm huius præscriptum institui debet & exerceri. Nam frustra me colunt (inquit ille) docentes doctrinas hominum. Peccant ergo & iugo alieno cum infidelibus copulantur, qui cultibus communicant alienis, qui vel in Deorum alienorum honorem instituti sunt, vel contra Dei institutum exercentur. Sic olim Israëlitæ peccarunt, quando vitulum aureum erigendo Ægyptiorum in cultu socij facti sunt. Peccarunt ijdem postea quoq;, quando cum veri Dei professione Baalis cultum coniungebant, & ita (sicuti Elias ait) in vtrumq; latus claudicabant. Et hoc ipsum in Corinthijs Paulus in præsenti reprehendit, vt ex Cap. 10. prioris epist. apparet, vbi negat fieri posse, vt simul ex mensa Domini, & mensa dæmoniorum comedant. Similis nostrorum culpa est hodie, qui cùm Euangelij doctrinam profiteantur, interim tamen Missas audiunt, imagines adorant, peregrinationes suscipiunt, encænijs & alijs festis superstitiosis intersunt, vel etiam cucullis tecti vitam monastitam sectantur. Gloriantur ferè isti fide integra, quam in corde suo retineant. Sed calua est ea excusatio, quia scortationes (vt Prophetæ verbis vtar) à facie simul & vberibus remouere oportet: nec minus professio fidei quàm fides ipsa à nobis requiritur. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et quis obsecro vir bonus vxorem posset ferre, quæ corde quidem ipsum amaret, corpus verò suum alijs viris prostitueret?

1. Reg. 18.

Hos. 2. Rom. 10.

2. Coniugia imparia.

Matth. 19.

Deinde ad hunc censum coniugium quoq; pertinet. Est hoc ab ipso Deo institutum in eum finem, vt homo commodius in sanctitate & puritate vera Deo viuere ac seruire possit. Prima igitur in eo contrahendo religionis cura esse debet, ne cum alienis à fide copulemur. Vt enim nexus ille, Christo teste, arctißimus est, adeò vt quæ parentibus debetur pietas ei cedat: ita plurimum potest in animis permouendis & inclinandis, vt à Deo vero & cultus puritate recedant. Exempla in primi mundi hominibus, in Solomone item, in Ioramo Iosaphati filio & alijs similibus grauißima habemus: quæ abunde docent, coniugia imparia non temere olim à Deo seuerißimis legibus prohibita fuisse. Et imprimis memorabilis est actio Esdræ, qui post reditum ex Babylone multorum coniugia rescidit, qui vxores alienigenas siue ethnicas duxerant. Quia ergo in eo Corinthij quoque peccabant, & quod Paulus in priori epist. monuerat, ne fidelis ab infideli coniuge tractabiliori temere discedat, ad hanc licentiam excusandam detorquebant, huic etiam præceptum istud opponit, ne posthac cum infidelibus copulentur.

3. Fœdera insidiosa.

Gen. 14. 21. 26

Debent huc etiam fœdera & societates referri, quarum eadem planè est ratio. Etenim fœdera inire per se licitum, & sæpe necessarium est, vt vicini id faciant, tum pacis inter ipsos seruandæ causa, tum vt hostibus facilius resistere poßint. Abrahamum certè cum vicinis fœdus ferijsse legimus, & hoc illi vtile fuisse Lothi capti & rursus liberati historia testatur. Fecit illud ipsum filius quoq; eius Isaac, nec id Scriptura sacra improbat. At hîc ante omnia videre oportet, vt primas semper apud nos teneat fœdus, quo nos sibi Deus ante obstrinxit, neue fiduciam, quæ in illo vno collocata esse debet, in socijs collocetur. Deinde ne cum palàm impijs & hostibus Dei societatem ineamus. Tertiò, ne conditiones fœderum iniquæ sint & impiæ, per quas fidei hostibus aliquid detur. Qui enim ista negligunt, multis magnisq; difficultatibus sese implicant. Nam sociorum fiducia decepti sæpe bella non necessaria sibijpsis accersunt, ex quibus interdum communis patriæ exitium sequitur: quod olim Zedechiæ Regi accidisse constat. Vel à socijs derelicti in extremas angustias deueniunt: quod Ezechias paßus est, quando cum Æthiopibus & Ægyptijs contra Dei mandatum, fœdus percußit. Adhæc multa videre & ferre coguntur quæ nollent, quicunq; impiorum fœderibus sese obstringūt. Languidior in vera religione & pietate fit populus, audaciores autem & ferociores impij facti ex iure fœderum multa exigunt & mandant, quorum, si illa nulla essent, non aliquā auderent mentionem facere. Accedit his malis longè grauius: quòd opem ferre coguntur interdum ijs, quos Deus perditos vult, & ita cum illis in periculum veniunt. Et hæc quidem omnia vnus Iosaphat abundè expertus est, postquam cum impio Achabo fœderis & affinitatis vinculo iunctus fuit. Quapropter vt cōiugia infidelium Deus in Lege prohibuit, ita fœderibus quoq; illorum interdixit, & ad ea hoc etiam Pauli præceptum potest extendi. At si in ijs cautè agere nos conuenit, quæ per se licita

Ierem. 27.
Isa. 30. 31. 36.

1. Reg. 22.
2. Par. 19.

se licita sunt, quantò diligentiori cautione opus est in illicitis, à quibus Christianos homines perpetuò abstinere decet? qualia sunt alea infamis, compotationes luxuriosæ, choreæ & saltationes, militia mercenariæ societas, & si quæ alia sunt huius generis. Nam qui istis vel ex animi leuitate, vel commodi alicuius spe cõmunicant, ij impios in sua proteruia confirmant, religionem suspectam faciunt, seipsos quoq; inquinant, totamq; fidei professionem prophanant: & sequitur interdum manifesta eiusdem abnegatio, vt in Petri exemplo est videre. Meminerint ergo Christiani homines, se populum esse Deo consecratum, qui IESV CHRISTO in baptismo nomen dederit, & proinde procul relictis huius mundi inquinamentis, huic vni constanter adhæreant & bona fide seruiant, qui nouum illud fœdus siue testamentum proprij sanguinis pretio confirmauit, vt nos sibi cohæredes faceret. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXVIII.

Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? & quæ communio luci cum tenebris? Quæ verò concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Et quæ consensio templo Dei cum simulachris?

INter alia, quibus Corinthiorum fides labefactabatur, præcipuũ ferè erat consuetudo nimia cum ethnicis & à fide prorsus alienis. Quia enim (vt nuper diximus) Christiani homines illo tẽpore ethnicis permixti habitabant, imò sub horum potestate erant, multi vt illos sibi æquiores haberent, non contenti necessarijs commercijs, illicitis quoq; communicabant. Id verò Paulus grauissimè reprehendit, & contra illos generale præceptum ex Lege protulit, Ne qui iugo alieno cum infidelibus copulentur. Debent hoc ipsum hodie etiam obseruare, quotquot Christo nomen dederunt, & fidem in eum profitentur. At ea est humanæ rationis cæcitas, vel contumacia potius, vt pauci hoc sibi persuaderi patiantur, multis verò hæc præcipua sapientia esse videtur, si qui se omnium moribus accommodare, & (quod prouerbio dicitur) foro vti possint. Ideo præceptum hoc suum Paulus rationibus grauissimis confirmat, quibus docet, quàm absurdum & ineptum, imò quàm hoc impium & iniquum sit, si fideles cum infidelium operibus atq; studijs communicent.

Prima, Quod enim consortium est iustitiæ cum iniustitia? Interrogationibus totam hanc argumentationem figurat, vt magis feriat eorum animos, qui in causa tanti momenti nimium securi erant ac negligentes. Hoc autem primo membro (sicuti Chrysostomus exponit) confert nobilitatem Christianorum cum ignominiosa infideliũ & idololatrarum conditione, vt illos excitet & moneat, ne dignitatem suam turpiter prostituant. Iustitiam enim dicit eos qui credunt: nimirum ad id respiciens, quod supra Cap. 5. dixit, Christum pro nobis peccatum factum fuisse, vt nos in ipso efficeremur iustitia Dei. Perinde ergo hîc loquitur, ac si quis generosi alicuius & illustris viri filio, quem inter ganeones & nequissimos sodales turpiter per omne genus scelerum volutari videt, dicat: Quid facis ô demens? Cur non cogitas, qui tu sis, & cuius patris filius? qui item illi sint, quos sectari in animum induxisti? Quæ obsecro inter vos est æqualitas? quæ generis, fortunarum, dignitatis & bonorum communio? Cur ergo non pudet te istorum, ex quibus nihil præter contumelias & ignominiam sperare potes, quæ aliquando ad totam tuam familiam, ex qua natus es, redundet? Ita in præsenti Paulus cum Christianæ fidei professoribus agit: Quæ hæc cæcitas est ô boni, quæ vos videre prohibet, in quam dignitatem vos euexerit Deus, & quàm infelix & ignominiosa sit istorum conditio, quorum studijs atq; operibus cõmunicatis? Vos etenim in CHRISTO IESV iustitia Dei facti estis: illi quanti quanti sunt, peccatores, iniusti & à Dei iustitia alienissimi sunt. Quod verò inter iustitiam & iniustitiam consortiũ esse poterit? Certè vbi hæc regnat, ibi illa exulat. Quin ergo vestram dignitatem sedulò tuemini, ne degeneres aliquando sitis, & à dignitate filiorum Dei prorsus excidatis. Docet autem locus iste, calumniatores impudentissimos esse eos, qui doctrinam de iustificatione fidei bonis operibus inimicam esse dicunt, perq; eam peccandi licentiam introduci. Qui enim iusti sunt, ij iustitiæ student, & fides bona illa arbor est, quæ optimis Deoque iucundissimis iustitiæ, charitatis & obedientiæ fructibus seipsam commendat, & suos cultores ab

Iustitiæ cum iniustitia nullum consortium.

omni iniustorum consortio procul abstrahit. Atqui multos videmus (aiunt illi) qui fide quidem gloriantur, vitam verò viuunt sceleratam & impuram. Fateor. Num verò illorum nequitia fidei fraudi esse debet, quæ in omni Scriptura tam præclaris præconijs commendatur? Vel num doctrinam à Spiritu sancto per Prophetas & Apostolos vnanimi consensu traditam mutabimus propter mendaces fidei professores, quibus olim dicetur: Discedite à me omnes qui iniquè agitis: non enim omnis qui dicit, Domine Domine, intrabit in regnum meum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est?

Luci non conuenit cum tenebris. Secunda ratio est: Quæ communio luci cum tenebris? Christus lux mundi est, & idem suo in mundum aduentu omnes illuminat, quotquot ipsum cum fide recipiunt. Ideo Paulus Ephesijs scribebat: Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Et quod Christus discipulis dicebat: Vos estis lux mundi, hoc ipsum ad omnes pertinet, qui Euangeliū per ipsos prædicatum profitentur. Ideo ex eo dicto generalem doctrinam ille infert: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentq́; Patrem vestrum, qui est in cœlis. Quia ergo Christiani lux sunt, quis non videat, quàm absurdum sit, si iidem cum tenebris cōmunicare velint, id est, cum mundo, qui tenebris gaudet, lucem verò odit, cuius radijs & fulgore opera eius praua arguuntur? Habes hoc loco quod illis respondeas, qui necesse omnino esse dicunt, vt mundo nos accōmodemus, cùm impoßibile sit ab omni eius consuetudine abstinere. Etenim ipsi quoq; supra diximus, multa esse hominibus Christianis cum impijs atq; infidelibus communia, quoad huius vitæ vsum. Veruntamen cum eorundem prauis operibus, superstitione, idololatria communicare nequaquam debemus. Alibi Paulus monet: Pacem habete cum omnibus, quantum in vobis est. At quàm primum de Dei cultu deq́; obedientia, quam huic debemus, agitur, nequaquam in nostra potestate est ab ijs vel latum vnguem discedere, quæ ille nobis mandauit. Et quis non ineptum dixerit esse eum, qui lucernam, quæ gressus eius dirigere debebat, ipse tenebris & caligine obruat?

Ephes. 5.
Matth. 5.
Rom. 12.

Christo nō conuenit cum Belial. Sequitur tertia ratio: Quæ verò concordia Christo cum Belial? Iam ad vtriusq; partis siue factionis capita accedit. Fidelium enim caput Christus est, infidelium Belial siue diabolus, qui & princeps huius mundi dicitur. Ille iustitia est, sanctitas, lux, Veritas, vita, fons deniq; & author vitæ vnicus. Diabolus è contra iniustus, impurus, immundus, tenebrarum princeps, mendax, homicida. Christus, vt nos redimeret, æterno Patris decreto sese humiliter submisit, obediens factus vsq; ad mortem, & quidem mortem crucis: Diabolus autem, vt nos totos perdat, Deo hostiliter resistit, & omni eius iugo procul excusso (vnde Belialis nomen accepit) aduersus illum fremit atq; tumultuatur. Non poterunt ergo vnquam duo isti inter se conuenire. Imò in ipsa rerum origine hoc dißidium inter illos sancitum est, Deo ad serpentem dicente: Ponam inimicitiam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: Ipsum cōculcabit tibi caput, & tu percuties aut mordebis ipsum in calcaneo. Neq; hoc ipse Satan, quantùmuis mendax & impudēs diffitetur. Quoties enim in Euangelio illum ex infelicibus illis, quos totos obsederat, clamantem audimus: Quid mihi tecum rei est IESV, fili Dei? Venisti ante tempus ad nos cruciandum. Quàm ergo absurdè & iniquè agunt, qui cùm Christi cultores dici & haberi velint, cum diaboli seruis atq; mystis commercia habent non necessaria, & quæ cum fidei Christianæ profeßione pugnant? Transfuga & proditor habetur, qui in hostiū castris cum illis colloquia occulta habere deprehenditur. Quis ergo fidelem Christi militē dicat eū, qui cū diaboli seruis familiarius cōuersatur, & cum eorundē studijs cōmunicat? Hoc vtinam diligentius expenderēt, qui non contenti vulgaribus commercijs, insuper iuratos diaboli seruos, magos nimirum, præstigiatores, incantatores, veneficos, diuinatores consulunt. Tales olim Deus ex populo suo excindere iußit, quare indigni sunt, qui inter Christianos nomen habeant. Itaq; vel hinc æstima, quid de toto clero Papistico iudices, quando nemo ignorat, artes illas in nullo hominum genere frequentius & maiori cum audacia exerceri, quàm inter sacrificulos & monachos, quorum alij circa eas occupantur, vt tam propriæ quàm aliorum curiositati satisfaciant: alij verò vt libidinē expleant, vel etiam de ijs sese vlciscantur, quibus malè volunt. Quid verò de Pontificibus Maximis dicemus, ex quorum numero multi per eiusmodi cum diabolo cōmercia ad sedem illam apostolicā (vt ipsi loquuntur) peruenerunt, vel artibus illis infames facti sunt? Nota certè sunt omnibus, quæ in historijs de Syluestro II. Gregorio VII. Alexandro VI. & similibus traduntur.

Gen. 3.
Marc. 1. 5. &c

Sed

Sed pergit Paulus, & quartum huius argumentationis membrũ infert, in quo apertius ipsas personas vtriusque partis inter se confert, Quæ pars (inquit) fideli cum infideli? Id est; quid habent isti commune, quod inter eos diuidi oporteat? Num Christum? Atqui hic ad infideles non pertinet. Num Euangelium? Atqui huius lucem infideles oderunt & extinctam volunt. Num gratiam Dei? Atqui huius participes sunt soli credentes, super eos autem qui non credunt, manet ira Dei, vt Baptista testatur. Num Regnum cælorum? Atqui huius quoque hæreditas fidelibus solis destinata, infidelibus autem tenebræ exteriores præparatæ sunt, vbi est fletus & stridor dentium. Num cultum externum & morum disciplinam? At in his quoque summa est inæqualitas. Illi enim in Spiritu & Veritate Deum colunt, hi verò circa ceremonias frigidas & inutiles occupantur. Hi morum honestati student; & disciplinam patienter ferunt, illi verò cum licenter & turpiter omnia faciant, tamen neque legibus bonis, neque correptione aliqua volunt coërceri. Quòd si ergo nihil inter partes istas commune est, certè multò minus societas aliqua inter eas esse debet in ijs, quæ ad religionem spectant: & nimium absurdè faciunt, qui cum illorum cultu externo vel cæteris studijs communicant. At hîc meminisse oportet, hæc imprimis ad festa pertinere. Hinc enim de istis dicendi occasionem Paulus arripuit, quòd multi ex Christianorum numero ad sacras & solennes epulas ethnicorum accederent, vt in priori epistola audiuimus. Nobis ergo hæc dici putamus, qui Euangelij quidem doctrina gloriamur, interim verò tam gentium quàm Papistarum festa celebramus, & in eo quærimus præcipuam vtilitatẽ, quòd nos omnium affectibus possimus accommodare. Semper ergo nobis comparationẽ istam occinamus, nosq; ab omni impiorum non necessario consortio impollutos seruemus.

Fideli nulla pars cum infideli.

Ioan. 3.

Porrò adhuc propius ad rem ipsam Paulus accedit, hoc quoque addens: Et quæ consensio templo Dei cum simulachris? Vbi multa & diligenti obseruatione dignum est, hoc membrum inter ea poni, quorum absurditas omnibus notissima est: Non conuenire scilicet iustitiæ cum iniustitia, neq; luci cum tenebris, neque Christo cum Belial, aut fideli cum infideli. Quæ cum contradictoriè inter se opponantur, simul consistere non possunt. At non minus pro confesso hoc etiam sumit Apostolus, quòd neq; templo Dei cum simulachris possit conuenire: et proinde indignum esse, vt homines Christiani, qui viuum Dei templum sunt, cum ethnicorum sacris atq; simulachris communicent, aut ad epulas accedant, quæ inter simulachra in Deorum honorem instituuntur. Ratio huius dicti adduci potest, quòd Deus simulachra à cultu suo procul reijcit, quando ne illa à nobis fiant prohibet, & ne ab alijs facta vlla vel interni vel externi cultus specie veneremur. Atqui Dei voluntas, tam disertè expressa nobis sufficere debet, ne quid præterea quæramus. Verumtamen, si quis pio & sancto zelo interroget, cur Deus simulachra tam grauiter damnet, & à cultu suo prorsus remota velit, rationes multæ & graues adduci poterunt. Prima ex hisce Pauli verbis petitur, qui templo Dei cum simulachris conuenire posse negat. Nam hoc dicendo templum Dei distinguit à templis Deorum falsorum, qui ab infidelibus coluntur. In his enim illorum imagines prostare necesse est, quia nihil aliud habent quo commendentur. Etenim Dij illi nulli sunt in rerum natura, vt in prioris epist. octauo Cap. audiuimus. Oportet ergo imaginibus aut simulachris eorum æquè fictitijs, vt illi sunt, rudi popello fucum fieri, vt eos & esse, & sacris suis propitios adesse credat. At noster Deus vt reuera est, imò ipse omnium quæ sunt ESSE est (qua de causa ab Hebræis Iehoua dicitur) ita vbique præsens adest, & omnia penetrat atque implet, ideoque eum Græci θεὸν dixerunt. Eius enim verba sunt apud Prophetas: Annon Deus de propinquo ego sum, & nõ Deus de longinquo? Num abscondet se quisquam in latebras, vt eum videre nequeam? Annon cælũ & terram ego impleo? Item: Cælum thronus meus est, terra verò scabellũ pedum meorum. Quod Dauid probè obseruans dicebat: Quò discedam à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascẽdero in cælum, tu ibi es: & si sternam lectum meum apud inferos, tu ades. Si sumam pennas auroræ, & habitem in extrema parte maris: etiam ibi manus tua reget me, & dextera tua apprehendet me, &c. Quia ergo Deus omnipræsens est, nullo simulachro opus habet, quo eius tanquam absentis memoria conseruetur: & proinde stultum fuerit, illa in templis, quæ ipsi consecrata sunt, collocare. Deinde per simulachra maiestas Dei (vt Scriptura ait) commutatur cum imagine non hominis modò, verumetiam animalium atque volatilium. Quibus adde, quòd Deum aliqua imagi-

Templo Dei nõ conuenit cum simulachris.

Iere. 23.
Isa. 66.
Psal. 139.

Psal. 106.
Rom. 1.

ne effingere prorsus impossibile est. Est enim immensus, infinitus, omnipotens, is denique, quem Isa. 40. neque sensus nostri, neque intellectus aut ratio nostra apprehendere possunt. Quare Propheta rectissimè olim dixit: Cui similem facietis Deum? aut quod nam simulachrum adornabitis ei? Quòd si verò Dei neque essentia neque maiestas imagine aliqua exprimi potest, sequitur, operam & impensas illis perire, qui illud conantur, adeoque simulachra omnia fallacia esse, & falsis imaginationibus veram Dei cognitionem ex hominum animis delere. Quapropter nihil cum illis commune potest habere Deus, qui ipsissima est Veritas. Non minus verè ergo quàm grauiter olim Lactantius scripsit: Non est dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est. Et mox hoc dictum sic probat: Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra: quod quidē de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur id falsum sit, necesse est: nec potest vnquam veri nomen accipere quod veritatem fuco & imitationē mentitur, &c. Vide lib. Instit. 2. Cap. 19.

Vsus imaginū in templis nullus esse potest. Colligimus ergò ex his, plus quàm pueriliter (ne quid grauius dicam) vos delirare, qui aliquem putant esse posse vsum imaginū in templis Christianorum, vt nimirum nos de Deo et eius operibus admoneant, & librorum instar sint, ex quibus homines illiterati & idiotæ discant ea, quæ alij ex Scripturis discere solent. Habak. 2. Atqui magistros & doctores mendacij vocat Propheta imagines: nimirum, quòd Deum longè alium nobis fingant, quàm reuera sit. Et sufficit aduersus omnium istorum rationes vnicum hoc Apostoli dictum: Quæ consensio templo Dei cum simulachris? Neque hîc mihi aliquis oggänniat, Paulum de spirituali templo loqui, quod nos sumus. Nam quoad materialia illa, non minus diserte præcepta Dei habemus, quæ illa ne in his quidem ferunt. Et videtur hoc loco Apostolus à minori ad maius argumentari: In templis lapideis, quæ Dei cultui consecrata sunt, simulachra nulla prostare debent, neque iisdem honos aliquis exhiberi debet: multò minus ergo, qui viuum Dei templum, & pretioso Christi sanguine consecratus est, seipsum illis aliquo modo polluere aut prophanare debet. Itaque horum memores, vitemus commercia cum infidelibus non necessaria, fide autem pura & integra adhæreamus vni Deo Patri, per IESVM CHRISTVM, redemptorem & Mediatorem vnicum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXIX.

Nam vos templū estis Dei viuentis, sicut dixit Deus: Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorū Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & impurum ne attingite, & ego suscipiā vos: & ero vobis Pater, & vos eritis mihi filij ac filiæ, dicit Dominus Omnipotens.

Ioan. 15. DOminus & Seruator noster, IESVS CHRISTVS, discipulis suis admodum grauiter dicit: Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego vos selegi de mundo, propterea odit vos mundus. Quibus verbis non modò illos armat aduersus odia & persecutiones, quibus pij in mundo exercentur, verumetiam docet, quid nos interea facere conueniat. Nimirum, vt non quidem vicissim odijs certemus, vitemus autem, quoad eius fieri potest studia mundi, quem Christo tam inimicum esse audimus. Vt enim neque boni filij, neque fidelis subditi est, cum patris sui osoribus aut principis sui hostibus familiarius conuersari, vel etiam occultius colludere: Ita neque nos, qui Christo redemptore gloriamur, decet, vt mundo nos conformes faciamus, è quo nos ille sanguinis sui pretio redemit, vt nos totos sibi consecraret. Et hoc illud est, de quo Corinthios suos Paulus in præsenti diligenter admonet. Quia enim tantum sibiipsis indulgebant, vt putarent licere sibi, vt pacis & concordiæ publicæ causa cum ethnicorum idololatria communicarent, docuit, nefas omnino esse, vt cum aliquo iugum ducamus à fidei nostræ professione alieno. Et quàm hoc indignum & iniquum sit, multiplici comparatione, vel potius antithesi

antithesi aut oppositione demonstrauit. Quod enim consortium (inquit) iustitiæ cum iniustitia? & quæ cõmunio luci cũ tenebris? quæ verò concordia Christo cũ Belial? aut quæ pars fideli cũ infideli? &c. Vbi non oscitanter obseruari debet, quibus titulis siue nominibus eos insigniat, quibus illi placere studebãt. Dicit eos iniustitiam, tenebras, Belial, infideles. Id verò facit, non conuitiandi libidine, sed vt suam dignitatem cum ethnicorum conditione infelici conferentes, ab eorum studijs prauis abhorrere discant. Estq́ admonitio ista plus quam necessaria hodie, quando plerique mundi blanditijs sese decipi patiuntur, quòd de illo non rectè iudicent.

Quia verò postremum institutæ comparationis membrum fuit, nullam consensionem inter templum Dei & simulachra intercedere posse, id nunc propius applicat Corinthijs, dum ipsos templum Dei esse docet. Nam vos (inquit) templum estis Dei. Id verò ipsius Dei verbis probat: Habitabo in eis, et inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus. Desumpta sunt hæc partim ex Leuitici XXVI. partim ex Ezechielis XXXVII. Cap. Apud Mosem enim sic loquitur Dominus: Ego ponam tabernaculũ meũ in medio vestri, & animus meus non fastidiet vos. Ego ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis meus populus. Quibus consentiunt planè, quæ per Ezechielem postea dixit: Erit habitaculum meum in eis, & ego eorum Deus, ipsi verò meus erunt populus. Ad ista Paulus in præsenti alludens, ita dicere videtur: Si cui duriora videntur quæ dixi, vel etiam augusta & magnifica nimis, is non me istorum authorem, sed hæc Dei verba esse cogitet, &c. Nec est, vt quis ea de tabernaculo & arca fœderis olim dicta esse existimet. Nam suo populo loquitur Deus, in cuius locum vos successistis: & constat tabernaculum illud cum tota sua supellectile symbolum fuisse præsentiæ Dei, & quod tunc per arcam & propitiatorium adumbrabatur, id nos reuera præstitum habemus in IESV CHRISTO, vero illo Immanuele, de quo Euangelista scripsit: Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, &c. Christiani sunt templum Dei.

Obseruabis autem hîc ineffabilem Dei bonitatem, qua is nos prosequitur. Est hic immensus, infinitus, omnipotens, ipsis quoque cœlis sublimior, vt Dauid in Psalmo canit. E contra nihil vilius, imbecillius, sordidius homine, siue corpus eius siue animam spectes. Hæc enim peccatis polluta, illud morborum mille generibus obnoxium est, vtraque autem pars simul assiduis curis, dolore, laboribus conficitur: quod idem Dauid obseruans, canebat: Domine, quid est homo, quòd rationem illius habeas? & filius hominis, quòd cogites de eo? Homo vanitati similis est, & dies eius vmbræ prætereunti. Verumtamen ita se demittit Deus, vt non modò nos respiciat & curet, verumetiam inhabitet, dum videlicet Spiritum suum cordibus nostris inserit, qui nos illuminat, regit atque mirificè seruat. Et id quidem non solum de tota credentium Ecclesia, verumetiam de singulis debet intelligi, qui omnes ceu viui lapides (vt Petrus ait) per fidem super Christum, petram illam insuperabilem extruuntur, vt & in singulis Deus habitet, & ex omnibus simul communis illa & magna Dei domus, Ecclesia, coalescat. Et huc illud Christi debet referri: Si quis diligit me sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hoc vnum quicunq́ paulò diligentius expendunt, ij facilè videbunt, quàm absurdum & indignum sit, hominem, qui viuum & spirituale Dei templum est, imò qui per Christum ad Dei imaginem reparatus est, ad muta & inanima simulachra prosterni, in quibus neq́ vita neq́ sensus inest aliquis. De talibus certè verissimè illud dictum est: Homo, quando in honore est, non intelligit. Psal. 49.

Bonitas Dei. Psal. 113. Psal. 144. 1. Pet. 2. Ioan. 14.

Est præterea hîc obseruandum, quod Deus dicit: Et inambulabo. Oportuit enim hoc addi, ne quis illum in Ecclesia otiosum stare putet, vt olim fictitiorum Deorum statuæ in gentium templis, et qualem hodie Christum Papistæ fingunt, quem illi ex crustula factum ædiculæ cancellis ferreis munitæ includunt, vbi otiosus stans ab imperitis adoratur. At non talis est Deus noster: qui ita in nobis habitat, vt simul inambulet, omnia nimirum videns, audiens, gubernans. Quomodo enim totam Ecclesiam suam, aut vnicum eius membrum ille negligeret, cuius prouidentia ad flores vsq́ in agris nascentes & ad auiculas, imò ad coruorum voracium pullos vsque extenditur? Id verò vt nos in omni tentatione efficacissimè consolatur: ita officij quoque admonet, ne securi & oscitantes simus, neq́ latebras nostræ ignauiæ aut etiam proteruiæ quæramus inutiles, sed Dei inter nos ambulantis & omnia inspicientis memores, sedulò officium faciamus, cui ille nos destinauit. Deus inambulat nobis.

Ero illorum Deus, &c.

Facit ad huius particulæ confirmationem quod additur: Et ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Nam Deum alicuius esse, idem est, quod vindicem & protectorem esse. Id verò omnia comprehendit, quæ ad veram & perfectam hominis felicitatẽ faciunt. Etenim Deus ille Schadai dicitur, quia & sibijpsi & omnibus alijs solus sufficit, inque seipso inclusum habet inexhaustũ bonorum omnium, quibus nobis opus est, thesaurum. Ideo David dicebat: Beatus ille populus, cuius Deus est IEHOVA, & felix ea gens, quã ille sibi in hæreditatem delegit. Rursus Dei populum esse, est huic consecratum esse, ita vt ab eo vno pendeas, illi vni fidas & obedias, vnum illum colas, adeoque in illo vno noris omnia tibi reposita esse, quæcunque ad huius præsentis & futuræ vitæ felicitatem faciunt. Hic ergo nobis finis & vsus sit omnium, quæ Scripturæ de Deo prædicant, vt nimirum illum Deum nostrum, id est, tutorem & vindicem nostrum esse firmiter credamus, & procul relictis mundi huius & carnis nostræ studijs, nos totos illi consecremus, vt suo Spiritu nos inhabitet atq; regat. In eo enim veræ pietatis atque religionis totius summa siue Colophon cõsistit, vt & Deum rectè agnoscamus, & dignitatem nostram constanter tueamur, in quam ille nos ex gratuita misericordia euexit.

Psal. 33. & 144.

Locus Isaiæ LII.

Ideo Paulus ijs, quæ modò dicta sunt, nouam exhortationem subijcit, vt illicita & non necessaria gentium atque idololatrarũ consortia deuitent. Rursus autem Dei verbis vtitur, quibus is olim populum suum allocutus est, vt doceat, eandem adhuc hodie illius voluntatem esse, quæ olim fuerit. Quapropter, Exite (inquit) è medio eorum, & separamini dicit Dominus, & impurum ne attingite, &c. Extat locus iste apud Isaiam in Cap. LII. Vaticinatur illic Propheta de liberatione aut reditu Iudæorum ex Babylonico exilio, idque ita facit, vt simul vniuersalem humani generis redemptionem, cuius illa typus fuit, describat. Inter alia autem hisce verbis Sacerdotes alloquitur, quorum curæ & custodiæ vasa templi credita erant, vt in profectionibus ea deferrent, sicuti in Lege mandatur. Debebant hi seipsos ab omni immũditia legali puros seruare. Id verò Paulus omnibus Christianis applicat, eò quòd nos omnes Christus Deo Patri Sacerdotes fecit, quorum corpora (vt prius diximus) templum Dei viuum, adeoque vasa sunt, quibus Spiritus Sanctus vti dignatur. Monet ergo, vt veteris illius exhortationis memores idem ipsi quoque faciamus, quod olim fuit mandatum. Præstat ergo, vt singulas eius partes siue præcepta ex ordine videamus.

Num. 3. Leuit. 21. et 22.

Exeundum ex Babylone.

Primum est: Exite è medio eorũ. Debebant illi olim ex Babylone exire, vbi totis annis septuaginta captiui fuerant. A nobis autem requirit Dominus, vt Babylonem illam spiritualem relinquamus, quæ totum Antichristi regnum compræhendit. Sic enim ipse Christus in Apocalypsi loquitur, quando illius ruinam atque excidium denuntiat: Exite de illa popule mi, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Non debet tamen hoc simpliciter de solo discessu aut migratione, quæ corpore fit, accipi, quasi mox migrandum sit ex omnibus locis, in quibus vel superstitiones exercẽtur, vel flagitiosè & inhonestè viuitur. Ita enim vix aliquis nobis in orbe terrarum angulus reliquus maneret, & ex mundo hoc nobis emigrandũ esset, vt alibi Paulus dixit. Sæpe autẽ fit, vt pijs tutò versari liceat inter homines superstitiosos & idololatras, neque cogãtur eorum superstitionibus communicare, aut purioris religionis exercitia omittere. Licet ergo tunc illis manere, quoad non diserto Dei mandato aliò euocantur. Itaque hic locus de ipsis superstitionibus intelligi debet, vt his procul relictis, nullam cùm eis habeamus communionem. Quòd si verò id caueri non potest, nisi loci mutatio fiat, tunc è patrio quoque solo migrandum est, & coniunctissimi quique deserendi potius, quàm veræ fidei confessio violanda est. Sic Abraham natale solum reliquit, cùm Deum sibi dicentem audiret: Exi è terra tua, ex patria tua, & de domo patris tui, ad terram quam ego ostendã tibi. Sic Petrus rectè exiuit ex atrio summi Pontificis, cùm illic Christi confessioni nullum locum esse videret. Idem faciant quotquot Christo fidem seruare volunt inuiolatam. Nec enim ille temere dixit: Qui amauerit patrem & matrem, filium & filiam supra me, non est me dignus. Matth. 10. Cap.

Apo. 18.

Christiani separentur à superstitionibus.

Alterum præceptũ nos separari iubet. Exponit eo, & docet Deus, vt exire debeamus ex Babylone: sic nimirum, vt publicè testemur, nobis cum superstitionibus nihil cõmune esse. Et de eo Sacramenta quoq; nos admonent, quorum hic non postremus vsus est, quòd nota sunt externa Ecclesiæ, qua huius membra ab aliarum gentium superstitionibus distinguuntur & separantur. Sic olim

Cir-

Circumcisio Iudaicum populum à gentibus prophanis & incircumcisis separabat: quod ipsum de omnibus sacris & toto cultu Leuitico dici potest. Sic baptismus inter nos & Iudæos siue Turcas distinguit. Et Cœna Dominica inter alia, quæ illic habemus, nos admonet, vitandas esse omnes alias superstitiones, eò quòd fieri non possit, vt simul de mensa Domini & dæmoniorum edamus. Vidit hoc Petrus, qui cùm post primam concionem Hierosolymitanis consilium salutis petentibus dixisset: Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine IESV CHRISTI, &c. tandem addit: Seruemini à natione ista praua. Quibus verbis separationem illam præcipit, de qua hîc agitur.

Additur his tertium: Immundũ ne tetigeritis. Est hæc locutio ex Lege petita, vbi tactus quoq; cadaueris aut rei alterius polluebat, vt esus quoque ciborum, quos Deus pro eius temporis ratione prohibuerat. Imprimis tamen Sacerdotibus interdictum erat, ne quid immundum tangerent. At Christianis hominibus nihil hîc periculi est. Vt enim ipsi per Christi sanguinem purgati sunt, & à Legis ceremonijs liberati: ita puris omnia pura sunt; & Paulus alibi grauiter monet, ne eos audiamus, qui dicunt: Ne attigeris, neque gustaris, neque contrectaueris. Verè autem immundum est, quicquid cum fide in Christum pugnat & eius professione, adeò vt eius merito deroget: qualia sunt idola, cultus illiciti & superstitiosi, scortatio item, ebrietas, & quæcunque sunt alia huius generis. Hæc enim vt ex corde corrupto emanant, ita totum hominem & conscientiã eius polluunt, sicuti Christus docet. Ab istis ergo abstinere oportet omnes eos, qui templum Dei viuentis esse, & in Christo seruari cupiunt. Arguit hoc illorum leuitatem, qui externis superstitionibus communicant, & vitam viuunt scandali plenam, interim verò de animi puritate gloriantur. Quasi verò ex pura & limpidissima fontis scaturigine riuus sordidus ac luteus emanare possit. Sed de his sub initium proximi Cap. plura dicentur.

Immundum ne tangatur.

Tit. 1.
Col. 2.

Matth. 15.

Transeamus nunc ad postremam huius loci partem, qua exhortationem istam Dominus promissione lætissima confirmat, simulque magis excitat suos, ne in re tam seria & tam magni momẽti cunctentur siue moras nectant. Ego (inquit) suscipiam vos: & ero vobis Pater, & vos eritis mihi filij & filiæ, dicit Dominus Omnipotens. Ista ex diuersis Veteris Scripturæ locis Paulus contexuit, sensum magis quàm literam secutus, vt sæpe Apostoli solent, quando non de verbis, sed re ipsa agitur. Merentur autem hîc quoque singula diligentiorem considerationem.

Hortationem promissione confirmat.

Primum, Ego (inquit) suscipiam vos. Opponit hoc odijs mundi, qui pios exibilare & excõmunicare solet, vt indignos, qui communi cum alijs aëre fruantur. Quasi diceret: Si mundi consortio relicto, vos totos mihi cõsecraueritis, omnes quidẽ vos fastidiẽt atq; abominabuntur: sed ego vos ad me colligã, vbi vobis asylũ erit tutissimũ & portus salutis, in quo mundi infelicis conatus absq; periculo spectare & ridere poteritis. Et quàmuis illi vos execrentur, ego tamen vobis benedicam & fauore meo tuebor. Huc pertinet promissio Abrahamo facta: Benedicã tibi, & magnificabo nomẽ tuũ, tuq; eris benedictio. Benedicam quoq; ijs qui tibi benedicunt, maledicentibus verò tibi maledicam. Quibus consentiunt quæ in Psalmis habentur: Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Item: Tu benedices iusto ô Domine, gratia tua veluti scuto tueberis ipsum. Et rursus: Ipsi quidem maledicent, tu autem benedices. Exemplum istarum promissionum euidens in Balaami historia extat, qui à Balako Moabitarum Rege conductus, vt Israëlitarum castra diris deuoueret, quoties id facere tentauit, toties illis læta & fausta omnia precatus est. Et in Euangelio cæcum illum, quem Christus visu donarat, ob liberam fidei confessionem è Synagoga eijciunt Sacerdotes & Seniores Iudæorum, sed eundem mox inuenit & ad se recipit æternus Dei Filius. Neminem ergo terreant execrationes impiorum antistitum, nemo item tyrannorum minis moueatur, neque etiam aliquid tribuamus improborum iudicijs, qui nos probris & sannis prosequntur, si ipsorum studijs relictis nouum vitæ genus in Christo sectemur. Sunt enim hæc inania fulgura ex vitro aut lebete emicantia, quorum ferè euentus est ridiculus.

Deus suos suscipit.

Gen. 12.

Psal. 3. 5. & 109.

Num. 22. 23. 24.
Ioan. 9.

Deinde, se nobis patrem fore pollicetur Deus, qua promissione omnem beneuolentiam vnà cum cumulo beneficiorum omnis generis comprehendit. Parentes liberorum suorum obliuisci non possunt, & affectione, quam illis natura indidit, moti eorundẽ miserentur, vt quiduis potius ferre possint, quàm illis periclitantibus opem atque auxilium negare. Exemplum huius amoris memorabile

Deus suis pater est.

1.Reg.3. Isa.49. Psal.103. Rom.8.

in meretrice illa habetur, quæ ad Solomonis tribunal pro filiolo suo litigauit. Atqui Dei amor, quo is nos prosequitur parentũ ϛοργὰς longè superat, quod ipsemet apud Isaiam testatur, dicens: Nũ obliuiscitur mulier infantis sui, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamẽ tui non obliuiscar. Quò etiã referri debet, quod in Psalmo canitur: Vt Pater miseretur liberorũ, ita Dominus miseretur timentiũ eum. Ipse enim nouit conditionẽ nostram, recordans quòd simus puluis. Et ne quid de eo dubitemus, idem sub Patris nomine à nobis inuocari vult, & Spiritum adoptionis cordibus nostris ideo inserit, vt eo confirmati clamemus, Abba Pater. At in præsenti Emphasim habet, quod additur: Dicit Dominus Omnipotens. Sunt enim parentes, qui etsi liberos suos tenerrimè ament, eosdem tamen non possunt semper iuuare vt vellent. At Deus exercituum Dominus est, qui creatis omnibus imperat, & corda quoque hominum, tam bonorum quàm malorum in sua manu habet. Nunquam ergo ei desunt vires, quibus suos tueatur et liberet. Id orantes quoq; fatemur, quando dicimus: Pater noster, qui es in cœlis. Nam ijs verbis non tam locum denotamus, in quo ille habitet, quàm omnipotentiam eius exprimimus, qua omnibus imperat, quæ in cœlis & sub illis in tota huius mundi machina continentur. Quibus adde, quod Christo, quo Seruatore gloriamur, omnis potestas data est in cœlo & in terra, & quòd idem se pastorem illum bonum & fortem esse profitetur, è cuius manibus oues nemo poßit rapere.

Nos simus filij & filiæ Dei.

Additur autẽ in præsenti tertiũ quoq;: Et vos eritis mihi filij et filiæ. Poterat hoc idẽ cum priori membro, aut saltẽ ad eius confirmationẽ dictũ videri: sed simul nos officij admonet, & quid nos vicißim Deo debeamus docet: Nimirũ, vt filij Dei simus germani & ingenui, qui hunc Patrẽ nostrũ indulgentißimũ amemus, colamus, timeamus, & eidẽ obtemperemus: Ne videlicet nobis dici poßit, quod in Prophetis olim de Iudæis ille pronuntiauit: Filios æducaui & euexi, ipsi autẽ perfidè desciuerunt à me. Agnoscit bos dominum suum, & asinus præsepe heri sui: At Israël non agnoscit, populus meus non intelligit. Itẽ: Filius honorat patrẽ, & seruus dominũ suum: Si ergo ego pater sum, vbi honor est meus? Si verò dominus sum vester, vbi mei timor? Ista sibijpsis occinant, qui se securiores esse, & in ijs, quæ ad Dei cultum spectant, remißius aut frigidius agere sentiunt.

Isa.1. Malach.1.

Salus nostra gratiæ Dei opus est.

At priusquam dicendi finem faciamus, hoc quoq; in tota ista tractatione diligenter obseruari debet, primo loco poni, quòd Deus noster Deus & Pater esse velit: & ex eo deindè inferri, quòd nos ipsius populus, filij & filiæ simus. Nisi enim ille seipsum ad nos demittat, nosq; nihil huius meritos ad istam dignitatẽ euehat, nũquam eius capaces erimus, multò minus autẽ nostris viribus eò peruenire poterimus. Quapropter tota hæc coniunctio cum Deo, ex qua omnis salus nostra dependet, gratuitæ misericordiæ opus atque donum est, neq; hîc aliquid nostris viribus aut meritis debet tribui. Docet hoc ipsum ordo capitũ fœderis olim cum Abrahamo facti, in quo præmittitur: Ego sum Deus Schadai: deinde autem infertur: Ambula coram me, & esto integer. Idem in Decalogi ordine est videre. Quòd ergo à nobis Deus obedientiam & præceptorum suorum obseruantiam requirit, non ideo fit, vt nos ad nostrorum operum merita remittat, sed vt officij admoneat, quod ipsi debemus pro ipsius in nos gratuita bonitate. Itaque turpiter paralogizant, qui ex eo meritum concludunt. Debitores enim sumus Deo, cui nunquã satisfacere, nedum de illo quicquã mereri poßumus. Nam si omnia feceritis (inquit Dominus) quæ mandata sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quòd debuimus facere, fecimus. Itaq; agnoscamus Dei bonitatẽ, qui nos filiorũ loco adoptare dignatus est: officij autem nostri memores, IESVM CHRISTVM vera fide complectamur, qui vt nobis Seruator & doctor datus est, ita nos eum audire, ipsumq; vita & moribus nostris referre decet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Gen.17.

CAPVT VII.

HOMILIA XXX.

HAs igitur promißiones cùm habeamus, dilecti, purgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, perficientes sanctificationem cùm timore Dei.

ETsi

ETSI homo ad Dei gloriam conditus, & proinde huius seruitio atq; cultui destinatus sit, vt plurimùm tamen hîc peccat, dum vel negligenter agit, vel à cultus veritate declinat, & ex semetipso cultus instituit ridiculos partim, partim absurdos, quibus gloriæ Dei multum derogatur. Causa omnis erroris est, quòd pleriq; Deum sibi fingunt ex suo ingenio, qui vel humana non curet, vel nostri animi intentione contentus quiduis recipiat, quod nos ipsi offerimus. Nō temere ergo Deus cultus sui formā ipse præscripsit, & vt eam constanter retineamus hortatur, ne proprij ingenij figmentis decepti exorbitemus. In illa autem hoc præ alijs vrget & inculcat, ne quod ipsi simulachrum faciamus, neue ab alijs facta colamus: Nimirum quòd quia ipse summum atq; æternum bonum est, nulla potest imagine exprimi, nihil autem absurdius & contumeliosius fieri potest, quàm si eius maiestatem commutemus cum simulachro hominis mortalis, vel cuiuscunq; alterius creaturæ. Rectè ergo Paulus tam multis hoc agit apud Corinthios, qui sub amicitia & concordiæ ciuilis prætextu, sibi licere putabant, vt ad idololatrarum sacra & epulas accederent. Ostendit enim nuper, quàm hoc absurdum sit, & veteres Dei admonitiones atq; promissiones ipsis in mentem reuocauit, vt intelligant, eandem semper Dei voluntatem fore, quæ olim fuerit Mosis atq; Prophetarum temporibus. Istis autem nunc generalem conclusionem subijcit, qua Christianos omnes tam in hac causa quàm in omnibus alijs officij sui admonet.

Has igitur promissiones (inquit) cum habeamus, dilecti, purgemus nosipsos ab omni inquinamēto, &c. Dilectos vocat, vt & hoc et alia omnia, quæ hoc cap. dicturus est, ex animo amico et salutis ipsorum cupido proficisci intelligant, & proinde sese præbeant obsequentiores. Ex ijs autem, quæ proximè dixerat, admonitionem siue exhortationem istam inferens, eius fundamentum præmittit: Cùm has & tantas habeamus promissiones. Quas nam? Quòd nimirum Deus nos pro templo suo agnoscit, in quibus sibi domicilium constituat: quòd item noster Deus & Pater esse vult, nosq; sui populi & filiorum loco habere: æquum fuerit, vt nos sanctos & ab omni scelere puros præbeamus: vt deniq; purgemus nos ab omni inquinamento tam carnis quàm spiritus. Habent huius admonitionis singulæ partes Emphasim quandam, & proinde diligentius ex ordine considerari merentur. Conclusio prioris adhortationis.

Primùm, præclara illa & ineffabilia bona, in quibus omnis nostra salus consistit, promissiones dicit. Eo autem innuit, Deum ista nobis, non propter aliquod meritum nostrum, sed ex gratia conferre. Patet hoc luce clarius, si tempus consideres, quādo omnes illæ promissiones datæ sunt, quibus se nobis Deus obstrinxit: Tunc nimirum, quādo nihil minus merebamur, sed potius digni eramus, quos ille nostro exitio relinqueret. Nam vt ab ipso Adamo exordiamur, quis obsecro & qualis ille fuit, quando semen mulieris ei pollicitus est Deus, cuius merito caput serpentis conculcari & humanum genus redimi oporteret? Nonne peccator fuit? nonne perfidus & seditiosus maiestatis diuinæ affectator? nonne nudus & omnis boni expers? nonne hypocrita, qui ficuum folijs peccati turpitudinem velare voluit? nonne profugus à Dei conspectu fuit, & in proprium exitium festinauit, quando illum Deus vocauit: Adam vbi es? Nullum ergo eius meritum fuit, sed promissionem illam ei Deus fecit ex gratuita misericordia. Idem fateamur oportet, si promissionis huius, quæ in diluuio abolita videbatur, instaurationem videamus. Ad hanc enim ex toto hominum genere delectus est Abrahamus. At quis nam ille tunc erat? Nonne inter Chaldæos, homines, superstitiosos & Deorum alienorum cultores, ijsdem cum eis moribus vixit? Id certè Iosua non obscurè testatur. Quòd ergo inde eum euocauit Deus, & in terram Chanaan deduxit, vt illic cum eo æternæ salutis fœdus instauraret, id ex amore gratuito factum est. His si addas Iacobi filios, proteruia, incestibus & parricidijs infames, Israelitas item in Ægypto idololatriæ deditos, in deserto autem ingratos atq; impios murmuratores, quo obsecro illorum merito factum dices, quòd Legem suam illis dedit Deus, quòd sibi eos peculium fecit, quòd sui cultus sedem inter eos constituit? quòd denique terram dedit lacte & melle fluentem? Ipse Moses certè hoc omne ad Dei gratiam refert, dicens: Non ideo vos ita dilexit & elegit Dominus, quòd plures sitis alijs populis (nam pauciores estis omnibus populis) sed quia dilexit vos, & seruare voluit iuramentum, quod iurauit patribus vestris, &c. Item: Non propter iustitiam tuam, & propter Promissiones gratiam Dei denotant. Iosu.24. Deut.7.9.

rectitudinem cordis tui, tu venis vt poßideas terram hanc: sed propter impietatem gentium istarum, Dominus Deus expellit eas ante te: vt scilicet verbum, quod iurauerat patribus tuis, Abrahamo, Isaaco & Iacobo, inconcussum seruaret. Scias igitur, quòd non propter iustitiam tuam dat tibi Dominus Deus tuus terram istam bonam poßidendam: cùm sis populus præfractæ ceruicis, &c. Atqui eadem est ratio promißionum, quæ apud Prophetas habentur. Ferè enim præcedunt acerrimæ scelerum accusationes, obiurgationes acerbæ & diræ comminationes pœnarum, quas sua contumacia meruerint. Imò si eas consideres, quas nuper Paulus adduxit, Propheta his eos consolari voluit, quos propter inobedientiam & ingratitudinem suam in Babylonem abducendos fore prius dixerat. Potest idem de promißionibus dici, quæ ad gentes pertinent. Hæ enim omnes tunc sub tenebrarum potestate per omne genus superstitionum atq; libidinis volutabantur, cùm Prophetæ de earum vocatione & conuersione ad Christum vaticinati sunt: & tales adhuc fuisse, quando Apostoli eis Euangelium prædicarunt, notius est, quàm vt demonstrari oporteat. Itaq; salus toti humano generi ex gratuita Dei misericordia obtigit, in qua vna nos acquiescere decet, ne eam nobis inutilem reddamus, dum nostram iustitiam conamur stabilire.

Vsus promißionum Dei. Deinde de vsu promißionum Dei hic locus nos admonet, quoad vitam & mores nostros: Quòd nimirum nos Deo obstringunt, vt nimirum ei obsequamur. Etsi enim nihil de eo poßimus mereri, eidem tamen gratitudinem & voluntariam obedientiã debemus. Finge enim pauperis & mendici filium à viro honesto & opulento adoptari. Id certè ex misericordia & gratuito amore fieri omnes fatebuntur. Quis verò adoptiuum illum patri omne obsequium debere negauerit? Ita cùm Deus nobis Deus & Pater esse velit, communis sensus nos monet, vt nos ipsius populus simus, atq; vt filij boni & ingenui ipsi obediamus. Et hoc plerunq; disertis verbis Scripturæ docent. In fœdere enim cum Abrahamo inito (vt nuper quoq; diximus) dicit Dominus: Ego sum Deus Schadai, id est, ad omnia tibi sufficiens. Mox autem subijcit: Ambula coram me, & esto integer. In Lege item dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti, &c. Ex eo autem infert: Non habebis Deos alienos coram me. In Prophetis autem hoc tritißimum est, qui ingratos atq; rebelles seueriter corripiunt, & ijsdem pœnas graues minantur. In Euangelio eandem rationem sequitur Deus. Nam cœlitus de Filio suo IESV CHRISTO pronuntians: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum: Mox addit: Ipsum audite. Et ex Christi mandato prædicationem de peccatorum remißione doctrina de pœnitentia præcedit: non vt hac illam mereamur, sed vt ea nos opus habere intelligamus, & ad illam amplectendam præparemur. Obseruarunt hoc semper Apostoli, qui quoties de gratuita Dei electione & in Christo facta humani generis redemptione loquuntur, semper hunc eius finem, quoad huius vitæ nostræ curriculum, indicant, vt inculpatè viuamus, & eius laudes prædicemus, qui nos ex tenebris in lucem eduxit. Et in præsenti Paulus promißiones Dei gratuitas ceu fundamentum ponit exhortationis istius, quæ nos ad sanctimoniam & alia vitæ Christianæ officia excitat. Est hoc diligenter obseruandum propter eos, qui solam Dei gratiam prædicari volunt, officij autem sui nolunt admoneri, multò minus corripi: eorum similes nimirum, qui olim Prophetis dicebant: Ne prophetetis, ne stilletis, loquimini nobis blanda, &c. At quomodo ei gratia Dei prædicabitur, qui se illa opus habere non intelligit? Vel num gratiæ prædicatio sceleribus & carnis licentiæ patrocinari debet? Id certè nemo cordatus aut honestus dixerit.

Luc. 24.

1. Pet. 2.

Christiani se purgent ab omni inquinamento. Sed videamus, quid Paulus ab hominibus Christianis requirat? Nimirum vt purgemus nosipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus. His verbis exponitur quod Propheta dixit: Immundum ne tetigeritis. Est autem duplex inquinatio seu immundities: Carnis nimirum & Spiritus, siue Externa & Interna. Quoad externam, in Lege quidem immundi censebantur, qui vel morticinum, vel leprosum, vel cruorem menstruum tetigißent, aut cibum aliquem vetitum gustauißent. Sed nihil huius præscribitur in præsenti, cum ceremoniæ illæ omnes in Christo abrogatæ sint. Itaq; inquinamenta carnis dicuntur ea scelera, quæ ipsum quoq; corpus polluunt, dum per eius ministerium patrantur: qualis est Scortatio & omnis illicita libido, de quibus in priori epistola dicitur: Qui scortatur, in proprium corpus peccat. Ebrietas item, quæ totum hominem defœdat, & ne in corpore quidem subsistit, sed ad animam vsq; suas vires extendit. Blasphemiæ & execrationes, quibus

Inquinamentum carnis.

nes, quibus os & linguam polluimus: Illiciti cultus & sacra aliena, quorum communio plerunq; corpus quoq; inquinat, sicuti de Israelitis narratur, qui sacris Baal Pegor sese polluerunt, & insuper cum Moabitarum filiabus scortati sunt. Polluebantur etiam Corinthij, cum epulis in Deorum honorem institutis accumberent: & de eo imprimis loquitur hîc Paulus, vt ex ijs apparet, quæ præcesserunt. Hodie idem multis accidit, qui sacris Papisticis communicant, dum infantes suos ad baptismum Papisticum deferunt, & ea ratione in illorum ecclesiam adscribi curant: dum item cum illis ferias agunt, peregrinationes obeunt, Missas audiunt, ad simulachra prosternuntur. Hæc (inquam) omnia, & quæcunq; huius generis sunt, ad carnis inquinamenta, seu ad immunditiem externam pertinent. E contra inquinamentum spiritus omnia comprehendit, quæ in animo hærent: vtpote opiniones falsas & impias de Deo, impuras cogitationes, prauas cupiditates & omnes affectus vitiosos, inuidiam, æmulationem, odium, iram, auaritiam, vindictæ desiderium, & horum similia. Ab istis omnibus vult nos abstinere Paulus, vt corpore simul & animo mundi simus: nec ab ijs modò abstineamus, quæ solius Dei oculis patent, verumetiam ab omnibus externis, quæ cũ vera fidei & pietatis professione pugnant. Et Emphasim habet particula Vniuersalis: quia non satis est vnum inquinamenti genus vitauisse, si interim alio, quoad corpus vel animã, polluaris. — *Inquinamentũ spiritus.*

Obseruandum hoc diligenter propter eos, qui externam idololatriam excusant animi synceritate: quòd nimirũ, etsi ad sacra illicita accedant, fidem tamen in vnum Deũ per solum IESVM CHRISTVM habeant inuiolatam. Est horum magnus numerus hodie. At vtut sese excusent, nunquam tamen negare poterunt, sacris illis corpus atq; externam fidei professionem pollui. Id verò homines Christianos facere Paulus in præsenti prohibet. Et apertè in Christi mandatum peccant, quo is fidei confessionem synceram à nobis exigit. Imò quàm parui faciant Christum non obscurè testantur, quando eos non mouet grauis illa sententia: Quem mei & sermonum meorum puduerit in natione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & Filium hominis, vbi venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Adde his quòd vanissimum est, quicquid isti de cordis & fidei suæ synceritate garriunt. Nam vt aliâs diximus, adulteras imitantur, quæ de coniugali fide & amore magnificè loquuntur, corpus autem suum quibusuis obuijs prostituunt. Et quia Deus à nobis diligi vult ex toto corde & ex omnibus viribus nostris, eidem corpus nostrum negare nullo iure possumus. — *Idololatria nõ excusatur animi synceritate.* — *Marc. 8.*

Et facit ad huius confirmationem, quòd Paulus modum quoq; aut rationem tradit, quam in toto hoc negotio sequamur. Nam addit: Perficientes sanctificationem cum timore Dei. Perficiendi verbo vtitur, cui etsi Græca vox respondeat, eius tamen vsus fuit olim in sacrificijs, quæ & per se integra ac perfecta esse, & ritè perfici oportebat. Propriè autem eandem vocem nobis accommodat, qui alibi iubemur nos Deo hostiam viuentem sistere. Nec enim ea grata erit Deo, nisi perfectæ sanctificationi studeamus, & illi tam corpora quàm animas nostras sistamus per veram fidei obedientiam. Etenim dimidius modò cultus erit, si alterutram tui partem Deo neges. Et huc pertinent, quæcunq; de sanctificatione in Scripturis traduntur. In Lege clamat Deus: Eritis mihi sancti, quia ego Dominus sanctus sum, & segregaui vos de populis, vt sitis mei. Cui conuenit, quod Christus de suis discipulis dicit: Ego elegi vos de mundo. Si ergo à reliquis gentibus segregati sumus, vt Deo possemus consecrati esse, quid obsecro in nobis erit, quod ei negare, & quo hominibus prophanis cum nostræ professionis detrimento gratificari possimus? Et Christi precatio est pro discipulis: Pater, sanctifica illos tua veritate. Qualis ergo erit sanctificatio, quæ cum dolo & perfida simulatione coniuncta fuerit? Apostolus certè noster ait: Pacem sectemini cum omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deũ. Id verò de vera & perfecta sanctimonia dicit, de qua in præsenti agitur. Quia verò nobis semper aliquid deest, adhæc mundus quotidie nouas nobis labes atq; maculas aspergit, studio iugi & assiduo opus est, vt indies promouendo & proficiendo tandem ad perfectionem illam perueniamus, quam hîc nobis Paulus præcipit. Huc pertinet Christi præceptum, quo eos, qui ipsius sanguine & merito abluti sunt, pedes tamen itidem abluere iubet. Itaq; vehementer seipsos fallunt, qui se iam perfectos esse sibi persuadent, & quasi nihil agendum restet, ignauo otio & desidiæ sese dedunt. Atqui solidam perfectionem in cœlis tandem obtinebimus: quoad ergo hîc viuimus, indesinenter proficere debemus, & nobis applicare quod Paulus — *Modus purgationis istius.* — *Rom. 12.* — *Leui. 19. et 20.* — *Ioan. 15.* — *Ioan. 17.* — *Hebr. 12.* — *Ioan. 13.*

alibi de semetipso scribit: Ego meipsum nondum arbitror metam apprehendisse, vnum autem hoc ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens: Scopum versus feror, ad palmam supernæ vocationis Dei per CHRISTVM IESVM. *Vide locum ad Philippenses tertio Capite.*

Timor Dei stimulus ad sanctimoniam.

Porrò exhortationi huic stimulum adhibet, quo omnino opus est, eò quòd hîc nobis multa obstant. Iubet enim, vt sanctificationem nostram perficiamus cum timore Dei: hoc nimirum monens, vt nunquam nō Deum nobis ob oculos ponamus, deq; eo cogitemus, quòd ille ignauos & perfidos sui nominis professores impunitos non dimittat. Ista enim meditatio, si in ea assiduè & diligentes simus, sanctum illū atq; salutarem Dei timorē in animis nostris gignit, qui nos efficacissimè & vrget & confirmat, ne defatigemur aut succumbamus in ijs perficiendis, quæ nobis à Deo mandata esse scimus: vt supra Cap. 5. dictum est. Idem etiam initium sapientiæ dicitur, quod cæcos affectus ex cordibus nostris expellit, qui si illis locus detur, nos ea cernere non sinunt, quæ nos facere conueniebat. Qui verò illum excusserunt, ij aut effrenes ruunt in omne nefas, dum carnis propriæ & mundi cupiditatibus indulgent: aut quicquid faciunt, id ex hypocrisi & vana ambitione faciunt, & proinde Deo probari non possunt. Semper ergo cogitemus, nos in Dei conspectu versari, qui fuco externo falli nequit, cùm corda & renes scrutetur. Et hoc ad se transferant omnes Ecclesiarum ministri. Idem faciant, qui in Repub. versantur, priuatim quoq; singuli in omnibus suis actionibus atq; studijs. At hodie omnium malorum hæc causa est, quod Dei timor vbiq; locorum exulat. Hinc petulantius omnia pro sua libidine faciunt Antichristiani antistites: negligentius verò etiam ij agunt, qui Euangelium profitentur. Quid, quòd ijdem contentionibus nō necessarijs Ecclesias turbant? quod nunquam facturi essent, si vero Dei timore afficerentur. Eadem causa principes viros audaciores facit, vt sub Euangelij prætextu quæ sua sunt quærant, & Ecclesiarum bona non minus impudenter quàm iniustè diripiant. Quòd deniq; omnis loci & ordinis homines in religione ludunt, & eam ad suos affectus detorquent, dum cum superstitionibus Dei quoq; timorem ex cordibus procul eijciunt. Meminerimus ergo promissionum Dei, & ingenuo Dei timore nos ipsos ad veræ sanctificationis studium excitemus, vt nos IESVS CHRISTVS *pro suis agnoscere possit, quos regni sui cœlestis cohæredes faciat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XXXI.

Accipite nos: nemini iniuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem expilauimus. Non ad condemnationem loquor. Nā ante dixi, vos in cordibus nostris esse ad simul moriendum, & simul viuendum. Multa mihi loquendi libertas apud vos, multa mihi gloriatio de vobis: impletus sum consolatione, vehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra.

QVemadmodum in Repub. multum refert, vt populus de principum suorum studio præclarè sentiat, & liberi se à parentibus suis amari intelligant: Ita in Ecclesia hoc imprimis necesse est, vt omnibus persuasum sit, se à verbi Dei administris diligi, & hos quæcunque faciunt, non nisi publicæ omnium salutis studio facere. Quia enim mundus hic veritatis lucem natura odit, nunquam se ab illis coerceri aut in ordinem redigi patietur, nisi intelligant ipsos seriò agere, & non suum commodum priuatum, sed singulorum salutem quærere. Hoc Mosem olim monuit, vt suum erga filios Israelis amorem tam multis tamque grauibus argumentis declarauerit. Et hoc ipsum Prophetas quoque fecisse scimus. Obseruauit hoc Paulus quoque cum apud alias Ecclesias, tum maximè apud Corinthios. Quia enim sciebat, se multis apud eos exosum esse, diligenter & sæpe de suo erga illos studio disserit, idq; imprimis in hac epistola, cum priore illos nonnihil offensos esse videret. Itaq; cùm eos nuper aliquantò grauius monere vellet, vt ab idololatrarum commercijs abstinerent, multis præfatus est, quàm ardenti amore eos complectatur. Idem nunc quoq; facit, postquam admonitionem illam absoluit: & verbis eiusmodi vtitur, quæ singula illorum animos quàm efficacissimè poterant commouere.

A precibus

A precibus orditur, perinde ac si pater aliquis liberis suis, quos contumaciores esse, & incurabili malitia in exitium proprium ruere videt, supplex fiat, & eosdem humiliter roget, vt suis admonitionibus apud se locum dent. Accipite nos, inquit: vel, Capaces quæso nostri estote. Quo dicto ad illud alludit, quod supra Cap. 6. dixerat: Non habitatis angustè in nobis, sed in vestris visceribus angusti estis. Itaq; vt filijs loquor de pari compensatione: Dilatamini & vos. Itaq; huius loci sensus est: Cùm ego meum animum iam pridem erga vos dilatarim, vosq; omnes toto corde meo complexus sim, vos precor, vt vicissim vestra quoque corda mihi aperiatis, neque vos vllo affectu coarctari aut constringi patiamini, quò minus mihi & doctrinæ meæ apud vos locus sit, &c. Paulus precibus agit apud Corinth.

Venit autem hoc loco nobis obseruanda admirabilis & paterna planè Dei bonitas, qui simili ratione cum omnibus agit, quibus verbum suum prædicari curat. Offert his, imò effundit in eos bonorum suorum thesaurum, & plerunq; ministros dat qui nos ipsius nomine & verbis precentur (vt sub finem Cap. 5. dictum est) seq; totos nobis impendant. Patet hoc ex eo, quòd vt aliorum saluti consulant, seipsos omnium odijs exponunt, adhæc curis atq; laboribus conficiunt. Iure igitur & magno suo merito petunt, vt recipiantur & locus detur ipsorum admonitionibus. Et hoc sanè auditores omnes facere decebat. Quid verò fit? Pleriq; hoc nolunt facere, & iniuriam sibi fieri putant, si verbi administris ex Dei verbo salutaria mandantibus obedire iubeantur. Estq; hæc mundi contumacia & ingratitudo vetus admodum, vel potius omnium seculorum exemplis confirmata. De ea enim acerbissima extat Dei querela, in Psalmo dicentis: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud, id est, satisfaciam omnibus tuis votis atq; desiderijs. Quid autem ibidem sequitur? At populus meus vocem meam non audiuit. Israel noluit me. Id autem verè dictum esse infinita exempla docent. Quis enim nescit, quàm indignis modis Mosem tractarint, cuius beneficio ex dura & immani Pharaonis tyrannide erepti fuerant? Quis verò sufficeret exponendis iniurijs omnibus, quibus Prophetas, æterni Dei legatos atq; interpretes, affecerunt? Et quod olim factum fuit illis docentibus, hoc ipsum æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, *expertus est, vt non absq; graui causa neq; sine acerbi doloris significatione tandem diceret: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos; qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluistis? Et eandem Apostolorum sortem fuisse inter eos, quibus illi Euangelium prædicarunt, vnicum hoc Pauli & Corinthiorum exemplum abunde docet. Nam enormem fuisse oportet eam contumaciam, quæ tantum Apostolum ad preces non tam paternas quàm seruiles (si carnis iudicium audias) recurrere coegit. Est autem eadem tam frequens & vulgaris hodie, vt non solis verbi administris negotium faciat, verumetiam si quando pij ac boni principes saluti publicæ consultum & Dei gloriam propagatam volunt, pleriq; id impatientissimè ferant, multi quoque ex eo tumultuandi occasionem arripiant.* Bonitas Dei in ministris elucet. Mundi contumacia. Psal. 81. Math. 23.

Sed debebant omnes isti meminisse, quàm infeliciter hoc olim Iudæis cesserit. Nam in Psalmo supra adducto, mox subijcit Dominus: Permisi igitur eos libidini cordis ipsorum, vt incesserint secundùm consilia sua. Quibus verbis comprahendit quæcunq; ad extremum hominis exitium faciunt. Quia enim ex nobisipsis non videmus quæ salutaria sunt, imò quia ex nobis nihil aliud est quàm perditio, non potest ea non sequi, vt primùm nos nostræ libidini permittit. Tunc enim effrenis equi instar proteruire non desinimus, donec nosipsos in barathrum perditionis præcipitauerimus. Quod Iudæis accidisse, historiæ testantur. De istis ergo diligentius singuli cogitent, quando se à Dei ministris suppliciter rogari sentiunt, vt resipiscant. Qui enim ad Dei preces aures suas obturant, ij ipsi quoq; illum postea surdum inueniunt, quando periculis vndiq; pressi ad eum clamitant. Pœna contumaciæ.

Porrò rationem adducit Paulus, cur ipsum admittere & recipere debeant Corinthij. Nemini iniuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem expilauimus per nostram scilicet auaritiam & insatiabilem habendi cupiditatem. Summa & sensus verborum est, non esse aliquam causam iustam, cur animis ab ipso alienis esse debeant. Quasi diceret: Nemo administrorum verbi excludi aut reijci debet, quàm qui iniurijs Christi fideles afficit, vel hominum mentes corrum- Innocentiam suam testatur Paulus.

pit atq, peruertit, vel etiam suis potius rebus quàm publicæ saluti intentus pecunias colligit, & ad hoc multorum simplicitate abutitur: At ego nihil horum feci, & meæ innocentiæ vos testes habeo. Ergo iustissima est mea petitio, vt me accipiatis, iniusti autem & iniqui fueritis, si me velitis à vobis alienum ducere.

Vitia, quæ ministros suspectos faciunt.

Comprehendit autem tribus hisce membris omnia, propter quæ doctores meritò nobis suspecti esse & caueri debent. Primum est Iniuria, quæ ex feroci & insolenti potestatis commissæ abusu nascitur, & cum manifesta læsione vel corporis vel famæ coniuncta est. Alterum corruptio est, quæ per doctrinam solet fieri, quando Dei verbo hominum traditiones admiscentur, quæ simplicem populum superstitionibus excæcatum à Deo, vnico salutis authore, abducunt, & fidem multorum euertunt. Tertium est, πλεονεξία, quam propriè plus habendi studium dixeris: quod si apud doctores locum inuenerit, mox sub religionis prætextu rudes ac imperitos circumueniunt, & conscientijs eorum laqueos iniiciunt, quibus quasi captiuos ducunt, quod ipsis deinde aucupium est longè quæstuosissimum. Tales olim Scribæ & Pharisæi erant, qui sub prætextu longæ precationis domus viduarum deuorabant, & à liberis eas emungebant pecunias, quas in parentum senio confectorum alimoniam debuissent impendere. Tales etiam fuerunt, qui Apostolorum tempore in familias opulentiores irrepebant, vt captiuas ducerent mulierculas, quarum conscientiæ peccatis oneratæ erant. At ab omnibus istis se abstinuisse dicit Paulus, & id quidem verissimè. Quoad primum enim, ab omni tyrannide & iniusto potestatis Apostolicæ abusu tam alienus fuit, vt potius instar patris indulgentissimi omnibus omnia factus sit, & cum suo detrimēto saluti aliorum consultum voluerit. Deinde nihil scire se putabat, præter IESVM CHRISTVM, & hunc quidem crucifixum: & quia hunc solum prædicabat, qui via, veritas & vita est, neminem vtiq, sua doctrina corrumpere aut peruertere potuit. Postremò, adeò non captauit aliorum pecunias, vt stipendio quoq, abstineret, quod optimo iure & ex Christi instituto ab Ecclesijs exigere poterat. Dum verò ista de se dicit, non obscurè pseudoapostolos perstringit, qui vt tyranni & fidei dominatores in seruitutem adigebant, discipulos sibijpsis mancipabant, fidem multorum labefactabant, & licentiæ authores erant, quoad idolothytorum epulas, scortandi libidinem, incestus, lites forenses, & multa alia, quæ cum Christiani nominis professione minus conueniunt: neq, istis contenti, insuper defraudabant quosuis, & suas res agendo sub pietatis prætextu, cum aliorum perditione atq, exitio ditescebant.

Matth. 23. 15. 2. Tim. 3.

Discrimen veri & falsi pastoris.

Habemus igitur hoc loco discrimen inter veros & falsos Ecclesiarum ministros siue pastores. Illi nemini iniuriam faciunt, neq, aliquem grauant: hi onera imponunt intolerabilia, quæ tamen ipsi ne minimo quidem digito (vt Christi verbis vtar) attingunt. Illi vnum Christum tradunt, cùm sciant nullum præterea nomen sub cælo hominibus datum esse, in quo nos seruari oporteat: hi per mille ambages & infinita auia miseros circumducunt, quos semel in nassam suam illexerunt. Illi nullius opes aut pecunias, sed omnium salutem quærunt: isti cùm ditescere velint, & ferè ventrem Deum habeant, religionem sibijpsis quæstum faciunt, & templa quoq, in emporia vel domus mercatus conuertunt. Ex his ergo iudicare discito de omnibus, qui Ecclesiæ pastores haberi volunt. Sunt inter hos hodie præcipui Pontifices, qui Apostolicorum titulo sese venditant. At si ijdem illi cum Paulo possunt dicere: Nemini iniuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem per auaritiam expilauimus: bene est, & merito recipi atq, audiri debent. Sed quàm hæc verba ipsis conueniant, res ipsa loquitur. Quis enim iniurias omnes enumerauerit, quibus totum orbem Christianum grauarunt? Reges è solijs suis eiecerunt, regna transtulerunt, Imperatoriam Maiestatem conculcarunt. Certè, qui ista omnia recitare velit, is dicendi exordium facilius quàm finem inuenerit. Quàm horribilem verò doctrinæ corruptelam ijdem illi inuexerunt, quæ nullum omnino Christianæ fidei atq, religionis articulum intactum reliquit? Quid verò de illorum auaritia dicemus, cuius rapaces manus ne moriendo quidem effugere licet, cùm à mortuis quoq, tributū exigant? Vtinam verò Euangelici ab omnibus istis immunes essent, & non multa inter hos quoq, fierent, quæ Pauli exemplo minus conueniunt. Quis enim nescit inter hos quoq, inueniri, qui titulis ambitiosis superbi in symmystas suos & clerum Domini imperium sibi vsurpant, quo deinde satis tyrannicè abutuntur? Sunt præterea, qui Euangelij doctrinam quæstionibus non necessarijs

inuoluunt,

inuoluunt, & ita scandala imperitis obijciunt, & multorum conscientias grauant. Nec à turpis lucri studio omnes abhorrent, dum ex defunctis quoque quæstum habent, quos interdum per funebres conciones in cœlum vsque euehunt, vt plus pecuniarum ab hæredibus recipiant. Taceo multa alia, quæ hîc adduci poterant. Sufficiunt enim ista cordatis, vt de officio suo diligentius cogitent, & si quid ab ipsis peccatum est hactenus, emendent.

Sed vt ad præsentis loci tractationē redeamus, poterant hæc Pauli verba Corinthij accipere, quasi in ipsorum contumeliam ista diceret, vt in ingratos atq; iniquos beneficiorum spiritualium, quæ in ipsos contulerat, æstimatores. Ideo vt omnem suspicionē declinet, præoccupatione diligenti sese excusat, dicens: Non ad condemnationem loquor, id est, non ideo hæc dico, vt aliquem ex vobis accusem vel condemnem. Cur ergo? Vt meam tuear innocentiam, & eadem ratione doctrinam meam à contemptu vindicem. Est autem hîc videre singulare modestiæ & mansuetudinis exemplum. Multis & indignissimis modis in Paulum Corinthij peccauerant. Nam ingratissimi erant in optimè de ipsis meritum. Impostorum calumnijs locum dederant. A fidei simul & externi cultus simplicitate recesserant. In cœtibus sacris multa erat confusio: morum disciplina nulla, & insuper de ipso contemptim & scurriliter loquebantur. Attamen nihil horum illis amarulentius exprobrat, nec accusationem contra eos instituit, sed simplici suæ innocentiæ defensione contentus est. Imò solicitè cauet, ne in suspicionem veniat, quasi animo sit in eos alieno. Verè ergo Christum imitatur, & secundùm huius præceptum vitat omnem offensæ occasionem. Hoc ipsum si omnes facerent, plus pacis esset in Ecclesia & Repub. priuatim quoque inter singulos. Sed quia plerique mutuis exprobrationibus certant, plerunque ex paruis initijs lites & turbæ nunquam finiendæ enascuntur. Suspicionem odij declinat.

Porro argumentis aliquot probat, se nihil odiosè dicere in ipsorum contumeliam. Primum est: Nam ante dixi, vos in cordibus nostris esse ad simul moriendum, & simul viuendum. Id est, ita vos complector, & in corde meo quasi conclusos gesto, vt omnem fortunā vobiscum subire paratus sim, & me neq; mors neq; vita à vobis diuellere, aut meum illud studium extinguere queat. Est hoc veræ charitatis argumentum, quando non solùm viuentes & fortunis florentes colimus, sed cum ijsdem pericula quoque adimus, imò hac vita defunctos amore prosequimur. Talis olim Dauidis amor fuit in Ionathanum. Ita mulieres quoque illæ Galilææ Christum dilexerunt, de quibus Lucas scribit, quòd vt viuum & miraculis clarum ex suis facultatibus aluerant, ita mortuo quoque & sepulto extremum honorem impendere voluerint, quàmuis id cum periculo manifesto esset coniunctum. Ollæ amici sunt, qui non nisi eos sectantur, ex quibus commodum aliquod sperant. Imprimis tamen hoc ad Verbi Dei administros pertinet, vt cum Ecclesijs suæ fidei creditis viuere ac mori parati sint. Etenim mercenarij sunt, qui viso lupo, aut periculo aliquo imminente fugiunt. Quis verò Pauli imitatores dixerit eos, qui oblato pinguiori stipendio, ab Ecclesijs suis discedunt, vel etiam lucri causa stationem suam omnino deserunt, & ministerium Ecclesiæ, ad quod vocati fuerunt, vel cum principum aulis, vel quocunq; alio vitæ genere commutant? Amor Pauli erga Corinth. Ioan. 10.

Alterum argumentum amoris est: Multa mihi loquendi libertas apud vos: Id est, dum ista dico, mea libertate vtor, cuius mihi non alia causa est, quàm quòd vobis fido, & mihi de vobis omnia amica polliceor. Atqui hoc non postremum animi amici & beneuoli argumentum est, libere effari quod sentis, & quod ex re eius fore putas, quo cum agis. Nam nisi bene speremus de hominibus, facilè nobis ab ista dicendi libertate temperabimus. Itaque Ecclesiæ malè constitutæ certissima nota est, si ministri aut nolint, aut non ausint liberius dicere quod animo sentiunt, & quod res ipsa exigit. Illud enim animos ignauos arguit, sui potius commodi quàm publicæ salutis amantes: hoc verò populi & magnatum insolentiam prodit, qui vel minantur ministris, vel etiam vim apertam tentant, qua fidos monitores coerceant. Quapropter dicendi libertas tam ministris quàm Ecclesijs honorifica est, & non minus vtilis. Nam & in viam multos reuocat, qui alioqui in peccatis suis perituri erant, & paci publicæ seruit. Qui enim aliorum sceleribus offensi murmurabant, mox placantur, si eos correptionem patienter ferre videant, qui publici scandali authores fuerunt. Ideo Christus dicebat: Habete in vobisipsis salem, & pacem habete inter vos alij cum alijs. Marc. 9. Loquendi libertas amoris indicium.

Gloria vera ministrorum.

Tertio, vt suum erga illos amorem amplius testetur Paulus, ait: Multa mihi gloriatio de vobis. Quasi diceret: Etsi apud vos liberius reprehendam, quæ reprehensionẽ merentur, id tamen me non odiose aut ex animo hostili facere, vel ex eo apparet, quòd interea apud alios de vobis honorificè loq[illegible], imò glorior quoq; de vestra fide & obedientia. Huc facit, quòd eos sigillum apostolatus sui dicebat, deq; ipsorum in pauperes munificentia apud alias Ecclesias gloriabatur, vt sub finem Cap. proximi audiemus. Et hæc vera atq; solida ministrorum gloria est, si de Ecclesijs bene constitutis, deq; earum fide, obedientia, morum honestate & charitate mutua gloriari posšint. Sic Christus de discipulis suis probè custoditis atq; seruatis apud Patrem gloriabatur. At qui hodie sunt Episcopi, quia de nemine, quem ipsi Christo lucrifecerint, gloriari possunt, ditiones & dioceses latè patentes, redditus annuos & feuda iactant, adhæc pedis, crucibus argenteis, mitris & alio ornatu theatrico superbiunt. Inter alia autem hîc imprimis obseruari debet veræ charitatis ingenium. In faciem liberè monet, corripit, hortatur, nec quicquam dissimulat: absentes verò laudat, & quantum potest, eorum honori consulit. Hoc veros amicos decet. E contra adulatores & impostores, in faciem laudant, à tergo obtrectant, derident & ex aliorum stoliditate voluptatem capiunt. Hos ergo caueant, alteros autem illos in honore & pretio habeant omnes, quibus sua salus cordi est.

Ioan. 17.

Charitatis ingenium.

Addit his Paulus: Impletus sum consolatione, vehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra. Sensus est: Quomodo possem vos odisse, cùm ex vobis non ita pridem dulcissima consolatione perfusus sim, quæ me totum exhilarauit? & quidem in afflictionibus meis, quæ mihi vndique imminent? Quæ autem hæc consolatio, quodúe gaudium fuerit, mox exponet. Nunc discant Christiani homines Paulum imitari, vt omnium honori & saluti consulant, libere moneant alij alios, & ex aliorum in vera pietate profectu mutuam capiant consolationem in CHRISTO IESV, *Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XXXII.

Etenim cùm venissemus in Macedoniam, nullã habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus fuimus oppresi: foris pugnæ, intus terrores. Sed qui consolatur humiles, cõsolatus est nos Deus, aduentu Titi. Non solùm autem aduentu illius, sed etiam consolatione, quam ille accepit ex vobis: cùm renuntiaret nobis vestrum væhemens desiderium, vestrum eiulatum, vestrum pro me zelum, adeò vt magis gauisus fuerim.

Paulus Apostolus multis de suo erga Corinthios studio loquitur, & quanti eos faciat nuper diligenter exposuit: idq; non adulatoriè facit, vt ex eo commodum aliquod priuatum percipiat, sed vt doctrinæ suæ authoritatem conciliet, & eos sibi propitios reddat, qui insidiosis impostorum blanditijs decepti, animos suos ab ipso nonnihil alienauerant. Debẽt exemplum hoc imitari omnes Ecclesiarum ministri. Quia enim hominum salus maximè in eo consistit, vt Dei Verbo obediant, Satan hoc imprimis agit, vt huius ministros siue præcones omnibus inuisos atq; exosos, vel saltem contemptos reddat. Id verò non alia ratione commodiori efficere potest, quàm si in suspicionem veniant, quasi ex odio omnia dicant & faciant. Quare necesse omnino est, vt ea suspicione sese liberent. In eum ergo finem à Paulo dicta sunt quæ nuper audiuimus: quòd nimirum Corinthios in corde suo gestet, quòd paratus sit cum illis viuere & mori, quòd ex amore syncero coràm quidem liberius cum ipsis agat, absens verò apud alios de ipsorum fide & pietate glorietur: deniq; quòd ex ipsis consolationem & gaudium percipiat, quo in omni afflictionum genere recreetur. Id nunc exemplo recenti probat, quod sic narratur, vt in eo luculentissimè appareat, vt inter se mutuò affici debeant ministri & Ecclesiæ.

Exemplo probat suum erga Corinth. studium.

Nam sic scribit: Etenim cùm venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus fuimus oppressi, &c. Loquitur autem non de primo suo in Macedoniam aduentu, quem Lucas in Actis Cap. 16. descripsit (quæ enim illic narrantur, multò ante facta sunt, priusquam Paulus Corinthum venisset) sed de eo, cuius supra Cap. 2. mentionem fecit. Etenim

Titum ex Asia ad Corinthios miserat, vt res Ecclesiæ illius inspiceret, & inde ad ipsum Troadem rediens, de omnibus ipsum certiorem faceret. Illi verò, cùm Titum diutius apud se detinuissent, in causa fuerunt, vt ipse Troadem veniens illum non inueniret, sicuti inter eos conuenerat. Ideo rerum incertus & anxius Paulus in Macedoniam traiecit, vt illic Tito occurreret. Vbi cùm rursus noua mora intercederet, nouas animo suo curas concepit, quibus discruciabatur. De eo in præsenti scribit: Cùm venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, id est, quoad carnem siue externum hominem, nihil habui aut vidi, quod me recreare aut consolari posset. Foris enim ab ijs, qui à fide & Ecclesiæ contubernio alieni sunt, pugnæ & certamina mouebantur, cùm illi contra me & fidem Christianam omnia hostiliter tentarent. Intus verò, id est, intra Ecclesiæ parietes à domesticis fidei noui quotidie terrores excitabantur, partim ex multorum infirmitate, quorum saluti timebamus, partim ex insidijs Satanæ, quem nihil non tentare ac moliri videbam, vt fidem quorundam euerteret, & illius loci Ecclesias turbaret. Ista verò in eum finem commemorat Paulus, vt ostendat, non vulgarem fuisse eam consolationem, quæ in tam grauibus certaminibus laborantem confirmare potuerit. At quia eam ex Corinthijs acceperat, non potuit non eosdem maximi facere, &c.

Debet autem hoc loco obseruari sors ministrorum Ecclesiæ, adeoq; omnium fidelium. Quia enim in mundo hospites ac peregrini sunt, vndique premuntur. Etenim si eos respiciant, qui extra Ecclesiæ societatem & à fide prorsus alieni sunt, nihil quàm certamina inuenient. Constat enim totus hic mundus partim ex hypocritis, qui iustitiæ & sanctitatis fuco sese venditant: partim ex carni & seculo huic per omnia deditis atq; palàm impijs. At neq; hi neq; illi Veritatis lucem ferre possunt, vt qui sua opera praua (sicuti Christus ait) nolunt argui. Vtriq; ergo hostiliter agunt, & cùm ipsam Veritatem vincere aut extinguere non possint, aduersus eius præcones siue sectatores insurgunt. Neq; inter eos discrimen est aliquod, nisi quòd hypocritæ astutiores sunt & crudeliores. Itaq; semper locum habet quod dicitur: Multæ sunt afflictiones iustorum. Item: In mundo afflictionem habebitis. Omnes, qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. Et reuera stulti sunt, qui sibijpsis ex mundo vel pacem vel inducias tutas pollicentur. Nam vt apud Ieremiam dicit Dominus, sicuti neq; Æthiops cutem suam, neq; pardus maculas suas mutare potest, ita neq; infelix hic mundus ingenium suum mutabit. Ierem.13.

Fidelium sors in terris.

Quòd si verò ad ipsam Ecclesiam oculos suos minister conuertat, aut quiuis alius ex Christi cultorum numero, hîc quoq; plena curarum atq; terroris omnia inueniet. Nam hîc falsi fratres occurrent, ex quibus plus periculi est, quàm ex apertis hostibus: in quibus ferendis multa deuorare oportet, ne publica pax Ecclesiæ turbetur. Et hi reuera sunt zizania illa, quæ neq; bene ferri possunt, cùm multis noceant, neq; etiam euelli possunt absq; totius segetis periculo. Sunt præterea, qui non nisi sua quærunt, & nisi ipsorum votis, atq; desiderijs satisfiat, mox turbas dant. Sunt item homines contentiosi, qui nouis figmentis atq; constitutionibus dissensionum indies authores sunt. Adde his infirmos, qui ab impostoribus facilè seducuntur, aut hostium tyrannide atq; crudelitate deuicti succumbunt. Accedunt omnibus istis publicæ & communes calamitates, vtpote multorum egestas, exilia, morbi, carceres, tentationes omnis generis: quæ omnia hodie passim inter Christianos homines cernuntur. Hæc igitur omnia quisquis probè considerauerit, is cū Paulo cogetur dicere: Non habet relaxationem caro mea, sed in omnibus premimur: foris pugnæ, intus terrores. Is deniq; verum esse experietur illud Christi: Qui vult post me venire, is abneget seipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me, &c. Ad ista ergo præparemur, nec aliquid tribuamus mundo & eius studijs, sed his relictis ad cœlestia aspiremus.

Ecclesiarum morbi intestini.

Verumtamen vt minus succumbamus certaminibus istis, audi quid Paulus præterea dicat: Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos, Deus, aduentu Titi. Sensus verborum est: Cùm omnia essent deplorata, & ne spes quidem aliqua relaxationis in humanis appareret, tunc Deus, qui afflictos et ab omnibus derelictos respicere solet, mihi quoq; consolationem adhibuit per aduentum Titi, quem tam diu tamq; solicitè expectaueram. Quo loco obseruabis, quòd vbiq; omnis consolationis authorem inducit Deum. Hunc in primo Cap. patrem omnis misericordiæ & Deum omnis consolationis dixit. Et sanè hic solus propriè consolator dici meretur: quia nouit nos, qui

Deus consolationis author.

simus, & vnde ortum habeamus: neq; nostri obliuisci potest, cùm eius in nos amor naturales illas parentum erga liberos affectiones longè superet, vt alibi ex Isaia docuimus. Deinde solus ille consolari potest in quauis necessitate, cùm & mala imminentia auertere possit, & omnium hominum corda in sua manu habeat, & proinde ex hostibus amicos facere, & odium in commiserationem subitò mutare queat. Cuius rei exempla Scripturæ infinita exhibent. Esauus certè, qui Iacobi vitæ prius insidias struxerat, & ex Mesopotamia redeunti cum hostili apparatu occurrebat, illo viso, in lachrymas soluitur, inq; eius amplexum ruit. Idem Sauli accidit, qui cùm affectum parentis erga Ionathanum filium iampridem exuisset, & Dauidem cum copijs armatis quæreret, vt inuentum malè perderet, non semel eo inuento flere cœpit, & dicere: Iustior me es Dauid, fili mi. Talis ergo cùm sit Deus, rectè ei hoc epitheton Paulus tribuit: quo admonemur, ipsum solum inuocari debere.

Gene.33.

Quos verò consolatur ille? Humiles, id est, eos, qui calamitatibus oppressi, ad extrema iam deuenerunt, vt nulla ipsis auxilij siue consilij spes sit reliqua. Et obserua, Paulum hac quasi Periphrasi Deum describere, vt eius ingenium atque proprietatem exprimat. Nec enim hoc ex suo cerebro fecit, sed sciebat, illum passim se patrem peregrinorum, viduarum atq; orphanorum profiteri. Neq; etiam potest aliter facere, cùm ipsissima sit charitas, & in omnibus eius operibus misericordia primas teneat. Exemplum memorabile olim in Israelitis ædidit. Quid his abiectius & infelicius dici potuit, cùm Pharaonica tyrannide in Ægypto premerentur? Sed respexit eos Deus, neq; eos consolatus modò est, verumetiam manu sua, quasi cœlitus extensa eos eripuit. Idem in Babylone factum, cùm sub impio Baltazare de reditu in patriam vix cogitare auderent. Quò etiam tota Hesteræ historia pertinet, qua narratur, vt tam illam quàm Iudæos omnes, iam ad exitium damnatos, consolatione simul & manu potenti subleuarit. Quid, quod humanis rebus afflictissimis & omnino deploratis consolationem simul & salutem, misso in carnem Filio suo Vnigenito, attulit? Nemo igitur in periculis & angustijs desperet, sed cum Philone sentiamus, illic diuinum auxilium incipere, vbi humanum desinit.

Deus humiles consolatur.

1. Ioan. 4.
Psal. 147.

Facit autem ad Paulini dicti confirmationem quod sequitur, quo diligentius exponit, quæ & qualis consolatio ista fuerit. Diceret enim aliquis: Quid verò ad nos, quòd suo aduentu Titus te consolatus est? Ex eo certè apparet, te Titum pluris quam nos facere, cùm hucusq; nunquam nos viseris, sicuti pollicitus eras. Præoccupat ergo obiectionem istam, & se non tam propter Titum gauisum esse docet, quàm propter ipsos, de quibus per illũ certior factus fuerit. Quod sic enuntiat: Non autem solùm aduentu illius, sed etiam consolatione, quam ille accepit ex vobis: cùm renuntiaret nobis vestrum vehemens desiderium, vestrum eiulatum, vestrum pro me zelum: adeò vt magis gauisus fuerim. Sensus verborum est: Amo quidem Titum, idq; magno suo merito, sed non tam recreauit me, quòd tam fidi discipuli opera rursus vti possem, quàm quòd viderem illum ex vobis veram & solidam consolationem accepisse, quam mihi quoq; cõmunicauit, cùm mihi renuntiaret quis vobis erga me animus esset. Tria autẽ tribuit Corinthijs, quæ ipsi consolationis huius materiam præbuerint. Primum est ardens sui ad ipsos aduentus desiderium: quod argumentũ erat, Paulum ab illis magni fieri, vtpote eum, qui rebus ipsorum afflictissimis posset salutem afferre. Alterum, fletus & luctus, vel eiulatus, qui exortus fuerat ex prioris epistolæ recitatione, qua ipsorum vitia, & imprimis neglectam ab ipsis disciplinam accusauerat. Erat is signum reuerentiæ, & quòd ex animo pœniterent. Tertiò zelum nominat, quo ipsum prosequantur. Huius indicia erant, quòd eius nomen atq; authoritatem contra æmulos & calumniatores tuerentur. Nam etsi quidam de ipso malignius sentirent, pleriq; tamẽ eum amabant, nec ferre poterant, vt eius nomen proscinderetur. Hæc (inquit) mihi consolationem & gaudium pepererunt, quo plenissimè recreatus sum. At non poterat his gaudere Apostolus, nisi Corinthios amauisset, & maximi fecisset ipsorum Ecclesiam. Nam si quos contemptu dignos iudicamus, de illis non multum soliciti sumus, neque etiam eorum de nobis iudicia magni facimus.

Paulus ex conuersione Corinth. consolationẽ accepit.

Admonet autem huius loci exemplum, quis affectus inter Ecclesias & ministros esse debeat. Idem nimirum, qui inter pios parentes & bonæ indolis liberos esse solet. Hi illos peregre agentes, quàm ocyssimè domum redire vellent, & eorum aduentum maximo cum desiderio expectant: cùm è contra

Quis affectus inter Ecclesias & ministros esse debeat?

è contra filij nequam suos parentes perpetuò abesse cupiant, imò in mortem quoq; eorum ceu vultures & corui intenti sint. Deinde dolet vehementer filijs ingenuis, si quid se fecisse sentiant, quod parentibus displicet. At hoc quoque improbi filij susque deque ferunt. Denique pro parentum honore & existimatione æmulantur boni filij, & vt hanc contra quosuis tueantur, sedulò laborant: quam scelerati illi & degeneres proscindere & calcare solent, quàm primùm parentes prauis ipsorum desiderijs aduersari sentiunt. Vicißim pij ac fidi parentes toto animo gaudent, quando se à suis desiderari, amari, coli, honorari & timeri vident. Ista ad se transferant omnes Christiani. Ardeant fidelium doctorum & doctrinæ syncerae desiderio, & huic thesauro omnium pretiosißimo quotidie aliquid adijcere studeant. Doleant item delictorum suorum conscientia, & correptionem cum lachrymis ferant, quas non disciplinæ impatientia, sed vera peccati agnitio & ex ea enatus dolor secundùm Deum illis extorqueat. Sic Dauidem olim fecisse legimus, qui totas noctes cum suspirijs transigebat, & lachrymis perpetuis lectum suum rigabat, quòd se libidine sua Deum offendisse sciret. Imitati sunt illum Hierosolymitani illi, ad quos primam concionem Petrus habuit. Cùm enim immane illud scelus, quod in Dei Filium patrauerant sibi exprobrari audirent, & de eo intra animos suos propriæ conscientiæ testimonio conuincerentur, mox toto corde compuncti salutis consilium ab Apostolis petierunt. Idem ergo hodie etiam faciant, qui inter Dei filios censeri volunt. Faueant præterea honori & existimationi ministrorum siue pastorum suorum, & hos pro suis in Christo patribus agnoscant. Etenim qui hos odisse & nomen eorum lædere possunt, ij neque Christum amant, cuius illi legati sunt, neque magni faciunt regenerationis & eternæ salutis beneficium, quod ipsis per illorum ministerium Deus contulit. Rursus hæc gaudia ministri quærant, vt Ecclesias bene institutas habeant: recreet item eos & alacriores faciat populi ad doctrinam ipsorum concurrentis studium, adeoq; Christi exemplum imitati, hunc suum cibum esse putent, vt quod ipsis Deus mandauit, sedulò exequantur. Gaudeant item publica eorum, qui peccata sua pijs lachrymis deplorant, pœnitentia. Hoc enim Angelos in cœlis facere, Dominus testatur. Gratus quoque & iucundus ipsis sit zelus fidelium, quos Euangelij authoritatem fortiter asserere atque tueri vident. Hæc vera & solida decora atque ornamenta sunt, quæ de ministrorum fide, industria & studio testimonium ferunt: non pretio empti tituli, non pilei rubri aut mitræ, non togæ, & quæcunque alia huius generis cæca ambitio nouißimis hisce temporibus in Ecclesiam introduxit.

Acto. 2.

Ioan. 4.

Luc. 15.

At non minus diligenter hoc quoque obseruari debet, quòd Paulus tam seueriter cum Corinthijs agendum sibi esse putauit, quibus ista aderant, quæ veros Christianos decere diximus. Nemo igitur tam perfectus est, qui non stimulis opus habeat. Quia etsi magna sit in credentibus Spiritus alacritas, caro tamen infirmior est, & ingenium suum retinet, cui vt sedulò resistamus necesse est. Quid verò Paulum facturum putabimus, si in terras reuersus, hodie in Ecclesijs tam inter ministros quàm veræ fidei professores omnia his contraria fieri videret? Etenim Verbi studium friget, & aut omnino nullum est, aut tale, quale Deus apud Ezechielem Iudæis tribuit, qui ex communi & recepto more potius quàm discendi studio ad sacras conciones veniebant, quibus non aliter quàm cantiuncula aliqua nihil ad ipsos pertinente afficiebantur. At huius negligentiæ causa non postrema in multis ministris hæret, qui vel in docendo frigidi & indiligentes sunt, vel morum licentia authoritatem suam prostituunt, seq; ipsos populo partim ridiculos, partim exosos faciunt. Quòd si pœnitentiam requiras, quàm paucos inuenies, qui de peccatis suis doleant, & ea cum lachrymis pijs deploreat? Plures certè sunt, qui illis tanquam præclarè factis glorientur, & ex eorum commemoratione voluptatem capiunt. Et quid aliud faceret vulgus hominum, quando ministros suos siue pastores, vel canes mutos esse, vel aßiduis comessationibus vacare, deq; rebus sacris scurriliter loqui videt? Fit ergo, vt neq; Ecclesiæ ministros suos magni faciant, neque hi illarum cura tangantur, vtrinq; verò Euangelij professione vel ad morum licentiam, vel ad turpem quæstum abutantur. Oremus ergo æternum Dei Filium, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt is medicam manum vitijs istis adhibeat, vt omnes sancto zelo accensi ipsum quærant, ament & colant, vt olim cum ipso viuant & regnent. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Optimi quoq; seueriori correptione opus habent.

Ezech. 33.

HOMILIA XXXIII.

Nam etiamsi tristitia vos affeci per epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituerit: Video enim epistolam illam, tametsi ad tempus, tristitia vos affecisse. Nunc gaudeo, non quòd tristitia affecti fueritis, sed quòd tristitia affecti fueritis ad resipiscentiam: nam tristitia affecti fuistis secundùm Deum, vt nulla in re detrimento affecti sitis per nos. Nam qui secundùm Deum est dolor, is resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit. Ecce enim istud ipsum, quòd secundùm Deum tristitia affecti fuistis, quantum in vobis effecit studium? imò defensionem, imò indignationem? imò timorem, imò væhemens desiderium, imò zelum, imò vindicationem?

QVàmuis Verbi Dei ministerium in eum finem institutum sit, vt per illud homines Deo adducantur & salui fiant, multis tamen hoc adeò non prodest, vt potius ex eo perditionis & exitij sui occasionem arripiant, dum correptionis & disciplinæ impatientes, aduersus Verbi precones sese insolentius gerunt. Ideo Prophetæ & Apostoli frequenter de suo ministerio disserunt, vt ostendant, se quicquid faciunt, ex officio facere. Quò etiam referri debent, quæcunque Paulus hucusque de suo apostolatu atque doctrina disseruit. Nam vt sæpe diximus, erant aliqui inter Corinthios, qui de ipso iniquius iudicabant, quasi insolentius & nimis pro imperio ageret: & hi imprimis rigorem prioris epistolæ exagitabant, per quàm multa illorum vitia grauiter correpuerat, & hominem incestum Satanæ tradi iusserat. Poterant isti ex eo, quod proximè de consolatione & gaudio dixerat, quod ex ipsorum fletu atque eiulatu perceperit, occasionem nouam arripere, dicendi: Ergo vt tu lætari & gaudere possis, nobis lugendum atque eiulandum est? Quid verò nobis de tuo in nos studio polliceri possumus, quando propter vnius hominis scelus vniuersam Ecclesiam nostram tam duriter tractauisti? Et num nostri amantem putabimus esse te, qui ex nostris lachrymis voluptatem capis? Rursus ergo hanc quoq; obiectionem præoccupat, & ea occasione nunc diligentius exponit, quod supra Cap. secundo cæpit de hac causa dicere.

Fatetur & excusat rigorem posterioris Epistolæ.

Initiò fatetur simul & excusat rigorem illum, de quo æmuli eius querebantur. Nam etiamsi (inquit) tristitia vos affeci per epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituerit. Quibus verbis hoc vult dicere: Nemo mihi obijciat, quæ prius scripsi. Fateor ipse, me vobis tristitiæ authorem fuisse. Non autem me eius facti pœnitet, etiamsi me aliquando eius pœnituerit. Quæ particula postrema non ita intelligi debet, quasi Paulus præcipiti carnis affectu abreptus scripserit, quæ postea nollet scripta fuisse. Scimus enim spiritum Sanctum Apostolorum linguas & calamum direxisse, vt nihil quàm quod ille dictabat dicerent aut scriberent. In præsenti ergo hoc solum vult dicere, quòd quoad affectum suum priuatum, non sine dolore, adeoq; inuitus, illa scripserit, ex quibus sciebat optimos quosque dolorem concepturos esse. Ideo supra dixit: Ex multa tribulatione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lachrymas. Itaque hic præsentis loci sensus est: Maluissem ego mitius vobiscum agere, & vt pater pius, dum filios suos durius tractare cogitur, dolorem ferè acutiorem, quàm ipsi, in corde suo sentit: ita ego quoque non minus quàm vos contristatus fui, cùm illa scriberem. Verumtamen ita fieri oportebat, & nunc adeò non pœnitet me facti illius vt potius gaudeam: quia video epistolam illam, tametsi vos ad tempus contristauerit, non tamen caruisse suo fructu.

Ministri non retractēt quod ex officio semel fecerunt.

Est autem hîc obseruatu dignum, quòd ita sese excusat Paulus, vt nihil eorum retractet, quæ prius seuerius aut acrius scripserat, & quæ multis displicuisse sciebat. Imò apertè illa pro suis agnoscit & defendit. Discant ergo eius exemplo ministri, non cedere improbis & contumacibus, sed potius constanter vrgere quod semel ex Dei mandato instituerunt. Debent enim (vt infra dicet Paulus) Christi in se loquentis experimentum præbere: quod non poterunt facere, si in suis dictis & scriptis non semper sibi constēt. Et huc pertinent multorum aliorum exempla, quos Dei

fideles seruos fuisse scimus. Moses certè, etsi Pharaonem iniquissimè ferre videret Dei mandatum de dimittendis filijs Israëlis, illud tamen constantissimè vrsit, neque vllis comminationibus aut periculis se perterrefieri passus est, vt segnius ageret. Idem simili constantia cum Israëlitis murmurantibus & aduersus ipsum atque fratrem Aaronem tumultuantibus suam authoritatem defendit. Talis quoque Elias fuit, quando ei cum Achabo impio & contumaci res erat. Idem de omnibus Prophetis dici potest, Ieremia imprimis, qui quamuis se proditionis & perfidiæ in patriam suspicione grauari sentiret, nunquam tamen adduci potuit, vt aliter loqueretur, quàm ei in mandatis Deus dederat. Sic Apostoli fecere, cùm illis à Senatu mandaretur, ne posthac in nomine IESV CHRISTI prædicarent. Responderunt enim: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus: Non possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Et Paulus postea, cùm Romæ captiuus detineretur, ex vinculis non alia scripsit, quàm quæ prius docuerat, neque eorum calumnias veritus est, qui illum contra Romanas leges nouum Dei cultum inuehere vociferabantur. Debet hoc ipsum hodie etiam fieri ab Ecclesiæ ministris. Ægrè ferunt multi, si superstitiones & illiciti cultus liberius arguantur, si scelera publicè accusentur, si pœnitere nescijs ira Dei denuntietur: multi etiam silentium ministris præcipere audent. Sed qui obsecro nos sumus, vt aliter loquamur, quàm ex Dei ore, ex Scripturis nimirum sacris didicimus? Stulti profectò, & nimium arrogantes sunt, qui hoc à nobis exigunt. Aut quis prudentem & cordatum diceret eum, qui legatos Regis potentissimi ad se missos alia loqui vellet, quàm à Rege suo in mandatis acceperunt? Et tu à Dei Opt. Max. legatis hoc postulare audes? Quòd si verò id obtineas, quæ inde ad te vtilitas redibit? Etenim propter legati sui perfidiam non mutabit sententiam suam Deus, quò minus puniat eos, quos pœna dignos esse prius iudicauit. At non in Deum modò impij & perfidi, verumetiam terque quaterque miseri atque infelices sunt, qui vt hominibus placeant, aut canes muti fiunt, aut quæ bene dixerunt retractant, aut illa saltem ambigua & dubia expositione aliqua mitigant, eò quòd nonnullis duriora æquo videntur. Atqui finis ministerij sacri est, non vt hominibus placeamus, sed vt quàm plurimos seruemus. Etenim qui hominibus placere student (vt de semetipso Paulus ait) ij Dei serui non sunt. Itaque huius exemplum imitentur, quotquot cum laude & fructu aliquo in Verbi ministerio versari volunt. Nam qui mundi huius applausum quærunt, ij neque Deo neque hominibus probantur, imò eos tandem sibi acerrimos hostes esse sentiunt, quorum prauis desiderijs ipsi nimis seruiliter indulserunt. Act. 5. 4.

Cæterùm causam indicat Paulus, cur ipsum facti non pœniteat, dicens: Gaudeo nunc, non quòd tristitia affecti fueritis ad resipiscentiam. Est verborum constructio obscurior, & aliquid deesse videtur. Nam ex omnibus loci totius circumstantijs satis constat, Apostolum hoc voluisse dicere: Gaudeo, non quòd tristitia per me affecti fueritis, sed quòd tristitia hæc vobis ad resipiscentiam adiumento fuit, qui prius securi in peccatis vestris pergebatis. Vbi discimus, in correptionibus non tam dolorem & gemitum eorum, qui corripiuntur, quàm resipiscentiam spectari debere. Nam inhumanum prorsus & barbarum est, imò tyrannicum nimis, aliorum cruciatibus gaudere, aut ex eorum querelis atque gemitibus voluptatem captare. Rursus pharisaicũ est, in externa luctus specie acquiescere, aut pro peccatis satisfactũ putare, si qui hæc aut ista patiantur. Sola resipiscentia testatur dolorem nostrũ ex animo verè pio manare, neq; fictos esse gemitus quibus interea dum corripimur, suspiramus. Satisfactio autem extra Christum nulla potest esse, qui solus nobis scelerum omnium expiatio simul & iustitia à Patre factus est: inutilis autem est dolor omnis, nisi ad Deum conuertamur per Christum, & ex huius semine renati vitam moresque emendemus. Huc referri debent exempla de filio prodigo, de latronibus cum Christo crucifixis, de Dauide ac similibus. Et ideo Petrus ijs, qui toto corde compuncti salutis consilium petebant, præcipit, vt resipiscant, in nomine IESV CHRISTI baptizentur, eiusdem Ecclesiæ sese coniungant, separentur autem à natione Iudæorum praua atque degenere. Id verò simul officij admonet eos, qui disciplinæ præfecti sunt: Vt nimirum non prius remittant huius rigorem, quàm homines emendatos viderint. Denique vt bonus atque prudens pater, virgas tunc demum retrahit, quando filium ex disciplina meliorem factum esse videt, & tunc hac se vsum esse vehementer gaudet: Ita illi quoque sibi agendum esse cogitent. Et hunc finem sibi propositum habere debent non solùm Ec- In correptionibus pœnitẽtia spectari debet.

ij, quibus Legum executio mandata est: ne indulgentia sua eos perdant, qui seueriori disciplina corrigi & in ordine retineri poterant.

Tristitia secundùm Deum.

Sed diligentius narratur à Paulo, vt Corinthij ad resipiscentiam contristati fuerint. Nam tristitia affecti fuistis (inquit) secundùm Deum, vt nulla in re sitis detrimento affecti per nos. Argumentum ita formari poterit: Qui secundùm Deum tristitia afficiuntur, ij nullum ex illis detrimentum accipiunt, qui ipsis tristitiæ illius authores sunt: At vos secundùm Deum tristitia affecti estis: Ergo nihil ex me damni accepistis, neque habetis quod de meo rigore conqueramini. Ad Maioris confirmationem pertinet quod subijcitur. Nam qui secundùm Deum est dolor, is resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit. Duas facit doloris species. Dolor secundùm Deum dicitur, qui in vnũ Deum respicit, ita vt hoc vnũ homini doleat, quòd peccando Deum offenderit, & hunc sibi iratum habeat, alioqui quiduis ferre paratus, modò cum illo in gratiam redire possit. Mundi verò dolor dicitur, quando propter res huius sæculi dolemus, vtpote propter opes amissas, aut coniugis & liberorum obitum, aut propter amicos nobis ereptos, vel quòd infamia notati simus: item, quando aliena felicitate ringimur, vel metu pœnarum nobis imminentium discruciamur, nihil interim de Deo soliciti, aut de scelerum emendatione, quibus iram illius prouocauimus. Iste dolor mortem efficit, partim quoad corpus, dũ consolationem nullam admittens ossa exiccat (vt sapiens ille Solomon dicebat) viresque omnes consumit: partim quoad animã, quia nisi Deus remediũ adhibeat, ad desperationis præcipitiũ deducit. E contra dolor ille, qui secundùm Deum concipitur, resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nũquã pœniteat. Nam qui ita dolent, ij sibijpsis displicent, de vitijs corrigendis cogitant, & ad Deum reuertuntur, vbi certa eis spes gratiæ & salutis portus tutissimus paratus est. Etenim Dei promissiones sunt: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Item: Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ.

Dolor siue tristitia mundi.

Ezech. 18. Zach. 1. Isa. 45.

Exempla vtriusque doloris.

Exempla, quibus hæc doloris distinctio confirmetur, vbiq; sunt obuia, & mox res tota euidentissimè patebit, si Cainum & Dauidem inter se conferas. Ille secundùm mundũ doluit, non quòd Deum offendisset, sed quòd se à Deo minus quàm fratrem Abelum curari, & hunc sibi præferri videret. Inde verò mors animæ secuta est, & vita in hoc corpore ipsa morte acerbior, sicuti vox ista desperationis plena testatur: Maior est iniquitas mea, quàm vt remitti possit. At Dauid, cum turpissimè peccasset, secundùm Deum doluit, deq; eius gratia & reconciliatione solicitus clamauit: Miserere mei Deus secundùm multitudinem misericordiarum tuarum, &c. Et mox sibi dici audiuit: Transtulit Deus peccatum tuum. Itaque dolor iste veram resipiscentiam ad salutem in ipso peperit. Idem videbis adhuc clarius si eundem cum Saule contuleris. Dolebat is quoque huius mundi dolore, quòd Regnum sibi diuina sententia negari, & successorem iam sibi à Deo electum esse audiret. At dolore hoc exacerbatus, mortem sibijpsi accelerauit, dum noctes insomnes duxit, cor proprium exedit, Dauidem insontem, imò meliora de se & toto regno meritum, persecutus est, & tandem bello implicitus artes fatidicas, vel potius harum præsidem diabolum consuluit, qui ipsi mortis violentæ simul & desperationis author fuit. Quòd si Dauidem inspicias, is etsi à filio Absolone ex solio regali deturbaretur, tamen sui sceleris non immemor, secundum Deum doluit, & proinde de hoc potius placando quàm de regno per vim retinendo solicitus, dicebat: Si inuenero gratiam coram Domino, restituet me, ostendetque mihi & se & habitaculum suum: Quòd si dixerit mihi: Non mihi places: præsto sum, faciat mecum quod sibi bonum videbitur. Ita verò resipiscentiam salutarem sibi acquisiuit Dauid, cuius eum nunquam potuit pœnitere. Possunt his adnumerari Iudas & Petrus, ex quibus hic secundum Deum dolens à Christo in gratiam receptus & pristinæ dignitati restitutus est: ille verò mundi dolore absorptus desperauit, seq; ipsum suspendit. Cæterùm in his obseruari debet.

2. Sam. 15.

Pœnitentiæ initium dolor secundum Deum.

Primò, veræ & salutaris pœnitentiæ initium esse dolorem illum secundùm Deum. Verumtamen non potest is in nobis locum habere, nisi peccata nostra verè & ex animo agnoscamus. Quia verò id innata nobis vitiositas non permittit, nobisq; ipsis inter peccandum delitias facere solemus, redargutione seria et diligẽti opus est: quod ipsum in Dauidis exemplo apparet, qui securus in suo scelere perijsset, nisi Nathã ipsum induxisset in eius agnitionem. Ideo qui nos peccãtes arguũt

& cor-

& corripiunt, ij nullo nos detrimento (vt Paulus hîc ait) afficiunt, sed potius beneficium nobis conferunt, quo nullum nobis salutarius magisque necessarium conferri poterat. Idem enim faciunt, quod pij parentes, qui filios immorigeros castigant: aut quod fidi medici, qui vt toti corpori consulant, vitiosum membrum secant & vrunt, vel ægrotanti pharmacum amarum propinant. Sed in eo potissimùm elucet peruersitas humani ingenij, quia fit, vt pœnitentiæ authores odio prosequamur, impostores verò blandulos amemus, qui nostrum nobis exitium accelerant.

Deinde fructum quoq; doloris istius diuini diligentius considerasse prodest. Resipiscentiam ad salutem efficit ἀμεταμέλητον, id est, cuius nos nunquam possit pœnitere. Qui propter res huius sæculi tristitia afficiuntur atq; dolent, eos plerunq; suæ tristitiæ pœnitet, quãdo se nihil proficere vident, imò sibi eò peius esse sentiunt, quò maiori & acerbiori cum luctu sese inaniter excruciant. At quæ secundùm Deum est tristitia, duo cõmoda sibi coniuncta habet. Primum, quòd desperationi medetur: quia ad hunc modum afflictis Deus gratiæ suæ Solem seu iubar aliquod ostendit. Alterum, quòd eo fructu beat verè pœnitentes, quẽ pij & electi vnicè quærunt. Nam de gratia Dei certos facit, & simul scandalum è medio tollit, quod ex nostris flagitijs enatum fuerat. Quapropter tristitia hæc omnibus huius mundi gaudijs præstat. Hæc enim rebus fluxis & caducis constant, quæ cùm amittuntur, post se relinquunt dolores atque cruciatus intolerabiles. Illa verò vtilis est, vt & hîc bene viuamus, & olim felicitatem veram atque æternam consequamur. Denique hæc non postrema pietatis illius pars est, quam Paulus quæstum maximum esse dixit, eò quòd promissiones habeat præsentis & futuri seculi. 1. Tim. 4. Fructus doloris secundum Deum.

Porrò cùm Paulus & Scripturarũ testimonijs & exẽplis pluribus confirmare posset quod dixerat ipsos Corinthios compellat, vt quot & quãta bona ex hac tristitia ipsis enata sint, cõsideret. Ecce enim (inquit) istud ipsum, quòd secundùm Deũ tristitia affecti fuistis, quantũ in vobis effecit studium? imò defensionẽ, imò indignationem, &c. Demonstrandi particula eos excitat, et simul laudat, quòd certis argumentis probauerint, se verè & ex animo pœnituisse. Sunt illa septem numero. Primum est studium serium pœnitentiæ. Qui enim hucusq; securi in vitijs suis dormierant, horum agnitione compuncti, in illis corrigendis alacres cernebantur & industrij. Ita enim solent, quicunque verè pœnitent. Nam militum honorũ similes sunt, qui quã ignobili fuga sibi inusserunt infamiæ notam, postea omni studio eluere satagunt. Sic Dauidem olim fecisse legimus, sic Petrum quoque, quorum exempla plerosque Corinthiorum imitatos fuisse, hic locus docet. Secundò defensionẽ ponit. Græcè est ἀπολογία, quod excusationem aut criminis purgationem significat. Eam Corinthijs tribuit Apostolus, quia & apud Deum sese pijs precibus purgauerant, & toti mundo suã probarant innocentiam, quoad incestum illum hominẽ, vt paulò post sequetur. Tertiũ est, indignatio. Sibijpsis enim irascebantur, quòd in coërcẽda quorundã licentia tã fuissent negligentes. Quartò timorẽ eis tribuit: Dei nimirũ, quo tunc continebantur in officio. Quinto væhemens desideriũ, cum Deo videlicet redeundi in gratiã. Quod quàm ardens sit in sanctis, Dauid eleganti simili exprimit, dicens: Vt ceruа rugit ad torrentes aquarum: sic anima mea rugit ad te ô Deus: Sitit anima mea Deum, Deum viuum, quando veniam tandem, vt appaream in conspectu Dei? Sexto zelus siue æmulatio sancta nominatur, qua se mutuò ad studiũ placandi Dei accendebant. Addit his postremũ, Vindicationẽ, qua nimirũ vsi fuerant in hominẽ incestum, publici illius scandali authorem. Et ea imprimis opus est, ne à Deo iudicemur, & cum mundo infelici condemnemur, vt in prioris epist. Cap. vndecimo audiuimus. HAEC ergo sunt vera pœnitentiæ indicia, & fructus illi, de quibus Baptista olim concionatus est: Ferte fructum dignum ijs, qui resipuerint. His hodie etiã nos studere oportebat, quando Deus vbiq; flagella sua exerit. Sed pœnitentia hodie aut nulla, aut momentanea, aut fucata est, qualem Israëlitis Hoseas Cap. sexto tribuit.

Indicia pœnitẽtiæ apud Corinthios.
1. Studium.
2. Defensio.
3. Indignatio.
4. Timor.
5. Desiderium.
Psal. 42.
6. Aemulatio.
7. Vindicatio.

Obseruabis autẽ, quid in Ecclesia cum ijs fieri debeat, qui istis argumentis se resipuisse testantur? Deus pœnitẽtes absq; mora in gratiã recipit, vt alibi prolixè docuimus. Vt ergo idem ipsi quoque faciamus iubet Christus, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, obiurga eũ: & si resipuerit, remitte ei: Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: Remitte ei. Hoc in præsenti Paulus obseruat, & neq; tempus gratiæ diutius extrahit, neque satisfactiones theatricas præscribit alicui. Imò quia vidit, illos simul omnes, aut saltẽ maiorẽ eorũ Pœnitẽtes absque mora recipiendi.

partem, peccata sua agnoscere, de illis dolere, sibijpsis irasci, & seriò Deum quærere, dignos iudicat, qui publicis quoque præconijs atque laudibus ornentur. Posteris demum temporibus propter Nouatianos & hypocritas noua satisfactionũ formulæ excogitata, & pænitentiæ certũ tẽpus pro delictorum ratione constitutum est. Sed humanũ figmentũ gemella prole mox sese prodidit: Tyrannide nimirum episcoporum, & Hypocrisi, matrè scelerum omnium fœcundissima. Et memorabilis
Lib. 5. cap. 19. est historia, quam Socrates narrat. Cùm enim Constantinopoli pænitentiarius presbyter mulieri nobili ob nescio quam causam pænitentiæ exercitia & satisfactiones diuturniores mandauisset, interea dum his vacat, in ipso templo cum Diacono stupri consuetudinem habuit. Quo scandalo populus irritatus, in sacerdotes sæuire cœpit. Itaq; Nectarius pænitentiarium presbyterum sustulit, & Pauli doctrinam secutus sufficere censuit, si vnusquisque seipsum probet, priusquã ad sacrã Domini cœnam accedat. Neque reduxit bene & meritò abrogatum pænitentiariorũ ordinem successor Nectarij Chrysostomus, quàmuis acerrimus morũ & disciplinæ vindex fuerit: nimirum quòd videret rem hanc periculi plenam esse, & quod semel factum fuerat, sæpius fieri posse: neque frustra hoc illum timuisse, abunde testantur exempla, quæ inter Papistas postea acciderunt. Scio Socrati factum hoc displicuisse, qui se Eudæmonẽ Alexandrinum, qui Nectario huius consilij author fuerat, ideo reprehendisse scribit: sed quàm friuolo & Sophistico argumento id fecerit, quiuis facilè intelliget, qui illud propius inspexerit. Nam ita abolitas fuisse dixit mutuas redargutiones siue correptiones vnà cum apostolico illo præcepto: Ne commercium habueritis cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potius etiam arguite. Quid verò hoc ad pænitentiarios presbyteros siue Seniores? Et quæ ratio est, quæ ne alij alios moneant, arguant, corripiant, prohibeat: etiamsi paucis quibusdam non permittatur, vt ipsi Senatum nouum atque extraordinarium in Ecclesia constituant? Ego certè nihil vtilius & tutius esse video, quàm vt Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ vestigijs insistamus. Minimè tamen ijs patrocinamur, qui & Christiani haberi volunt, & impudenter sese ingerunt absque omni pænitentiæ indicio. Ferent illi suum iudicium, neque impunitos dimittet Deus. Oremus Patrem misericordiarum, vt omnium animos suo Spiritu excitet, vt ad ipsum reuertantur, & cum ipso verè in gratiam redeant per Mediatorem vnicum IESVM CHRISTVM: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXIIII.

Per omnia testatũ fecistis, vos esse puros in hoc negotio. Nempe etiamsi scripsi vobis, non scripsi eius causa, qui iniuriam fecerat, nec eius causa, qui iniuria affectus fuerat: sed vt apud vos manifestum fieret studiũ illud nostrum pro vobis in conspectu Dei. Propterea cõsolationẽ accepimus ex consolatione vestri: sed longè plurimùm gauisi sumus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus eius ab omnibus vobis. Et si quid apud eũ de vobis gloriatus sum, non fui pudefactus: sed vt omnia verè locuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra, qua vsus eram apud Titum, vera comperta sit. Et viscera eius amplius erga vos affecta sunt, dum reminiscitur obedientiæ omnium vestrûm, vtque cum timore ac tremore ipsum excepistis. Gaudeo igitur quòd penitus confidam de vobis.

QVemadmodum homo natura ad malum procliuis est: ita admonitiones & correptiones impatienter ferre solet, & plerunque fidos monitores pro hostibus habet. Exempla huius mali passim occurrunt, in Prophetis maximè, quos multi turbarum omnium authores & pacis publicæ inimicos esse dixerunt, eò quòd ab illis liberius corriperentur. Quare multum prodest, vt omnes intelligant, non vtile modò, verumetiam imprimis necessarium esse, vt admoneamur, & interdum grauius quoq; accusemur. Est enim hæc propria ratio, qua nos Deus in officio continet. Et huc referri debet, quod toto hoc Capite Paulus agit. Cùm enim prioris epistolæ rigorem multi indignè ferrent,

ferrent, quasi insolentior æquo sibi ius quoddam & imperium in Corinthios vendicaret, non ideo retractat quæ scripserat, neque responsatoribus istis seruiliter blanditur: sed diligenter docet, se omnia hoc partim ex officio fecisse, partim propter ipsos, quorum salus hoc exigebat. Id autem proprio ipsorum exemplo probauit, dum exponit, quàm pulchris effectis demonstrauerint, se verè & ex animo resipuisse. Eum locum in præsenti concludit & absoluit.

Per omnia (inquit) testatum fecistis, vos esse puros in hoc negotio. Prius impuri censeri poterant, quando omni disciplina quasi sublata & extincta, ad quæuis vitia conniuebant, adeo vt nec incesta hominis turpissimi libidine ad iustam indignationem commouerentur, et ideo digni fuerāt, qui aliquanto durius tractarentur. Quia autem admoniti & correpti tam seriò egerant in scelere illo vindicando, & ita animi dolorem & indignationem non simulatam declarauerant, nunc puros pronuntiat, & sibi abunde satisfactum esse testatur. Corinthij se puros declararunt.

Quo loco discimus, alienis peccatis eos pollui, qui illis vel communicant, vel cùm ea punire possent, non puniunt. Et hæc causa est, quòd interdum propter paucorum delicta totæ gentes aliquo infortunio publico mulctantur. Exemplum eius rei in Achan sacrilego historia Iosuæ proponit. Quid, quòd Ionas sua inobedientia hominibus alienigenis, ad quorum ciuitatem ipse non pertinebat, periculum attulit, cùm eadem cum ipsis naue veheretur? Debent nos ista admonere, primùm, ne quid commercij habeamus cum improbis, qui contumaciter in sceleribus suis pergunt: ne videlicet nostra amicitia ferociores facti, nos eodem secum reatu inuoluant. Deinde, ne aliquem illis cōsensum præbeamus. Nam qui id faciunt, ij easdem cum illis pœnas merentur, vt Paulus in epistola ad Romanos docet. Postremò, vt resistamus pro virili improbis eorum conatibus, & vt qui puniendi ius habent, eo vt decet vtantur in illis coërcendis. Pertinet hoc ad omnis loci & ordinis homines. Nam vt ab Ecclesiæ ministris exordiamur, nisi hi eos qui peccant, in tempore & liberè admoneant, imò corripiant quoque seuerius si opus sit, iam illorum peccatis communicant, & vnà cum illis puniuntur. Quid verò, si insuper colludant cùm sceleratis, & (vt apud Ezechielem dicitur) puluillos supponant, quibus illi suauiter indormire possint, qui seueriori prædicatione ad pœnitentiam excitari debebant? Sic qui magistratum gerunt, si bonas leges violari, disciplinam morum dissolui, & huius loco scelerum licentiam atque impunitatem introduci patiantur, si item ad munera publica adhibeant homines improbos ac venales, tunc scelerum simul atq; pœnarum seipsos consortes faciunt: & plerumque hæ ad totam Rempub. redundant, quando licentia illa omnes publicè gaudent, & eam coerceri nolunt. Exemplum, quo hoc confirmetur, horribile in Iudicū libro extat, vbi effrenis & scelerata quorundam libido non punita, sed potius publica authoritate defensa, belli ciuilis causa fuit, in quo virorum sexaginta quinq; millia cæsa, & tribus Beniamin ferè tota deleta fuit. In Romana historia Catilinam, Lentulum, Cethegum & horum similes habemus, quorum licentia, cùm à nemine coërceretur, tandem Rempub. in extremum periculum adduxit. Quid verò sperari potest, quando qui legum authoritatem & disciplinam publicam tueri debebāt, hanc ipsi dissoluunt, & toti populo pessimi exempli authores sunt, dum ipsi primi perpotant, ludūt, scortantur, vsuras exigunt, omnia denique faciunt, quæ bonos mores corrumpere possunt & publicam authoritatem euertere? De his certè graue illud Solomonis dictum intelligi debet: Væ terræ, cius rex puer est, & cuius principes manè comessantur. Debent de his priuatim quoque parentes cogitare, ne filijs suis nimiùm indulgendo, eorum proteruiæ & libidini communicent. Cessit hoc olim infelicissimè Heli Sacerdoti, qui cùm filiorum scelera non qua poterat seueritate puniret, tandem cum ipsis pœnas dedit. Peccauit in eo Dauid quoque, Rex quidem optimus, sed pater plus satis indulgens, sicuti Ammonis & Absolonis historia testatur. In quanta autem discrimina seipsum simul & Rempub. hac sua indulgentia ille adduxit? Erant hæc diligentius consideranda hodie. At paucos ista cura tangit. Plerique affectuum suorum libidine abrepti pessima quæq; designant. Alij conniuent ad omnia, multi insuper hominibus ebriosis, scortatoribus, adulteris, vsurarijs & fœneratoribus, militibus mercenarijs leguq; omniū violatoribus patrocinatur. Ne ergo miremur calamitates, quibus publicè & priuatim infestamur. Cū enim effrenis illa vitiorū licentia nemini, aut saltem paucissimis, displiceat, nemo iusta indignatione & zelo commoueatur, quomodo nos Deus pro puris agnoscere, aut virgas à nobis retrahere potest? Ad nos enim pertinet reuera, quod Isa-

Aliena peccata polluunt.
Iof.7.
Rom.1.
Ezech.13.
Iud.19.20.
Eccle.10.
1.Sam.2.3.4.
2.Sam.13.14.15.

ias de sui sæculi calamitatibus olim dixit: Atqui in omni hoc non remittit ira eius, sed manus eius adhuc extensa est: quia populus iste non redit ad eum, qui ipsos percussit, & Dominum exercituum non quærunt. Vide Isa. 9. & 10. Cap.

Cur puros à crimine durius tractarit?

Sed vt ad Paulum redeamus, obijceret aliquis: Si verò puri sumus, & id re ipsa testatum fecimus, cur ergo tanta cum acerbitate & vehementia in nos inuectus es? & quid correptione tam acri opus fuit? Quis item nos indignè abs te tractatos esse negauerit, qui propter vnius delictum totam Ecclesiam nostram in publicum luctum & tristitiam coniecisti? Ad ista ergo respondet, & facti sui rationem amplius reddit: Equidem etiamsi scripsi vobis, non scripsi eius causâ qui iniuriam fecerat, nec eius causa qui iniuria affectus fuerat: sed vt apud vos manifestum fieret studium illud nostrum pro vobis in conspectu Dei. Non negat simpliciter, se propter hominem illum incestum scripsisse (quomodo enim hoc negaret, cùm illum iussisset Satanæ tradere, ne totum Ecclesiæ corpus inficeret, & vt ipse aliquandiu à Satana vexatus ad mentem meliorem rediret atque seruaretur?) sed suspicionem declinat, quam ferè incurrunt in eiusmodi casu, qui aliquos liberius admonent atque corripiunt. Nam aut odio eorum quos accusant, aut amore illorum, quos isti læserunt, hoc omne facere putantur. Ad id ergo respiciens Paulus sic vult dicere: Nolo aliquis suspicetur, me aut illum miserum odio habuisse, aut eius patri impensius fauisse. Nam etiamsi vtriusque vicem doluerim, & mea correptione illum ad pœnitentiam studuerim adducere, simul tamen aliud quoque mihi propositum fuit: Vt nimirum studium hoc nostrum, quo ego vos prosequor in conspectu Dei (id est, cuius Deum testem habeo) omnibus manifestum fieret. Etenim non immeritò multi de illo dubitare poterant, si tantū scelus dissimulauissem. Quis enim pater filiū amare putetur, quem inter scorta & ganeones corrumpi sinit? Quis principē populi sui studiosum dixerit, quem nimia licentia perire videns, nullis legibus aut disciplina coercet? Itaque quicquid ego feci, id ex amore & fido salutis vestræ studio feci, ne eorum similis essem, qui vos eò vsque infamiæ prolabi passi sunt sua indulgentia, &c.

Lectio vulgata corrigitur.

Hic loci huius sensus verus, & hæc eiusdem lectio germana est, quam olim Chrysostomus quoque & Ambrosius secuti sunt. Cōuenit enim cum his, quæ Cap. secundo dixit: Ex multa angustia & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lachrymas: non vt tristitia afficeremini, sed vt cognosceretis charitatem, quam habeo abundantissimā erga vos. Hodie tamen Græca exemplaria sic habent εἵνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *id est, vt manifestum fieret studium vestrū pro nobis apud vos in conspectu Dei. Sed facilis fuit lapsus inter literas* η *&* υ *vt pro* τὴν σπουδὴν ἡμῶν *scriberetur* ὑμῶν. *Et ineptam esse lectionem istam, satis ostendit particula,* πρὸς ὑμᾶς, *id est, apud vos. Quis enim Corinthiorum tam stupidus erat, vt ignoraret, quomodo ipse erga Paulum esset affectus? Imò, qui eius studiosiores adhuc erant, hac correptione potuissent offendi, si quasi dubitans de ipsorum erga se studio voluisset eius experimentum sumere. Etenim ambitiosum quid spirat, velle de aliquibus periculū facere, quanti te faciant. Paulus certè, non quanti ipse fieret quærebat, sed hoc potius, vt sublato omni scandalo, ipsi omnes seriò disciplinæ retinendæ studio accenderentur. Quia verò nomen suum multis inuisum, aut saltem suspectum esse, multos item de se contemptius loqui sciebat, necesse erat, vt ipsius erga Ecclesiam illam studium, & quanta salutis eorum cura tangeretur, omnes intelligerent. Et ideo tanta verborum & argumentorum vehementia vsus fuit, quando in priori epistola hoc ipsum argumentum tractauit.*

Non exagitandi porrò qui resipuerunt.

Porrò quoad causam, de qua hîc agitur, obseruatu dignissima est Pauli modestia. Poterat is multis alijs rationibus factum suum tueri, & quidem his ipsis, quas in præsenti negat, vel saltem dissimulat: denique scelus hominis incesti odiosius exagitare poterat, vt ex eius atrocitate constaret, ipsum meritò eis tantopere succensuisse. Sed cùm illos simul omnes sua negligentiæ verè pœniteret, non voluit refricare iam obducta vulnera. Et hac ratione agi debet cum omnibus ijs, qui admoniti & correpti resipuerunt. Sic olim Nathan consolationem Dauidi adhibuit, cùm eum sceleris admissi dolore consternatum de pœnitentia seriò cogitare videret. Et huc referri possunt omnes promissiones, quibus Prophetæ eos qui in Babylonē adducēdi erant, præmunire voluerunt, ne de liberatione & reditu suo desperarēt, quin potius in veræ pœnitētiæ studio essent ardētiores.

ret. Imprimis tamē hîc Domini nostri IESV CHRISTI exemplū obseruari debet, qui vt pharisæos & hypocritas omnes acerrimè corripuit in suis concionibus, ita indulgentissimè tractauit meretrices & publicanos, quos seriò de peccatis suis dolere, & de resipiscentia cogitare videbat. Quò etiam referri debet filij prodigi parabola, quem redeuntem & peccata sua ingenuè confitentem pater tenerrimo amore complexus in integrum restituit. Sunt ergo nimium morosi, qui diutius adhuc suspendunt eos, qui iam totis animis contriti sunt, qui deniq; nouis itidem satisfactionibus eos fatigant, quorum fidem gratiæ Dei prædicatione debebant confirmare. Alia est contumacium ratio, in quibus nulla cernuntur vitæ emendatæ aut doloris ex peccatorum agnitione concepti indicia. Horum enim scelera acrius corripere, & eosdem pœnarum denuntiatione terrere indies oportet, sicuti olim Isaiæ præcepit Deus, dicens: Clama ex gutture, exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo scelera sua. Et Paulus Timotheum suum, non solùm monere, verumetiam arguere & increpare, adeoque tempestiuè & intempestiuè instare iubebat. Vide Isa. 58. 2. Timoth. 4.

Sed ad Titum redit Paulus, cuius supra mentionem fecit, & diligentius exponit, vt huius aduentu sit recreatus. Narrationem verò hanc ita contexit, vt & Corinthios in suo instituto confirmet, & Titum iisdem amplius commendet. Sic enim scribit: Propterea consolationem accepimus ex consolatione vestri: sed longè plurimùm gauisi sumus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus eius ab omnibus vobis; &c.

Primò, se consolationem accepisse ait, ex ipsorum consolatione. Consolatio illa erat, quòd admoniti per epistolam, omnes simul certatim operas suas contulerant ad tanti flagitij correctionem; ideoq; instaurato Ecclesiæ suæ statu iam tranquillius & quietius agebant, qui prius varias ob causas inter se tumultuabantur. Hoc (inquit) vbi resciui, sensi ex eo efficacissimam consolationem. Id verò synceri amoris certissimum est argumentum, si quis gaudium & consolationem ex aliorum incolumitate percipiat. Addit tamen aliud, quo hoc ipsius gaudium magis sit confirmatum: Sed longè plurimum gauisi sumus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus eius ab omnibus vobis. Etenim credibile est, Titum non sine metu Corinthum profectum fuisse, eò quòd periculum esset, ne durius & inhumanius exciperetur, aut etiam reijceretur ab ijs, quos de Paulo, electo illo Christi organo, iniquius iudicare sciebat. Itaq; cùm præter expectationem se reuerenter excipi, epistolam Pauli magnum pondus habere, & absq; mora res in melius restitui videret, non potuit non toto animo exhilarari. Id verò mihi (inquit Paulus) redundantissimi gaudij causa fuit. Et huius causam indicat: Quia si quid apud eum gloriatus sum de vobis, non fui pudefactus: sed vt omnia verè locuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra, qua vsus eram apud Titum, vera comperta sit.

Cōsolatio, quā Paulus ex Corinthijs habuit.

Debet hîc probè obseruari exemplum Pauli, qui cùm Corinthios coràm & per epistolam acriter corripuisset, eosdem tamen Tito (vt & multis alijs) commendauit, & de eorum fide atq; studio bene sperare iussit. Est hoc candidi pectoris & amoris non fucati argumentum. Hodie ferè diuersum fit. Qui enim ex officio suo imprimis corripere debebant eos, qui peccarunt, ij pisce magis muti sunt illis præsentibus: absentes autem proscindunt, vt apud quosuis in contemptum vel odiū adducant. Et hæc præcipua dissidiorum causa est inter eos, qui ex Christi mandato dilectioni mutuæ & concordiæ studere debebant.

Veri amoris argumentum.

Admonemur præterea eodem Pauli exemplo, Verbi administros ex doctrinæ suæ profectū & bona Ecclesiarum constitutione consolationem & gaudium concipere debere. Ista enim eos fideles IESV CHRISTI seruos esse testantur, qui in negotiatione illa sancta & salutari, de qua ille in Euangelio loquitur, seduli sint & industrij. Minimè autem apostolici spiritus argumenta sunt, si mundi huius gaudia quærant, epulentur, perpotent, ludant, venationibus & aucupijs vacent, potentum amicitijs superbiant, stipendijs immodicis inhient, vt studijs hisce pessimis possint sufficere: nihil interim soliciti de auditorum profectu & Ecclesiarum incremento. Vtinam verò de his hodie diligentius pleriq; cogitarent, qui vel Ecclesiæ vel Reipub. præfecti sunt.

Quibus ministri gaudere debeant?

Porrò non contentus de se dixisse Paulus, Titi quoq; gaudium, quod ex Corinthijs perceperat, describit, vt ipsis illum magis conciliet. Viscera eius (inquit) amplius erga vos affecta sunt, dum

Titum Corinthijs commendat.

reminiscitur obedientiæ omnium vestrûm, vtq; cum timore & tremore ipsum exceperitis. Viscera nominat, quæ sedes sunt dilectionis & misericordiæ, vt ostendat Titum ipsos toto animo complecti, adeò vt vel sola ipsorum recordatione recreetur & gaudeat. Quid verò illud erat, cuius recordatio eum tantopere reficiebat? Obedientiam dicit, quam præstiterant, quando tam ex illius ore, quàm ex Pauli epistola intelligebant, quid ipsos facere deceret. Deinde, quòd ipsum quoq; cum timore & tremore exceperant. Loquitur autem non de seruili timore, sed hoc dicit, quòd ingenuo suorum delictorum pudore perculsi fuerint, & apostolici Spiritus vim atq; authoritatem reueriti sint, quæ & in Pauli epistola & ipsius Titi persona relucebat.

Pastoris fidi officium.

Rursus ergo hîc quoq; de boni pastoris officio admonemur, vt nimirum totis visceribus & corde toto eos complectatur, quos fidei ipsius credidit Dominus. Etenim amor maximè commendat eos, qui alijs præfecti sunt. Et quod Chrysostomus annotauit, parentes non tam generatio arguit, quàm amor, quo ex se genitos complectuntur: cuius rei exemplum historia sacra proponit in meretricibus, quæ ad Solomonis tribunal pro puerulo viuo litigabant. Ita ergo affectos esse decet Ecclesiarum ministros simul & Reipub. præsides. Talis olim affectus in Mose fuit, qui vt initio aulæ delitias atque opes propter miseros Israëlitas reliquerat: ita postea, cùm eos propter idololatriam perdere vellet Deus, caput proprium pro illis obijciens, clamabat: Aut remitte illis Deus hanc noxam, aut dele me ex libro tuo, quem tu scripsisti. Huius similem videmus Dauidem fuisse, qui cùm Angelum videret, qui peste percutiebat populum Israëliticum, mox exclamauit: Ego peccaui, ego iniquè egi, oues autem istæ quid fecerunt? Sit quæso manus tua contra me, & contra domum patris mei. Quem animum Prophetis quoq; fuisse, acerbissimæ illæ querelæ testantur, quibus eorum interitum deplorant, quos prius propter scelera sua grauiter accusarant. Quid de ipso Paulo dicemus, qui dies & noctes pro Iudæis precatus est, & pro ijsdem anathema fieri optabat, qui ipsius hostes erant plus quàm capitales? Quæ exempla nostri seculi principes aliquos arguunt, qui nulla alia populi sui cura tanguntur, quàm quòd illum deglubendi rationes quotidie nouas excogitant. Quibus iure adnumeraueris Ecclesiarum ministros, qui præter ventrem & quæstum nihil sapiunt, & ob qualemcunq; causam suæ fidei commissas Ecclesias deserunt.

Exo. 32.

2. Sam. 24.

Rom. 9. 10.

Quid pij ministris debeant?

At non minus omnes Christianos de suo erga ministros officio hic locus admonet. Sunt, qui se omni officio defunctos putant, si stipendio liberaliori eis prospiciant, conuiuijs lautis ac sumptuosis excipiant, honorificè deducant, aut etiam illis de via cedant. Sunt hæc quidem amoris & ciuilitatis officia, sed quæ ab hypocritis & palàm impijs non minus quàm à bonis præstari possunt. Vera officia sunt, vt eos ex animo diligant, vt patres in Christo: vt tanquam Christi ministros atque legatos reuereantur: vt tanquam mysteriorum Dei dispensatores colant, vt deniq; doctrinæ ipsorum, quam ex Christi ore tradunt, obtemperent. Vbi ista locum habent, ibi externa illa reuerentiæ signa non deerunt.

Titus gratitudinis exemplũ.

In Tito autem memorabile gratitudinis exemplum Spiritus sanctus proponit. Fuit ille memor beneficiorum, quæ à Corinthijs acceperat, & eadem apud Paulum atq; alios magnificè prædicauit, eorumq; recordatione frequenti tam seipsum quàm alios amore & studio Corinthiorum accendit. Arguuntur ingrati, qui vt beneficia accepta non magni faciunt, ita eorundem facilè obliuiscuntur, neq; vnquam de referendis gratijs cogitant. Sunt hi aridorum truncorum & arborum emortuarum siue agrorum sterilium similes. Vt enim hi fructum nullum ferunt, siue arentur, siue serantur & rigentur: Ita isti quoque sibi solis addicti ita viuunt, vt nemo aliquem fructum ex illis percipiat. Est autem hoc scelus cumprimis detestabile. Pugnat enim cum naturæ legibus, quæ brutis animantibus sensum & recordationem beneficiorum acceptorum inseuit: & amicitias dissoluit, sine quibus vita hominum consistere non potest. Etsi verò omnis loci & ordinis homines gratitudo deceat, maximè tamen eos, qui rebus præfecti sunt: ea enim populi animos sibi deuinciunt, vt omnes se ipsis obsequentiores præbeant. Vehementer ergo peccant, qui sese insolentius efferunt, & cùm sibi nihil non à populo deberi putent, ipsi nemini nihil conferunt, imò se plus satis beneficos esse putant, si miseros & infelices non totos excorient aut deglubant.

Bona spe Corinthios extimulat.

Restat huius tractationis conclusio, quam Paulus sic infert: Gaudeo igitur quòd penitus, siue in omnibus, confidam de vobis. Id est, quòd tales vos esse deprehenderim, vt nihil non mihi de vobis possim

bis possim polliceri. Isto autem Epiphonemate aculeum animis eorum inijcit, quo extimulentur, ut spem de se conceptam fallant. Etenim cùm hoc semper turpe sit, turpissimum tamen est, eorum spei non respondere, qui aliquod in nos ius habent. Quaecunque enim (vt Poëta ait) ex merito spes venit, aequa venit. Admonentur autem hoc exemplo primùm ministri, vt moderata grauitate cum suis agant, & neq; ignaua dissimulatione quiduis audendi licentiam inuehant, neq; immoderata & nimia austeritate infirmioribus desperationis authores sint. Deinde discat quoque vulgus Christianorum, ministros & pastores suos obedientia & voluntario pietatis studio exhilarare, & spei de se conceptae respondeant. Ita vtrinque probari poterunt Domino nostro IESV CHRISTO, *qui Ecclesiae suae caput est: Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.*

CAPVT VIII.

HOMILIA XXXV.

PORrò notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quae data est in Ecclesijs Macedoniae: Nam in multa probatione afflictionis abundantia gaudij ipsorum, & profunda eorum paupertas redundauit in diuitias simplicitatis ipsorum. Nam pro viribus (testor) & supra vires voluntarij fuerunt: multis cum precibus nos rogantes, vt gratiã & societatem ministerij quod est in sanctos, susciperemus: Et non vt sperabamus, sed semetipsos dediderunt primùm Domino, deinde & nobis per Dei voluntatem: Vt adhortaremur Titum, vt sicut ante coepit, ita etiam absoluat apud vos hanc quoque gratiam.

PRIMIS *septem Capitibus suae doctrinae & ministerij rationem Paulus diligenter reddidit Corinthijs, & eosdem simul in genere hortatus est, vt sibi factam Dei gratiam constanter tueantur, seq; ipsos impollutos seruent. Nunc ad id transit, quod tunc passim in Ecclesijs gentium agebatur, & de quo ipsi quoq; imprimis erant admonendi: Nimirum vt fratribus in Iudaea subueniretur. Constat enim, illo tempore Christianos homines vbique inuisos & exosos fuisse. Prae alijs tamen periclitabatur & laborabant, qui in Iudaea quasi inter lupos medij agebant, qui eos iam pridem bonis & facultatibus suis omnibus spoliauerant. Accedebat his malis fames sub Claudio Caesare: qua ita premebantur, vt vix vitam sustentare possent. Ideo fratribus, qui in tutioribus locis erant, visum fuit, illos aliquo subsidio iuuare, & eius operis pulcherrimi initium fecerunt Antiocheni, vt Lucas in Actis perhibet. Deinde, cùm necessitas maior passim ingrueret, Apostoli causam hanc passim egerunt apud Ecclesias, & imprimis quidem Paulus, cui hoc praecipuè in mandatis datum fuerat, vtpote peculiari gentium Apostolo. Quapropter de hac re cum Corinthijs agere coepit in prioris epistolae Cap. vltimo: & insuper misso ad illos Tito amplius instítit. Videntur autem remissius egisse. Ideo nunc diligentiùs causam istam tractat in duobus Capitibus quae proximè sequentur.* Acto. 11. Galat. 2.

Estq; multa consideratione dignissimum Apostolorum exemplum, qui cùm occupatissimi essent, hanc tamen causam tam feruidè egerunt. Sciebant enim quàm curae sint Christo pauperes, & quòd ijdem non postrema Ecclesiae Christi membra sint. Debent ergo hodie quoq; ministri illorum causam diligenter agere, neq; pudeat eos huius officij, cuius aeternum Dei Filium adeò non puduit, vt sponsorem quoq; seipsum pro illis fecerit. Ne ergo patiantur se illorum improbitate absterreri, qui ista nihil ad ipsos pertinere clamant, sed sufficere ipsis debere, si Euangelij praedicandi potestas libera ipsis detur. Etenim magna Euangelicae doctrinae pars est charitas, per quam fides potissimùm agit, & quae in pauperibus amplissimam habet se exercendi materiam. Et si Apostolis licuit apud Ecclesias gentium pro exteris, qui in Iudaea habitabant, intercedere, quantò magis pastores Pauperum cura ad ministros pertinet.

hodie sua fidei creditas Ecclesias monere & vrgere debent, vt domesticis fidei prospiciant, neque eos publica egestatis exempla fieri patiantur: & vt opes in hunc vsum maiorum liberalitate donatas fideliter dispensent.

Insinuatio. Sed Paulum cum Corinthijs agentem audiamus, qui artificiosa & prudenti insinuatione vtitur apud eos, quos hucusque remissius egisse videbat, & qui facilè offendi poterant. Ne enim pro imperio agere videatur, aut aliquid ab eis postulare, quod apud alias Ecclesias non sit receptum, Macedonum exemplo eos excitare studet. Et facit attentionem Exordium, quod est eiusmodi: Porrò notam vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ. Docet, se dicturum de re minimè vulgari, sed in qua Macedones iam ex singulari Dei gratia magnam sibi laudem parauerint: debere ergo ipsos quoq; hanc Dei gratiam agnoscere, & anniti omni studio, ne illis inferiores esse inueniantur.

Exempla Ecclesiarum obseruari debent. Cant. 6. Admonemur autem Pauli exemplo, obseruari debere aliarum Ecclesiarum exempla, quas bene institutas esse constat, vt nimirum illa ministri suis hominibus imitanda proponant. Id verò nemo auditorum iniquius ferre debet, quasi quæ alibi fiunt, nihil ad ipsos pertineant. Est enim Christi Ecclesia vnica (vt Solomon canit) quam ideo Catholicam dicimus, eò quòd ad eam colligantur omnium seculorum atq; locorum credentes, & cuius membra sunt siue partes, quæcunq; per orbem hinc inde dispersæ sunt: omnes autem ad vnum caput, IESVM CHRISTVM, pertinent. Non possumus ergo à nobis alienum putare quod vel in ista vel illa rectè & piè fit secundùm Christi doctrinam. Imò talibus nos congratulari decet, & Dei gratiam in illis agnoscere, gaudere item occasionem nobis dari, qua & ipsi excitemur, & alios quoq; ad officium faciendum hortemur. Et sanè scelerata est eorum inuidia, qui Ecclesiarum aliarum laudibus ringuntur, quas potius imitari debebant.

Macedonum tolerantia. Cæterùm exponit Paulus, quæ illa gratia Dei sit, initio summam totius negotij duobus capitibus comprehendens. Primum est, quòd afflictiones grauissimas cum gaudio sustinuerint. Id verò sic enuntiat: In multa probatione afflictionis, id est, in multis tribulationibus & aduersis, quibus ipsorum fidem Deus probauit, abundantia gaudij ipsorum redundauit. Intelligit autem gaudij nomine consolationem Spiritus, quà confirmati aduersa omnia vicerint. Facit ad loci huius

Phil. 1. expositionem quod Philippensibus scribitur: Quia vobis datum est pro Christo, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi, idem certamen habentes, quale vidistis in me, &c. Et ad Thessa-

1. Thess. 1. & 2 lonicenses: Vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, admisso sermone cum afflictione multa, cum gaudio Spiritus sancti: adeò vt fueritis quasi exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & Achaia. Item: Vos imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in CHRISTO IESV, quòd eadem passi sitis & vos à proprijs contribulibus, sicut & ipsi à Iu-

2. Thess. 1. dæis. Et rursus in posteriori epistola: Gloriamur de vobis apud Ecclesias Dei, nempe de tolerantia vestra & fide in persecutionibus vestris & afflictionibus, quas toleratis, &c. Ex quibus liquidò apparet, Ecclesias illas post Pauli ab eis discessum grauissimè concussas fuisse. Nam procul dubio non quieuerunt seditiosi illi, qui (vt in Actis narratur) contra Paulum leges Romanas implorauerant. Laudat ergo eos, quòd in his omnibus non modo patientes fuerint & constantes, verumetiam læto & alacri animo per omnia aduersa sint eluctati.

Afflictionum vsus. 1. Pet. 1. & 4. Non temere autem probationem afflictionis dicit, pro afflictionibus grauissimis. Ea enim locutione proprium afflictionum vsum exprimit, qui est vt illis fides nostra, perinde vt aurum igne, probetur. Sic eandem Petrus explicat, de credentibus scribens: Vt exploratio fidei vestræ multò pretiosior probatione auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur vobis esse laudi & gloriæ & honori, cùm patefiet IESVS CHRISTVS. Item: Charissimi, ne tanquam hospites percellamini exploratione illa per ignem, quæ fit vobis ad vestri experimentum, ac si peregrinum aliquid vobis accideret. Vt enim auri glebis aut granis terreni quid inhæret, quod per ignem excoqui oportet: ita in electis quoque multa vitiosæ naturæ scoria inuenitur: quam dum res nobis secundæ sunt facilè dissimulamus, adeò vt ne ipsi quidem de nostra fide & eius constantia certi simus. At cùm ignis probationis, afflictio nimirum omnis generis adhibetur, tunc demum sentire incipimus quantum nobis desit, quàm item nihil sit in nobis præsidij, quàm deniq; fallacia

sint

sint quaecunq; in mundo eximia habentur. Itaq; ab vno Deo pendere discimus, & nouis indies gratiae Dei experimentis confirmati (vt Paulus ad Roman. scribit Cap. 5.) magis atq; magis proficimus in vera fidei constantia.

Obseruabis etiam, quòd gaudium ipsorum redundauisse dicit. Respicit ad id, quòd Deus nos non supra vires tentari sinit, sed consolationibus suis aestum afflictionum temperat. Idem ergo experti sunt Macedones, quod supra de semetipso dixerat: Sicuti abundant passiones Christi in me, ita abundat consolatio nostra per Christum. Ergo solius Dei opus est laeta illa & alacris inter medias afflictiones fidei constantia. Nam si nos spectes, facilè succumbimus, vt qui thesaurum hunc in vasis quouis vitro fragilioribus gestamus. Solari autem nos debet, quòd non nostram, sed Dei causam agimus, & quòd per nostram crucem Christus triumphat. Facilè etiam omnem tristitiam ex animis nostris eijcere, & eosdem nouo gaudio perfundere potest multiplicis gratiae Dei, sese per crucem exerentis, consideratio. Primò enim haec (vt modò diximus) scoriam nostram excoquit, & fidem nostram reddit illustriorem. Deinde consortes siue socios facit Deus crucis Filij sui IESV CHRISTI, *vt & gloriae ipsius olim cohaeredes simus, quam ille nobis pollicitus est, dicens: Volo, vt vbi ego sum, ibi etiam sit minister meus. Item: Volo Pater, vt vbi ego sum, ibi etiam sint quos dedisti mihi. Quibus adde, quòd ipse iam nunc nobis adest, & vires subinde nouas sufficit, quibus possumus omnibus aduersis atq; periculis superiores fieri.* **Gaudium piorum in afflictionibus.**

Alterum gratiae diuinae apud Macedones argumentum Paulus indicat, quòd profunda eorum paupertas redundarit in diuitias simplicitatis ipsorum. In Graeco legitur, ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, id est, quae ad fundum vsq; exhausta iam erat paupertas: & ideo à Chrysostomo exponitur, ἡ πολλὴ καὶ ἄφατος, id est, multa & ineffabilis. Est autem in Apostoli verbis Metaphora à vasis aut scrinijs sumpta, quae ad fundum vsq; exhausta sunt, vt nihil aut modicum in illis supersit. Itaq; sensus est: Macedones, cùm ad extremam egestatem redacti, & iam prorsus exhausti essent, liberalissimos tamen fuisse in facienda collecta qua sanctorũ in Iudaea egestas subleuaretur. Id verò amplificat per contraria, dum sibijpsis opponit Paupertatem & Diuitias, Exhaustionem & redundantiam. Atqui impossibile & naturae legibus contrarium est, ex paupertate diuitias nasci, & vasa ad fundum vsque exhausta redundare. Sed, vt Chrysostomus annotauit, haec verissimè dicuntur, quia eleemosynas Deus non pro mensura eorum, quae dantur, aestimat, sed ex animi promptitudine & alacritate, qua illas pij contribuunt. Exemplum, quod ad huius loci illustrationem faciat, in vidua habemus paupercula, cuius duo oboli magnificis diuitum donarijs à Christo praeferuntur, eò quòd illos ex imo fundo scrinioli sui prorsus exhausti deprompsisset, cùm alij ne ea quidem omnia darent, quae ipsis erant superflua. Et hunc sensum Paulus nobis ceu digito indicat, quando paupertatem Macedonum redundauisse dicit in diuitias simplicitatis ipsorum. Nam simplicitatis nomine animi ingenuum atq; liberalem candorem intelligit, cui opponitur malignitas & fraudis doliue plena simulatio, quae praetextus quaerit, ne quid largiatur, & quod dat inuita dat. Facit huc quod Apostolus ad Romanos monet, vt qui distribuit, id faciat in simplicitate. **Rom. 12.** *In praesenti autem argumentum subest à Comparatis, quo Corinthij vehementer permoueri poterant, & ita colligere: Si Macedones pauperrimi & tantumnon exhausti tam fuerunt liberales, quantò magis vos liberaliter conferre decet, qui & illis opulentiores estis, & otio atque pace magis quàm illi abundatis?* **Liberalitas Macedonum.**

Docet autem locus hic, quae regula nobis tenenda sit, dum eleemosynam facimus: Nimirum, vt animo simplici & candido demus egenis. Continet haec ferè omnia quae in hoc negotio exigi possunt. Primùm hypocrisim excludit, ne quid simulatè faciamus, sed ex animo. Deinde, vt non alius nobis finis propositus sit, quàm vt pauperibus subueniamus. Tertiò, vt posthabitis omnibus nostrae carnis rationibus, in vnum Deum respiciamus, qui remunerator est fidelissimus. Etenim qui carnem audiunt, non possunt non aequo tenaciores fieri. Vident enim omne hoc suo aceruo decedere, quod egenis largiuntur. Iidem solicitas rationes secum ineunt, quàm multis ad vitam honestè sustentandam opus sit. Nec eo contenti curas suas vlterius ad liberos siue posteros suos extendunt, vt singulis tantum relinquant, quantum ad tuendum statum suum possit sufficere. Adhaec proximi opem ipsorum implorantis mores examinant, vt ex his causas venentur, ob quas eius preces **Regula in eleemosynis tenenda.**

poßint respuere. Hæc igitur corda illorum indurant, vt nullo egentium aspectu moueantur. At qui simplici oculo in vnum Deum respiciunt, & huic placere student, hi omnes istos nodos vno quasi ictu abrumpunt: eò quòd plus apud eos valeat mandati diuini authoritas & ab illo promissæ remunerationis spes, quàm quicquid caro stulta & infelix obijcit. Toti enim à Dei gratia pendent, cuius fontes inexhaustos esse sciunt: & promissiones habent, nihil defuturum ijs, qui in pauperes benefici sunt: eò quòd Deo fœnerentur, vt Solomon inquit. Itaque etiamsi ad fundum vsque exhausti sint, semper tamen cum vidua illa euangelica aliquid inueniunt, quod in aliorum subuentionem redundet.

Prouer. 19.

Amplificatur Macedonum liberalitas.

Cæterùm vt Macedonum exemplo magis mouerentur Corinthij, quod vno quasi verbo dixerat Paulus, nunc diligentius expolit & amplificat, dicens: Nam pro viribus (testor) & supra vires voluntarij fuerunt: multis cum precibus nos rogantes, vt gratiam & societatē ministerij, quod est in sanctos, susciperemus, &c. Primùm testandi verbo vtitur, ne quid fingere putetur. Et eos non pro virili modò contulisse, sed plus fecisse dicit, quàm vires ipsorum ferre potuerint. Et quia hoc quoque impoßibile & (vt Dialectici loquuntur) implicatio contradictionis videri poterat, dicti huius rationem vno verbo explicat, quando αὐθαιρέτους, id est, voluntarios fuisse scribit, aut spontaneos, qui ipsi nemine eos impellente hoc iampridem apud se constituerint. Etenim qui tales sunt, ij plus præstant, quàm præstare posse videbantur. Exempla eius rei vsus quotidianus nobis præbet in ijs, qui ad artes discendas animum serio studio ardentem afferunt, in militia item & quouis alio vitæ genere. Quo loco apparet, cur hodie plerisq; videatur impoßibile esse, vt singulæ Ecclesiæ suis egenis prospiciant, ne qui mendicare cogantur. Nimirum quia id facere nolūt, neq; seria pauperum cura tangantur. Etenim ijdem illi maioribus impensis sufficiunt, quas faciunt in gulæ studium, in scorta, aleam, vestitum superbum & insana ædificia, ad quæ toto animi impetu feruntur. Hoc vnū certè nobis omnem excusationis prætextum eripit.

Paulus rogatus vt eleemosynas dispensaret.

Secundò, Rogarunt nos (inquit) multis precibus, vt gratiam & societatem ministerij, quod est in sanctos, susciperemus. Sensus est, Non expectarunt, donec ego eos monerem, sed illi nos præuenientes, multis precibus contenderunt à nobis, vt nos socios præberemus, & nostram operam ipsis conferremus, vt hanc suam beneficentiam maiori cum fructu possent egenis in Syria fratribus præstare. Et morem illis gesit Paulus, quando pecuniam istam paßim collectā ad se recepit, & Hierosolymam detulit. Videntur autem Macedones ideo eius opera voluisse vti, vt eò alacrius singuli contribuerent, neq; aliqua sinistra suspicione absterrerentur, quando curam huius dispensationis audiebant penes illum fore, cuius maxima erat apud omnes pios authoritas. Etenim tunc demum cum aliquo fructu instituuntur quæ ad pauperum subuentionem faciunt, quando ad hoc officium deliguntur viri, quorum fides & probitas omnibus spectata est, & qui non seipsos obtrudunt priuati commodi studio, sed potius rogati munus istud suscipiunt, vt Deo & Ecclesiæ seruiant. Hodie infeliciter de re tanti momenti deliberatur, eò quòd aut improbi suarum facultatum concoctores, aut auari & insatiabiles ministeria ista ambiūt, vt ex ijs ipsi ditescere poßint, quæ pauperum alimoniæ debebant seruire. Taceo eos, qui muneribus & prètio illa obtinent: de quibus quid aliud speres, quàm quòd quæstum ex eis velint facere?

Macedones spem Pauli superarunt.

Tertiò addit: Non vt sperabamus, scilicet fecerunt, sed communem beneficentiæ regulam prætergreßi sunt, quæ monet, vt ex fontibus nostris ipsi bibamus riuos autem eorum communicemus alijs: Nam se totos dederunt, primùm Domino, deinde & nobis per Dei voluntatem. Ergòne (inquis) peccauit Paulus in charitatis leges, quando non satis honorificè de Macedonibus sperauit? Nequaquam. Sperauit enim quod in tali causa sperari potest, facturos nimirum quantum possent. Quoad verò summam Collectæ huius, non poterat tantam sperare, quantam illi contulerunt, cùm eos egentiores esse sciret. In ea igitur spem ipsius illi superarunt. Fit hoc frequenter, vt aliqui plus præstent, quàm optimi quiq; & qui illis amicißimi sunt, de eis sperare ausint. Et hoc ferè in persecutionibus publicis fieri solet, quando interdum constantißimi sunt in perferendis supplicijs pro Christi nomine, qui infirmiores esse putabantur, quàm vt aliquid sufferre possent. Nemo igitur temere de alijs iudicet, multò minus autem alios damnet. Cor hominis est in Dei manu: nos autem scire non possumus, quid ille de vnoquoq; statuerit.

Est

Est autem hoc veræ pietatis enconium, cuius præcipuæ partes sunt, quæ hîc Macedonibus tribuuntur. Primùm, vt nos ipsos demus Domino, id est, nos totos eius gratiæ permittamus, vsq; ad omnia offeramus paratos, quæ ille de nobis constituerit. Ita se totum Deo dedidit Abrahamus, quando Deo vocante patrium solum reliquit, filium quoq; dilectum eodem iubente immolare voluit, deniq; ad omnia obsequens fuit, quæ ille mandabat. Idem Dauid fecit, quando se totum Dei voluntati permittebat, siue hic ipsum in regnum restituere, siue perpetuo exilio mulctare vellet. Sed & Paulus huius subiectionis egregium specimen dedit, quando IESV CHRISTI manu ad Damasci portas prostratus quærebat: Domine, quid me vis facere? Non possunt autem hæc fieri absq; nostrijpsius abnegatione & carnis mortificatione. Quàm verò durum sit innatis carni desiderijs valedicere, mox experiuntur, quos ad grauiora certamina Deus vocat. At vt hoc faciamus plus quam necessarium est. Quia nisi eò vsq; progrediamur, neq; in aduersis constantes erimus, neque liberales in subleuanda aliorum egestate. Deinde vt ministris quoque IESV CHRISTI nos dedamus conuenit, nimirum quatenus illius ministri sunt. Est enim hic coniunctus cum suo ministerio, & vt eos audiamus iubet, quos ad nos miserit. Hinc locutiones illæ: Credidit populus Deo & Mosi. Item: Audiat populus me loquentem ad te, & credat tibi: quatenus scilicet ea proponis, quæ ex me profecta esse sciunt. Etenim vt qui Regis legatis credunt & obediunt, ij Regi credidisse & obediuisse dicuntur: Ita etiam qui fidos Christi præcones audiunt, & ijsdem obtemperant. Cauendum tamen, ne qui hoc prætextu hominum serui fiant. Ideo Macedones se Domino simul & Paulo dedidisse dicuntur secundùm voluntatem Dei. Hodie vtrinq; peccatur. In Papatu ius sibi omne in populum vendicant mali antistites, quibus non satis est, si quis germanis Christi Apostolis sese subijciat, nisi simul ipsos quoq; dominos agnoscat. Nota est enim Alexandri III. historia, qui cum Imperatoris Friderichi collum impuro pede calcaret, & hunc audiret protestantem: Non tibi, sed Petro: mox respondit: ET MIHI, & Petro. Attamen infelix populus ab illis pendere cogitur, dum putat esse ex necessitate salutis, vt omnis anima Romano Pontifici subdita sit, sicuti Bonifacij VIII. Canon docet. Inter Euangelicos partim licentia regnat, dum qui Antichristi iugum excusserunt, Christi quoq; iugum abijcere satagunt: partim tyrannis, qua principes viri Euangelicæ doctrinæ præconibus pro suo arbitrio leges dicendi & tacendi præscribere audent: de quibus nunquam verè dixeris, quòd se Domino primùm, deinde ministris quoq; eius dediderint, quando ipsi potius Domino & eius ministris imperare volunt. Subiectionis enim huius propria nota est obedientia, quæ Domini nostri IESV CHRISTI mandatis debetur.

Pietatis veræ encomium.

Luc. 9.

Exod. 14. 19.

Sed ad Macedones redeamus, quos Paulus hoc etiam abs se impetrauisse scribit, vt adhortaretur Titum, vt sicut ante cœperat, nunc apud ipsos Corinthios quoq; hanc gratiam absolueret. Addit hoc partim vt studium Macedonum amplificet, qui huius operis longe pulcherrimi socios habere voluerint Corinthios (quod hos vehementer extimulare poterat, ne spem de se conceptam fallerent) partim, vt & seipsum excuset, et Tito authoritatem maiorem conciliet, vt qui non tam ex ipsius mandato quàm ex Macedonum rogatu ad ipsos veniat. Et absoluendi verbo vtitur: quia non satis est bene cœpisse, nisi quod cœptum est perficiatur. Nam vt non magnus vsus est operum, quæ adhuc imperfecta sunt: ita neq; charitatis et beneficientiæ professio quicquam prodest, nisi reipsa præstetur quod profitemur. Ideo Ioannes monebat, ne diligamus verbis, sed opere.

Macedones cupiunt Corinth. habere socios.

Quod verò statū huius loci, obseruabis Paulū in tota hac causa subinde gratiæ vocabulo vti, quo beneficentiam in pauperes & collectas, quæ propter hos fiunt, denotat. Rationes huius dicti multæ adduci possunt. Prima, quia nihil ex nobis ipsis possumus, nisi Dominus nos sua gratia præueniat & excitet. Natura enim tenaces sumus & ad rem attenti, quæ causa est, vt egentium miseria minus tangamur. Deus autem is est, qui & animos nostros emollit, & egenis dat gratiam in oculis nostris, vt quæ volunt à nobis impetrent. Id verò confutat meriti fiduciam, quam multi (vt olim pharisæi) in eleemosyna collocant. Altera ratio est, quòd ex illis bonis largimur pauperibus, quæ nobis ex gratuita Dei misericordia obtigerunt, ideoq; gratiæ Dei dispensatores sumus, vt Christus in Euangelio docet. Quibus adde, quòd eleemosyna à misericordia sic dicitur, & proinde eleemosyna non erit, nisi ex genuina beneficentia fiat, idq; animo læto & voluntario, qui à priuati

Eleemosyna gratiæ nomine denotatur.

Matth. 6. Luc. 18. 16.

commodi spe sit alienissimus. Quò referri debet, quod Christus monet, ne sinistram manū viri, quod dextra facit, consciam faciamus, id est, ne quo affectu sinistro beneficentiā nostram adulteremus.

Vera eleemosynæ ratio.

Facit ad huius explicationem quod de Macedonibus in præsenti narratur, quorum exemplo vera eleemosynæ aut beneficentiæ Christianæ ratio perfectè traditur. Primò enim voluntarios & spontaneos fuisse dicit. Deinde Corinthios in eiusdem operis societatem adducere studuerunt. Postremò se totos Domino & eius ministris dediderunt: nimirum quòd se illius debitores esse scirent. Istos ergo imitemur, & primò αὐθαίρετοι siue voluntarij faciamus omnia, quos proprius misericordiæ affectus moueat. Hic procul remouebit obstacula, quæcunq; sui amans caro obijcit: sicuti in Samaritani parabola est videre, qui in terra peregrina & latronibus infesta, hominis ignoti semineci curam suscepit solo misericordiæ affectu ductus. Volupe item sit multos habere rei omnium laudatissimæ socios, vt & egenis liberalius subueniatur, & plures Deo probentur. Inprimis autem meminerimus nos Dei debitores esse, qui eius verbo obsequium negare nullo iure possimus. Ita excitabimur, vt pro virili faciamus omnia, imò voluntas nostra vires superabit. Hæc quia olim Christiani homines seriò expenderunt, non graue illis visum fuit, pauperes suos alere. At nobis hodie illud impossibile videtur, quia ab animis nostris misericordia exulat. Apparet hoc ex principū exactionibus, quibus infelicē populum exhauriunt, bellis item non necessarijs, & sumptibus immodicis, quos in res partim inutiles, partim turpes et inhonestas faciunt. Idē cernitur in priuatorū hominum vsuris & monopolijs, quibus rerū omnium pretia non sine acerbis multorū querelis augentur. Quibus adde, quod multi ex ijs ditescere student, quæ maiorum liberalitate in pauperum vsus olim consecrata sunt. Quid, quod gulæ studium multorū immites animos arguit, quando pauperum clamores cum diuite illo epulone facilè negligunt, modò ipsis quotidie comessari liceat. Hæc (inquam) nobis graue & impossibile faciunt, quod leuissimum atq; facillimum erat, imò iucundum quoq; si corda nostra commiserationis igne calerent. Discant ergo omnes Macedonum exemplo se totos Deo addicere, hunc diligere, & simul omnes homines syncero dilectionis affectu complecti in CHRISTO IESV, Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Luc. 10.

HOMILIA XXXVI.

Itaq; sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & cognitione, & omni studio, & vestra in nos charitate, videte vt in hac quoq; gratia abundetis. Non pro imperio loquor, sed aliorum studio vestræ quoq; dilectionis synceritatem exploratam reddens. Nostis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, quòd propter vos pauper factus est, cùm esset diues, vt vos illius paupertate ditesceretis.

EST quidem charitas communis omnium Christianorum nota, qua omnis loci & ordinis homines se mutuò complecti debent: attamen eius officia illis potissimum debentur, qui in aliqua grauiori necessitate constituti seipsos iuuare non possunt. Nam si in eos modò officiosi & benefici simus, qui sibijpsis sufficiunt, & ex quibus ipsi aliquam retributionem sperare possumus, tunc suspecta meritò est charitas nostra, quasi sub eius prætextu negotiationem aut quæstum instituamus. Ideo in Scripturis passim pauperes commendantur, quibus in Lege Deus sic iubet prospicere, ne quem illorum auersemur, aut ostiatim victum quærere patiamur. In Nouo testamento eosdem nobis IESVS CHRISTVS ita commendat, vt ijs impendi velit, quæ in ipsum vellemus conferre, si adhuc in terris viueret. Quapropter Apostoli non temere putarunt hāc curam ad se pertinere, & hanc causam apud Ecclesias ita egerunt, vt eis non satis fuerit, si vnaquæq; Ecclesia suos pauperes aleret, sed vt quæ opulentiores erant exteris quoq; aliquod subsidium mitterent postularunt. Et huc pertinet tota hæc tractatio, quæ duobus hisce Cap. 8. nimirum & nono, continetur. Exorsus est hanc Apostolus ab exemplo Macedonum, quorum liberalitatem præclaro encomio celebrauit: vt nimirum intelligerent Corinthij, inexcusabiles se fore, si ipsi diuites se à tenuioris fortunæ hominibus vinci patiantur. Nunc propius ad rem ipsam accedit.

Nam proprio exemplo eos vrget, ne qui in multis alijs excellunt, in hac causa alijs sint inferiores. Itaq, sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & cognitione, & vestra in nos charitate, videte vt in hac quoq, gratia abundetis. Etenim fuit Ecclesia illa donis spiritualibus egregiè ornata, vt in priori epistola vidimus. Monet ergo, vt in hac etiam causa præ alijs industrij sint & eximij. Nullus enim aliorum donorum vsus est, quàm vt per ea ad pietatem excolamur, cuius præcipua pars est charitas, per quam fides agere dicitur. Et semper ratum erit illud Christi: Cui multum datum est, ab eo plus exigetur. Quia ergo Corinthij donis plurimis instructi erant, quibus & opes huius seculi accedebant, turpe fuisset, eos quoad liberalitatem in pauperes alijs inferiores inueniri. At simul obseruatu dignum est, à quibus dotibus commendentur, vt eorum exemplo discamus, quibus virtutibus Ecclesias, adeoque singulos Christianos instructos esse conueniat. A proprio exemplo. Luc. 12.

Prima hîc fides nominatur, ea nimirum, quæ solo Deo nititur per Mediatorem vnicum IESVM CHRISTVM. Huic primæ partes debentur, quia sine ea ne Christiani quidem erimus: eò quòd hæc sola Christum apprehendit, & eidem nos inserit, per quem Deo Patri reconciliamur. Quæ ratio est, quòd sine fide neminem Deo placere posse dicit Apostolus, imò peccatum esse omne illud, quod absq, fide fit. Vnde sequitur eos frustra ceremonijs & externis exercitijs gloriari, qui fide destituuntur. Sunt enim ex eorum numero, qui etsi ore appropinquent Deo, & labijs eum honorent, cor tamen ab illo procul remotum habent. At hic probè tenendum est, fidem non esse, quæ nos non vni Deo consecrat, vt nec coniugalis fides in vxore fuerit, quæ non vnum & solum maritum colit & obseruat. Arguit hoc ambidextros, qui cùm fide in Deum glorientur, huic tamen Diuos cœlites & infinita alia coniungunt, in quæ salutis fiduciam partiuntur. Hos Elias olim in vtrumq, latus claudicare dixit, & de ijsdem dici potest, quòd non recto pede incedant secundùm Euangelij veritatem. Veræ dotes Ecclesiarum. 1. Fides.

Secundò Sermo ponitur. Non potest neq, debet hic alius intelligi quàm Euangelij prædicatio, ex qua fides discitur, vt Paulus ad Romanos testatur, & in quo solo certa fidei regula habebet vitur. Nec enim fides erit, quæ non secundùm Dei verbum dirigitur. Admonet de eo Christus nō obscurè Iudæis dicens: Amen dico vobis, qui sermonem meū audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. En præmittit sermonem suum, qui non alius quàm Euangelium est, & vt secundùm hoc credamus docet. Simile huic est, quod apud Lucam, mulieri, quæ vterum beatum dixerat, qui ipsum gestasset, & vbera, quæ eundem lactassent, respondit: Quin imo beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Imprimis tamen huc facit postremum Christi mandatum in quo discipulis dicit: Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit (scilicet Euangelio) & baptizatus fuerit, saluus erit. Est ergo præclarum & necessarium Ecclesiæ donum, libera & syncera verbi Dei prædicatio. Agnoscunt hoc electi, & proinde eidem vnicè student: quod ipsum Christus quoque testatur: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Item: Oues meæ vocem meam audiunt. Arguit hoc eorum impietatem, qui cœtus sacros oderunt, verbi prædicationem fugiunt & auersantur. Qui ferè, ne impij videantur, hoc vnum in ore habent: Fidem Dei donum esse, & neminem cogi debere. Atqui eodem argumento agricultura aboleri poterat, & quæcunq, ad rem domesticam & Rempub. faciunt, quando hæc quoq, vnà cum toto telluris prouentu Dei dona sunt gratuita. Sed indigni sunt tales, quibus cum prolixius agatur. Seruit illis, quod Christus olim Iudæis dicebat: Vos ex patre diabolo estis, &c. Ioan. 8, 2. Sermo siue Euangelium. Rom. 10. Ioan. 5. Luc. 11. Ioan. 8. & 10.

Tertiò Cognitionē numerat, quæ est scientia rerum spiritualiū, quæ ex Dei verbo discuntur. Etenim homo animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. At in Euangelio nobis Christus loquitur, qui ab æterno est in sinu patris, & nobis annuntiauit omnia. Rursus ergo nobis studiū audiendi verbi commendatur, & ideo hoc in præsenti Paulus cū cognitione coniungit. Et in Psalmo beatus pronuntiatur, qui procul relictis hominum malorum & illusorum studijs dies & noctes meditatur in Lege Domini. Quàm ergo infelices & miseri sunt, qui cùm Euangelio glorientur & Christiani dici velint, nihil tamen norunt imò ne volunt quidem aliquid scire, & eo nomine seipsos excusant, si quando de controuersis fidei articulis ipsorum quoq, sententia requiritur. Atqui non tales fuerunt Corinthij, Paulo teste. Et aliter Ecclesiam Isaias describit, quandò 3. Cognitio. Ioan. 1. Psal. 1.

dicit: Erunt omnes filij tui à Deo docti. Item: Plena erit terra scientia Domini, perinde vt cum aquæ maris inundant. Isa. 54. & 11.

4. Charitas. Quartò charitatem illorum erga se Paulus prædicat. Exprimitur hîc mutuum inter Ecclesias & verbi administros officiũ. Vt enim hi illas amare, & pro ijsdem (si ita opus sit) animas suas deponere debent: ita vicissim Eccles. ipsos ament, & (quod in Galatis Paulus commendat) proprijs oculis chariores habeant. Sunt enim parentum instar, eò quòd ipsorum ministerio regeneramur in filios Dei, vt in prioris epist. Cap. 4. audiuimus. At quæ nostri seculi infelicitas est, qui hodie ex Euangelio maxima commoda percipiunt, ij ferè præ alijs huius ministros oderunt: quo argumento animos suos egregiè produnt, vt nimirum erga Euangelium & huius authorem, IESVM CHRISTVM, affecti sint. Est autem obseruatu dignissima Pauli modestia, qui cùm Corinthi æmulos haberet multos & graues, contra quos hucusq; suam authoritatem tam constanter asseruit: non tamen odium illorum toti Ecclesiæ imputat, sed potius eam charitatem prædicat, qua alij verè credentes ipsum prosequebantur. Imitentur exemplum hoc omnes ministri. Hoc ipsum enim temporibus corruptissimis Prophetas fecisse, eorum sermones, imò preces & querelæ testantur, quas pro incurabilibus & pœnitere nescijs fuderunt. Peccant hodie multi pastores nõ leuiter, qui nulla verè credentiũ ratione habita, de solis aduersarijs conqueruntur, & ab his acceptas iniurias ita exagitant, vt Ecclesias totas damnent, vel etiam non sine magno scandalo deserant.

Omnia studia vana sunt, nisi charitate regantur. Est præterea consideratu dignum, quòd tam multis tamq; egregijs virtutibus instructos hortatur, vt his beneficentiam in pauperes addant, vel potius vt Ecclesijs Iudaicis subsidium mittant. Ex eo discimus, vana & inania esse omnia alia studia, nisi charitate gubernentur. Admonemur item, neminem debere sibijpsi placere, quasi iam ad metam perfectionis peruenerit. Hoc enim nemini datur, quoad in hac carne mortali viuimus. Nam manent semper in membris nostris peccati reliquiæ, vel (vt alibi Paulus loquitur) Lex peccati, quæ nos præter voluntatem nostram transuersos abripit. Quare nos semper proficere conuenit, nec quantum profecerimus, sed quàm multum adhuc nobis desit, videre debemus: quod proprio exemplo in epistola ad Philippenses diligentius explicat. Imprimis verò hæc sibijpsis applicent Ecclesiæ, quibus primis datum est Euangelium audire, & quarum fides, cognitio, doctrina passim apud exteros prædicatur. Meminerint præterea, hoc abs se quoq; exigi, vt quoad officia charitatis in fratres egenos, exteros & exules, se à nemine vinci patiantur. Quia enim alijs in exemplum propositæ sunt, turpe fuerit, si minus alijs præstent, quarum fama non ita celebratur.

Philip. 3.

Paulus nõ agit imperiosè. Quia verò qui alijs opulentiores & in aliqua dignitate constituti sunt, indignius ferre solent, si quis ipsis aliquid ex imperio mandet, mitigat exhortationem, & eius rationem reddit, qua hoc omne ad ipsorum honorem & dignitatem facere docet. Non ex imperio loquor, ait, &c. Ex imperio loqui dicuntur, qui præcisè mandant, & obediendi necessitate aliquem obstringunt. Id verò in præsenti causa minimè locum habebat. Nam etsi Deus charitatis officia omnibus præcipiat, & vt his fidem nostram testemur atq; exerceamus necesse sit, tamen non coactos aut inuitos, sed voluntarios siue spontaneos, imò hilares datores requirit, vt in proximo Capite dicetur. Atqui tales dici non possunt, quibus ex imperio mandatur quid facere debeant. Quia ergo Paulus hoc agebat, vt Corinthij sponte conferrent eleemosynam, & ita se verè Christianos esse testarentur: quia item iampridem hoc facere cœperant, & proinde de illis spes bona erat, debuit mitius cum illis agere Apostolus. Aliter cum illis agendum, qui malitiosè cunctantur, vel etiam Dei præceptis se pertinacius opponunt. Hos vehementius vrgere, ad Christi tribunal citare, & ijsdem laruam falsæ professionis detrahere oportet. At si Pauli modestiam, qua in causa non minus necessaria quàm honesta & bona vtitur, cum Pontificum insolentia conferas, qua illi quæuis decreta sua, ea etiam quæ cum aperto Dei verbo pugnant pro imperio & sub pœna Excommunicationis obtrudunt, facilè videbis quàm parum eis conueniat Apostolicorum titulus.

Corinthiorum charitas probari debuit. Sed videamus Pauli rationem, quam ille hîc secutus est. Aliorum studio (inquit) vestræ quoq; dilectionis synceritatem exploratam reddens: vt nimirum ea omnibus innotescat. In Græco quidem est δοκιμάζων, quod probare significat. Sed vt infra ex Capitis noni principio patebit, Paulus iampridem exploratam habebat Corinthiorum promptitudinem, & odiosum planè videri poterat, si

teris, si se eius experimentum quærere dixisset, quasi de illa dubitaret: Ideo in præsenti se non aliud quærere dicit, quàm vt charitas & studium, quò iam nunc accensi sint, omnibus conspicuum fiat. Iure autem & merito hoc agebat. Nam vt proximo Capite audiuimus, de illis apud quos suis gloriari solebat, & magnā de illis spem conceperat. Ne ergo & ipse pudefieret, & Corinthij infames haberentur, opus omnino fuit, vt publicum darent veræ pietatis specimen. Nihil autem hæc Pharisæorum hypocrisi patrocinantur, qui eleemosynas suas ambitiosè ostentabant, vt sibijpsis sanctitatis existimationem pararent. Hic enim de eiusmodi specimine agitur, quod ad Dei gloriam & fidei Christianæ commendationem faciebat, & quo multorū pauperum egestas subleuabatur: quæ res Christiano homini cumprimis cordi esse debent. Sed & ministrorum est, Ecclesiarum suarum honori & dignitati consulere, ne ea per aliquorum socordiam vel petulantiam collabatur.

Porrò admonet nos locus iste, quis nobis exemplorum vsus esse debeat, eorum imprimis, qui aliquid cum laude faciunt. Vt nimirum quæ bene facta sunt, imitemur. Hæc æmulatio sanctissima atq; saluberrima est, quando in virtutis stadio & beneficentiæ palæstra nemo ab altero vinci vult. A Christi autem Spiritu alienißimi sunt, qui ex aliorum egregiè factis & laude inuidiæ atque odij semina concipiunt, & calumniandi occasionem venantur. Illud enim Cainus olim factitauit, hoc verò diaboli proprium est, vt ex Iobi historia apparet. Præcipuè verò discimus hoc loco, obseruanda diligenter esse veterum Ecclesiarū exempla, vt secundùm ea mores & studia nostra instituamus. Inter illa perfectißimum est, quod in primitiua Ecclesia habetur, Summam eius Lucas his verbis compræhendit: Erant perdurantes in doctrina Apostolorum, & in communicatione, & fractione panis & orationibus. Multitudinis autem eorū qui crediderant, erat cor & anima vna: nec quisquam aliquid eorum quæ habebat, suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia (voluntate nimirum & mutua beneficentia, vt alibi demonstrauimus) & nemo egens siue mendicus erat inter eos, &c. Huic ergo formulæ sese accommodent, qui Ecclesiam rectè constitutam habere cupiunt. Debet hoc ipsum ad Rempub. quoq; transferri, vt diligenter eorum exempla inspiciamus, qui olim res suas cum laude & vtiliter instituerunt: videamus item, quid multis alijs turbas dederit, aut etiam exitio fuerit.

Vsus exemplorum.

Actor. 2. 4.

Cæterùm ad Paulum reuertamur, qui confirmationis loco exemplum Christi adducit, quo simul Macedonum liberalitas magis commendatur, vt quæ huic conueniat. Nostis (inquit) gratiā Domini nostri IESV CHRISTI, quòd propter vos pauper factus est, cùm esset diues, vt vos illius paupertate ditesceretis. Atqui præcepta eius allegare poterat, quæ multa & præclara in Euangelio occurrunt. Sed quia voluntarios esse volebat, & ad hoc maior est exemplorū efficacia, illud potius adducit. Sunt autē singulæ eius partes diligentius excutiendæ, quia paucis hisce verbis tota salutis nostræ ratio continetur, vnà cum ijs, quæ ad vitā rectè & piè instituendā faciunt.

Ab exemplo Christi.

Primò Christum diuitem fuisse scribit. Dicitur hoc non ex Papæ Ioannis vigesimi tertij sententia, qui Christum ratione huius seculi diuitem fuisse dicebat, & pertinaces atq; hæreticos pronuntiauit eos, qui illum & Apostolos nihil proprium habuisse sentirent: & ne de eo in scholis porrò disputaretur per bullas Apostolicas mandauit. At Paulus altius quid & sublimius docere vult. Diuitem enim dicit Christum, vtpote Deum verum & Dei Filium æternum atq; Patri consubstantialem, qui omnia cum Patre communia habet, sicuti ipse testatur: Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Item. Mea omnia Pater, tua sunt: & mea, tua sunt. Deinde quod ad humanitatem assumptam diues etiam dici potest, vt cuius hæreditas sunt gentes & termini orbis terrarum, quiq; pro suo nutu omnibus vti semper potuit. Etenim quàmuis neq; domum propriam, neq; prædia, neq; auri argentiq; thesauros humano more possederit, imò non habuerit quò caput suum reclinaret: eidem tamē, quoties voluit, omnium ædium fores patuerunt, omnium hominū facultates & iumenta seruierunt, vt & ipse illis vti posset, & ex ijsdem totum suorum discipulorum sodalitiū alere: sicuti Euangelica historia abunde docet. Et quis diuitem esse negauerit eum, qui mari et ventis, spiritibus item impuris & morbis pro suo arbitrio mandauit, & ad cuius seruitium Angeli nunquam non præstò fuerunt?

Christus quomodo diues fuerit.

Ioan. 16. 17.

At hunc ipsum Paulus pauperem factum esse dicit. In Græco πτωχεύειν ponitur, quod propriè mendicorum est. Vtitur eò Paulus de Christo loquens, non quòd mendicum egerit ostiatim

Christus pauper factus.

Matth. 8. panem aut stipem petendo, sed quòd nihil proprium habuit, vt ipse in Euangelio fatetur. Non habuit autem aliquid proprium, quia habere noluit, neq; cum posset vti voluit ijs, quorum vnicus hæres erat & dominus. Quare hoc membrum de paupertate eius voluntaria exponi debet. Nam etsi hominem verum assumpsisset, nunquam tamen desijt esse is qui erat, æternus nimirum Dei Filius, neq; etiam potestati suæ renuntiauit, sicut tot huius specimina testantur: sed pauper factus esse dicitur, quia voluntariè abstinuit ab vsu eorũ, quæ ad ipsum iure pertinebant. Id Paulus ad Phil.

Philip. 2. alia phrasi explicat, dicens: Cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse cum Deo: sed seipsum exinaniuit, forma serui sumpta. Et facit ad huius dicti expositionem tota vitæ eius in terris transactæ historia. Qui enim cœlum & terram implet, Bethlehemi in stabulo natus est: Qui potestatem habet omnem in cœlo & terra, in Ægypto per annos aliquot exulat: Qui homines, pecudes, feras, aues, pisces omnes alit, partim labore suo victum sibi quærit, partim ex aliorum beneficentia accipit: Qui omnibus de amictu prospicit, nudus in cruce pendet: Qui cœlis vt throno insidet, & terra vt scabello pedum vtitur, in sepulchro alieno & aliorum impensis conditur. Itaq; vt vnus idemq; Christus, Deus & homo est, ita in eodem diuina rerum omnium potestas & voluntaria omnium inopia concurrunt.

Cur Christus pauper factus? Sunt hæc mirabilia valde, & omnem humani ingenij captum superant: Quare finem huius voluntariæ paupertatis & subiectionis Christi Paulus indicat: Propter vos (inquit) pauper factus est, vt vos illius paupertate ditesceretis. Poterat in prima persona loqui: Propter nos, &c. Sed oportuit Christi pauperis exemplum Corinthijs propius applicari, quos suarum opum fiducia arrogantiores faciebat. Et multum prodest, vt singuli quæcunq; Dei Filius fecit & passus est, sibijpsis applicent, & nunquam non sibijpsis occinant: Christus propter te homo factus est, propter te esuriuit, sitiuit, alsit: propter te captus, damnatus, flagellis cæsus & in crucẽ suffixus est. Ita enim & fides nostra magis confirmabitur, & ad officij nostri meditationem efficacius accendemur.

Porrò summa argumenti, quod hinc Paulus colligit, hæc est: Quia Christiani estis, Christi exemplum debetis imitari, vt quod ille propter vos fecit, idem vos quoq; faciatis propter eos, quos ille vobis perinde vt seipsum commendauit. Ille cùm diues esset, vos pauperes & plus quàm miseros non neglexit: Ergo neq; vos debetis pauperes negligere. Ille pauper factus est, vt vos diuites faceret: Ergo non pigeat opes, quas habetis, expendere, vt alij vestra liberalitate subleuentur. Nã etiamsi multum detis, imò si omnes facultates expendatis, nunquam tamen tantum feceritis, quantum ille, qui vitam quoq; pro vobis effundere dignatus est. Quæ verò excusatio vobis reliqua erit, si cum vobis liceat tantum seruare, quantum vestræ necessitati sufficere potest, in ijs quæ superflua sunt tenaciores, imò dispensatores iniqui fueritis? Hæc (inquã) præsentis loci summa est.

Diuitiæ quales nobis Christus pararit. Cæterùm quoad alia, quæ hîc concurrunt, non oscitanter videre oportet, quas & quales diuitias nobis Christus acquisiuerit. Errant enim hîc pernitiosissimè, quotquot in illo terrena quærunt, inter quos facilè primas tenent Pontifices cũ Senatu suo purpurato, Episcopis & reliquis eius farinæ præsulibus: qui omnes sub eius nomine non opes modò, verumetiam regna huius mundi ad se rapiunt. Neq; extra culpam sunt, qui Euangelica professione ad eundem finem abutuntur. At voluit quidem Dei Filius, quoad hoc seculum, in terris pauper viuere: non autem ideo, vt nos, quoad hoc seculum, diuites faceret, sed vt thesaurum nobis in cœlo pararet, quem neq; fures rapere, neq; erugo aut tineæ corrumpere possunt. Continet thesaurus iste opes incomparabiles, nimirum gratiã Dei, remissionem peccatorum, veram Dei cognitionem, iustitiam, sanctificationem, Spiritum adoptionis, ipsos deniq; cœlos, & beatæ immortalitatis hæreditatem. Hæc in solo Christo habentur, & soli diuites sunt, qui ista in illo per fidem possident: Pauperrimi verò & plus quàm mendici sunt, qui extra hunc vagantur. Hîc ergo verè locum habet paradoxon illud, quo solum sapientem diuitem esse, olim saniores philosophi dixerunt. Quia enim animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, nemo sapiens est, nisi cuius sapientia Christus est. At qui hunc habet, is de Dei gratia & bonitate certus, & proinde sua sorte contentus, nihil præterea expetit: Ad has ergo opes aspiremus ô fratres, neq; nobis graue sit interea, dum eas sectamur, pauperiem perpeti, quam nobis suo exemplo & merito consecrauit æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXVII.

Et sententiam in hac re meam edo. Nam hoc vobis conducit, qui non solùm facere, sed etiam velle ante cepistis anno superiore. At nunc etiã illud ipsum facere absoluite, vt sicut adfuit promptum illud velle, ita etiã adsit ipsum perficere ex eo quod habetis. Etenim si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet. Non enim vt alijs relaxatio sit, vobis autem oppressio: sed pari conditione hoc tempore vestra abundantia illorum defectum [suppleat:] Vt & illorum abundantia vestrum defectum suppleat, vt fiat æquabilitas. Sicut scriptum est: Qui multum collegit, non habuit amplius: & qui paulum, non habuit minus.

INter multa vitia, quæ mortalibus ex naturæ nostræ prauitate inhærent, præcipuum ferè est philautia. Parit hæc priuati cõmodi studium, & difficulter admittit ea, quæ huic aliqua ex parte derogare videntur. Et hæc etiam causa est, quòd plerique pauperes fastidiunt, aut saltem negligunt: qui etiam iniquius secum agi putant, si illorũ inopiam sua liberalitate subleuare iubeantur. Prodest ergo nos in hac causa diligenter institui, & rationibus idoneis atque validis vrgeri, quibus philautiæ malum expugnetur. Extant hæ passim in Scripturis. In Lege certè non solùm commendat nobis pauperes Deus, verumetiam rationem præscribit, quam in illis alendis Israelitæ publicè & priuatim obseruare debeant: adhæc promissionibus quoque amplissimis excitat eos, qui egestatis metu à beneficentia abstinent. Sic etiam Prophetæ in hoc admodum diligentes sunt, & eorum duritiem grauiter accusant, qui egenos inhumanius negligunt. Præ alijs tamen Scripturæ locis consideratu dignissima est Pauli tractatio, quam duobus hisce Cap. proponit, vt Corinthios hortetur, vt Iudaæ fratribus aliqua collecta extraordinaria succurrant. Et quia magna est exemplorum vis, primò Macedones produxit, qui etiamsi magnam suarum facultatum iacturam passi essent, plus tamen fecerant, quàm ab eis honestè petere licuisset. Deinde ipsius Christi exemplum subiecit, quod à nemine contemni potest, qui Christianus dici & haberi volet. At quia noua subinde effugia captat caro nostra, plura adhuc congerit. Deut. 15.

Rursus autem præfatiunculam interserit, qua cauet, ne quid imperiosius mandare videatur. Sententiam in hac re meam edo, inquit. Ita verò loquitur, quia (vt modo diximus) de extraordinaria collecta agebatur, qua exteris deberent subuenire. Quòd si de Corinthiacæ Ecclesiæ pauperibus sermo fuisset, procul dubio cũ authoritate Apostolica illis mandasset quod Deus olim in Lege statuit, & quod Christus confirmauit, quodque apud omnes Ecclesias iam erat receptum. Quia autẽ nusquam expresso Dei præcepto iubemur eleemosynas ad exteros mittere, qui longioribus locorum interuallis à nobis distant, noluit Apostolus ex imperio mandare, sed quid ipsi in hac causa honestum, pium & vtile videatur, ingenuè proponit. Est ergo hoc nouũ modestiæ Apostolicæ exemplũ. Meminerunt hi semper se Christi seruos esse, huius autẽ domum simul atque sponsam esse Ecclesiam. Vt ergo fidelis seruus in heri domo nihil temere constituit, nihil mutat aut innouat, multo minus autem in ipsam heram sibi ius sumit, fideliter autem monet quid sibi videatur agendum esse, si quis nouus casus incidat: Ita Apostoli olim fecerũt: quorũ vestigijs si insistere voluissent successores, sua Eccles. libertas salua mansisset, et minus haberemus superstitionũ, plus autẽ pietatis syncerioris. Cur non pro imperio mandarit Paulus?

Interim tenere hoc conuenit, non temere contemni debere Apostolorum consilia atque sententias, quasi inter res medias & indifferentes numerentur. Adfuit enim illis consultor ille fidelissimus, quem Christus promiserat, Spiritus Veritatis nimirum, qui eos falli non est passus. Si quid ergò pro suorum temporum ratione constituerunt, attentius nos videre oportet, num eadem sit nostri seculi conditio, & si omnia conueniant, tunc illorum consilijs atque placitis, perinde vt diserto Dei oraculo obedire debemus. Id verò si in præsenti causa obseruetur, mox patebit, ad nos non minus quàm ad Corinthios pertinere, quæ Paulus istis consulit. Vt enim tunc aliæ Ecclesiæ alijs magis premebantur: ita hodie, quando aliæ sub principibus verè Christianis, aliæ sub Apostolorum cõsilia ne spernantor. Ioan. 14.

moderatioris ingenij magistratibus, aliæ sub crudelissimis tyrannis degunt. Vt ergo tunc quæ otio & pace liberius fruebantur, & alijs opulentiores erant, pauperioribus debuerunt subuenire: Ita hodie fiat oportet, quando perpetua est & semper rata erit mutuæ dilectionis lex, qua Christus suos discipulos constrinxit. Similiter, vt olim Apostoli errones ignauos atq; ἀτάκτους, id est, inordinatè viuentes in ordinem redigere & coercere iusserunt, ne Ecclesijs oneri & dedecori essent: ita hoc ipsum hodie necessariò fieri debet, quando maior est, quàm vllis seculis fuerit, morum licentia. Sed audiamus rationes, quibus Corinthios Paulus vrget.

Ab vtili. Prima est ab vtili. Nam hoc vobis conducit, ait. Ab ea autem orditur consultò, eò quòd in omni deliberatione pleriq; emolumentum ante omnia spectare solent, in eo autem falluntur, quòd quid reuera vtile sit, non semper vident, imò non raro quod noxium & perniciosum est eligunt, dum inter vtile & honestum non probè distinguunt. Solet hoc ipsum in præsenti causa multis accidere: qui dum eleemosynas facere debent, hoc vnum spectant, quantum ex suo aceruo decessurũ sit, & ideo non modò vtilitatẽ nullam videre possunt, sed insuper damnum luculentum se accepturos esse arbitrantur, & ita eius metu se absterreri sinunt, quò minus faciant, quod sui erat officij. Vt ergo istis occurrat Paulus, simpliciter & absq; omni exceptione hoc conducere pronuntiat. Ratio huius dicti in promptu est: Quia Christus in suas rationes ascribit ea, quæ in pauperes conferuntur. Quod olim sapientissimus ille Solomon intelligens, eos Domino fœnerari dicebat, qui sua pauperibus distribuunt. Quid, quod ijdem, Christo teste, thesaurum sibijpsis in cœlo recondunt, & amicos sibi parant fidelissimos, qui illos olim ad se in tabernacula æterna recipiant? Olim quidẽ ethnicorum sapientes hanc quoq; vtilitatem beneficentiæ coniunctam esse viderunt, quòd extra omne periculũ sunt ea, quæ alijs erogauimus, adeò vt eorum causa nos porrò neq; metu, neq; solicitudine discrutiari oporteat, retributionẽ verò ex illis sperare possimus, quos nostra liberalitate iuuimus. Sed quia homines plerunq; ingrati sunt, & benefactores suos fallunt, Christiani longius prospicere debent: In ipsum Deum videlicet, qui remunerator est fidelis, & multas habet remunerationis rationes, quibus hominum ingratitudinem sarciat. Itaq; carnis nostræ philautiæ, quæ nos tenaciores facere solet, semper Paulinum hoc opponamus, non posse quæstuosiorem institui opum huius seculi dispensationem, quàm qua & homines & Deum nobis obstringimus.

Prouer. 19. Matth. 6. Luc. 16.

Ab honesto. Altera ratio ab honesto est, qua quod de vtili dixerat, disertè ad Corinthios restringit, vt hoc ipsis imprimis vtile fore ostendat: quia ipsi non solùm facere verumetiam velle iam ante cœperint anno superiore: Nam vt in priori epist. audiuimus, de eadem re ad illos scripserat, & Titum quoq; miserat, qui opus istud pulcherrimum vrgeret. Et vt ex his verbis colligi potest, mox manum admoliri cœperant, & non modò contribuerant aliquid, verumetiam animi voluntatem conceperant bonam & propensam. Ideo dicit: Cœpistis iam ante nõ solùm facere verumetiã velle. Quæ locutio huic causæ propriè conuenit: Quia multa faciunt homines non volentes, quando aut coguntur vi aliqua, aut saltem pudore mouentur. At quæ ita cõferuntur eleemosynæ, Deo placere non possunt, qui (vt suo loco audiemus) hilarem datorem requirit. Hoc ergo in Corinthijs laudat Apostolus, quòd vltroneo benefaciendi studio accensi opus istud inchoauerint. Quia autem zelus iste subitus (vt fieri solet) citò deferbuerat, remissiores facti, quod bene cœperant intermiserunt. Id ergo in mentem illis reuocat, vt intelligant, quàm turpe hoc ipsis futurum sit, si non perficiant, quod facto opus esse iampridem intellexerint. Ideo infert: At nunc etiam illud ipsum facere absoluite. Nec enim sufficit voluntas bona, si perficiendi facultas adsit.

Carnis ingenium. Debet hoc loco obseruari carnis ingenium. Reliquæ sunt in nobis aliquæ notitiæ honesti & boni ex naturæ Lege, quam omnium cordibus inscriptam esse Paulus ad Romanos docet. Hæ si vel per Dei Verbum, vel aliqua alia ratione efficacius excitentur, mox ad opus accingimur, & multos videre est, qui tunc magno cum conatu res pulcherrimas aggrediantur. At quia maior in nobis est innatæ vitiositatis vis, non durabilis esse potest zelus iste, sed vt flamma ex stipulis aut aridioribus sarmentis subitò in altum emicat, mox autem euanescit, eò quòd nulla solidiori aut pinguiori materia foueatur: ita illic etiam fieri solet. Exempla huius impetus videre est in Ecclesiarũ reformationibus, quando pleriq; modum quoq; excedũt, & importunius multa faciunt, quæ si prudentia & moderatio grauis adhiberetur, maiori cum fructu perfici poterant: at ijdem

ferè

ferè alijs languidiores fiunt, vbi primus ille animi motus deferbuit. Idem in pœnitētia quoq; solet fieri, si quæ propter imminens aliquod periculum publica authoritate instituitur. Nam hîc quoq; multorū studia feruent, qui vt primum periculi metus euanuit, ad priorem vitæ licentiā reuertuntur, sicuti in Niniuitis, & hodie in multis horum similibus est videre. Quid ergo de illis speremus, qui inuiti ad rem aliquam accedunt? Hi ad primam periculi alicuius suspicionem pedem referunt, aut spe commodi priuati oblata, vel anteactorum recordatione moti, cum Lothi vxore à tergo respiciunt. Meminerimus ergo non satis esse bene cœpisse, nisi in finem vsq; perseueremus: ideoq; stimulis quoq; opus esse, quos & ipsi nobis adhibere, & si ab alijs admoueantur, patienter ferre debemus. Miseri & stulti nimiùm sunt, qui hos superuacaneos esse putant. Nam si seipsos nossent, facilè viderent, nullam diligentiam, quæ nobis excitandis adhibetur, nimiam esse posse. Et quid hodie nimium dicetur, quando paucissimi sunt, qui in deploratissima scelerum licentia adduci possunt, vt de reformatione facienda seriò cogitare incipiant?

Sequitur in Pauli verbis tertia ratio à facili: Sicut adfuit promptum illud velle, ita etiā adsit ipsum perficere ex eo quod habetis, &c. Id est, quantum facultates vestræ ferunt, tantum facite. Quasi dicat: Si quæcunq; habetis, iuberemini in cōmune deponere, aut alijs largiri, esset aliqua hoc detrectandi occasio in speciem, quàmuis ne tunc quidem de Dei iustitia possetis conqueri. Qui enim omnia dedit, is pro suo in nos iure omnia potest repetere, vel etiā inuitis eripere, vt Iobus olim dixit. At non eo iure rigidius in nos ille vtitur, neq; aliud petit, quàm vt ex eo quod habetis, pars aliqua egenis in Iudæa fratribus decidatur. Id verò factu facillimū est, neq; causam quiritandi habetis aliquā. Et vt magis moueat, diligentius hoc expolit: Etenim si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet, id est, Quicquid pro tuarū facultatum modulo dederis, id Deus gratum habebit, qui non quantum detur respicit, sed quo animo detur, qui si rectè affectus fuerit, procul dubio faciet, quantū facultates vniuscuiusq; ferre possunt. — A facili.

Hæc vt omnem prætextum duris & immitibus eripiunt, ita eos quoq; confutant, qui cùm nihil aut certè non multum habuerint, per illicitas artes & modos iniquissimos diuites facti, eleemosynarū magnificentia & liberalitate Deum placare instituunt. Falluntur hi vehementer sua ratione. Etenim Deus eleemosynas ex eo quod quisq; habet æstimat. Habere autē hîc dicitur pro eo quod est, iusto & legitimo titulo possidere, quod ex illius benedictione datū est. Ex eo beneficentia exerceri debet, vt Thobias olim filium suum monuit. Quod autem vel rapinis, vel furto, vel vsuris iniquis partum est, id nemo iustè habet, sed vt raptor & iniquus rei alienæ vsurpator, qui totum illud diuinis legibus vel duplum vel quadruplum, aut etiā quintuplum restituere tenetur: quod Zachæum quoq; intellexisse, Euangelica historia docet. Si qui ergo ex eo eleemosynas faciūt, ij aliena bona in vsum quoq; alienum transferunt, & tantum non Deum suarum rapinarum atq; furtorum socium facere conantur. Id verò illi gratum & acceptum esse non potest, qui preces quoque eorum abominatur, qui manus sanguine pollutas ad ipsum attollunt. Et quis non tales eius similes dicat, qui patrem spolijs filij ab ipsis occisi placare velit? Dei vox est: Misericordiam volo, & non sacrificium. At quæ illa misericordia est, si alijs ad inopiam extremam redactis, tu ex illorum bonis voluptueris, vel etiam inani pietatis fuco te ostentes? — Diuitum iniquorum eleemosynæ. — Thob. 4. — Exod. 22. — Luc. 19. — Hose. 6.

Quia verò multi obijciunt: An verò æquum est, vt ego mea alijs elargiri iubear, vt ipsi quidem bene & cōmodè viuant, ego verò cum inopia conflicter? Respondet horum querelis Apostolus, & quod modò dixerat, diligentius exponit: Non enim (inquit) hoc agitur, vt alijs relaxatio sit, vobis autem oppressio siue afflictio. Qui enim nos pauperum curam habere iubet Deus, idem vt nostris quoq; prospiciamus, mandat. Et facit ad huius loci confirmationem, quòd alibi infidelibus ac ethnicis deteriores dicit eos, qui nulla suorum cura tanguntur, neq; necessitatibus eorum prouident. Ita verò rursus omnem quiritandi occasionem ijs eripit, qui iniquius secum agi dicunt, si sua in aliorum vsus erogare iubeantur. Quid enim queratur is, cui salua manet suarum facultatum possessio, & cui retinere licet, quantum ipsi ad vitam cōmodè & honestè agendam sufficiat? At simul ignauos fucos hoc Pauli dictum iugulat, qui sub voluntariæ paupertatis prætextu vitam inertem atq; otiosam viuunt, & relaxatione siue immunitate ab omnibus oneribus fruuntur, alijs interim cum egestate & fame luctantibus, ex quorum laboribus ipsi voluptuantur. Sunt — Beneficentia non obstat, quò minus nobis ipsis prospiciamus. — 1. Tim. 5. — Ignaui fuci atteguntur.

Psalm.73. *hi Monachi & Sacrifici, de quibus verißimè illud dixeris, quod in Psalmo habetur: Pingues sunt & prævalidi, in labore hominũ non sunt, & malorum quibus alij affliguntur, immunes sunt. Quibus non immerito adnumeraueris nostros, qui ex paupertate quæstum sibi faciunt, & ostiatim atq; à quibusuis obuijs impudenter petunt, & ne ab ijs quidem abstinent, qui ipsis pauperiores vitam vix duro manuum suarum labore sustentant. Sunt vtriq; ex ἀτάκτων numero, & digni qui disciplina seueriori atq; Christianis hominibus digna coerceantur.*

A iusto & necessario. *Sed audiamus quartam Pauli rationem, quam his verbis proponit: Pari conditione hoc tempore vestra abundantia illorum defectum suppleat, vt & illorum abundantia vestrum defectum suppleat, vt fiat æquabilitas. Quem locum pleriq; interpretum de spiritualium bonorũ remuneratione exposuerũt, quasi sensus sit, fore, vt si ipsi fratres in Iudæa laborantes pecuniario subsidio iuuent, hi vicißim ipsis bona spiritualia cõmunicent, quæ apud illos sint abundantiora. Sed est hic sensus à Pauli instituto alienißimus. Totus enim in eo est, vt Iudæos fratres Corinthijs cõciliet. At quàm obsecro his iniuriam maiorem facere, quomodo item eosdem magis offendere poterat, quàm si quoad fidem & dona Spiritus Sancti egenos esse dixisset, quos aliorũ fide & pietate subleuari oporteat? Deinde sibijpsi contradixisset Apostolus, cùm alibi Corinthios à donorũ illorum abundantia magnificè commendauerit, & ab initio statim huius tractationis hoc argumento erga eos sit vsus, ne qui in alijs omnibus excellant, in hac causa se ab alijs vinci patiantur. Adhæc pugnat hoc cum religionis Christianæ principijs, quæ vnumquenq; sua fide viuere & seruari docent. Deniq; ex hoc fonte Monachi opera supererogationis deriuarũt, quibus nihil magis impium, ipsis autem nullum aucupium quæstuosius fingi poterat. Nihil ergo huius Paulo in mentem venit, & verba ipsa nobis alium sensum monstrant. Nam primo de præsentis tẽporis necessitate loquitur, cuius nunc rationem habere debeant Corinthij, vtpote homines opulenti & in pace bona agentes: & ostendit fore, vt aliquando similem beneficentiã sentiant eorum qui nunc ipsorum liberalitate subleuentur. Itaq; verbis hisce argumentum subest à necessario, quo docet, necessitatem ipsam hoc monere, vt qui præ alijs abundant, aliorum inopiæ succurrant, eò quòd non eadem semper sit fortunæ facies, sed vicißitudine quadam res humanæ itidem mutentur: Posse ergo fieri, vt qui nunc Macedonum & Corinthiorum opem requirunt, aliquando commodius agant, & vicißim ipsis tunc laborantibus suppetias ferre poßint.*

Vicißitudo rerum humanarum. *Debet igitur diligenter considerari rerum humanarum vicißitudo, quæ vt in alijs rebus, ita in hac causa multùm nos iuuare potest, si rectè cognoscatur. Plerosq; enim inflatos & confidentiores facit, quòd se opibus abunde instructos esse sibijpsis persuaserunt, qui nullius opera siue auxilio opus habeant. Quæ persuasio eosdem erga egenos quoq; inhumaniores reddit, vt absq; omni commiseratione illorum inopiam spectare poßint. Quid, quòd multi stolidam hanc confidentiam verbis quoq; indignißimis palàm produnt. Sed meminerimus, nihil in humanis stabile & perpetuum esse, & Dei hoc institutum esse, vt alij aliorum opera indigeant. Quod quia multi non agnoscunt, iusto illius iudicio frequenter fit, vt qui in summo felicitatis culmine extra omnem teli iactum constituti videbantur, subitò casu ruant, & vilißimorum homuncionum auxilia implorent. Quid olim florentius, beatius & opulentius fuit terra Ægyptiaca? Quis Pharaone Rege felicior? At nisi Iosephi seruuli & captiui prudentia adiutus fuisset, totus cum suo regno famis tempore perijsset. Similis Nabuchodonozoris conditio fuit, qui cùm paulò ante debellata Iudæorũ gente & euersa vrbe cum templo, Danielem captiuum abduxisset, postea eodem non minus necessario quàm fido consultore vsus est. Quid Xerxes, qui cum maria nauibus vt ponte strauisset, piscatoriæ scaphæ beneficio seruatus est? Semper ergo cogitemus, ab hominibus nihil humanum alienum, nihil autẽ tam humanum esse, quàm incertis casibus iactari. Itaq; æquabilitati omnes studere discant, non quidem ei, quæ confusam & iniquißimam omnium bonorum cõmunionem inducat, sed ei, de qua in præsenti Paulus agit. Inter prophanos & à Christo alienos confusio illa & inæquabilitas illa cernitur, vt alijs splendidè ac lautè epulantibus alij esuriant: alij item vestitu molli & sumptuoso superbiant, alij nudi æstu aut frigore pereant: alij iubilent, alij plorent. At Christiani homines, quos Christi Spiritus in vnum corpus redegit, res longè aliter instituere debent: vt nimirũ sancta illa συμπαθείᾳ, de qua alibi diximus, afficiantur, & alij aliorum onera in sese*

recipiant,

recipiant: sicuti Paulus ad Galatas quoq; monet. Accusantur his nostrorum temporum mores, quando inter eos, qui Christo & Euangelio eius gloriantur, æquabilitas illa rarißima, vel potius nulla est. Imò multi ex aliorum egestate & publica rerum penuria sibijpsis quæstum faciunt, vt illorum opera gratis abutantur, aut vsuras voraciores faciat: Multi ex bonis Ecclesiæ luxuriantur, simul & ditescunt, esurientibus illis, quorum necessitati illa imprimis seruire debebant. Galat.6.

Porro quia lucri studio multi inescantur, vt neglecta Dei benedictione, res omnes suo labore & studio confici oportere putent, illis quoq; Paulus occurrit, & anxium illud acquirendi & acquisita seruandi studium prorsus inutile & superuacaneum esse docet. Sicut scriptum est: Qui multum collegit, non habuit amplius: & qui paulum, non habuit minus. Habent autē verba hæc eclipsim, quæ ita sarciri poterit: Studeant coaceruandis opibus, quibus ita libet, nihil tamē proficient. Oportet enim æquabilitatē illam, de qua modò dixi, inuitis quoq; omnibus aliqua ex parte seruari, vt nimirum vnius abundantia alterius inopiam suppleat. Itaq; vtut seipsos torqueant multi, semper fiet, quod olim factum fuisse scribitur: Qui multum collegit, non habuit amplius, &c. Extant verba hæc Exo.16. Cap. vbi dati Mannæ historia describitur. Dabat hoc Deus de cœlo quotidie recens absq; Israelitarum labore aut industria. Mane autem ad illud colligendum exibant agminatim, & congerebant in aceruos: in quo haud dubiè alij alijs agiliores erant & feruentiores. Attamē singulis non nisi suum homer aut sextarius cedebat, nec licebat cuiquam vel plus accipere, vel aliquid in crastinum reseruare. Itaq; reuera in diem (quod dicitur) Israelitæ viuebant. Etenim qui contra Dei mandatum aliquid seruabant, his omne illud in vasis suis computruit & vermes genuit. Fuit hoc ingens Dei beneficium, cuius simile nullum in historijs habetur: cuius inter alia hic vsus esse debebat Israelitis, vt procul relicta solicitudine victus, discerent à solius Dei prouidentia pendere, neq; vnquam obliuiscerentur, hominem non solo pane viuere, sed omni Verbo, quod exit ab ore Dei, id est, per omnis generis media, quibus Deus vitam nobis seruare statuit. Continet ergo historia hæc vtilem doctrinam de opibus, quæ de omnibus nos admonet, quæ hîc nobis cognitu necessaria sunt. Contra anxium acquirendi studium. Locus Exod. XVI. Deut.8.

Primò docemur, omnia quæ ad victum faciunt, instar Mannæ esse. Cœlitus enim dantur ex diuinæ prouidentiæ penu siue thesauro. Ipsi enim nudi ex matris vtero nascimur, & vt nihil in mundum inferimus, ita etiam in acquirendo frustra laboramus, nisi sua benedictione Deus labores & curas nostras fructuosas reddat. Notum etenim est illud Psalmi: Nisi Dominus ædificet domum, frustra laborant qui ædificant. Et illud Pauli: Nihil est qui plantat, nihil qui rigat, sed Deus qui dat incrementum. Vt ergo omnia à Deo creantur, ita nobis ex eius solius benedictione obtingunt & salutaria fiunt. Vnde sequitur ab hac omnes pendere, & hanc vnam expectare debere, ne curas & studia sua nimio acquirendi studio præcipitent. Nam qui id faciunt, ij coturnices sibi accersunt, ex quibus aliquantisper delitiantur, sed cum certo suo exitio. Imò ignem domi suæ recondunt, qui tandem omnia ipsorum deuorat. Exemplis hîc non opus est, cùm quotidie fiant, quæ his possunt fidem facere. Victus vt Manna à Deo datur. Psalm.127. 1.Cor.3. Num.11. Psalm.78. Mich.6.

Deinde vsus opum legitimus indicatur, qui nō alius est, quàm vt necessitati nostræ seruiant: vt nimirum ex ijs edamus, bibamus, vestiamur & commodè habitemus. Etenim præter ista nihil ex illis ad nos redire potest. Atqui natura paucis contenta est, & de singulis istorum dici potest, quod de Sallum siue Ioachaz apud Ieremiam dicitur: Annon pater quoq; tuus edit & bibit, & fecit iudicium & iustitiam, & bene illi erat? Equidem exempla quotidiana docent, cōmodius ac tutius viuere eos, qui modico contenti sunt, quàm qui circa ingentes opum aceruos inter exquisitas dapes & seruorum vndique strepentium cateruas tumultuantur. Quòd si quæras, quid ergo facient de ijs diuites, quæ ipsis superflua sunt? Paulum respondentem audi, qui iubet, vt sua abundantia inopiā aliorum suppleant. Nam vt Christus docet, dispensatores constituti sunt, vt æquabilitati studeant, de qua modò est dictum. Quam nisi probè obseruent, epulonis illius & fatui diuitis similes erunt, quorum mores cauere iubet Dominus. Vide Luc.16. & 12. Cap. Vsus legitimus opum. Ierem.22.

Postremò pœnam quoque adumbrat Mannæ historia, quæ omnibus à Deo constituta est, qui per fas & nefas congerunt: Vermes in sinum suum congerunt, qui corda ipsorum arrodant. Adhæc serui diuitiarum fiunt, dum in illis asseruandis cura simul & labore immodico seipsos con Pœna eorum, qui per nefas ditescunt.

ficiunt. Et quis enim seruus herum suum, quis iuuenis amatam abs se virginem tam solicitè obseruat, quàm auari thesauros suos asseruare solent? Attamen inutilis est cura ista omnis: quia putrescunt & inutilia fiunt tandem, quæcunq; illi indefesso studio congesserunt. Accedit his, quòd tam ipsi quàm opes malis artibus partæ in Dei conspectu fœtent, & ab imminenti interitu ipsos adeò non possunt eripere, vt illum potius accelerent. Exempla, quibus hæc probentur, tam vulgaria sunt, vt si quis ea commemorare velit, dicendi initium citius quàm finem inueniat. Horum itaque singuli memores, à Dei benedictione pendeant, eidem pro acceptis donis grati sint, ijsdem piè ac modestè vtantur, pauperibus item benefaciant, vt tandem cum electis omnibus cœlestis illius thesauri hæredes fiant, quem nobis sanguinis sui pretio acquisiuit æternus Dei Filius IESVS CHRISTVS, *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA XXXVIII.

Gratia autem sit Deo, qui cordi Titi indidit idem studium pro vobis: quòd tum exhortationem illam receperit, tum etiam cum studiosior esset, vltrò ad vos abierit. Misimus autem vnà cum eo fratrē illum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Nec id solùm, sed etiam suffragijs delectus est ab Ecclesijs socius peregrinationis nostræ cum hac gratia quæ à nobis administratur ad ipsius Domini gloriam & promptum animum vestrum comprobandum: Vitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac exuberantia, quæ administratur à nobis: vt qui procuremus honesta non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum eis fratrem nostrum, quem sæpe in multis probauimus studiosum, nunc autem multò studiosiorem, ob multam fiduciam de vobis. Quoad ergo Titum, socius meus est, & apud vos adiutor: quoad fratres nostros, legati sunt Ecclesiarum, & gloria Christi. Itaque demonstrationem charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis edite in eos, in conspectu Ecclesiarum.

Commendat Collectæ præfectos.

MVltis hucusque Paulus Corinthios hortatus est, vt pro subleuanda pauperum in Iudæa fratrum egestate collectam faciant. At quia multi in contribuendo parciores sunt ideo, quòd metuunt, ne qua fraus ab illis fiat, qui collectarum dispensatores constituti sunt: simulq; res ista tunc temporis aliquibus suspecta esse poterat, eò quòd Apostoli & quicunque his ministrabant, homines essent peregrini, & pecuniæ istæ in terras longinquas procul deportandæ essent: postrema huius Cap. parte eos diligenter commendat, quos huius negotij causa ad ipsos mittebat: idq; sic facit, vt simul hic quoque rationes multas & graues congerat, quibus ad liberalitatem excitentur. Fuerunt autem legati tres numero, de quibus singulis ex ordine differit.

1. Titus.

Primus est Titus, quem ex præcipuis Pauli discipulis fuisse, ex eius ad illum scripta epistola apparet, & alijs locis multis, in quibus honorificam facit illius mentionem. Hunc autem primum nominat, quòd Corinthijs notus esset, vt qui iam antea quoque apud illos fuerat, sicuti Cap. septimo audiuimus: & commendationem eius à gratiarum actione exordiens ait: Gratia autem sit Deo, qui cordi Titi indidit idem studium pro vobis, &c. Est ergo hæc grauis admodum & multiplex commendatio. Primò enim Dei hoc opus esse docet, qui hunc motum in Titi animo excitarit. Ex eo cuiuis facile erat colligere, non debere eum sperni, quem Deus ipse huic muneri destinauisset. Deinde à Deo excitatum esse probat: quia exhortationem suam, qua apud eum ex Macedonum rogatu (vt supra dictum est) vsus fuerat, ratam & acceptam habuerit, adeò vt qui iam ante ardentiori ipsorum studio tenebatur, iam etiam vltrò ad ipsos abierit. Itaque Paulus (quod prouerbio dicitur) spontè currentem incitabat. Quis verò hominis tam amici & propensi officium aspernetur? Nimiùm certè ingratus & inhumanus esset, qui hoc faceret.

Est autem hîc imprimis notatu dignum, quòd Apostolus pium hunc in Titi animo motum ad Deum authorem refert. Debet hoc de omnibus ijs intelligi, quæcunque in toto Christianæ pietatis negotio bene & rectè facimus. Sumus enim nostrapte natura modis omnibus corruptissimi, neq; ex nobisipsis vel cogitare possumus quod bonum est. Si quid ergo boni volumus aut cupimus, id omne ex Deo est, qui in nobis agit tam velle quàm facere, dum foris quidem per omnis generis media, intus verò animos nostros Spiritus sui suggestionibus excitat. Vnde sequitur, omnem bonorum operum, quæ à nobis fiunt, gloriam vni Deo in solidum transcribi, nihil autem nostris siue viribus siue meritis tribui debere. Interim officij nostri fuerit, nosmetipsos Deo accommodare, nec loquentem in nobis Spiritum sanctum contemnere, neq; conscientiæ dictatis atq; stimulis reluctari. Eo enim argumento constat, nos à Deo efficaciter moueri & trahi, si Verbi sui adhortationes non aspernemur, si item voluntarij & strenui simus in opere eius, cui nos videmus esse destinatos. Etenim frustra Dei Spiritu gloriantur, qui Verbum eius contemnunt, & ad pietatis officia desides & ignaui sunt. Boni motus à Deo sunt.

Deinde debet hoc præsenti causæ applicari, vt discamus Dei hoc opus, & eius paternæ pro nobis prouidentiæ argumentum esse, si qui excitantur, qui nobis in aliqua necessitate constitutis benefaciant. Admonent de eo locutiones illæ, quæ in Scripturis passim occurrunt: Inuenit gratiam in oculis eius. Item: Deus dedit gratiam populo coram Ægyptijs, vt quæ petebat, darent eis. Et Nehemias orabat Deum, vt gratiam inueniret apud Regem Artaxerxem, cui causam populi sui commendare statuerat. Et hoc illud ipsum est, quod Christus pollicetur, dicens: Omnis qui reliquerit domus, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, centuplum accipiet, &c. Cuius promissionis ratio est, quòd quorumcunque vult corda ille flectere & mouere potest, vt suis ea officia præstent, quæ fratres fratribus, parentes filijs, filij parentibus debent. Exempla promissionis huius in Elia habentur, quoad Sareptanam viduam, & in Apostolis, quibus nihil vnquam defuit, ex quo omnibus relictis Christum secuti sunt. Discant ergo omnes pro acceptis beneficijs Deo gratias agere, nec in solo hominum fauore acquiescant, quo multi decipiuntur, eò quòd omnis homo mendax est, & omnes sibi melius esse volunt quàm alteri. Admonet præterea cōsideratio ista, ne quid contra Dei præcepta faciamus in hominum gratiam. Potest enim ille facilè horum animos mutare, qui nunc hostes sunt, vel etiam eos omnino perdere, aut saltem aliqua ratione obstare, quò minus noceant. At si Dei iram prouocemus, quis nos defendet? quis ignem iræ eius restinguet? Horrendum est incidere in manum Dei viuentis. Adhæc consolationis quoque plena est hæc doctrina, ne de Dei gratia & animarum salute dubitemus. Qui enim corporibus nostris tam benignè prospicit per eos, qui nobis prius facie & nomine ignoti erant, num animam, quæ nostri pars melior est, negligeret? Huius certè beneficium est, quòd Verbi sui præcones dantur, quòd corda nostra aperiuntur, illuminantur, trahuntur. Huic ergo nos totis animis consecremus, neq; eorum minis terreamur, qui Verbum eius nobis eripere conantur. Non patietur ille, vt animæ electorum suorum fame pereant. Deus nobis excitat benefactores. Gen.39. Exo.16. Nehem.1. Matth.19. Heb.10.

Sed alterum quoque legatum videamus, quem ita Paulus commendat: Misimus autem vnà cum eo fratrem illum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Nomen huius reticet, quia vt hoc posteri scirent, non multum referebat. Corinthijs tamen satis notum fuisse puto, saltem ex fama, quæ de illo vbiq; spargebatur. Chrysostomus Barnabam denotari putauit, quem plerique ex nostris sequuntur propter ea quæ Lucas in Actis Cap.12. & 13. scripsit. Sed illic eius modò subsidij mentio fit, quod statim post Agabi de fame imminente vaticinium Antiocheni Hierosolymam miserunt per Paulum & Barnabam. Deinde ijdem missi fuisse dicuntur, vt Euangelium gentibus hinc inde prædicarent. Et postea contentione inter ipsos propter Ioannem Marcum oborta, alter ab altero discessit, priusquam Corinthij essent ad fidem conuersi, nec demonstrari potest, eos ab eo tempore rursus conuenisse. Itaq; si quem nominare libeat, verisimilior mihi eorum sententia videtur, qui Hieronymum & Sophronium secuti, Lucam intelligi existimant, quem in postrema profectione Hierosolymitana Paulo indiuulsum comitem adhæsisse constat. Nam etsi verba hæc nolim simpliciter ad Euangelij historiam à Luca descriptam restringere (quemadmodum illi fecerunt) non dubito tamen singularem fuisse Lucæ authoritatem apud Ecclesias gentium, cùm Secundus legatus, Lucas fuisse videtur. Acto.15.

quòd Paulo comes esset fidelißimus, tum quòd eundem in Euangelio longè lateq; propagando diligenter adiuuaret. Hunc certè suum in præsenti magnificè commendat. Primùm ab eo, quòd laus eius apud Ecclesias sit in Euangelio, id est, quòd celebris sit propter operam suam, quam in Euangelij prædicatione Ecclesijs plurimis dederit. Qui in Papatu imagines & earum cultum defendunt, ij Lucam à pictura commendant, & Christi atq; Mariæ Virginis aliorumq; imagines ab illo depictas esse fabulantur, quas hodie adhuc in certis locis monstrant. At professione medicus fuit, Christum verò non coloribus & penicillo in tabulis, sed stilo & calamo in opere suo Euangelico ita depinxit, vt qui talem fide vera recipiunt, ipsi ad eius imaginem, quæ ipsius Dei imago est, reformentur. Illi verò nugatores atrocem viro sanctißimo iniuriam faciunt, quādo eum superstitionum & idololatriæ authorem fingunt. Nos potius in eius cōmendatione obseruemus, laudem deberi illis, qui de Ecclesijs bene merentur. Sancti equidem nihil priuatæ laudis aut gloriæ studio faciunt, illa tamen eis, nequaquam negari debet, cùm Spiritus sanctus dixerit, memoriam iusti fore gloriosam & laudabilem. Optimè autem merentur de Ecclesijs, qui Euangelij doctrinam prouehunt, siue id docendo fiat, siue scribendo, siue ministros submittendo, in quo principum quoq; virorum pietas maximè spectatur, qui eam potißimùm ob causam nutritij Ecclesiæ dicuntur. Nimiùm autem iniqui & ingrati sunt, qui tales oderunt, & studium eorum calumnijs suis proscindunt.

Prou. 10. Psal. 112.

Beneficentia in pauperes & gloria Dei, res coniunctæ.

Altera Lucæ commendatio est, quòd eū Ecclesiarum suffragijs delectum dicit, vt ipsi sit peregrinationis socius in administranda gratia ista, quæ & Dei gloriam prouehat, deq; animi ipsorum propensione ac beneuolentia publicè testetur. Rursus enim Gratiæ vocabulo pecunias intelligit, quæ à pijs ex gratuita misericordia in subsidium pauperum conferebantur. Obiter verò cōmendat hoc institutum, vt Corinthios magis excitet, quando intelligant hoc omne ad gloriam Dei facere, simulq; ad ipsos quoq; gloriam non vulgarem redire. Sunt ergo res coniunctæ, Gloria Dei & Beneficentia in pauperes: quia hac testamur, quanti Deum faciamus, dum ab eo nobis cōmendatos benignè fouemus & iuuamus. Sed & illis occasionem damus glorificandi Deum: adhæc prophani quoq; homines & à fide alieni eadem occasione in Dei cognitionem adducuntur, dum propter præclara illa Christianorum in pauperes officia de religione & fide Christiana rectius iudicare incipiunt. Cuius rei memorabile exemplum habetur apud Euseb. Ecclesiast. hist. lib. 9. Cap. 8.

Paulus non priuata authoritate legatos misit.

Acto. 6.

At nos Pauli modestiam obseruemus, qui non priuato consilio mittit legatos, qui pecuniam istam ab Ecclesijs exigant, sed eos, qui ab Ecclesijs probati & legitimè ad hoc electi erant: id quod χειροτονίας vocabulo innuit. Ita Apostolos quoque fecisse legimus, quando primi Diaconi instituti sunt. Et sanè necessarium est valde, vt publica authoritate muniantur, qui negotium istud tractare debent. Nam nisi id fiat, multi nihil, multi parcius conferunt. Quales verò ad hoc munus deligi debeant, in vltimo prioris Epistolæ Cap. diximus. In præsenti tamen repetendum videtur, tales eligendos esse, qui laudem mereantur ex Euangelio per ipsos promoto. Quis enim illis fidem habeat, qui Euangelium non magni faciunt, aut etiam apertè oderunt? Aut quomodo pauperibus Christi fideles erunt, qui in ipsum Christum sunt perfidi? Deinde scientia rerum accedat, & industria laboriosa, ne vel ignorantia peccent, vel tædio molestiarum, quæ hîc deuorandæ sunt, superati succumbant. At hodie plerunq; omnia secus fiunt, & sæpe tanta prouincia ijs creditur, qui non solùm homines ineptißimi, verumetiam Ecclesiæ labes sunt.

Cur plures legati mißi?

Poterat autem aliquis morosior obijcere: Quid verò opus est tam multos mittere? Annon sufficeret Titus, qui iam ante nobis probè notus est? Vel quid opus fuit publica Ecclesiarū authoritate? Num verò hi, de quibus toties gloriaris, tibi non tantum fidei habent, vt negotiū hoc tibi soli cōmitterent? Etenim scimus quàm auidè omnes calumniandi occasiones arripiant, qui æmulatione vruntur: quales multos apud Corinthios fuisse constat. Quapropter præoccupatione vtitur Paulus, qua suspicionem omnem declinat, dum seipsum Ecclesijs huius consilij authorem fuisse fatetur. Vitantes hoc (inquit) ne quis nos vituperet in hac exuberantia, quæ administratur à nobis: vt qui procuremus honesta nō solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus. Sensus verborū est: Ideo sic faciendū putaui, vt suspiciones vitentur, quæ aliquibus nos reprehendendi occasionē præbere poterant, quasi non pauperum causa nobis cordi sit, sed Ecclesias expilare libeat, vt priuato cōmodo nostro consulamus. Et vt de eo diligentius cogitarem, mouit me exuberantia ista, id est, ingens & immensa

mensa pecuniarum, quæ ab Ecclesijs conferuntur, summa. Itaq; ne quis ad suspiciones procliuior aliquam in nobis occasionem inueniat, decoro & honestati studere decreuimus non solùm coram Domino, qui corda nouit, verumetiam coram hominibus, qui externa modò specie ducuntur.

Fuit hæc singularis Pauli modestia, qua in re omniũ honestißima vti voluit. Magna erat eius apud omnes Ecclesias authoritas. Donis Spiritus sancti præ alijs clarus erat. Malignos & suspiciosos calumniatores apostolica potestate coërcere poterat, vt desinerent maledicere. Veruntamen nihil insolenter, nihil ex priuato arbitrio agere voluit. Sciebat enim hominem natura ad malũ procliuem, imprimis verò habendi cupiditatem omnibus innatam, & proinde alienæ pecuniæ tractationem periculosam esse: sicuti in Iudæ exemplo apparet. Cautè ergo & circumspectè agit omnia, ne vel sibijpsi tentationis alicuius grauioris materiam, vel alijs sinistræ suspicionis occasionem præbeat. Vide autem quàm alieni sint ab eius spiritu Pontifices, qui & Ecclesiæ opes impudenter sibi vendicant, vt ijs pro sua libidine abutantur, & in ijs etiam quæ ad Dei cultum & animarum salutem spectant, pro suo arbitrio omnia agunt, & interea vulgi infelicis stoliditatem derident, dum cum Alexandro VI. dicunt: O bonam persuasionem, per quam nos regnamus. Quò cumprimis referri debet, quod in Pontificis inauguratione fieri alibi diximus: quando plus quam Lucianica scurrilitate Scripturis abutũtur, & cum Deo simul atq; Ecclesia ludunt. Vide homil. 20. in Actis Apostolorũ. Pauli modestia

Continet autẽ locus iste generalem doctrinã, decere nimirũ Christianos homines, vt nõ modò cõscientiæ suæ rationem habeant apud Deum, verumetiam suæ existimationis apud homines. Præcipuum quidem est & semper necessarium, vt bene nobis conscij innocentiam nostram ipsius Dei testimonio poßimus probare, quod Dauidem non semel fecisse legimus, quando iniquis soceri sui calumnijs premebatur. At simul, quoad eius fieri potest, hominibus quoq; testatũ facere debemus, nos extra culpã esse: ne videlicet Euangelium & fides, quam profitemur, propter nos malè audiant. Et hoc Paulum imprimis mouit, quòd nimirum per latus suum synceriorem Euangelij doctrinam ab improbis peti videret. Et debet nos quoq; excitare mundi nequitia & calumniarum licentia, quam ne sanctißimi quidem homines vnquam effugere potuerunt, quò minus pro beneficijs maximis peßimam gratiam referret. Docent hoc Mosis & Prophetarũ exempla, quos non veriti sunt proditores dicere ij, pro quorum salute ipsi dies noctesq; excubabant. At quid opus est de illis dicere, quando ne Christus quidem immunis fuit à calumnijs, quas atrocißimas sustinuit? Quapropter diligenter cauere oportet, vt à specie etiam mali abstineamus, ne quam calumniandi occasionem aduersarij ex ijs arripiant, quæ nos non quidẽ malè, sed tamẽ leuiter & imprudenter facimus. Transferant hoc ad se omnes homines, & præ alijs quidem ij, qui in altiori gradu constituti minus latere possunt. Gloriantur hodie multi de fide sua & conscientiæ suæ puritate. Cur verò ijdem illi alios offendunt morum petulantia, ebrietate, libidine et quiduis designandi licentia? Et qualis rogo est conscientia, quæ non terretur Christi maledictione, qua is horrendum illud Væ omnibus scandalorum authoribus denuntiat? Existimationis suæ rationem habeant singuli.

Sed pergamus in verbis Apostoli, qui tertium quoq; legatũ duobus prioribus addit, qui & ipse ἀνώνυμος est. Theodoretus Apollo fuisse putat, quod mihi nullo modo verisimile videtur. Cur enim eius nomen tacuisset, cuius maxima erat apud Corinthios authoritas? & qui commendatione nulla opus habebat, cùm multi illum Paulo præferrent? Alij Syluanum intelligi sentiunt. | Sed quisquis fuerit, non multum refert. Commendatur autem hic quoq;, quòd frater sit, id est, Christianus & verè fidelis. Deinde, quòd eius studium & diligentiam ipse in multis negotijs expertus sit. Addit tertium, quòd in hac causa seipsum quodammodo vincat, & solito studiosiorem sese præstiterit: & huius causam dicit fiduciam illam præclaram, quam ipsum de illis concepisse videat. Vbi rursus discimus, eos demum rebus magnis & arduis debere destinari, quorum fides & industria prius sufficientibus argumentis probata est. Peccatur in eo multum, quando non solùm ad opum Ecclesiæ dispensationem eliguntur homines malæ frugis & Euangelij osores, verumetiam Reipub. gubernaculis tales adhibentur. Imprudens meritò & insanus diceretur, qui tempestate exorta clauum nauis homini inepto & nauticæ artis imperito traderet. Quales ergo dicendi, qui hisce turbulentißimis temporibus hoc in Repub. faciunt? Tertius legatus.

Porrò vt semel locum hunc Paulus absoluat, summatim comprehendit quæ in istorum cõmen- Summa huius cõmendationis

dationem hucusq, sigillatim dixit: Quoad ergo Titum, socius meus est, & apud vos adiutor: quoad fratres nostros, legati sunt Ecclesiarum & gloria Christi. Quasi diceret: Quid verbis opus est? Si de Tito quæritur quis sit, & num hac prouincia dignus sit? socius meus est, & meus apud vos, vel erga vos adiutor. Sin de fratribus sermo sit, qui ipsum comitantur, Ecclesiarum legati sunt, & tales quidem, per quos gloria Christi hucusq, egregiè illustrata est: & proinde digni, quos in pretio habeatis. Rursus verò nouũ modestiæ suæ specimen Paulus præbet. Fuit Titus ipsius discipulus. Non tamen dedignatur eum socium & collegam suum dicere, imò quam apud Corinthios ipse habere debebat authoritatem (vtpote ipsorum Apostolus & pater in Christo) cum Tito partitur. Deinde alteros illos, non suos, sed Ecclesiarum ministros esse dicit. Hodie longè aliter Pontifices agũt. Nam etiamsi Cardinales & Episcopos fratres suos dicere soleant, eosdem tamen non nisi suo charactere signatos agnoscunt, & insuper sibi subiectos & iuramento quoq, obstrictos esse volunt. Deinde legatos suo nomine mittunt, & hos ideo à latere missos dicunt: idq, non minus verè quàm insolenter, cùm tales legati non nisi illorum negotia agant, Ecclesias verò, quarum titulis superbiunt, non modò negligant, sed insuper tam eas quàm alias expilent atq, deprædentur.

Pij sunt gloria Christi.

Obseruabis præterea gloriam Christi dici istos, quorum fides & industria hucusq, multis argumentis spectata fuerat. Potest autem hoc bifariàm accipi. Primùm, quia in talibus Christi gloria elucet, qui eos donis Spiritus sancti instruit, & per eosdem efficaciter agit ea, quæ vires humanas superant. Deinde sic dici possunt, eò quòd ipsi donis omnibus vtuntur ad Christi gloriam, dum huic omnes adducere student, vt à plurimis agnoscatur atq, celebretur. Hæc diligentius meditentur, quicunq, inter Christianos vel in Ecclesia, vel in Repub. excellunt. Vanissima enim est vniuersa huius mundi gloria, nisi simul Christi gloria sit. Sed & singuli hoc curent priuatim, ne dedecori sint Christo, qui eos sanguinis sui pretio redimere dignatus est. Grauis ergo illorum culpa est, qui vel sibijpsis tribuunt dona illa, quæ à Domino ex gratuita misericordia acceperunt, vel ijsdem turpiter abutuntur, & ita viuunt, vt & fides Christiana & Euangelium Christi propter ipsos malè audiant.

Documentum charitatis exigitur.

Sequitur huius loci Conclusio, quæ finẽ & vsum omniũ, quæ hucusq, dicta sunt, indicat: Itaq, demonstrationẽ charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis, edite in eos, in conspectu Ecclesiarũ. Demonstrationẽ pro documento dixit: & sensus est, vt suam charitatẽ luculento aliquo specimine & cõtributione siue liberalitate se digna declarent, & ita testatum faciant, non inanẽ aut ficticiam fuisse ipsius de illis gloriationem, cùm reuera tales sint, qui celebrari mereantur. Est hæc ratio ab honesto, & apud generosioris animi homines efficacissima est. Nam vt omnis fraus & deceptio turpis est, ita longè turpissimum est eorum spem fallere, qui de nobis præclarè meriti nihil non tam sibijpsis quàm alijs de nostra virtute pollicentur. Legatis verò istis Ecclesias coniungit, ita admonens, quòd licet illi per se mereantur amicè tractari, simul tamen Ecclesiarum quoq, rationem habendam esse, quarum legati sint, & quas hoc beneficio sibijpsis sint obstricturi. Ita clausulam hanc Theodoretus exposuit, & vt isto sensu accipiatur, Græci contextus constructio requirit.

Non sufficit nuda professio.

Interim discamus hoc loco, non satis esse, vt fidei & charitatis nomine gloriemur, nisi publicè quoq, tam huius quàm illius præbeamus documẽta. Vult enim Deus in Veritate coli, & corda ipsa requirit, qui fons est consiliorum & actionũ nostrarum omnium. At fidei documenta in aduersis potissimùm elucẽt, si videlicet periculis vndiq, pressi ab vno Deo pendere pergimus, & aduersus mundi minas atq, furores intrepidi consistimus, patienter deniq, ferimus quæcunq, ferenda sunt. Fidei enim vox est: Quis nos separabit à dilectione Dei? &c. Vide locum Rom. 8. Charitatis verò declarandæ materiam nobis fratrum egestas & pericula exhibent, vt in Samaritani parabola docemur, qui vt primùm vidit saucium & semineccem, eius commiseratione motus curam illius suscepit. Vnde Ioannes Apostolus rectè scripsit: Qui habuerit facultates mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Putemus ergo ad nos

1. Ioan. 3.

pertinere Conclusionem istam ô viri Germani. Multa de nostra fide & professione prædicatio apud exteras gentes auditur. Præbeamus ergo illius documenta, ne dedecori simus Domino & Seruatori nostro, IESV CHRISTO, qui nos tanto honore dignatus est. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAP.

CAPVT IX.

HOMILIA XXXIX.

NAm de ministerio quidem in sanctos superuacaneum est scribere vobis. Noui enim promptum animum vestrum, quem de vobis iacto apud Macedones: Achaiam videlicet paratam esse ab anno superiore, & ex vobis ortus zelus prouocauit complures. Misi autem hos fratres, ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat hac in parte: vt (sicut dicebam) parati sitis. Ne quo modo si mecum venerint Macedones, & offenderint vos imparatos, nos pudefiamus (vt ne dicam Vos) in præfidente ista gloriatione. Itaq; necessarium putaui adhortari fratres, vt prius eant ad vos, & prius absoluant antea indictam benedictionem vestram, vt ea sit parata, ita vt benedictio, non vt extortum aliquid.

QVEMADMODVM æternus Dei Filius propter nos in mundum venit, nec homo solùm, verumetiam pauper factus est, vt nos pauperes atq; nudos bonis cœlestibus & æternis beatos atq; diuites faceret: ita homines egenos & inopes Ecclesiæ suæ atque singulis credentibus diligentia singulari commendauit. Quæ causa est, quòd illorum causam Apostoli apud Ecclesias tanto studio egerunt, vt illis non satis visum sit, si vnaquæque suos aleret, sed insuper exterorum quoque rationem haberi voluerunt: sicuti ex tota hac tractatione apparet. Monet enim Corinthios Paulus, vt collectam faciant extraordinariam, per quam famis tempore egenis Syriæ fratribus subueniatur. Tantam verò in hac causa diligentiam adhibendam esse putauit, vt quàmuis proximo Cap. omnia dixisse videri queat, quæ de hac causa dici possunt, eandem tamen nunc quasi de nouo agat: & ideo magna cum circumspectione adhuc quædam subijcit, quæ ad illos excitandos efficacissima esse videbantur.

Et principio quidem Caput hoc cum ijs quæ proximè præcesserunt connectens, rationem reddit eius quod dixerat: Documentum charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis edite, &c. Poterant enim hoc ita accipere Corinthij, quasi suspecta ei esset ipsorum tenacitas siue sordities, & proinde indignius ferre, quòd tantopere ab ipso vrgerentur. Itaq; vt omni suspicione seipsum liberet, hæc subijcit: Nam de ministerio in sanctos superuacaneum est scribere vobis, &c. Rursus autem de Collectis loquitur, & eas ministerium dicit, quia dum egentibus subuenimus, debitum illis ministerium siue officium præstamus. Adhæc, non pauperes siue inopes, sed Sanctos itidem nominat, ita docens, illos non quales sint mundi iudicio, sed quales Deus æstimet, spectari debere: Fideles nimirum, quos in Filio suo IESV CHRISTO sibi consecrauerit. Quod vnum si in tota hac causa nobis perpetuò in mentem veniat, frustra nobis caro suijpsius amans rationes suas obijciet, quibus beneficentiam nostram impedire conatur. Interim pauperes quoq;, qui nomine Christi petunt sibi benefieri, huius semper meminerint, ne vel ignauo otio vel turpi eorum quæ accipiunt dilapidatione sanctitatem suam prophanent, dum Christi nomine absq; causa necessaria ad quæstum abutuntur. Quoad verò Pauli verba, hic sensus est huius loci: Nemo putet, me ideo vobis tam vehementer instare, quòd vos suspectos habeam. Quoad enim me, noui ego animi vestri alacritatem, imò de ea gloriari soleo apud Macedones, quòd nimirum omnes Achaiæ Ecclesiæ ad collectas hasce faciendas paratæ sint iam ab anno superiore: & ita hoc vestrum studium prædico, vt qui ex eo enatus est zelus multos prouocauerit, vt etiam ipsi alacrius & liberalius contribuerint, ne officio suo defuisse videantur, &c.

Ratio redditur eorum, quæ præmisit.

Pauperes, Sancti dicuntur.

Quo loco non debet oscitantius præteriri studium Pauli, quod in tota hac causa nouis subinde argumentis sese exerit. Sciebat quid anno priore iam cœpissent facere Corinthij, & spem de illis optimam conceperat. Attamen subinde illis instat, & omnis generis rationes congerit, quibus illos

Studium Pauli in hac causa.

alacriores reddat. Est hoc charitatis non fucatæ ingenium. Qui huius igne ardent, optimè quidem sperant de omnibus, quia ex seipsis alios omnes æstimant. At quia iidem non possunt ignorare, quanta sit ingenij nostri infirmitas, & quàm facilè mutentur aut fatigentur, quos nihil non facturos esse putaueras, non possunt non soliciti esse & eos etiam vrgere, qui spontè officium faciunt. Ideo Paulus admirabili prudentia & diuino (vt Theodoretus scribit) artificio causam istam agit. Nam apud Macedones, qui spontè cœperant collectas facere, Corinthiorum studium prædicauit, vt illos cõfirmaret, ne ab eis se præueniri paterentur, & vt eos etiam excitaret, qui fortaßis inter illos nondum tam procliues erant ad largiendum. Rursus apud Corinthios Macedonum liberalitatem cõmendauit, vt horum exemplo illos etiam extimularet. Sunt enim homines (vt Chrysostomus annotauit) natura zelotypi, & ideo aliorum æmulatione multi vehementius quàm vllis alijs rationibus permouentur ad faciendum officium. Et hæc illa prudentia atq; fides est, quam in domus suæ dispensatoribus Christus requirit.

Ministros decet sedulitas.

Discant ergo Pauli exemplo ministri, quid ipsos facere conueniat. Etiamsi norint qui & quales sint ij, quibus cum agunt, nihilo tamen remißius agant. Qualescunque enim sint, homines tamen sunt, & Legem peccati circumferunt in membris suis, quæ sæpe inuitos quoq; abripit quò nolunt, vt Paulus de semetipso fatetur. Nec vnquam feriatur Satan, qui dormientibus ferè zizania sua aspergit, quæ præter omnem expectationem interdum fructus ferunt nostra professione indignos. Exemplis hæc demonstrare nequaquam opus est, eò quòd quotidie fiunt, quæ nos excitare possunt, ne oscitanter in nostro munere versemur. Quòd si verò cura & studio vigilanti opus est, quando res in tuto consistere videtur, & pleriq; officium faciunt: quæ diligentia, quæ exhortatio nimia esse potest, quando plerique dormitant in ijs, quæ fidei causam & charitatis officia concernunt: interim verò ijs moribus viuitur, quos nouißimis temporibus regnaturos esse olim Christus prædixit? Debet ergo eadem consideratio auditores etiam mouere, vt admonitiones & exhortationes seueriores patienter ferant: nec sufficere sibi putent, quòd iam ante norint, quid factu & creditu opus sit. Non enim qui norunt voluntatem Domini, sed qui faciunt illam, seruantur. Qui verò norunt, & non faciunt, ij pluribus plagis vapulant. Et vt ministros eadem subinde dicere decet, ita illud nobis tutum est. Denique exempla quotidiana docent, nullam diligentiam hîc superuacaneam esse. Qui verò se institutione aut admonitione nulla opus habere putant, ij se omnium mortalium ignorantißimos & arrogantißimos esse produnt, vt qui ne seipsos quidem nouerint.

Rom. 7.

Matth. 7.
Luc. 12.
Phil. 3.

Causæ legationis missæ.

Quia verò non vulgaris diffidentiæ argumentum videri poterat, quòd non per literas modò, verumetiam legatos certos vrgebantur, nunc cur hos miserit, apertius ac diligentius docet. Misi autem hos fratres, ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat hac in parte, &c. Causas legationis huius duas allegat. Primam, ne falsò de ipsis gloriatus esse dicatur. Id verò restringit ad præsentem causam de collectis in pauperum subsidiũ faciendis, quando dicit: Hac in parte. Quia enim præcipuum fidei argumentum est charitas, & eadem propria discipulorum Christi nota est: meritò administri Verbi cauere debent, ne hæc gloria in Ecclesijs ipsorum inanis fiat. Nam qui hîc deficiunt, ij certè frustra fide in Christum gloriantur. Altera causa priori similis, vel potius eius expositio est: Ne quo modo, si mecum venerint Macedones, & inuenerint vos imparatos, nos pudefiamus (vt ne dicam Vos) in præfidente ista gloriatione. Quibus verbis docet, non tam de sua quàm ipsorum gloria & existimatione hîc agi, quam apud Ecclesias amissuri sint maxima ex parte, si in opere tam sancto, tam honesto, tam necessario alijs remißiores aut sordidiores inueniantur. Et sanè non multùm de sua gloria solicitus erat Paulus, qui alibi testatur, sibi non curæ esse, vt ab humano die iudicetur, & iampridem seipsum omni gloria spoliauerat, qua inter Iudæos præ alijs fuerat clarus. Attamen non sine causa cauere debebat, ne vanus iactator videretur, & ita alij quoq; remißiores fierent. Apostolici verò candoris euidens argumentum est, quòd tam solicitè cauet, ne Corinthiorum existimatio in periculum veniat.

Ecclesiæ suam existimationẽ tueantur.

Continet autem locus iste generalem doctrinã, quæ etsi ad omnes Ecclesias ex æquo pertinet, ad eas tamen imprimis, quæ apud exteros præ alijs celebrantur: Vt nimirum curẽt, ne gloriatio eorum falsi conuincatur, & ita pudefiant, quicunq; illarum virtutes alijs prædicauerunt. Fit hoc si fama de ipsis

de ipsis diuulgatæ non respondeant. Quò cumprimis pertinet, si in fide languidiores sint, si in latus vtrumque claudicent (vt olim de Israëlitis suis Elias dicebat) si item vitam viuant prophanam & sceleratum, quoad intemperantiam, ebrietatem, gulæ & crapulæ studium, libidines vagas, incestus, execrationes, deierationes, auaritiam, fraudes, vsuras, rapinas, & quæ alia sunt huius generis: si præterea religione & Euangelij prætextu ad quæstum abutantur: si à charitate & humanitate alieni sint, cùm quoad suos, tum maximè quoad peregrinos & hospites. Hæc enim hos vehementer offendunt, & simul pudore suffundunt eos, qui aliquando de Ecclesijs eiusmodi honorificum testimonium tulerunt. Erant hæc nobis seriò cogitanda, quibus hoc nouissimo sæculo primis innotuit Euangelij lux, & quorum in abolendis superstitionibus inque reducenda veri cultus forma studium, iampridem in toto terrarum orbe vulgatum multos ad nostri admirationem atq; imitationem accendit. At pauci sunt, qui ignominiam istam metuant, de qua in præsenti Apostolus loquitur: multi autem fronte plus quam meretricia præditi adeò non erubescunt, vt in petulanti & effreni licentia laudem quærant, & illam verbis quoque indignissimis testentur, dum admoniti respo͂sant: Quid ad nos exterarum nationum homines? Num propter hu͂c aut illum ego nouam vitæ rationem instituerem? Si offenduntur isti nostris moribus, ad sua redeant. Quis eos, vt huc venirent, vocauit? Quis inuitos retinet? Hæc & alia multa huius generis hodie audiuntur inter eos, qui Euangelicæ doctrinæ fautores præcipui dici volunt. At sunt hæc indigna Christianis hominibus. Et tu quis tu es, qui peregrinos nihil ad te pertinere dicis, & quidem eos qui vel propter religionem sedibus patrijs eiecti ad te confugiunt, vel discendi causa veniunt? Tune alienos dicis eos, quos nisi pro fratribus agnoscas, tu in filiorum Dei numero censeri non poteris? Vel, num tu gentium aut personarum discrimen facies in CHRISTO IESV, qui absque omni delectu omnis loci & conditionis homines ad se vocat? Paulus Apostolus à carnium esu prorsus abstinere voluit, ne quem eorum offenderet, pro quibus Dei Filius mori dignatus est: Et tu tibi iniuriam fieri putas, si propter infirmiores, siue illi peregrini siue ciues sint, modestius, temperantius & religiosius viuere, & ab illis sceleribus abstinere iubearis, quorum atrocitas per se, etsi nullum ex illis scandalum publicum nascatur, tanta est, vt à Regno Dei excludat eos, qui in illis contumaciter perseuerant? Expendite ista diligenter ô fratres, quibus inter nostri sæculi terribiles motus, quibus multarum nationum Christiani exercentur, datum est in pace viuere: ne quando idem vobis eueniat, quod olim Galilææ ciuitatibus ingratis & pœnitere nescijs, Bethsaidæ nimirum, Corozaimo & Capernao Christus minatus est. Vide Matth. 11.

Sed ad Paulum reuertamur, qui amplius exponit instituti sui rationem, sic dicens: Itaque necessarium putaui adhortari fratres, vt prius eant ad vos, & prius absoluant antea indictam benedictionem vestram, vt ea sit parata, ita vt benedictio, non vt extortum aliquid. Quasi diceret: Cùm huius rei gratia ad vos proficisci statuerim, & fortassis aliqui Macedonum, qui vestram in quosuis liberalitatem me multoties prædicare audieru͂t, me comitaturi sint, omnino è re vestra & mea esse putaui, vt fratres hosce cum Tito prius ad vos excurrere iuberem, vt ante promissam & iam decretam benedictionem vestram absoluerent, id est, vt quod anno superiore cœpistis, ipsi ad finem perducerent, sic, vt cùm eam ego paratam inuenero, omnibus constet, eam reuera benedictionem esse, non munus violenter aut improbè ab inuitis extortum.

Quo loco obseruabis, collectam siue pecuniam, quæ in pauperum subuentionem conferri debebat, & quam hucusque Gratiæ vocabulo denotauit, nunc benedictionem dici. Ita verò ex Hebræorum more in sacris literis vsitatissimo Paulus loquitur. Apud illos enim Berachah, quod vulgò benedictionem dicimus, propriè faustam imprecationem, gratiarum actionem, laudem item, & quæcunque ex gratuito fauore Dei nobis obtingunt, significat. Inde benedicti & benedici dicuntur, qui Dei fauore luculento vtuntur quoad rem domesticam, pacem, bonam valetudinem, agrorum prouentus & alia quæ incolumitati nostræ seruiunt. Vide Deut. 27. & 28. Cap. Inde verò Benedictionis vocabulum ad ea quoque transfertur, quæ homines ex gratuita liberalitate & animo beneuolo donant alicui, vt suum erga eum studium siue reuerentiam testentur. Sic Abigael de commeatu, quem ad Dauidem ferebat, dixisse legitur: Et nunc hæc est benedictio, quam attulit ancilla tua domino meo, quæ detur pueris, &c. Dauid quoq; de muneribus honorarijs, quæ ad Seniores Iu

Collecta dicitur benedictio. ברכה

1. Sam. 25. & 30.

da mittebat, similiter loquebatur: En vobis benedictionẽ de præda inimicorum Domini. Naamã item Eliseo pro recuperata sanitate donum offerens, dicebat: Accipe nunc benedictionẽ à seruo tuo. Ratio huius nominis est, quòd ad Dei ingenium proximè accedimus, quando egenos & pauperes nostra beneficentia subleuamus: simulque ipsi quoque diuinæ gratiæ ac benedictionis participes efficimur, Deo liberaliter retribuente ea, quæ in suos conferuntur. Promissiones ea de re passim in Lege extant, quoties inopes nobis Deus commendat. Quapropter rectè monuit Siracbides: Beneficentia cuiusque, quasi sacculo reposita apud ipsum, gratiam eius conseruabit veluti pupillam, & tandem emicans præmium in suum caput cuique reget. Apertius verò Isaias: Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam satiaueris, tunc orietur in tenebris lux tua, & erit caligo tua sicut meridies: Et deducet te Dominus semper, & saturam reddet in siccitatibus animam tuam, & ossa tua saginabit: & eris vt hortus irriguus, & sicut scaturigo aquarum, cuius aquæ nũquam fallunt, &c. Quòad verò præsentẽ locum, voluit Paulus benedictionis voce potissimùm ideo vti, vt Corinthij memores se bonorum, quæ ex Dei benedictione acceperint, dispensatores esse, illius exemplum imitentur, & non malignè, sed liberaliter & ἀφθόνως (vt Græci loquuntur) contribuant. Ideo benedictioni opponit πλεονεξίαν, quæ vox propriè nimiam & insatiabilem plus habendi cupiditatem significat: Et quia qui hac laborant, ægre aliquid largiuntur (adeò vt, tenacitas eorũ prouerbio locum dederit, quo ex pumice citius aquã elici dicimus, quàm ab auaro munus aliquod) per Metalepsim hîc pro dono multa precandi importunitate extorto vsurpatur. Monet ergo Corinthios, vt in ipsius aduentum sic omnia præparent, vt constet eos alacri & læto animo dare quicquid dant. Sed de eo ipse amplius dicet in ijs, quæ sequuntur.

2. Reg. 5. — Eccli. 19. — Isa. 58.

Sancti non semper suorum cõsiliorum certi sunt. — Prou. 16.

Nunc extra statum causæ, de qua hîc agitur, Pauli exemplum obseruari debet, qui toties & tam solicitè de suo aduentu loquitur, cùm tamen nunquam ad eos venerit, quantum ex Actorum historia per Lucam descripta potest colligi. Ergo non semper consiliorum suorum certi sunt sancti Dei homines, sed ad eos quoque pertinet illud Solomonis: Homo cogitat de via sua, Dominus autem dirigit gressum eius. Quod cum probè norint, consilia sua Dei voluntate metiuntur, sicuti Iacobus Apostolus docet. Fecit hoc semper Paulus, vt alibi quoque diximus. Imitentur eius exemplum omnes, & consilia sua sic frænent, ne quid vel ex præcipiti affectu, vel confidentia inconsulta temere instituant. Feramus item patienter, si quid nobis præter voluntatem accidat. Id enim cum optimis & sanctissimis quibúsque nobis commune est. Tutissimum verò fuerit, si calcatis per fidei obedientiam rationis nostræ consilijs atque desiderijs, ab vnius Dei prouidentia pendeamus, qui vt nos in Filio suo IESV CHRISTO elegit, ita eundem nobis vindicem & seruatorem dedit, qui nobis adsit, nosque regat & seruet ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ suæ ædificationẽ. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XL.

Illud autem dico: Qui serit parcè, parcè etiam metet: & qui serit benedictione fretus, cum benedictione metet. Quisque sicut præoptat corde, non ex tristitia aut necessitate. Nam hilarem datorem diligit Deus. Potens est autem Deus efficere, vt omnis gratia in vos redundet: vt in omnibus semper omnino quantum sufficiat penes vos habentes, abundetis in omne opus bonum: Sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum.

Occurrit ijs, qui egestatem timent ex beneficentia.

Paulus Apostolus Corinthios ad beneficentiam erga pauperes ita hortatur, vt simul diligenter ea omnia remoueat, quæ nos in hoc studio impedire solent. Est inter ea præcipuum solicitudo carnis, quæ ferè metuit, ne dum alijs nostra largimur, ipsi ad egestatem redigamur. Quæ causa est, quòd multi vel omnino nihil dant, vel malignè & animo inuito s ue reluctante dant. Itaque huic malo Apostolus mederi studet. Et nuper quidem dixit, se Titum & alios fratres eam ob causam ad ipsos præmisisse, vt ipsis tempus & occasio suppetat conferendi: ne si ij se cum Macedoni-

cedonibus aduenerit, imparatos inueniat, sed tales tunc sint, vt omnibus constare possit, collectam illam ab ipsis alacri & læto animo ex Dei benedictione factam, non autem munus esse, quod necessitas aliqua aut vis inuitis extorserit. Id verò in præsenti diligentius explicat, & est locus hic consideratu dignißimus.

Principio rationem adducit, cur liberaliter conferre aut largiri debeant. Illud autē dico, id est, hæc mea est sententia, vel potius ratio, quæ me vt istud moneam, mouet: Qui serit parcè, parcè etiā metet: & qui serit benedictione fretus, cum benedictione metet. Opponit hæc illis, qui metuunt, ne ipsis aliquid decedat: et sensus est, tales adeò falli, vt potius egentiores fiant, qui tenaciores æquo sua seruare satagunt: cùm è cōtra remunerationem à Deo largißimā recipiant, qui benefici sunt & liberales. Quod autē simpliciter dicere poterat, id similitudine expolit, quæ rationē quoq; huius dicti continet: eò quòd beneficentiæ in pauperes eadē sit ratio, quæ sementis est. Ita enim solet Spiritus sanctus parabolis & similibus ea illustrare, quæ maioris momenti sunt, vt penitius animis insideat, & frequentius occurrat de ijsdem cogitandi occasio. Quæ etiā causa est, quòd Paulus in præsenti propositionibus vniuersalibus vtitur, vt nimirū singuli ista ad se pertinere intelligant, vtpote doctrinam generalem, quæ apud omnes & omni tempore rata sit. Et debet diligentius considerari hæc sementis & meßis parabola, vt quæ omnia complectitur, quæ de toto hoc negotio dici possunt. — A contrario.

Qui sementē facit, hoc ipsum seminat, quod prius ex Dei benedictione accepit. Quis enim semē propria industria aut arte creare posit? Ita pauperibus nō alia damus, quàm quæ nobis iā ante à Deo data sunt. Hîc enim de fidelium siue piorū eleemosynis sermo est, qui ex suo largiuntur, id est, ex ijs, quæ à Deo accepta iusto titulo poßidet: nō ex alienis, quæ vel rapto, vel dolo, aut alijs medijs illicitis acquisiuerunt. Deinde qui seminat, nō omne frumentū terræ aut sulcis mandat, sed partem modò eorū, quæ in horreis condita habet, reliqua verò vsui necessario seruat: Ita nemo iubetur omnem suam substantiam egenis largiri, sed licet vnicuiq; retinere, quæ sibi & suis alendis sufficiant: qua de re in proximo Cap. est dictum. Præterea in semente frumentum in terram proijcitur, sic vt nunquam ad agricolam rediturum putetur. Nam in agro sparsum occa subigitur, subactū emoritur & computrescit. Ita qui facultates suas pauperibus largiuntur, eas videntur perdere. Sunt enim hi instar agri, vacui & sterilis, cum ex seipsis neque habeant, neque poßint aliquid. Quid, quod ijdem sæpe ne in conspectum quidem nostrum amplius veniunt, postquam beneficium à nobis acceperunt? Quis ergo ex illis speret aliquid? Vt autem Dei Benedictione semen germinat, & meßis tandem agricolam exhilarat, qui de illa ne dubitare quidem potest, quia Deum sic instituisse nouit: Ita beneficentiam in egenos retributio sequitur, de qua nemo pius dubitare potest, cùm hanc Deus promiserit, & exempla infinita occurrant, quæ promißionibus illis fidem faciunt. Et huc imprimis pertinet quod in præsenti Apostolus dicit. Qui enim sementem facit parcius, is messem quoque habet tenuiorem. Rursus, qui in benedictione, id est, liberali & alacri diuinæ benedictionis fiducia fretus (Germani dicimus, vff Gottes sägen hin) sementem facit largam & copiosam, idem ille messe quoque vberiori donatur: Ita qui ad rem attentior est, & ideo in iuuandis egenis sordidior, is Deum quoque minus liberalem erga se sentiet, qui interea remunerator est prodigalißimus (vt ita dicam) erga omnes, qui in suos munificentiam exercent. — Beneficentia sementi confertur.

Ex quo euidentißimè sequitur, eos qui sua egenis distribuunt, illa non amittere, sed potius seruare & augere. Et simul hoc loco causam monstrat Spiritus sanctus, cur hodie multorum opes parum faustæ sint & euanidæ? Nimirū quia pauci in benedictionē Dei respiciut, sed diuitias suis curis atq; laboribus parari arbitrātur. Fit ergo, vt per fas & nefas corradāt, neq; vlla æquitatis aut charitatis ratione ducantur. Iidem postea opibus quæsitis vel turpißimè abutuntur, vel etiam vti non audent, dū aceruo suo malis artibus cōgesto metuūt. Itaq; parcißimi sunt in eos, qui ipsis quàm maximè cōmendati esse debebant, & eodē argumento se à Dei quoq; dilectione alienos esse produnt. Est enim non minus verum quàm graue istud Apostoli dictum: Qui non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit quomodo potest diligere? Hinc verò inexhausta omnis generis malorum seges nascitur. Nam vero et proprio opum suarum vsu homines seipsos spoliant: cōscientiam suā curis & solicitudinibus aßiduis grauāt: corda sua ad Dei Verbū obturāt: deniq; maledictionē sibijpsis accersunt, qua fit, vt aut ipsis adhuc viuentibus opes malè dilabantur, aut ipsis præter expectationem mors inopina obrepat, quæ inuitos & nequicquam quiritantes abripit. — Cur multorum opes parū sint faustæ? — 1. Ioan. 4.

Sequitur ferè, quod de diuite illo epulone Christus tradidit, vt apud inferos horribili siti excrucietur, qui absque misericordia inter suarum opum aceruos delitiati sunt. In horum meditatione frequentiores sint, quotquot se natura ad rem attentiores esse sentunt.

Eleemosynæ æstimātur pro facultatum ratione.

Cæterùm ne putaretur Apostolus benedictionem siue remunerationem Dei ad donorum, quæ pauperibus conferuntur, magnitudinem siue pretium restringere, & ita eos absterreret, quibus facultates tenuiores sunt, quàm vt multa alijs largiri poßint, hūc quoque nodum soluit & explicat, dicens: Quisque sicut præoptat corde, nō ex tristitia aut neceßitate, &c. Quasi diceret: Nolim quod de semente dixi, ad eleemosynas ita referr, vt has ex pretio æstimari putetis. In semente quidē quò plus seritur, eò plus metitur: qui verò minus serunt, quia vel nolunt vel non possunt aliter, ijdem minus quoque metunt. At hîc ratio longè alia est. Vt enim non omnes eadem possunt, ita neque Deus eadem ab omnibus requirit. Faciat ergo quisque sicut præoptat corde, id est, sicuti apud se statuit, & quantum animus ipsi præscribit aut mandat: & hoc solum curet, ne quid ex tristitia aut neceßitate faciat, id est, animo inuito & coacto. Rationem huic admonitioni subijcit: Nam hilarem datorem diligit Deus. Quo loco obseruari debet Dei bonitas paterna, qui cùm omnia à nobis exigere posset pro suo iure, nō plus tamen postulat, quàm fortunæ aut facultates nostræ ferūt. Itaq; eleemosynas nō ex donorū multitudine aut pretio æstimat, sed ex eius animo qui largitur. Qua ratione fieri potest (vt Chrysostomus scribit) vt qui obolum dedit, Dei iudicio liberalior sit eo, qui cētum aureos contulit. Et huc pertinet exemplum viduæ illius paupérculæ, quam Christus diuitibus omnibus præfert, quòd ex tenuitate sua duo æra minuta in gazophylacium deposuisset. Vide Mar. 12.

Vitia eleemosynæ.

Imprimis autem caueri debent vitia, quorum in præsenti Paulus meminit. Primum est tristitia, quæ auaros perpetuò comitari solet, eò quòd se amittere putant quæcumque egenis largiuntur. Quare ita ferè his subueniunt, vt interea perditos vellent, & plerumque inter largiendum ijsdem exprobrant atque conuitiantur. Hi omnem beneficij gratiam amittunt, & ipsis etiam egenis nouæ tristitiæ authores sunt, qui non alia re magis quàm dantis hilaritate delectantur. Imò neque eleemosynæ nomen meretur quòd isti faciunt. Hæc enim à misericordia dicitur, quæ vt aliorū miserijs mouetur, ita benefaciendo gaudet. Quod alibi quoque Paulus monet, dicens: Qui miseretur, cū hilaritate. Alterū vitiū, quod hîc caueri debet, est neceßitas: ne quid nimirum faciamus coacti. Nec enim de absoluta neceßitate loquitur, qua omnes ad Dei & proximi dilectionem, ad beneficētiam, vitæ sanctimoniā obstringimur, adeò, vt sine his neq; Christi discipuli esse, neque Deo placere poßimus: sed de coactione, quæ aliunde accedit, quando ista sectamur quidem, non autē ideo, vt Deo debitum præstemus obsequium, sed quia vel ambitione et gloriæ studio impellimur, vel publico reipub. aut Ecclesiæ decreto vrgemur, vt pro facultatū nostrarum ratione contribuamus in pauperū subuentionē. Tales nihil merentur, quia inuiti faciunt quicquid faciunt, & (quod Christus imprimis vetuit) sinistram manum consciam faciunt eorū, quæ facit dextera. Neque tamen damnantur hîc qui inter largiendum pugnam carnis & spiritus sentiunt, quæ frequenter in electis quoq; sese exerit. Vincat modò spiritus, & subigatur caro, vt vel inuita officium faciat. Nam ex cordis voluntate æstimatur beneficentia, et vt in alijs rebus exercitia prosunt, vt tandem leue nobis fiat, quod initiò intolerabile videbatur: ita hîc quoque fieri solet, vt quò plura in pauperes conferimus, eò magis assuescamus beneficentiæ, & ex ea voluptatem quoque capiamus.

Rom. 12.

Hilarem datorem diligit Deus.

Et debet hîc semper animis nostris obuersari, quòd hilarem datorem Deus diligit. Quia enim hic cor hominis totum requirit, nunquam poterit eorum officia probare, qui tristes & inuiti ea obeunt. Cur enim tales probaret Deus, qui nullius est indigus, quando ne homines quidem ingenui sibi ab inuitis seruiri nolunt? Tyrannorum vox est: Oderint, dum metuant. Deus populum spontaneum requirit qui ipsum colat in spiritu & veritate. Deinde eleemosyna sacrificium est, quo vix aliud Deo magis gratum est & acceptum. Nam apud Prophetam ille ait: Misericordiam volo, & non sacrificium. Et ad Hebræos scribit Apostolus: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini: talibus enim victimis delectatur Deus. At sacrificia voluntaria esse oportebat olim, & dies festos cum lætitia Deus celebrari voluit. Rectè ergo Sirachides ille monuit: Quicquid donaturus es, vultū induas hilarem: & decimas cum lætitia consecra. Quia verò datores eiusmodi Deus diligit.

Hos. 6.
Heb. 13.

Eccli. 3. 5.

diligit, iisdem haud dubiè benedicit quoque, & quæcunque ipso iubente in egenos conferunt liberalissimè remuneratur, vt supra diximus.

Quapropter in præsenti subijcit Paulus: Potens est autē Deus efficere, vt omnis gratia in vos redundet, vt in omnibus semper omnino quantum sufficiat penes vos habentes, abundetis in omne opus bonum. Confirmat his verbis quod de remuneratione aut retributione dixit, & ita quidē, vt omnibus argumētis occurrat, quæ caro auara & sordida solet prætexere, si quid liberaliter agendū est. Præcipuū in his est, quòd solis præsentibus intenta, impoßibile putat aliquid ex illis recipere qui & nihil habent, et nihil etiam poßunt eorū præstare, quibus nobis opus est. Adhæc videre nō potest caro, quomodo non aliquando inopes fiant, qui sua alijs largiuntur. Ideo nos Paulus ad Deū remittit, et huius omnipotentiā nobis cōmendat, ne in nostro sensu et carnis rationibus subsistamus, sed meminerimus nihil esse, quod illi factu non sit facillimū. Et ita nos facere conuenit in omnibus, de quibus voluntatem suam Deus nobis disertis verbis manifestauit. Sed præstat singula verba diligentius excutere. Primò Deum potentem esse dicit. Quid enim non poßit, qui in rerū principio omnia solius Verbi sui virtute ex nihilo produxit, & cuius nutus ad omnia sufficit, vt vocet quæ non sunt, vt sint? Sed ad præsentem causam hoc restringens Paulus, ait: Potens est Deus efficere, vt omnis gratia in vos redundet. Gratiæ vocabulo benedictionem gratuitam intelligit: per redundantiam verò bonorum omnium tam corporalium quàm spiritualium copiam, adeoq́ superfluitatem. Quomodo enim non bearet homines sua benedictione, quando huius virtutem terra rudis & omnes aliæ creaturæ sentiunt? Tu aperis manum tuam (inquit Dauid) & saturas desiderium omnium animantium. Item: Qui dat pecori pabulum suum, & pullis coruorum, qui eum inuocant, &c. Id verò Corinthijs applicans Paulus, addit. Vt in omnibus semper omnino quantum sufficiat penes vos habentes, abundetis in omne opus bonum. In Græco vox αὐτάρκεια habetur, quæ partim sufficientem omnium, quæ nobis necessaria sunt, facultatem siue copiam significat: partim animum quoque sua sorte contentum, qui nihil præter ea, quæ Deus dedit, desiderat siue expetit. Hinc αὐτάρκης dicitur, qui ipse sibi sufficit, vt non opus habeat quicquam aliunde emendicare: qui item suis contentus ab alienis abstinet, & inordinatas carnis cupiditates refrænat. In præsenti vterque sensus commodè potest coniungi.

Ad Deū remittit tenaces, etc.

Psal. 145. & 147.

Admonet ergo locus iste, quæ & qualis sit retributio illa, qua Deus suorum munificentiā siue liberalitatem compensat. Primò dat illis vnde viuant. At hîc non adeo multis opus est, neque in multarum opum abundantia (vt Christus ait) hominis vita consistit. Et ferè commodius viuitur inter modicas fortunæ facultates, cùm è contra diuites circa multa occupati, neque cibum neque somnum quietè & tutò poßint capere. Quàmuis interdum opes quoque ingentes Deus suis largitur, vt in Abrahamo, Iobo & similibus est videre. Id tamen neque perpetuum est, neque omnibus contingit. Scit enim Deus, quantum nobis vtile sit dari, & vnicuique dat quantum sufficit. Itaque etsi non omnes diuitijs abundent, generale tamen est, quod Dauid se obseruauisse dicit: Iuuenis fui, & nunc senui, nec vidi iustum desertum, neque posteros eius mendicantes panem. Exemplo nobis sunt Apostoli, qui etsi absque pecunijs & commeatu à Christo emißi essent, sibi tamen nihil vnquam defuisse testantur. Deinde animos dat suis Deus, qui sorte sua contenti nihil præterea expetant. Est hic quæstus longè vberrimus (vt alibi Paulus docet) qui omnes huius mundi thesauros superat. Nam si hos omnes in vnum aceruum congeras, auari tamē animum saturare non poßunt, cui tam deest quod habet, quàm quod non habet. Et vt Satyricus dicebat, Crescit amor nummi, quantū ipsa pecunia crescit. Solus ille diues, cui nihil deest. At nihil deest solis ijs, qui certa animi fidutia in vnū Deum recumbunt, & ab eo solo pendent. Nam quicunq; circa res huius sæculi occupantur, ij perpetuis desiderijs æstuāt, quæ nunquā satiantur. Solus Deus summū illud ac æternū bonū est, quod fide vera appræhensum, hominis animā per se insatiabilē saturat & verè securā reddit. Ex eo autem tertium sequitur, quòd qui in Deo omnia reposita habent, ijdem abundent in omne opus bonum: Vt nimirū non solùm benefici sint, verumetiam alijs virtutibus conspicui. Vt enim omnium scelerum fons est philautia, quæ facit vt nemo sua sorte contentus sit, sed pleriq; aliena appetant, vnde impostura, furta, rapinæ, vagæ libidines, ambitiosæ concertationes, seditiones, cædes, bella deniq; nascūtur: Ita qui à Dei benedictione toti pendent,

Quam retributionem Deus faciat beneficis.

Luc. 12.

Psal. 37.

Luc. 22.

1. Tim. 4.

& ijs contenti viuunt, quæ ab illo in diem accipiunt; ij non solùm ab omnibus istis abstinent, verumetiam omnibus prodesse student, humiles & modesti sunt, pacifici item & temperantes, vitam denique viuunt sanctam & innocuam, & insuper aduersam quoque forturam patienter ferunt. Atqui hæc sunt, quæ vitam in hoc sæculo nobis verè beatam & iucundam reddunt, & proinde amplissima est retributio illa, qua Deus suorum beneficentiam remuneratur.

Contra auaros & insatiabiles.

Ista verò auaros & insatiabiles arguunt, qui non contenti necessarijs, iniquius secum agi putant, si non sit quo luxurientur & sese ostentent. Atqui non ea nobis pollicetur Deus, sed αὐτάρκειαν; quæ (vt Chrysostomus rectè admonet) ijs limitatur, sine quibus non potest viui. Sunt ea victus & amictus, sub quo domicilium quoque compræhenditur. Itaque nobis à Deo destinata dicit, τροφὴν, οὐ τρυφὴν, σκεπάσματα, οὐ καλλωπίσματα, id est, alimenta, non voluptatum & libidinum fomenta: amictum, non ornatum fastui aut luxui seruientem: domicilium item sufficiens, non insana palatia. Quibus consentit quod Paulus alibi scribit: Nihil intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: Sed habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus. Et sanè (quod supra quoque monuimus) commodius & suauius viuunt qui his contenti sunt, quàm alteri illi, qui in sua abundantia tumultuantur, & sibijpsis labores, curas, vigilias, multorũ odia, pericula, morbos denique & mortem immaturam accersunt.

1. Tim. 6.

Psal. 112.

Cæterùm ne quod de retributione Dei Dixit Apostolus, ex suo capite finxisse putetur, hoc ipsum Scripturæ veteris testimonio confirmat, dicens: Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum. Extat locus hic in Psalmo 112: qui doctrinam vtilissimam & assidua meditatione dignam continet. Docet enim, quæ vera sit hominis felicitas tam in hoc præsenti quàm futuro sæculo, & qua ratione ad eam peruenire possimus.

Propositio.

Propositio totius Psalmi est: Beatus vir, qui timet Dominum, & præceptis eius delectatur. Dei timorem veræ felicitatis quasi fundamentum collocat, eò quòd idem ille sapientiæ principium est, sine qua nemo beatè aut feliciter viuit. Distinguit autem inter salutarem Dei timorem & terrificum illum atque noxium, quem apud impios quoq;, imò apud dæmones locum habere constat. Nam de eo loquitur Psaltes, qui non nisi filijs Dei proprius, & cum fidei obedientia coniunctus est, & facit, vt ex Dei præceptis voluptatem capiamus.

Felicitas Dei timentium.

Deinde quæ & qualis sit horũ felicitas, docet: Potens erit in terra semen eius, & generationi rectorum benedicitur. Id verò ex fœdere Dei desumit, quod is cũ Abrahamo ea conditione percussit, quòd tã ipsius quàm seminis sui Deus esse velit. Addit: Copia rerũ & diuitiæ erunt in domo eius, & iustitia eius æternũ stabit. Vbi rursus inter Dei timentes & impios distinguit. Nã hi quoq; interdũ opulentissimi sunt, sed absq; iustitia, & quia ferè opes iniquè partas possident, eædem infelices & fluxæ sunt. Alia autem est piorum conditio, qui ex Dei benedictione habent quicquid habẽt, & proinde titulo iustissimo sua possident. Vnde sequitur: Oritur in tenebris lux probis, benefico, misericordi & iusto. Id est, Licet interdum aduersa incidant, Deus tamen talibus inter pericula vndique imminentia suæ bonitatis luce affulget, eosdem consolatur, & viam effugij monstrat.

Studia verè piorum.

His tertio loco mores & studia istorum subijcit: Vir bonus benefacit, & dat mutuò: res suas agit cum iudicio: Vt nimirum non cæcis carnis affectibus ducatur. Ideò non mouetur in æternum, sed sibijpsi semper constat, ideò memoria quoque iusti vsq; durat. Ad famem tristem non expauescet: vtpote bene sibi conscius. Nam cor eius firmum est, & Domino fidit. Cor (inquam) eius stabile est, vt non expauescat, donec spectet in hostibus suis quod cupit. Istis subijcit Propheta, quod in præsenti Paulus citat: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum, cornuq; eius altum erit cum gloria, &c. Quibus verbis omne illud continetur, quod de vera liberalitate & iusta opum dispensatione dici potest. Vbi hæc nobis consideranda veniunt.

Modus beneficentiæ.

Primò modũ liberalitatis & munificentiæ exprimit Dispergẽdi verbo. Dicitur hoc de rebus nõ magni pretij, quas nõ multũ curamus, vel etiã noxijs, ex quib. periculũ tiemetur. Admonet hoc, quales æstimari debeãt diuitiæ. Vulgus hominũ nihil his præstãtius, vtilius et beatius esse putat. Sed fluxæ sunt, caducæ sunt, et nihil in illis solidũ est & perpetuũ. Pertinẽt enim ad carnis cẽsum, de qua Deo iubẽte clamat Propheta: Omnis caro fœnũ & omnis gloria carnis flos agri. Et quàmuis ad huius vitæ vsum faciãt, in earũdẽ tamẽ abundãtia (vt Christus testatur) hominis vita nequaquam

Isa. 40.
Luc. 12.

quaquam consistit. Quis enim vniuersis huius seculi facultatibus vel propriæ vitæ diem vnū adijcere, vel animam suam ab interitu liberare potest? Adde his, quod eædem plurimum incommodant: quia scelerum causa & (vt poeta ait) irritamenta malorum sunt, pacem publicam turbant, charitati officiunt, lites indesinentes de Meo & Tuo pariunt, & ad cœlum tendentibus remora sunt omnium perniciosissima, sicuti in diuitis illius exemplo apparet, qui cùm in pietate maximos progressus fecisset, tristis abijt, quando diuitias sibi relinquendas esse audiuit. Hæc ergo considerans quisquis Deum timet, adeò non addicit illis cor suum, vt potius dispergat, id est, liberaliter & absq; omni tristitia in eos vsus eroget opes, quibus eas Deus destinauit. Nec enim hîc inconsultam prodigalitatem Spiritus sanctus præcipit, neq; etiam vt pecunias in mare aut profluentem abijciamus, quod olim Crates ille Thebanus fecisse legitur: sed hac locutione ad sementis parabolam nos remittit, in qua semen cum gaudio proijci, adeoq; dispergi solet. Psal. 49. Matth. 16. Matth. 19.

Ideo additur mox, quibus dispergat, aut largiatur? Pauperibus nimirum. Ergo non belluonibus, compotoribus, scortis, mimis, ambubaijs, fartoribus, cupediarijs distribuunt opes suas pij, neq; easdem turpi aleæ committunt, aut in insanis ædificiorum non necessariorum structuris insumunt: neq; etiam domi congerunt, vt nummos auidi contemplentur in arca, quibus nec ipsi vtantur, neq; alios vti sinant. Sed quæ superflua habent, ea in pauperes distribuunt, non quidem impostores illos, qui voluntariam paupertatem professi religionem sibi quæstum faciunt, quales sunt fratres illi, quos mendicantes dicunt, & tota ferè sacrificulorum cohors: sed in verè pauperes, qui vel morbis confecti seipsos alere non possunt, vel alijs aduersis ad egestatem redacti ab aliorum liberalitate pendere coguntur. Hos enim nobis Christus commendauit, seq; pro illis sponsorem dedit, vt iam sæpe diximus. Sed ô præposteram hominum prodigalitatem. Quàm multi enim sua in homines turpissimos & omni scelere infames profundunt? Quàm multi item pecunias cum valetudinis dispendio dilapidant, dum gulæ, ventri, & ijs quæ sub ventre sunt inseruiunt? Quàm multos etiam est videre, qui in canes, accipitres, simias, cercopithecos, psitacos & alia peregrina animalia sumptus faciunt immodicos? At ijdem ferè in egentia Christi membra parcissimi sunt, & omne illud sibi perijsse putant, quod in pauperes impenditur. Quis verò tales venia dignos dixerit? Quibus largiantur pij.

Sed præmium audiamus, quod benefico & misericordi Psaltes pollicetur. Iustitia eius (inquit) manet in seculum, cornuq; eius altum erit cum gloria. Iustitiæ vocabulum variè in Scripturis vsurpatur. Quoad præsens argumentum, sensus erit, beneficentiam piorum perpetuam esse, quia semper habituri sint quod egenis largiantur, & quòd ipsi quoq; benefaciendo non fatigentur, sed potius quotidie in melius proficiant. Sed potest etiam de ea iustitia intelligi, quæ nos apud Dei tribunal tuetur. Est enim beneficentia hæc proprius charitatis effectus, quæ simul argumentum est fidei, per quam iustificamur. Quòd si verò iustitia hæc æterna est, præmium quoq; eius æternum erit, & qui illi student, olim in tabernacula æterna (vt Christus ait) recipientur. Et rectissimè vtrumq; sensum coniunxeris. Hoc enim tam multiplici præmio Deus piorum beneficentiam remuneratur. Primò enim dat illis, quæ ad vitam sustentandam sufficiunt. Agit præterea in illis Spiritu suo, vt indies in melius proficiant. Seruat item in aduersis & periculis. Adhæc Filij sui iustitiam ijsdem communicat. Sequitur tandem corona illa immarcessibilis, quam in cœlo olim obtinebunt cum omnibus electis, qui diligunt illustrem illum aduentum Domini & Seruatoris nostri, IESV CHRISTI cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Præmium beneficentiæ. Luc. 16.

HOMILIA XLI.

Porrò qui suppeditat semen serenti, is quoq; panē ad escam suppeditabit, & multiplicabit sementem vestram, & augebit fructus beneficentiæ vestræ: Vt in omnibus ditati ad omnem simplicitatem, quæ per nos efficit, vt gratiæ agantur Deo. Nam ministerium functionis istius non solum supplet inopiam sanctorum, verumetiam redundat per multas gratiarum actiones Deo: Dum per hoc

documentum ministerij huius Deum glorificant de subiectione vestræ consensionis in Euangelium Christi, deq́ simplicitate communicationis in ipsos & in omnes. Et in illorum preces pro vobis, expetentium vos propter gratiam Dei in vobis exuberantem. Gratia autem sit Deo super inenarrabili suo munere.

QVemadmodum fiduciæ in Deū nihil perinde officit, atq; carnis solicitudo, qua decepti propria industria & labore nobisipsis consulere studemus: Sic eadem, quò minus charitatis fraternæ officia egenis præstemus impedit. Nec enim videre potest carnis ratio retributionē, quæ beneficis à Deo promissa atq; parata est: & idcirco metuit, ne dum alijs largimur, ipsi ad egestatē redigamur. Quapropter Spiritus sanctus in Scripturis frequenter solicitudinem illam oppugnat, & aduersus eam nos rationibus atq; exemplis instruit. Huc enim Israelitarum exemplum pertinet, quos totis annis quadraginta Deus in deserto Manna cælitus demisso aluit, vt eo documento constaret, hominem non solo pane & ordinaria illa ratione viuere, sed quouis verbo, quod ex Dei ore egreditur. Eódē promissiones quoq; referri debent, quæ passim in Psalmis et Prophetis occurrunt, & quas omnes Christus confirmat, dicens: Quærite ante omnia regnū Dei atq; iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Quibus accenseri debent quæ Paulus in hac tractatione prolixè tradit. Et nuper quidē omnia carnis auaræ argumenta quasi vno ictu abrumpens, Corinthios ad Dei omnipotentiā remisit, qui possit & velit abunde compensare quicquid in pauperes conferant: adeò vt & ipsis abunde sit vnde viuant, & simul alijs benefacere possint, & in omne opus bonum redundent. At quia quædā obscurius dicta videri poterant, quæ consideratu plus quàm necessaria sunt, eadem nunc diligentiori expositione illustrat.

Deut. 8.

Matth. 6.

Deus remunerator beneficentiæ.

Porrò (inquit) qui suppeditat semen serenti, is etiam panem ad escam siue cibum suppeditabit &c. Rursus ad Dei omnipotentiam remittit, & hunc periphrasi describit, quæ huic argumento optimè conuenit. Nam sementis parabolam denuo inculcat, & argumento vtitur à minori ad maius: Deus agricolis semen suppeditat, quod ex eius ordinatione sulcis mandatum germinat & mirificè multiplicatur: Idem ergo nequaquam eos negliget, qui quæ ex eius liberalitate acceperunt, in pauperes conferunt, qui ipsius ager sunt, quem omni officiorum genere excolere debent, quotquot ipsius serui & cultores esse volunt. Ita locum hunc D. Chrysostomus intellexit, qui inter alia sic scribit: Si agricolis terram colentibus Deus retribuit, quantò magis illos remunerabitur, qui cælū colunt, & animæ curam gerunt? Id verò faciunt, quicunq; fidē in IESVM CHRISTVM, *quæ sola nos cælorum incolas facit, dilectionis fraternæ operibus & beneficentia exercent.*

Deus dat semē seminanti.

Est autem hîc dignissimum obseruatu, quòd Paulus nos ad Dei omnipotentiam remissurus, eum esse dicit, qui semen det seminanti. Est enim hæc proprijssima Dei descriptio, quæ ad hunc omnia refert, nobis verò omnem gloriandi occasionem siue materiam eripit etiam quoad ea, quæ ad victum & vitæ huius mortalis sustentationem faciunt. Multos equidem ea persuasio dementat, quòd suo labore & industria hæc parari arbitrantur: quæ causa est, quòd quæsita domi suæ congerunt, & inutilibus frugum aceruis gaudent: vel ijsdem securè ad luxum & carnis voluptates abutuntur, vt fatuus ille, quem Christus dixisse ait: Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, bibe, oblectare. Sed dicant illi qui ita sentiunt, quis primus Adamo semina dederit? quis item seminibus vim germinandi & fructificandi inseruerit? Annon Deus is est, cuius virtute illa ex terra enata sunt? Aut quis mortalium tam ingeniosus, industrius & exercitatus est, qui ex materia qualicunq; semen fabricare, & eidem vim generandi inserere possit? Quis verò rudem tellurem vi procreandi donauit? Quis tempestates regit ac moderatur, sine quibus nullæ fruges proueniunt? Quis incrementum dat, postquam semina iam germinauerunt? Nonne solus Deus is est, de quo Scripturæ hæc passim prædicant, & cuius virtutem gentes quoq; agnouerunt? Verissimè ergo ab Ambrosio dictum est: Omnia Dei sunt: & semina & nascentia Dei nutu crescunt & multiplicantur. Prodest autem multùm hæc consideratio ad fidem confirmandam, quandò vbiq; occurrunt, quæ nobis Dei admirabilem potentiam simul & prouidentiam plus quàm paternam commendant. Deinde eadem nos de vero & legitimo opum huius seculi vsu admones,

Luc. 12.

monet, nosq; ad gratiarum actionem & beneficentiæ studium excitat. At simul hæc latius ad ea quoq; extendi debent, quæ ad salutem æternam faciunt: ne videlicet in illis aliqua nostri vel meriti vel dignitatis fiducia superbiamus. Nam nisi renascatur homo, non potest videre regnum Dei. At quis verbum, quod semen regenerationis est, cordibus nostris inserit? quis illud viuificat? quis animos nostros immutat & innouat, vt homines noui efficiamur? Quid hîc habes ô homo, quod non acceperis ab eo, qui solus in corda & corpora nostra ius habet & imperium?

Porrò ad huius loci argumentum doctrinam istam Paulus accommodans, docet, quæ & quanta beneficia in eos conferat Deus, qui pauperibus & egenis sua liberalitate subueniunt. Primò, dabit panem (inquit) in cibum. Panem nominat solùm, vt rursus περὶ τῆς αὐταρκείας admoneat, ne quid præter ea, quæ necessaria sunt & ad vitam seruandam sufficere possunt, expetamus. Et sensus huius membri est: Deum, qui omnia pascit, nobis quoq; daturum victum necessarium & sufficientem. Et huc pertinent promissiones, quas alibi ex Scripturis adduximus. Interim obseruabis, homines Christianos necessarijs contentos esse debere, neq; præter ea aliquid postulare importunius. Nec enim superflua Deus omnibus pollicetur. Et Christus inter orandum nos panem quotidianum petere iubet, ita docens, sufficere nobis debere, si in diem (quod dici solet) viuamus. Vidit hoc Iacobus patriarcha, qui à fratris Esaui facie profugus votum eiusmodi concipiebat: Quoniam Deus mihi adfuit, si idem ille me custodiat in via ista, qua proficiscor, & det mihi panem ad comedendum, & vestes ad induendum, reuersusq; fuero incolumis & saluus ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, &c. Hac frugalitatis mensura si omnes homines vota sua circumscriberent, minus tumultuarentur circa non necessaria, & non sanctius modò verumetiam commodius atq; tranquillius viuerent.

Deus dat victū beneficis.

Genes. 28.

Deinde, Deus ille (inquit) multiplicabit sementem vestram. Sic vocat ipsas facultates & bona huius seculi, ex quibus beneficentiam in pauperes exercemus: & sensus est, Deum non modò daturum quæ necessitas exigit, sed insuper benedictione sua opes nostras multiplicaturum esse, vt indies plura largiri possimus. Rursus verò hoc eorum solicitudini opponit, qui sibi decedere putant quicquid in pauperes distribuunt. At multùm illi falluntur, cùm beneficentia (vt iam sæpe diximus) instar sementis sit, quam suo tempore messis sequitur. Vt ergo agricola, dum semen ex horreo suo in agrum defert, aceruum quidem quem illic reconditum habet, minuere videtur, adeò tamen nihil damni patitur, vt quò liberaliorem facit sementem, eò vberiorem quoq; messem colligat, & proinde in annum venturum sit opulentior: Ita etiam ijs accidere solet, qui ex diuitijs suis eleemosynas liberaliter faciunt, quas Deus vberiori benedictione rependit. Exempla, quibus hoc confirmetur, passim occurrunt. Abrahamus relicto natali solo exul spontaneus ad Chananæos venit, inter quos hospitalitate & liberalitate erga quosuis claruit. At idē in terra peregrina remuneratorem fidelissimum habuit Deum, cuius benedictione diuitias sibi amplissimas parauit. Idem de Iobo possumus dicere, quem fortunis omnibus spoliatum Deus mox opulentissimum fecit, cum prius beneficentiæ liberaliter studuisset. Et huius generis multa hodie fiunt: cùm è contra qui æquo tenaciores sunt, opes suas indies decrescere sentiant, & sæpe præter omnem expectationem ad inopiam extremam redigantur.

Deus opes beneficorum auget.

Tertio addit: Et augebit germina siue fructus iustitiæ vestræ. Exponit quod modò dixerat, & opera beneficentiæ fructus iustitiæ vocat, rursus ad sementis parabolā alludens, vt ostendat illa esse proprios & germanos fructus veræ illius iustitiæ, quæ per fidem in IESVM CHRISTVM obtinetur. Testantur enim de charitate, quæ fidei iustificantis euidentissimum argumentum est, vt ad Galatas Paulus docet. Illa (inquit) augebit Deus, vt ditati abundetis in omnem simplicitatē, id est, vt posthabitis omnibus carnis auaræ & solicitæ rationibus, animo simplici & liberali beneficentiam indies exerceatis erga quosuis, quos vestra ope videtis indigere. Est hoc imprimis necessarium, vt supra quoq; diximus. Nã vt Theodoretus ait, qui circa rationes & cõputationes superfluas occupantur, ij facilè decipiuntur auaritiæ fascino, vt parciores sint æquo, vbi liberalissimos esse decebat. Quid, quòd in simplicitate illa præcipua & maxima opes piorum consistunt? Ea enim causa est, vt in solius Dei prouidentiam recumbant, cuius thesauri inexhausti sunt, & quæ eis nihil deesse patitur.

Benefici indies proficiunt.

Galat. 5.

Auarorum thesauri quales sint? Mich. 6.

At simul admonet nos locus iste, quid de auarorum hominum thesauris iudicari debeat. Quæ animo simplici & benefico in pauperes erogantur, ea iustitiæ germina atq; fructus sunt. Ergo quæ his fraudatis vel neglectis congeruntur, iniustitiæ & iniquitatis fructus sunt, & olim iustam damnationem afferent suis possessoribus. Ideo apud prophetam auaris, raptoribus & fraudatoribus Deus olim dicebat: Annon adhuc ignis in domo impij? thesaurus nimirum iniquus. Et Habakuk: Væ ei qui adauget non sua. Quòusque tandem? & qui aggrauat super se densum lutum. Nam non nostra dicuntur, non modò quæ alijs per vim aut dolum malum extorsimus, verumetiam quæ non distribuimus ex charitatis præcepto egenis, quos nobis Deus commendauit. At tales simul lutum densum super se congerunt: quia opibus immersi neq; ad cælestia bona suspicere, neq; pedes suos extricare possunt, vt in vijs Domini ambulent. Quibus adde quod Iacobus scribit: Agite nunc diuites, plorate vlulantes super miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestes vestræ à tineis erosæ sunt: aurum & argentum vestrum erugine vitiatum est, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & exedet carnes vestras sicut ignis, &c. Iacob. 5.

Habak. 2.

Eleemosynæ ad gloriam Dei faciunt.

Sed alium adhuc beneficentiæ fructum Paulus subijcit, dicens: Quæ per nos efficit, vt gratiæ agantur Deo, id est, hæc causa est, quòd multi ad gratiarumactionem excitantur. Ita verò docet eleemosynas ad Dei gloriam redundare, cui hic gratißimus cultus est, si homines ipsi gratias publicè agant pro acceptis beneficijs. E contra verò grauiter peccant, qui sua duritia & sorditie egenis murmurandi & de Deo quiritandi occasionem præbent, quorum linguas sua liberalitate in Dei laudes & gratiarumactionem soluere debebant.

Fructus beneficentiæ alij.

Cæterum quia hæc particula consideratu dignißima est, diligentius eam explicat, & quæ de tota hac causa dici possunt, in breuem summam contrahit. Nam ministerium functionis istius non solùm supplet inopiam sanctorum, verumetiam redundat per multas gratiarumactiones Deo: dum per hoc documentum ministerij huius Deum glorificant de subiectione vestræ consensionis in Euangelium Christi, &c. In Græco λειτουργίας vocabulum habetur, quod propriè quoduis munus publicum significat, tam in Repub. quàm Ecclesia. Et hinc mos obtinuit, vt diuini cultus actiones, inter quas antiquitus sacrificia primum locum habebant, λειτουργίαι dicerentur. Seruit vtraq; significatio causæ præsenti: Nam pauperum subuentio proprißimum Ecclesiæ munus est, quod publicè simul & priuatim ab omnibus debet administrari. Deinde eleemosynæ sacrificia sunt Deo longè gratißima, quæ de fide nostra testantur, & quibus ipse Dei Filius, IESVS CHRISTVS, in pauperibus suis alitur atq; iuuatur. Voluit ergo in præsenti ista locutione vti Paulus vt vehementius eos excitaret, qui adhuc cunctabantur. Et quia pauperes plerisq; videntur nō tanti fieri apud Deum, vt aliquam rationem habeat eorum, quæ in eos conferuntur, ostendit non in horum vili aspectu nos hærere debere, sed animi oculos longius extendere, vt quid in tota hac causa sit consideremus. Quo loco rursus nobis occurrit multiplex beneficentiæ in pauperes fructus, qui nos de spe liberalißimæ retributionis certos facit.

λειτουργία.

1. Supplet inopiam Sanctorum.

Primus est, quòd inopiam sanctorum supplet. Sancti autem dicuntur fideles, quos Christus sanguinis sui pretio ablutos Deo Patri suo consecrauit: & ab his Ecclesia illa catholica, quam in Symbolo profitemur, communio sanctorum dicitur. At hi in terris peregrini & hospites sunt, neq; habent hîc ciuitatem permanentem siue durabilem: & ideo ijsdem multa desunt & variè exercentur, dum in hoc mundo degunt. Nam etsi in Christo abunde habeant omnia, quæ ad salutem æternam faciunt, vita tamen hæc illis perpetua militia est, laborum & periculorū plena. Et vt ita exerceantur necesse est: nimirum vt & caro in officio contineatur, quæ dum otio & pace abundat proteruire solet, & eorundem fides atq; patientia probetur, simulq; semper occasio sit, qua beneficentiam exerceamus, quæ nulla esset, si nemo nostra ope indigeret. Est autem hic eximius & præclarus beneficentiæ vsus, quòd per hanc eorum defectus siue inopia subleuatur, quos Christus sanguinis sui pretio redimere dignatus est, & quos nobis, quoad externa hæc officia, perinde vt seipsum commendauit. Ideo in tota hac causa non tam quid nobis vtile sit, quàm quibus illi opus habeant videre conuenit, ne ipsi illorum inopiæ authores efficiamur.

Contra superstitiosos Sanctorum cultores.

Sed deplorandum hîc venit peruersum & præposterum multorum iudicium, qui sub Sanctorū nomine non alios quàm Diuos cælites intelligunt, & toti circa horum cultum occupantur, neglectis

neglectis interea sanctis qui ipsis videntibus esuriunt, algent & omnibus necessarijs destituuntur. At cœlites illi, vt olim suo seculo deseruierunt (vt de Dauide scriptum extat) & huius vitæ laboribus atq; curis defuncti sunt: ita nunc nullius egent, sed beati & felices in Dei conspectu bonorum omnium satietate fruuntur, & eorundem corpora cum læta & beata resurrectionis spe quiescunt. Nihilominus tamen illis superstitiosi homines templa palatioru͂ regalium instar extruunt, aras dicant, statuas locant, pecunias, vestes & quæuis alia offerunt, deniq; fraudatis quoq; legitimis hæredibus amplissimas opes illorum cultui consecrant. Et dum ista faciunt, viua Christi membra no͂ negligunt modò, verumetiam defraudant, spoliant, iugulant, vt sit quod truncis inutilibus & omni sensu carentibus offeratur. Quis hîc non exclamet cum Satyrico poeta: O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca? Actor. 13.

Sed alterum quoq; beneficentiæ fructum Apostolus indicat, dum eam redundare dicit per multas gratiarumactiones Deo. Et mox modum quoq; & rationem huius describit: Dum per hoc documentum siue specimen ministerij huius Deum glorificant de subiectione consensionis vestræ in Euangelium Christi, deq; simplicitate communicationis in ipsos & in omnes. Sensus est, multorum piorum ora & linguas in gratiarumactionem & Dei laudes solui, dum ex tam luculento liberalitatis specimine intelligunt, vos Euangelium verè amplexos esse, & ita quidem, vt vnanimi consensu vos & omnia vestra illi subijciatis, & non in ipsos modò, verumetiam in omnes alios benefici, vos vera & germana corporis Christi, quod Ecclesia eius est, membra esse testamini. 2. Redundat Deo in gratiarumactiones.

Admonemur hoc loco, Christianos decere, vt non modò Euangelij doctrinam & fidem in Christum profiteantur, verumetiam fidei suæ documenta præbeant, ex quibus appareat, ipsos Euangelio verè credidisse. Nam vt Christus ait, non omnis qui dicit, Domine Domine, ingredietur in regnum eius, sed qui fecerit voluntatem Patris cœlestis. Et Iacobus inanis aut mortuæ fidei professoribus dicebat: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis. Sunt autem veræ fidei documenta, quæ Paulus in præsenti attingit. Primum, consensio in veritatis doctrina. Hanc nobis Christus vnicè commendat, quando Patre͂ precatur, vt discipuli eius omnes vnum sint in ipso & Patre. Et sanè absurdum fuerit eos dissentire aut inter se scindi, quorum omnium vnus & idem est Pater, idem Dominus, idem Spiritus, eadem vocationis spes, idem baptismus & eiusdem fidei professio. Alterum est subiectio siue obedientia fidei, quam Euangelicæ prædicationis finem & scopum esse, in sequenti Capite audiemus. Tertium, beneficentia in fratres, quos nostro auxilio videmus indigere. Accedit his gaudium quod ex aliorum profectu concipimus, quodq; Dei laudes & gratiarumactionem in nobis parit. Et tales quidem olim fuisse constat Christianos homines qua͂do Ecclesia verè floruit. Hodie in omnibus istis peccatur. Consensio in verbi doctrina rara aut nulla est, sed pleriq; vt magni habeantur, nouis dogmatibus student, & ita de rebus nihili aut etiam scandali plenis, contentiones excitant minimè necessarias: in quibus eò vsq; progrediuntur, vt propter eas diris anathematismis damnent eos, qui eundem Christum cum ipsis profitentur, & quos pro fratribus suis debebant agnoscere. Deinde Euangelio paucissimi obediunt, plerique autem illud torquent pro affectuum suorum libidine, vt ex eo vel peccandi licentiam, vel priuatum commodum venentur. Fit ergo vt rebus secundis lasciuiant, & inter atrocissima scelera sibijpsis impunitatem perpetuam polliceantur: in aduersis verò ad carnis consilia & infelicis mundi auxilia respiciant, & si hæc fallant, turpiter quoque à fide deficiant. Interim pauperes non negliguntur modò, verumetiam deglubuntur, & ex publicis Ecclesiæ bonis homines auari, raptores, helluones, blasphemi, ditescunt, quæ vt egentium necessitati seruirent olim ab hominibus pijssimis consecrata sunt. Quòd si qui meliores pietati student, & in ea proficiunt, mox illi omnium odijs subijciuntur, proscinduntur, læduntur denique ab omnibus. Ita fit, vt propter nos malè audiat nomen Domini, qui exemplo quosuis alios in eius cognitionem & amorem excitare debebamus. Christiani fidei suæ documenta præbeant. Ioan. 17. Ephes. 4.

Sequitur tertius beneficentiæ fructus, quòd nimirum Iudææ fratres ea excitandi sint, vt preces pro Corinthijs fundant, & ipsos videre cupiant propter gratiam Dei in ipsis exuberantem. Videtur autem hoc prioribus adiecisse, vt dissensionis & simultatis suspicionem declinaret, quæ apud gentes ex Iudæorum morositate nascebatur, qua pleriq; eorum gentes vt prophanas abomi- 3. Preces multorum prouocat.

nabantur, & ne eos quidem, qui iam ab idololatria ad Christum conuersi erant pro fratribus agnoscebant, nisi insuper circumciderentur, & Legis Mosaicæ disciplinam reciperent. Videbatur hæc multis iusta & grauis causa, ob quam ipsi quoq; vicissim Iudæos odissent, & suos ab illis animos alienarent. Necesse ergo erat, Corinthios admoneri, non eundem esse omnibus animum, imò plures esse in Iudæa, qui non solùm honorificè sentiant de gentium Ecclesijs, verumetiam pro illis frequenter orent, & præclara illa Dei dona in illis exosculentur: & proinde aliquorum morositatem nequaquam istis fraudi esse debere.

Pauperum officia.

At simul hîc pauperes officij sui admonentur: quod est, gratias agere Deo pro acceptis beneficijs. Non enim ab hominibus pendere debent, sed à Deo, qui omnium hominum corda in manu sua habet, & eadem flectere & mouere potest, vt quibus ille vult benefaciant. Simul autem se bonam gratiam benefactoribus suis debere meminerint, & ideo si non aliud possunt, saltem pro illis orent, vt Deus ipsorum laboribus & familijs benedicat, & eosdem Spiritus sui donis augeat. Ament deniq; & bene velint illis, à quibus iuuantur. Adhæc bene vtantur ijs quæ accipiunt, non abliguriant ea, non dilapident comessando, ludendo aut alijs studijs inhonestis ac turpibus. Imò meminerint hoc sacrilegium esse, si publicis eleemosynis ad otium ignauum aut intemperantiam & luxum abutantur. Arguit hoc multorum corruptissimos mores, qui cùm pauperes Ecclesiæ haberi velint, tamē neq; Dei neq; religionis aliquam curam habent: diuites omnes oderunt, benefactoribus suis inuident, morosi & queruli eos accusant, quibus gratiam bonam debebant: gaudent deniq; eorundem calamitatibus: acceptis verò turpissimè abutuntur, & sub egestatis prætextu otio dediti helluantur ac intemperantissimè viuunt. Quæ causa est, quòd nihil illis sufficiat, & querelis non necessarijs omnium aures fatigent. Non talis Lazarus, qui immanem quoq; diuitis epulonis fastum patienter tulit, seque totum paternæ Dei prouidentiæ commisit.

Opes maximæ in beneficentia habentur.

Admonet præterea locus iste, quàm turpiter fallantur suis rationibus, qui ideo parciores sunt in egenos, quòd ea sibi perire putant, quæ illis largiuntur. Atqui nullæ opes sunt præstantiores, quàm quas hîc Paulus beneficis pollicetur, neq; aliunde maior quæstus & gloria sperari potest. Tales enim sanctorum inopiam supplent, imò ipsum Christum in membris suis alunt, & proinde (vt Solomon ait) ipsi Domino fænerantur. Deinde alios ad gratiarumactionem excitant, quo nullus cultus Deo magis gratus & acceptus est. Adhæc euidens præbent fidei suæ documentum, ex quo pro germanis Christi discipulis agnosci possunt. Præterea alios sibi obstringunt, vt qui prius ipsos oderant, nunc eos in honore & pretio habeant, & absentes quoq; magni faciant. Deniq; eosdem ad preces pro ipsis faciendis excitant, quibus nihil vtilius, nihil magis necessarium fingi potest. In Dei aures penetrat clamor pauperum, qui vel negliguntur vel etiam opprimuntur, vt Iacobus docet. Quid nî ergo eorundem preces quoq; ille exaudiat, quas pro benefactoribus suis fundunt? I nunc, & pauperes habere nega, quod tibi rependant, cùm maiora sint multò quæ ad te ab illis redeunt, quam quæ tu illis largiris.

Concludit δοξολογίᾳ.

Porrò concludit Paulus totam hanc tractationem δοξολογίᾳ seu gratiarumactione admodum pathetica: Gratia autem sit Deo super inenarrabili suo munere. Loquitur autem de toto isto negotio. Etenim ineffabile Dei donum erat, quòd Ecclesiæ passim constitutæ erant, quòd eædem inter tot insidias & pericula seruabantur, quod charitatis mutuæ vinculo inter se cohærebant, et mutuis auxilijs sese iuuabant. Nouo autem artificio vtitur, dum pro ijs gratias agit, quæ Corinthij nondum contribuerant. Ita enim spem bonam, quam de eis conceperat, testatur, vt eos magis extimulet: simulq; ipsos etiam reprimit, ne munificentia sua superbiant, sed hanc Dei opus esse agnoscant, qui suo Spiritu in ipsis agat, & bonos hosce motus excitet. Debemus ergo nos quoq; Deo gratias agere pro omnibus, quæ bene & rectè à nobis fiunt. Ex nobis ipsis enim nihil possumus, sed Deus est, qui in nobis agit & velle & facere. Oremus autem ipsi quoq; Deum patrem misericordiæ, vt Ecclesias nostro etiam seculo fidei vnanimis & charitatis mutuæ vinculo constringat, vt omnes idem sentiant & loquantur in CHRISTO IESV, fidemq; suam publicè testentur, dum ab eo sibi commendatis pauperibus benefaciunt. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT

CAPVT X.

HOMILIA XLII.

CÆterùm precor vos per clementiam & æquitatem Christi, ego ipse Paulus, qui coràm quidem humilis sum inter vos, absens verò confidens sum erga vos. Rogo autem, ne cùm præsens adero, confidens sim ea fidutia, qua cogito audax esse in quosdam, qui nos æstimant, quasi secundùm carnem incederemus. Nam in carne incedentes, non secundùm carnem bellum gerimus.

ETSI Dominus noster IESVS CHRISTVS, discipulos suos, & cum his omnes Ecclesiæ suæ ministros, modestiæ & humilitati studere iubeat, & hanc suo quoq; exemplo eis commendet: idem tamen vt suam authoritatem contra hostes suos & calumniatores tueantur præcipit, & ideo promissionibus quoq; illos armat, quando dicit: Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit. Et vt in eo illi fortes ac seduli sint, admodum necesse est: ne videlicet in illis Dei Verbum contemnatur, quod sine certa salutis æternæ iactura non potest fieri. Ideo olim in authoritate sua defendenda constantissimi fuerunt Prophetæ: Et Christus etiamsi hominum modestissimus fuerit, & serui quoq; formam suscipere dignatus sit, acerrimè tamen ijs respondit semper, qui doctrinam eius in contemptū adducere conabantur. Huius ergo exemplum Paulus secutus, etsi prius multa pro se dixisset, nunc tamen post interpositam tractationem de Collectis & pauperum subuentione, redit ad sui ministerij defensionem deq; sua authoritate grauiter disserit: idq; facit, partim vt exhortationi, quæ præcessit, pondus addat: partim vt vniuersam doctrinam suam amplius commendet. Ministri suam authoritatem tueri debent.

Vt verò causam hanc totam rectius intelligamus, initio videre oportet, quæ nam aduersariorum eius calumniæ fuerint: vbi quædam altius erunt repetenda. Paulus cùm Corinthi doceret, vitæ genus secutus fuerat humile & nulla externi splendoris specie conspicuum. Nam victum sibi manuum labore parabat, ne cui grauis esset: in docendo autem multa lenitate & mansuetudine vtebatur, vt ciuitatem quæ diuitijs fidebat, & luxui atq; libidini assueuerat, paulatim ad ferendum Christi iugum assuefaceret. Ita verò multos ad fidei obedientiam adduxit, & Ecclesiam illic constituit omni donorum spiritualium genere illustrem. Ipso autem inde digresso, subierunt homines ambitiosi, qui doctrinam ad ostentationem instituebant, Ecclesiam in sectas distrahebant, disciplinæ neruos labefactabant, adeò, vt nihil ferè inter illos sanum esset & integrum. Quapropter Paulus per priorem epistolam grauissimè cum illis expostulauit. Inde verò occasionem arripuerunt homines ambitiosi & disciplinæ impatientes, vt eum toti Ecclesiæ calumnijs suis suspectum & exosum facerent. Itaq; apud homines fastui & splendori deditos humile illud & abiectum vitæ genus petulanter nimis exagitabant, vt hominem nullius existimationis & proinde indignum esse euincerent, qui in ciuitatem tam illustrem & opulentam ius aliquod haberet. Adhæc mansuetudinem quoque & lenitatem eius calumniabantur, quasi ea fraudulenter vsus esset, vt per eam sese insinuaret. E contra epistolæ prioris rigorem accusabant, quasi Corinthiorum facilitate insolentior factus, nunc nimis imperiosè cum illis ageret. Denique iactabundum Thrasonem esse clamabant, qui præsens nihil auderet, absens verò literis minacibus fulminaret, & inanibus terriculamentis homines simplices & rerum imperitos in metum & solicitudinem conijceret. Ad ista ergo omnia respondendum erat, ne simplex Euangelij doctrina prorsus in contemptum veniret. Calumniæ, quibus Paulus petitus fuit.

Apparet autem in hoc exemplo, quæ nam ministrorum Ecclesiæ sors sit inter homines mundo & carni deditos. Paulus etsi quoad viuendi rationem nemini grauis esset, moribus placidissimis & sanctissimis commendaretur, in docendo autem simplicitati & perspicuitati studeret, & Verbi rigorem Spiritus lenitate moderaretur, non potuit tamen effugere calumniatorum dentes, Ministrorum Verbi sors.

qui & mansuetudinem & seueritatem ipsi vitio vertebant. Accidit hoc multis alijs. Quis merita Mosis & beneficia eiusdem in Israelitas dignis laudibus posset prosequi? Et nonne idem ipsius Dei testimonio mortalium omnium mansuetissimus fuit? At nihilominus illum impostorem, latronem & ambitiosum imperij affectatorem esse clamant ij, pro quorum salute ille dies & noctes excubabat. Quid de Ioanne & Christo dicemus, quorum hunc quidem propter facilem conuictum, helluonem esse, illum verò propter vitæ genus austerius solito à dæmone malo exagitari Iudæi dixerunt? Quis ergo à calumnijs tutus aut immunis fuerit? Falluntur vehementer qui hoc sibiipsis pollicentur, & hac spe illecti se hominum moribus atque ingenijs accommodant. Nam vt vt teipsum torqueas, retinebit tamen ingenium suum infelix mundus, quod est, Veritatis lucem odisse, & proinde illam mendacijs & calumnijs obscurare. Illi ergo si placere cupias, Christo fidele obsequium præstare non poteris: & quàmuis in omnes formas te vertas, inq; eo Vertumnum & Prothea superes, semper tamen inuenient improbi quod inuido dente arrodant. Id ad se transferant omnis loci & ordinis homines, & discant nihil tutius esse, quàm Deum vocantem sequi, & ab hoc creditam functionem constanter obire. Quod ij demum facient, qui cum Paulo dicere didicerunt: Mihi pro minimo est, vt à vobis dijudicer, aut ab vllo humano die, &c. His præmissis, videamus vt hanc causam egerit.

Exordiũ graue & patheticum

Exordio vtitur amico & pathetico, quo aduersarios suos acriter perstringit. Cæterùm precor vos per clementiam & æquit[atem] Christi, ego ipse Paulus, qui, &c. Nomen suum exprimit, vt authoritatem suam fortius asserat contra eos, qui illã extenuabant, & fortaßis scurrili quoq; petulantia in eius nomen ludebant. Paulus enim Latinis idem quod modicum aut pusillum sonat. Græcis verò quietum vel otiosum, ἀπὸ τῆς παύλης. Itaque non caret Emphasi particula ista: Ego ipse Paulus, &c. Quasi diceret: Scio quid de me aliqui dicant, quibus volupe est scurriliter in Christi seruos iocari. Sed qualis qualis sim, ego ipse Paulus, qui quando præsens sum, humilis & nullius pretij videor, absens verò confidens & audaculus dicor, vos precor & hortor (vtrumq; enim vox Græca significat) per clementiam & æquitatem Christi, &c. Ita verò cordatioribus, qui inter illos erant, suam vocationem in mentem reuocat, & quæ apud illos ædita erant veri Apostoli opera atq; specimina, quorum cõsideratio eum facilè ab omni contemptu vindicabat. Similis locus in epistola ad Galatas habetur, vbi contra eos, qui Legis iustitiam cum fide miscebant, disserens, inter alia dicit: Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circũcidamini, Christus nihil vos iuuabit, &c

Ministros fiducia armatos esse oportet.

Est hoc magnum fiduciæ argumentum, qua ministros armatos esse oportet, vt se fortiter opponere poßint aduersariorum calumnijs atq; criminationibus. Hanc verò obtinebunt, si Dei vocatione expectent, & in ea sic viuant, vt improbi contemptores non habeant, quod in ipsis poßint reprehendere, & proinde ad scurrilia dicteria & frigidas atq; pueriles nominum aut cognominum allusiones confugere cogantur, vt sui similibus, aut rerum planè imperitis contemptos faciant. Est hoc hodie nimis vulgare, quod vel ad nomina ministrorum improbi petulanter alludunt, vel natales obscuros, aut vitæ genus humile, aut inopiam illis exprobrant. Sed his ministri suum nomen forti & intrepida fiducia opponere, & ad vocationem suam illos remittere debent, quæ sola ipsos tueri potest, si ex Deo sit. Ita olim Amos prophetam fecisse legimus. Cùm enim Amasias Sacerdos ipsi fraudulenter consuleret, vt ex terra Israelitica in regnum Iuda confugeret, vbi tutò posset Dei Verbum annuntiare, non autem cum capitis periculo illic prophetare pergeret, vbi regijs edictis id esset prohibitum: mox illi respondit: Ego non sum Propheta, neq; filius Prophetæ, sed homo pecuarius ego sum, sycomora stringens: Tulit autem me Dominus cùm greges sequerer, dixitq; ad me Dominus: Vade, & propheta populo meo Israel, &c. Et simile quid Apostoli Sacerdotibus & Senioribus Hierosolymitanis responderunt, se non posse non loqui ea, quæ & comperta habeant, & quæ Deus annuntiare iusserit.

Amos 7.

Hortatur per Christi æquitatem & mansuetudinem.

Sed ad Paulum redeamus, qui ne arrogantius putetur solius nominis sui fiducia ferocire, grauem admodum & huic causæ conuenientißimam obtestationem interserit. Adhortor, siue precor vos (inquit) per clementiam & æquitatem Christi. ἐπιείκεια propriè dicitur iuris moderatio, qua eius rigor temperatur, ne (quod prouerbio dicitur) summum ius summa iniuria fiat. Est hæc in CHRISTO IESV *perfectißima. Etsi enim ideo in mundum venisset, vt Legem impleret, &*

huius

huius sensum germanum sic tradat, vt in ipsas hominum mentes penetret, & omnes homines peccati reos agat: idem tamen sub hoc pondere laborantes atque oneratos non fastuose aut crudeliter abijcit, sed amicè ad se inuitat, imò reatum nostrum in se recipit, & quod nobis præstitu impossibile erat, ipse præstitit, sicuti de illo olim Isaias prædixerat. Denique, vt Paulus ipse testatur, ille nostra iustitia, imò peccatum pro nobis factus est, vt nos efficeremur iustitia Dei per ipsum. Et quamuis adhuc infirmos & imperfectos nos esse videat, mitis tamen & mansuetus ille seruator est, qui linum fumigans non extinguit, neque arundinem quassatam conterit. Per hanc mansuetudinem Christi Paulus Corinthios obtestatur: & ita simul ostendit, quàm peruersum sit ipsorum iudicium, qui hoc ipsum ei vitio vertant, cuius exemplum nobis Christus præbuit, qui adhuc hodie plus quam paterna indulgentia nostras infirmitates ferat.

Atqui eadem obtestatione non minus hodie nobis opus est, quando eandem peruersitatē & iudicij inopiā, quam in Corinthijs Paulus perstringit, etiam hodie paßim cernere licet. Odio enim prosequimur mundus hic Veritatis lucem, nec ferre potest, vt per hanc opera eius praua coarguantur. Interim nihilominus non desunt, qui in verbi administris acrimoniam maiorem requirunt, & eos plus æquo indulgentiores esse queruntur, si non minis seuerioribus contra eos fulminent, quibus ipsi malè volunt. Sed, vt nuper diximus, non debent ista aliquem mouere, quò minus officium suum sedulò faciat, & Euangelici salis acerbitatem Christiana lenitate aut mansuetudine moderetur. Singuli verò obtestationem illam sibiipsis applicent, & meminerint se quoque similiter ab ipso Christo rogari, vt suæ facilitati atque indulgentiæ locum dent. Quàm verò indignum fuerit, si illum audire dedigneris, qui propter te ex Patris sinu in mundum hunc venire, homo fieri, & tam multa tamque grauia subire dignatus est, vt miseros nos ex interitu sempiterno redimeret?

Mundi peruersitas.

Quid verò tam graui obtestatione effectum aut impetratum vult Paulus? Hoc rogo (inquit) ne cùm præsens adero, confidens sim ea fiducia, qua cogito audax esse in quosdam, qui nos æstimant, quasi secundùm carnem incederemus. Quorum verborum hic sensus est: Precor ita vos geratis, ne cùm venero, cogar coràm vti mea ill: fiducia & potestate, quam nunc in animo habeo exercere aduersus aliquos, qui nos petulantius contemnunt, quasi secundùm carnem ambulemus, id est, quasi carnis affectu ducar, neque alio quàm carnis præsidio nitar, & proinde contemni merear. At hoc dicendo alludit ad illud, quod in prioris epist. Capite quarto dixit: Quid vultis? cum virga veniam, an cum spiritu lenitatis? Et hoc ipsum infra Capite vltimo apertius edicet: Prædixi, & vt præsens secundò prædico, quòd si venero denuo, non parcam, quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, &c.

Deprecatur, ne cogat ipsum esse seueriorē.

Habemus autem in Paulo singularis modestiæ & lenitatis exemplum, qui etsi iniurijs atrocißimis prouocatus esset, noluit tamen adhuc suo iure vti, imò quasi supplex hoc deprecatur, ne ipsum cogant illud persequi. Adhæc, etsi quoduis supplicium iam illi meruissent, non tamen insolentius eis minatur, sed solummodo se de vindicta cogitare dicit, si videlicet sua contumacia ipsum cogant, vt eam exequatur. Quàm verò alieni sunt ab hoc spiritu lenitatis hodie Romani Pontifices, qui Apostolicorum nomine gloriantur? Hi certè si sui nominis existimationem, aut sedis suæ authoritatem, vel vnico verbulo lædi sentiant, illico ad excommunicationis fulmen recurrunt, nec contenti vnius caput petiuisse, insuper seditionibus, bellis, incendijs omnia miscent.

Paulus exemplum lenitatis.

Interim meminerimus, veros Christi ministros per modestiæ & mansuetudinis leges nequaquam prohiberi, quò minus digna seueritate vtantur aduersus præfractos, qui incurabili contumacia contra Dei Verbum proteruiunt. Sic Mosem scimus fecisse, quando ei cum Cora & huius coniuratis res erat, qui impia temeritate à Deo institutum ordinem vnà cum legitimo cultu euertere conabantur. Similia exempla in Prophetis extant. Quis mitior fuit Isaia, qui tam blandis consolationibus eos confirmat, quos propter scelera in Babylonem abducendos esse sciebat? Quis Ieremia indulgentior, qui sanguinariæ vrbis excidium tam multis tamq; amaris lachrymis defleuit? Quàm grauiter autem ijdem illi tonant & fulminant contra incurabiles & pœnitere nescios Verbi Dei illusores? Poßumus his Christum connumerare, qui etsi mirifica indulgentia ho-

Ministri lenitatem digna seueritate temperent.

stes suos tulerit, ijsdem tamen Væ illud horrendum denuntiat, cùm eos nulla ratione emendari posse videret. Hæc exempla si cum nostri seculi moribus conferamus, mox patebit, quid Verbi administros facere conueniat, quando fatalis quædam securitas & letalis ἀναλγησία omnium ferè hominum animos occupauit, vt nec scelerum atrocitate moueantur, neque ipsos percutientis Dei manum agnoscant.

Potestatem sibi vendicat Apostolicam.

Porro ne frustra hac deprecatione vti videretur Apostolus, eius rationem reddit, & se sub vili illa & contemptibili specie potestate instructũ esse docet maiori quàm ipsi ferre possint. Nam in carne (inquit) incedentes, non secundum carnem bellum gerimus. In carne ambulare hoc loco idem est, quod in carne viuere, aut in hoc mundo versari. Quo sensu ad Philippen. quoq; scribit: Vt in carne permaneam, magis necessarium est propter vos. Et hoc pijs cum impijs cõmune est, quod nimirum vtriq; vitam hanc mortalem in carne viuunt. At secundùm carnem viuere, est carnis sensu atq; desiderijs duci, & consilijs carnalibus regi. Habent ergo verba hæc Concessionis speciem, qua aduersariorum calumniæ respondet. Quasi diceret: Non est, quòd mihi aliquis infirmam & vilem speciem siue personam, quam sustineo, exprobret. Nam ego ipse fateor, me in carne viuere, & hominem esse, à quo nihil humanum alienum sit, & proinde infirmum, caducum, mortalem & infinitis casibus obnoxium esse. Sed qualis qualis sum, non tamen secundùm carnem hoc bellum gero, quod mihi Christus mandauit. Id est, ministerium meum non humanum aut carnale est, neque in eo obeundo carnis affectibus indulgeo, aut huius consilia sequor: sed totum hoc negotium diuinum est, & à Dei spiritu gubernatur.

Veritati nihil decedit propter viles præcones.

Docet nos locus iste, Veritatis doctrinæ nihil decedere propter eius precones viles & contemptibiles. Vtuntur ferè hoc argumento, qui illam in contemptum adducere, & inuisam facere conantur. Clamant enim: Annon homines fuerunt Apostoli & Prophetæ? Annon homines sunt, qui hodiè concionantur? Cur ergo vt illis credamus, vrgemur? Annon omnis homo mendax est? Quid item homini tam facile est, quàm falli simul & fallere? Quibus nos cum Paulo respondemus: Fuerunt quidem illi homines mortales & nobis ὁμοιοπαθεῖς, id est, ijsdem nobiscum affectibus atq; casibus obnoxij: at quoad officium, ipsis commendatum, non vulgares homines fuerunt, qui humanis affectibus & consilijs ducti docuerint, quæ in ipsorum ore temere nata sunt: sed Dei homines fuerunt, quos ille totos sibi consecrauit, vt eorum ministerio in voluntate sua manifestanda vteretur. Sic ipse de Patriarchis olim testatus est, Chananæis dicens: Ne tetigeritis Christos

Psalm. 105.

siue vnctos meos, neq; prophetis meis quid mali faciatis. Prophetis quoq; idem ille dicebat: Ecce,

Ierem. 1.

ego posui verba mea in os tuum, & quæcunq; ego tibi mandauero, loqueris. Item: Accipies ver-

Ezech. 3.

bum ex ore meo, & monebis eos ex me. De Apostolis autem Christum pronuntiauisse scimus: Qui

Luc. 10.

vos audit, me audit, &c. Si qui ergo hodie non alia docent, quàm quæ ex Scripturis propheticis & apostolicis deprompta sunt, illi quoq; non vt homines vulgares contemni, sed vt Dei serui atq; interpretes audiri debent. Eadem enim horum ratio siue conditio est, quæ Legati, qui Regis sui nomine bellum gerit: quod simile huic negotio probè conuenit, vt in proximo Sermone dicetur. Nunc discamus Dei bonitatem agnoscere, qui Verbi sui thesaurum, quo nullus pretiosior & miseris nobis magis necessarius est, vasis testaceis credit (vt supra Cap. quarto Apostolus monuit) seq; tam familiariter ad captum nostrum demittit. Audiamus ergo loquentẽ in seruis suis IESVM CHRISTVM, & huic nos totos consecremus, qui nobis doctor & seruator catholicus datus est. Huic debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLIII.

Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed Deo valida ad subuersionem munitionum: dum ratiocinationes euertimus, omnemq; sublimitatem: quæ extollitur aduersus cognitionẽ Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo: & in parato habemus quo vindicemus omnem contumaciam, postquam impleta fuerit vestra obedientia.

PAulus Apostolus primis septem Capitibus. multa dixit de suo ministerio, & qua fide in illo obeundo vsus sit. At quia hominibus, qui Veritatis odium semel conceperunt, nihil sufficit, redit nunc ad illud argumentum, et aliquanto acrius confutat aduersariorum suorum calumnias. Erat autem illis hic scopus propositus, quòd eum apud Ecclesiam Corinthiacam in contemptum & odium adducere conabantur. Quia ergo ipsum, quando Corinthi docuerat, nullo splendore commendabilem, sed modestum & erga quosuis facilem atq; mansuetū viderant, nunc verò illius epistolas audiebant apostolica seueritate graues, quibus ipsorum vitia acerrimè corripiebat, ex eo ipsum calumniabantur: quòd nimirum Thrasonico & minaci fastu in absentes fulminaret, qui corám vix hiscere auderet. Ad ista ergo responsurus, initio incredibili lenitate eos rogat, vt cauere velint, ne quando cogatur coràm seuerius agere: & illic simul monuit, non debere eos de ipso secundùm carnem & speciem externam iudicare: Quia etsi homo sit, & in carne vitam mortalem agat, bellum tamen se contra mundum & huius principem, non carnis præsidijs, sed ipsius Christi auspicijs gerere. Id nunc diligentius explicat, & ea occasione paucis comprehendit, quæcunq; de ministerio Verbi Dei dici possunt. Quo loco ista nobis consideranda veniunt.

Primum, quòd illud militiæ confert, aut bello, quod vt Legatus gerat à Christo sibi mandatum. Conuenit simile hoc quàm maximè Apostolis. Scimus enim Christum iam inde ab initio destinatum fuisse, vt caput serpentis conculcaret, id est, vt veterem humani generis hostem, diabolum, debellaret & eius opera destrueret. Id verò partim fecit merito mortis suæ & resurrectione, partim spiritu oris sui (vt Isaias ait) id est, Euangelij sui prædicatione, per quam superstitiones, idololatriam & omne id per quod ille inter homines regnabat, euertit. Ad hanc autem vsus est Apostolorum ministerio, qui ab ipso emissi, Euangelium in toto orbe diuulgarunt, & expugnato vbique gentium Satanæ regno, homines Christo adduxerunt. In quo cum Pauli fides & industria præ cæteris eluxerit (vt alibi demonstrauimus) rectè se huic militiæ ascribit, & se bellum istud gerere profitetur. *Ministerium Verbi militiæ confertur.* *Isa. 11.*

Interim debet hoc omnibus Verbi Dei administris applicari, quorum omnium idem est officium. Nam licet iam olim debellatus sit Satan, nō quiescit tamen, sed indesinenter de possessione, è qua eiectus est, recuperanda cogitat, & regnum suum inter homines instaurare conatur. In eum ergo finem submittit falsos doctores, qui sub Veritatis prætextu incautos à Christo abstrahant. Seruiunt eidem peccatorum illecebræ, mundi exemplum & carnis nostræ desideria, quæ omnia securos reddunt, & peccandi licentiam pariunt. Et quia hæc pauci obseruant, pleriq; verò ijsdem spontè locum dant, ministros Verbi sui Christus constituit, quos stationē suam constanter tenere, & Speculatorum instar pro publica salute excubare decet, ne qui ipsorum incuria & negligentia pereant. Debent ergo in horum meditatione diligenter versari, ne sibijpsis otium & pacem polliceantur, sed potius (vt Christus admonet) rationē ineant, quibus copijs & armis hosti aduenienti occurrere, & irruentem repellere possint. Nam licet is omnibus insidias struat, qui Christo nomen dederunt, præ alijs tamē Verbi administros petit, quia his ex statione sua deiectis, facilem sibi de reliquo vulgo victoriam pollicetur. Et huc facit Christi admonitio, qui Petro in vltima Cœna dicebat: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt ventilaret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando cōuersus cōfirma fratres tuos. Quantum item negotij Paulo fecerit, infra Cap. 12. audiemus. Et hoc illum adhuc facere, exempla multorum quotidie docent. Quòd si verò Ecclesiæ ministros constantiores esse videt, quàm vt eius artibus se circumueniri, aut blanditijs capi patiantur, tunc alia via eos aggreditur, & tyrannos excitat, qui aut calumnijs improborum hominum, aut priuatis suspicionibus fascinati, odia & iras aduersus illos concipiunt, & eò vsq; progrediuntur, vt neq; regna sua consistere posse, neque se saluos fore sibi persuadeant, nisi illi è medio tollantur. Hinc apertæ persecutiones initium sumunt, quas olim quoq; semper à ministris cœpisse, historiæ Ecclesiasticæ testantur. *Ministri bellū gerunt cum Satana.* *Luc. 14.* *Luc. 22.*

Ea autem tunc ferè est illorum infelicitas, quòd infidos sentiunt eos, quorum saluti illi consultum volunt, & qui ipsorum consilijs atq; conatibus imprimis fauere debebant. Differt enim in eo huius seculi militia à spirituali illa, quam homines Christiani faciunt. In illa milites suis ducibus eò fideliores sunt, quò acriores & in oppugnando hoste fortiores ipsos esse vident, neq; bo- *Ministrorum infelix sors, quoad homines.*

stium calumnijs mouentur, quò minus illis obtemperent. At hîc quò fortius hosti, diabolo nimirũ & mundo, ministri instant, eò magis suis quoque exosi fiunt, & pleriq; sibi persuaderi patiuntur, dissidiorum & turbarum omnium authores esse solos Verbi Dei præcones, qui sua morositate & nimio rigore eos etiam offendant, qui pacis amantissimi sunt, & quosuis alios facilè ferrent. Fit ergo, vt multi illorum capitibus pacem redimendam putent, nec videre volunt, his sublatis hostium rabiem longius progressuram esse. Potest huc referri Demostenis Apologus de ouibus, quæ lupis de canibus conquerentibus fidem habuerunt, his autem procul remotis sub pacis prætextu lupis præda factæ sunt.

Ministrorum arma.

Sed ad Pauli verba accedamus, qui quia dixerat, Apostolos bellum hoc non secundùm carnem, id est, non armis aut viribus carnalibus gerere, nunc quæ & qualia ipsorum arma sint, docet. Arma militiæ nostræ (inquit) non carnalia sunt, sed Deo valida, &c. Carnalia arma dicit, quæ à carne suggeruntur, qualia sunt, opes, honores, amicitiæ, fœdera, milites, doli, eloquentia, & quicquid aliud huius generis apud homines carni & mundo deditos magnificum & inuictum videtur. Atqui omnibus his Apostoli destituti fuerunt, vt Christus quoq;, qui apud Pilatum regnum suum non de hoc mundo esse probat, quia neminem habeat, qui pro se pugnet. Et quoad Apostolos, scimus pauperes fuisse, extorres, contemptibiles, omnibus exosos, simplices & absque omni dolo, & prædicatione etiam vsos fuisse simplici, neque vllis humanæ eloquentiæ phaleris ornata. Quibus ergo armis pugnauerunt? Spiritualibus, Verbo Dei nimirum & Spiritus sancti virtute, qui donis varijs & mirificis sese exeruit: qualia fuerunt, linguarum omnium cognitio, quæ omnibus admirabiles fecit: miraculosæ morborum sanationes, & dæmonum expulsiones: prophetia, fides in Deum inuicta: conscientiæ integritas, quam scuti instar conuitijs & calumnijs omnibus opposuerunt: Spiritus prudentia, qua diaboli artes & mundi astutiam eluserunt: zelus ardens gloriæ Dei & publicæ salutis, quo aduersa & pericula quæuis superarunt. Et hæc illa arma sunt, quibus etiam hodie verbi administros armatos esse oportet. Stulti sunt & malè fidi milites, qui istis neglectis ad mundum respiciunt, & huius amicitiam venantur, aut principum fauore nituntur. In his ferè impletur, quod olim per Ieremiam dixit Dominus: Maledictus, qui fidit homini, & facit carnem brachium suum.

Num magistratus authoritate opiniones falsæ debeant coerceri?

Obseruabis autem, non excludi propterea à gubernatione & defensione Ecclesiæ principes Christianos: vt quidam malè feriati sentiunt, qui huius loci authoritate abutuntur, vt euincant, neminem publica magistratus authoritate ad certam fidei & religionis formulam cogi & astringi debere, sed cuiuis permittendum esse, vt quod animo sentit, liberè profiteatur. Est horum dogma pestilentissimum & prorsus intolerabile. Nam sub libertatis Christianæ prætextu ex Ecclesia stabulum Circeum fabricare conantur, in quo omnis generis animalia vocibus diuersis tumultuentur, id est, diuersissimarum opinionum hæretici suos errores publicè tradant, & eosdem quibusuis obuijs obtrudant. Atqui pugnat hoc cum primitiuæ & Apostolicæ Ecclesiæ exemplo, in qua credentium omnium cor vnum fuisse, & illi omnes in Apostolorum doctrina perseuerauisse dicuntur. Deinde confundunt isti homines functiones Ecclesiasticas & Politicas. Quod enim de ministerio Verbi dicitur, hoc illi ad magistratus extendunt: nec obseruant, Paulum de ministrorum functione loqui, qualis tunc erat: omni nimirum carnali præsidio nudata. At non obstare hoc debuit, quò minus suo tempore impleretur, quod Deus Ecclesiæ per Isaiam promisit: Dabo

Isa.49.

Reges nutritios tuos, & Reginas nutrices tuas. At quales illi nutritij erunt Ecclesiæ, qui hæreses impunè grassari patiuntur? Quo item argumento probari poterit, abrogatam esse Legem Dei

Deut.13.

de occidendo falso propheta, qui Deos alienos colere docet, & à Deo traditam cultus formam euertit? Scio olim D. Augustinum in ea sententia fuisse, ne magistratus gladio coercerentur hæretici: sed Donatistarum indomiti furores & longus rerum vsus illum sententiam mutare coegit, quòd Ecclesiæ & fidei vnitatem non aliter conseruari posse videret.

Armorum spiritualium vis.

Sed pergamus in Pauli verbis, qui armorum istorum vim & efficaciam describit, dicens illa Deo valida esse ad subuersionem munitionum. Quod Deo valida esse dicit, bifariàm exponi potest. Primùm, quòd Dei virtute valida & efficacia sint, qui per illa agat in ministris: & hic sensus Chrysostomo placuit. Deinde, quòd Apostoli his vni & soli Deo militent. Vterq; sensus præsenti argu-

ti argumento probè conuenit, & Paulum sic locutum existimo, vt vtrumque simul cõprahenderet. Nã officij sui ministros hæc locutio admonet, vt se Dei milites esse meminerint, & proinde huius solius gloriã quærant. Vt item se absq; huius ope nihil posse cogitet, ideoq; nihil sua industriæ aut meritis tribuant. Deniq; vt perpetuò memores, se Dei armis instructos esse, nõ metuãt sibi ab hoc mundo, sed cũ Dauide dicant hostibus suis: Vos venitis contra nos cũ gladio, lancea & clypeo, nos autẽ venimus ad vos in nomine Domini exercituum. Est autem hoc Dei ingenium, quòd virtutem suam per ea exerit, quæ hominibus infirma & nullius pretij esse videntur, vt alibi quoque diximus. 1.Sam. 17.

Sed videamus, ad quid valida sint arma illa Apostolorum? Ad subuersionẽ munitionũ. Quasi diceret: Nemo nobis obijciat munitiones siue obstacula, quæ contra nos parantur. Nam quicquid mundus hic cum suo principe ædificauerit, ei demoliendo & euertendo hæc arma nostra sufficient. Vtq; res sit euidentior, omnia ista in duas species diuidit, dicens: Dum ratiocinationes euertimus, omnemq; sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei. Sub ratiocinationum vocabulo omnia carnis seu rationis humanæ consilia comprahendit, per quæ Satan mille dolorũ artifex, vires suas maximè ostentat. Nam primùm zelo inconsulto multos seducit, vt se Deo seruire putent, quando huius cultum extinctum volunt: quòd olim Iudæis accidisse, & hodie multis accidere videmus. Deinde astutos facit, & mirifica consilia illis suggerit, quibus plures alios in suas partes trahunt. Accedit his Sophistica, in qua verè exercitatißimi sunt, quotquot Euangelij doctrinæ aduersantur. Alterum est omnis sublimitas, quæ aduersus cognitionem Dei extollitur. Hæc comprahendit omnem mundi gloriam, potentiam, fœdera, & quicquid hostes aperta vi moliuntur. His omnibus Paulus spiritualia illa arma opponit, quæ sola aduersus ista sufficiant: quod ab ipso verißimè dici, res ipsa indicat. Fuit enim Apostolis res cum Iudæorum Sacerdotibus, cum gentium philosophis, cum Romano Imperio, quòd viris tam politica prudentia instructis quàm militaribus abundabat. Perruperunt tamen per omnia ista obstacula, & sola Euangelij prædicatione ac Spiritus virtute munitiones istas diaboli omnes euerterunt: quod fore olim Prophetæ prædixerant.

Munitiones diaboli & mundi.

Porro finem quoque huius militiæ attingit Paulus, dum addit: Et captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, & in parato habemus quo vindicemus omnem contumaciam, &c. Duo dicit, quorum alterum ad electos, alterum ad reprobos pertinet. Illos (inquit) nostris armis deuictos quasi captiuos ducimus, vt qui prius diabolo seruierunt, nunc Christo voluntariam & salutarem seruitutem seruiant. Hos autem coërcemus singulari Spiritus virtute, qua armati vindictam in parato habemus aduersus omnes, qui sese contumacius Veritati opponunt. Respicit ad potestatem illam ligandi & soluendi, quæ sub clauium typo alibi adumbratur: item ad singulare illud donũ Spiritus, quo rebelles mulctare potuerunt, & Satanæ affligendos tradere, vt suo loco diximus. Comprahendit autem hoc loco omnes ministerij Euangelici partes.

Finis huius militiæ.

Primũ in illo est, vt ministri demoliantur et euertãt omnes munitiones quæ aduersus veram Dei cognitionem excitantur. Consultò autẽ sic loquitur: quia nẽ Satan quidẽ ipse videri vult is esse, qui cum Deo bellũ gerat: & quia hoc omnibus detestabile videtur, cognitionẽ Dei veram obscurare satagit. In hunc finẽ ergo falsam doctrinã affert, opiniones item hominũ mentibus instillat vel superstitiosas vel Epicuræas, quarum illæ quidem cultus illicitos & inutiles pariunt, hæ verò effrænis scelerum licentiæ causa sunt. In his ergo demoliendis ministros sedulos & strenuos esse oportet. Hoc enim illud est, quod Ieremiæ dicitur, ipsum constitutũ esse super gentes & super regna, vt euellat & extirpet, perdat & dißipet. Nam nisi id fiat, plantationi & ædificationi locus esse non potest. Obseruarũt hoc diligenter Apostoli, qui Legis quoq; statuta oppugnarunt, cũ his aliqui ad euertendã fidei iustitiã abuterentur, neq; eos terruit, quòd ideo contra Mosem & templũ concionari dicebantur. Inter gentes verò idololatriã et falsorũ Deorum cultus acerrimè debellarunt, quàmuis non ignorarent, quanto cum periculo hoc esset coniunctũ. Quid, quòd de futuris quoq; admonuerũt, vt posterorũ quoq; saluti consulerent? Est hoc obseruandũ propter eos, qui Euangeliũ hodie ita prædicari posse sibi persuadent, vt neque Antichristi artes & doli arguantur, neque scelera manifesta accusentur. Quod perinde est, ac si quis bellum gerere, hosti autem parcere velit, ne eum irritet. Atqui à pœnitentiæ doctrina prædicandi initium Apostoli facere debuerunt, quæ nulla esse poterit, nisi errores, superstitiones & scelera arguantur.

Ministerij partes.
1. Euertere, quæ Dei cognitioni obstant.

2. Omnes ad Christi obediētiam adducere. Deinde ministrorum est, Captiuam ducere omnem cogitationem siue intellectum ad obediendum Christo. Nec enim satis est liberari à superstitionum iugo & peccati seruitio, nisi insuper Christo consecremur, in quo vno salus omnis habetur, & illum vnum audiamus. Hoc enim filijs Dei & ouibus suis proprium esse Christus docet, quòd ipsius solius vocem audiant & sequantur. Et fidei obedientiam alibi quoque totius Euangelicæ prædicationis finem atque scopum esse Apostolus scribit. (Rom. 1. & 16.) At quia ad hanc homines adduci non possunt, quoad carnis ratione & sensu ducuntur, illam prorsus subigi & captiuam duci necesse est. Et huc pertinent, quæcunque de hominis regeneratione, nostrijpsius abnegatione, carnis mortificatione passim traduntur. At hoc illud est, in quo plerique cessant atque deficiunt. Nam gloriantur quidem multi Euangelio, sed qui eius captiui esse velint, paucos est videre. Hinc est, quòd sub Euangelij prætextu licenter viuunt, & si quid aduersum incidat circa carnis cæca consilia, infeliciter tumultuentur, neque aliquid certum habeant. Meminerint ergo Christiani homines, nos ideo ex Satanæ tyrannide redemptos esse, vt Christo mancipati simus, & huic seruiamus. Nec enim liberi erunt ex Satanæ seruitio, nisi qui se Christo captiuos sistunt. Estque hæc omnium felicissima captiuitas, quia (vt Chrysostomus ait) assertio est ex seruitute in libertatem, ex morte in vitam, ex perditione in salutem. E contra verò infelicissima mancipia sunt, qui excusso Christi iugo, quiduis audendi licentia lasciuiunt.

3. Vindicta coercere contumaces. Tertio, ministri vindictam quoque paratam habere debent aduersus eos, qui Dei Verbo contumaciter eluctantur. Illa autem ex Dei Verbo dependet, & per hoc exercetur, dum pœnæ denuntiantur transgressoribus, & ad Dei tribunal citantur qui admonitionibus & correptionibus pijs nolunt cedere. Fuerunt in eo olim acerrimi Prophetæ, qui etsi se rideri scirent ab improbis, subinde tamē Dominū exercituū illis inculcabant. Et qua constantia Paulus vsus sit, infra sub finem Cap. duodecimi & postremi initium patebit. Nec est quòd aliqui ferociores fiant, eò quòd vindicta non semper mox minas ministrorum sequitur, vt olim quando Ananias & Sapphira subito mortui sunt, & Elymas Magus cæcitate illico percussus est. Singulis enim suū diem destinauit Deus, & interdum pœnæ propter electos differuntur, vt hi resipiscendi tempus & occasionem habeant. Veniet autem hora, quando de incurabilibus certò vindicta sumetur.

Cur vindicta aliquādo differatur? Et huc pertinet huius loci clausula: Postquam impleta fuerit vestra obedientia. Hac enim causam indicare vult, cur non nunc vindictam contra contumaces illos exerat: Nimirum quia nō omnes deplorati erant, sed multi ex infirmitate, multi communi exemplo abrepti peccauerant, qui iam cœperant in viam redire. At quia nondum perfecta erat eorum obedientia, rigorem istum & vindictæ executionem differri oportuit, donec isti ad metam suam peruenirent, & non cum incurabili rebellium turba eodem exitio implicarentur. Distinxit ergo Paulus inter proteruos illos & alteros, de quibus adhuc bona spes erat, quorum rationem habendam esse putauit, ne in medio pœnitentiæ cursu interciperentur.

Ratio vindictæ in Ecclesia. Debet hinc generalis doctrina peti, quomodo vindicta & castigatio in Ecclesia exerceri debeat. Non quidem parcendum est impijs, sed ita tamen agendum, ne horum contumacia fraudi sit pijs & tractabilioribus. Docet hoc suorum iudiciorum exemplis Deus. Nā etsi is olim mundū incurabilē diluuij aquis perderet, Noā tamen iustitiæ præconē ab vniuersali illo exitio eripuit. Idē Sodomas cū vicinis vrbibus igne cœlitus immisso exussit, Lothū autē cū suis seruauit. Et cùm Ægyptum varijs plagis affligeret, inter filios Israëlis & hostes eorum diligenter distinguebat, ne illi quoque cum his mulctarentur. Et Moses ex Dei mandato populum à Coræ & coniuratorum eius tentorijs procul secedere iubebat, ne idem cum his supplicium innoxij subirent. Nō ergo probari potest inconsultus eorum rigor, qui flagitiosis ita irascuntur, vt cum his alios quoque extinctos velint. Tales sunt, qui propter paucos enormiter viuentes totas Ecclesias damnant: qui item in seditionibus ab improbis quibusdam excitatis promiscuè in innoxiam populi turbam sæuiunt. Fidos medicos potius imitari conuenit, qui partes vitiosas sic vrunt & secant, ne saniores simul periclitentur. At simul piorum est, vt ipsi sese separent, neq; cōmunicent aliorum sceleribus. Neq; sufficit hîc bene cœpisse, sed (vt in præsenti Paulus monet) obedientiam implere oportet. Continet ergo locus hic œconomiam Ecclesiæ ab ipso Deo institutam. In hanc itaque intenti pastores demoliantur

liantur sedulò quæcunque aduersus Dei cognitionem extolli vident: è contra omnes captiuos ducere studeant ad obediendum Christo: improbis verò & præfractis fortiter resistant: rationem autē diligentem habeant eorum, qui adhuc curabiles sunt. His verò sese accommodent quicunque Christiani dici & haberi volunt, vt IESVM CHRISTVM in seruis suis loquentem audiant, & eidem sese totos consecrent: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLIIII.

Quæ ob oculos sunt aspicitis? Si quis apud se confidit se Christi esse, hoc vicissim cogitet ex sese, quòd quemadmodū ipse Christi est, ita & nos Christi esse. Nam si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit Dominus nobis ad ædificationem, & non ad subuersionem vestri, non pudefiam: Ne videar ceu perterrefacere vos per epistolas. Nam epistolæ quidem (inquit) graues sunt & validæ: sed præsentia corporis infirma est, & sermo nihili. Hoc cogitet qui istiusmodi est, quòd quales sumus verbo per epistolas cùm absumus, tales etiam fore reipsa cùm aderimus.

QVoniam Deus Verbi sui præcones ferè ex illis eligit, qui mundi huius iudicio homines abiectissimi & nullius pretij esse videntur: non vtile modò, verumetiam necessarium est, vt in Dei consilium penitius inspiciamus, & ipsam ministrorum conditionem atque munus, quod sustinent, consideremus. Nisi enim hoc fiat, propter illos æternæ Veritatis doctrina in contemptum venit, & cum Dei gloria etiam salus nostra periclitatur. Hæc causa est, quòd Christus, qui Apostolos passim ad modestiam & humilitatem exhortatur, de eorundem tamen functione & dignitate admodum magnificè disserit. Et ipsi Apostoli authoritatem sui ministerij aduersus huius contemptores acerrimè tuentur, non quidem sui honoris causa, sed vt Deo suam gloriam vindicent, & hominum saluti consulant. Facit hoc ipsum Paulus in tota hac tractatione, qua suam existimationem aduersus æmulorum & impostorum quorundam calumnias defendit. Cùm enim à nonnullis ideo contemneretur, quòd Corinthi humilius sese gessisset, ostendit nuper, se qualiscunque videatur, Christi militem esse, qui armis spiritualibus ipsum abundè instruxerit, quibus non modò debellare possit omnia, quæ aduersus Dei cognitionē erigūtur, verumetiā de cōtumacibus vindictā sumere. Id verò nunc propter aliquos, qui præfractiores erāt, maiori cū grauitate Corinthijs applicat.

Orditur autem à graui increpatione, qua peruersum & iniquum quorundam de se iudiciū corripit. Quæ ob oculos, aut secundùm faciem, id est, quæ in conspectu sunt aspicitis? Intelligit autē per ea, quæ ob oculos sunt, externam laruā, qua æmuli eius sese venditabant, vt ipsius authoritatem propter vilem & contemptibilem speciem, qua inter ipsos vixerat, eleuarent. Et pōdus orationi addit Interrogatio. Nam perinde hoc est, ac si diceret: Ita ne vos, qui alijs præstantiores & prudentiores haberi vultis, in ipsum iuris principium peccatis, dum personas, id est, laruas externas respicitis, & in pretio habetis opulentos, eloquentes et externi splendoris superbos ostentatores, neglecta interim iusti iudicij ratione, quæ in res ipsas diligentius inquirere, & secundùm eas pronuntiare docet? Est enim hæc cōmunis regula, quā Deus passim iudicibus præscribit. In Lege enim dicit. Ne feceritis iniquum quid in iudicio, neque suscipias faciem pauperis, nec reuerearis faciem potentis, iustè iudicabis proximo tuo. Et Moses iudicibus dicebat: Audite causas fratrum vestrorū, & iudicate iustè inter virum & fratrem eius, & inter peregrinum eius. Non agnoscetis facies in iudicio, vt magnum sic & paruū audiatis, nec aliquem mortalium formidetis: iudiciū enim hoc Dei est. Et his consentiūt, quæ Iosaphat, Rex optimus, abs se constitutis iudicibus præcepit, & quæ passim apud Prophetas fusius explicantur, qui hoc potissimùm nomine magistratus iniquos accusant, quòd personarum respectu aut priuati commodi studio ducerentur. Quod quam fœdum & perni-

Corripit iniqua Corinth. de se iudicia.

Leuit. 19.

Deut. 1.

2. Par. 19.

tiosum sit, gentium quoque sapientes intellexerunt. Cambyses, tyrannus cum esset crudelissimus, iudiciorum tamen æquitatem necessariam esse vidit, & ideo iniquo & corrupto iudici pellem detrahi, & ea tribunal vestiri iußit, vt exemplo tam truculento alij absterrerentur. Thebani verò Senatus typum expresserunt per cæcos & mancos, vt docerent iudices neque personas spectare, neque manus ad munera capessenda habere debere. Et ex historijs constat, nullam Rempub. diu incolumem mansisse, quæ iudicia venalia habuit.

In doctrina nō debent personæ spectari. Ioan. 7.

Imprimis autem hoc obseruari debet in causa doctrinæ & religionis, de quo Christus Iudæos, iniquos suæ doctrinæ & factorum æstimatores, grauiter admonet, dicens: Ne iudicetis secundùm aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Etenim qui hîc personas respiciunt, ij non possunt non falli perniciosissimè. Ita enim comparatum est, vt qui numero plures, & dignitate præstantiores sunt, mendacium sequantur, aut proprijs persuasionibus seipsos decipiant. Estque hoc vetus malum, quod multis imposuit. Moses certè neminem præter Aaronem habuit, qui causam Dei cum ipso tueretur: aduersarios autem habuit, Pharaonem regem, aulicos omnes, Magos item, & ipsos Israëlitas, pro quorum libertate ille laborabat. Sic solus Elias cum Baalis sacerdotibus quadringētis & quinquaginta committitur. Et paulò post Micheas solus cōtra pseudoprophetas quadringentos Dei sentētiam profert. Quid de Christo dicemus, qui cùm lapis ille esset, quē caput anguli Deus Pater destinauerat, ab illis tamen reprobatus est, qui tunc Ecclesiæ architecti haberi volebant? Hoc ipsum de Apostolis dici potest, quos omnes cum sua doctrina damnari oportebit, si secundùm ea, quæ in carnis sensus incurrunt, iudicare velimus. Et hoc Corinthijs imposuit, vt nequißimos impostores fido & germano Christi Apostolo anteferrent. Non est ergo, quòd eorum clamoribus moueamur, qui nobis hodie aduersariorum multitudinem, authoritatem & consensum obijciunt, nobis verò paucitatē & contemptibilem nostrorum doctorum & sectatorum conditionem exprobrant. Merentur illi cum Corinthijs grauem correptionem, quòd cùm Christi nomen & fidem profiteantur, ad argumenta eiusmodi friuola confugiunt.

Proprio testimonio aduersarios conuincit.

Sed obijciebant Corinthij: Atqui non possumus contemnere istorum sermones, cùm Christi ministri sint, & huius nomen profiteantur. Etenim impostores illi hoc potißimùm nomine Pauli authoritatem eleuabant, quòd se Christum vidisse, cum germanis eiusdem Apostolis familiariter conuersatos esse, ab his denique missos esse gloriarentur. His ergo ille respondet: Si quis apud se confidit se Christi esse, hoc vicißim cogitet ex sese, quòd quemadmodum ipse Christi est, ita & nos Christi esse. Non negat illos Christi nomen profiteri, neque etiam (quod optimo iure poterat) falsi eos arguit, ne aliquos exasperet: sed se propter illos non debere viliorem æstimari docet, cùm etiam ipse Christi minister sit. Id verò sic enuntiat, vt aduersariorum conscientias compellet, adeoque hos proprio testimonio conuincat. Si (inquit) Christi sunt, haud dubiè pro fratribus & conseruis suis agnoscent eos, qui cum ipsis Christo seruiunt, & hunc solum prædicant. Atqui ego illud non minus facio quàm ipsi, quod res ipsa testatur, cùm quotidie quàm plurimos Christo lucrifaciam, & huic vni homines adducam. Cur ergo me ita despicatui habent? cur meam existimationem extinctam volunt? cur me & doctrinam meam tam odiosè vellicant? Latet autem sub his verbis magnum fiduciæ Apostolicæ argumentum, quando se Christi esse ita testatur, vt non obscurè innuat, à Christo & eius Spiritu alienos esse eos, qui ipsum nolint pro conseruo & fratre agnoscere.

Fiducia ministrorum qualis esse debeat?

Est hoc omnibus Verbi administris summo studio curandum, vt idem de seipsis poßint dicere. Id verò poterunt, si vnum CHRISTVM IESVM fideliter prædicent, huic vni omnes adducant, in vita verò & moribus honestati & sanctimoniæ studeant. Qui tales aspernatur, is eo ipso se Christi germanū discipulum esse negat. Debebant horū meminisse, qui hodie nos damnant, eò quòd carnalem & crassam illam corporis Christi in Cœna mystica præsentiam atque manducationem negamus. Quòd si ipsi Christi sunt, cur non id respiciunt, quod Christianis hominibus propriū est? Atqui Christus omnes eos pro suis agnoscit et Deo patri cōmendat, qui in ipsum credunt, sicuti Apostoli credere docuerūt. Non pro his rogo tantùm (inquit) sed et pro ijs qui credituri sunt per sermonē eorū in me. At summā prædicationis et doctrinæ Apostolicæ in Symbolo contineri, nemo pius vnquā negauit. Quid verò, quo ad illud, aduersarij nostri in nobis desiderant? Aut nū aliquē

Ioan. 17.

artic-

articulorum fidei à nobis negari dicere possunt? Annon enim IESVM CHRISTVM agnoscimus verum & æternum Dei Filium esse, qui præfinito tempore ex Virgine homo natus, nunc in vna indiuidua persona Deus simul & Homo sit? Annon eundem pro nobis passum & mortuum peccata nostra expiauisse, resurrectione sua mortem atque inferos vicisse, ascensione nobis cœlũ aperuisse, & illic ad dexterã Patris sedere, & secundùm vtramq; naturam Mediatorem nostrũ esse credimus & docemus? Annon illũ in nouissimo die ad iudicium venturũ fatemur, vt suis promissa fidei præmia tribuat, impios autem ad sempiternas pœnas damnet? Cur ergo Christi esse negamur? Num quia illum vero suo & naturali corpore cum pane corporaliter coniunctum esse, fateri nolumus? aut quòd corpus eius perinde vt Deitatem omnipræsens esse, & in Cœna oraliter à dignis simul & indignis manducari negamus? At quis Apostolorum hoc vnquam tradidit? Vel qui nam Symboli Apostolici articulus, vt ita sentiamus, iubet? Scio quidem aduersarios nostros multa dicere, nosq; omnipotentiam Filij Dei negare, calumniari. Sed ista tam putida sunt, vt mirum sit illos non pudere eiusmodi figmentorum, ad quæ toties iam responsum est. Idem ergo nouis illis Areopagitis & alienæ fidei censoribus dicere possumus, quod Paulus in præsenti suis æmulis dicit: Si qui apud se confidunt se Christi esse, hoc vicissim cogitent ex sese, quòd quemadmodum ipsi Christi sunt, ita & nos Christi esse.

Sed & auditores hoc loco admonentur, vt Euangelij præcones pro Christi seruis & legatis agnoscant, neque in ignobili eorum specie aut infelicis mundi de illis iudicio hæreant. Nam nisi in Christum respiciant, qui de illis pronuntiauit, Qui vos audit, me audit: nunquam eos patienter ferent, sed aut impostores esse putabunt, aut stultos & insanos, vel etiam seditiosos rerum turbatores esse dicent. Hoc certè olim Achabo imposuit, qui neque Eliam neq; Micheam audire dignatus est, quòd hunc quidem morosum obiurgatorem, illum verò regni totius turbatorem, vtrumque verò hostem suum esse sibijpsi persuasisset. At è contra Dauid Nathanum magno cum fructu audiuit, quia Dei seruum esse & ex huius mandato loqui credebat. *In ministris Christus spectari debet.*

Quia verò Paulus se alijs accensuerat, qui ipsi nullo modo erant conferendi, correctionem eius dicti subijcit, qua suam existimationem fortius asserit atq; tuetur aduersus eos, qui sic responsare poterant: Si tu non aliter Christi es quàm nostri illi doctores, quos Christi seruos esse fateris, quid obstat, quo minus te posthabito illos potius audiamus atque obseruemus? Imò vt id fiat æquum est, cùm ipsi perpetuò nobiscum sint, tu verò procul absens circa aliarum Ecclesiarum curam occuperis. Huic obiectioni occurrit, dicens: Nam si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit Dominus nobis, &c. Habent verba hæc Eclipsim. Nam sensus est, Paulum etsi aliquam potestatem sibi vendicet maiorem, quàm reliqui aut vulgares ministri habeant, non tamen vanum ostentatorem fore. Etenim licet idem omnium sit Dominus, idem quoq; ministerium omnibus commissum sit, & idem Spiritus in omnibus agat, sunt tamen diuersa dona Spiritus, & proinde certi etiam inter ministros gradus sunt, vt alius alio sit præstantior. *Præfert se Paulus aduersarijs.*

Estque diligenter obseruanda hæc Pauli moderatio, qua ita sese humiliat, vt interim non dissimulet authoritatẽ qua ipsum Deus præ alijs instruxerat. Peccat enim in eo multi hodie, quod nõ satis memores suæ conditionis, vt suam modestiam & facilitatem omnibus approbent, authoritatem suam turpiter prostituunt. Faciunt hoc aliqui ex ministris Ecclesiæ. Multi item ex ijs, qui ad Reipub. gubernacula à Deo vocati sunt, & proinde debita grauitate functionem suam obire debebant. Est hoc graue peccatum, & tales salem infatuatum vocat Christus, cuius adeò nullus vsus est, vt ne sterquilinio quidem seruiat. Quin ergo huius exemplum omnes imitentur, qui etsi hominum modestissimus esset, nunquam tamen passus est authoritatem suam conculcari cum manifesto doctrinæ suæ contemptu. Rectè ergo in præsenti Paulus collegas quidem suos agnoscit, neq; solus sibi in Ecclesias dominium vendicat, simul tamen apertè testatur, se potestatem aliquam maiorem habere, quam dissimulare non debeat. Faciunt autem ad horum confirmationem verba Christi, qui Ananiæ de ipso dixerat: Instrumentum electum est mihi iste, vt perferat nomen meum coram gentibus & Regibus, & filijs Israël. Et rursus illum sibi loquentem audierat: Ad hoc apparui tibi, vt designarem te ministrum ac testem tum eorum quæ vidisti, tum eorum in quibus apparebo tibi: eximens te ex hoc populo & gentibus, ad quos te mitto: Vt aperias oculos eorum, vt se *Ministri ita se humilient, ne tamẽ suam authoritatem euacuent.* *Acto. 9. & 26.*

conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, &c. Quò etiam referri potest, quod inter ipsum & Apostolos transactum fuit, qui propter singularia Spiritus dona, quæ in ipso deprehendebant, eum gentibus Apostolum destinauerunt.

Gal. 2.

Ne tamen hîc aliquid arrogantius dixisse putetur, duo adijcit, quibus hoc dictum mitigat. Primum, quòd potestatem hanc omnem, non ex semetipso habeat, sed à Deo acceperit: Alterum, quòd eadem ipsi data sit ad ædificationem Ecclesiarum, non ad destructionem. Ita verò simul pseudoapostolos perstringit, qui cùm ipsi Ecclesias nullas constituerent, ab alijs ædificatas destruebant. Vt hodie ambitiosi quidam faciunt, qui non necessarijs innouationibus Ecclesias aliorum labore & industria feliciter plantatas, infeliciter turbant: vt iam de Anabaptistis nihil dicamus, quorum hoc quasi proprium opus est. Sed & peruersum Corinthiorum iudicium perstringit, qui eiusmodi hominibus locum dabant, per quos ipsi in sectas scindebantur, & multa labefactabantur, quæ ab ipso bene constituta fuerant.

Ministri non habent potestatem, nisi quam Deus dedit.

Rursus verò totam ministerij ecclesiastici rationem Paulus tradit, in qua hoc obseruatu dignissimum est, quòd ministros non aliam potestatem habere testatur, quàm quæ illis à Deo data est. Atqui hæc Verbo alligata est, neq; in dominio externo consistit, quale hodie Episcopi et Pôtifices exercent. Imò ne quid huius Apostoli affectarent, Christus non semel grauiter prohibuit. Ita verò Dei verbo alligata est omnis ministrorum potestas, vt non aliud quàm hoc ipsis prædicare liceat. Nam ad omnes pertinet quod Ieremiæ dictum fuit: Ecce ego pono verba mea in os tuum, & quæ tibi mãdauero loqueris. Et Ezechieli: Sumes verbum ex ore meo, & monebis eos ex me. Neque maiorem libertatem Apostolis datam esse, ex eo apparet, quòd non alia gentibus tradere iubẽtur, quàm quæ à Christo acceperant. Sed & ipsum Euangelium Dominus in prædicationem pœnitentiæ & remißionis peccatorum partitur, & vt vtramq; in suo nomine annuntient præcipit. Ista igitur eos arguunt, qui cùm antistites Ecclesiæ haberi velint, vel à prædicandi munere omnino cessant, & circa res huius sæculi occupantur, vel sui capitis figmenta prædicant. Quid verò ea, quæ de sua potestate Apostoli dicunt, ad Pontifices & Episcopos faciunt, qui in vtroq; peccant, nec eo contenti sunt, quòd ipsi tacent, insuper alios quoq; non patiuntur prædicare, & templa simulacbris complent, ex quibus discere debeant rudiores, quid facto opus sit?

Iere. 1.
Ezech. 3.
Matth. 28.

Finis potestatis Ecclesiasticæ, ædificatio.

Deinde vsum quoque & finem huius potestatis indicat Apostolus, quando datam dicit ad ædificationem, non ad destructionem. De eo dictum etiam in prioris epistolæ 14. Cap. Modus & regula ædificationis est, vt omnes super fundamentum IESVM CHRISTVM extruantur in domum spiritualem, quam Deus inhabitare poßit, & in qua hic regnet atque glorificetur. At quia hîc destructionem simpliciter excludit, quæri potest, annon sibijpsi contradicat, cùm paulò ante se armis instructum esse dixerit diuina virtute & potentia validis ad subuersionem munitionum? &c. Sed obseruabis, Paulum illic loqui de subuersione eorum, quæ contra Dei cognitionem extolluntur, & quæ Dei siue Ecclesiæ ædificium impediunt: quæ destructio admodum necessaria est: In præsenti autem de ea, per quam destruuntur fides & religio vera, dum homines à Christo abstracti in diuersas sectas scinduntur, & Dei domus esse desinunt. Rursus ergo æmulos suos perstringit, qui multa bene ab ipso ædificata petulanter destruxerant, multa item sua incuria & negligentia paßi erant corruere. Vide ergo quid de illis iudices, qui hodie destruunt quæ Deus ædificata vult, ædificant autem quæ deijci & euerti oportet, si Ecclesiam habere velimus rectè institutam? Gloriantur illi plenitudine potestatis: sed huius loci authoritate palàm conuincuntur, quo docemur, ne ipsis quidem Apostolis hanc potestatem concessam fuisse. Sunt ergo architecti eorum similes, qui pretiosum illum lapidem, Christum, reijciendo, fidem & religionem omnem euerterunt.

Arrogantiæ suspicionem declinat.

At ne propter hoc quoque dictum insolentiorem dicerent Paulum, mox subijcit: Ne videar ceu perterrefacere vos per epistolas, &c. Est hæc quoque oratio ecliptica, quam ita supplere poteris: Sed nolo de mea potestate plura dicere, ne aduersarijs nouam calũniandi occasionẽ præbeã. Scio enim quid de me quidam dicat: Epistolæ quidẽ graues sunt & validæ: sed præsentia corporis infirma est, & sermo nihili. Quibus verbis certum quendam perstringit, qui aliorum antesignanus erat. Et talem quendam fuisse apparet ex ijs, quæ de eodem infra dicet: Si is qui venit alium

alium IESVM *prædicet, quem non prædicauimus, &c. Solebant autem isti omnis de ea Pauli præsentia contemptius loqui, qua cum ipsis fuerat, cùm Corinthi primùm prædicaret. Et erat hoc peruersißimi iudicij argumentum, quòd humile illud & contemptibile vitæ genus ipsi vitio verterent, quod non alia de causa secutus erat, quàm vt eorum saluti consuleret. Solent hoc ipsum hodie multi facere, qui Verbi administros propter ea contemnunt, quæ illi propter ipsos patiuntur & ferunt.*

Porrò calumniam istam Paulus grauiter excipit & confutat, dicens: Hoc cogitet qui istiusmodi est, quòd quales sumus verbo per epistolas cùm absumus, tales etiam fore reipsa cùm aderimus. Sibijpsi applicat, quod prius in genere de communi omnium Apostolorum functione dixit. Per Verbum autem doctrinam & correptiones intelligit, quas literis comprehensas ad illos miserat, & sensus huius loci est, quòd reipsa declarare velit, se non inanibus minis aduersus ipsos tonuisse, sed ita cum ipsis acturum esse vbi venerit, vt se Christi virtute instructum esse sensuri sint. *Minarum suarum veritatem asserit.*

Quo loco admonemur, ministros Ecclesiæ constantiam & grauitatem decere, vt sibijpsis semper similes sint. Ab hac certè Ioannem Baptistam Christus ipse commendauit. Talem quoque Eliam fuisse legimus, quem ne Regis quidem ferocißimi conspectus terrere potuit, vt in doctrina semel ex Dei mandato tradita aliquid mutaret. Quod ipsum de omnibus etiam alijs Prophetis dici potest. Et Apostolos constantißimos fuisse, Lucas in Actis perhibet, adeò vt Senatui coràm in faciem dicerent, Deo magis quàm hominibus esse obtemperandum. Quod autem de Verbi administris dicitur, hoc ijs quoque plus quàm necessarium est, quibus Reipub. gubernacula commissa sunt. Nihil enim illic turpius, nihil nocentius est leuitate aut temeraria bonarum legum mutatione. Quæ enim potest magistratuum esse authoritas, si hanc eo vitio ipsi prostituant, quod in priuatis hominibus omnes boni detestantur? Debet ergo hæc admonitio ad omnis loci & ordinis homines extendi, & vt eam omnes meditentur necesse est, eò quòd leuitate & inconstantia vbique peccatur. In religione, qua nihil nobis augustius, nihil sanctius esse debebat, plerorumque animi cum fortuna mutantur. Idem in amicitijs fieri solet, quas vulgus ferè vtilitate metitur. In contractibus quoque fides rara est, eò quòd lucro plerique ducuntur, neque magnam æqui, & honesti rationem habent. Hinc verò lites nascuntur, & horribilis rerum omnium confusio, quæ nihil certum & inuiolatum esse sinit. *Ministros constantia & grauitas decet.*

Est præterea obseruandum, Apostolos coràm non alia docuisse in Ecclesijs, quàm quæ scriptis suis complexi sunt. Est ergo detestabilis eorum vanitas, qui sub illorum nomine traditiones & nescio quos Canones nobis obtrudere audent, qui cum eorum scriptis prorsus pugnant. At ne quid huius fieret, doctrinam Euangelij & quæcunque ad Ecclesiæ œconomiam faciunt, Spiritus sanctus non solùm viua voce ab eis tradi, verumetiam scriptis mandari voluit. Ad ea ergo examinemus quæcunque alij proferunt, & in illis loquentem audiamus Dei Filium, IESVM CHRISTVM, *qui Via est, Lux & Veritas. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.* *Contra fictos Apostolorum Canones.*

HOMILIA XLV.

Non enim audemus nos inserere aut conferre cum quibusdam, qui seipsos commendant: sed non intelligunt quòd ipsi sese seipsis metiuntur, & sese sibijpsis comparant. At nos non gloriabimur de ijs, quæ mensuræ nostræ non sint, sed secundùm mensuram regulæ, quam Deus nobis partitus est, vt ad vos vsque peruenerimus. Non enim vt si non vsque ad vos peruenerimus, nosipsos supra modum extendimus. Nam vsque ad vos etiam peruenimus in Euangelio Christi: Non de ijs quæ non sunt nostræ mensuræ gloriantes in alienis laboribus: sed sperantes, quòd augescente fide vestra nos in vobis abundanter magnificandos fore secundùm nostram mensuram: Vt in locis quæ vltra vos sunt euangelizem: non

vt in aliena mensura de præparatis gloriemur. Cæterùm qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat.

QVemadmodum Deus, qui homines vult saluos fieri & in Veritatis cognitionem peruenire, fidos Verbi sui præcones excitat, qui Veritatis & salutis æternæ doctrinam longè lateq; diuulgent: Ita Satan totus in eo est, vt fructum Verbi Dei impediat, ideoq; paßim organa sua submittit, vt zizania aspergant, & quæ bene ædificata sunt destruant. Factū hoc apud Corinthios quoq;. Nā Paulo inde digresso, obrepsērūt homines ambitiosi & inquieti, qui omnia turbarūt, quæ ille per saniorem Euangelij doctrinam rectè constituerat. Quare priorem ad illos epistolā dedit, qua acriter eos corripuit. Hi ergo vt imperium in illa Ecclesia retinere possent, & Paulum omnibus exosum facerent, vndique conuitiandi & calumniandi materiam venabantur. Inter alia autem vanum & ambitiosum ardelionem esse dicebant, qui absens epistolis minacibus fulminaret, præsens autem nihil auderet contra eos qui se ipsi opponerent. His respondit nuper, quòd non alius sit in literis, quàm præsens corâm, neq; alia scribat, quàm quæ in faciem ipsis dicturus sit, si ita res postulet. Id nunc diligentius explicat.

Iactantiæ crimen diluit.

Principiò vanitatis crimen declinat, & ostendit, se nequaquam esse ex eorum numero, qui virtutes suas verbis magnificis iactent, cùm re ipsa nihil præstent laude dignum, nec etiam præstare poßint. Sic autem loquitur: Non enim audemus nos inserere aut conferre cum quibusdam, qui seipsos commendant, &c. Audendi verbo vtitur, partim vt æmulorum suorum vanißimam & inconsultam temeritatem perstringat, partim vt huic suam opponat modestiam. Alioquin non tam pusillanimis erat Apostolus, vt ardelionum & Thrasonum istorum congressum expauesceret, qui præter inanem verborum apparatum nihil afferebant: Sed suæ modestiæ & officij memor, nefas ducebat talibus associari aut similem fieri. Habent ergo verba ista sanctam Ironiam, perinde ac si quis vir honestus & verè diues, qui intra honestatis & temperantiæ metas sese continet, interrogatus, cur non prodigos aliquos & ambitiosos imitetur, qui cùm vix modicas opes habeant, eas tamen superbè ostentant, & effractis legum omnium repagulis easdem luxu ambitioso & effræni dilapidant? respondeat: Ego non ausim me illis inserere tam opulentis & magnificis, qui se tantis sumptibus perpetuò sufficere posse putant, atq; opum suarū thesauros inexhaustos esse sibi persuaserunt, &c. Eodem planè sensu Paulus hîc loquitur, & quæ æmuli eius scurrili dicacitate contra ipsum eiaculabantur, ea ipse facetè quidem, sed non sine salis Apostolici acrimonia in illos retorquet. Propositum illis erat, ipsius authoritatem eleuare, & omnibus contemptum facere. Ideo eum nihil præter epistolas habere dicebant, quibus acerbißimas correptiones & terribiles minas spiraret, non audere autem eum cum aliquo corâm congredi. Imò nihil eius præsentia abiectius, nihil eiusdem sermone elumbius esse. Istud autem illi exprobrando sibijpsis grauitatem verè Apostolicam tribuebant, qui omnibus corâm in faciem resistere auderent, simulq; suas victorias atque triumphos plenis buccis decantabant. Hanc ergo illorum leuitatem, quæ durius castigari merebatur, Paulus cum sancta suæ authoritatis fiducia deridens, ait: Ego sanè non ausim me inserere gigantibus istis, multò minus autem me conferre aut similem dicere ausim tantis heroibus, qui iampridem totum orbem terrarum debellauerunt. Nam ego meæ mihi tenuitatis probè conscius, meo me pede metior. Simul autem quàm ridiculi sint illi docet: Seipsos commendant, inquit. Vno verbo leuitatem eorum turpißimam perstringit. Sordet enim laus propria, & vulgo suspecti sunt ambitiosuli suarum virtutum ebuccinatores. Addit tamen stupidam ignorantiam, qua seipsos fallant, dicens: Sed ipsi non intelligunt, quòd ipsi sese seipsis metiuntur, & sese sibijpsis comparant. Sensus est: Volunt isti omnium hominum eruditißimi & sapientißimi videri, sed ne hoc quidem intelligunt quod vulgo notum est: stultè nimirum & ridiculè eos facere, qui se seipsis metiuntur, & sese sibijpsis comparant. Qui enim aliquid metiri volunt, ijs mensura certa opus est. At illi nulla alia adhibita seipsis suas virtutes metiuntur. Et vt hoc rectius intelligatur, per Expositionem addit: Sese sibijpsis comparant, id est, non respiciunt ad alios, qui donis pluribus instructi sunt, & qui plus quàm ipsi in propagando Christi Regno laborauerunt: sed suis modò intenti, illa extollunt & magni-

& magnificè prædicant. Id verò perinde est, ac si quis pigmæus aut Therſite deformior, de ſui corporis ſtatura aut forma gloriari volens, ſe ſolum intueatur, non autem alios ſpectet, qui ipſo prociores & formoſiores ſunt. Quis verò talem non dicat riſu dignum? quis non vecordem & plus quàm ſtultum eſſe pronuntiet? Quid verò mei illi æmuli aliud faciunt? Quòd ſi ijdem in germanos Christi Apoſtolos reſpicerent, & cum horum laboribus ſuum otium & ignauiam, cumq́ eorundem modeſtia ſuam arrogantiam conferrent, mox viderent quàm nulli ſint, & procul dubio ſuipſius eos puderet.

Obſeruabis autem hìc commune vitium notari, quo vix aliud Eccleſiæ & Reipub. nocentius est: Ambitionem nimirum, qua alij ſe alijs præferunt, vt qui ſoli ſapiant, & proinde ſoli excellere & regnare debeant. Qui eo laborant, ij ferè ſe meliores contemnunt & deprimunt, & vt ipſi emineant, ſanioribus quoq́ conſilijs obſtant: Vel ſaltem ſua inſolentia ſapientiores eò adducunt, vt ſponte illis locum cedant, & ipſi à publicis negotijs abſtineant. Exempla ſunt paßim in hiſtorijs obuia, quæ docent, quàm graues turbas ſæpe tales in Repub. excitarint, & in quanta pericula patriam communem adduxerint. Procul ergo arceri debent, & ſi nihil aliud accedat, cordatis omnibus ſuſpecti eſſe debent, quicunq́ hac tam confidenti ambitione laborant. Ambitio malū nocentißimū.

At ſimul cauſam huius mali intueri proderit, quò facilius illud poßimus euitare. Ea est, quòd plerique ſe ſolos ſpectant atque mirantur, neque cum ſuis donis aliorum dona aut merita conferunt, qui plus ipſis laborauerunt. Fit ergo vt propria philautia excæcati ſe ſolos admirentur atque ſuſpiciant, de omnibus autem alijs contemptißimè iudicent. Accedunt deinde adulatores, vaniſsimum & turpißimum hominum genus, & viliſsima ventris mancipia, qui plus ſatis ſuperbientes magis inebriant, & inſolentiores reddunt. Et tales omnino erant ſcioli illi Corinthiorum, quos inanis ſcientiæ fiducia & inutilis docendi facultas eò vſque extollebat, vt quoſuis alios præ ſe contemnerent. Tales in Repub. fuerunt Alcybiades, Marius, Sylla, Iulius, quorum ambitio Leges & libertatem publicam euertit. Tales hodie ſunt Monachi, & qui in pulueribus ſcholaſticis conſeneſcunt, nec vnquam in theatrum Eccleſiæ deſcenderunt, vt propius cum apertis fidei hoſtibus, aut cum ſceleratis publicorum ſcandalorum authoribus congrederentur. Quibus etiam nonnulli meritò adnumerari debent, qui etiamſi in Eccleſiæ miniſterio conſtituti ſint, tamen cùm αὐτοδίδακτοι ſint, ſe ſolos ſapere ſibijpſis perſuadent, & proinde neminem alium audire, nullius alterius ſcripta legere, neque ſe præſtantiorum labores inſpicere dignantur. Iſti omnes ſeſe ſeipſis metiuntur, ſeque non niſi ſibijpſis comparant, & proinde in ſua ſuperbia non minus pernitioſa quàm ſtulta indies cum publico multorum detrimento proficiunt atque confirmantur. Et vt ad inferiores quoque hominum gradus deſcendamus, horum ſimiles ſunt, qui opum ſuarum fiducia elati, eas ambitioſè oſtentant. Nam hi quoque dum non reſpiciunt in aliorum fortunas & mores, qui cùm ipſis multò opulentiores ſint, modeſtius tamen de ſeipſis ſentiunt, theſauros ſe inexhauſtos poßidere ſibijpſis perſuadent, & proinde immodico & petulanti luxu ſeipſos ad egeſtatem redigunt. Ambitionis cauſa & origo

Itaq́ communis horum omnium pœna est, quòd ſuam ſtultitiam produnt, ſeq́ ipſos ridiculos faciunt, vt olim ſimia, quæ ſuos catulos aliorum animalium catulis præferendo ſeſe omnium riſui expoſuit. Vel potius aſini Cumani ſimiles, vt [illegible] leoninam induant, aures tamen tegere non poſſunt, quibus tandem deprehenſis fabula fiunt ijs, qui ipſos prius admirabantur. Itaque tales dum ſupra omnes eminere volunt, ignominiam ſibijpſis indelebilem accerſunt. Diſcant ergo ſinguli, quando de ſeipſis iudicare volunt, eam menſuram ſiue regulam ſibijpſis adhibere, quam in Scripturis Spiritus ſanctus vnicuique pro ſuæ vocationis aut functionis ratione præſcribit: & primo quidem ad hanc ſeipſos & facta ſua diligenter examinent: deinde verò aliorum quoque labores & egregia opera intueantur. Ita mox videbunt, quàm multum adhuc ipſis deſit, & quam exiguam habeant de ſuis virtutibus gloriandi materiam. Pœna ambitioſorum.

Sed ad Paulum redeamus, qui vanæ & ſtultæ aduerſariorum ſuorum iactantiæ ſuam modeſtiam opponit, & omnia ea abs ſe remouet, quæ ipſum eiuſdem culpæ reum facere poterant. At nos (inquit) non gloriabimur εἰς τὰ ἄμετρα, id est, in immenſum, vel de ijs, quæ nobis Deus non admenſus est. ἄμετρα enim propriè dicuntur quæ immenſa ſunt, aut quæ nemo metiri potest. Itaque εἰς τὰ ἄμετρα gloriari dicuntur, qui quæ non habent, neque vnquam aſſecuti ſunt, iactant, adeoque Paulus ſuam modeſtiam ambitioni æmulorum opponit.

quæ solius Dei sunt sibijpsis arroganter tribuunt: quod hodie nimis insolenter faciunt Pontifices, dum se Christi in terris vicarios esse, & omnem potestatem in cœlo & in terra habere arroganter iactant. Quia tamen æmuli Pauli non eò vsque insolentiæ progreßi erant, nihil huius vult dicere, sed præsentis loci argumento insistens, eorum calumniam confutat, qui ipsum falsò gloriari dicebant de ijs, quæ per ipsum non essent confecta. Etenim vt ex contextu colligere licet, conuersæ etiam Corinthi laudem ipsi eripere conabantur. Dicit ergo: At nos non gloriabimur de ijs, quæ non sint nostræ mensuræ; sed secundùm mensuram regulæ, quam Deus nobis partitus est, vt ad vos vsque peruenerimus, &c. Quibus verbis hoc dicere videtur: Si non ad vos vsque peruenissem, poteram dici gloriari supra mensuram mihi à Deo aßignatam, & proinde istorum similis censeri, qui quæ nunquam fecerunt, insolentius iactant. At non vt si non ad vos vsque peruenerimus, nosipsos supra modum extendimus, id est, laborum nostrorum narrationem non extendimus ad ea, quæ per nos non confecta sunt, quando de vobis ad fidem Christi conuersis gloriamur. Nam negari hoc non potest, me vsque ad vos peruenisse in Euangelio Christi, id est, ministerio nostro, quo Euangelium Christi prædicamus. Quis enim ante me vobis prædicauit? Annon ego vos in CHRISTO IESV *genui, vt qui prius à Deo alieni in superstitionibus vanißimis & omni scelerum genere volutabamini, nunc Christi Ecclesia & filij Dei sitis? Iure ergo de vobis glorior, neq; ijs accenseri mereor, qui sibi plus æquo tribuunt: cùm ego intra mensuram regulæ, id est, iustam siue regularem dimensionem eius mensuræ me contineam, quam mihi Deus partitus est. Mensuræ autem vocabulo intelligit eam partem orbis terrarum, quam Deus ipsi aßignauerat, vt per eius ministerium Euangelij doctrina illuminaretur. Ita verò ista de seipso dicit, vt rursus æmulorum suorum iactantiam perstringat, qui longinquis peregrinationibus gloriabantur, & vt ambitiosi imperatores solent gentes abs se deuictas magnificis verbis enumerabant, cùm tamen Ecclesias nullas (vt alibi diximus) ipsi constituissent, sed ab alijs constitutas turbarent.*

Deus singulis suam mensurã aßignat.

Est autem hîc obseruatu dignum, quòd certæ mensuræ meminit, qua Deus sui apostolatus fines aut limites ipsi aßignauerit. Ita enim solet ille, qui certa quoque discrimina donorum & ministeriorum constituit inter seruos suos, & vniuscuiusque opera pro facultatum, quas singulis dedit, ratione vtitur. Neque tamen in his affectui indulget, sed dimensione regulari, id est, legitima & iusta vtitur. Debent ergo intra huius fines singuli sese continere, & quam ipsis Deus partitus est prouinciam ornare. Qui hoc faciunt, ij reuera Regulares siue Canonici sunt. Gloriantur hoc titulo hodie multi ex Monachis & Ecclesiarum, quas Cathedrales vocant, præsulibus. At si eorum mores & facta inspicias, prorsus Irregulares esse videbis. Nam canum instar in præsepi non modò nihil faciunt eorum, quæ ad Ecclesiæ ministerium pertinent, sed ne alios quidem hoc obire patiuntur. Adhæc omnes pietatis & honestatis leges, imò sensus quoque communis regulam transgreßi, vitam omnem in luxu & libidine transigunt: taceo nunc tyrannidem, qua in Christi fideles crudeliter grassantur.

Peregrinationes Apostolorum quales fuerint?

Deinde obseruabis, quòd Paulus se cum Euangelio Christi Corinthum venisse scribit. Non ergo otiosis aut curiosis atque inutilibus peregrinationibus vacauerunt Apostoli, sed cum Euangelij prædicatione orbem terrarum circumierunt, qua aut conuertebant eos, qui à Dei veri cognitione & fide adhuc alieni erant, aut iam ante conuersis donum aliquod spirituale impertiebantur (vt ad Romanos scribitur) quo eos in fide confirmarent. Horum igitur exemplo confutantur primùm homines superstitiosi, qui religionis ergô peregrinationes suscipiũt, & gratiam Dei vnà cum merito Christi certis locis alligant. Est hæc vetus superstitio, quæ D. Hieronymi seculo eò vsque excreuerat, vt eam grauiter reprehenderit, & Nepotianum immodico terræ Sanctæ desiderio flagrantem absterruerit. Pugnat enim cum Christi verbis, qui locorum discrimina sustulit, & veros adoratores preces suas non certis locis astringere, sed Deum vbique in spiritu & veritate adorare dicit. (Ioan. 4.) *Deinde arguit exemplum Pauli eos, qui immodica & ambitiosa curiositate extimulati hinc inde vagantur, neque suarum Ecclesiarum finibus contenti, peregrinis Ecclesijs atque Scholis negotium faciunt, & cùm paßim turbas dent, tamen quasi re bene gesta peregrinationum suarum historiam non sine aliorum ignominia & contemptu diuulgant. Sunt hi nocentißimi homines, & grauißimorum dißidiorum authores, ideoq; omnibus seculis malè audierunt. Et extat vetus*

Canon,

Canon, quo olim sancitum fuit, ne quis Episcopus ab Ecclesia sua in aliam transferretur, néue quis in aliena Ecclesia sibi aliquod ius sumeret. Et scimus eo nomine Epiphanium à Chrysostomo grauiter reprehensum fuisse.

Paulus non inuasit labores alienos.

Cæterùm quia sciebat Paulus nullam defensionem inuidis & malitiosis sufficere, amplius illustrat quod dixit. Non de ijs quæ non sunt nostræ mensuræ gloriantes in alienis laboribus. Pertinet ad huius explicationem quod ad Romanos scribit, sibi hoc propositum esse vt Euangelium in ijs locis prædicet, vbi Christi nomen nondum auditum sit, ne super alienum fundamentum ædificet. Fuit hoc studium omnibus Apostolis commune. Rursus autem pseudoapostolos perstringit, qui in alienos labores falcem mittebant, & ab alijs constitutas Ecclesias (vt ante quoque diximus) turbabant. Vbi discimus, neminem debere aliorum laudem sibi vendicare. Si enim nemini licet de ijs, quæ ipse fecit, ambitiosè gloriari, multò minus ex aliorum laboribus gloria quæri debet. Faciunt hoc ignaui milites, qui cùm nunquam non arma, pugnas & victorias in ore habeant, ferè seipsos risui exponunt, si quid cum periculo aggredi oportet. In Repub. autem & Ecclesia ambitio ista simultates noxias parit, neque ex ea alium fructum metunt superbi illi alienæ virtutis ostentatores, quàm quòd corniculæ Æsopicæ instar omnibus ludibrium fiunt, vt qui alienis plumis sese venditarint. Rom. 15.

Paulus semper paratus fuit ad propagandum fidem Christi.

At quia nuper dixerat, Deum sibi sui ministerij mensuram ad Corinthios vsq; extendisse, obijceret aliquis: Ergo nunc cursum tuum absoluisti Paule, & num tibijpsi ferias indices? huic etiam obiectioni occurrens, se adhuc ad omne obsequium Christi paratum esse dicit, vt qui speret, Deum sibi funiculum suum longius extensurum esse. Speramus (inquit) quòd augescente fide vestra, nos in vobis abundè magnificandos fore secundùm nostram mensurã: vt in locis quæ vltra vos sunt euangelizem, &c. Idem dicit quod ad Romanos, quem locum supra adduximus. Quia autem hoc totum in Dei manu erat, cuius arcanum consilium ipse ignorabat, non confidenter de suo instituto pronuntiat, sed Sperandi verbo vtitur, vt se totum à Dei prouidentia pendere ostendat. Interim hoc tunc futurum ait, quando Corinthiorum fides aucta magisq; confirmata fuerit. Non quòd aliarum gentium fides atq; salus ab illorum profectu penderet, sed quòd ipse vlterius progredi non posset, quoad ipsos videbat adhuc sua cura & ministerio opus habere. Ita verò ipsos grauiter accusat, qui suis dissidijs & vitijs varijs regni Dei propagationem hucusq; impedierint.

Christiani suo profectu Euangelium propagent ad alios.

Potest hoc ipsum hodie multis obijci, qui scurriliter quærunt: Si verum & germanum est Euangelium, quod vos prædicatis, cur non omnes ei credunt? cur plures illud auersantur atq; fastidiunt? Responderi (inquam) his potest: Quia vos ex illo minus hucusq; profecisse vident, & vestris moribus offenduntur, quos sub Euangelij prætextu effrænem quiduis designandi licentiam quærere conspicantur. Etenim si fidem vestram crescere & eius fructus meliores viderent, amplior esset Euangelij ad ipsos propagandi occasio. Hîc ergo officij sui admonentur omnes, quos Deus Verbi sui doctrina illuminare dignatus est: Nimirum, vt eandem ad alios quoq; propagari curent. Postulat hoc Dei gloria, ad quam initiò creati sumus, vt iam de redemptione per Christum facta nihil dicam, qui nos sibi acquisiuit, vt eius laudes prædicemus, qui nos ex tenebris transtulit in lucem suam admirabilem. De eodem etiam nos Orationis Dominicæ ordo admonet, cuius primæ petitio est, vt Dei nomen in nobis sanctificetur: Altera, vt regnum ipsius adueniat: Tertia, vt voluntas eius in terris fiat, perinde vt in cœlo. Iubet idem Lex charitatis, quam proximo debemus, & quam nunquam præstabimus, nisi de illo ad Christum & salutis æternæ hæreditatem adducendo soliciti simus. Est ergo hoc ingens & multiplex scelus, si malo nostro exemplo regni Dei cursum remoremur, & multis alijs simus perditionis authores. 1. Pet. 2.

In Domino gloriandum.

Sed concludit locum hunc Apostolus, dicens: Cæterùm qui gloriatur, in Domino glorietur. Quasi diceret: Quid multis opus est? si cui libet gloriari, curet in Domino glorietur. Est autem in Domino gloriari, hunc omnium quæ habes authorem agnoscere, & ad eius gratiam omnia referre: Item, illius iudicio acquiescere, & pro nihilo ducere aliorum de nobis iudicia, modò de illius erga nos voluntate & studio certi simus. Et postremum hoc huius loci argumento propriè conuenit. Nam huius admonitiunculæ hanc rationem adducit Paulus: Non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat. Seipsum commendat, qui sibi omnia tribuit. At

1.Cor.4. idem illa ipsa detrabit Deo, quod sacrilegium est nulla venia dignum. Quid enim habes, quod non accepisti? Deinde qui seipsos commendant, non possunt non suo iudicio falli, propter philautiam, qua excæcati non vident quàm multum adhuc ipsis desit. Quòd si verò hominibus probari cupias, non minus falleris: quia illi quoque errare possunt, vel ignorantia, vel prauo aliquo affectu decepti. Solus Deus non fallitur, vt qui corda & renes hominum inspicit: neque aliquem fallit ipse, cùm ipsissima sit Veritas.

Gloriam parandi ratio vera.

Docet igitur hic locus, quæ vera & certa sit gloriam consequendi ratio? Ea nimirum, vt nos Dei iudicio approbemus. At is eos probat & honore dignos iudicat, qui ipsius gloriam prouehere student. Honorantes me (per Prophetam ait) honorabo. Et sola stabilis atque solida est gloria, qua nos ille dignatur. Mundi & carnis gloria omnis inanis & euanida est. Hæc ergo ad se transferant omnis loci & ordinis homines, neque multùm morentur huius mundi iudicia, qui totus in malo iacet, & non nisi sui similibus delectatur. Peribit ille tandem & sempiterna ignominia mulctabitur. At qui Deo probati fuerint, hi æternum viuent, & corona iustitiæ olim donabuntur in magno illo die, quo ad iudicium veniet Dominus noster, IESVS CHRISTVS, vt digna suis seruis præmia retribuat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT XI.

HOMILIA XLVI.

VTinam toleraretis paulisper insipientiam meam: imò etiam tolerate me. Ambio enim vos Dei zelotypia. Præparaui enim vos vni viro virginem puram sistere, nempe Christo. Sed metuo ne quo modo, sicut serpens ille Euam seduxit calliditate sua: ita mentes vestræ corruptæ degenerent à simplicitate, quæ est in Christo.

QVONIAM mundus hic verum de fide & cultu Dei doctrinam non potest rationibus idoneis euertere, ipsos doctores omni calumniarum genere petit, vt in horum persona illam suspectam & inuisam reddat. Factum hoc est omnibus seculis, sicuti veterum Prophetarum & Apostolorum exempla testantur. Et hæc causa est, quòd ijdem de sua functione toties disserunt: quod inter Apostolos Paulum præ alijs fecisse videmus: quia huic magis quàm alijs Satan infensus fuit, quòd regnum suum ab illo inter gentes mirifico cum successu euerti videret. Licet ergo hucusque multa pro se dixisset, quia tamen Corinthiorum animos pseudoapostolorum mendacijs atque splendore fascinatos esse sentiebat, vt de ipso vix possent honorificè sentire, hoc Cap. plenis (quod dici solet) velis in eos inuehitur, & illos si secum conferantur, omnino nullos esse demonstrat. Ne tamen æmuli eius, ex eo nouam arriperent calumniandi occasionem, initio statim diligenti & artificiosa insinuatione animos eorum sibi conciliat.

Beneuolentiæ captatio.

Nam à voto orditur cum euidenti & pathetica beneuolentiæ suæ erga ipsos significatione: vt intelligant ipsum de re magni momenti acturum, ex qua omnis ipsorum salus pendeat: Vtinam toleraretis paulisper insipientiam meam, imò etiam tolerate me. Insipientiam dicit suam laudum prædicationem, quam instituebat. Vulgò enim inter viros cordatos & graues parum prudens habetur, qui seipsum commendat. Habent ergo verba hæc Concessionis speciem. Quasi diceret: Scio equidem me nonnullis rursus posse insipientem videri, si iterum in mei ministerij & rerum abs me gestarum commendationem digrediar. Sed vtinam feratis paulisper hanc meam insipientiam, & vt id faciatis quæso vos: quando vt ista dicam non tam mea quàm vestra interest.

Insipientiam dicit suiipsius commendationem.

Est autem hîc obseruatu dignum, quòd iustam & necessariam ministerij sui & suæ fidei atque industriæ commendationem, insipientiam dicit. Eo enim primùm testatur, se nihil propriæ laudis vel glo-

vel gloriæ studio dicere, vt qui facilè intelligat, ad se nihil quàm insipientis titulum redire posse. Deinde simul ambitiosos illos iactatores perstringit, vt discant, quales ipsi quoque censeantur ab omnibus cordatis, dum sese ostentant, & virtutes suas tam magnificè prædicant, in quibus nihil in sit solidum & laude aliqua dignum. Insipientis enim est de ijs, quæ cum magna laude fecimus, vel insolentius, vel absq; graui & necessaria causa gloriari. Quis ergo non impudentes quoque dixerit eos, qui falsa laudum suarum prædicatione sese omnibus ridiculos præbent? Quo igitur loco haberi debent, qui cùm virtutes in se nullas habeant, insuper vitia quoq; sibijpsis affingunt, dum sua stupra, cædes, rapinas, imposturas, & alia his nequiora iactant? Est vanitas ista vulgaris admodum apud senes, de quibus verissimè illud dixeris: Nequitia est, quæ vos non sinit esse senes. Cùm verò huius turpitudinem gentium poëtæ obseruare potuerint, quantò magis illam abominari debent Christiani homines, quorum dicta factaq; omnia salem illum Euangelicum spirare debent?

Porrò, quod à Corinthijs petit Paulus, id omnes eos decet, qui loco inferiori sunt: vt nimirum quoad eius fieri potest, patienter ferant eos, qui ex Dei instituto aliquod in ipsos ius habent. Tales sunt parentes, quibus natura in filios imperium concessit, quod Deus suis legibus confirmauit, idque tanta cum seueritate, vt capitis supplicium illis decernat, qui parentibus maledixerint. Etsi ergo illi interdum vel per ignorantiam errent, vel propter ætatem delirent, aut etiam æquo morosiores sint, liberorum tamen fuerit, eos patienter ferre: & tunc eis in mentem veniat, quanta in ipsos indulgentia illi vsi sint, quàm patienter ipsorum insipientiam tulerint, quantum fastidij, laboris & molestiæ deuorauerint, vt ipsos possent euehere. Idem de ijs sentiendum, qui magistratus gerunt. Non possunt hi semper videre quid facto opus sit, & sæpe grauibus causis impediuntur, vt quod maximè vellent, non posint effectum dare. Tunc ergo in meliorem partem interpretentur omnia subditi, neque bene meritis de Repub. nouam molestiam sua importunitate exhibeant. Eadem est ministrorum Ecclesiæ conditio, qui etiam ipsi patrum loco sunt, vt alibi est dictum. At hîc simul diligenter cauendum est, ne facilitas illa adhibeatur in ferendis manifestis erroribus circa fidem & religionem: quod hodie à nobis petere audent Pontifices, vt nimirum tunc quoque à nemine reprehendantur, quando officij sui immemores, insuper animas hominum cateruatim secum ad inferos abripiunt. Sunt hæc intolerabilia auditu Christianis hominibus. Ferenda quidem sunt multa in fidis pastoribus: at si qui doctrinam Verbi Dei corrumpunt, cultus falsos instituunt, à salutis via populum abducunt, Ecclesiam in sectas scindunt, & Rempub. perniciosè turbant, ij nullo modo ferri debent: sed in eos illud Apostoli torqueri debet: Vtinam abscindantur, qui vos inquietant. Gal. 5.

Ferendi sunt, qui in nos ius habent.

Cæterum causam addicit Paulus, cur ipsum ferre debeant. Ambio enim vos Dei zelotypia, &c. Id est, Quicquid facio, non mei honoris aut quæstus causa facio, vel vt mihi imperium inter vos vendicem, sed diuino zelo motus, quo vtor, vt vobis consulam. Differunt enim inter se (vt Chrysostomus annotauit) zelus Dei & hominum. Zelus autem siue zelotypia ex amore nimio nascitur, & propriè de coniugibus dicitur. Plerunque autem qui ea vtuntur, ij sua quærunt, vt nimirum eos quos amant sibi solis vendicent, & proinde riualem aut socium non possunt ferre. Sed aliter Deus, qui licet se quoque zelotypum esse testetur, & nos sibi soli consecratos velit, id tamen non propter seipsum facit (quid enim commodi ex nobis ad illum redire potest?) sed propter nos: vt nimirum nos seruet, qui nisi ipsi totis animis coniuncti simus, salui esse non possumus. Eo igitur affectu Paulus se Corinthios prosequi ait, ne ex eorum numero esse videatur, qui non nisi suis commodis studebant: vt nimirum ipsi in honore essent, opulenti fierent, & vitam viuerent securam: eorum similes, qui in gentium Ecclesijs Circumcisionem ideo vrgebant, vt in pretio haberentur, amicos sibi pararent, & persecutionem subterfugerent, quam Iudæi passim mouebant ijs, qui solam fidem in Christum prædicabant. Vide Galat. 5. & 6.

Suum pro illis zelũ testatur.

Admonet autem Paulus suo exemplo omnes Ecclesiarum ministros, quis in ipsis affectus esse, quis item eis omnium suorum studiorum, consiliorum & actionum finis propositus esse debeat. Ament suæ fidei creditas Ecclesias, & ita quidem, vt earum zelo quoque vtantur. Nisi enim id fiat, nunquam satis fidi erunt, sed laboribus, periculis & ingratitudini atque iniurijs multorum facilè succumbent. Neque tamen zelus ille apud eos locum habebit, nisi IESVM CHRI-

Quis ministris affectus & scopus esse debeat.

Ioan.21. STVM ex toto corde diligant, qui sponsam atque oues suas ipsis committere dignatus est. Ideo ille, cùm Petrum suo loco restituere vellet, ter eum num se diligeret, interrogauit. Finis autem zeli istius sit totius Ecclesiæ ædificatio & singulorum salus. Talibus animis olim Prophetæ & Apostoli præditi fuerunt, quos nulli vel labores vel pericula flectere potuerunt, vt sibi à Deo mandatam stationem desererent.

Causam zeli sui indicat.

At zelotypiæ suæ rationem quoq; reddit Paulus. Nam diceret aliquis: Quid verò necesse est, vt tu nos ambias, & zelo tanto propter nos vraris? Quid enim ad te qui & quales simus, aut quid de nobis fiat? Ita enim solent multi iniqui & ingrati ministerij Ecclesiastici æstimatores, qui à nemine admoneri aut coërceri volunt. His ergo vt respondeat, Paulus ait: Præparaui enim vos vni viro virginem puram sistere, nempe Christo. Proci personam suscipit, sed talis, qui non sibiipsi, sed alteri ambit Virginis alicuius nuptias. In eo fides potißimùm requiritur, vt amici causam perinde vt suam agat, neq; aliquod studium aut diligentiam intermittat. Dicit ergo: Quia me æternus Dei Filius isto honore dignatus est, vt eius nomine procum agam, nõ potero ei satis fidelis censeri, nisi ipsius affectum induam: qui cùm Ecclesiæ suæ amantißimus sit, & seipsum pro illa in mortem tradiderit, minimè decet vt eius causam apud vos remißius aut frigidius agã. Et quia idem ille sponsam suam castam, vel puram potius & incorruptam esse vult, ea etiam mihi cura potißimùm incumbit, ne fides qua illi obstricti esse debetis, aliqua ex parte in vobis labefactetur.

Deus nos sibi despondit.

Continet autem parabola hæc totum CHRISTI IESV & Ecclesiæ eius mysterium, ex quo omnis salus nostra dependet. Hæc in eo consistit, vt Deo cõciliemur atq; vniamur, qui vnus & solus omnium bonorum atq; veræ felicitatis fons est. At natura ab eo alieni sumus, & omnibus hominibus seruit, quod de gentibus Paulus scribit ad Ephesios, quòd nimirum filij iræ & Dei expertes fuerint. Accessit tamen insuper manifesta defectio à Deo, qualis apud Ezechielem describitur, siue Iudæos siue gentes spectes. At hîc nostri ille misertus, nos sibi conciliauit, imò despondit in Filio suo æterno & sibi consubstantiali: qui in mundum venit, & homo verus factus nos sibi vniuit, vt ipsius iam Sponsa simus, membra nimirum corporis sui, & (quod Adam de Eua sua dicebat) caro ex carne eius & os ex oßibus eius. Sumus ergo eius consortes, & eiusdem cum ipso regni atque beatitudinis participes, adeoq; cohæredes. Hoc enim coniugij ius est, vt sicuti corpora vniuntur, & qui duo erant vna caro fiunt: ita bonorum quoque communio vtrinque fiat, & eandem fortunam, siue lætam siue tristem, vnà ferant. Id verò inter nos & Christum quàm maximè locum habet. Vt enim hic propter nos in mundum venit & nostros labores atque infirmitates in se transtulit: ita nos quoque ad crucem vocat, & eos qui in ea ferenda ipsi conformes fiunt, cælestis etiam regni & gloriæ cohæredes facit, in quam per mortem diram & infamem ingressus est. Quod enim Apostolis dicitur: Vos estis, qui mecum permansistis in tentationibus meis, & ego vobis paciscor, prout mihi pactus est Pater meus Regnum, &c. hoc ipsum ad omnes credentes extendi debet. Nam hoc Filij Dei testamentum est, quod iam mortem aditurus condidit: Volo Pater, vt vbi sum ego, illic etiam sint quos dedisti mihi. Et ne quis hoc ad solos Apostolos restringi debere putaret, prius dixerat: Non pro his solis rogo, verumetiam pro omnibus, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Et huius generis multa in vtriusque Testamenti libris occurrunt, quæ omnia admirabilem & plus quàm paternam Dei bonitatem nobis commendant. Finge enim Regem potentißimum puellæ ignobilis & paupercula nuptias ambire, & eandem regni sui & coronæ consortem facere: quis non istud miraretur? quis principis illius humanitatem & modestiam non prædicaret? Atqui nulla ea esset, si cum eo conferatur quod Deus fecit. Illic enim est naturæ similitudo, & licet puellæ conditio inferior sit, non minus tamen homo est, quàm Rex nobilißimus. Magna item ad amorem conciliandum vis est formæ & virtutis, quæ in pauperrimis sæpe locum habent. At inter Deum & nos nulla neque naturæ neque conditionis similitudo, nihil præterea in nobis fuit amore dignum: quia quanti quanti sumus, corrupti & peccatis polluti sumus, & tales, quales per Ezechielem Dominus describit. Quare totum hoc gratuitæ misericordiæ opus est.

Ephes.2. Ezech.16. Luc.22. Ioan.17.

Deus Verbi ministris, vt procis, vtitur.

At hîc illud quoque consideratu dignum est, quòd Paulus se procum fingit, cui ab ipso Christo hoc negotium datum sit, vt Corinthios ipsi Virginem puram adducat. Tale quid de semetipso

metipso Baptista discipulis suis dixit: Etsi enim Deus solus hoc coniugium perficiat, idque ex gratuito amore, quo nos complexus est, & quo nostra quoque corda sibi conciliat (quis enim, nisi ipse hoc confectum vellet, nos ad tantam dignitatem posset euehere?) idem tamen hominum opera vti dignatur: quod nouum est bonitatis eius argumentum. Inter homines ferè ea insolentia regnat, vt nemo penè nisi coactus se inferiorum ministerio vtatur. At Deus miseros mortales sibi cooperarios & quasi adiutores asciscit in re omnium maxima, qua & gloria eius illustratur, & salus nostra omnis perficitur. Qui verò sunt illi? Verbi sui praecones: per quos nos, qui ab ipso natura alieni sumus, vocat, trahit, regenerat, innouat & sibi conciliat. Ab his ergo requiritur, primùm, vt Christum sponsum Ecclesiae ament. Deinde vt sponsam huic vni adducant, & quidem virginem, nullo falsorum Deorum amore praeoccupatam, aut superstitionibus corruptam. Imò ne sibijpsis quidem illam vendicare cupiant. Hoc enim impostorum est, qui vnicam illam Christi sponsam in sectas distrahunt, vt alibi diximus. Tertiò, vt zelo Dei accensi nihil ferre possint, quo Ecclesiae fides & integritas violetur, aut saltem in suspicionem veniat. Talis olim Moses erat, qui conspecto vitulo aureo, quo Dei iram Israëlitae prouocabant, totus exarsit, & abiectis tabulis Dei digito inscriptis (quibus nihil in terra nobilius & pretiosius vnquam visum fuit) ad vindictam sese accinxit. Similem zelum in Elia & reliquis Prophetis fuisse scimus: vt postea in Apostolis, quibus intolerabilis blasphemia visa fuit, si qui Deo debitos honores voluerunt in ipsos transferre. Qui hîc frigent, nunquam rem facient, & facilè priuati honoris & gloriae studio sese superari patientur. Ioan.3. Ministrorum officia.

Ista verò simul de Ecclesiae & singulorum fidelium officio nos admonent. Praecipuum hic est, vt Virgines sint purae. Virgo dicitur, quae nullum virum experta, & proinde incorrupta est. Castitas latius patet, & vxori quoq; tribuitur, quae fidem coniugalem seruat inuiolatam. Ea igitur conditione nos Christus sibi desponsauit, vt virginitatem ad eum afferamus puram, & eandem ipsi seruemus integram atq; inuiolatam. Magnum mysterium, quod Chrysostomus quoq; hoc loco obseruauit. Quae inter homines nubunt, hae ex virginibus mulieres fiunt. At qui Christo nubunt, ij virgines manent: imò qui non fuerunt virgines, fiunt. Quae autem est illa Virginitas? Ab vno Deo pendere constanti fide per IESVM CHRISTVM, quem ille nobis Mediatorem dedit, illum vnum diligere ex toto corde, colere item & adorare in spiritu & veritate, sicuti ille nobis praecepit. Etenim scortari aut fornicari dicũtur in Scripturis, qui relicto vno vero Deo ad Deos alienos deficiũt, & idola siue simulachra venerantur. Itaq; huc pertinent, quae Deus in foedere cũ Abrahamo facto, in Lege item de se vno diligendo, inuocando & colendo tradit. Et debent singuli sibijpsis applicare, quod in Psalmo canitur: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: obliuiscere populi tui, & domus patris tui, &c. Qui ista praestant, hi sponsa Christi sunt, & Ecclesia illa Catholica, quam in Symbolo profitemur. Cum qua si Romanam conferas, quae titulum hunc sibi soli vendicat, mox videbis, quid de ea iudicari debeat. Quomodo enim Virgo dicetur, quae iam pridem infinitis alijs sui copiam fecit? quae relicto Deo vno, innumeros sibi patronos & auxiliatores accersiuit? quae Christo debitum amorem & honorem in Diuos caelites transtulit? Qua item ratione casta dicetur, quae scortari nunquam desinit? quae ad muta simulachra prosternitur? illa adorat & omni cultus genere prosequitur? cuius mẽbra deniq; Christo quasi abiecto, cui in baptismo nomen dederunt, Franciscani, Dominicani, Benedictini, Bernhardini, Augustiniani, Iacobitae & quid non, potius quàm Christiani dici volunt? Est ergo non Virgo illa pura & Christi sponsa incorrupta, de qua hîc agitur: sed magna illa mater scortationum, quae abrupto Christianae fidei vinculo impudentissimè scortatur in triuijs & compitis & sub omni arbore frondosa (vt Ezechiel loquitur) & cum qua etiam reges terrae scortantur. Vide Apoc.17. Fidelium singulorum officia. Psalm.45.

Caeterùm redit Paulus ad id quod de zelo suo dixerat, & ne praeter causam eo vri videatur, ostendit se periculo ipsis imminenti excitari. Ea enim zelotyporum natura est, vt licet nunquam quiescant, tunc tamen toto corde exardeant atq; turbentur, si quid videant, quod ipsis nõ immeritò suspicionem mouere posit. Id verò sibi nunc accidere testatur, dicens: Nam metuo, ne quo modo sicut serpens ille Euam seduxit calliditate sua: ita mentes vestrae corruptae degenerent à simplicitate, quae est in Christo. Timebat Apostolus, nõn sibi, sed Corinthijs. Et se non praeter causam time- Periculi Corinthios admonet.

re exemplo veteri probat: quando diabolus iam olim cœperit in primis parentibus humani generis saluti insidias struere, neq; ingenium suum ab eo tempore mutarit. Historia extat in Genesi Cap. 3. Et probè cōuenit exemplum istud præsenti argumento, eò quòd primum illud Adami & Euæ coniugium euidentem habuit typum Christi & Ecclesiæ. Etenim vt Adamus prior à Deo creatus & omnis creaturæ dominus siue princeps constitutus fuit: Ita Christus omnis creaturæ primogenitus dicitur, non quòd inter creaturas numerari debeat, sed quia ante mundi creationem ab æterno ineffabili generatione ex Patre genitus, eidem coæternus & consubstantialis, & tandē quoad assumptam quoq; humanitatem, omnium dominus constitutus est, & omnem potestatem accepit in cœlo & in terra. Deinde vt ex Adami dormientis latere mulier desumpta est: Sic ex Christi morte Ecclesia enata est. Vt Adamus etiam Euam ex se natam mox pro carne & osse suo agnoscit, & eandem sibi arctissimo vinculo despondet: Ita Christus quoq; suum corpus agnoscit Ecclesiam, eamq; sibi vnit & copulat. At inter hæc semper meminisse oportet, ista de Ecclesia dici, quæ adhuc in terris militat, & proinde rem non esse extra periculum.

Col. 1. Hebr. 1. Matth. 28

Defectionis à fide periculū.

De eo admonet nos Paulus, quando se hoc timere ait, ne Corinthiorum mentes corruptæ degenerent à simplicitate, quæ est in Christo. Consultò autem sic loquitur: Nec enim homines subitò à fide prorsus deficiunt, sed paulatim & quasi per gradus ab eius simplicitate degenerant. Simplicitatis huius regula atque forma in Euangelio habetur, quod docet, quis nam Christus sit, quid nobis in eo datum, quid item nos ei vicissim debeamus? Vt ergo coniugiorum pacta in tabulas consignantur: ita in Euangelio spiritualis huius coniugij pacta descripta sunt. Vt verò tabulis sigilla appendi solent: ita Christus Euangelium & totum illud nouum Testamentum sanguine suo obsignauit, in corda autem nostra dedit arrham Spiritus sancti, cui extrinsecus accedit Baptismus. Quæ omnia Paulus supra Capite primo his verbis complexus est: Qui confirmat nos vnà vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, & dedit arrham Spiritus in cordibus nostris, &c. Hîc ergo videndum est, vt simpliciter insistamus Euangelio, & nec Christum fingamus alium quàm reuera est, neque in eius statutis aliquid ex nostro arbitrio mutemus. In priori errabant pseudoapostoli, qui Christum non sufficere dicebant, nisi Circumcisio & Legis iustitia cum fide in illum coniungerentur: & hi Galatas seduxerunt, quos Paulus in aliud Euangelium translatos esse scribit. In posteriori verò Corinthij offenderunt, qui ritum Cœnæ mutarunt, & pleraque in cœtibus suis faciebant aliter quàm Christus ordinarat. Hodie in vtroque passim peccatur. Fingitur enim Christus, qui quotidie immoletur pro peccatis viuentium & mortuorum: cuius item iustitiam nostris operibus & meritis Diuorum perfici oporteat, & apud quem Diuis intercessoribus opus sit. Mutantur etiam ritus Baptismi, Cœnæ Dominicæ, precum item, vnà cum tota Oeconomia Ecclesiæ ab Apostolis tradita. Et hæc omnia non simul inuecta esse, sed paulatim irrepsisse constat. Ad nos igitur non minus quàm ad Corinthios hæc admonitio pertinet, ne videlicet securi simus, sed anxij caueamus, ne quid huius nobis accidat. Si enim Legi Mosis nihil addere licuit, neque ab ea vel ad dexteram vel ad sinistram declinare, multò magis nobis rata esse debet Euangelij per Christum traditi authoritas. Etenim qui vel in minimis sibi aliquid permittunt, mox vlterius progressi à simplicitate fidei & religionis Christianæ paulatim omnino deficiunt.

Diaboli astutia.

Excitet nos tanti mali author, quem Paulus eundem nobis monstrat, qui omnium nostrûm matrem, Euam, seduxit sub serpentis specie: & illi astutiam tribuit, quæ & tunc mirifica fuit, & qua adhuc hodie vti solet. Primò enim astutiæ fuit, quòd non Adamum, sed Euam priorem aggressus est, quam sciebat infirmiorem esse, & proinde facilius vinci posse. Ita hodie infirmiores imprimis tentare solet, & quidem mulierculis maximè insidiatur, quas natura procliuiores esse constat ad superstitiones simul & morum leuitatem. Et huc pertinet, quod Paulus alibi scribit suo tempore fuisse impostores, qui familijs sese insinuabant, vt mulierculas, quæ peccatis oneratæ erant, & cupiditatibus varijs agebantur, captiuas ducerent. Quod vt hodie in Papatu per Monachos & sub confessionis auricularis prætextu fiat, notius est quàm vt demonstrationem requirat. Deinde solam Euam aggreditur, quæ non sola vagari, sed viro comes & socia indiuulsa hærere debebat. Ita hodie eos adoritur Satan, qui αὐτοδίδακτοι sunt, & proinde solis sibi sapiunt,

2. Tim. 3.

& in sui animi intentione atque placitis vagantur. Curent ergo omnes, ne quid suo ingenio indulgeant, neque à Christo sponso vnquam discedant, sed (vt Pater cœlitus iussit) hunc vnum audiant. Curent item ministri, ne ipsi ab Ecclesijs suis temere discedant, & dum ipsi vagantur, eos vagari & seduci sinant, pro quibus olim rationem Christo reddere cogentur. Tertiò laruam serpentis, animalium astutissimi accepit diabolus, qua sese occultaret. Ita ferè sub larua sapientiæ sese venditat, & per eos rem suam conficere studet, qui apud rude vulgus summam doctrinæ & sapientiæ existimationem sustinent. Fecit hoc olim per Magos, Baalamum, pseudoprophetas, Pharisæos, Scribas & gentium philosophos: & hodie idem facit per Doctores Seraphicos, Magistros nostros, Iuris & legum peritos, qui religionis causam ad humanæ rationis calculum reuocant. Quartò beneuolentiam simulauit, & quòd hominum saluti consultum cuperet: imò quasi rerum ignarus de Dei edicto Euam sciscitatur, vt facilius sese huius animo insinuet. Ita hodie eius organa mirificè sese apud omnis loci & ordinis homines insinuant, quiritantur item de multorum ignorantia & cæcitate, se totis visceribus commoueri dicunt propter miserabilem Ecclesiæ distractionem, & si ipsi audiantur, non modò pacem & læta omnia, verumetiam ipsos cælos pollicentur. Finis verò omnium hic illi propositus fuit olim, vt Eua contempto Dei edicto ex arbore vetita comedat: & ideo hunc falsi simul atque odij insimulauit. Fiebat hoc apud Corinthios, vt ex licentia morum apparet, quam scioli inuexerant. Fit idem hodie quoque. Fingitur Deus alius quàm reuera sit, Verbo eius fides derogatur, vt ita ab illo discedamus, in quo vno salus inuenitur. Itaque primi huius stratagematis diaboli memores assiduè vigilemus. Huius enim lenones sunt, quicunq; nos solicitant, vt ab Euangelij simplicitate vel latum vnguem discedamus: & vt matronæ pudicitia suspecta fit, quàm primum lenonibus aures præbet, & eadem ferè tandem expugnatur: Ita fieri vix potest, quin nostræ etiam mentes inficiantur, si tales audiamus. Ergo quod de ouibus suis CHRISTVS IESVS monuit, huius solius vocem sectemur, & ab eo traditæ doctrinæ insistamus, quæ nos falli non sinet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum; Amen.

HOMILIA XLVII.

Enimuerò si is qui venit, alium IESVM prædicet, quem non prædicauimus: aut si spiritum alium accipiatis, quem non accepistis: aut Euangelium aliud, quod non accepistis: rectè eum tolerassetis. Puto enim me nihilo inferiorem fuisse ijs, qui sunt summi Apostoli. Quòd si rudis sum sermone, non tamen cognitione: sed omnino manifesti facti sumus in omnibus erga vos.

QVoniam in æternæ salutis negotio non sufficit Euangelium audiuisse, & Christo semel nomen dedisse, nisi in fidei simplicitate & eius vera professione in finem vsque perseueremus: ministrorum quoque Verbi Dei est, vt homines non solùm adducant Christo, verumetiam sedulò hoc agant, vt qui hunc semel amplexi sunt, in fide constantes, nullis rationibus sese à simplici eius Veritate dimoueri patiantur. Nam si hoc fiat, iam labor omnis illis perit, & eorum similes sunt, qui magnis laboribus parta negligentius custodiunt, & rursus dilabi sinunt. Obseruarunt hoc diligenter Apostoli, qui ideo Ecclesias abs se constitutas frequenter inuisebant, vt infirmiores in fide confirmarent, vitijs mederentur & collapsa instaurarent: & si id per negotia non licebat, missis ad eas literis admonebant de ijs, quæ factu necessaria erant. Faciunt huc imprimis quæ in proximo Sermone audiuimus. Testatur enim Paulus, se Corinthios quidem Christo præparauisse, vt huic eos sistat instar puræ & castæ Virginis: At simul non dissimulat solicitudinem suam, quæ zelotypum faciat, adeò vt timeat, ne diaboli insidijs & dolis locum dent, vt olim Eua fecit, & ita à fidei simplicitate deficiant. Ne autem quis ipsum timore non necessario angi diceret, nunc ad rem ipsam propius accedit, & eorum leuitatem apertius accusat, qua impostores pseudoapostolos, sanioris doctrinæ corruptores, admiserint. Sic autem ait:

Impostor quidam insignis notatur.

Enimuerò si is qui venit, alium IESVM *prædicet, quem non prædicauimus, &c. Loquitur de certo quodam & insigni impostore, qui à nemine legitimè missus Corinthum venerat, & quem ipsi non sine sua ignominia receperant. Videtur autem idem ille fuisse, cuius verba in præcedenti Capite adduxit, quòd nimirum de ipso soleret dicere: Epistolæ quidem graues sunt & validæ: sed præsentia corporis infirma, & sermo nihili. Quia verò toti ab illo pendebant Corinthij, adeò vt Paulum & alios germanos Christi Apostolos fastidirent, ostendit his verbis quàm indignè hoc faciant: & tria ex ordine recenset, quæ hîc ipsis sint consideranda: Primum, an alium* IESVM *siue Seruatorem prædicet, de quo prius non audierint. Alterum, an ex illius prædicatione alium spiritum acceperint, quàm quem prius habuerint. Loquitur autem de miraculoso Spiritus sancti dono, quod tunc credentibus conferebatur, vt in Actorum historia & in epistola ad Galatas est videre, in quibus similem leuitatem Apostolus reprehendit. Tertium, an aliud Euangelium à nouo illo doctore annuntietur, id est, an doctrinam afferat pleniorem & perfectiorem de humanæ salutis ratione, quàm quæ ab Apostolis hucusque sit tradita, qui suam ex ipso Christo acceperint.*

Galat. 3.

Concillatur hic locus cum eo qui est Gal. 1

Videntur autem ista pugnare cum eo quod ad Galatas Capite primo habetur, vbi eos reprehendit, qui se in aliud Euangelium transferri passi erant, & addit: Si nos, aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema sit. At si rem ipsam consideres, nulla est contradictio. Illic enim aliud Euangelium dicitur pro falso, fictitio & adulterino, quod Euangelio vero & germano opponitur: Et præter id quod Apostoli prædicarunt euangelizare dicuntur, qui illorum doctrinæ aliquid addunt, nouos fidei articulos condunt, aut aliam salutis rationem monstrant ab ea, quæ vobis ab Apostolis est tradita. In præsenti simplicius & conditionaliter loquitur Paulus, & sensus est: Si nouus ille & obreptitius doctor aliquid afferret profectius, melius, certius, vt per ipsum pleniori cognitione instrueremini, dona item præstantiora & vberiora vobis conferret, ita vt ex eo intelligeretis nos aliquid omisisse eorum, quæ traditu & cognitu necessaria sunt, meritò sanè illum toleraretis. Sed cùm nihil huius dici posset, & quoad fidei atque salutis capita nihil vobis tradi queat à quoquam, quod non prius ex nobis didiceritis, adhæc iam ante etiam excellueritis omni scientia, cognitione, fide, charitate, prophetia, linguarum & interpretationis dono, iste verò nihil præter humanæ sapientiæ figmenta, fucato sermonis ad ostentationem compositi splendore palliata, afferat: nimiùm profectò faciles, vel potius leues estis, qui me contempto illum tanti facitis, & præter causam necessariam, vestra hac instabilitate totam Christianæ religionis causam apud ciues & vicinos vestros in suspicionem adducitis.

Veri doctores mittuntur, falsi veniunt sponte.

At in his primùm obseruabis, quòd non disertè nominat impostorem illum, sed vocat τὸν ἐρχόμενον, id est, Venientem, vel Eum qui venit, nec etiam exprimit, vnde venerit, aut à quo missus venerit. Ita enim docere vult, vel hoc solo nomine ipsis debuisse suspectum esse. Veri enim doctores vocationem Dei expectant, & non nisi ab ipso missi docendi munus suscipiunt. Nec quisquam sibijpsi (vt ad Hebræos de sacerdotibus scribitur) sumit hunc honorem, &c. Exempla sunt in veteribus Prophetis, qui suam vocationem constantissimè vrgent, si quando ipsis cum aduersarijs res fuit. Quod ipsum Apostolos quoque fecisse scimus. Denique non minus necessarium quàm vtile est, vt noti sint omnibus Verbi præcones, & (vt alibi Paulus monet) ab exteris quoque bonum testimonium habeant. Alia est pseudoprophetarum & impostorum conditio, de quibus olim conquestus est Dominus, per Ieremiam dicens: Currebant, & ego non mittebam eos. Et ijdem ferè homines ignoti sunt, qui non nisi blanditijs, promissis item magnificis & dolo malo sese insinuant. Debent ergo tales diligenter caueri. Nam ad eos propriè pertinet Christi admonitio: Cauete à pseudoprophetis, qui veniunt (scilicet non missi) in pellibus ouium, intus verò sunt lupi rapaces. Sed quæ nostri seculi calamitas est, plerique tales sibijpsis spontè accersunt, neglectis illis, quorum vocatio legitima est, & insuper doctrina atque morum dexteritate confirmatur.

Heb. 5.

1. Tim. 3.

Ierem. 23.

Matth. 7.

Quid in doctrina spectari debeat?

Deinde admonemur hoc loco, quid in doctrina potißimùm spectari debeat? Nimirum tria hæc, quorum hîc fit mentio. Primum, an hic ipse IESVS *prædicetur, quem Apostoli tradiderũt?*

In eo

In eo enim salutis nostræ cardo versatur. Alterum, an idem ille spiritus conferatur, quem adoptionis spiritũ Apostoli vocant, qui nos salutis certos facit, in quo clamamus Abba pater, qui denique Regnũ Dei in nobis instaurat, nosq; per fidei obedientiam Deo captiuos ducit. Tertium, an hoc ipsum Euangeliũ annuntietur, quod Apostolis à Christo traditũ est, cùm diceret: Oportet prædicari in meo nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum. Vbi ista traduntur, ibi à seductione non est aliquid periculi, & audiri debent qui hæc fideliter prædicant, etiamsi quoad alia insolentiores sint, aut etiam petulantiores & minus honestè viuant: sicuti de Scribis in Mosis cathedra sedentibus Christus pronuntiat. Quàm primùm verò doctrinæ argumentum mutatur, & alia traduntur quàm quæ modò commemorauimus, tunc aures & animos procul auertere debẽt Christiani homines. Nam oues Christi vocem alienam non audiunt. Ioan. 10.

Quoad autem in præsenti Corinthijs Paulus exprobrat, hodie etiam illis obijci poterat, qui Anabaptistarum prophetis siue doctoribus locum dant, & eosdem ita admirantur, vt eis legitimi Ecclesiarum ministri præ illis sordeant. Quid enim illi tradunt, quod non ex ijs plenius discipossit, qui Euangelium syncerè & ordinariè prædicant? Certè, quoad IESVM CHRISTVM, si non eundem nobiscum prædicant, anathema sunt. Quoad Euangelium, idem dici potest, & dicti huius authorem habemus Paulum, qui Angelum quoque anathema dicere audet, qui præter id quod prædicatum est euangelizat. Neq; alia est spiritus ratio, & totius spiritualis œconomiæ, quæ ex Euangelio hauritur. At vrgent isti homines disciplinam morum, Quid verò hîc desiderant? Annon corripiuntur scelera? annon pœnitentia omnibus ex æquo præcipitur? Imò, annon hoc potissimùm nomine exosi sunt plerisque Euangelij ministri, quòd in corripiendis hominum vitijs liberiores aut acriores, quàm par sit, censentur? At nulla (inquiunt) est apud vos Excommunicatio, quà à Cœnæ Dominicæ vsu excludãtur homines flagitiosi & peccatores? Quis verò vt id fiat, iussit? Vel quo iure arceantur, qui se pœnitere dicunt, & pœnitentiam vnà cum gratiæ Dei desiderio eo ipso testantur, quòd cum Ecclesia communicare, & beneficium Christi celebrare cupiunt? Vel num disciplina esse nulla potest, nisi contra Pauli edictum nos in aliorum conscientias nobis ius vendicemus? Et tu quis es, qui nouis satisfactionibus eum fatigas, quem Christus iam in gratiam recepit? Quid multis? Leuitas est inexcusabilis, hypocritas illos ita admirari, vt propter ipsos Ecclesiæ vnitatem scindas, & eos temere condemnes, qui & teipso & illis meliores sunt.

Contra Anabaptistarum admiratores.

Vt verò ad Paulum redeamus, quærat aliquis, cur Corinthios qui subreptitium hunc doctorem admiserant, repræhendat, si ille neque alium Christum neque aliud Euangelium prædicabat? Ad id sic respondemus: quod etsi eundem IESVM in ore haberent, & eodem spiritu gloriarentur, idemque Euangeliũ profiterentur, tamen inani modò eloquentiæ fuco turgidi, non collimabant ad verum scopum, vt omnes vno Christo contenti essent, huic se totos subijcerent, & ei soli viuerent: sed sua loquacitate & indulgentia nimia morum licentiam inuexerant, disciplinam euerterant, imò idololatriam quoque & sacrorum illicitorum communionem inter Christiani nominis professores ferre poterant, vt ipsi pluris fierent. Habes ego quod ijs respondeas, qui Papisticam religionem hoc nomine tuentur, quòd Papistici doctores non alium IESVM prædicent, quàm quem nos profitemur: quòd eundem nobiscum spiritum profiteantur: quòd Euangelium idem in Missa & ex suggestu recitent: quòd denique eiusdem Symboli apostolici articulos nobiscum recipiant. Sed non sufficit ista dixisse, res ipsa inspiciatur, vt num hæc verè dicantur intelligamus. Apostoli nobis illum IESVM prædicarunt, qui solus nobis à Patre iustitia factus, solus inter hunc & nos Mediator sit, solus ad salutem sufficiat, cuius regnum item non sit de hoc mundo, quique peracto in terris redemptionis nostræ negotio, corpus suum in cœlos euexerit, nunc illic ad dexteram Patris sedeat, Rex & Sacerdos Ecclesiæ suæ, quam spiritus & Deitatis suæ præsentia seruet, regat atque tueatur. Quòd si verò Papistas audire libeat, talem isti prædicant, cuius iustitia atque meritum nostrorum operum meritis sarciatur, apud quem Mediatoribus Diuis, & imprimis matre Virgine, opus sit: qui solus ad salutem non sufficiat, qui item regnum in terris habeat potentia, opibus, victorijs illustre, in quo ipsi dominentur & ditescant: qui denique in sacra ædicula inclusus detineatur, quotidie in Missa immoletur: adhæc vicarium in terris habeat, etiamsi ipse nobis realiter,

Cur Paulus doctorem illum subreptitiũ repræhenderit?

Num Papistæ eundem nobiscum Christũ prædicent?

Spiritus Papistarum.

& corporaliter præsens adsit, &c. Quis ergo eos eundem IESVM cum Apostolis prædicare dixerit? Quoad spiritum, qui per Apostolos olim credentibus collatus fuit, est is (vt diximus) adoptionis Spiritus, qui nos salutis certos reddit, & ideo huius arrhabo alibi dicitur. Idem homines, ex æterno Verbi semine regenerat, & totos Deo consecrat. At Pontificij doctores, de salute & gratia Dei nos certos fieri posse negant, & ideo homines dubitare docent, an Deum sibi propitium atque placatum habeant: ijdem Ecclesiam in sectas distrahunt, & hominum seruos faciunt ex ijs, qui Christo nomen dederunt in baptismo, & huic vni debebant esse consecrati. Denique infelices in superstitionibus detinent, bellis, sanguine, incendijs omnia miscent vindictæ spiritu accensi, neque audiunt Christum dicentem: Nescitis cuius Spiritus sitis?

Euangeliũ Papistarum.

Quoad Euangelium, decantant quidem illud in Missis suis, ex suggestu recitant, in libris magnificè ornatis descriptum habent: sed illud peregrina lingua decantant, contra Apostoli traditionem: deinde nec totam IESV CHRISTI historiam, aut integros Euangelistarum libros populo exponunt, sed excerpunt ex illis frustillatim sua illa Euangelia, quæ Dominicalia vocant: quẽ morem demũ sub annum Domini D.CCCVI. ex Caroli Magni mandato à Paulo Vuarnenfrido institutum esse, historici testantur. Admiscet præterea saris literis Philosophiam, quam nisi quis prius imbiberit, ad illarum studium non admittitur. Hinc traditionum humanarum chaos, quibus tota religio adulterata est. Neque pudet eos dicere, illas necessarias esse, eò quòd in Scripturis non omnia contineantur, quæ cognitu & creditu necessaria sunt, & ideo canones & decreta quotidie noua pro suo arbitrio fingunt. Id verò huius loci authoritate euidentissimè confutatur. Quis ergo ab illis idem Euangelium annuntiari fateatur, quod ab Apostolis est traditum? Quoties ergo isti homines suam doctrinam nobis obtrudunt, & vt hanc recipiamus necessarium esse contendunt, semper ex hoc loco illis occinamus: Aut idem est cum Apostolorum doctrina quod vos traditis, aut ab ea diuersum est. Si idem docetis, quid opus aliqua innouatione? aut cur propter vos, si nihil noui affertis, receptum Ecclesiæ ordinem turbaremus? Quòd si verò aliquid præter illud quod Apostoli tradiderunt profertis, religio nobis est eos audire, quos Paulus iam olim anathema pronuntiauit.

Paulus se alijs Apostolis æquat.

Porrò gloriabantur impostores illi, quòd suum Euangelium accepissent à germanis Christi Apostolis, qui huic in terris agenti conuixerant, & ideo ab imperitis rerum pluris fiebant. Occurrit ergo etiam huic persuasioni Paulus dicens: Puto enim me nihilo inferiorem fuisse ijs, qui sunt summi Apostoli. Quasi diceret: Audio quidem qua authoritate illi sese venditent, & quid plerosq; vestrûm moueat, vt illis fidem habeatis. Sed quid hîc verbis opus est? Annon etiam ego sum Apostolus? Annon (quòd aliàs dixi) sigillum apostolatus mei vos estis? Et si comparatio fieri debeat, puto me cum summis Apostolis conferri posse. Summos autem Apostolos dicit per Mimesim ex aduersariorum sententia, qui vt se gloriosius venditarent, inter Apostolos gradus fingebant, quasi alius alio esset sublimior aut maior. Atqui omnes illi Christi serui erant, nec voluit is aliquẽ supra alios eminere, quoad apostolici muneris dignitatem: imò omnes in ipso vnum esse & mutuã operam sibi inuicem præstare voluit.

Cur se alijs æquet Paulus?

Itaque Paulus hoc non arroganter de seipso dixit, sed quia sic eum cogebat necessitas, vt pseudoapostolos retunderet, qui eius authoritatem ideo eleuabant, vt supra fundamentum, quod ipse iecerat, suas stipulas & paleas possent ædificare. Alibi enim humillimè de seipso loquitur, & se Apostolorum minimum, imò Apostoli nomine indignum esse dicit, eò quòd Ecclesiam Christi persecutus sit. Et cùm in præsenti, se alijs parem esse, constanter affirmare posset, dicit: Puto me non esse inferiorem, &c. Quid, quòd alibi non fastidit collegas agnoscere eos, qui quoad dona Spiritus & merita in Ecclesiam Christi, ipsi minimè conferendi erant, vtpote Sosthenẽ, Syluanum, Timotheum & similes alios? Sed & cum Apostolis omnibus ipsi optimè conueniebat, sicuti acta Synodi.

Acto. 15.

Hierosolymitanæ testantur. Denique hoc loco non alia ratione se alijs æquat, quàm quòd suum ministerium æque efficax atque fructuosum esse videret, neque eius authoritas labefactari posset, quin simul gloria Dei & multorum salus in periculum veniret. Imitentur omnes modestiã hanc Pauli: interim non desint suo muneri, si Dei Gloria ita postulet. Nam etsi præclaris Dei donis nemo superbire debeat, eadem tamen nemo in semetipso contemnere aut negligere debet, vt neque in alijs. Qui enim id faciunt, ij in Deum ingrati sunt, & grauiter peccant. Sibijpsis ergo Pauli exem-

plum

plum omnes applicent, qui Dei gratiam in se efficacem esse sentiunt, neque aliquid admittant sua functione indignum, quod Dei gloriæ derogare queat.

Rursus autem aliqui in impostoribus eloquentiam & eximiam dicendi facultatem admirabantur, & Paulo èc contra contemptum ac humile dicendi genus exprobrabant. Quamobrem his quoque respondet: Quòd si rudis sum sermone, non tamen cognitione. Non negat se dicendi peritum esse, multò minus barbariem aut infantiam profitetur. Nam illum dicendo plurimum potuisse, plerique veterum prodiderunt: & eius rei argumentum euidens habes in ijs, quæ apud Lystrenses acciderunt, quibus Mercurius esse visus est, quem à facundia gentium poëtæ commendant. Itaque verba hæc Concessionis speciem habent (quod D. Augustinus quoque obseruauit) vt obtrectatoribus fortius respondeat. Et non nisi fucatam illam eloquentiam abs se remouet, quæ inani verborum splendore constat, qua impostores illi sese venditabant. Itaque sensus huius loci est: Esto non tantum dicendo posse videar, quantum æmuli mei, nemo tamen me rudem putare debet, quoad rerum diuinarum cognitionem, quæ in Ecclesia tractari & tradi debent, & sine quibus salus non potest constare. Hæc autem cùm mihi adsit solida, & eandem vobis quoque fideliter tradiderim, iniqui nimium estis, si me propter Logodædalos istos minoris faciatis. Infantiam suã excusat Paulus. De doct. Chri. lib. 4. cap. 7.

Est hîc obseruatu dignum, quòd non pugnat pro eloquentiæ laude Paulus, sed potius rerum cognitionem sibi vendicat. Hanc enim magis quàm illam necessariam esse sciebat. Quid enim loquetur, qui nihil nouit? aut quem erudiet copia verborum, si res nullæ adsint? Sed & Regnum Dei non in sermone est, sed in virtute. Quid quòd crucis gloria & Euangelij virtus, quæ per Spiritũ sese exerit atque agit, verborum splendore obruitur potius quàm illustratur, vt in priori epistola est dictum? Eadem verò luculentior est & omnibus admirationem parit, si eam homines idiotæ & illiterati constanter atque simpliciter proponant? Exemplũ eius rei euidens in Apostolis habemus, qui Iudæorum Sacerdotibus & Senioribus ideo potissimùm admirationi fuerunt, quòd eos homines illiteratos esse scirent. Et huius generis multa quotidie fiunt inter eos, qui Euangelium hostiliter persequuntur. Nemo igitur fuco verborũ se decipi sinat, vt simplicem Veritatis doctrinam fastidire velit. Quod ipsum in Repub. quoque debet obseruari. Nam illic etiam magis prosunt, qui solida legum & iuris publici cognitione instructi & patriæ communis amantes ea dicunt, quæ dici opus est, quàm qui artificiosis orationibus aures demulcent, & ferè sub illis res suas agunt: Quales olim Græciæ oratores fuisse constat, qui sua eloquentia patriam pessum dederunt. Rerum cognitio præstat eloquentia. 1. Cor. 2.

Nemo tamen vel Paulum vel nos ignauis & stolidis omnis eruditionis osoribus patrocinari putet, qui à stiua aut ex sutrinis elapsi in suggestum temere ascendunt, & docendi munus sibi sumunt. Vt enim inanis verborum splendor damnatur, neque rhetoricis coloribus Spiritui Sancto opus est: ita tamen Verbi administrum διδακτικὸν esse vult Paulus, qui commodè, aptè & perspicuè dicere possit ea quæ dici debent. Et ideo Christus piscatores quidem fecit Apostolos, sed eosdem ad prædicandum noluit prodire, donec eos Spiritu suo donasset, qui illos tam Scripturarum quàm linguarum cognitione instruxit. Quid multis? Oratio & dicendi facultas cognitioni rerum seruire, non autem sine hac luxuriari aut superbire debet. Contra osores bonarum artium. 1. Tim. 3.

Cæterùm ne quid ambitiosius dixisse putaretur Paulus, ipsos Corinthios testes, vel potius iudices appellat: Sed omnino manifesti (inquit) facti sumus in omnibus erga vos. Id est, nihil mihi temere arrogo, quod non abunde præstiterim. Vos autem testes appello, vt de me meisque laboribus atq; studijs pronuntietis. Fatebimini (sat scio) me nihil occultè, nihil simulater aut fraudulenter egisse, sed in omnibus luci studuisse, ita vt omnes quid vellem, & quæ mea esset sententia, intelligere potuerint, neque vnquã alius videri volui, quàm reuera sim. Ita verò æmulos suos perstringit, qui artibus & dolis vtebantur, & faciunt ad huius loci expositionem, quæ supra Cap. 2. dixit: Non vt plerique cauponantes sermonem Dei, sed vt ex synceritate, sed vt ex Deo in conspectu Dei in Christo loquimur. Et rursum Cap. quarto: Abdicauimus latebras turpitudinis, non incedentes cum calliditate, neque falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei, &c. Corinthios proprio testimonio conuincit.

Id verò omnes Verbi administros decet, vt syncere agant, nec aliquid simulent. Sũt enim lucis Ministri nil simulent.

ministri & veritatis, cui nihil magis contrarium, imò magis infestum est, quàm hypocrisis, quæ semper cum mendacio coniuncta est. Arguit hoc tenebriones & simulatores, qui interdum dolo sancto vtendum esse putant, & ideo aliter loquuntur quàm animo sentiunt, & ita verborum cothurnis multos fallunt. At nullus dolus sanctus esse potest in religionis causa, vbi omnia liberè, ingenuè & constanter dici debent, ne ex eorum numero esse deprehendamur, quos veritatis pudet. Pertinet idem ad omnes Christianos, qui ita viuere debent, vt aduersarios quoque suæ integritatis testes habeant. Ita enim Christus fecit, qui acerrimis hostibus audebat dicere: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et hoc veteribus Christianis olim studium fuisse, Plinij ad Traianum epistolæ testantur. Id verò facilè consequemur, si hic nobis omnium nostrarum actionum atque studiorũ scopus sit, vt in nobis glorificetur IESVS CHRISTVS, Servator & Dominus noster vnicus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Ioan. 8.

HOMILIA XLVIII.

Num peccaui cùm meipsum demitterem, vt vos extolleremini? quòd item gratuitò Euangelium Dei euangelizauerim vobis? Alias Ecclesias spoliaui, accepto ab eis stipendio, vt vobis inseruirem. Et cum apud vos essem & egerem, non obtorpui cum cuiusquam incommodo. Inopiam enim meam suppleuerunt fratres qui venerant ex Macedonia: & in omnibus me præstiti vobis minimè onerosum, & præstabo. Est Veritas Christi in me, quòd hæc gloriatio non obstruetur in me in regionibus Achaiæ. Quapropter? an quòd non diligam vos? Deus nouit! Sed quod facio, etiam faciam: vt amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionẽ, vt in eo de quo gloriantur, reperiantur quales & nos.

Diuus Paulus authoritatem siue existimationem suam apud Corinthios ita tuetur, vt ad omnia diligenter respondeat, quæ hanc labefactabant. Erat inter ea ferè præcipuum nimia & præpostera pseudoapostolorum admiratio, qui humana sapientia, verborum splendore & magnificentia multorum oculos ita perstrinxerant, vt eis Paulus quasi sorderet. Ostendit ergo nuper, illos nimis stultè agere, qui istis capiantur, cùm nihil præterea afferant, quod non iam antea ex ipso didicerint. Id verò sic probat, vt ipsos Corinthios testes faciat. Vbi didicimus, licere quidem ijs, qui alijs præfecti sunt, vt suam existimationem propugnent, ne Dei gloria in ipsis periclitetur: sed eosdem hoc simul diligenter debere cauere, ne ab aliquo possint conuinci aut falsi argui. Cæterùm Corinthios, qui fastui & splendori, quæ opulentiam comitantur, assueuerant, hoc imprimis offendebat, quòd Paulus, cùm apud eos ageret, vt vulgaris aliquis & plebeius homo manuũ labore victũ sibi parauerat. Indignum enim videbatur, vrbis tam celebris & opulentæ ciues à sordido opifice gubernari: & credibile est, hoc illis frequenter à suis vicinis, vel etiam exteris, qui commerciorum causa illuc confluebant, exprobratum fuisse. Quapropter nunc hoc quoque scandalum remouere incipit.

Suæ apud Corinthios conuersationis rationem reddit.

Narrat enim quomodo inter ipsos versatus sit, & ostendit, nullam in ipso culpam hærere, propter quam contemni mereatur, illos autem ingratos & iniquos esse laborum suorum æstimatores, qui ipsum propter ea contemnant quæ ipsorum causa fecerit. Id Ironia eleganti, vel potius Sarcasmo exprimit, dicens: Num peccaui cùm meipsum demitterem, vt vos extolleremini? quòd item gratuitò Euangelium Dei euangelizauerim vobis? Quasi diceret: Quid obsecro in tota mea conuersatione inuenire potestis reprehensione dignum? Num vitam vixi dissolutam & luxu diffluentem? Num ego auarus aliorũ opibus insidiatus sum? Num quẽ læsi calumnijs aut obtrectationibus? Certè nemo, opinor, hæc de me dixerit. Quid ergo reliquum est, quàm quòd mea modestia & humilitate offendamini, & voluntaria subiectione, qua meo iure cessi, vt me infra omnes demitterem? Id ne verò tantum scelus est, vt minus apud vos valere debeat mea doctrina & ministerij

nisterij authoritas? Atqui humilitas eiusmodi apud omnes bonos laudem meretur, & Christi ministros quàm maximè decet, qui illius exemplum in illo habent, qui pedes quoque discipulorum abluere dignatus est. Quid, quòd quicquid huius feci, propter vos feci & gratuitò vobis prædicaui Euangelium, vt vos ex peccatorum sordibus & potestate tenebrarum ereptos in libertatem atque dignitatem filiorum Dei eueherem.

Apparet hoc loco, quàm iniqua sint mundi huius de Verbi Dei administris iudicia. Finis totius ministerij hic est, vt qui prius in luto peccatorum iacebant & mortis æternæ reatu tenebantur, inde extracti euehantur ad cœlestis Regni & immortalis gloriæ possessionem. Id enim non alia ratione, sed per solum Euangelium fit, ex cuius semine renati iustitiæ Dei, quam hic nobis in Filio suo IESV CHRISTO donauit, participes efficimur, & ad nuptias illas cœlestes vocamur, in quibus tota electorum Ecclesia cum sponso suo æternùm gaudebit. Ad quas vt nobis peruenire liceat, Deus ministros suos laboribus, iniurijs, contumelijs, inopia & omni periculorum genere exercet, perque illos nobis thesaurum hunc pretiosissimum gratuitò offert. Sed ea est hominum peruersitas, vt plerisque ideo sordeat tota salutis ratio, quòd ἀδάπανος sit. Volunt enim ipsi cœlos vel pecunijs vel suorũ operum meritis redimere: adhæc præsulibus fastuosis & luxu plus quàm Persico sese venditantibus delectantur. Christi verò ministros humiles & sub cruce gementes fastidiunt. Quod perinde est, ac si quis seruum fidelissimum, ideò minoris faciat, quòd ille ei gratuitum seruitium præstet, neque vllum laborem detrectet, quem hero vtilem esse intelligit. At non debet ingratitudo ista Dei ministros offendere, quo minus in officio suo fideles sint, vt ab illo præmium recipiant, qui remunerator est liberalissimus.

Iniqua mundi de ministris iudicia.

Docemur præterea exemplo Pauli, quæ sit humiliationis siue humilitatis Christianæ ratio: Ea nimirum, vt alij per nos exaltentur, & ex nobis beneficium accipiant. Obseruandum hoc propter hypocritas, qui humilitatem simulant, vt ipsi euehantur, & ea ratione in quosuis alios dominium siue imperium obtineant. Sic Papa, qui se Seruum seruorũ dicit, sed eo prætextu Romæ gentium domitricis dominus est, humeris hominum gestatur, regibus cum imperio mandat quæ vult, & eosdem adpedem suorum oscula compellit: vt non inscitè, nec minus verè quidam dixerit:

Humilitatis veræ ratio.

> Roma tibi quondam fuerant domini dominorum,
> Seruorum serui nunc tibi sunt Domini.

Idem in Monachis est videre, qui vestitu, gestu, incessu humilitatem extremam præ se ferunt: sed (vt Germanico prouerbio dicitur) claues quærunt, quibus in arcem potentiæ & opulentiæ penetrent, nec solùm homines omnes præ se contemnunt, verumetiam contra Deum efferuntur, dum suorum operum iustitiam (vt olim Iudæi) stabiliunt atque iactant, Dei verò iustitiam, quam is nobis in Filio suo IESV CHRISTO offert, non nodò contemnũt, verumetiam persequuntur, adhæc alijs quoque authores sunt, vt similiter suam iustitiam erigendo à iustitia Dei excidant. Longè aliter Apostoli fecerunt, qui Christi exemplum imitati sese demiserunt, vt alios exaltarent: quemadmodùm ille è cœlo descendit, vt nos illuc eueheret: Filius hominis factus est, vt nos filios Dei faceret: omnibus seruiuit, vt nos in libertatem assereret: ignominiam denique & omnis generis contumelias, adhæc diram & infamem mortem sustinuit, vt nobis gloriæ cœlestis & vitæ æternæ hæreditatem acquireret. Ad hunc ergo modum, vt alijs prosint, sese demittant quotquot Christianam humilitatem profiteri volunt. Cur enim humiliare seipsum dicatur, qui nemini seruit, & nemini vtilis vitam viuit otiosam, telluris inutile pondus?

Quia verò Paulus se Corinthijs gratuitò euangelizauisse dixit, nunc qua ratione id fecerit, docet: Alias Ecclesias spoliaui, accepto ab eis stipendio, vt vobis inseruirem. Sensus est, se ab alijs habuisse vnde viueret. Rursus autem opsonij militaris meminit (vt in priori epistola) vt ad militiæ parabolam alludat, & sibi licuisse ostendat, ab ipsis stipendium exigere. Vt enim milites partim ex stipendio ordinario viuunt, partim ex deuictarum gentium spolijs: ita se ex illis victum habuisse testatur, quos iam ante per Euangelij prædicationem deuictos Christi imperio subiecerat. Vtitur autem odioso deprædandi vocabulo, non quòd aliquid violenter ab inuitis extorserit, sed vt innuat, Corinthios adeò non habere quod in ipso accusent, vt potius alij iustam de illis quiritandi causam habeant, quos ipsi sua tenacitate coegerint ad eum Co-

Vt Paulus Corinthi gratuitò docuerit?

rinthiacæ Ecclesiæ ministrantem subsidium mittere, quo ipsius egestas subleuaretur. Potest idem hodie de multis dici. Quis enim aliquid de suo largitur Ecclesiæ ministris? Vel, à quo nam aliquid exigitur? Etenim olim Christiani principes & Maiores nostri religionis & pietatis studio excitati sua liberalitate Ecclesias & Cœnobia ditarunt, vt & Scholæ essent, ex quibus ministri prodirent, & qui iam in ministerio sunt absque aliorum incommodo alerentur. Attamen plerique non aliter fremunt, ac si de suo dare cogerentur. Imò, cum ipsi ex Ecclesiæ bonis ditescant, ministris tenuem victum inuident. Est hæc plus quàm Corinthiaca ingratitudo, quam Deus aliquando fame Verbi sui puniet, sicuti olim per Amos Prophetam minatus est.

Cur Paulus ab Ecclesijs victũ acceperit? Debet etiam diligenter obseruari Pauli exemplum, qui ab Ecclesijs accepit subsidia victus, non autem vt ignauo otio torpesceret, aut vt opum thesauros congereret, sed vt quàm plurimis seruiret, denique vt ingratißimis illis prædicaret, qui Euangelio potius carere, quàm eius gratia sumptum facere voluissent. Conferamus ad hoc exemplum nostri sæculi Apostolicos, qui cùm nulli Ecclesiæ seruiant, omnes tamen expilant & deprædantur per suos legatos, qui aut Indulgentias diuendunt, aut putres atque ementitas Diuorum reliquias superstitiosis pro pecunia exosculandas obtrudunt, vel etiam principes viros minis inanibus territant. Possunt hi cum Apostolo dicere: Omnes Ecclesias deprædamur: sed non possunt adijcere: Vt his aut illis per Euangelij prædicationem seruiamus. Quin, si verum fateri velint, dicẽdum erit: Vt Veneri, Baccho, Mammonæ seruiamus, & totum terrarum orbem bellis non necessarijs turbemus. Illis ergo conueniunt, quæ apud Ezech. Cap. 34. & in posteriori Petri Epistola Cap. secundo habentur. Nos Deo gratias agamus, qui nos ex laqueis eorum eripuit, & libertatem nostram constanter tueamur.

Paulus nemini grauis fuit. Porrò ne cum aliquo iniquius egisse putaretur Apostolus, rationem sui consilij diligentius explicat: Cùm apud vos essem & egerem, non obtorpui cum alicuius incommodo, id est, non otio me dedi, vt aliquibus oneri essem, sed in docendo aßiduus, simul opificio & manum labori omne tempus quod mihi reliquum erat consecraui, vt absque aliorum incommodo viuerem. Quòd si quis obijciat, me non potuisse tantum lucrari, quantum mihi opus erat, Respondeo: Quod mihi deerat suppleuerunt fratres, qui venerant ex Macedonia. Itaque victum mihi paraui partim manuum mearum labore, partim ex Macedonum liberalitate. Denique in omnibus me præstiti vobis, ἀβαρῆ, id est, minime onerosum, & talem me in posterum quoque præstabo. Ita verò turpem & pudendam Corinthiorum ingratitudinem arguit, & eandem exemplo Macedonum amplificat. Quasi diceret: Vos me vobiscum agentem, & vobis seruientem neglexistis, adeò vt ne egenti quidem aliquid dederitis: Illi verò absenti & in alieno seruitio occupato subsidium miserunt. Vos item, cum in otio agatis & diuitijs abundetis, ergà me tamen tenacißimi fuistis, quem Macedones fortunis suis magna ex parte exhausti subleuarunt. Vos denique me, qui nunquam vobis onerosus fui, adhuc me fastiditis, cùm alteri illi me venerentur & in pretio habeant.

Cur acceperit stipendium à Macedonibus? &c. At quærat aliquis, cur à Macedonibus, qui pauperiores erant, Paulus stipendium acceperit, Corinthijs autem opulentis pepercerit? Id certè primo intuitu non minus iniquè quàm imprudenter factum videri poterat. At hîc tenere oportet, iure quidem nihil illum tunc temporis à Macedonibus exigere potuisse, oblationes verò siue dona volũtaria ipsi accipere licebat, cum neceßitas vrgeret. Et potest illum excusare Dauidis exemplum, qui contra morem in Lege traditum panes propositionis comedit, & eosdem suis distribuit, cùm non aliud esset quo famem vrgentem posset placare. Deinde quia vnum est omnium Ecclesiarum corpus, & omnium gentium credentes ad vnam illam Catholicam Ecclesiam pertinent, quam in Symbolo Apostolico profitemur, nihil præter officium faciebant Macedones: quin potius vt hoc facerent, gratitudinis & charitatis Christianæ legibus admonebantur. Etenim vt in corpore humano membra infirmiora & contemptibiliora præstantioribus seruiunt: ita pauperiores opulentioribus operam suam præstare debent, si hac eos indigere videant. Quoad Paulum verò, prudentiæ hoc erat quòd Corinthios stipendij debiti postulatione noluit offendere, quos sciebat Euangelio potius cariturus esse, si sumptus aliquos facere cogerentur. Itaque parcendum eis erat, donec in fide confirmati magis arderent. Et est hæc prudentia ministris imitanda, ne procacitate sua eos offendant, qui adhuc teneriores & infirmiores sunt in fide

1. Sam. 21. Matth. 12.

Interim

Interim debet hoc loco diligenter obseruari Macedonum pietas, qui cùm ipsi pauperiores essent, Apostolum suis impensis aluerunt, vt Corinthijs ditißimis posset Euangelizare. Debent istud multò magis facere, qui otio abundant, & occasiones habent multas Euangelium ad alios propagandi. Est enim hic Deo gratißimus cultus, & hominibus nullum beneficium præstantius & salutarius conferri potest. At hodie Macedones quidem pauci, plures autem Corinthijs deteriores sunt, qui quæ ab alijs olim Ecclesijs & Scholis collata sunt, insatiabili rapacitate intercipiunt, liberalißimi autem videri volunt, si ex ingenti præda, quam sacrilego ausu congesserunt, vix tenuem victum Verbi ministris demetiantur. Debet tamen exemplum istud ad alia quoque extendi. Vulgo enim fit, vt qui tenuiores sunt, ditioribus sint liberaliores. Vt enim illos propriæ egestatis sensus ad commiserationem excitat: ita hi accipere assueuerunt, & proinde insatiabiles facti iniuriam sibi fieri putant, si quid dare iubeantur. Est ergo magnum & tantumnon immedicabile Auaritiæ malum. Abundabant Corinthij scientia & cognitione rerum diuinarum, vt alibi Paulus testatur. Verumtamen ditescendi studium adeo tenaces fecit, vt tantum Apostolum alere noluerint, cui seipsos totos debebant. Tales hodie multos est videre, qui cùm in egenis ipsum Christũ ali & vestiri audiant, nunquã tamen adduci possunt, vt id liberaliter & ex animo faciant. Sed vt hîc Corinthiorum auaritia Macedonum exemplo aggrauatur: ita illi olim à tenuioris fortunæ hominibus conuincentur ad Christi tribunal, qui ipsis benigniores & liberaliores fuerunt. Macedonum pietas.

Deinde ad omnes Ecclesiarũ ministros pertinet Pauli exemplum, qui tam solicitè cauit, ne cui onerosus esset. Cur enim cuiquam oneri sint, qui ideò mittuntur à Deo, vt liberent, seruent atq; consolentur? Nam hic proprius Euangelij effectus est, quòd conscientijs pacẽ & gaudium conciliat. At hîc tenere oportet, quid illos facere quidue cauere oporteat, vt nemini graues aut onerosi sint. Vbi primum fuerit, ne Ecclesias hominum traditionibus grauent, quibus neque Deus colitur, neq; conscientijs pax paratur. Ne item aliquem ad suas satisfactiones remittant, quibus nequicquam fatigantur, qui animæ sitim alibi quàm apud Christum, vnicum aquæ viuentis fontem, restinguere volunt. In vita verò & moribus frugalitati & temperantiæ studeant, vt modicis stipendijs contenti viuere poßint, neque alicui exactionibus importunis molestiam exhibere cogantur. Hodie in vtroque peccant Papistici præsules atque sacrifici. Inter Euangelij verò professores non desunt, qui doctrina quidem sana conscientias exhilarant, luxu autem & intemperantia sua molesti sunt omnibus, dum nihil ipsis sufficit. Ministri curẽt, ne cui sint onerosi.

At quod de ministris dicitur, in genere ad omnes Christianos pertinet: Ne aliquibus onerosi sint. Ergo hoc pauperes quoq; sibi dictum putent. Nam iubet hoc charitatis Lex, quæ ipsis non minus quàm diuitibus data est. Poterat Paulus optimo iure à Corinthijs debitum sibi stipendium exigere: sed cùm alia esset victus parandi ratio, iure suo cessit volens, ne cui molestiam exhiberet. Est ergo hoc graue scelus & nulla venia dignum, si qui suo labore victum sibi parare poterant, absque omni iure illum ab alijs postulent. At quàm magnus illorum numerus est hodie, qui ignauo otio addicti hinc inde discurrunt, & ostiatim omnes fatigant ab alijs improbè petendo, quæ ipsi manuũ suarum labore acquirere poterant, nisi cum religione pudorem quoque omnem exuissent. Debebant tales publica authoritate coerceri, ne (quod Apostolus iußit) ex publico ederent qui laborare nolunt. 2. Thes. 3. Nemo alijs sit oneri.

Cæterùm quia Paulus videri poterat hæc ideo scribere, vt Corinthijs posthac liberalioribus vteretur, se in posterum quoque talem velle se præstare dicit, qualis hucusque fuerit, & id mox cum graui asseueratione confirmabit. Nec enim satis est bene cœpisse, nisi in finem vsque perseueres. Quod vt in omni re fieri necesse est, ita maximè in ijs, quæ ad fidem & religionem spectat: vt nimirum à Deo vocati, non modò ingrediamur iter, sed cursum nostrum perficiamus, vt metam nobis propositam poßimus attingere. In eo olim Lothi vxor & Israëlitæ peccarunt, dum illa ad Sodomas & illic relictas opes, hi verò ad ollas carnium & Ægypti delitias respectarunt. Et hoc ipsum multos hodie in salutis via remoratur, dum vrgentibus periculis pœnitentiam magno quidem cum conatu inchoant, at in medio cursu subsistunt, quàm primum melior fortuna affulgere incipit. Perseuerantia in bene cœptis est opus.

Porrò vt diximus, asseueratione aut iuramento confirmat Paulus quod dixit: Est Veritas Paulus iurat per Euangeliũ.

Christi in me, quòd hæc gloriatio non obstruetur in me in regionibus Achaiæ. Gloriationem dicit, quòd gratuitò illis prædicauerat: vt innuat, se non pœnitere huius facti, imò non passurum, vt hæc gloria ipsi intercidat. Habent autem verba ista iurandi formulam, cuius sensus est: Per Veritatem Christi hoc testor. Vel: Quàm certò in me est Veritas Christi, cuius ego minister sum, tam certò ego hoc facere constitui, &c. Est autem Veritas Christi Euangelium, cuius prædicatio Apostolis fuit mandata: & ita dicitur, non modò quia doctrina illa veracissima est, verumetiam quia omnium promissionum & vaticiniorum veterum complementũ continet. Quia ergo Christus ipse cum Euangelio suo coniunctus est, & Paulus suam salutem in eo consistere sciebat, vt illius seruus esset fidelis, rectè per illud iurat. Et debet huius consideratio ministros omnes excitare, ne leues & vani sint in suis dictis aut factis, vt ne Euangelium aliquo modo suspectum reddant. Quòd si verò Euangelium Veritas Christi est, certè ipsum Dei Filium mendacij insimulant, quotquot illi contradicunt. Quod cum hodie passim fiat, non est quòd nostri sæculi calamitates, quæ nos vndique circumstant, miremur.

Ex particulari exemplo P. nõ colligendum præceptum vniuersale.

At obseruari debet hoc loco, quòd Paulus suũ illud institutũ ad Ecclesias Achaiæ restringit. Nec enim absque omni exceptione iurat, se à nemine aliquid accepturum esse, sed nunquã passurũ se, vt hæc gloria ipsi obturetur aut obstruatur apud Achaiæ Ecclesias, inter quas facilè prima erat Corinthiaca. Causam paulò antè exposuimus, & ipse eam mox diligentius explicabit. Paralogizant ergo, qui ex particulari exemplo doctrinam vniuersalem colligunt, & ita argumentantur: Paulus nihil accepit ab Ecclesijs Achaiæ, neque se quicquam accipere velle iurauit: Ergo ministris non licet stipendia habere, aut ex ministerio viuere. Nam conuerti potest argumentum hoc, vt dicamus: Paulus à Macedonibus accepit vitæ subsidia: Ergo idẽ licet facere omnibus, qui Euangelium prædicant. Imò si literam vrgere libeat, colligetur hinc quod nõ minus iniquũ quàm absurdum fuerit: Paulus nihil accepit à Corinthijs, quibus seruiebat, sed ab alijs: Ergo ministri stipẽdia sua non ab Ecclesijs, quibus seruiunt, sed aliunde accipere debent. Quis verò non videat huius argumenti absurditatem? Non debent ergo ista trahi extra Apostoli institutum. Quoad enim stistendia ministrorũ, nota est IESV CHRISTI sententia, qui illos operarijs adnumerat, quibus sua merces debetur. Et quid Paulus de hac causa senserit, alibi audiuimus. Vide 1. Cor. 9. & 1. Timoth. 5. Hæc igitur rata sint, nisi quæ causa grauior nos cogat iure nostro cedere.

Odij suspicionem declinat.

At obijcere poterant Corinthij: An ergo nos fastidis, aut indignos putas, à quibus aliquid accipias? Ita enim comparatum est, vt quos magni facimus, eos etiam amemus, & proinde familiariter quoque ijsdem vtamur, adeoq; donis quoq; illorum delectemur. Itaq; suspicionem, quam de illo concipere poterant Corinthij, præoccupatione diluit, dicens: Quapropter? An quòd non diligã vos? Deus nouit. Rursus autem testem citat Deum, & proinde iterum iurat. Arguit hoc fanaticos qui omne iuramentum illicitum esse dicunt, & Christi verbis ad suam sententiã stabiliendam abutuntur, qui dixerit: Ne iuretis omnino, sed sit sermo vester, Est est, Non non. Atqui eo loco de temerarijs & non necessarijs iuramentis agitur, qualia hodie etiã apud homines leues in vsu sunt, & commendatur veritatis studiũ, cui ita assuescere debent Christiani homines, vt in colloquijs priuatis, in contractibus item & alijs eiusmodi negotijs iurare non sit opus, neque hoc quisquam ab eis exigat. Quid verò hoc ad controuersias, quas iureiurando interposito finiri Apostolus ad Hebræos testatur? Quid itẽ hoc ad magistratus & subditos, vel etiam ad socios siue confœderatos, quos mutui iuramenti vinculo obstringi necesse est? Dicant etiam nobis religiosi isti homines, num Deus iubeat quod illicitũ est, & salua religione aut pietate non potest fieri? Atqui leges disertæ extant, quibus vt per nomen eius iuremus præcipitur, et hoc inter vera fidei exercitia Spiritus sanctus numerat. Obijciunt illi, hæc in Veteri testamento olim facta esse. Fatemur hoc ipsi quoq;. Sed quid hoc obstat, cùm ex Dei iussu & mandato facta sint? Quid verò illi Isaiæ respondebunt, qui de Ægypti cõuersione ad Christum, quæ Noui testamenti tempore demũ fieri debuit, vaticinans, inter alia ait: In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Ægypti, quæ loquentur lingua Chanaan, & quæ iurabunt per Dominum exercituum. Quid multis? Sub pietatis prætextu isti homines Reipub. dissipationem quærunt, & proinde eorum verbis nemo moueri debet. Caueatur modò leuitas iurandi, seruetur autem formula à Deo tradita, qua qui sanctè & religiosè vtuntur, minimè peccant.

Matth. 5.

Heb. 6.

Isa. 19.

Sed

Sed causam audiamus, quæ Paulum mouit, vt hanc gloriationem sibi eripi nollet. Sed quod facio (inquit) etiam faciam, vt amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionem; vt in eo, de quo glorientur, reperiantur quales & nos. Quæ verba plerique intelligunt, quasi pseudapostoli gratuitò prædicauerint, & ideo Paulum idem fecisse aiunt, ne illis in hac parte esset inferior. Sed pugnat cum hac sententia, quod infra dicet: Toleratis, si quis vos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, &c. Deinde noluit Paulus illorum similis fieri, sed potius illos ad sui exempli imitationem excitare, & simul calumniandi occasionem præripere, quam venabantur. Volebant enim ipso præstantiores videri, & ideo Zelum pietatis ardentißimum simulabant, magnificè de diuinis loquebantur, interim verò rem suam agebant. Vt ergo illis omnem occasionem amputaret, ipse gratuitò docebat, quod illos nunquam facturos satis nouerat, cùm toti ambitione simul & auaritia flagrarent, imò ventris quoque mancipia essent. Itaque sensus verborum est: Illi vellent me quoq; à vobis aliquid exigere, vt ita in hac parte ipsis æquarer, illi verò quoad reliqua inuenirent aliquam gloriandi occasionem. At ego hanc illis nunquam concessero. Quin potius, si mihi pares esse volunt, ipsi etiam gratuitò prædicent oportet, & ita habebunt fortaßis, quo aduersus me glorientur. Itaque Paulus ita voluit gloriandi occasionem æmulis suis præscindere, vt eos sibi pares fieri cuperet: vt nimirum posthabito lucri priuati studio, solius Dei gloriam & Ecclesiæ salutem quærerent, id quod animi verè Christiani argumentum est.

Cur noluerit à Corinthijs aliquid accipere Paulus?

Continet autem locus hic vniuersalem doctrinam, ne qua occasio ijs detur, qui eam captant contra nos & veritatem. Paulus, ne id fieret, à licitis quoque abstinebat. Quantò magis ergo ab illicitis nos abstinere conuenit? Debet hoc ad omnes vitæ nostræ actiones extendi. Cogitemus nos in totius mundi theatro versari, & omnium oculos in nos, ceu in ciuitatem in edito monte sitam, esse intentos: nec vnquam animis nostris excidat, mundum totum in malo iacere, & in omnem occasionem intentum esse, vt aduersus veritatem & huius professores calumniandi argumentum inueniat. Nec dormitat Satan, qui vbique sua flabella habet, quibus eorum etiam, qui adhuc quiescunt, animos accendat. Vigilemus ergo, & ab omni specie mali abstineamus. Imprimis autem curæ sit, ne Deum tentemus ea nobis temere accersendo, quæ vel nobis alicuius lapsus, vel alijs calumniandi occasionem præbere possunt. Denique vocationem suam singuli sedulò sequantur, & in omni actione CHRISTI IESV doctrinam atque exemplum respiciant, qui nos non patietur errare, cùm sit Via, Veritas & Vita. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Non danda occasio calumniandi cuiquam.

HOMILIA XLIX.

Nam istiusmodi pseudapostoli, operarij dolosi sunt, transformati in Apostolos Christi. Neque id mirum: ipse enim Satanas transformatur in Angelum lucis. Non magnum est igitur, si transformentur vt ministri iustitiæ, etiam eius ministri: quorum finis erit secundùm opera eorum.

QVemadmodum omnes Apostoli magno studio & zelo sese falsis doctoribus opposuerunt, ne qui rudiores & in fide infirmiores ab illis decepti à Veritate & vnica salutis æternæ via declinarent: Ita Paulus tota hac tractatione constantißimè aduersus eos dimicat, qui apud Corinthios eius authoritatem eleuabant, vt sua figmenta Ecclesiæ obtrudere possent, quibus syncerior Euangelij doctrina corrumpebatur. Et quia sciebat eos in omnem occasionem intentos esse, nuper protestatus est, se nunquam passurum vt sibi pares æstimentur, nisi procul relicto lucri & gloriæ priuatæ studio, ipsum in omnibus imitentur. Quia verò hoc poterat ambitiosius dictum videri, ideo nunc eius rationem reddit, quam ab illorum persona desumit, ita nimirum eos describens, vt ostendat, indignos esse, quibus cum ipse aliquid commune habeat, simulque hìc omnia comprehendit, quæ de falsis doctoribus dici possunt. Docet enim, qui & quales illi sint: Deinde quibus artibus sese insinuent: Quis item eorundem finis futurus sit, adeoque omnium qui eos imitantur.

Pseudapostolos dicit suos æmulos.

Principiò sic scribit: Nam istiusmodi pseudapostoli, operarij dolosi sunt transformati in Apostolos Christi. Disertè pseudapostolos dicit, vt per præoccupationem illis respondeat, quibus durum & periculosum videbatur eos contemnere aut reijcere, qui Christi nomen profitebantur, Christum item prædicabant, & eiusdem Apostoli volebant censeri. Nam sensus verborum est: Scio quo nomine aut titulo sese pallient, & quales nonnullis inter vos videantur: Sed qualescunque dicantur aut æstimentur, Pseudapostoli sunt, qui seipsos in Apostolos Christi transformarunt, & proinde cauendi sunt, nec aliqua ipsis dari debet res suas agendi occasio. Significat autem Pseudapostoli vox legatum falsum, qui se legatum esse mentitur: & talis propriè dicitur, qui vel non missus est ab eo, cuius nomen prætexit: vel quod in mandatis accepit, non bona fide exequitur, dum vel falsa alia affingit, vel non ad finem verum omnia dirigit, sed sub publico nomine res suas agit. Est hoc turpissimum flagitium, & antiquitus παραπρεσβεία dicebatur, cuius criminis conuicti pœnas grauissimas dabāt. Vt enim legatorũ nomẽ apud omnes gentes sacrosanctissimũ & honoratissimũ erat: ita vix vlla venia dignus iudicabatur, qui tantā dignitatē, sibi à Repub. mandatā, sua vel negligentia vel cupiditate aliqua praua prophanauisset. At quantò grauius is peccare dicetur, qui in Christi Ecclesia sub ipsius Christi nomine falsum legatum tunc agit, quando æternæ salutis negotium agitur? Atqui tales erant isti, de quibus hîc Paulus disserit. Nam primò non missi erant, sed subdolè in Ecclesias irrepebant, falsò Apostolorum authoritatem prætexentes.

Acto. 15.

Et hoc de illis Apostoli in Synodali sua epistola testantur, in qua sic scribunt: Quidam ex nobis egressi turbauerunt vos verbis, quibus hoc non mandaueramus. Deinde prædicabant isti quidem Christum, sed huius doctrinam partim legis Mosaicæ additionibus, partim philosophia ethnica adulterabant: adeò vt Christi meritum exinanirent, & illum suis sectatoribus inutilem facerent, vt in epistolis ad Galatas & Colossen. est videre. Postremò, res suas agebant, nihil de Christi gloria aut hominum salute soliciti. Argumentum eius nimis euidens erat ignaua & turpis illa indulgentia, qua sceleratissimos quosque ferebant, disciplinam collabi patiebantur, nec ad priuatorum modò hominum vitia, verumetiam ad ea conniuebant, quæ in publicis Ecclesiæ cœtibus præter Christianæ professionis decorum fiebant: sicuti in priori epistola vidimus. Sufficiebat enim hominibus ambitiosis & auaris, si ipsi magni fierent, & opibus augerentur. Ideo operarios quoque dolosos dicit: quia etsi operarentur, id tamen non bona fide faciebant, cùm omnia ad quæstum & gloriam priuatam instituerent, cum eorum periculo atque damno, qui ab ipsis seducebantur. Quo nomine in epistola ad Philippenses eosdem operarios malos dicit, nimirum ad illud Christi respiciens, qui olim talibus se dicturum ait: Discedite à me, qui operamini iniquitatem.

Galat. 5. Col. 2.

Phil. 3.

Apostolici nostri temporis.

Docet autem locus iste, quales censeri debeant, qui hodie Apostolicos se dicunt, horum autem per omnia sunt similes: Pontifices nimirum Romani, cum tota suorum Cardinalium & Episcoporum cohorte. Gloriantur hi omnes successione apostolica, & potestatem iactant, quam ex successionis illius iure ab ipso Christo acceperint. Sed si quis rem propius inspiciat, illos & falsos legatos esse, et insuper παραπρεσβεύειν, id est, legationē (si quæ ipsis cōmissa est) mala fide obire patebit. Nā omnia faciũt, quæ et Christi mandato, & Apostolorũ exemplo aduersantur. Quis ergo illos missionē legitimam habere, aut in illa eos bona fide agere dixerit? Christi quidē nomen in ore habēt, & Euangeliũ eius profitentur, sed sexcenta alia addunt, quibus illius meritũ prorsus exinanitur & inutile redditur: & ea quidem addunt, quæ ab hominibus superstitiosissimis conficta non alia quàm sui similium authoritate nituntur. Adhæc non nisi suas res agunt, cùm circa ea sola occupentur, quæ neque Christi gloriam, neque Ecclesiæ salutem atque ædificationem adiuuant, ipsis autem quæstuosa sunt, & stolidum vulgus in ipsorum admirationem rapiunt. Quòd si vitam atque mores eorum inspicere libeat, nihil illis petulantius, nihil impurius inuenies. Itaque operantur quidem, sed dolosi & iniqui operarij sunt, qui vel ea faciunt, quæ palàm iniqua & impia sunt: vel simulatè agunt, quicquid rectè & bene agere videntur. Quibus adde quòd manifesta & grauissima quæque scelera patienter ferre & dissimulare possunt, modò suam existimationem ipsis apud omnes saluam manere videant. Quis enim Inquisitorum, quos ipsi ceu vigiles publicos constituunt, vnquam in hominum mores inquisiuit? quis alicui propter stupra, & adulteria, vsuras, cædes, ueneficia, litem mouit? At si cui verbulum excidat, quo vel Romanæ sedis authoritas læditur,

læditur, vel superstitiones ab illis conficta repræhenduntur, mox in illius fidē inquiritur, & hæreticæ prauitatis suspectus habetur. Sunt ergo reuera pseudoapostoli, qui publicè argui debent, ne qui incautiores sunt, illorum artibus circumuenti capiantur.

Porrò, quia Paulus suos illos aduersarios in Apostolos Christi trāsformatos esse dixerat, eius dicti rationem reddit propter stolidos eorum admiratores, quos fucatæ sanctimoniæ simulatio sic cœperat, vt illos tales esse vix poßibile putarent. Quæ persuasio hodie etiā multos decipit, vt indignè ferant Monachos aut Sacrificulos repræhēdi, qui vel dicendo aliquid possunt, vel morū simulata probitate & mirifica humanitatis specie sese apud illos insinuarunt. Tunc enim mox audiuntur voces istæ: Et quis credat istos homines de re Christiana malè sentire, qui venerabile illud IESV CHRISTI nomen nunquam non in ore habent? qui ad eius mentionem caput reuerenter inclinant? Quis verò de illorum sanctitate dubitet, in quorum vita & moribus extrema humilitas, modestia rara, & pudor plus quàm virgineus elucent? Sed Paulus omnibus istis vno argumēto respondet, & hoc diaboli singulare aucupium esse docet, quo optimis quibusq; insidias struit. Neq; id mirum (inquit) ipse enim Satanas transformatur in Angelum lucis. Argumentū est à Maiori, quod ita formari potest, vt sensus sit euidentior: Si Satā omnis nequitiæ & impietatis princeps siue caput, se transformare potest in Angelū lucis, quantò magis homines, quos Deus ad suū seruitiū condidit, ministros iustitiæ simulare possunt? Atqui Satan in Angelum lucis se transformare potest. Cur ergo alicui mirum videatur, aut impoßibile, si qui huius ministri & organa semel facti sunt, personam ministrorum iustitiæ suscipiant? Sunt autem ministri iustitiæ, qui CHRISTVM IESVM prædicant, qui nobis à Patre iustitia factus est, & ita ad veram iustitiam homines erudiunt, vt Daniel de illis loquitur. Ad Maioris confirmationem facit rerum experientia, & quæ paßim nobis occurrunt exempla. Etenim Angeli lucis dicuntur & reuera sunt, qui in Dei conspectu stant, & luce illa æterna, quā hic inhabitat, delectantur, quiq; ad eius obsequium parati, omnes homines ad illius cultum & æternæ salutis hæreditatem adducere cupiunt: vt in eorum Angelorum exemplis est videre, qui cum Daniele & Ioanne Apostolo egerunt. Econtra tenebrarum Angelus atque princeps dicitur Satan, qui vt tenebris gaudet, ita easdem omnibus hominibus offundere cupit, vt eos secum ad æternas inferni tenebras, ad quas ipse iampridem damnatus est, abripiat. Hic verò, etsi nihil perinde atque lucem Veritatis oderit, tamen in Angelum lucis se transformare solet, id est, celata sua persona Dei ministrū mentitur, qui & huius gloriam promotam; & hominum saluti consultum esse velit. Exemplum huius astutiæ in ipsa statim rerum origine edidit. Nam serpentis, animalium omnium sapientißimi, forma assumpta ad Euam acceßit, & colloquium cum illa à Deo exorsus, hoc sibi dolere simulauit, quòd hunc cum ipsa & Adamo malignius agere, & perfectiorem gloriam eis inuidere videat: neque eo contentus, scientiam boni & mali, & quòd Dei similes facere velit pollicetur, si suis monitis obtemperent. Ita verò infelicem decepit, & cùm illa omnem posteritatem in eas miserias adduxit, ex quibus non alio pretio quàm Filij Dei sanguine redimi potuimus. Simili ratione Achabum quoque seduxit, quando spiritus mendax fuit in ore Prophetarum eius; & victoriam contra Syros Dei nomine illi pollicitus est. Sed & gentes omnes sub sapientiæ & veritatis prætextu dementauit, vt Deos infinitos fingerent, idolis seruirent, seque ipsos nefarijs libidinibus polluerent, sicuti Paulus ad Romanos scribit. Quid quòd Christum tentaturus perinde egit, ac si de ipsius salute & gloria solicitus esset, & laqueos, quos ei parabat, Scripturis sacris velare ausus fuit? Talem nos quoque adhuc experimur: nec enim ab eo tempore ingenium mutauit. Quando enim nos ad defectionem à Deo, ad fidei abnegationem, ad superstitiosas & illicitas artes, idololatriam, vagas libidines & immanißima quæque scelera solicitat, non apertè quod vult edicit, neque initio statim vngues & cornua exerit, sed amicum & nostræ salutis amantem se esse simulat: falsa dogmata veritatis specie fucat: defectionem à Deo neceßitate excusat: manifesta scelera vtilitatis prætextu & communi omnium exemplo commendat. Opus igitur est de his frequenter cogitare, vt vigilemus, neque temere locum demus suggestionibus ipsius, vel etiam eorum blandiloquentiæ, quorum opera in nobis decipiendis vtitur. Nam qualis ipse est, tales etiā facit ministros suos: quod multis exemplis probari potest. Olim certè Veritatis & communis pa-

Non mirum, si impostores simulent Christi Apostolos.

Dan. 12.

Diabolus transformatur in Angelū lucis.

1. Reg. 22.

triæ atque diuini cultus vindex acerrimus videri volebat Hananias, qui Ieremiæ vrbi & templo excidium minati sese opposuit. At idem ille infelices falsis promißis inescatos decepit, vt incurabili sua cõtumacia exitiũ sibijpsis maturarent. Pharisæi itẽ & Sadducæi iustitiæ ministri et cultores præcipui esse putabantur, cùm pro Legis iustitia acerrimè pugnarent, & sanctitatis studium vestitu, verbis, nomine & operum suorum fuco publicè profiterentur. Sed ijdẽ Dei iustitiã reijciebant, & multorum animos suo exemplo & authoritate seducebant, quò minus Christũ & in hoc oblatã ipsis salutem reciperent. Horũ omnino similes sunt, qui hodie idololatriam & superstitiones vanissimas propugnant. Quid enim magnificentius & sanctius est titulis, quibus illi sese venditant? Põtifices certè Vicarij Christi dicuntur, Apostolici, Serui seruorum Dei, Sanctißimi. Qui ab his proximi sunt, Cardinalium nomine ornantur, vel quòd præ alijs excellant, vel quòd circa ipsos, ceu cardines, orbis terrarum vertatur. Alij Episcopi siue Speculatores, alij Abbates siue Patres, alij Monachi vel Solitarij & mundo mortui, multi Presbyteri, Doctores, Magistri nostri, Seraphici, Cherubici, candelabra Ecclesiæ, luminaria mundi, hæreticorum mallei, & quid nõ præterea? dici solent. At si omnes istos vnà cùm sua doctrina atq; studijs omnibus excutias, nõ alios inuenies, quàm quales isti fuerunt, de quibus in præsenti Paulus scribit. Quid enim habent, quod titulis istis respondeat? Aut quis operarios dolosos, imò perfidos, imò noxios esse negauerit, qui saluberrimũ illud opus Dei impediunt, fidem videlicet in IESVM CHRISTVM, *quo solo (vt ipse docet) panis ille cœlestis paratur, qui nos alit & seruat ad vitam æternam? Ioan.6.*

Nemo titulis moueatur.

Quapropter nemo se titulorum eiusmodi splendore temere capi patiatur, neque professionem veritatis ex fuco externo æstimet. Etenim olim nos Christus præmonuit, venturos lupos, qui se ouium pellibus venditent: & eosdem ex Ecclesiæ ministris siue Episcoporum ordine exorituros esse Paulus testatur. Nec vnquam nobis excidere debet, quòd magna illa mater scortationum philtra sua, quibus Reges terræ & populos dementat, in aureo calice propinare dicitur. Apo.17. *At nos oues Christi esse conuenit, quibus hoc ille proprium tribuit, quòd inter veri sui pastoris & mercenarij vocem poßint discernere. Etenim vehementer falluntur, qui se excusatos esse, culpam verò omnẽ erroris in doctoribus hærere putant. Notum est enim illud Christi: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueam. Matth.15.*

Pœna pseudoapostolorum.

Sed pœnam quoque istorum omnium audiamus, quam Paulus his verbis denuntiat: Quorum finis erit secundùm opera eorum. Vbi primùm obseruabis, quòd finem aliquando habituros dicit. Est hoc plenum consolationis. Nam plerumque videntur impostores & superstitionum antistites regnum suum ita stabiliuisse, vt nemo eorum tyranidi resistere poßit. Et hoc pios sæpe offendit, vt cum Propheta clament: Quousque Domine? Sed non durabunt perpetuò, & iam nunc illis metam fixit Deus, quam neque declinare neque transilire poterunt. Exempla, quibus hoc probetur, paßim habẽtur. Magna fuit olim in Ægypto Magorum existimatio, qui Mosi et Aaroni sese opponebant, & ipsius Regis fauore protegebãtur. Sed tandẽ finẽ illa habuit, & vel inuiti digitũ Dei agnouerũt, cui se resistere nõ posse sentiebant. Idem de Baalis mystis atque pseudoprophetis dici potest, qui sub Achabo & Iezabele perpetuò dominaturi videbantur: Sed hi quoque ad finẽ suũ decurrerunt, viuente adhuc et florente fidelis serui Dei, Eliæ, memoria. Idẽ Iudæorũ Sacerdotibus & Scribis accidit. Et nouißimis hisce temporibus, magna quidẽ est Pontificũ Romanorũ potẽtia, quæ diu Regibus quoque & Imperatoribus potentißimis formidabilis fuit. Attamen iam nunc illos ad finem suum tendere videmus, & nemo non nouit, quantum in illis expugnandis dicendo & scribendo profecerint à Deo excitati Veritatis præcones, qui nihil omnino posse videbantur.

Finis pseudoapostolorũ qualis?

Qualis autem erit finis ille? Secundùm opera ipsorũ. Id est, respondebit eorum factis & studijs. Ergo qui fuco & laruis suis diu illudunt omnibus, tandem ipsi quoque omnibus ludibrium fiunt. Et qui multos seducunt, ipsi quoque à diabolo seducti tandem toti excæcantur, vt in viam redire non poßint. Denique, qui diabolo, patri mendaciorum seruiunt, olim cum eodem in æternum cruciabuntur. Est hæc talionis Lex, quæ vt iustißima & ab ipso Deo sancita, ita etiam ineuitabilis est, & omnium sæculorum exemplis confirmata. Nam vt ad Ægyptios Magos redeamus, Exo.8.9. *annon hi cùm in pediculo creando hærerent, ludibriũ facti sunt? Et ijdem annon excæcati perrexerunt in sua contumacia, quàmuis Dei digitum & ore confiterentur, & vlceribus pleni in corpore*

suo sentirent? Et quis dubitet, eos, qui Regi indurationis causa fuerunt, & innumeram hominum turbam suis præstigijs in exitium adduxerunt, nunc æternis supplicijs mulctari? Sic Balaam, celeberrimus ille totius Orientis propheta, toti mundo ludos præbuit, quando ab asina reprehensus est, qui Deum loquentem audire nolebat: quando item Israëlitas execrari volens, ijsdem fausta precari cogitur. Quàm horribilis autem fuit eiusdem excæcatio, qua deceptus cum ipso Deo in certamen descendere non dubitauit? Et idem non multò post cum Madianitarum gente, quam diu seduxerat, se dignum interitum sortitus est. Accidit hoc ipsum ferè omnibus pseudoprophetis. De Iudæorum verò Sacerdotibus quid attinet dicere? Quoties istos toti populo deridendos Christus propinauit, si quando colloquia cum illo insidiosa instituerunt? Quàm ridiculos ipsi se præbuerunt in causa cæci, cuius oculos ille aperuerat? Quoties intra animos suos conuicti perrexerunt Veritatem persequi, quod excæcationis certum est argumentum? Quàm triste verò tandem excidium ijdem passi sunt cum tota gente, quam suis mendacijs diu lactauerant? Atqui in nostris hæc omnia fieri cernimus. Nam quasi retectis & supra caput reductis vestibus (vt Propheta verbis vtar) toti mundo ostenditur turpitudo eorum, & duplicia illis reddunt multi, quos illi nimis diu ludibrio habuerunt. In omnium ore sunt fraudes, doli, sacrorum nundinatio, tyrannis, rapinæ, quibus orbem Christianum oppresserunt. Canitur de illis in triuijs, compitis, tonstrinis, & in theatris populo læta spectacula præbent quæ de ipsis aguntur fabulæ. At illi fatali cæcitate fascinati ista non vident, & quasi adhuc salua ipsis sit sua authoritas, Concilia indicunt, ad reddendam fidei & doctrinæ rationem omnes imperiosè citant, minantur & bullarum fulminibus pugnant, atq; orientem vbiq; terrarum Veritatis Solem stramineis suis structuris impedire & fumis suis obscurare satagunt. Quid ergo aliud fiat, quàm quòd illos tandem digno excidio euertet Deus, vt nimirum magnā illam meretricem (vt in Apocalypsi prædicitur) hi ipsi spolient, exurant, deuorent, qui cum ea scortati sunt: & olim draco ille immanis cum pseudopropheta præcipitetur in lacū igne & sulphure inextinguibili ardentem? Neminem ergo illorum successus offendant. Excitent autem hæc omnes homines, ne operibus illorum malis communicent, multò minus eos tueantur. Si enim sectatores eorum pœna digni sunt, quid de illis fiet, qui eosdem armis defendere audent, quos Deus vult perditos? qui deniq; vt horum regnum stabiliant, in Dei electos crudeliter sæuiunt? Exiget de manibus istorum sanguinem seruorum suorum æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, *Dominus & Seruator noster: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

Ioan. 9.

Nahum. 3.
Apo. 18.

Apoc. 17, 18; 19, 20.

HOMILIA L.

Rursus dico, ne quis me putet insipientem esse: alioqui etiam vt insipientem accipite me, vt paululum quiddam & ego glorier. Quod dico, non dico secundùm Dominum, sed vt per insipientiam in præsidente ista gloriatione. Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor. Libenter enim toleratis insipientes, cùm sitis sapientes. Toleratis enim si quis vos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit. Quantum ad contumeliam dico: nimirum quia nos infirmi fuimus.

QVoniam pseudoapostoli partim ignauia & nimia indulgentia, partim improbitate sua totum Ecclesiæ Corinthiacæ statum turbauerant, cumq; saniori doctrina disciplinam quoque morum sustulerant, & (vt vulgò fieri solet) ideo apud plerosq; in honore & pretio erant, Paulus nuper magna cum vehementia in eos inuectus est, & docuit qui nam illi sint, & cuius serui sint, quæ deniq; tandem ipsorum sors aut finis sit futura. At quod de illis dicitur, ad omnes extendi debet, qui horum similes fidem & disciplinam Christianam labefactant: Vt nimirum tales caueamus, imò procul arceamus ab Ecclesiæ septis, ne quando omnes simul in exitium adducant. Postquam verò hos depinxit Apostolus, nunc ad seipsum redit, & quantò ipsis præstet ostendit. Et hoc quoque

ita facit, vt & impostoribus illis fucum amplius abstergat, & Corinthiorum leuitatem acriter perstringat, qui tales tam diu tamq; patienter tulerint.

Excusat gloriationem suam.

Initio rationem reddit, cur iterum de se dicere velit, & vt eum ferant, rogat: Rursus dico, id est, redeo ad id vnde digressus sum, ne quis me insipientem putet esse, cui (vt fatuis fieri solet) ea quæ hactenus dixi, temere exciderint. Nam solent qui non satis sanæ mentis sunt, effutire quicquid in buccam venit, & ab vno ad aliud transilire, quodq; prouerbio dicitur, ἀπροσδιόνυσα loqui. Veruntamen ex hac occasione attentionis argumentum captat, dum infert: Alioqui etiam vt insipientem accipite me, vt paululum quiddam & ego glorier. Id est: Esto, sim insipiens, ferte tamen me aliquantisper, vt de me aliquid dicam, quod gloriæ meæ asserendæ seruiat. Et paululum quiddam se dicturum protestatur, quia vt multis ageret non opus erat, cùm ipsius virtus & mirifici in propagando regno Christi ministerij sui effectus omnibus abunde noti essent. Ne quis tamen ipsi iniquior exciperet: Quid verò opus est nos istis obtundere, quæ ad te potius quàm ad nos spectant? Nũ quæcunque tu pro te dicis, nos vt oracula ad nos pertinentia audire cogemur? Respondet obiectioni huic per Concessionem: Quod dico, non dico secundùm Dominum, sed vt per insipientiam in præsidente ista gloriatione. Sensus verborum est: Fateor hanc asserendi gloriam & existimationem meam, rationem, quæ confidentis cuiusdam ambitionis speciem præ se ferre videtur, non per omnia conuenire Domini IESV CHRISTI præceptis, si ea secundùm τὸ ῥητὸν siue literam accipiamus. Ille enim nos ad humilitatem & patientiam instituit, vt iniurias & contumelias quasuis ferre, & pro malo bonum rependere discamus. Idem, etsi omnia fecerimus quæ nobis mandata sunt, tamen vt nos seruos inutiles esse fateamur; præcipit. At æmulorum meorum improbitas me in istam arenam protrahit, vt in hac mea existimationis assertione tam confidenti tantumnon desipere cogar.

Gloriatio insipientia dicitur

Est hîc obseruatu dignum, quòd gloriationem, qua vti cogebatur, rursus insipientiæ tribuit. Denuo igitur modestiæ admonet, & cauet ne quis suo exemplo ambitiosè abutatur. Est enim hoc valde necessarium, eò quòd naturali quodam gloriæ studio ardemus: quo interdum ita abripimur, vt in vetitis quoq; laudem quæramus, atque alios superbè aspernemur. Semper ergo meminerimus, nos peccatores esse, ex gratia autem accepisse quicquid boni habemus. Itaque nunquam debemus insolentius gloriari de ijs quoq; quæ bene & rectè fecimus, nisi ita nos cogat necessitas: vtpote quando Dei gloria in nobis periclitatur, & aliorum infirmitas id requirit, vt nominis nostri famam aut existimationem contra calumnias asseramus.

Pauli diligentia in scribendo.

Etenim sæpe coguntur serui Dei, vt præter ea, quæ ad salutis æternæ rationem & hominis Christiani officium pertinent, de alijs quoque rebus dicant: nimirum de sua vocatione, de fide item & industria sua, qua in illa obeunda vsi sint. Sed tunc illos Paulũ imitari conuenit, cuius solicita & circumspecta in scribendo diligentia singulari consideratione digna est. Primò enim diligenter cauet, ne quid Christi nomine proponat, quod ab eo non acceperit. Sic in priori epist. quoque Cap. 7. & 11. illum fecisse vidimus. Facit hoc ad commendationem doctrinæ Apostolicæ, ne illos ex carnis affectu aliquid dixisse aut scripsisse suspicemur. Quod enim de Prophetis Petrus dicit, illos ex Spiritus Dei suggestione locutos esse, hoc ipsum de Apostolis quoque debet intelligi, quibus à Christo dictum est: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis est. Id verò simul ministros officij admonet, ne quid temere dicant, neque pro oraculis venditent omnia quæ ipsis in ore nascuntur: sed meminerint se iisdem cum alijs hominibus affectibus obnoxios esse, & proinde Spiritus gubernaculis opus habere. Ne tamen quod in præsenti dicit Paulus, se non secundùm Dominum loqui, aliquis de doctrina sua dictum putaret, & sic illa in dubium vocaretur, diligenter illud ad præsentis causæ argumentum restringit. Ita ergo modestiæ & humilitati ministros studere conuenit, ne Veritatis doctrina in periculum veniat. Ideo Prophetæ, homines quoad alia modestissimi, in suis concionibus subinde repetunt: Dicit Dominus. Item: Factum est ad me Verbum Domini. Et quãta cum grauitate Paulus Euangelij abs se prædicati Veritatem affirmauerit, in principio epist. ad Galatas est videre.

2. Pet. 1.

Matth. 10.

Ab exemplo.

Sed argumenta audiamus, quibus institutum suum Apostolus excusat, vtque ipsum ferant æquum esse docet. Primum ab exemplo petit, dicens: Quandoquidem multi gloriantur secundùm

carnem

carnem, & ego gloriabor. Quæ verba non ita accipi debent, quasi liceat nobis coram Deo quicquid multi alij faciant (nam in plerisque vitari debet multitudinis exemplum, vtque per angustam portam & viam asperam ingrediamur, Christus iubet, qua pauci ingrediuntur) sed ad Corinthiorum iudiciū respicit Paulus. Quasi diceret: Quoniam per vos multis alijs licet ambitiosius gloriari, cur hoc mihi vitio vertatur, si æmulorum improbitate coactus vicissim glorier, vt mei nominis existimationem asseram? Dicit autem eos secundùm carnem gloriari, quia (vt ex ijs, quæ mox sequentur, apparet) gloriabantur gentis aut generis prærogatiua, Circumcisione, sapientia seculari, amicitijs, nominis splendore, vulgi applausu, diuitijs denique, & alijs eiusmodi, quæ mundi iudicio magnifica videntur, ad ostentationem verò magis faciunt, quàm ad conscientiæ integritatem. Matth. 7.

Obseruabis autem Paulum iisdem gloriari voluisse, non quòd ea alicuius momenti aut pretij esse putaret apud Deum: sed quia alij se istis insolentius efferebant, & propter ista apud imperitum & rude vulgus in pretio habebantur. Perinde ergo facit, ac si quis ex nobili familia natus & diuitijs clarus, sacrarum literarum & Theologiæ studium seriò amplexus, se totum Christi & Ecclesiæ suæ ministerio consecret, & aduersus eos, qui sola professione Theologi, reliquis propter genus & Doctoris titulum præstare volunt, suam quoque nobilitatem in medium adducat, dicens: Debebant quidem ista Theologi & Christi ministri pro stercoribus ducere, sed quia vobis lubet his gloriari, agedum videamus qua in re hîc etiam me superetis. Hoc sensu Paulus quoq; in præsenti loquitur, & ista contemni potius quàm magni fieri debere suo exemplo docet, cùm illis non nisi ab alijs prouocatus glorietur. Cur Paulus externis rebus gloriari voluerit?

Alterum apologiæ huius argumentum à Corinthiorum persona petit. Libenter enim (inquit) toleratis insipientes, cùm sitis sapientes. Habent ista Ironiam acrem, vel Sarcasmum, & ex communi hominum more loquitur, quo fit, vt magnates & qui præ alijs excellere volunt, fatuis ac morionibus delectentur: & fit hoc iusto Dei iudicio, vt quæ nemo alius illis dicere auderet, ex fatuis audiant. Sed & inter opulentos & mercatores, qui variarum gentium moribus atq; delitijs assueuerunt, illud hominum genus facilè locum inuenit. Adde, quòd qui verè sapiunt, ij non facilè succensent ex stultitia aut ignorantia peccantibus. Ad ista ergo respiciens Paulus ait: Quia præ multis alijs sapere vobis videmini, vel hoc argumento sapientiæ vestræ specimen præbete, vt hanc meam insipientiam patienter feratis. A persona Corinthiorum.

Admonemur itaque hoc loco, hanc non postremam sapientiæ partem esse, si quis aliorum ineptias, aut etiam contumelias æqui bonique consulat. Qui id facere nolunt, sibiipsis frequenter molestiam accersunt, seque ipsos sæpius cum ineptis illis altercando ridiculos præbent. Rectè ergo Diogenes, cùm ab improbo quodam petulanter percussus esset, & ab astantibus moneretur, vt illum in ius vocaret, respondit: Num verò idem mihi suaderetis, si me asinus calce ferijsset? Ita admonens stolidorum hominum, qui absque ratione quiduis dicunt & faciunt, non maiorem quàm asinorum rationem haberi debere. At hîc meminisse oportet, hoc ad ea modò debere restringi, quæ cum nulla Dei contumelia aut æternæ salutis periculo coniuncta sunt. Nam vbi de his agitur, ibi nullus patientiæ locus est, eò quòd illa non sunt nostri iuris, vt de eis pro nostro arbitrio dispensare liceat. Ideo Hieronymus olim dicebat, in hæreseos crimine neminem debere esse patientem. Sapientis est, aliorum ferre ineptias.

Et huc faciunt quæ sequuntur. Probat enim quod dixerat, ipsos libenter tolerare insipientes, & ostendit quales hucusque tulerint, vt & pseudoapostolorum mores depingat, & Corinthiorum stoliditatem arguat, qui ea tulerint hucusque, quæ Christianis hominibus sint indignissima. Toleratis enim (inquit) si quis vos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit. Accusat illos (inquam) quòd plus quàm seruili ignauia ab impostoribus illis patiantur, quæ nemo in Veritatis doctore ferre deberet. Quæ autem illa erant? Corinthiorum stoliditas arguitur.

Primò, Fertis (inquit) si quis vos in seruitutem adigit. Faciunt hoc, qui in hominum conscientiam sibi ius vendicant, vt superbè dominentur clero Domini: qui item pro imperio quiduis mandant, & eos qui Christo nomen dederunt, hominum traditionibus circumducunt, & oneribus par- Pseudoapostoli in seruitutem adigunt.

tim inutilibus, partim noxijs grauant. Id verò impostores illi faciebant. Nam ementita Apostolorum authoritate superbi ius sibi vendicabant in Corinthiorum Ecclesiam; Christi fideles in sectas distrahebant, cùm abs se illos vellent denominari: adhæc iugum Legis ijsdem imponebant, quod ne patres quidem (vt Petrus ait) olim ferre potuerant. Atqui quid hoc aliud erat, quàm in seruitutem adigere Christiano homini intolerabilem? Quid enim indignius est, quàm hominum seruum fieri eum, quem æternus Dei Filius proprij sanguinis pretio redemptum in libertatem filiorum Dei asseruit? Hæc certè causa Martyres dedit, qui quiduis potius ferre voluerunt, quàm in ijs quæ ad Deum spectant, hominum edictis parêre.

Exedunt. Secundò, Fertis (inquit) si quis exedit. Perstringit hoc membro auaritiam & insatiabile studium pecuniæ, quo impostores illi ardebant, vt non contenti ijs, quæ commodè dari poterant ab auditoribus, insuper exedebant eos, quos vt pastores debebant pascere. Et videtur alludere ad locum Ezech. 34. Ezechielis, in quo idem pastoribus populi sui Deus exprobrauit, quòd seipsos pascerent, pinguiores oues mactarent & ederent, atque earundem lana vestirentur. Erant autem horum similes Corinthij illi Logodædali, qui hunc suæ sanctitatis & grandiloquentiæ scopum sibi proposuerant, vt eo prætextu plures pecunias ab incautis emungerent. Simul autem exedendi verbo innuit, illos gulæ deditos esse, & malè quæsitas pecunias turpiter dilapidare. Est hoc ferè proprium pseudoprophetis 1. Reg. 18. & pseudoapostolis, quòd nimirum ventris & gulæ mancipia sunt; & intemperantissimè viuunt. Isa. 56. Sic olim ex Iezabelis mensa epulabantur Baalis sacerdotes. Et Isaias sui seculi seductoribus has Phil. 3. voces tribuit: Venite, vinum adferam, vt perpotemus ad ebrietatem vsque, &c. Et Paulus de illis, qui tunc oberrabant, alibi dicit: Quorum Deus venter est. Quid verò hodie faciant Papisticæ doctrinæ & religionis mystæ, quid attinet dicere? Norunt ista quicunque illorum conuiuijs funebribus, Encænijs & alijs festis intersunt, vt iam de priuatis compotationibus nihil dicam.

Attollunt se. Tertio ait: Toleratis si quis attollit se. Est hoc prioris consequens. Nam vbi tales vident se ab omnibus in pretio haberi, sibi omnes obedire in ijs quæ nimis pro imperio mandant; iam alios omnes præ se contemnere & immani fastu supra omnes extolli incipiunt, ac sibi nihil non licere arbitrantur. Est hoc in Repub. intolerabile vitium, quod (vt historiæ docent) ferè omnibus seculis seditiones dedit, ex quibus periculosæ legum & magistratuum mutationes enatæ sunt. At in religionis & salutis æternæ negotio illud impium quoque & detestatione dignum est, vbi nulla est Luc. 22. præeminentia, nisi quam Christus sanciuit, vt is alijs maior censeatur, qui omnibus alijs seruierit. In externis quidem sunt personarum discrimina, quæ Christiani homines diligenter obseruare debent, vt suum vnicuiq; tribuant. At in Christo non est mas aut fœmina, non seruus aut liber: & proinde ferri non debent, qui vt dominentur sese attollunt cum aliorum contemptu.

In faciem cædunt. Addit his quartum Paulus, dicens: Toleratis si quis vos in faciem cædit. Est hoc extremi contemptus argumentum, ideo per Expositionem subijcit: Quantum ad contumeliam dico, id est, non dico quòd quoad literam & ipso actu vos in faciem cædant, sed indignitatem contumeliæ significo, qua vos afficiunt, quæ non minor est, quàm si vos in faciem cæderent & conspuerent. Id verò faciebant partim doctrina, partim negligentia sua. Ad doctrinam pertinet, quòd Legem & Circumcisionem vrgendo, omnes eos Goijm dicebant, qui hanc non admittebant, & proinde vt prophanos & à Dei regno alienos aspernabantur. Faciunt hoc etiam hodie Iudæi, dum Christianos omnes Goijm dicunt, & insuper ipsum Christum execrantur atque diris deuouent. Deinde negligentia sua & nimia indulgentia Corinthios in contemptum adduxerant, qui prius inter Christianos homines præ multis alijs celebrabantur. Quòd enim in sectas scissi erant, quòd scortatoribus & hominibus incestis abundarent, cum idololatria & dæmoniorum mensa communicarent, & ita sibijpsis apud alias Ecclesias infamiam conciliarent, hæc (inquam) omnia istorum indulgentiæ debebant. Itaq; hoc dicendo illis turpem ignauiam exprobrat, qui ista ferant, nolint autem ipsum ferre, qui ipsorum honori & saluti consultum cupiat. Et ideo amplificationis causa addit: Nimirum quia nos infirmi fuimus. Habet hoc membrum acrem Aposiopesim. Quasi diceret: Ideo hæc fertis sub istis, quia scilicet nos infirmi, id est, abiecti & mille periculis obnoxij, vitam egimus in egestate, & manuum labore inter vos victum quæsiuimus. At cur non obseruatis exerentem se in hac infirmitate virtutem Spiritus sancti? Ego enim qui talis sum, vos ab idolorum cultu ad fidem Christi

Christi conuerti, ego apud vos plantaui quæ isti destruunt? Cur item non cogitatis, me sponte animum ad ista demitti, vt vos extollam? Quæ ergo hæc ingratitudo est & iniquitas, quòd me contempto, eos in pretio habetis, qui vos deprimunt & conculcant, vt ipsi de vobis gloriari & in delitijs viuere poßint?

Continet exemplum hoc generalem doctrinam siue admonitionem, quid illis fieri soleat, qui salutare Christi iugum ferre nolunt, & synceram Euangelij doctrinam fastidiunt. Manet hos seruitus omnium miserrima & contumeliosißima, qua meritò mulctantur, qui libertate à Deo data frui nolunt. Typus huius rei olim in Israëlitis præceßit, qui reiecto Samuele, fidelißimo Dei seruo, Saulem, crudele ambitionis mancipium sibijpsis imposuerunt. Hoc ipsum Corinthijs accidisse, hic locus docet. Imò eandem omnium Ecclesiarum Orientis sortem fuisse videmus, quæ postquam diu inter se pugnarunt, & spreta saniori doctrina, blasphemis nefandißimarum hæresum authoribus locum dederunt, tandem Mahumeti impostori sceleratißimo præda facti sunt, sub cuius iugo infelici hodie gemunt. Occidentales autem Ecclesiæ eadem ratione Antichristum Romanum sibijpsis accersiuerunt, sicuti Paulus in posteriori ad Thessalonicenses prædixit: sub cuius iniusto dominio omnia ea fiunt, quæ in præsenti de Corinthiorum pseudoapostolis dicuntur.

Sors eorum, qui Christi iugum ferre nolunt.

Etenim qui illum admittunt, ij serui fiunt miserrimi quoad corpus & animam. Et quis hoc neget, quando Papa Reges & Imperatores sibi iureiurando obstringit, & eosdem ad pedum suorum oscula cogit? Quid verò Abbates & Episcopi? Annon hi olim abolitam inter Christianos homines seruitutem instaurant, quam ne moriendo quidem licet effugere, cùm ideo sibi omnes mancipatos velint, vt à mortuis poßint tributum exigere? Animas verò traditionibus grauant nõ minus noxijs quàm impijs? Nam coniugio & cibis à Deo datis & conceßis interdicunt: ad confeßionem quosuis adigunt, per quam in omnium conscientias penetrant, & ita sibi obstringunt summos, infimos, diuites & pauperes, principes & subditos, vt nemo contra illos vel mutire audeat: adhæc in sectas scindunt, & hominum seruos faciunt eos, quos Christus in filiorum Dei libertatem vindicauit. Similiter exedant quoque sibi addictos mirificis exactionibus, dum sub religionis prætextu ex omnibus, quæ in rerum natura sunt, quæstum faciunt vberrimum: adeò vt per illos nemini gratis vel nasci vel mori liceat. Ipsi denique Alchymiam lucrosißimam inuenerunt, per quam ex terra, aëre, igne, plumbo, cera, membranis, fumis deniq; & campanarum bombis, non aurum modò, verumetiam annuos redditus & ditiones longè lateque patentes possunt elicere. Quid, quòd Monachi sub paupertatis voluntariæ prætextu diuitijs abundant, & regna quoq; sibijpsis acquirunt? Et quis opum ita quæsitarum vsus est? Fastus, libido & ingluuies. Adhæc attollunt sese contra omnes, vt qui soli sint Spirituales & Clerus Domini, alios verò cuiuscunq; sint loci aut ordinis contumeliosißimè præ se contemnunt: imprimis autem principes viros, qui magistratum gerunt, quos ne seruorũ quidem loco habent, nisi ipsis in omnibus seruiant. Etenim Papa se extollit supra omne numen vt in posteriori ad Thessal. scribitur: idem sibi applicare audet illa Christi: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: Quis me arguet peccati? Deniq; quòcunq; venias, illic Episcopos, Monachos, Sacrificos primas tenere videbis. Accedit his, quòd tantumnon in faciem cædunt omnes, quibus dominantur. Quis enim nescit, infelicem illam Romam omnes gentes pro barbaris habere, & Germanos imprimis per ludibrium olim Bonos Christianos dictos fuisse, cùm ipsis adhuc seruiliter obedirent: quos nunc cum ipsius Christi ludibrio scismaticos, hæreticos & Turcis deteriores esse dicũt, eò quòd Euangelij doctrinam secuti Christum solum suum redemptorem & seruatorem agnoscunt? Notum est item omnibus Alexandri VI. dictum, qui ab ipsis traditam religionis formulam bonum errorem esse dixit, per quem ipsi regnent & dominentur. Cui non absimile est filij eius Valentini Borgiæ non minus impium quàm scurrile apophthegma, qui cùm aliquot millia aureorum infami alea amisisset, se Germanorum peccata lusisse dicebat: nimirum quòd eam pecuniam ex Indulgentijs in Germaniam mißis pater collegisset. Taceo, quòd omnes propè Sacrifici & Monachi alienis thoris insidiantur, & mirifico astu cumque totius orbis ludibrio suos fœtus vt cuculi alijs æducandos supponunt. Sed dies me deficeret, si omnes contumelias & iniurias, quibus priuatim & publicè hominibus insultant, velim persequi. Arguunt autem hæc peruersum mundi stolidi & infelicis iudicium, qui tales non fert modò, verumetiam in pretio

Tyrannis Pontificum.

habet, imò defendit illos, proque ipsis bella gerit, quæ sæpe eò vsque progrediuntur, vt principes in suæ fidei commissum populum crudelissimè sæuiant, parentes verò ex se natos propter solam fidei purioris professionem abdicare non vereantur. Interim suaue illud & salutare Christi iugum nemo vult ferre: & qui sub Papatu ista omnia patientissimè tolerauerunt, nunc modicam disciplinam recusant ferre, quæ non alia ab eis exigit, quàm quæ communis sensus factu salutaria & necessaria esse docet. Quæ verò huius mali causa? Nimirum, quòd Euangelij præcones mundi iudicio infirmi sunt, & nullo splendore commendantur. At non illis hærere debent, qui ad salutem æternam aspirant, sed in illis se exerentem Spiritus sancti virtutem & illustria Euangelicæ prædicationis effecta obseruare. Terreant etiam multorum exempla, qui sua ingratitudine iugum grauius sibijpsis accersunt. His consideratis agnoscamus Dei beneficium, qui nos per Filium suum IESVM CHRISTVM liberauit, & huic consecrati ipsi seruiamus in spiritu & veritate: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LI.

Imò, in quocunque audacia vti velit aliquis (insipienter loquor) audacia vti velim & ego. Hebræi sunt? sum & ego. Israelitæ sunt? sum & ego. Semen Abrahami sunt? sum & ego. Ministri Christi sunt? (desipiens loquor) supero ego: In laboribus, amplius: in verberibus, supra illos: in carceribus, amplius: in mortibus sæpe.

GRauiter accusauit hucusq; Paulus nimiam Corinthiorum facilitatem, qui impostores pseudoapostolos plus quàm seruiliter ferebant, à quibus indignissimè tractabantur. Nam præter id, quòd synceriorem Euangelij doctrinam corrumpebant, sua ambitione simul & auaritia omnibus erant intolerabiles, & vt ipsi dominarentur, eos quos CHRISTVS IESVS sui sanguinis pretio redemit, sibijpsis mancipabant, spoliabant, & non sine contumelia eorundem facilitate abutebantur. Est hoc memorabile exemplum peruersitatis mundi, qui (vt prouerbio dicitur) vult decipi: & constat, hoc antiquum & commune vitium esse, quòd in pretio habentur seductores, contempti autem & exosi sint, qui Veritatem fideliter docent, & omnium saluti consultum cupiunt. Porrò fallebantur Corinthij pseudoapostolorum magnificentia & ostentatione, & è contra vili atque contemptibili Pauli specie offendebantur, & (quod perinde reprehendi merebatur) hoc ei vitio vertebāt, cuius causa ipsum debebant maximi facere. Ideo nunc liberius digreditur in suiipsius commendationem, vt & inanem pseudoapostolorum iactantiam confutet, & Corinthios de toto Euangelicæ prædicationis ministerio rectius iudicare doceat.

Apertius suam authoritatem contra quosuis tuetur.

Propositio omnium, quæ ad finem Capitis vsque sequuntur, hæc est: In quocunque audacia vti velit aliquis (insipienter loquor) audacia vti velim & ego. Audaciam dicit, ambitiosam illam & confidentem iactantiam aduersariorum: qui cùm homines nihili essent, quiduis tamen sibijpsis arrogabant, adeò vt contra germanos Christi Apostolos sese extollerent. Itaque sic vult dicere: Age, quia mea infirmitate offendimini, rogo vos, vt omissis paulisper personis, rem ipsam examinetis: & mox patebit istos homines, qui vobis tanti viri esse videntur, nihil habere præter inanem confidentiam cum audacia impudenti coniunctam, qua sese venditant, & quæ illos vobis debebat suspectos facere. Quia verò illam tanti facitis, age ego quoq;, vt causæ communi consulam, nolo illis meticulosior videri, & proinde liberè hoc vobis edico, illos quantumuis audaces & arrogantes sint, tamen non aliquid habere, in quo ego illis cedam, neque etiam mihi animus deest, vt cum illis pedem propius conserere verear. Rursus verò excusationem interponit, qua se insipientius loqui fatetur: vt ostendat se inepto & præpostero Corinthiorum iudicio cogi, vt cum Thrasonibus illis ineptire velit. Accidit hoc sæpe ijs, qui in Ecclesia & Repub. versantur, & in eo magna eius prudentiæ pars sita est, quam Christus in suæ domus dispensatore requirit.

Ministri impostoribus se fortiter opponāt.

Etenim debent isti diligenter videre, vt quàmuis humilitati & modestiæ studeant, animo tamen præsenti sint, vt audeant (si quando necessitas exigit) se improbis & gloriosis ostentatoribus opponere.

opponere. Nam humilitatis hic finis esse debet, vt Deo sua gloria vindicetur, & vt hic supra omnes emineat. Itaq; modestia præpostera & reprehensione digna est, quæ permittit, vt improbi sese contra Deum attollant impune. Vidit hoc Moses, qui cùm mortalium omnium mansuetissimus esset, inuicta tamen magnanimitate omnibus sese opposuit, qui Ecclesiæ & Reipub. statum turbabant. Quod ipsum Prophetas fecisse legimus, qui non veriti sunt Regibus quoq; in faciem resistere. Rectè ergo hos in præsenti Paulus imitatur. Et poterunt idem facere, qui primò legitimam vocationem habent, & eo nomine sibijpsis bene sunt conscij: quæ causa est, quòd hanc Prophetæ & Apostoli frequenter suis hostibus atq; eorundem minis opponunt. Deinde si in ijs seduli sint, quæ vocatio ipsorũ requirit, & ea fide bona exequantur. Tunc etenim aduersariorum ora & linguas facilè frænare poterunt, si horum calumnijs & inani iactantiæ ipsi res & opera opponant. At hodie omnis ἀναρχίας atque confusionis hæc præcipua causa est, quòd plerique ad Ecclesiæ & Reipub. gubernacula malis artibus irrepunt, qui deinde affectibus prauis indulgent, & ita suam authoritatem turpiter prostituunt.

Sed Paulum audiamus, qui cum aduersarijs suis congressurus à genere aut gente orditur, & hîc eos nihil habere ostendit, propter quod sibi debeant præferri. Et quia in hoc argumento nimiùm futilis erat æmulorũ iactantia, ne quid ipsis reliquum faciat, omnes titulos congerit, quibus sese venditabant. Erat inter hos primus, quòd Hebræi essent, quo nomine de gentis vetustate gloriabãtur. Heber enim (vt Moses tradit) Semi abnepos, filium habuit Pælegum, sub quo linguarum diuisio facta est. Erat ergo hoc præclarum prouidentiæ & studij Dei erga gentem illam argumentũ, quòd cùm aliæ gentes vel prorsus interijssent, vel sedibus suis relictis, cum alijs permixtæ essent, sola Hebræorum gens, ex qua promissus ille humani generis redemptor nasci debebat, suam originem vnà cum lingua primis parentibus vsitata retinuit, & ab alijs distincta mansit. Deinde Israëlitas se esse dicebant, nimirum à Iacobo, qui primus nomen istud ab Angelo accepit, quòd ei in lucta præualuisset. Et eo posteri imprimis superbiebant, perinde ac si principes & victores Dei essent, vt apud Hoseam est videre. Imprimis tamen gloriari solebant Abrahami nomine, cuius filij volebant dici, propter promissiones & fœdus, quod cum illo & posteritate eius Deus sanciuerat. Et erat propter istud apud fideles magna Iudaicæ gentis dignitas, quòd ex ea CHRISTVS IESVS secundùm carnem natus esset, & ex eadem prodijssent Apostoli. Itaq; non temere factũ fuit, vt pseudoapostoli his titulis sese venditarent, vt nimirum ipsi quoq; pluris fierent. Addebant his (vt alibi monuimus) quòd Christum in carne vidissent, & quòd ab eius Apostolis germanis essent missi. Vt ergo hanc laruam eis detraheret Paulus, grauiter cum illis agit, & interrogationibus vrget stolidos illorum admiratores. Quasi diceret: Age, quid obsecro habent illi, quoad hanc suæ gloriationis partem, quo me superent? Num quòd Hebræi sint? Atqui ego quoq; Hebræus sum. Num quòd Israelitæ sint? At me quoq; Israelitam non minus quàm illos esse constat. Num quòd Abrahami semen siue filij sint? At ipse quoq; ex Abrahami posteritate natus sum. Et facit ad huius loci interpretationem, quod in epist. ad Philip. scribitur: Si quisquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis habeo: Circumcisus octauo die, ex gente Israelis, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, &c. Quibus adde, quæ Acto. 22. & 26. de seipso dicit.

Generis fiduciam confutat.

Gen. 10.

Gen. 32.

Hos. 12.

In præsenti verò non obscurè Corinthiorum stupiditatem perstringit, qui in pseudoapostolis ea magni faciebant, quæ in Paulo negligebant. Ita solet vulgò fieri, vt si cui bene volumus, omnia eius admiremur, quæ in multis alijs non obseruamus. Ita hodie si quis Episcopus aut Abbas aliquẽ blandius alloquatur, mox is incredibilem illius humanitatem prædicat, & huius prætextu superstitiones simul & aperta flagitia, quibus illud hominum genus pollutum est, excusat: at æternum Dei Filium, Regem & Sacerdotem verum & vnicum, nos quotidie expansis vlnis ad se & bonorum cœlestium communionem inuitantem, pleriq; negligunt. Similiter, si Sacrificulo pro concione dictum aliquod plausibilius excidat, omnes illud excipiũt, mirantur, laudant: nõ autem attendunt fidis Christi ministris, hoc ipsum quotidie ad rauim vsq; clamantibus.

Corinthiorum stupiditas.

In Paulo autem obseruemus, eum ista non ideo dixisse, quòd (vt ambitiosi illi solebant) ex genere & natalibus gloriam captarit, sed potius, vt horum vanitatem argueret. Dum enim se eandem habere ostendit gloriandi materiam, ea autẽ non vtitur, non obscurè testatur, se ideo abstinere,

Generis fiducia & gloria inanis est.

quòd illa nullius sit momenti. Fuit hoc sanè proprium Iudæis, quòd gentis suæ nobilitate glorientur, & extant ambitionis istius exempla passim apud Prophetas, vt iam de illis nihil dicam, quæ Ioanni Baptistæ & ipsi Christo aliquando nimis insolenter obiecerunt. Quin hodie, etsi omnibus modis miseri atq; infelices sint, tamen adhuc se solos Dei peculium & gentem sanctam esse sibi persuadent, reliquos verò omnes (vt nuper diximus) prophanos Goijm dicere consueuerunt. At semper grauissimè cõfutata est à Prophetis hæc illorũ arrogantia, qui eos non veriti sunt Amorrhæos & Chananæos dicere: & Christus eosdem diaboli filios esse demõstrat, cùm Abrahami patris sui titulo aduersus ipsum arrogantius superbirent. Obseruandum hoc erat illis, qui hodie maiorum suorum virtutes & stemmata iactant. Est quidem singulare Dei donum, ex præclaris parentibus natum esse: Sed nisi tu natalium splendori respondeas, eò illustrior est tua nequitia. Et quis (vt Satyrici poëtæ verbis vtar) generosum dixerit hunc, qui

Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? miserum est aliorum incumbere famæ.

Ideo idem ille non minus grauiter quàm prudenter in degeneres patriæ virtutis decantatores dicebat:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas:
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Vt verò ad huius seculi solidam gloriam nihil facit generis nobilitas: ita multò minus hæc iuuat in æternæ salutis negotio, sicuti in Ismaelis, Esaui & similium exemplis est videre. Et notum est illud Apostoli, filios Dei non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex solo Deo nasci. Et germanos Abrahami filios esse dicit Christus eos, qui illius fidem atque mores imitantur. Transferamus hoc ad nostri seculi Apostolicos, Pontifices nimirum & Episcopos, qui Petri successione superbiunt. Nam vt hanc illis demus, imò vt insuper eos ex Petri genere natos esse fateamur, quid tamen hoc proderit, nisi se Petri Spiritu agi operibus suis testentur? Et rectè olim orthodoxi patres monuerunt, non personarum, sed doctrinæ successionem spectari debere. (Ioan. 1. & 8.)

Sed pergamus in Pauli verbis, qui ad id transit, quod præcipuum huius tractationis caput est, Ipsum videlicet Verbi Euangelici ministerium. Ministri Christi sunt? (desipiens loquor) supero ego. Rursus autem insipientiæ hæc verba tribuit: quia vix vllum aliud huius argumentum est euidentius, quàm si quis se alijs præferat nulla necessitate coactus. Nam qui id faciunt, ij plerunque seipsos & communem hominum sortem ignorant. Est autem in Pauli exemplo probè obseruandum, quòd qui quoad generis nobilitatem alios ferre potuit æquales, nunc vbi ad ministerium Verbi deuentum est, se supra illos extollit: primò quidem, quia hoc exigebat donorum excellentia, in quibus non debuit negligere gloriam Dei, qui ipsum præ multis alijs instruxerat, vt organum sibi esset electum: Deinde, quia toti in hoc erant pseudoapostoli, vt ipsum contemptui exponerent: quod fieri non poterat absque doctrinæ & religionis Christianæ contumelia. Adde, quòd nisi illis fuisset præstantior, Christi seruus esse non poterat, & proinde neque fidem meruisset ipsius doctrina. Itaque non tam pro sua authoritate, quàm Euangelij doctrina pugnat, vt illos euincat non esse germanos Christi Apostolos, imò indignos esse, qui audiantur. Habent ergo verba hæc Concessionis speciem. Quasi diceret: Esto, Christi ministri sint, non tamen mihi conferri merentur, neque eadem indicia proferre possunt, quibus ego me Christi ministrum esse probo. Et est hîc obseruatu dignissimum, quòd à generis nobilitate ad ministerium transit. Vera enim nobilitas est Christi ministrum esse. Nisi hoc accedat, turpissima diaboli mancipia, aut saltem ignaui ventres sunt, quicunque alijs donis superbiunt. Id verò non modò Ecclesiarum ministri, verumetiam principes Reipub. ad se transferre debent: quorum hæc summa gloria est, quòd ipsi quoq; in Scripturis serui Dei dicuntur. (Ministerij sui dignitatẽ Paulus asserit.)

Cæterùm probat Paulus, se quoad ministerium alteris illis præstare: id verò non inanibus verbis aut hominum testimonijs probat, sed reipsa, ijs nimirum, quæ hucusque fecerat & passus erat. In laboribus (inquit) amplius: in verberibus, supra illos: in carceribus amplius: in mortibus, (Qua in re Paulus alijs præstantior fuerit)

sæpe.

sæpe. Laborum nomine continuas peregrinationes, docendi molestiam & infinitas, quæ ei obijciebantur, difficultates intelligit: quibus accedebat, quòd interdum victum sibijpsi manuum labore parare cogebatur. Quod de verberibus & plagis dicit, ipse mox interpretabitur. In carceres quoque & vincula sæpe coniectum fuisse, Actorum liber docet. Mortes grauiora pericula dicuntur, quæ præsens vitæ periculum minantur. Tale quid fuit, de quo in primo Cap. scripsit, & quòd se cum reliquis Apostolis mortificationem IESV CHRISTI in corpore suo circumferre dicit. Vide 2. Cor. 4. & 5.

Debet hîc non oscitanter obseruari, quòd non inanibus titulis aut bullis superbit Paulus, sed reipsa & operibus se Christi Apostolum esse probat. Hæc enim vera est seipsum commendandi ratio, si res & facta loquantur. Pontifices Romani, vt se Apostolicos esse probent, ipsi otiosi adducunt Conciliorum decreta, Imperatorum donationes, successionem Apostolicam, & quæ alia sunt huius generis. Atqui omnia ista in pessimis quibusque locum inueniunt, & proinde non possunt Christi ministros facere, quorum ministerium, non in dignitate & eminentia externa, sed in opere consistit, quod illis Deus mandauit. Peccant etiam priuatim, qui fidem in Christum magnificè profitentur, factis verò eandem negant. Quibus omnibus Diuus Iacobus dicit: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego tibi ostendam fidem meam ex factis meis. Quod ipsum ad se quoque debent transferre, qui magistratum aliquem gerunt. Nam hîc quoque præstant reliquis, qui plus alijs in Repub. laborant. Non inanibus verbis, sed re-ipsa probat se Apostolũ esse.

Est præterea hoc loco obseruatu digna admirabilis rerum vicissitudo, quam Paulus subijt. Priusquam enim ad fidem Christi conuerteretur, ipse otio, diuitijs & dignitatibus abundans, alijs labores exhibebat, qui ipso authore in carceres ducebantur, cædebantur & egebant, sicuti ipse in Actis testatur. Nunc eadem ipse patitur ab ijs, apud quos prius in pretio & honore fuerat. Accidit hoc multis olim, & exempla huius generis passim in historijs occurrunt: & hodie vix quicquam frequentius est in illis locis, vbi persecutiones feruent. Admonent ista, primùm, ne temere desperemus de alicuius hominis salute. Qui enim apertos Verbi sui hostes & crudeles Ecclesiæ suæ persecutores in gratiam recipit, multò magis eos admittet, qui in ijs modò delinquunt, quæ ad hoc seculum pertinent. Et exempla sunt quæ nos in fide ista confirmant: inter quæ perquàm memorabile est, quod in Paulo habemus, qui eius considerationem nobis seriò commendat in priori ad Timoth: dicens: Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, quòd CHRISTVS IESVS venit in mundum, vt peccatores seruaret, quorum primus sum ego: verum ideo misertus est mei, vt in me primo ostenderet IESVS CHRISTVS omnem clementiam, vt essem exemplar ijs, qui credituri erant ipsi in vitam æternam. 1. Tim. 1. Vicissitudo rerum in Paulo.

Deinde peruersum mundi ingenium atq; iudicium hic locus arguit. Quia enim totus in malo iacet, eorum modò amicitia gaudet, & eos solos amat, qui ipsi perditionis authores atque scelerum ministri sunt. Eosdem verò odit & immani impietate persequitur, quàm primùm ipsos ad Deum conuersos hoc agere videt, vt plures alij per ipsos conuertantur & salui fiant. Exemplis non opus est; vbi res ipsa loquitur. Olim certè ab Imperatorum gratia illico excidisse legimus eos, qui Christo nomen dabant, in pretio autem habitos fuisse, qui ipsorum rabiem adiuuabant. Consolentur illorum exemplis sese pij hodie, neq; dubitent de Dei bonitate, qui remunerator est fidelissimus. Mundus hostes suos amat.

Tertio discimus Pauli exemplo, Deum non impunitos dimittere eos, qui Ecclesiam eius persequuntur, aut molestiam atq; labores ei exhibent. Illius enim vox est: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Quare tanti æstimat illis factas iniurias, vt has in illis quoq; vlcisci soleat, qui ad ipsum conuertuntur. De Paulo certè, cùm ad Damasci portas prostratus esset, iamq; Deo obedientiam vouisset, Ananiæ Dominus dicebat: Ego ostendam ei, quàm multa oporteat eum pati pro nomine meo. Quid ergo de contumacibus fiet, & pœnitere nescijs? Hoc nimirum, vt in sua contumacia malè pereant, & tandem cum magno illo Christi aduersario sempiternis inferni cruciatibus mulctentur. Non impunè ferunt, qui Ecclesiam persequuntur.

Postremò, qui iam ab impietate conuersi & à Christo in gratiam recepti sunt, agnoscant iustum Dei iudicium, qui magno ipsorum merito eos durius tractet, exosculentur autem eiusdem bonitatem, qui ipsos Verbi sui luce illuminare dignatus est, vt iam gratiæ suæ vasa sint, qui prius Conuersi ad Christum, patienter omnia ferant.

iræ & ignominiæ vasa videri poterat. Fuit in ista consideratione admodum frequens Paulus, quæ ipsum in Dei seruitio feruentiorem fecit, simulq́ patientia inuicta armauit, qua per omnes aduersorum procellas eluctatus est. Faxit æternus Dei Filius, IESVS CHRISTVS, vt qui hodie eius Ecclesiam persequuntur, simili exemplo conuersi, ipsi seruiant, & illius merito partæ salutis participes fiant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LII.

A Iudæis quinquies accepi quadragenas plagas, vna minus. Ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi: In itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis à gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres: In fatigatione & ærumnā, in vigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate: absque ijs quæ extrinsecus, vrget agmen illud in me quotidie consurgens, solicitudo nimirum pro omnibus Ecclesijs. Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego vrar?

Ministri ex ijs æstimentur, quæ pro Christo faciunt & ferunt.

QVoniam pseudoapostoli apud Corinthios externo splendore sese venditabant, Paulus è contra illis opponit labores & omnis generis pericula, quibus ipse exerceatur: & ne quis eum de illis loqui putet, quæ ipse sibi absque causa necessaria accersiuerit, disertè narrationem omnem ad ea restringit, quæ ipsi in IESV CHRISTI ministerio, apostolatu nimirum, acciderant. Continent autem hæc generalem doctrinam, Ecclesiarum ministros non ex ijs, quæ mundo magnifica videntur, æstimari debere, sed ex curis & laboribus, quos in promouenda gloria Dei & hominum salute sustinent. Quoad verò narrationem hanc, nuper in genere dixit, se in hac parte aduersarijs suis multùm præstare, vt qui ipsis in otio inter amicos & admiratores suos securè delitiantibus, omnis generis labores subeat, verbera patiatur, carcerum squalorem sentiat, adeoque inter mille mortes versetur. At ne quid illum fingere dicerent, quòd in genere dixerat, nunc in species diducit. Ita verò & aduersariorum segnitiem arguit, & Dei gratiam in se agentem magnificè commendat.

Quinquies à Iudæis cæsus.

Orditur à singularibus, quæ ipsi quasi propria & cum paucis alijs communia erant. Inter quæ primum est, quòd à Iudæis se quinquies plagas quadragenas, vna minus, accepisse scribit. Et consultò Iudæos primo loco adducit, vt magis perstringat æmulos, qui quòd Iudæi essent, superbiebant, cùm vel hoc solo nomine bonis & cordatis quibusque deberent suspecti esse. Nam illo tempore nulli erant hostes Christi illis truculentiores, qui non Paulo soli vbique terrarum negotium faciebant, verumetiam pedibus manibusque obstabant, ne Euangelium gentibus prædicaretur, vt in priori ad Thessalonicenses scribitur. Sed & numerum plagarum exprimit Apostolus, vt ostendat, Iudæos extrema, qua licebat, crudelitate in ipso mulctando vsos fuisse. Extat enim Lex Dei, quid cum illis agi debeat, qui etsi capitis supplicium non meruerunt, tamen in corpore mulctari debent. Non vult Deus talibus omnino parci, aut eos indulgentius tractari, sed vt virgis aut flagris cædantur præcipit, vt seruile supplicium luant, qui seruiliter peccarunt. Veruntamen moderationem præscribit, ne odio aut iræ aliquid detur, sed pro delicti ratione plagæ plures aut pauciores talibus infligantur: monet autem, ne numerum quadragenarium excedant: & caussa huius præcepti hæc redditur: Ne vilescat frater tuus in oculis tuis, id est, ne eum, qui tuus ciuis & fratris instar est, videaris habere vilis bestiæ aut iumenti loco. Ne quid ergo hîc peccaretur, à Rabbinis constitutum fuit, ne ad quadragesimam vsque plagam cædendo procederetur, sed in trigesima nona finis fieret: ne videlicet ad quadragesimam vsque progressi, impetu iræ abriperentur, & temere adhuc vnam & alteram addendo in Dei legem peccarent. Fuit hæc quoq; cautio hypocritica, quales multas Rabbini excogitarunt: & hanc in Paulo Iudæi obseruauerunt,

1. Thess. 2.

Deut. 25.

uauerunt, quasi moderatius cum eo vellent agere, cùm interim in Dei legem non vno modò peccarent. Nam & innocentem cædebant, & ad extremum vsq; numerum procedebant, procul dubio plures plagas addituri, si licuisset. Attamen qualescunque fuerint, nostris moderatiores fuerunt, qui Christiani dici & haberi volunt. Nam contenti extremo Legis rigore, non putarunt vlterius esse progrediendum. Item cæsum dimiserunt, non autem coëgerunt fidem abnegare, neq; spectaculum ex illo fecerunt theatricum, multò minus occiderunt. Hodie omnia ista faciunt Inquisitores, qui eò sanctiores se fore putant, quò crudelius in Christi germanos cultores sæuiunt. Quæ causa est, quòd publica quoq; iura silent, si qui verè fideles in illorum manus incidant.

Sed ad Paulum redeamus, qui se ter virgis cæsum fuisse ait: nimirum inter gentes, apud quas hoc supplicium vulgare fuit, apud Romanos imprimis, quorum apparitores securibus & virgis armati Consulem comitabantur. Et hoc Paulo apud Philippenses accidisse, Lucas in Actis scribit. Addit his, semel etiam se lapidatum fuisse, apud Lystrenses nimirum: quod etiam Iudæis authoribus factum fuit, & tunc quidem, cùm ingens beneficium dedisset Lystrensibus, & ad veri Dei cultum eos reuocaret, qui ipsi & Barnabæ diuinum cultum exhibere volebant. Fuit hoc memorabile leuitatis humanæ exemplum. Quem Deum esse proclamauerunt Lystrenses, mox lapidibus obruunt, & seminecē ex vrbe eijciunt, idq; ab hominibus peregrinis persuasi. Quid, quòd Iudæi, ne Lystrenses relictis idolis ad sui Dei cultum conuertantur, obstant: quando vident fore, vt eadē ratione Christiani fiant? Similes horum sunt hodie nonnulli ex Euangelicæ doctrinæ professoribus, quibus dolet, si qui Papisticis superstitionibus abnegatis ad Euangeliū & synceriorem Christi fidem transeunt, non autem ab ipsis conscriptæ aut receptæ Confeßioni subscribunt. Sed debet Christi cultores animosos facere hoc Pauli exemplum. Qui enim hunc inter medios lapidum grandines seruare potuit, ne periret, ipsos quoq; tuebitur, quoad illorum operam Ecclesiæ suæ vtilem fore viderit. *Virgis cæsus & lapidatus.* *Act. 16. & 14.*

Præterea terni quoq; naufragij meminit, quibus quartum tandem accesit, quando ex Iudæa vinctus Romam missus fuit. Addit in præsenti: Noctem ac diem in profundo egi. Chrysostomus illum tanto tempore à fluctibus iactatum esse, & natauisse putat. Sunt qui in ipsa maris abysso eum miraculosè (vt Ionam in ventre ceti aut lamiæ) seruatum fuisse dicant. At qua ratione hoc factum sit, non certò constat: mihi tamen non dubium est, hîc singulare quid accidisse, in quo admirabili Dei virtute seruatus sit. *Naufragia.*

Obseruabis autem multa hoc loco recitari, quorum Lucas in Actis ne verbo quidem vno meminit. Huic enim satis fuit historiæ seriem cōtexuisse, vt doceret, quibus progreßibus aut incrementis Christiana religio propagata & aucta fuerit: non autem Pauli laudes conscribere. In præsenti verò Paulus aduersariorum improbitate & calumniandi libidine coactus ea etiam commemorat, quæ alioqui nunquā voluisset iactare: & tamen modestiæ Christianæ memor in neceßitate ista subinde insipientiæ culpam fatetur. Facit hoc ad commendationem sacræ historiæ, & eius scriptores in ea condenda nihil affectui priuato dedisse, sed bona fide ea narrauisse docet, quæ cognitu vtilia & necessaria esse, Spiritus sanctus admonebat. Arguuntur etiam exemplo isto nostri seculi scriptores, qui dum bene meritorum de Ecclesia virorum vitam atque obitum describere instituunt, minutißima quæq; commemorando, & ipsi inepti fiunt, & illorum existimationi plurimùm derogant. Accidit hoc D. Luthero, cuius sermones quoque conuiuales & quæ in familiarioribus colloquijs dixit, quidam nescio quo genio ducti vulgarunt: in quibus multa tam inepta, tam absurda, imò scurrilia quoque sint, vt ea tanto viro nunquam vel in mentem venisse, nedum ab eo dicta esse crediderim: nec poterat quicquam in illum scribi contumeliosius, & quod aduersarijs maiorem daret calumniandi occasionem. Sed ita accidere solet ineptis & nimijs hominum admiratoribus. *Lucas non omnia Pauli descripsit.*

Sed omißis illis cum Paulo ad rerum ab ipso gestarum narrationem redeamus, qui à singularibus istis ad generaliora reuertitur, & multa congerit, quæ ei quotidie accidisse non est dubium. Inter quæ itinera & profectiones siue peregrinationes crebras primo loco ponit. Etenim quando primùm ad Christi fidem conuersus fuit, ex Damasco in Arabiam profectus, ei genti Euangelium prædicauit. Inde Damascum redijt, & inde mox fuga se recepit Hierosolymam propter Aretæ Regis insidias, vt in sequenti sermone dicetur. Hierosolymæ cum Iacobo & Petro contulit, cumq; *Peregrinationes Pauli.*

illis mansit diebus quindecim. Mox oraculo admonitus abijt ex vrbe, & à fratribus Cæsaream deductus est, qui eum inde Tharsum ablegarunt, quod ei erat solum natale: cui ista occasione annuntiauit Verbum salutis ac vitæ æternæ. Illic inuentum Barnabas abduxit Antiochiam. Vbi cum annum integrum egissent, Hierosolymam venerunt. Inde assumpto Marco Antiochiam reuersi, & mox ex Spiritus reuelatione ab Ecclesia missi sunt, vt Euangelium longè lateque gentibus annuntiarent. Primò igitur Seleuciam profecti, inde in Cyprum traiecerunt, quam totam vnà cum Procos. Sergio Paulus ad Christi fidem conuertit. Hinc in Pamphyliam venit, mox in Pisidiam & Lycaoniam contendit, vbi eum (vt modò diximus) Lystrenses lapidarunt. Inde in Pamphyliam reuersi, per Pergam & Attaliam tandem Antiochiam redierunt. Vbi cùm aliquandiu substitissent, lis exorta est de Circumcisione, quam aliqui gentibus ad fidem conuersis obtrudere conabantur. Ideo per Phœniciam & Samariam cum Barnaba rursus Hierosolymam abijt ad Synodum, in qua de causa ista Apostoli statuerunt, vt Acto 15. Cap. scribitur, deq; ista profectione intelligi debet, quod in epistola ad Galatas Cap. 2. habetur: vbi etiam indicatur, illum annum à conuersione Pauli decimum quintum fuisse. Cùm verò Antiochiam redijsset, Ecclesias inuisere statuit, & assumpto Syla, Syriam atque Ciliciam lustrauit: vnde in Lycaoniam transiuit, & Lystris inuenit Timotheum, quo postea discipulo & collega fidißimo vsus est. Inde cùm Phrygiam & Galatiam peragrauissent, in Mysiam venerunt, cumq; in Troadem appulissent, Paulus ab Angelo in Macedoniam euocatus ad Philippos iter instituit. Ibi captus & virgis cæsus, tandemque dimissus per Amphipolim & Apolloniam ad Thessalonicenses venit, & ab his Berrhœam se contulit. Ex Berrhœa Athenas profectus est, & inde Corinthum contendit. Ex Corintho, cùm illic sesquiannum docuisset, in Asiam traiecit, & venit Ephesum. Inde Hierosolymam ad festum ascendit, vnde Antiochiam redijt. Postea Phrygiam & Galaticam regionem denuo lustrauit, & tandem Ephesum iterum venit. Quo tempore priorem ad Corinthios epist. ab eo scriptam fuisse, suo loco diximus. Ex Epheso in Macedoniam traiecit, ex qua in Græciam quoq; transijt, cùm prius ex Macedonia posteriorem hanc epist. ad Corinthios misisset. Hæc ex ordine commemorare libuit, vt seriem rerum ab ipso gestarum & profectiones eius omnes complecterer: ex quibus satis euidenter apparet, non temere hîc ab eo dici, quòd in itineribus sæpe fuerit. Id verò absq; multis laboribus & magna molestia fieri non potuit. Sunt enim peregrinationes longinquæ per se graues & laboriosæ, grauiores autem fiunt, si ob causam aliquam, quæ cum odio & periculo coniuncta est, suscipiantur: qualis omnino erat, quam Paulus agebat. Etenim cùm Iudæi iam ante gentibus exosi essent, Apostolis cum vtrisq; dimicandum erat, & iam in omnium ore erant voces illæ: Hi qui turbant orbem terrarum, venerunt etiam ad nos.

Peregrinationum Paulinarum pericula.

Quapropter, quàm multa quamque grauia in profectionibus istis passus sit, narrat amplius: In periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis à gentibus (nolebant enim qui Romano Imperio parebant & idololatriæ assueuerant, suas leges & ritus mutari) periculis in ciuitatibus, propter seditiones, quæ paßim per Iudæos aut alios improbos excitabantur, vt Corinthi, Ephesi & multis alijs in locis accidisse scimus: periculis in deserto, vbi ferè sitis, bestiæ & latrones infesti sunt: quæ omnia hodie adhuc experiuntur, qui per Arabiam iter faciunt: periculis in mari, quod toties traijciendum erat: periculis inter falsos fratres, qui paßim obrepebant in Ecclesias, & quales erant, qui Corinthiacam quoque turbauerant. Denique in fatigatione (inquit) & ærumna mihi perpetuò versandum est. Est autem ærumna (vt Cicero definit) ægritudo laboriosa, vel labor qui effugi aut declinari nec potest, nec debet, quales reuera erant omnes illi, quibus Apostolus fatigabatur, vtpote à Deo impositi, & cum eius vocatione coniuncti, quam deserere non poterat. Addit his vigilias, famem, sitim & ieiunia (voluntaria nimirum) quæ interdum sibijpsi indicebat, vt precibus posset ardentius vacare. Denique frigora quoque & nuditatem se passum dicit, quæ duo in longinquis peregrinationibus vix possunt caueri, ne ab opulentissimis quidem.

Lib. 4. Thusc. & 2. de Finib.

Euangelium quanto cum labore propagatum?

Docet autem diligens huius loci consideratio, quanto cum labore & quàm multis cum periculis sanctißimorum hominum Euangelij doctrina per orbem terrarum propagata sit. Est hoc magnum bonitatis Dei argumentum, qui seruos suos ita exerceri voluit, vt infelicis & ingrati mundi saluti consuleret.

consuleret. Nimium ergo improbi & ingrati sunt, qui de illius veritate dubitant, vel etiam illud insolenter contemnunt. Quis enim credat, sanctos IESV CHRISTI apostolos, qui domi suæ quiescere poterant, pro re dubia & incerta voluisse tot tantaq; pericula subire, cùm nulla in terris vel opum vel honorum spes affulgeret? Dei ergo hoc opus fuit, qui & ipsos incitauit, & ad ista ferenda fortes atque robustos fecit, & ab ipsis prædicatam doctrinam inter tot obstacula in hunc vsque diem defendit. Quàm verò absurdi & iniqui sunt hodie, qui cùm Apostolorum cultores dici & haberi velint, doctrinam tamen eam persequuntur, quam ipsi tanto cùm labore propagauerunt, & tandem proprio sanguine confirmarunt? Sunt illi præposterè religiosi, & ideo neminem mouere debet eorum exemplum: nostrum autem fuerit, doctrinam salutis constanter tenere & sequi. Quis enim venia dignos dixerit eos, qui sua ignauia sibi vel eripi, vel ex manibus elabi patiuntur salutem, quæ Filij Dei sanguine nobis parta, & per tot discrimina sanctißimorum hominum nobis annuntiata est?

At postquam Paulus ea, quæ ipsi præ alijs Apostolis extraordinariè accidebat, recensuit, nũc ad id transit, quod ipsi perpetuum erat, sic dicens: Absq; ijs quæ extrinsecus, scilicet mihi accidunt, vrget agmen illud in me quotidie consurgens, solicitudo nimirum pro omnibus Ecclesijs. Per ea quæ extrinsecus accidebant, intelligit labores & molestias, quæ ipsi ab alijs exhibebantur, qui eum vel dolo vel aperta vi infestabant, & quibus poterat carere, si illi fuissent æquiores: & ideo distinguit ea ab illis curis atque laboribus, quos ipse sibi imponebat, vt propriè ad suam functionem pertinentes. Hos autem vocat ἐπισύστασιν quotidianam. Ita dicitur propriè incursus aut agmen multorum, qui nobis circumquaque imminent, vt armis atque telis aliquem comminus & eminus opprimant. Itaque verborum Pauli sensus est: Etsi hostes illi aperti vnà cum falsis fratribus quiescerent, tamen quæ mihi quotidie incumbit negotiorum atque curarum moles abunde sufficeret ad me fatigandum. Et mox, quæ illa sit, indicat: Solicitudo nimirum pro omnibus Ecclesijs. Hanc verò sibi vt propriam tribuit, quia eam non poterat deponere, cùm peculiaris & à Deo destinatus esset gentium Apostolus. Erat autem ea multiplex. Paßim enim multi inueniebantur rudes adhuc & rerum imperiti, quos erudiri oportebat: infirmi, quos confirmari necesse erat: afflicti & tentationibus obnoxij, qui consolatione efficaci opus habebant: delinquentes item & vitijs dediti, qui in viam erant reuocandi. Accedebant his publica pericula ex persecutionibus, quibus & Romani Imperatores & Iudæi nascentem vbique terrarum veri Dei cognitionem opprimere conabantur. Hinc tristia nascebantur multorum fratrum exilia, qui incertis sedibus oberrabant, & plerumque ad ipsum confluebant, vt eius consilio atque consolationibus subleuarentur. Accedebant his frequentes nuntij & literæ de Ecclesijs vel turbatis vel euersis, aut saltem dißipatis, quæ nouos dolores atque curas pariebant. Meritò igitur se agmine quodam laborum atque curarum vrgeri dicit. Etenim grauis & laboriosa est vnius domus amplioris administratio, etiamsi omnes in ea officium faciant: quòd si verò plerique vel ignaui sint, vel etiam contumaces, habet paterfamiliâs iustam & amplam quiritandi materiam. Quàm grauem ergo prouinciam Paulus sustinuit, cui Deus omnium, quæ inter gentes tunc fuerunt, Ecclesiarum curam imposuerat? Apparet hoc ex aßiduis (de quibus paulò ante dictum est) peregrinationibus, hoc solo nomine susceptis: ex precibus, quas dies noctesq; fundebat: ex epistolis, quibus Ecclesias vel afflictas consolatus est, vel securas & oscitantes admonuit, vel etiam vitijs infectas corripuit atque correxit.

Paulo omnium Ecclesiarũ cura incubuit.

Docent ista, Ecclesiæ gubernationem non esse prouinciam eiusmodi, quæ carni voluptatẽ pariat, sed plenã laboris & periculi. Retinet enim perpetuò ingenium suum mundus, & semper erit curarum atque laborum materia ijs, quibus cum illo res est. Imò, vt Cap. decimo audiuimus, militiæ instar est Ecclesiæ & Verbi Dei ministeriũ: & eò grauius fit onus istud laborũ, si cogitemus, olim ad Christi tribunal rationem reddendam esse, qua fide in illo quisq; versatus sit. Idem dici potest de ijs, qui Rempub. administrant. Nam si hi quoque officium velint facere, nunquam non se ad nouas curas, vigilias & labores vocari sentient. Sunt ergo parũ prudẽtes, qui non expectata vocatione legitima sese intrudunt: ingrati autem nimis, qui illos oderunt, atq; contumacia sua negotium facessunt pro publica salute laborantibus. Qui verò vel ad Ecclesiæ vel Reipub. gubernacula legitimè vocati sunt, ij Paulũ imitentur, neque eos laborum siue curarum pigeat. Etenim ad laborem

Ecclesiæ gubernatio laboriosa.

omnes in primo parente nostro damnati sumus. Quid ergo optabilius fuerit, quàm si quod omnino ferendum est, in Dei domo ferre contingat, qui cùm remunerator sit liberalißimus, debito præmio nunquam fraudabit eos, qui hîc officium suum fideliter fecerint. At qui ignauiores se præbent, vel etiam mala fide agunt, ij ferè laboribus & periculis grauioribus sese intricant, & tandem pœnas acerbißimas luunt.

Afflictionibus et scandalis aliorum Paulus condoluit.

Porrò explicat Paulus quod de solicitudine pro omnibus Ecclesijs sibi incumbẽte dixit. Quis affligitur (inquit) quin ego affligar? Quis offenditur, quin ego vrar? Duorũ meminit, quibus Ecclesiæ plerunque exercentur atque turbantur, Afflictionum nimirum & Scandalorum. Quoad primum, vocabulo ἀσθενεῖν vtitur, quod propriè significat infirmum esse, id quod ferè ex afflictionibus accidit, quæ tam animi quàm corporis vires debilitant. Atqui tunc plena afflictionum & periculorum erant omnia. Hîc verò συμπάθειαν sibi tribuit, qua aliorum afflictionibus perinde atque proprijs tangatur. Et sanè aliter fieri non poterat. Qui enim tanto gloriæ Dei & salutis hominum desiderio flagrabat, vt se spontè laboribus & periculis obijceret, non potuit non toto animo discruciari, si Ecclesias abs se constitutas turbari & credentes ab hostium immanißimorum rabie infestari, eos denique vel in exilium eiectos, vel in carceribus conclusos, vel etiam crudeliter necatos esse audiebat, cum quibus amicitiam nouam paulò ante contraxerat in Christo. Eadẽ fuit scandalorũ siue offendiculorũ ratio, quibus tunc similiter omnia scatebãt. Aliũ enim offendebat inuicta hostiũ Euangelij, & imprimis Iudæorũ, contumacia: aliũ Romani Imperij successus, et lætior vicinorum siue ciuium idololatriæ deditorũ fortuna: alios sciolorum leuitas, qui cum idolothytis communicabant: alios multorum licentia, qui sub Christianæ professionis prætextu quiduis impunè designabant, cùm politicis legibus scelera non punirentur, Ecclesiæ verò disciplinam proteruiores illi contemnerent. Vrebant ista omnia non sine acutißimo dolore sanctißimum illud Apostoli pectus: eoque grauior erat dolor iste, quòd non semper in promptu erat remedium, quo scandala illa vel è medio tolli, vel saltem leniri possent. Nec caret Emphasi, quòd infinitè de omnibus, qui vel affligebantur vel offendebantur, loquitur, vt se absque personarum respectu de omnibus solicitum esse testetur.

Vt ministri erga Ecclesias affecti esse debeant?

Discant autem hoc exemplo Ecclesiarum ministri, vt erga suæ fidei creditos affecti esse debeant: Vt nimirum sibijpsis accidere putent, quod illis vel omnibus publicè, vel singulis priuatim accidit. Deinde, vt vrantur scandalis, & vt ferre nequeant ea, quæ vel Dei gloriæ vel aliorum saluti incommodant. Pertinet hoc ipsum ad magistratus quoque, & huius studij exemplum memorabile in Dauide habemus, qui vt populo parceretur, gladium Dei in se & domum suam conuerti cupiebat. At si nostri sæculi mores consideremus, quàm multa hîc vbique desiderantur? Quotus enim quisque est, quem aliena pericula seriò tangant? Ministri certè Ecclesias, quibus aliquandiu præfuerunt, priuati commodi causa vel commutant, vel deserunt, & ita se mercenarios esse produnt. Principes bella mouent non necessaria, & ipsi publicarum calamitatum præcipui authores sunt. Alij ex populi oppreßione ditescunt, aut saltem luxuriantur. Et qui neutrum faciunt, ignaui tamen ad omnia conniuent. Quem verò dabis, quem verè vrant, quæ vbique cernuntur, scandala? Vtinam non darent ea, qui debebant è medio auferre. Sed & in vulgo eadem oscitantia obtinuit, vbi omnis loci & ordinis homines, dummodo ipsis bene sit, facilè negligunt omnia, quæ Ecclesijs totis & singulis priuatim aduersa accidunt. Oremus ergo summum illum pastorum principem, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt ille rebus afflictis opem ferat, & fidos operarios extrudat, quibus & ipsius gloria & Ecclesiarum salus cordi sit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

2. Sam. 24.

HOMILIA LIII.

Si gloriari oporteat, de ijs quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui est benedictus in sæcula, nouit quòd non mentiar. In vrbe damasci gentis præfectus nomine Aretæ regis præsidio tenebat Damascenorum

vrbem

urbem, cupiens me præhendere. Et per fenestram in sporta demissus fui per mœnia, & manus eius effugi.

Quamuis fideles Dei serui suæ infirmitatis sibi probè conscij nequaquam superbiant, sed potius de officio faciendo soliciti sint: ijdē tamē aduersariorū calumnijs & mundi ingratitudine sæpius coguntur de seipsis liberius & honorificentius aliqua dicere, ne Dei gloria in ipsis periclitetur. At tunc diligenter videndum est, vt in hunc vnū scopum respiciant, neue eo prætextu aliquid ambitiosius faciant cum aliorum contemptu. Et proderit hîc Pauli exemplum obseruasse, qui etsi multis sese tueatur aduersus eos, qui ipsum & doctrinam eius apud Corinthios conabantur in contemptum adducere, hunc tamen scopum sibi solum propositum habet, vt illos in fidei puritate retineat, & Christo suam gloriam vendicet. Ideo rerum abs se gestarum narrationem ita instituit, vt se omnia pro Christo, & non propria, sed illius virtute fecisse testetur. Facit ad horum confirmationem præsens iste locus, quem modò recitauimus.

Initio enim protestatur, se inuitum de istis rebus dicere, & simul aduersarios perstringit, qui suis calumnijs ipsum hæc dicere cogant. Si gloriari oporteat (inquit) de ijs quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Sensus est: Ego quidem malim ab istorum commemoratione prorsus abstinere, sed quia me huc adigit aduersariorum meorum iniquitas, qui toti in eo sunt, vt me oppresso Veritatis quoque doctrinam è medio tollant, agedum glorientur illi, vt lobet generis nobilitate, eloquentia, vulgi applausu, & alijs eiusmodi, quæ mundi iudicio magnifica videntur: me tamen illi nunquam eo addducent, vt eorum exemplum secutus me ijsdem venditem: quin potius, cùm omnino aliquid dicendum sit, ego de illis gloriabor, quæ meæ infirmitatis sunt, id est, quæ me hominem infirmum, & vt alij homines casibus omnis generis obnoxium; ideòque opis diuinæ indigum esse ostendunt. Itaque infirmitatis nomine omnia ea intelligit, quæ ipsum exercebant, vt se nihil posse sentiret, nisi Dei gratia & virtute sustentaretur. Paulus de infirmitatibus gloriatur.

Cernitur hoc loco discrimen inter Christi ministros veros & fucatos. Hi ijs superbiunt, quæ apud mundum gloriosa sunt & magnifica; qualia sunt, opes, dignitates, principum fauores, amicitiæ multorum, victoriæ, pompa externa, &c. Quia enim de Dei gloria non multum soliciti sunt, eam quæ ex hominibus est, gloriam captant; sicuti de Iudæorum scribis Christus olim dixit. E contra illi, quia huius mundi gloriam iampridem calcauerunt, in eo suum decus & honorem consistere putant, si multa faciant & ferant propter Christum; interque ea se præstanti Dei auxilio subleuari sentiant. Tantum ergo inter germanos Dei seruos & personatos siue perfidos discrimen est, quantum inter matronam frugi & impudentem adulteram. Hæc mundo muliebri immodicum delectatur, amatorum præconijs & cantilenis ad libidinem prouocandam compositis, donis item & munusculis adulterorum suorum superbit. Illius verò animum gaudio iucundissimo reficit, si domum fideliter administret, si suum studium atque labores marito probari, & hunc propter ipsam (vt Solomon ait) apud alios in honore & pretio esse videat. Arguunt ista fastuosos & delicatos nostri sæculi antistites, qui Apostolicorum nomen sibi vendicant, cùm Sardanapalos vita, luxu autem & fastu Persarum satrapas atque Reges superent. Pudeat etiam hîc suæ vanitatis Euangelicæ doctrinæ professores aliquos, qui potentum atque diuitum amicitias ambitiosè venantur, eos autem sua familiaritate non meliores, sed insolentiores, imò fidis Christi ministris iniquiores reddunt. Quo vno argumento facilè colligi potest, illos Christi negotium non bona fide apud istos agere, qui ipsos non in tanto pretio haberent, si Domino fideles essent. Debent ista ad se quoque transferre, qui magistratum gerunt: ne videlicet gloriosum hoc sibi esse putent, si magni fiant ab improbis Legum bonarū dissipatoribus, & religionis hostibus, vel si ex publico aut iniquis largitionibus ditescāt: sed potius ex eo laudē quærāt, si improbis exosi, ijsdē tamen terrori sint, si rēpub. fideliter curent, si deniq; cū Samuele possint dicere: En testificamini de me coram Domino, cuius bouem aut asinum accepi? num alicui vim feci aut iniuriam? num ab aliquo munus accepi expiatorium, vt ipsi conniuerem? Eadem debet omnibus cura esse priuatim. Imprimis tamē hoc in religione obseruandū est. Putant aliqui gloriosum planè esse, si omnibus probetur: at hoc plerunque vel ignauiæ vel perfidiæ argumentum est. Etenim gloria Christianorum est

Discrimen inter Christi ministros veros & fucatos. Ioan. 5. Prou. 30. 1. Sam. 12.

Crux, quæ vt patientiæ materiam nobis præbet, ita diuinæ gratiæ experimenta sentit, & tandem coronam iustitiæ ijs propinat, qui in finem vsque perseuerauerint. At quæcumque in hoc mundo magnifica videntur, ea vana, fluxa & momentanea sunt. Nam omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Vide Isa. 40. Eccles. 1. &c.

Iusiurandum interponit. At poterat superbis illis & ambitiosis incredibile videri quod Paulus dicebat. Solent enim huiusmodi homines quosuis alios ex semetipsis æstimare. Ideo quod dixit, grauissima asseueratione confirmat: Deus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui est benedictus in sæcula, nouit quòd non mentiar. Iusiurandum interponit, quia (vt iam sæpe diximus) non tam de eius existimatione, quàm Dei gloria & multorum aliorum salute agebatur. Testem verò sistit Deum, & eum quidem, qui sit Pater IESV CHRISTI. Sunt enim duo hæc contrahenda, ne putemus aliũ esse Deum, alium verò Patrem Christi. Etenim non alius est verus Deus, nisi qui idem IESV CHRISTI Pater est, & hunc vnum Christiani homines agnoscunt & colunt, vt in prioris epist. Cap. nono Apostolus disertè docuit. Confutantur ergo Iudæi & Turcæ, qui Deum quidem illum profitentur, qui Cœli & terræ Creator sit, at Filium huius IESVM CHRISTVM apertè negant. Quia enim (vt diximus) hic solus est Deus verus, qui Filium ex seipso sibi consubstantialem & coæternum genuit, quique vnus est in tribus distinctis personis, illi Deum falsum sibijpsis fingunt, dum Filium ab illo diuellunt. Particula autem quæ additur: Qui est benedictus in sæcula, tam ad Patrem quàm ad Christum referri potest. In epist. ad Romanos disertè Christo tribuitur; & euidens est diuinitatis eius æternæ testimonium.

Quoad verò huius loci argumentum, obseruatu dignum est, quòd rursus iurat Apostolus. Nam eius exemplo docemur, licitum esse, vt iuremus in causa seria & graui. Nam quod Anabaptistæ obijciunt, partim friuolum, partim seditiosum est, vt alibi demonstrauimus. Interim meminerimus, non aliam esse formam iurisiurandi legitimam, quàm quæ per Dei nomen concipitur, & quâ hîc testis citatur, qui vt solus omnia nouit, ita solus veraces tueri, periuros autẽ punire potest. Ideo disertà de hac re Dei præcepta extant, de quibus cùm alibi dictum sit, eadem in præsenti repetere non est opus.

Tyrociniũ Pauli in suo Apostolatu. Porro quod initio protestatus est Paulus, id narratione rei gestæ confirmat, quæ singulare habet infirmitatis exemplum: quia periculum fuit maximum, & ipse fuga sibi consuluit: interea autem Dei ope seruatus, non modò incolumis euasit, verumetiam animosior & fortior ad officium redijt. Et probè seruiebat exemplum hoc causæ præsenti. Primò, quia tyrocinij instar fuit, quo Paulum Deus voluit exerceri. Itaque simul arguebat pseudapostolorum ignauiam, qui nihil simile vnquam passi erant, imò ita se gerebant, vt nihil huius ipsis esset timendum à mundo, cui soli cupiebant placere. Deinde plurimum faciebat ad diluendum omnem suspicionem, cùm res omnibus nota esset, & tandem ita narret, vt de se quidem nihil aliud quàm metum, trepidationem, fugam denique prædicet, fratrum verò virtutem commendet, qui contra Regis voluntatem & leges publicas pro ipso periculum subierint maximum: adhæc omnem liberationis suæ gloriam cum omnibus, quæ ab eo tempore fecerit, ad vnum Deum authorem referat. Narrat historiam hanc Lucas Act. nono Cap. series autem temporis, quo hoc factum est, ex Capite primo epistolæ ad Galatas peti debet, & ex vtriusque loci collatione talis potest colligi: Paulus cùm ad fidem Christi conuersus & ab Anania baptizatus esset, illico prædicandi occasionem captauit: & quia sciebat, se gentibus designatum esse Apostolum, in vicinam Arabiam sese contulit, vbi nemo Apostolorum adhuc Euangelium prædicauerat: & vbi hanc Euangelij prædicatione illustrauit, Damascum redijt, nimirum aliò profecturus. Attamen cùm multa sese offerret quotidie contra Iudæos disputandi occasio, aliquandiu illic hæsit: donec Iudæorum insidiæ ipsum de loci mutatione cogitare coegerunt. Hi enim Aretæ Regis præfectum instigarunt, vt eum comprehendere tentaret. Et credibile est, non absque Regis voluntate hoc factum fuisse, qui procul dubio propter religionis statum, in regno suo mutatum Paulo iniquior fuit. Itaque portis præsidia imposuit, ne qua esset elabendi via: quæ causa fuit, vt qui illic iam erant Christiani, illum sportæ impositum ex muro demiserint, &c. Habet autem historia hæc multa dignissima obseruatu, quæ ex ordine considerabimus.

Pri-

Primum est periculum, quo Paulum tam citò Deus exerceri & probari voluit, cùm suæ fidei & diligentiæ tyrocinium egregium in Arabia dedisset. Mox ergo expertus est veritatem oraculi, quod Ananiæ de ipso reuelatum fuerat: Ego ostendam ei, quàm multa eum oporteat pro nomine meo pati. Id verò testatur, quàm strenuè causam Christi egerit. Nisi enim in Arabia fructũ fecisset eius doctrina, nisi item eiusdem virtutem & in illa se exerentẽ Spiritus Dei efficaciam Iudæi simul & Aretas cum suo præfecto sensissent, non opus erat vt tantopere commouerentur. Est autem hoc memorabile exemplum, quo docemur, quid sibi de hoc mundo polliceri debeant, quicunq; Christo fideliter seruiunt. Prius in honore & precio erat Paulus, & quàmuis iuuenis adhuc esset, causis capitalibus iudex adhibebatur (vt in Stephani Protomartyris historia est videre) & cum publica authoritate Damascum mittebatur, vt illic pullulantem IESV CHRISTI fidẽ extingueret: At nunc ibidem ei non licet tutò agere, & propter ipsum ceu publicum hostẽ tota ciuitas tumultuatur. Ita fore prædixerat Christus discipulis & causam eius rei ostenderat, quòd mundus hic eos non posit nõ odisse, quos ipse ex eo selectos sibi consecrauit. Si de mundo essetis (inquit) mundus quod suum est diligeret: Quia verò de mundo non estis, sed ego vos elegi ex mundo, propterea odit vos mundus. Exempla sunt ab origine rerum, quibus hoc confirmatur. Abelus certè, cùm ex fide promißi seminis potiorem victimam obtulisset, mox fratrem sibi inimicum habuit, qui eum crudeliter trucidauit. Abrahamus, cùm inter suos honoraretur, quàm primùm Dei vocationem sequi cœpit, varijs & periculosis casibus iactatus est. Idem de alijs patribus, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Mose & similibus dici potest. Prophetas quoque hoc potißimùm nomine inuisos fuisse scimus, quòd inanem externorum sacrorum fidutiam oppugnarent, & ad promissum Meßiam populum remitterent. Et quod Paulo accidit, hoc Apostolis quoq; alijs omnibus accidisse scimus. Quod si Ecclesiasticæ historiæ exempla quis commemorare velit, is vix vnquam dicendi finem inueniet. Nemo igitur offendatur, si quid huius vel sibijpsi vel alijs pijs euenire videat: quin potius præparemus nos ad hanc palæstram, & meminerimus non temere ab Apostolis olim dictum esse, quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei. Acto. 14.

Periculi magnitudo.

Ioan. 16. & 15.

Et hîc nos consolari debet, quòd aliquantum temporis, trium videlicet ferè annorum spatium intercesisse audiuimus inter Pauli conuersionem & periculum istud, de quo hîc agitur. Ergo otium illi datum est, vt interea Euangelium Arabibus prædicaret, neque sine fructu Damasci quoque versaretur: & potuit Deus tam Iudæorum quàm Aretæ Regis rabiem cohibere, quàm diu voluit, & causa Veritatis requirebat. Non ergo possunt semper impij quod volunt, imò non audent semper, quod posse videbantur. Instigantur quidem semper à Satana, & vt mare æstuant: sed vt Satan etsi nobis nunquam non nocere cupiat, nihil tamen potest, nisi Deo permittente: ita neque eius satellites semper effectum dare possunt, quod animo suo conceperunt. At quia Deus non iustus modò, verumetiam fidelis & humani generis amantißimus est, nunquam aliquid permittet mundo & eius principi, quàm quod nobis salutare esse nouit, neque (vt alibi Apostolus docet) nos supra vires tentari patietur.

Deus pijs aliquando dat inducias.

Deinde docet historia ista, vt mundus Deo ac Veritatis doctrinæ resistere soleat. Paulus præsidij meminit, & portas insuper custoditas fuisse Lucas scribit. Atqui ille neque armis instructus erat, nec milites habebat, à quibus vis aliqua posset fieri, sed verbis & argumentis solummodo agebat. Itaque verba verbis & argumenta argumentis erant opponenda. At quia argumentis & rationibus nihil profici vident aduersarij, ad vim conuertuntur. Videmus autem hîc ceu in speculo, quàm ridiculos sese præbeant Veritatis hostes, quando suas vires cõtra Christum ostentare, & huius cultores illis terrere volunt. Paulus cùm publica authoritate munitus & satellitũ caterua stipatus Damascum veniret contra fideles, qui illic erant, tunc timere debebat Aretas, ne Iudæorum principes, qui cum Romanis præsidibus mirificè colludebant, eo prætextu aliquid molirentur. Sed tunc nemo obstitit, & aduentanti vrbs tota patebat. At nunc, cùm omni dignitate exutus nihil habet formidabile, contrahitur præsidium, custodes adhibentur portis, & omnia belli cuiusdam imminentis speciẽ referunt. Ita hodie Reges atq; principes facere solent. Quãdo enim Pontifices & horum coniurati sibi in illorum terris ius & imperium sumunt, perque suos Inquisitores omnium fortunis & vitæ insidiantur, imò iurisdictionem quoque apertè inuadunt:

Vt mundus Veritati resistat.

nihil timent, sed voluntariam seruitutem seruiunt. Quàm primùm verò pauperculus aliquis & obscurus IESV CHRISTI minister Euangelium prædicare incipit, & illi aures præbēt aliqui: mox regna sua & omnem suam authoritatem periclitari putant, tumultuantur, concursant, & fit non raro, vt propter vnicum homuncionem totæ gentes armis strepant. Sic fore Christo exhibito, olim Dauid in Psalmo secundo prædixit, & eius rei typum ipse nobis præbuit, quando totius regni vires contra illum, ceu publicum communis patriæ hostem Saul concitauit. Et ad Christum inermen cum inermibus discipulis exiuerunt cum militibus Sacerdotes, vt illum comprehenderent. Ridiculum planè hominum genus. Etenim eorum similes dixeris meritò, qui armati ad lepores aut cuniculos vænandos exeunt, lupos verò & vrsos impunè grassari patiuntur. Sed ita hostes suos Deus ludificat, simulq́ eorundem conatus facilè frangit.

Damascenorũ fides et pietas. Factum hoc etiam hîc. Nam Damasceni fratres Paulum sportæ impositum ex muro demittunt, & ita insidijs ipsi structis absque magno labore eripiunt. Fuit tamen factum hoc cum periculo magno coniunctum, & proinde fidei non vulgaris exemplum habet. Rebellionis enim speciem præ se ferre videtur, si quis eum seruet, quem princeps siue magistratus vult extinctum. Et ne ab excubitoribus depræhenderentur, periculum erat. Quid, quòd antiquitus capitale scelus visum fuit mœnia violare, aut transilire: eò quòd illa numini alicui certo consecrari solerent? At nihil horum istos mouet, quò minus periclitanti opem ferant. Qui enim sciebant, Sabbati religionem charitati cedere debere, adeò vt illo die asinum & bouem seruare liceat, multò magis succurrendum esse intelligunt Christi ministro, cuius fides & industria iam multis præclaris argumentis erat perspecta. Est ergo hoc (vt diximus) memorabile fidei exemplum, quo officij sui admonentur omnes, qui Christiani dici & haberi volunt: Vt nimirum pios sub tyrannis periclitantes iuuent, si qua commoda ratione possunt, neque se aliquo modo tyrannidis & crudelitatis socios siue ministros præbeant. Laudantur hoc nomine obstetrices Ægyptiæ, quòd contra Regis edictum Hebræorum infantes seruarunt. Et Rachab meretrix fidei testimonium meruit, inque Dei societatem adoptata est, quòd exploratores Israëlitas abscondisset ne ab Hierichuntinis occiderentur. Arguunt hæc nostri sæculi ignauiam: quando vbique terrarum grassante impiorum tyrannide paucis cordi est piorum salus, plerique verò his laborantibus genio suo indulgent: requisiti autem, vt illorum causam suscipiant, frigidissimis rationibus sese excusant. At ijdem, dum omnia tuta metuunt, plerunque seipsos periculis grauioribus immergunt, & tunc talionis lege eos mulctat Deus, vt ipsi quoque ab omnibus derelicti pereant. Quid vero de illis dices, qui si quid periculi imminet, ministrorum Verbi capitibus pacem redimendam esse clamant? Sunt hi indigni Christiano nomine. Imitentur ergo Damascenorum fratrum fidem atque fortitudinem omnes ij, quibus datum est liberius in pace & otio viuere.

Exo.1. Iof.2. Heb.11.

Paulus admisit officium fratrum. Postremò Paulus ipse considerandus venit, qui hoc officium admisit. Ergo non scrupulosas & ineptas quæstiones mouit de dicto Christi, Ne resistatis malo, &c. vt hodie Anabaptistæ faciunt: Neque etiam securus de Dei prouidentia inutiliter garrit, qui si ipsum velit seruare, facilè medium & rationem absq́ fratrum periculo inuenturus sit: sed quod Deus iam ipsi offerebat, quoq́ salua fide & pietate vti poterat, gratus recipit. Quo exemplo primùm docemur, licere nobis vti ordinarijs medijs, si quando periclitamur. Inter ea autem legitimum & ordinarium debet censeri, quicquid ex fide & syncero charitatis studio pij faciunt, & imprimis quod magistratus publica authoritate facit. Huius enim præcipuum munus est, pios tueri, malorum verò temeritatem reprimere & coërcere. Vt ergo hic fratrum auxilijs Paulus vtitur, ita alibi ad Leges Romanas & legitimam magistratus defensionem confugit. Nemo igitur fanaticorum disputationibus moueatur, qui Christi dicto (quod paulo ante adduximus) abutũtur, vt magistratũ inter Christianos aboleant. Est enim duplex resistendi modus, legitimus nimirum & illegitimus: & ab hoc quidem Christiani homines abstinere, illo autem cum fide & gratiarum actione debent vti. Vide Lucam nostrum in Cap. sexto Homil. 60.

Fuga Christianis licita. Deinde fugam quoque Christianis licitam esse, hoc exemplo admonemur. Quod enim hîc factum est, Christum quoque non semel fecisse scimus. Nam infans adhuc in Ægyptum se deferri voluit, vt Herodis insidias effugeret, quem multis alijs modis poterat coërcere: & postea sæpe hostium manus

manus secessione aut fuga declinauit. Quid, quòd discipulis idē ille dixit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam? Et extant passim piorum exempla, qui hoc Christi consilio non minus vtiliter quàm piè vsi sunt. Minimè ergo probari debet Tertulliani (doctissimi aliâs scriptoris & non malè de Ecclesia meriti) sententia, qui inconsulto Zelo abreptus omnem fugam simpliciter damnauit: cuius de hac re librum D. Hieronymus nominatim contra Ecclesiam scriptum esse, non dubitauit dicere. Attamen, qui fugere volunt, primò cauere debent, ne quid faciant cum gloriæ Dei detrimento: Deinde ne temere ab officio discedant, neq; eorum salutem negligant, quos ipsis Deus commendauit. Quòd si salua Dei gloria, & absq; aliorum detrimento locum mutare possunt, nihil obstat, quò minus id faciant.

Præterea docemur, ne periculis grauioribus erepti otio ignauo nos dedamus, sed prima quaq; occasione oblata eò feruentius redeamus ad officium, cui nos Deus destinauit. Id fecit in præsenti Paulus. Mox enim Hierosolymam contendit, vnde ceu ex fonte quodam omnes persecutiones deriuari sciebat, & vbi plus periculi poterat timeri, cùm illinc missus esset à principibus Iudæorum, à quibus secessionem fecerat. Sed nihil territus illic se Ecclesiæ credentiū coniungit, & quamuis initiò repulsam pateretur, modestè tamen hanc quoq; fert, inq; officio suo constanter perseuerat. Idem postea etiam sæpe fecit, sicuti totus Actorum liber prolixè testatur. Arguit eius exemplum eos, qui vno & altero periculo defuncti ferias sibijpsis indicunt. Atqui in finem vsq; perseuerandum esse, Christus monet. Et si Dei manum nobis periclitantibus adfuisse sensimus, eò maiori studio nos eius causam agere decet, ne ingratos nos illi præbeamus. Nam si nos iterum atq; iterum liberare velit, hoc illi factu facile erit. Sin illi aliter visum fuerit, nulla nobis mors gloriosior obtingere poterit, quàm vt pro nomine æterni Filij Dei, Domini nostri IESV CHRISTI moriamur, qui propter nos homo factus & mortuus, ex morte item resuscitatus est, vt nos ipsi viuamus & moriamur, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Liberati non otientur.

CAPVT XII.

HOMILIA LIIII.

GLoriari sanè non expedit mihi. Veniam enim ad visiones & reuelationes Domini. Noui hominē in Christo ante annos quatuordecim (an in corpore, nescio, an extra corpus, nescio, Deus nouit) raptum in tertium vsq; cœlum. Et noui huiusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio: Deus nouit) raptum fuisse in paradisum, & audisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui. De huiusmodi gloriabor, de meipso vero non gloriabor nisi in infirmitatibus meis.

VTITVR quidem Deus electorum suorum ministerio ad res magnas & quæ vires humanas longè superant, ijdem verò suæ infirmitatis probè memores, de sola eius gratia gloriari solent, qua ille ipsos dignos iudicat, qui pro eius nomine aliquid facere aut ferre debeant. Exemplum huius rei euidens in Paulo Apostolo habemus. Fuit is electum IESV CHRISTI organum, & plus omnibus alijs Apostolis laborauit. Idem tamen (vt fieri solet) aduersarios habuit multos, interq; hos acerrimos omnium pseudoapostolos, qui toti in eo erant, vt eum apud omnes in contemptum & odium adducerent. Cogebatur ergo authoritatem suam tueri, ne Dei gloria & Euangelij fides in ipso periclitaretur. Etsi verò hic amplissimam haberet gloriandi materiam, omissis tamen omnibus, quæ vt multarum gentium domitor magna cum laude gesserat, de solis infirmitatibus suis gloriatur, & in ijs commemorandis adeò nihil dissimulat, vt ne fugam quidem tacuerit, qua per Damasci mœnia euaserat. At quia æmuli eius visiones quoq; & reuelationes iactabant, nunc de his ipse etiam aliquid dicit, ne illis hac in

re putetur inferior esse. Tanta verò modestia rursus vtitur, vt perspicuè appareat, ipsum præter animi voluntatem in hanc narrationem ingredi.

Gloriari nō expediuit Paulo.

Nam à protestatione exorsus ait: Gloriari sanè non expedit mihi. Quasi diceret: Quò feror? aut quò me abripit aduersariorum improbitas, dum me de ijs gloriari cogunt, quæ per me gesta sunt? Etenim id mihi nequaquam expedire scio & fateor, ideoq; nolim aliquis existimet, me ex eo voluptatem capere, vt ambitiosi solent, quibus nihil iucundius est, quàm laudes suas vel ex alijs audire, vel earum commemoratione animum suum pascere. Et meritò hac protestatione Paulus vtitur. Facilè enim in suspicionem veniunt, quasi nimia gloriæ inanis cupiditate vrantur, quicunq; de rebus abs se gestis sermonem instituunt: eò quòd illa omnibus quasi cognata est, vt Cicero alicubi philosophorum exemplo probat, quos dicit illis ipsis libris, quos de contemnenda gloria scribunt, nomina sua præfigere, & ita gloriam venari, dum alios ab eius cupiditate dehortantur. Nec dissimulauit hoc humani ingenij vitium Themistocles, qui cùm theatrum ingressus à quodam interrogaretur: Quod nam acroama, aut cuius vocem libentissimè audiret? ingenuè & libere respondit: Eius, à quo mea virtus prædicatur. Quem animum Alexandro quoq; Macedoni fuisse constat, qui Achillem hoc nomine felicem prædicauit, quòd mortuus Homerum rerum abs se gestarum præconem nactus esset. Quæ omnia cùm Paulus non ignoraret, non absq; causa timuit, ne se cordatis suspectum faceret.

Paulus superbiæ vitium timuit.

Sed aliæ etiam causæ ipsum mouerunt, quæ ad ipsius functionem propius pertinebant. Nam si (inquit) gloriandum sit, veniam ad visiones & reuelationes Domini. Id est, si semel hunc campum ingrediar, vt commemorare velim quæ per me gesta sunt, & quæcunq; in hoc argumento dici poterunt, tandem de visionibus quoq; mihi dicendum erit, quibus Deus seipsum & multa arcana, quæ vulgus Christianorum ignorat, mihi manifestauit. Ita verò duplex periculum mihi imminere video. Nam multi vix fidem adhibebunt mihi ista narranti, qui me fabulatorem esse dicent, & inde nouam occasionem de mea doctrina contemptius loquendi arripient. Deinde ipse etiam gloriæ & propriæ laudis dulcedine abreptus fortaßis extollar, vt ambitione atque superbia peccem. Nam quò maiora sunt dona, quibus nos Deus ornauit, eò periculosiori in gradu consistimus, si illorum admirationi aut prædicationi nimiùm indulgeamus. Facilè enim nobisipsis persuadebimus, nos communem hominum sortem iam transilijsse, & ita inani nostriipsius fiducia ebrij nihil non nobis ipsis permittemus. Quòd si verò illa ab alijs quoq; celebrari, nosq; propter illa in honore & pretio esse videamus, difficile fuerit superbiæ cristas reprimere, quò minus in gloriando modum omnem excedamus. Ita enim plerią; sibijpsis placent, vt interea non obseruent infirmitatem suam & inhærentem nobis naturæ vitiositatem, imò ne in Deum quidem, vnicum omnis boni authorem respiciunt. Exempla insolentiæ huius in prophanis hominibus multa extant. Pharaonem certè opum & potentiæ fiducia cum insatiabili gloriæ cupiditate coniuncta tam insolentem fecit, vt dicere auderet: Quis est Iehoua ille Hebræorum, cuius vocem ego audire debeam? Quem Sennacherib imitatus non de gentibus solùm verumetiam earum Dijs abs se deuictis gloriabatur. Et Nabuchodonozorem gloriæ dulcedo eò adduxit, vt diceret: Annon hæc est Babylon, quam ego ædificaui & illustrem feci? Taceo nunc eos, qui cum in mortali corpore agerent, & se omnis generis affectionibus obnoxios esse quotidie sentirent, diuinos tamen honores affectarunt, seq; ex Dijs genitos esse mentiti sunt: quales Herculem, Alexandrum & aliquos Romanorum Imperatorum fuisse legimus. Et hodie exempla huius generis multa extant in opulentioribus & potentißimis Monarchis, qui vera Dei cognitione destituuntur. Estq; arrogantia

Prouerb. 13.

hæc multorum vitiorum mater, & proinde (vt Solomon dicebat) plerunque exaltationem ruina sequitur. At omnium nocentißima fit, si in ijs locum inueniat, quos Deus donis spiritualibus liberalius donauit. Tunc enim ita hominum mentes excæcat, vt aduersus Dei gratiam sese attollere, & non sine Filij eius vnigeniti IESV CHRISTI contumelia suorum operum meritis confidere, alios verò omnes præ se contemnere ac fastidire audeant. Quod olim Pharisæos fecisse constat, quorum vestigijs nimium pertinaciter insistunt hodie Monachi, & quotquot horum traditionibus decepti suarum virium atque operum fiducia efferuntur. Ne quid ergo huius Paulo quoque accideret, non libenter se de visionibus & alijs donis excellentioribus loqui testatur, quibus eum

bus eum Deus instruxerat, non vt ipse illis superbiret, sed vt aliorum saluti consuleret.

Habet autem locus hic vtilissimam doctrinam, vt nimirum in donorum Dei consideratione versari debeant, quicunque illa sibijpsis & alijs vtilia atque salutaria esse cupiunt? Hic ante omnia necesse est, vt nunquam nobis excidat, qui nam simus quoad naturam nostram & conditionem. Etenim si corpus spectemus, nos non aliud quàm terram esse & in terram redituros esse videbimus, sicuti Adamo olim Deus dixit: vt iam omittamus mille morborum species & casus innumeros, quibus vita hæc obnoxia est. Quoad animam verò, etsi hæc spiritus sit immortalis & corpore dignior multò, eadem tamen vitiosa est & desiderijs prauis atque illicitis ardet, quibus abrepti à Dei semitis declinamus, inque proprium exitium spontè ruimus. Itaque licet nos Deus ex gratuita misericordia donis maximis dignetur, vt multis alijs præstemus, thesaurum tamen istum in vasis testaceis (vt supra dictum est) gestamus, & (quod Christus discipulos monebat) etsi magna sit agentis in nobis Spiritus alacritas, caro tamen infirmior nunquam non nobis obstaculo est, quò minus in salutis via progrediamur. Vt ergo humiliemur necesse est sub potenti manu Domini, quod vnicum est remedium, adeoque fulcrum vnicum, quo homo alioqui ruiturus sustentatur. Et hæc causa est, ob quam Paulus toties priorem vitæ suæ in Iudaismo transactæ conditionem in mentem reuocat: vt nimirum eius recordatione ad humilitatem & preces ardentiores erudiretur. Et Dauidem olim hoc vnum in officio continuit, ne Saulem imitatus regia potentia superbiret, quòd se opilionem fuisse nunquam oblitus est. Quod ipsum in aliorum quoque exemplis apparet, quorum fides & pietas in Scripturis commendatur. Deinde authorem omnium, quæ habemus, agnoscamus esse Deum, qui vt primum hominem condidit, ita omnium nostrûm creator est, qui & corpus nostrum in vtero matris (vt Dauid docet) mirabili artificio format, & eidem adhuc illic quasi sepulto animam instillat immortalem, & vtrumque postea suis viribus atque facultatibus instruit. Semper ergo nobisipsis Apostolica hæc apophthegmata occinamus: Omne donum bonum è supernis est à Patre luminum. Item: Quid habes, quod non accepisti? Hæc vt feroces superbiæ spiritus reprimunt, ita nos ad gratias Deo agendas efficacissimè extimulant. Accedat his diligens nostri officij consideratio, vt in quem vsum nobis dona sua Deus largiatur, sedulò cogitemus: Nimirum, non vt nobis solis seruiant, sed vt per ea ipsius gloria illustretur, & plures alij iuuentur. Nam ad Dei gloriam nos conditos, & à Christo redemptos esse, nemo negauerit, qui vel prima tenet religionis Christianæ principia, deque eo Oratio Dominica nos admonet, cuius hæc prima petitio est: Sanctificetur nomen tuum. Charitas autem siue dilectio fraterna totius vitæ regula est, quæ omnia nostra tàm dicta quàm facta ad aliorum ædificationem dirigit, vt alibi prolixè docuimus. De his si seriò cogitemus, si quando nos ambitiosa nostræ dignitatis fiducia sentimus titillari, facilè poterimus illius assultibus resistere.

Dei dona quomodo considerari debeant?

Psal. 139.

Iacob. 1.

1. Cor. 4.

At quoad huius loci argumentum, ex visionibus, quas multas & eximias habuerat, vnam modò adducit Paulus. Noui (inquit) hominem in Christo, id est, Christianum, aut Christi seruum, ante annos quatuordecim, &c. Alienam personam suscipit, proinde ac si non de seipso, sed alio quodam loquatur, & ita rem narrat, vt ex singulis propè verbis constet, ipsum maluisse tacere. Etenim huc facit temporis notatio, quæ hoc ipsi ante annos quatuordecim accidisse docet. Qui enim tam diu istud celauerat, procul dubio amplius cœlauisset, nisi aduersariorum importunitas ipsum coegisset de eo verba facere. Deinde visionis quidem excellentiam exprimit, sed ita vt sibijpsi prorsus nihil tribuat. Nam primò se raptum fuisse scribit: Id verò diuinæ virtutis & gratiæ opus est, neque in vllius hominis arbitrio siue potestate est, vt extra se rapiatur. At quia raptus tam corpore fit quàm animo, se quid ipsi acciderit, nescire fatetur, dicens: An in corpore, scilicet raptus sim, vt hoc quoque aliò sit subuectum aut translatum, nescio: An extra corpus, sola nimirum mens sit rapta, itidem nescio. Oportuit ergo huius visionis modum admirabilem fuisse, qui nullo corporis sensu, imò ne intellectu quidem naturali potuit percipi, cùm ne postea quidem resciuerit, quid passus esset. Id verò vnum nobis sufficere debet aduersus eorum curiositatem, qui de hoc Apostoli raptu quæstiones mouent minimè necessarias, & circa disputationes inutiles seipsos atque alios fatigant. Nam vt rectè monuit D. Augustinus: Quis au-

Raptus Pauli.

Tertium cœlũ & paradisus.

det dicere se scire, quod se nescire negat Apostolus? Quò verò raptus est? In tertium cœlum, quod mox paradisum dicet. Vbi non opus est ex philosophorum aut physicorum libris de cœlorum numero disputare, aut de paradiso terrestri, in quem Adam initio collocatus fuit, quæstionem mouere, quando hunc in Oriente situm & in diluuio abolitum fuisse constat. Etenim Paulus hîc de sede gloriæ siue maiestatis Dei (quem alibi lucem inaccessam inhabitare scribit) loquitur, qui idem beatæ immortalitatis locus est, in quo olim Deum facie ad faciem videbimus, & in eius conspectu (vt Dauidis verbis vtar) satietate gaudiorum fruemur. Et conuenit nostræ sententiæ, quòd Enoch in paradisum translatum fuisse, in Ecclesiastico scribitur: quòd item Christus in cruce pendenti latroni iam moriturus dixit: Hodie mecum eris in paradiso: cum paulò post ipse animam suam in manus Patris commendaret. Ex istis enim apparet, beatas illius æternæ felicitatis sedes vulgò tunc Paradisum dictas fuisse, vt omnes admonerentur, in Christo nobis restituendam fore eam beatitatem, quam Adam in paradiso olim amisit. Quoad cœli vocabulum, Hebræi hoc Shamaijm dicunt (quod dualis numeri vocabulum est) idq; propter duo hemisphæria, quorum alterum supra Orizontem à nobis cernitur, alterum verò adhuc absconsum oculos nostros latet. Eodem autem vocabulo partim aerem denotant (vnde aues cœli dicuntur) partim expansionem illam siue firmamentum, in quo stellæ sunt. At quia hoc vnà cum sphæris suis à Deo creatum est, & initium habuit, ideoq; in fine seculi abolebitur, & (vt Petrus ait) cum stridore præteribit: Verè & propriè tertium cœlum dicitur in Scripturis beatorum mansio siue sedes, quæ extra hunc mundum corruptibilem nobis IESV CHRISTI merito quæsita & parta est, quam idem ille domum Patris sui vocat, quò & ipse spectantibus discipulis suis supra omnes cœlos siue sphæras cœlestes corpore suo ex Maria virgine assumpto ascendit, & nos eodem ad se transferet in nouissimo suo ad iudicium aduentu, vt cum ipso æternum viuamus. In eum locum Apostolum raptum fuisse dicimus, & id totus verborum istorum contextus docet. Quid verò illic fecit? Audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Istud verò Paulus non superstitiosè dicit, quasi religio nostra (vt olim de sacris suis Eleusinis gentes fabulabantur) mysteria habeat, de quibus nemini fas sit loqui: neque etiam ex Iudæorum more nomina quædam peculiaria Dei intelligit (quale illi suum illud Schem Hamphoras esse nugantur) sed potius docere vult, non posse vllis verbis ea explicari, quæ nobis in cœlo parata sunt, & proinde nefariam esse temeritatem, si quis ista vel curiosius scrutari, vel etiam exponere conetur. Huc ergo referri potest illud Isaiæ: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus ipsum. Nec est, quòd aliquis obijciat, cur ea Paulus audiuerit, quæ verbis explicari non possunt? Etenim ei soli hæc visio seruire debuit, quem Deus ad dura certamina vocabat, in quibus multiplici consolatione erat opus. Quæ etiam causa fuit, vt totis annis quatuordecim de illa nemini verbum fecerit, eo nimirum contentus, quòd ipse ex ea fructum efficacem sentiret.

Psal.16.

Isa.64.

Deus seruos suos visionibus instruit.

Sed omissis curiosis potius quàm vtilibus quæstionibus, Dei morem obseruemus, qui visionibus & reuelationibus varijs eos instruit, quorum opera siue ministerio ad res arduas vult vti: & vt ita fiat necesse est, vt & fortiores sint in periculis, & in rebus agendis magis idonei. Exempla huius rei in Abrahamo & alijs Patriarchis extant: Mose item & omnibus Prophetis. Et Christus inter discipulos hunc delectum habuit, vt suæ clarificationis spectatores atq; testes faceret Petrum, Ioannem & Iacobum, quos grauioribus periculis atque laboribus destinauerat. Et hoc ipsum cum Paulo quoque factum est. Debebat is electum organum esse, cuius ministerio regnum Dei longè lateq; propagaretur. Ne ergo (vt Chrysostomus annotauit) reliquis Apostolis inferior haberetur, qui cum Christo in terris agente versati erant, & diuinitatis eius argumenta in operibus eius miraculosis & gloriosa à mortuis resurrectione viderant, ipsum rapi & cœlestis suæ maiestatis spectatorem in spiritu, aut etiam in corpore (nam vtro modo id factum sit, ne ipse quidem sciuit) fieri voluit. Facit hoc ad doctrinæ propheticæ & apostolicæ commendationem, ne de eorum veritate dubitemus, quos inusitatis rationibus Deus in altiorem rerum cœlestium cognitionem introduxit: neue illis aures præbeamus, qui in æternæ salutis causa ea tradunt, quorum neq; Prophetæ neq; Apostoli meminerunt.

Confutantur

Confutantur præterea Pauli exemplo omnes, qui de futuræ vitæ statu curiosius disputant, neq; ijs contenti sunt, quæ de hoc in sacris literis traduntur: quales sunt, qui hierarchias & choros Angelorum atq; Diuorum finxerunt. Quibus non immeritò adnumeraueris nostri seculi doctores, qui contra Scripturarum veritatem & diserta Christi verba supra cælos locum aliquem esse negant. (Aristotelem fortaßis in hoc dogmate æterno Dei Filio præferendum esse putantes) & vnà cum Christi corpore ipsos etiam cælos ad omnia loca, supera, infera, extendunt. Fuit equidem Moses verus & familiarißimus Dei veri ὀπαδὸς, cum quo per totos dies quadraginta collocutus est, vt nunc infinita alia colloquia taceamus. Quid verò ille pronuntiat? Præceptum istud (inquit) quod ego tibi præcipio hodie, non est absconditum abs te, neq; remotum: Non est in cælis, vt dicas: Quis ascendet nobis in cælos, vt ipsum nobis afferat, &c. En præceptis à Deo iam traditis nos insistere iubet, non ea quærere, quæ Dei verbo non traduntur. Vidit & Isaias gloriam Domini: sed idem ille (vt supra annotauimus) de cælestium bonorum statu & conditione verba facturus, ait: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, &c. Et Paulus, cùm in tertio cælo hæc coràm audiuisset, tamen ineffabilia esse fatetur. Constat item aliquos ex mortuis olim resuscitatos fuisse, inter quos fuit Lazarus illè Bethaniensis, quem Christus amicum suum vocare dignatus est. Quid verò illi vel de cælis vel inferis retulit? aut quid ex eius ore nobis Apostoli tradiderunt? Vnum hoc ex Euangelio nobis constat, quòd vitæ huic redditus perinde vt antea Christi discipulus atq; auditor fuit: quem haud dubiè relicturus erat, si aliam quam ab illo tradi audiebat, alterius vitæ conditionem esse comperisset. Quid, quòd ipse Dominus rediuiuus ex Scripturis concionatus est, non noua & prius inaudita vitæ futuræ mysteria discipulis exposuit. Atqui omnes isti multò rectius & verius de cælis disputare potuissent, quàm nostri illi, qui suis portentosis de omnipræsentia corporis Christi disputationibus reuera cælum cum terra, & beatas cælitum sedes cum inferis miscent.

Curiosæ de cælo quæstiones.

Deut. 30.

Isa. 6.

Sed Paulum audiamus, qui narrationem hanc concludens ait: De huiusmodi gloriabor: de meipso verò non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Duos ex seipso homines facit. Vnum, quem hac gratia dignatus sit Deus, & de illo se gloriari velle dicit: nimirum, non vt seipsum venditet, sed gratiam sibi à Deo factam prædicet. Alterum, qui erat quoad suam naturam & conditionem, quam cum alijs hominibus habebat communem. Quoad hunc, se quicquam gloriaturum negat, nisi de infirmitatibus, quas in semetipso sentiat. Verißimè autem sibijpsi nihil aliud quàm infirmitates tribuit. Quid enim ex nobisipsis habemus, quàm quod infirmum, caducum, vitiosum, mortale est? Ex eo autem nobis vberrima præbetur gloriandi materia, si simul Dei bonitatem & mirificam eius virtutē, in nobis se exerentem consideremus. Rursus autē docemur, suspectos nobis esse debere eos, qui visiones ambitiosè iactant. Fuit hoc semper peculiare impostoribus, vt Valentinianorum & Gnosticorum, Mahumetis item exempla docent: quos hodie Monachi & Anabaptistæ imitantur. Longè aliter sancti, quos visionibus territos & consternatos fuisse alibi exemplis multis demonstrauimus. Sunt ergo alteri illi impostores nequißimi, quibus procul relictis nos in Prophetis & Apostolis loquentem audire debemus æternum Dei Filium, Dominum ac Seruatorem nostrum, IESVM CHRISTVM: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Paulus duos ex se homines fingit.

HOMILIA LV.

Nam si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam: sed parce loquor, ne quis de me cogitet supra id, quod videt me esse, aut quod audit ex me. Et ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni, angelus Satanæ, vt me colaphis cædat, ne supra modum efferar. Super hoc ter Dominum rogaui, vt abscederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur.

Diligenti & longa narratione exposuit Paulus labores atq; pericula, quæ pro Christi nomine subierat. Id verò non fecit priuatæ gloriæ studio, sed quia sic opus erat, ne æternæ salutis doctrina propter ipsum in contemptum veniret, & pseudoapostolis locus daretur, qui passim Ecclesias turbabant. Postremò autem ad reuelationes deuenit, quibus ipsum Deus hucusq; instruxerat atq; confirmarat, vt tot tamq; duris certaminibus posset sufficere. In quo argumento etsi amplissimam haberet gloriandi materiam, modestissimè tamen agit. Nam ex multis reuelationibus vnam modò narrat: & ita quidem, vt non dissimulet infirmitatem suam, quam tunc senserat: & simul omnem gloriam vni soliq; Deo transcribit, qui ipsum ista gratia dignatus sit. Cæterum obijcere poterant aduersarij, ipsum ideo nolle huic argumento diutius insistere, quòd non habeat quod verè dicat: & fortassis illud omne quod dixerat, nihil aliud quàm somnium aut ex cerebri infirmitate obortam illusionem fuisse: istud nunc præoccupatione diluit, & rem omnem diligentius illustrat.

Fidem sibijpsi conciliat.

Propositio huius loci est: Si voluero gloriari, non ero insipiens. Rationem subijcit: Quia veritatem dicam. Itaq; insipientem dicit pro vano & mendace, quare sensus est: Etiamsi pergam ea narrare, quæ mecum egit Deus, nemo tamen me stultitiæ aut vanitatis accusauerit. Nam quæ vera sunt dicam, neque hic aliquid affingam. Verumtamen alias ob causas parcius loquar de ijs, quæ prolixè narrare poteram. Quo loco rursus admonemur, parum prudentes esse eos, qui falsis atque ementitis laudibus sese venditant. Etenim sordet laus propria, etiamsi nihil falsum habeat: & non sine causa viris grauibus atque cordatis suspecti sunt, qui res abs se gestas ambitiosius iactant. Quis ergo non extremè stultos atque intolerabiles eos esse dixerit, qui insuper mentiuntur? Hi enim aut ea iactant, quæ omnino facta non sunt (quod vanitatis inexcusabilis argumentum est) aut quæ alij fecerunt, in se transferunt: quod cum iniustitia coniunctum est. Quare modestè de seipsis omnes sentire & loqui decet, ne dum virtutis existimationem sibi parare volunt, infames fiant. Sed audiamus Pauli rationes, propter quas breuitati in hac causa studuit.

Cur noluerit Paulus gloriari?

Primam his verbis complectitur: Ne quis de me cogitet supra id, quod videt me esse, aut quod audit ex me. Id est, ne quis mihi plus tribuat, quàm homini tribui debet: sed talem me omnes agnoscant, qualem esse vident, & quem me esse audiunt ex meis sermonibus, aut etiam aliorum fidelium relatione, qui rectius de omnibus iudicant. Videbant omnes, Paulum hominem esse, varijs casibus (vt & reliqui homines sunt) obnoxium. Audiebant vero, eundem Dei seruum esse, & mysteriorum Dei dispensatorem. Vult ergo intra hos limites subsistere omnium hominum de se & suo ministerio iudicia: & ideo abstinet ab eorum commemoratione, quæ vires humanas superabant. Nec absq; causa cautione ista tam diligenti vsus est: cùm adhuc recens apud eum esset Lystrensium memoria, qui propter paralyticum ab eo miraculosè curatum, ipsum Mercurium esse putarant, & diuinos honores ei exhibere voluerant: quando scissis vestibus in mediam turbam cum Barnaba insiliens, orationem habuit, quæ propriam continet eorum, quæ hîc scribit, interpretationem: Nam sic dixit: Viri, cur ista facitis. Nos quoque ijsdem quibus vos affectionibus obnoxij sumus, annuntiantes vt ab istis vanitatibus conuertamini ad Deum illum viuum, &c. Vide Actor. 14. Capite.

Quid de sanctis sit sentiendum?

Gen. 18.
Psal. 32. 25. 143.
Isa. 64.

Habet ergo locus hic generalem doctrinam, quid de sanctis Dei seruis sentire debeamus? Nimirum secundùm id quod videmus, & quod ex illorum ore audimus. At in sacris literis videmus eos homines fuisse mortales, infirmos, imò peccatores & suis vitijs obnoxios. Et hoc illos ipsos audimus fateri. Abrahamus enim cum Deo colloqui volens, se puluerem & cinerem esse protestatur. Dauid se in peccatis conceptum esse ait, & delictorum iuuentutis suæ meminit, orat deniq; ne Deus velit cum ipso ingredi in iudicium. Apud Isaiam verò vna omnium sanctorum vox est: Iustitiæ nostræ sunt panni centonum, &c. Iidem vno ore omnes homines ad vnum Deum remittũt, qui solus inuocari, solus coli, & cui soli omnis nostræ salutis gloria transcribi debeat. His ergo insistamus, & exosculemur gratiam Dei, qui in illis efficax fuit, obediamus autem ipsorũ doctrinæ, quam proprij sanguinis testimonio obsignarunt. At hodie ferè diuersum fit. Nam pleriq; in celebrandis sanctorum laudibus occupantur, doctrinam verò illorum negligunt: quæ omnium superstitionum præcipua causa est.

Quod

Quod autem de seipso Paulus dicit, hoc singuli sibijpsis accommodare debent. Nam omnes homines perinde cauere debent ne quis illos maioris quàm æquum est faciat, quàm ne ab aliquibus contemnantur. Etiamsi enim nos aliqui nunc minoris faciant, imò etiam conuitientur, erit tamen tempus, quando existimatio nostra asseretur, & notum est illud Prophetæ: Memoria iusti erit laudabilis. At si nos pluris fieri patiamur, nosq; ementitis laudibus venditemus, detegetur aliquando fraus, & exaltationem istam ruina sequetur. Arguit locus hic totum Papatum, qui fere in eo consistit, quòd homines alij videri volunt, quàm reuera sint, & de seipsis quoque aliter loquuntur. Nam si à capite, Papa nimirum, exordiaris, vult is Semideus quidam dici, imò IESV CHRISTI vicarius, cui omnis potestas non in cœlo modò & in terra, verumetiam in nouo illo mundo omnibus insulis fortunatis quæstuosiore, Purgatorio nimirum, data sit. Idem se tantum non ἀναμάρτητον fingit, qui nec peccare aut errare possit nec ab aliquo reprehendi debeat. Adhæc Sanctissimus, & ipsa Sanctitas, denique Seruus seruorum Dei vocatur. Atqui vident simul & audiunt omnes homines, Papam hominem esse mortalem, omnis generis affectionibus obnoxium, imò hominem peccati, ambitiosum, auarum, sanguinarium, & quid non? Ad capitis verò exemplum Clerus totus (vt illi loquuntur) spirituales sese dicunt, cùm toti carnales sint. Monachi item, id est, solitarij censeri volunt, qui suis examinibus vrbes & agros implent. In vulgo item iusti censentur, qui quanti quanti sunt, peccatores sunt: & operum suorum meritis gloriantur, qui propter manifesta scelera exitium merentur, vt nunc de occultis nihil dicamus. Quis ergo mendax, nisi Antichristus? Aut num isti idem cum Paulo dicere possunt: Ne quis cogitet de nobis supra id, quod nos videt esse, aut quod audit ex me?

Nemo velit maioris quam par est fieri.

Prouer. 10.

Altera ratio, propter quam Apostolus de laudibus suis parcius loqui voluit, hæc est, quòd Deus ipsum gloriari vetet. Nam dicit: Et ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni, &c. Argumentum verbis istis subest eiusmodi: Pij hominis est non luctari cum Deo, neq; id velle, quod ille apertè vetat: Atqui Deum video me nolle superbire aut efferri donis, quæ in me contulit: Ergo id ego nec velle nec etiã facere debeo. Ad Minoris confirmationem facit, quòd dicit: Datus est mihi σκόλοψ, id est, surculus siue palus carni infixus, qui nimirum carnem meam pungat atq; discrutiet, meq; ad humilitatem erudiat. Quis verò ille surculus siue palus fuerit, variæ & multùm inter se diuersæ sunt interpretum sententiæ. Alij de morbo aliquo, qui ei familiarius fuerit, exponũt: & hunc alij acutos & certis vicibus recurrentes capitis dolores fuisse dicunt: alij Iliaca laborasse illum putant. Alij non sine notoria, quam electo Dei organo faciunt, iniuria de libidinis æstro hoc dici intelligunt. Atqui facilè erat huic malo mederi legitimo connubio, quod ipse alijs mandat, qui vruntur. Quid, quod sibi donum castitatis à Deo datum esse alibi fatetur? Chrysostomus hostes denotari putat, quos ei Deus vbiq; locorũ multos atq; graues obiecerit, & inter hos nominatim recenset Alexandrum fabrũ ærarium, Hymenæum, Philetum, sub quibus omnes alios horum similes comprehendit. Sunt, qui locũ hunc de vno aliquo certo aduersario exponant, qui ipsum vbiq; locorum insecutus sit, vt ei negotiũ faceret. Sed quia tot tantisq; laboribus non potuisset sufficere corpus infirmũ & morbo alicui familiari obnoxium, & non de hoste aliquo externo, sed de surculo carni ipsius infixo loquatur, ego tentationẽ grauiorem notari arbitror, qua Deus illũ non in corpore solum affligi, verumetiã intra animum & conscientiam suam exerceri voluerit, ne donorum excellentia superbiret. Et huic sensui fauet, quod ad Rom. 7. Cap. de graui illa lucta scribit inter Legem Dei & Legem peccati quã in corde suo sentiebat, adeò vt ea quasi in extremas angustias adactus clamaret: Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis? Etenim credibile est, obrepsisse simul ei vitæ anteactæ & crudelitatis, qua in fideles Christi sæuierat, recordationẽ, quam ipsi Satan suggerebat, vt quam in Dei gratia fiduciam collocatã habebat, labefactaret. Nam qui scãdalis, quæ aliunde pijs obijci videbat, totus vrebatur, quomodo potuit non totus exhorrescere & intra conscientiã suam æstuare, quoties cogitabat, quàm diris quamq; indignis modis ipse Christi membra tractauisset, quàm multos item fide coegisset abnegare? Nec enim cum sono, qui aures feriebat, simul intra animũ eius terribilis illa vox Christi euanuerat: Saul Saul, cur me persequeris? Et quàmuis non dubitaret de gratia Dei, manebant tamen stimuli conscientiæ, qui acerbissimam istorum scelerum recordationem innouabant.

Deus Paulum gloriari vetuit

Pauli surculus aut palus.

1. Cor. 7.

Augebat dolorem istum angelus malus, Satan nimirum, qui insuper illum quotidie nouis terroribus exagitabat, & simul hostes externos excitabat, vt eum tantumnon colaphis cæderet, id est, conuitijs, calumnijs, persecutionibus, carceribus, flagris & omni iniuriarum genere exagitaret. Id tamen omne ad Deum refert Paulus, qui ita fieri velit, ne ipse supra modum suæ conditionis efferretur, cui erat destinatus. Continet autem locus hic eximiam doctrinam de tentationibus & aduersis, quibus in huius vitæ curriculo exercemur.

Afflictiones à Deo immittũtur.

Et primò quidem admonemur, ista omnia à Deo immitti, quæ nos vel intus vel foris infestant. Innuit hoc Paulus, quando surculum hunc sibi datum esse dicit. Nam quàmuis simul Satanæ mentionem faciat, hic tamen non aliter quàm vt sententiæ diuinæ executor considerari debet: quando constat, eum nihil contra nos posse, nisi hoc ei permittat Deus. Et quid obsecro contra nos posset, qui ne porcos quidem audet inuadere, nisi Christus iubeat, sicuti Euangelica historia docet? (Matth. 8.) Seruit hoc primum consolationi, ne in hac palæstra desperemus. Est enim Deus fidelis nostriq; amans, & quia nos saluos vult, nunquam nos supra vires nostras tentari patietur. Deinde officij quoque nos ista admonent. Quia enim hæc per Satanæ ministerium fiunt, qui nostra perditione gaudet, procul dubio concessa sibi potestate strenuè vtitur. Itaq; vt vigilemus necesse est, & in precibus assidui simus, ne nostra securitate illi maiorem & liberiorem demus nobis nocendi occasionem.

Sanctißimi quoq; tentationibus obnoxij sunt.

Obseruabis etiam, quòd Paulo datus fuit surculus ille, & quòd idem à Satana colaphis cæsus est. At quantus ille fuit, quem Dei Filius organum electum nominare dignatus est? Ergo ne sanctißimi quidem à tentationibus liberi atq; immunes sunt. Sensit has acerrimas Iobus, quàmuis ipsius Dei testimonio probaretur. Et Patriarchas olim in hac palæstra ad extremum vsque spiritum desudauisse legimus. Quod ipsum de Prophetis, Apostolis & innumeris alijs dici potest. Prodest hoc imprimis considerauisse, ne aduersa & tentationes grauiores Dei irati argumenta esse putemus: quin potius nos sanctißimorum Dei seruorum, imò Filij eius vnigeniti & dilecti, IESV CHRISTI, socios hac ratione fieri cogitemus, neq; dubitemus de dicti illius Apostolici veritate: (2. Tim. 2.) Si cum eo morimur, cum eodem viuemus: si sufferimus, etiam cum eo regnabimus.

Nostro bono affligimur & tentamur.

Facit ad huius consolationis confirmationem finis totius pugnæ, quam Paulus sustinuit. Nam hæc ideo sibi accidisse ait, ne excellentia visionum atque donorum Dei supra modum efferretur. Ergo nostro bono nos exerceri & affligi finit Deus. Est enim caro ad omne malum procliuis, superbia autem, quæ omnibus insita est, immodico gloriæ studio plerunque eos inflammat, qui se prærogatiuis aliquibus ornatos esse vident. Et sanè magnã esse oportet huius mali vim, quando in tanto Apostolo adhuc locum habere potuisset, nisi illud tam duro tamq; acerbo antidoto repreßisset Deus. Quid ergo de te speres ô infelix, qui in vmbra & otio quantumuis leui occasione oblata cristas attollis? Quin potius tuæ infirmitatis memor vigilas, & quoties aduersum quid pateris, hoc à Deo tibi immitti cogitas, ne efferaris? Habet præterea hæc quoque pars non vulgarem consolationem. Voluit Satan Paulum perdere: sed iuuit potius, & eum ad humilitatem erudijt, sic volente Deo, cui infelix ille vel inuitus obtemperare cogitur.

In tentationibus ad vnum Deum debemus cõfugere.

Sed audiamus, quid interea fecerit Apostolus. Super hoc (inquit) ter Dominum rogaui, vt absccederet à me, scilicet Angelus ille Satanæ. Ergo non ad Exorcistas aut Magos, infelicia diaboli mancipia, confugit, sed ad Deum, & huius opem pijs precibus implorauit. Id verò se ter fecisse scribit, quod plerique pro Sæpius exponunt, quasi numerus finitus pro infinito positus sit, vt in illo Vergilij: O terq; quaterq; beati, &c. Sed ego minimè opus esse puto, vt aliam expositionem quæramus, cùm verba hæc quàm simplicißimè & secundum literam intellecta ad præsentem causam probè faciant. Nam oraculi meminit, quo admonitus Deum ita velle, didicit hanc crucem patienter ferri, neque liberationem posthac peti debere. Itaque Christi exemplum secutus est Paulus, qui cùm ad montem oliuarum ter precatus esset Patrem, vt calicem diræ illius passionis abs se transferret, vbi ab Angelo confirmatus, vidit aliter Patri visum esse, mox hostibus obuiam processit. Docent autem exempla ista, sanctos non esse ἀπαθεῖς, qui nullis affectionibus moueantur, qualem Stoici suum virum bonum finxerunt. Etenim nisi Paulus grauem in corde suo molestiam sensisset, nunquam tam seriò orauisset Dominum, vt ab ista tentatione liberaretur.

raretur. Quod ipsum in aliorum quoque sanctorum querelis obseruari debet, quibus illi inhærentes sibi infirmitates non dissimulant. Sunt ergo nimis temerarij, qui præcipiti iudicio omnes eos damnant, quos periculis imminentibus moueri & perterrefieri vident. Imprimis tamen in Pauli exemplo hoc nobis imitandum est, vt ipsi quoque in periculis ad vnum Deum confugiamus per Mediatorem vnicum IESVM CHRISTVM. Ille enim solus curas & labores nostros omnes nouit: solus vbique præsens est, vt nos audiat: solus omnia potest. Neque est, quòd de eius voluntate dubitemus, qui ne Filio quidem proprio parcere voluit, vt nos seruaret, qui mille mortes & sempiternos inferorum cruciatus merebamur. Obseruarunt hoc omnes sancti, vt mirum sit hodie in tam clara Euangelij luce multos ita hallucinari, vt Diuos cœlites inuocent, cùm hoc & expresso Dei mandato prohibeatur, qui vt in die tribulationis ipsum inuocemus iubet, & nullum ex Scripturis exemplum produci possit, quo defunctorum inuocatio probetur.

Quid verò Deus Paulo respondit? Audiuit quidem precantem, & procul dubio animum eius grauiter laborantem respexit, non tamen eius petitionē ratam habuit, & vehementius instantem de sua voluntate admonuit, dicens: Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur. Quærunt aliqui, quomodo Dominus Paulum allocutus sit. At est quæstio ista superuacanea. Quid enim nostra interest hoc scire? Ita verò hoc factum esse constat, vt Paulus sciret hæc sibi non ab alio quàm à Domino dici. Propositio est: Sufficit tibi gratia mea. Id est, Ne petas te hac molestia liberari, qua te ego exerceo, quia sic opus habes. Interim verò tibi sufficere debet mea gratia, qua nimirum tibi hactenus adfui, ne succumberes, & qua in posterum quoq; te iuuabo, vt tentationibus omnibus possis sufficere. Deus non semper præstat quæ petimus.

Docent ista, preces piorum nunquam esse prorsus irritas aut inutiles. Licet enim non impetrent quod petunt, exaudit tamen illos Deus, & pro ijs quæ petunt, dat magis necessaria. Sic olim Dauid, non quidem liberabatur statim ex periculis, quibus illum Saul exagitabat, at inter ista Deum sibi adesse sentiebat, qui ne illis opprimeretur, ipsum seruabat. Oremus ergo indesinenter, at interea non præscribamus Deo temere, sed preces nostras eius voluntati subijciamus, sicuti Christus non solùm in precandi formula, quam nobis tradidit, verumetiam proprio exemplo docet. Etenim diuinæ misericordiæ opus est, quòd ea nobis negantur, quæ nocitura erant, si illa obtineremus. Sufficiat ergo nobis quoque, quòd nos Deum propitium habere scimus, qui vt promissionibus amplissimis nos instruxit, ita istarum omnium nobis complementum dedit in Filio suo IESV CHRISTO, qui iam ex terris hisce abiturus dixit: Ecce, ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi. Itaque nobis quoq; illum loqui putemus, quoties vel egestate, vel persecutionibus, vel alijs periculis vndique premimur: Sufficit tibi gratia mea, &c. Interim preces nō sunt irritæ.

Sed rationem audiamus, qua Paulum Deus confirmat. Nam potentia mea in infirmitate perficitur. Emphaticè loquitur, Potentia mea: qua scilicet ego per te & alios collegas tuos hucusque egi, qua item seruos meos erigo, confirmo, recreo & seruo, qua denique regnum meum longè lateque propago. Ea (inquam) perficitur in infirmitate meorum seruorum, id est, tunc vberrimam habet sese exerendi materiam, quando tu aut alij ad extremas angustias redacti, vos infirmiores esse sentitis, quàm vt oneribus ferēdis possitis sufficere. Apparet hoc euidentissimè in Apostolis, qui si huius seculi authoritate atque viribus instructi fuissent, negotium hoc quod agebant, humanum videri poterat. At quia homines idiotæ, illiterati, obscuri, infirmi & omnium iniurijs expositi fuerunt, diuinum illud opus esse & Dei auspicijs perfectum fuisse constat. Rectè ergo Theodoretus scripsit: Eorum qui prædicant infirmitas, apertè ostendit eius, qui prædicatur, potentiam. Et adumbratur hic nobis euidenter, quæ sit ratio quisue modus diuini auxilij. Etenim si ipsi nobis sufficeremus, Deo nequaquam nobis opus esset, neque etiam intelligeremus nos eius manu seruari. Cùm enim ne nunc quidem omnes illud agnoscant, quid fieret, si loco essemus meliore? Patitur ergo nos Deus ad extrema vsque deuenire, vt nostræ infirmitatis sensus & ex eo enatus dolor nos cogat ad ipsum confugere, vtque ipsius virtute nos liberari fateamur. Et huc multa pertinent, quæ in Psalmis habentur, imprimis autem querelæ piorum, quibus fatentur, se in profundo calamitatum hærere, in abyssum demersos esse, ab hostibus vndique cingi, vt nulla salutis spes in humanis sit reliqua. Potentia Dei in nostra infirmitate perficitur.

Cur Deus homines tot miserijs subiecerit.

Isa. 28.

Discamus igitur hoc loco, cur Deus humanum genus tot malis atq; ærumnis obnoxium fieri velit? Nimirum vt hæc ipsi quasi officina sit, in qua suam potentiam, bonitatem & misericordiam exerceat. Ex eo autem consolationis argumenta petamus in omni genere tentationum, & cogitemus, Deum (vt ipse apud Isaiam fatetur) sæpe alienum opus facere, vt occasionem habeat nos iuuandi, quod opus eius est proprium. Exempla, quibus hoc probetur, habes in liberatione Israelitarum ex Ægypto, in exilio Babylonico, in Dauide, Ezechia, & infinitis alijs. Et nostro tempore multa huius generis vidimus, vt non dubium sit, Dei auxilium (vt olim Philo dicebat) tunc incipere, quando humanum desinit. Obseruandum hoc etiam in salutis æternæ negotio. Nam hîc imprimis salusica Dei nos per Christum liberantis potentia in nostra infirmitate perficitur: quando nimirum peccatorum nostrorum agnitione intra conscientiam nostram conuicti ad thronum gratiæ cogimur confugere. Humiliemur ergo omnes sub potenti manu Dei, & in periculis intrepidi salutis fiduciam omnem in illius gratia collocemus, cuius nobis Mediator vnicus est Filius eius dilectus, IESVS CHRISTVS: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LVI.

Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Christi. Propterea oblector in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo. Cum enim infirmus sum, tum potens sum.

QVoniam Paulus electum illud Dei organum fuit, cuius ministerio Euangelium per totum orbem inter gentes propagari debebat, necesse omnino erat, vt sui nominis existimationem contra calumniatores sedulò tueretur, ne propter ipsum Veritatis doctrina vilesceret. Id verò sic facit, vt simul suo exemplo doceat, quæ omnium administrorum Verbi Dei studia esse, & quibus ijdem potissimùm gloriari debeat. Cùm enim multa posset narrare, quæ Deus cum ipso priuatim egerat per varias reuelationes, imò cùm vt Imperator aliquis gentes per Euangelij prædicationem deuictas & ad Christi obsequium adductas recensere posset, & quasi triumphis atque trophæis gloriosissimis superbire: abstinet tamen ab istorum commemoratione, ne quis rerum ab ipso gestarum magnitudine deceptus, de ipso sublimius sentiret, quàm de homine sentire fas est. Sed neque consilium Dei dissimulat, qui ipsum hucusque crebris atque varijs tentationibus ad modestiam & humilitatem erudierit. Vbi perquam memorabilis est illa sententia, qua Deus ipsum sua gratia contentum esse iussit, qui tunc nos iuuandi & suam potentiam exercendi materiam habeat vberrimam, quando nos in extremis periclitamur, nec aliqua in humanis auxilij spes nobis affulget.

Paulus oraculum sibi accommodat.

Porro pergit Paulus, & oraculum hoc causæ præsenti applicans ait: Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Christi. Quasi diceret: Glorientur alij hominum applausu & fauore, dignitatibus, eloquentia, & alijs huius generis rebus, quæ mundi iudicio magnifica sunt, sese ostentent: at mihi longè alia mens est. Etenim nihil mihi iucundius fuerit, quàm gloriari in infirmitatibus meis, id est, ijs rebus, quæ vt mundo infirma videntur, meq; apud multos contemptibilem faciunt: ita mihi causa sunt, vt infirmitatem meam agnoscam, & humilius de me sentiam. Rationem verò huius dicti reddit: Vt inhabitet in me potentia seu virtus Christi. In Græco habetur verbum ἐπισκηνώσῃ, & Metaphora est à tabernaculis aut tentorijs sumpta: Nam propriè idem significat, quod aliquem quasi tentorio supra ipsum expanso tueri atque protegere. Quo sensu in Psalmis Angelus Domini castrametari aut tentoria figere dicitur circa eos, qui hunc timent. Docet ergo hac locutione Paulus, se adeò non pudere aut pigere afflictionum, vt potius eis delectetur propter dulcissimam illam protectionem IESV CHRISTI, cuius diuina virtute & potentia se seruari & recreari sentiat.

Psalm. 94.

Obseruabis autem hoc ita ab ipso dici, vt afflictiones siue aduersa, quibus exercebatur, causam esse

ſam eſſe doceat diuinæ protectionis. Quaſi diceret: Niſi ita exercerer, hæc non haberet locum apud me, & proinde maxima iſta voluptate ego carerem, quam ex illa percipio. Rurſus igitur hic de multiplici afflictionum vſu admonemur. Primus eſt, quòd nos in propriæ infirmitatis cognitionem adducunt, qui primus ad ſalutem gradus eſt. Alter quòd humiles atq; modeſtos reddunt, vt ſicuti pauones conſpectis pedibus caudam demittere ſolent, ita nos noſtræ imbecillitatis ſenſu territi confidentiæ criſtas ſupprimamus. Sequitur ex eo tertius, quòd ſaluificæ virtutis Chriſti capaces reddunt. Nec enim temere dictum eſt, Deum humilibus gratiam conferre, ſuperbis autem reſiſtere. Item: Diſſipauit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum, detraxit potentes de ſedibus, & euexit humiles. Quod Iacobus obſeruans monebat: Humiles vos præbete in conſpectu Dei, & eriget vos. Etenim, vt alij eleganter & rectè annotarunt, ſicuti valles pluuijs cœleſtibus rigantur, & fœcundiores fiunt, fulminibus autem feriuntur ſumma altiſſimorum montium cacumina, quæ ne pluuijs quidem cedunt, vt aſperitatem ſuam & ſterilitatem exuant: Ita quos propriæ infirmitatis & innatæ vitioſitatis ſenſus ad humilitatem erudiuit, vt inter alios homines inſtar vallium ſint, ijs ſua gratia & benedictione Deus adeſt, vt indies proficiant, & (vt Pſalmus dicit) de virtute in virtutem progrediantur: E contra verò, qui ſuarum virium & propriæ virtutis fiducia ſuperbi ſeſe attollunt, ijdem ſeipſos Chriſti Spiritu & virtute ſpoliant, adeoq; ſibiipſis oſtium præcludunt, quò minus illa ad ipſos poſſit pertingere. Docent iſta, cur hodie tam pauci ſint, in quibus præclari illi virtutis atque gratiæ Dei effectus conſpiciantur, vt olim in primitiua Eccleſia vulgo factum fuiſſe legimus: Nimirum, quòd plerique vel ſuperſtitionibus dementati ſuam iuſtitiam iactant, vel huius ſeculi bonis addicti ſtolida ambitione turgent atque ſuperbiunt, pauci verò ſeſe Deo ſubijciunt, vt vel verbo ſuo vel eiuſdem virgis paternis ad modeſtiam erudiantur.

Multiplex afflictionum vſus.

1.Pet.5. Luc.1. Iacob.4.

Pſalm.84.

Quia ergo res iſta maximi eſt momenti, amplius explicat quod dixit: Propterea oblector in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Oblectari ſe dicit, vt oſtendat ſe infirmitates, quas Deus ipſi imponat, non modò patienter ferre, ſed voluptatem quoque ex illis percipere ſingularem. Et ne infirmitatis nomine leuiculum quid notare putetur, ſpecies eius præcipuas ex ordine ſubtexit, primum locum contumelijs tribuens, quas ſuſtinere cogebatur, eò quòd Iudæi ipſum impium patriæ Legis deſertorem, religionis prophanatorem, Moſis & cultus diuini hoſtem, gentes verò nugiuendum & (quod grauius erat) totius orbis turbatorem eſſe dicerent. Secundò neceſſitates numerat, quibus imprimis rerum penuriam denotat (vt Cap. ſexto diximus) & qua illum frequenter laborauiſſe ſcimus, adeò vt manuum labore victum ſibi pararet. Poteſt tamen vocabulũ iſtud hoc loco latius extendi ad pericula omnis generis, in quibus ſæpenumero, quoad humana nulla auxilij aut ſalutis ſpes apparebat. Tertiò, perſecutionum nomine comprehendit infeſta ſibi hoſtium conſilia, inſidias, ſeditiones, fugas, exilia, carceres, plagas & verbera: de quibus omnibus ſupra quoque eſt dictum. Poſtremò anguſtias nominat, quæ propriè pericula grauiora ſignificant, quæ rerum incertos faciunt, vt quid conſilij capi debeat, neſciamus. Et videtur Metaphora petita eſſe ex re militari, vbi interdum copiæ ab hoſtibus in loca anguſtiora & inuia coguntur, vt neque perfugij via ſit, neque etiam pugnandi copia illis detur. Tale quid fuit, quod in Aſia Paulo accidiſſe ſupra Cap. primo audiuimus, quando ipſe ſibi mortis ſententiam tulerat.

Paulus infirmitatibus delectatur.

Quo loco rurſus apparet, quæ piorum atque miniſtrorum Chriſti ſors ſit, dum in terris viuunt. Odit illos mundus propter Veritatis lucẽ, qua ipſius impietas & opera praua arguuntur. At tanta tamẽ venerabilis eſt Veritatis maieſtas, vt nemo eius oſor aut hoſtis videri velit. Hinc illæ impijſſimorum quoque hominum voces audiuntur: Et quis Dei Verbum reijciat? aut Veritatem oderit? Interim verò ijdem odio Veritatis implacabili extimulati in huius cultores atque miniſtros impetum faciunt, quos calumnijs petunt, & omni genere contumeliarum adobruunt. Fit ergo, vt multi non mali ſuſpicionibus ſiniſtris imbuantur, & ipſi quoq; illos odiſſe incipiant. Quæ deinde perſecutionum grauiſſimarum cauſa eſt, per quas optimi quique fortunis ſuis ſpoliantur, natali ſolo pelluntur, vt incertis ſedibus oberrent, & in extrema rerum omnium penuria in ſingulas horas de vita quoque periclitentur. Factum hoc omnibus ſeculis. Olim certè Eliæ temporibus, hic quidem apud Sareptanam viduam, alij verò Prophetæ in diuerſis ſpeluncis

Piorum ſors in hoc mundo.

delitescentes pane & aqua alebantur, impijs Baalis sacerdotibus ex Reginæ Iezabelis mensa securè voluptuantibus. Imò plerosq; Prophetas tunc crudeliter occisos fuisse, Elias queritur. Idem posteris quoq; temporibus contigit, vt in historijs Ecclesiasticis est videre. Quid hodie multis in locis fiat, deploratione potius quàm commemoratione dignum est. Plerique enim Christi ministros omni contumeliarum genere afficiunt, ijsdem insidias struunt & omnia infesta reddunt, adhæc in necessitates & angustias adigunt, vt cum fame conflictentur, qui vitæ æternæ Manna toti mundo ex Dei penu depromere satagunt.

Quid pij faciant in afflictionibus?

Quid verò inter ista facere debent pij? Paulus se aduersis istis oblectari ait. Atqui idem alibi de illis queritur, & nuper Dominum se ter precatum esse fatetur, vt angelum Satanæ ab ipso auferret, qui eum colaphis cædebat. Porro hîc meminisse oportet, eandem esse rationem IESV CHRISTI & ministrorum eius. Ille quia humanæ salutis cupidissimus erat, & æterno Patris decreto cupiebat obedire, desiderio desiderauit vltimam Cœnam cum discipulis agere, vt ea facta opus nostræ redemptionis aggrederetur. At quia idem ille hominem verum assumpserat, vnà cum infirmitatibus nostris, diræ illius mortis recordatione turbabatur sæpius. Nunc (inquit) anima mea turbata est, & quid dicam? Pater, serua me ex hac hora. Item: Nunc anima mea turbata est vsq; ad mortem. Imò precatur quoque Patrem, vt calycem istum à se transferat. Ita sanctis quoq; solet accidere. Non sunt enim hi truncorum aut lapidum instar ἀπαθεῖς, qui nihil sentiant, neq; dolore vllo permoueantur: & hoc quoque in illorum precibus atque querelis euidentissimè apparet. Sed præualet in omnibus certaminibus, quæ sustinent, Spiritus Christi, qui animos eorum huius amore atq; desiderio accendit, vt ipsis volupe sit aliquid pro Christo sufferre, quo testentur, quanti illum faciant: denique ad quæuis parati sunt, modò illius sint, & hic ipsos pro seruis atque membris suis agnoscat. Exemplum huius rei Apostoli sub initium statim suæ functionis præbuerunt, quando in Senatu virgis cæsi cum gaudio exibant, & Deo gratias agebant, qui eo honore dignos iudicarat, vt pro ipsius nomine talia paterentur. Et huc respiciens Paulus, credentes in afflictionibus gloriari scribit, vt quæ noua gratiæ experimenta ipsis indies suppeditent, & quia ijsdem persuasissimum sit, nihil esse, quod ipsos possit separare à dilectione Dei, qua nos hic in Christo complexus est. Vide Rom. 5. & 8.

Ioan. 14. Matth. 26. Luc. 22.

Cur pij afflictionibus delectentur.

Quia tamen quod Paulus dixit, se oblectari afflictionibus, carnis iudicio παράδοξον & absurdum, imò etiam impossibile videtur, dicti eius rationem reddit his verbis: Cùm enim infirmus sum, tunc potens sum. Infirmus siue impotens erat Paulus, quando circumquaque aduersis & periculis pressus nihil auxilij aut consilij videbat, quo iuuaretur. Tunc enim simul sentiebat carnis cum fide & spiritu luctantis certamina, & quàm exiguæ, vel potius nullæ essent suæ vires, si Deus manum suam ipsi subduceret. At tunc idem se robustissimum esse dicit, nimirum in CHRISTO IESV, & in ijs, quæ ad salutis æternæ negotium faciunt. Ita enim noxiæ & illicitæ carnis cupiditates restinguebantur, è cõtra verò spiritus præualebat, vt animum ad Deum attolleret, huius solius ope niteretur, quam ita sibi præsentem esse sentiebat, vt nouis quotidie diuini auxilij exemplis confirmaretur.

Afflictionum fructus.

Rursus ergo fructus afflictionum nobis commendatur. Debebamus ipsi carnem siue membra nostra terrestria (vt alibi Paulus loquitur) mortificare: quia quò magis illa præualent, eò magis spiritus Dei laborat atque fatigatur. Quæ causa est, quòd ieiunia sæpe præcipiuntur, non quidem superstitiosa illa, quæ inepti homines pharisaico more ad certos dies & ciborum delectum astringunt, sed per quæ carni omnia ea subducuntur, quæ eius libidinem accendunt atque fouent. At quia hoc non facimus spontè, sed potius illam, quoad nobis illud per otium & quacunque occasione licet, securam atque petulantiorem facimus, Deus fidi patris instar virgas adhibet, & cruce nos coercet. Idem tamen paternæ suæ indulgentiæ memor, crucem temperat, & (vt in Psalmo scribitur) pro æstu multarum cogitationum consolationes suggerit, quibus recreentur, qui tentationibus succubituri videbantur. Ea ratione fit, vt in Domino robusti fiant, qui prius languebant: adhæc omni virtutum genere & egregijs fidei documentis floreant, qui paulò ante emortui trunci videbantur. Aduersis enim & ærumnis (vt Chrysostomus scribit) anima purgatur à crassis desiderijs & impuris cogitationibus, vt verè philosophari incipiat, cum securitate (quæ nocentissima

Psalm. 94.

centißima pestis est) fastum atque confidentiam excutiat, res terrenas fastidiat, affectibus pecuinis resistat, & patientia verè Christiana vincat quæcunque ipsi obijciuntur. Exempla sunt passim, quibus hoc probari potest. Abrahamus quasi nullus erat, cùm in natali solo inter opes & suos cognatos otio abundaret, & apud omnes in pretio & honore esset. At ex patrijs ædibus quasi in palæstram euocatus, nouas fidei vires animo concepit, quibus grauißima omnis generis tentationum certamina superauit. Iobum quoque semper quidem pietati studuisse, & ipsius Dei testimonio probatum fuisse constat. At idem nunquam hæc tam præclara fidei & patientiæ trophæa statuisset, nisi ipsum diabolo diuexandum permisisset Deus. Quid de Dauide dicemus? Nonne hic, cùm vicinarum gentium domitor, belli pericula procul à finibus suis repulisset, omnium infirmissimus fuit? Etenim fœda libidini cessit, quæ adulterum & latronem fecit eum, qui prius de mundo & huius principe toties triumpharat, quando à socero Saule proscriptus se pulici & cani mortuo conferebat. Sunt etiam publica huius generis exempla Israelitæ, quando in Ægypto feliciter agebant, fœderis diuini immemores idololatræ facti sunt, & multorum scelerum illecebris succubuerunt: oppreßi autem & libertate exuti cum fiducia ad Deum clamauerunt, qui hostibus suis superiores fecit. Et huc totus Iudicum liber debet referri, qui exemplorum eiusmodi plenus est. Idem in primitiua Ecclesia est videre, quæ dum exigua esset & contemptibilis, mirificè floruit: quàm primùm verò crescere cœpit, & indies auctior fieri, mox dissensiones exortæ sunt, quæ illius pacem magna ex parte labefactauerunt. Facit ad huius confirmationem vniuersa Ecclesiastica historiæ series, qua docemur, Ecclesias semper sub Cruce floruisse, plerumque verò arridente fortuna lætiori vitiū contraxisse, et remisiores fuisse factas. Et quid hodie paßim fiat, plus satis notum est. Quæ enim persecutionibus exagitantur Ecclesiæ, in Domino fortes impiorū conatibus sese opponunt, in pietate feruent, & martyrum exemplis indies nouis celebres fiunt. E contra quibus fidē in Christo licet tutò profiteri, ij ferè languent, et sibijpsis nescio quid magni ex ignaua dißimulatione et turpi cū impijs collusione pollicentur. Nemo igitur miretur, nos nouis quotidie periculis exerceri. Neminem quoque impiorum conatus terreant. Nec enim metā transilire poterunt, quam illis Deus præfixit: & vt Christum regnare oportet, ita quicquid illi faciunt, credentium saluti seruiet. Itaque exultemus in medijs afflictionibus, & ad Deum totis animis conuersi amplectamur, quam is nobis simul offert, gratiam atque consolationem: disciplina autem eius salutifera vtamur ad carnis castigationem vitæq; totius emendationem. Sic enim fiet, vt qui cum æterno Dei Filio, Domino nostro IESV CHRISTO periclitati sumus, cum eodem olim in cœlis viuamus & regnemus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LVII.

Fui insipiens in gloriando: vos me coëgistis, nam ego debuerā à vobis cōmedari. Nulla enim in re inferior fui summis Apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidem Apostoli ædita sunt inter vos in omni tolerantia, in signis & prodigijs & virtutibus. Nam quid est in quo fueritis inferiores cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse vos nō grauaui meo otio? Condonate mihi hanc iniuriam.

MVltis huc usque exposuit Paulus, quid per ipsius ministerium fecerit Deus, & quam multa quamq; grauia pericula propter Euangelium Christi subierit, vt quàm plurimos in eius cognitionem adduceret. Id verò (vt sæpe diximus) non ambitiosè fecit, vt ardeliones solent, sed in eum solum finem, vt suæ doctrinæ authoritatem tueretur, quam aliqui in ipsius persona euertere conabantur. Ideo narrationē istam ita contexuit, vt non obscurè appareat, ipsum de Christi gloria potius quàm de sua solicitum fuisse. Omnia enim refert ad Deum authorem, qui ipsius ministerio vti dignatus sit: & omißis ijs, quæ magna cum laude fecerat, ea narrat, quæ ipsum hominem infirmum & diuinæ opis indigum esse declarabant. Imò, si rem propius consideres, in illis ipsis Dei potentiam prædicat, qui ipsum inter certamina ista seruarit, atque omnibus aduersis fecerit supe-

riorem. Decet hoc ipsum nos quoque, vt si quid præclari per nos fecit Deus, eo non gloriemur insolentius, sed propriæ infirmitatis memores illius gratiam celebremus. Præterea ex ijs, quæ iam facta sunt, consolationem petamus, ne facilè succumbamus ponderi: quin cogitemus, nobis à Deo materiam offerri, in qua nos fidei & patientiæ nostræ specimina edamus, ille verò suam potentiam atque bonitatem erga nos declaret. At non ignorabat Paulus, Corinthios pro suo more hæc omnia calumniaturos esse: ideo excusationem subtexit, qua culpam, si quæ admissa sit, in ipsos retorquet.

Excusat gloriationem suam.

Factus sum (inquit) insipiens in gloriando: vos me coëgistis, &c. Fatetur aliquo modo culpā, quòd insipientius ista dixerit quæ hucusque audiuimus: Nimirum ad id respiciens, quòd vulgo suspecti sunt, qui seipsos laudant. Et ideo non simpliciter se excusat, vt ij solent, qui quicquid faciunt & dicunt, omnibus volunt probari, & ne manifestos quidem errores fatentur. At Christianæ modestiæ est ea agnoscere & fateri, quæ vel in speciem vitiosa sunt. Interim in Corinthios culpam trāsfert Apostolus, dum addit: Vos me coëgistis, scilicet hæc dicere. Et quia hoc illi negare poterant, rursus id quoq; probat: Nam ego debueram à vobis commendari. Id est, vestrûm erat meum studiū atque fidem, qua vobis seruiui, agnoscere, meiq; nominis existimationem contra improbos calumniatores illos tueri, qui mihi malitiosè detrahunt. Cùm verò vos hucusque vestro officio defueritis, & iam non tam de me & mea existimatione, quàm de Euangelij doctrina & omnium vestrûm salute agatur, ego diutius tacere non potui, neque etiam debui.

Ingratitudo Corinthiorum & totius mundi arguitur.

Reprehenditur ergo hîc Corinthiorum ingratitudo. Sunt enim nimis ingrati & graui reprahensione digni, qui bene de ipsis meritorum famam non tuentur, & eorundem dona, quibus illi ipsis seruierunt, ab alijs conculcari patiuntur. Et est hoc proprium Ecclesiæ, adeoque singulorum credentium officium, vt doctoris sui, siquidem dignus est, nomen sedulò à contemptu & contumelia vindicent. Quia enim (vt alibi dictum est) parentum instar sunt Verbi præcones, ad illos quoque pertinet præceptum de honorandis parentibus. Et si olim capitalem pœnā merebatur, quisquis summi Pontificis sententiæ contumaciter resistebat, quo supplicio non digni erunt, qui Euangelij ministros ideo contemni & eorundem existimationem labefactari patiuntur, vt illius doctrinam licentius reijcere & calcare possint? At hodie inter eos, qui Euangelio gloriantur, vix aliud vulgarius est, quàm quòd plerique in eo sunt, vt doctores suos in contemptum adducant, & ex eo summam voluptatem capiant, si quos vel scurrilibus dictis in illos ludere, vel etiam eorum famam conuitijs proscindere audiant. Quæ causa est, vt vndique calumniandi occasionem auidè captent, sicuti olim Iudæi in Ioanne Baptista & Christo factitarunt. Excusant quidem aliqui petulantiam suam corruptis quorundam ministrorum moribus, quos hoc ita mereri dicunt. Sed cur non illi eosdem mores in alijs quoque carpunt? cur impostores monachos & sacrificos in pretio habent, quorum maior est in omni vita scurrilitas atque impudentia? cur tam patienter eos ferunt, in quibus οὐδὲν ὑγιὲς, id est, nihil sanum est (vt prouerbio dicitur) siue doctrinam siue mores eorum inspicias? Quare vtut culpam suam maledici illi palliare studeant, satis apertè seipsos produnt, quòd non nisi Veritatis & verbi Dei odium, quod animis suis iam pridem conceperunt, illos huius administris tam infestos reddat. Solet hoc ipsum in Repub. quoque fieri, vbi minima quæque vitia aliqui in illis odiosè notant, qui puræ religionis amantes & bonarum legum strenui vindices sunt: eos autem in cœlum vsque ementitis laudibus euehunt, qui religionem omnem extinctam, bonas leges euersas, morum disciplinam è medio sublatam volunt, qui denique vitam omnem in ebrietate, nequitia & omnis generis licentia transigunt.

Cur ministri dicāt multa, quæ displicent?

Deinde admonemur hoc Pauli exemplo, quæ causa sit, cur ministri multa dicant interdum, quæ plerisque displicent, aut etiam molesta sunt? Ea nimirum, quòd sic coguntur facere ab ijs, qui sui officij minus memores vel ignaua socordia vel etiam aperta malitia peccant. Nā vt de veteribus Prophetis aliquid dicamus, quis dubitet Samuelem maluisse olim Sauli ea dicere, ex quibus iste voluptatem potuisset capere? Etenim patet hoc ex eo, quòd huius repulsam lachrymis amaris & diuturnis eò vsque defleuit, donec à Domino corriperetur. At vt acerbius & durius cum illo ageret, eius contumacia merebatur, imò etiam exigebat. Idem de Nathano possumus dicere, qui quanti Dauidem fecerit, ex ijs apparet, quæ cum eo de Meßia ex ipsius posteris nascituro

1.Sam.15.et 16

2.Sam.7.et 12.

nascituro disseruit. Idem tamen illi Dei iram & vindicem gladium minitari coactus est, cùm turpi adulterio & indigna Vriæ cæde pœnas graues meruisset. Eundem omnibus Prophetis animum fuisse, non est dubium. Ieremias certè de sua sorte conqueritur, & se mortalium infelicissimum putat, cui perpetuò rixandum sit cum hominibus pœnitere nescijs: neque falsas fuisse querelas istas, aut simulatas, illius threni post miserabile vrbis & templi excidium conscripti testantur, quibus nihil tristius fingi poterat. De Christo verò quid attinet dicere, qui horribilis illius calamitatis, quæ vrbem atque gentem Iudaicam manebat ne recordari quidem potuit absque lachrymis: verumtamen Sacerdotum incurabili impietate, & totius populi ingratitudine atque contumacia quasi superatus, non potuit non ea dicere, quæ ipsi merebantur? Idem Apostolis omnibus accidit, & Paulum Corinthij coëgerunt, vt præter animi sui voluntatem nunc ipsos acrius corriperet, nunc in pseudapostolos maiori verborum vi inueheretur, nunc suas quoque laudes prædicaret. Horum meminisse debebant hodie, quibus Verbi administri nimij esse videntur in confutandis superstitionibus, in oppugnando Antichristo & eius infelicibus monstris, Monachis nimirum atque tota rasorum & vnctorum cohorte, in arguendis item sceleribus, & pœnis horum denunciandis. Atqui coguntur ista facere ab illis ipsis, qui superstitiones abolitas postliminio reducere satagunt, qui impostores maximi faciunt, qui denique perruptis omnium legum repagulis in omnem licentiam effunduntur. Et quid obsecro nimium dici potest, quando impietas vbique gentiũ triumphat, scelus verò intolerabile putatur fidem in CHRISTVM IESVM profiteri, et relictis superstitionibus vitam viuere Christiana professione dignam? Iere. 15.

Debet tamen huius loci doctrina latius extendi. Nam ita fieri solet in genere, vt qui ... quot officium non faciunt in aliqua re exequenda, hi alios illud facere cogant. Oportet enim omnino fieri quod Deus statuit, cuius decreta æterna sunt & irreuocabilia. Si ergo ij, quibus Deus aliquid mandauit, & qui locum legitimum vel in Ecclesia vel in Repub. tenent, in officio suo cessent, facile est Deo aliquos excitare extraordinariè, qui quod iussit effectum dent. Quapropter si extraordinarij illi aliquid vel imprudentius vel immodestius faciant, non tam hi quàm alteri illi reprehendi merentur, qui sua ignauia istis occasionem dederunt. Exemplo res fiet illustrior. Religionis cura imprimis ad Episcopos vel Ecclesiæ pastores & Magistratus pertinet, quorum est videre, vt tam doctrina quàm cultus externus atq; Sacramentorũ vsus secundum Dei Verbum rectè instituatur, aboleantur verò superstitiones noxiæ & quæcunq; contra Dei voluntatem irrepserunt. Fit autem ferè vt vterq; ordo hominum hæc vt nihil ad se pertinentia negligat. Nolunt enim manum huic operi admouere Antistites, quibus omnis Ecclesiæ reformatio inuidiosa & suspecta est, dum suæ existimationi & quæstui metuunt. Magistratus verò vel hanc à suo officio alienã esse putant, vel etiam sui emolumenti causa cum superstitionũ magistris colludunt. Vt ergo olim cessantibus in suo munere Sacerdotibus, Dominus Prophetas excitabat extraordinariè, homines rusticos & opifices, vel etiam generis nobilitate illustres, qualem Isaiam fuisse constat: Ita hodie etiam Euangelij præcones excitat, obscuros prius, qui opus istud aggrediantur, quod ipse confectum vult. Fit tunc, vt dolis per Euãgelij prædicationem detectis, vulgus exardescat, & motus publici surgant, per quos non sine periculo ea tollantur, quæ facilè & decenter tolli possent, si alteri illi vellent officio suo fungi. Fremunt tunc idololatriæ patroni, & quouis supplicio dignos esse clamant alteros illos, qui multa importunè & immodestius fecerunt. Atqui maior est illorum culpa, qui tam diu per Dei Verbum admoniti cessarunt in eo, quod facere debuissent, & quod ipsi commodius facere poterant. Fatentur hoc aliqui, & tamen vociferantur: Esto, cessarint hucusque Pontifices, Episcopi, Reges & magistratus, non tamen isti debebant hisce rebus sese immiscere. At tù quisquis es, dic mihi, qui scis istos quoque cessare debuisse? Deus equidem superstitiones tolli, idololatriam euerti, doctrinas falsas è medio auferri, & scandala omnia remoueri vult. Qui id ex officio facere debebant, nolunt. Num ergo incredibile est, alteros illos à Deo excitari, vt omni periculo contempto rem istam aggrediantur? Ne ergo hic aliquis iudicium suum præcipitet, sed potius discipulos imitemur, qui cùm Christum flagello facto sacrorum nundinatores è templo eiecisse & nummulariorum mensas euertisse, atque pecunias eorum effudisse viderent, illum (etsi functionis, cui eum Pater destinauerat, mysterium nondum intellige- Ioan. 2.

Qui officium non faciunt, alios id facere cogunt.

Exemplum Ecclesiasticum.

runt) non tamen vel imprudentem vel seditiosum dixerunt, sed hoc totum Zelo sancto tribuerunt, & eius quod in Psalmis habetur, recordati sunt: Zelus domus tuæ deuorauit me. Sunt enim Spiritus Sancti motus in electis admirabiles, & verè Heroici: quorũ exempla nemo quidem temere imitari debet, at eadem neque etiam damnanda sunt temere, cùm non semper nobis pateat iudiciorum & consiliorum Dei ratio.

Exemplum politicum. *Solent etiam sæpe his similia in Repub. fieri, quoad vitam & mores. Etenim magistratus officium est coniugij iura & publicæ honestatis leges tueri, stupra, incestus, adulteria & vagas libidines dignis supplicijs coërcere. Et notum est illud Pauli: Scortatores & adulteros Dominus iudicabit.* Heb. 13. *At quia scelera hæc iudicio mundi huius leuicula, adeoq́; lusus iocusq́; videntur, & proinde magistratus in illis puniendis dormitant, imò sæpe ipsi illis polluti sunt, fit iusto Dei iudicio, vt multi priuatam vindictam sumant de illis, qui vel filias vel sorores ipsarum constuprarunt, vel thoros ipsorum violarunt adeò vt multi in ipso scelere confossi animam infelicem absque omni peccati detestatione aut numinis inuocatione exhalent, atque æternùm pereant. Taceo nunc seditiones, bella & publicos motus, periculosas item Reipub. mutationes, quæ omnia ex vagis libidinibus sæpius exorta esse omnium sæculorum historiæ testantur. Vbi fateor, multa fieri ab iratis & iniuriæ impatientibus, & crudele nec Christiana professione dignum facinus esse, ita mœchũ vlcisci, vt animam eius simul cum corpore perdas. Atqui culpa maior in ignauis magistratibus hæret, qui inuitos ad tam immania facinora cogunt. Discant ergo singuli pro suæ functionis ratione officium facere, & minus turbarum erit in Ecclesia & Repub.*

Cur Paulus debuerit commẽdari à Corinthijs? *Sed redeamus eò vnde digressi sumus. Quia Paulus se à Corinthijs commendari debuisse dixit, id argumẽto à propria persona probat, dicens: Nulla enim in re inferior fui summis Apostolis, tametsi nihil sum. Quibus verbis simul Corinthiorum stoliditatem & iniqua iudicia perstringit, qui impostores illos hoc potissimùm nomine tanti faciebant, quòd se à principibus Apostolorum missos esse dicerent. Itaque sensus est: Si ita vos mouet Apostolici nominis splendor, quin me spectatis, qui non ab illis, sed ab ipso Dei Filio,* IESV CHRISTO, *missus, & proinde germanus Apostolus sum, & tantus quidem, vt si omnino libeat gradus fingere inter Apostolos (quod æmuli isti mei ambitiosè magis quàm piè faciunt) ego summis etiam conferri merear. At ne hoc insolentius dictum putetur, per Correctionem subijcit: Tametsi nihil sum.*

Quo sensu, se nihil esse dicat Paulus? *Vbi quis obijceret: An ergo nihil sunt etiam alij Apostoli? Vel annon sibijpsi contradicit Paulus, qui se passim Seruum Christi, patrem item Corinthiorum & aliorum vocat, quos in Christo genuerit ex Verbi semine? Num denique nihil est esse Christi seruum & Apostolum? Atqui Christus ait: Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos:* Ioan. 20. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. *Non ignorabat ista Paulus, neque voluit aliquid in Apostolici ministerij contemptum dicere: sed in præsenti distinguit inter seipsum, qualis erat sua natura, & Apostoli personam, quam sustinebat. Itaque se nihil esse dicit, quoad naturam suam, in qua natus erat. Secundùm hanc enim homo erat. At quid homo aliud quàm bulla? quid vita hominis, nisi vapor surgens & transiens? Adde, quòd peccator erat, in peccatis conceptus & genitus. Et quàmuis Iudæus esset, nihil tamen hoc ad salutem conferebat: quod verò Pharisæus fuerat & Legis æmulator, id persecutorem & non tam* CHRISTI IESV *quàm propriæ salutis hostem fecerat. Hæc omnia in seipso agnoscens, se nihil esse dicit. Quoad verò personam, quam tunc sustinebat, Christianus erat, Apostolus siue Christi legatus erat, & quidem summis aut præcipuis in eo ordine non inferior: vtpote organum illud electum, quo Dei Filius in regno suo longè lateq́ue propagando vtebatur. Ita ergo se hominem esse agnouit, vt non neglexerit dignitatem suam, qua ipsum Christus donauerat. Et rursus hanc ita considerauit, vt non obliuisceretur suæ infirmitatis & miseriæ, quam cum alijs hominibus communem habebat, vt nec pristinæ suæ conditionis.*

Vt homines de seipsis sentire debeant? *Debet hinc generalis doctrina peti, vt nimirum omnes meminerint, se in conspectu Dei nihil esse, quatenus homines sunt, vtut coram mundo diuites, sapientes, magnifici siue gloriosi appareant. Etenim Christo teste, quod sublime est coram hominibus, abominabile est coram Deo.* Luc. 16. *Quare nimium imprudentes, imò infelices sunt, qui rebus hisce friuolis atque caducis superbiunt. Simul tamen singuli diligenter attendant, in quem gradum Deus ipsos euexerit, & huius*

dignitatem sedulò tueantur. Laudatur Romanus ille, qui Consularem maiestatem reuerentiæ, quam patri suo debebat, antepofuit. At quantò constantius debent authoritatem suam tueri, qui ab ipso Deo in gradum aliquem sublimiorem euecti sunt? Hodie in vtramque partem peccatur, dum alij quidem Dei donis atque honoribus publicis efferuntur, alij verò nullum inter priuatam & publicam personam discrimen faciendo, dum modestiæ laudem venantur, authoritatem suam turpiter prostituunt.

Cæterùm pergit Paulus, & se summis Apostolis nihilo inferiorem esse probat argumento ab Euangelij effectis inter ipsos æditis. Signa quidem Apostoli (inquit) ædita sunt inter vos in omni tolerantia, in signis & prodigijs & virtutibus. Priori loco signa generalius dicit pro indicijs certis, quibus Deus Apostolatum ipsius quodammodo obsignauerat, & vt publicis testimonijs confirmarat. Quare sensus est: Ego ita inter vos versatus sum, vt res ipsa loquatur, me IESV CHRISTI Apostolum esse, neque ampliori demonstratione opus sit. Nam quæcunque per germanos & summos Apostolos vnquam facta sunt Spiritus virtute, ea in me quoque conspicua fuisse, nemo vestrûm (opinor) negabit. Ea autem ex ordine recenset.

Paulus alijs Apostolis nihilo inferior.

Et primo quidem loco (vt supra quoque sexto Cap.) tolerantiam nominat, sub cuius nomine intelligitur partim inuicta in ferendis laboribus atque molestijs constantia, quas in Ecclesiæ ministerio sustinebat, vbi infirmi indulgentius fouendi erant, mali ferendi, ingratis condonandum, tot deuoranda tædia: partim patientia in omni afflictionum genere, quæ ab hostibus inferebantur. In omnibus autem istis inuictum perstitisse scimus, cùm alibi tum maximè apud Corinthios, vbi non sine periculo docebat propter Iudæos, qui ipsi insidias subinde struebant, & interea inops & egens victum manuum labore sibi quærere cogebatur. Opus autem est hac virtute omnibus, qui in Verbi ministerio non sine fructu versari volunt, vt alibi prolixius est dictum. Imò eadem omnibus Christianis plus quàm necessaria est, cùm omnes nos ad crucem ferendam Dominus vocet, & ideò (vt Apostoli monuerunt) nos per multas afflictiones oporteat ingredi in regnum Dei.

Signa veri Apostoli.
1. Tolerantia.

Deinde miracula adducit, quæ inter Corinthios per ipsum ædiderit, quæ tribus nominibus describit. Nam signa dicit, quia his partim Apostolorum doctrina, partim auditorum fides obsignabatur: & vt ita fieret opus erat, quòd noua & gentibus inaudita prorsus esset doctrina de IESV CHRISTO crucifixo. At eadem prodigia vocat, quòd contra naturæ leges fierent, & omniũ animos raperent in admirationem. Virtutes item siue potentias, quòd in illis sese exereret virtus Christi per Verbum suum operantis. Nec dubium est, multa huius generis per Pauli ministeriũ Corinthi facta fuisse, vt alibi quoq; quæ illis in mentem reuocat, vt suam eis oscitantiam exprobret, qui istorum tam citò erant obliti. Est enim hoc commune vitium, quod hodie etiam passim regnat. Nã etsi Euangelij doctrinam hodie non opus sit iisdem signis probari inter eos, qui Christiani haberi volunt: fiunt tamen multa alia, quæ vt magis necessaria sunt, ita non minorem merentur admirationem: qualia sunt, subitæ animorum mutationes, mirifici Euangelicæ prædicationis progressus, eiusdem victoriæ & triumphi, quos de potentissimis Monarchis agit, quorum consilia & machinationes non sine ludibrio plerunque dißipantur: denique Ecclesiæ inermis & infirmæ inter medios hostes conseruatio. Equidem ipsis hostibus admirationem parit, quòd se per annos totos quinquaginta consilijs suis, fœderibus, bellis tam ciuilibus quàm exteris, dirißimis suppliciorum tormentis, dolis, fraudibus nihil proficere vident contra eos, quos nulla hominum authoritas siue potentia defendit. Magna autem est multorum ex nostris stupiditas atque ignauia, qui ista non obseruant, vel etiam eorundem tam citò obliuiscuntur.

2. Miracula.

Sed propius cum Corinthijs congreditur Apostolus, vt ingratitudinem ipsorum magis arguat. Nam quid est (inquit) in quo fueritis inferiores cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse vos non grauaui meo otio? Sensus est: Si qua in re alijs essetis inferiores, aliqua esset de me quiritandi occasio. Sed agedum dicite, quid vobis defuerit? Quid inter vos per me omissum sit? quidue neglexerim? Non poteritis quicquam dicere, nisi fortaßis hoc indignius fertis, quòd ego meo otio aut desidia ignaua nemini vestrûm molestus fui, sed manuum labore potius victum mihi parare, quàm à vobis exigere volui. Quòd si hoc vos tantopere offendit, condonate mihi quæso hanc iniuriam. Est autem hæc mordax Ironia, qua ipsorum ingratitudinem acriter pungit, perinde ac si quis pater filio

Proprio testimonio Corinthios conuincit.

contumaci & rebelli dicat: Quid habes mi fili, quod de me conquerarıs? qua in re inferior fuisti alijs eiusdem loci atque ordinis iuuenibus? Num victu? num vestitu? Vel num me vnquam in tuis studijs promouendis difficilem aut tenaciorem esse sensisti? Certè nihil horum te dicere posse sat scio. Num ergo hoc tibi dolet, quòd ego vt tibi prospiciam, me curis, laboribus & vigilijs conficio? quòd meum genium defraudo? quòd sumptus pro te quotidie maiores quàm pro meipso facio? Condona mihi fili hanc iniuriam, &c. Poterat hoc hodie multis dici, qui nimium ingratos & inquos se præbent Verbi administris, qui modestiæ memores humilius agunt, neque insolentes & Persico luxu diffluentes Episcopos, aut stolidos illos Superintendentes imitantur, qui sub Euangelij nomine quorumuis capitibus arrogantius insultant.

Sufficiant Ecclesijs, quæ Paulus Corinthijs tradidit.

At omissis illis, hoc potius obseruemus, Corinthiorum Ecclesiam nihilò inferiorem fuisse alijs, quæ tunc optimè fuerunt instituta. Sufficiunt ergo cuiuis Ecclesiæ ea, quæ illis Paulus tradidit. At hunc nihil eis prædicauisse constat, præter IESVM CHRISTVM, & hunc quidem crucifixum. Idem sui ministerij effectum atq; omnem humanæ salutis gloriam vni Deo transcripsit, qui solus det incrementum, vt quæ per homines plantantur & rigantur, succrescant. Quoad verò Ecclesiæ œconomiam, cœtus instituit, in quibus Verbi prædicatio siue prophetia primas teneret, preces fierent, Cœna item Dominica administraretur ritu & ordine nobis per Christum tradito. Interseruit his frequentes admonitiones de disciplina conseruanda, de morum honestate & vitæ sanctimonia, de mutuæ charitatis studio. Adhæc resurrectionis nostræ certitudinem diligentißimè asseruit. Nullam verò mentionem fecit eorum, quæ posteris demum temporibus per homines superstitiosos introducta sunt: qualia sunt, Diuorum intercesßio & inuocatio, Missæ sacrificium, purgatorius ignis, exequiæ pro defunctis, ciborum delectus, feriæ, cœlibatus monasticus, rosaria, ceræa, lampades, cruces argenteæ, imagines, indulgentiæ, confeßio auricularis & sexcenta alia, pro quibus hodie contenditur. Sunt ergo omnia ista superuacanea & inutilia, imò noxia sunt, cùm à Deo abducant, & Christi merito derogent. Itaque procul relictis omnibus istis, in simplici Euangelij doctrina constantes maneamus, & fide syncera seruiamus vni IESV CHRISTO, Domino & Seruatori nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LVIII.

Ecce, tertiò paratus sum venire ad vos, neque vos grauabo otio meo. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim debent filij parentibus thesauros congerere, sed parentes filijs. Ego verò libentisśimè impendam & expendar pro animabus vestris: etiamsi abunde vos diligens, minus diligar.

QVemadmodũ infelix hic mundus Veritatis lucem odit atque auersatur, & ideo facilè quẽuis occasionem arripit, qua eius ministros siue præcones reijciat: ita si isti semel in suspicionem veniant, difficile fuerit eis suam authoritatem recuperare, eò quòd apud maleuolos & odij affectu occupatos vix vllæ excusationes possunt sufficere. Exemplum huius rei euidens in Paulo & Corinthijs habetur. Vixerat ille ita inter istos, vt neq; in eius vita atq; moribus, neq; etiam doctrina quicquam posset reprehendi. Nam quoad mores, frugalitati studuerat, & ne cui oneri esset, ipse sibi victum proprijs manibus quæsiuerat. Quoad hanc verò, nihil præter IESVM CHRISTVM prædicarat, neque aliquos ritus inuexerat, quos ille non tradidisset. Verumtamen non potuit calumnias improborum quorundam effugere, qui doctrinæ purioris adulteratione & indulgentia nimia inter illos multorum studia sibi parauerant. Qui cùm non aliud possent reprehendere, eius tenuitatem ipsi vitio vertebant, & indignißimum facinus esse clamitabant, hominem obscurum & tentoriorum textorem tantæ vrbi tamque celebri leges præscribere, quibus homines opulentos & multo rerum vsu exercitatos parêre oporteat. Quapropter non absq; ratione Paulus tam multis hanc causam agit, vt demonstret, se ab illis hoc nomine magis amari debuisse, ipsos autem non tam.

non tam ingratos quàm iniquos esse laborum suorum æstimatores, qui tam malitiosè de ipso iudicent. Et nè suspicarētur, ipsum aliquid captare in posterum, supra disertè testatus fuit, se talem perpetuò fore, qualis initio fuerit: qui nimirum nemini grauis aut onerosus sit. Id in præsenti amplius explicat, & suo exemplo docet, perseuerandum esse in eo, quod semel rectè cœpisti.

Ecce (inquit) tertiò paratus sum venire ad vos, neque vos grauabo otio meo. Non dicit se tertiò venisse, sed tertiò iam paratū fuisse, vt profectionem ad ipsos susciperet. Facit ad huius loci expositionem, quòd supra Capite primo dixit: Volui ad vos venire primùm, vt secundam gratiam haberetis, & per vos transire in Macedoniam, & rursus ex Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Quæ docent, eum in eadem profectione bis voluisse Corinthum venire. At quia hucusq; alijs negotijs impeditus & retentus fuerat, nunc tertiò idem consilium suscepit. Nec tamen ex Actorum libro aut epistolis eius certò definiri potest, an vnquam ab eo tempore Corinthum venerit. Estq; hoc memorabile exemplum, quo docemur, non semper procedere, quæ optimi & sanctissimi serui Dei ex bono sanctoque zelo de rebus suis statuunt. Sunt enim horum quoque actiones in Dei manu, cuius prouidentia ad omnia extenditur: & non minus de illis, quàm de alijs dictum est à Solomone: Homo proponit, sed Dominus dirigit gressus eius. Et sunt huius generis multa cùm Scripturæ testimonia tum exempla, quæ alibi adduximus. Nobis verò omnium hic vsus esse debet, vt primùm non temere aliquid statuamus, quasi in nostra manu sit facere quod nobis visum fuerit: Deinde, ne impatientius feramus, si quod instituimus, non procedat pro nostro arbitrio aut nutu. Quoties enim euentus rerum probat, neq; vtile neq; tutum fuisse quod institueramus? Semper ergo animis nostris obuersetur, quod inter precandum dicimus: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra, &c.

Paulus Corinthum tertio venire voluit, nec tamen venit.

Prou. 16.

Quoad verò huius loci statum, addit Apostolus: Nec grauabo vos otio meo, id est, Sicut antea non otiosus inter vos vixi, neque cum alicuius incommodo meæ quieti consului: ita ne nunc quidem hoc faciam, sed vitam & res meas sic instituam, vt nemini incommodem. Quod autem de seipso Paulus dicit, hoc omnes Christianos decet. Requirit enim hoc charitatis lex, quam nobis totius vitæ regulam Deus fecit, & ex qua, ceu nota certissima, veri Christiani dignoscuntur. Quæ causa est, quod alibi περὶ τῶν ἀτάκτων, id est, de ijs qui inordinatè viuunt, & ex aliorum laboribus otiantur, tam grauiter præcipit Spiritus sanctus, ne qui illis locum dent, sed eos sedulò in ordinem redigant. Quid ergo de ijs hodie iudicari debet, qui vt luxurientur & voluptatibus nefarijs indulgere possint, omnes grauant? in quorum numero facilè principes sunt Vsurarij & Monopolæ, quos olim inter gentes in bene constituta Repub. sapientissimi quique indignos esse iudicarunt, qui viuerent. Cur enim viuat, qui non nisi cum aliorum incommodo viuit, & ideo non tam hominibus quàm bestijs & feris accenseri meretur? Sed Pauli rationes audiamus, quibus se moueri docet, ne quid huius ipse faciat.

Christianorū est, neminem grauare.

Prima est: Quia non quæro quæ vestra sunt, sed vos. Id est, non pecunijs vestris inhio, vt ex vobis ego ditescam, sed quod maius est quæro: Vos nimirum totos, vt vos IESV CHRISTO lucrifaciam, & huic sistam virginem puram, vosq; in illo æternùm felices & beati sitis. Hæc vt mihi omnium laborum causa est, ita etiam me mouet, vt iure meo libenter cedam, & ne tunc quidem velim ab aliquo exigere victum, quando id facere licet.

Debet hoc animo omnes Ecclesiarum pastores & Verbi Dei præcones prædìti esse. Sunt enim à Christo constituti piscatores (sicuti ille olim Apostolis dicebat) non opum, honorum, dignitatum, sed hominum: & horum quidem piscatores sunt, non vt eos sibiipsis discipulos faciant, quibus pro suo arbitrio abutantur, & quos pecunijs emungant: sed vt Christo adductos ita huic consecrent, vt eius Spiritu animati vitam in hac carne mortali nouam viuant, donec huius corporis vinculis soluti in cœleste regnum transferantur, & cum illo æternùm gaudeant. Talem fuisse constat Ioannem Baptistam, qui ægerrimè ferebat, quòd discipulos cæca æmulatione sibi addictiores Christo suum honorem & gloriam inuidere cerneret, & inter alia fatebatur: Hunc oportet crescere, me verò minui. Imitati sunt hunc omnes Apostoli, quorum hoc vnicum studium fuit, vt omnes homines IESV CHRISTI cognitione illuminarentur, & hunc suum Seruatorem agnoscerent: adeò, vt ipsis non absurdum modò, verumetiam nefarium, imò impium & cum summa

Ministri non opes, sed homines quærant. Matth. 4.

Ioan. 3.

blasphemia coniunctum scelus visum sit, si qui Christo debitum honorem in ipsos transferre vellent. Vide Acto. 3.10. & 14. Cap. At quàm procul ab horum vestigijs recesserunt, qui hodie Apostolicorum nomine sese venditant? Enimuerò Romanus ille piscator, seu potius pirata, quid aliud facit, quàm quòd bullis suis, anulo piscatoris signatis, omnium fortunis retia tendit, imò totas gentes & vrbes venatur, dum alios superstitiosæ persuasionis philtro inescatos, alios excommunicationis fulmine territos cogit, vt ad pedum suorum oscula prolapsi obedientiam ipsi præstent, plus quàm seruilem: idque non in alium finem, quàm vt omnes homines sibi vendicet, & ijs pro suo nutu imperitet? Quod si ab illis impetrauerit, non multum solicitus est de illorum salute, siue illi in superstitionibus oberrent, siue in sectas scindantur, siue etiam vitam in apertis flagitijs atque sceleribus transigant. Etenim præcipuus apud illos homines fidei articulus est, vt omnes de Romana sede honorificè sentiant, & (vt Bonifacius VIII. loquitur) de necessitate salutis esse credant, vt huic subijciantur. Sed sentient illi aliquando, quid sit sub religionis prætextu cum Deo ludere. Discant ergò Ecclesiarum ministri Paulum imitari, vt quosuis Christo adducentes tam huius gloriam, quàm illorum salutem proueheant. Quod autem de illis dicitur, non minus ad principes & omnes alios pertinet, quibus Reipub. gubernacula credita sunt. Nam horum quoq; est, non pecunias populi venari, sed in illud potius incumbere, vt morum honestas & bona disciplina floreat, religio à sordibus superstitionum repurgetur, & pace publica omnes fruantur. At hodie plerique imperare & suarum ditionum fines propagare cupiunt, vt plures habeant, quos exactionibus non minus iniquis quàm immodicis exhauriant: pacis verò studio adeò non tanguntur, vt bellis non necessarijs tam suæ fidei creditum populum quàm alios turbent. Quis verò pastorem bonum dixerit eum, qui oues non tondeat modò, verumetiam deglubat?

Paulus Corinthiorum pater

Sed alteram rationem audiamus, quæ Paulum mouit, vt Corinthijs nollet grauis aut molestus esse quicquam ab illis exigendo. Non enim debent (inquit) filij parentibus thesauros congerere, sed parentes filijs. Sumitur hæc ratio ex communi Lege vel more inter homines recepto, & ad illud alludit, quod in prioris epist. Capite quarto, se illorum patrem esse dixit, qui ipsos in Christo genuerit. Ex eo autem sequitur, eos qui sub ministerij Ecclesiastici prætextu hoc vnum agunt, vt ab omnibus accipiendo aliquid ipsi ditescant, non autem de alijs ditandis, quoad bona cœlestia, soliciti sunt, non patres esse Ecclesiarum, sed vitricos, adeoque indignos, qui ministri aut pastores dicantur. Quoad verò similitudinem, ex qua Paulus argumentum istud deducit, obseruari debet, illum de parentibus loqui, qui liberos habent adhuc tenerioris ætatis, qui sibiipsis nondum possunt prospicere, & ideo parentum cura opus habent. Quo loco hæc consideranda veniunt.

Parentum officia.

Primò, parentum esse, vt liberos suos non solum honestè educent, verumetiam ijsdem recondant, quo possint aliquando honestè, piè & commodè viuere. Est hoc natura insitum brutis animalibus, quæ catulos siue pullos suos tantisper educant & nutriunt, donec ipsi possint sibi victum parare. Et inter homines hoc apud omnes gentes sic semper receptum fuit, vt non temere Paulus infidelibus deteriores esse dicat eos, qui suis non pro virili prospiciunt. Inter Athenienses certè legibus sancitum erat, vt liberi parentes senio confectos alerent, excipiebantur tamen ij, qui liberos suos neglexerant, nec vlla arte instituerant, qua alimoniam sibi parare possent. Videbant enim sapientissimi homines, non debere illos frui communis naturæ legibus, qui has in suis filijs educandis neglexissent.

Ratio vera cōdendi thesauros.

At quia hoc loco de thesauris loquitur Apostolus, proderit tenere, quæ vera sit thesaurorum congerendorum ratio. In ea enim à multis variè peccatur. Sunt enim, qui vt liberis suis diuitias magnas relinquant, non laboribus modò immodicis sese conficiunt, verumetiam genium suum defraudant, & curis mordacibus atque inutilibus ita sese dedunt, vt cœlestium bonorum meditationi vacare non possint. Sunt item, qui longius progressi, ad vsurarias artes animum adijciunt, imposturis suis incautos circumueniunt, rapiunt, furantur, & omnes tam iustitiæ ciuilis quàm charitatis Christianæ terminos transgrediuntur. Sed his omnes adeò nihil proficiunt, vt potius infelicissimi mortalium dici mereantur. Congerunt enim non sua (vt Prophetæ verbis vtar) &

Hab. 2.

nihil quàm lutum densum supra se coacervant, quo obruti & impediti neque animi oculos ad cælos at-

los attollere, neque pedes suos extricare possunt, vt in via præceptorum Dei ambulent. Quid de luto dico? Imò ignem domi suæ recondunt (vt Micheas ait) nimirum maledictionem Dei, quæ ipsos persequitur, vt ne ijs quidem feliciter frui possint, quæ legitimè prius acquisiuerunt. Liberis verò suis ijdem non aliud relinquunt, quàm intemperantiæ, libidinis, fastus, nequitiæ & impietatis materiam, dum illi opum abundantia freti nihil non audent, & ex illa sibijpsis impunitatem pollicentur. Accedit his, quòd nec gratiam bonam parentibus suis liberi referunt. Hi enim parentes senio confectos plerunque oderunt, & vitam quoque illis inuident. Itaque fit, vt quemadmodum illi in colligendis opum thesauris Mammonæ seruierunt: ita liberi eosdem in diaboli seruitio dilapident, & vtrinque exitium sibijpsis accersant. Quis ergo diuitias eiusmodi ignem esse negarit? Quis non miseros & infelices dixerit eos, qui se totos illis mancipant? Meminerint ergo omnes homines, veras diuitias in cœlis nobis reconditas esse, quas nobis IESVS CHRISTVS sanguinis sui pretio acquisiuit: & proinde procul relicta anxia illa solicitudine acquirendi opes huius seculi, ante omnia (sicuti ille præcepit) quærant regnum Dei & huius iustitiam, neque dubitent de eius liberalitate, qui cùm aues cœli & pullos coruorum pascat, suos nunquam negliget, qui ab ipso vno pendere didicerunt. Est enim reuera vberrimus quæstus pietas, quæ præsentis & futuri seculi promissiones habet. Quapropter ij demum veras atque solidas opes liberis suis recondunt, qui eos in veri Dei cognitione & pietatis studio instituunt. Præcepit hoc olim Deus in Lege, & idem Abrahamum hoc nomine commendat, quòd filijs suis & nepotibus ea traderet, quæ Dei timorem ipsis incutere poterant. Cuius exemplum si omnes imitarentur, haud dubiè & ipsi felicius viuerent, & filios post se relinquerent verè diuites & beatos.

Mich. 6.

Matth. 6.

1. Tim. 4.

At non minus liberos quoque sui officij hic locus admonet: Vt nimirum sese à parentibus institui patiantur, & meminerint institutione & disciplina opus esse propter insitam nobis naturæ vitiositatem, in qua concipimur & nascimur. Nam vt sapiens ille Solomon inquit, stultitia colligata est in corde pueri, sed ferula castigatrix expellit eam. Itaque (vt idem ille ait) Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui verò castigationem odit, obbrutescit. Deinde gratos quoq; suis parentibus sese liberi præbeant, & præcipua eis cura sit, ne illos vel ad iram prouocent, vel mœrorem atque tristitiam ipsis concilient. Sapiens filius exhilarat patrem: at stultus mœror est matri suæ. Nec vnquam excidat iuniorum animis memorabile illud Sapientis dictum: Eius oculos, qui patrem subsannat, & matris doctrinam spernit, eruant corui torrentis & aquilarum pulli deuorent. Sunt hæc confirmata multorum exemplis, inter quæ admodum memorabile est, quod in Absolone Deus ædidit, qui ex propria cæsarie suspensus, adhæc lancea confossus & infami lapidum aceruo obrutus rebellionis cõtra patrem pœnas dedit. Nec temere factum aliquis putabit, quòd Deus vitam longæuam ijs pollicetur, qui parentes honorant. Ne tamen in inani aut otiosa reuerentia pietas ista subsistat, insuper ἀντιπελαργεῖν discant liberi, vt nimirum (quod de ciconijs scribitur) parentes multo senio debilitatos alant, neq; ipsos alicuius laboris, molestiæ aut sumptus pigeat. Quid enim facient, quo parem gratiam illis referant? Peccatur hodie vtrinque, quæ non postrema malorum causa est, quibus orbis infelix affligitur.

Liberorum officia.

Prou. 22. & 23.

Prou. 10. & 30.

Cæterùm ad Paulum reuertamur, qui simile hoc parentum non solùm ad se transfert, verumetiam amplificat, dicens: Ego verò libentissimè impendã & expendar pro animabus vestris: etiamsi abundè vos diligens, minus diligar. Id est, Non solùm paratus sum ex meo labore mihi victũ quæ vere, laborare, egere, esurire, vt vobis consulam: sed vt pater aliquis indulgentissimus proprium corpus & vitam exponit potius periculo, quàm vt liberos dulcissimos periclitari aut perire sinat: ita si necesse sit, ego me totum expendere malim, quàm mea socordia admittere, vt vestra salus in periculum veniat. Neq; me absterret quorundam ingratitudo, qui me vestri amore flagrantem non modò non redamant, sed mea omnia inuidiosè calumniantur.

Paternus Pauli affectus.

Notatur his Pauli verbis commune vitium, quo fit, vt pauci respondeant amori, quo alij ipsos prosequuntur. Nam vt à parentibus, de quibus modò dictum est, exordiamur, quid illi non faciunt pro liberis suis? quas curas atq; labores non suscipiunt spontè, vt illorum commodis prospiciant? Sed quàm paucos est videre filios, qui simili amore parentes complectantur? Idem de pijs magistratibus dici potest. Quantus obsecro Mosis amor fuit, qui eum mouit, vt propter miseros

Pauci sui amantes redamant.

Israelitas aulæ honores atque delitias cum certa regni spe relinqueret, vt denique pro illis deleri vellet ex libro Dei? Quàm verò isti in eundem ingrati, quàm iniqui, imò quàm impij & crudeles fuerunt? Quid de Dauide dicemus, qui ab eo tempore, quo cum Goliatho singulari certamine congressus est, multis argumentis & non sine manifesto vitæ discrimine multoties declarauit, quanti populum Israeliticum faceret? Quàm pauci verò erga ipsum simili affectu præditi fuerint, persecutiones Saulinæ & seditio per Absolonē filium excitata abundè docent. Et hodie multi principes, dum cum Epaminunda Thebano pro publica salute excubant, & curis publicis distracti noctes insomnes ducunt, vt alijs securis & quietis esse liceat, ferè non modò nō amantur à suis, verumetiam illis exosi sunt. Inter priuatos verò homines hoc nimis vulgare est, vt minus diligantur, qui impensissimè diligunt. Est hoc ingens vitiositatis nostræ argumentum, quæ homines bestijs deteriores facit, quas beneficiorum memores esse, & benefactores suos redamare constat.

Nemo vulgi ingratitudinè offendatur.

At non debet aliquem mouere ingratitudo ista, vt eò minus ipse diligat eos, quos erga se tam duros & iniquos esse experitur. Nam proprium veræ dilectionis est, non commoueri aliorum ingratitudine, sed potius misereri eorum, qui hoc vitio tam noxio tamque fœdo laborant. Quia enim eo igne ardet, quem Dei Spiritus in animis nostris accendit, illius quoque exemplar imitatur, qui pluuiam suam bonis & malis depluit, quiq; Solem tam gratis quàm ingratis oriri sinit. In Christi deniq; exemplum respicit, qui cùm inimici essemus, seipsum pro nobis in mortem tradidit, proq; ijs apud Patrem intercessit, à quibus in crucem suffigebatur. Quotquot ergo aliorum improbitate siue ingratitudine ita commouentur, vt diligere desinant, ij non obscurè testantur, dilectionem suam fucatam fuisse, vt qui suum potius quàm proximi commodum quæsiuerint. Imitemur nos Domini & Seruatoris nostri IESV CHRISTI exemplum, vt huius discipuli & cohæredes simus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LIX.

Sed esto, ego vos non grauaui: sed cùm sim callidus, dolo vos cepi: Num per quenquam eorum quos misi ad vos, expilaui vos? Precatus sum Titum, & cum eo misi fratrem illum: Numquid vos expilauit Titus? Nonne eodem spiritu incessimus? nonne ijsdem vestigijs?

Ecclesia iugi cultu opus habet. 1. Cor. 3. Isa. 5.

SIcuti nullus ager tam felix, nulla vinea tam bene culta est, quæ non iugi & continuo agricolæ studio atque labore opus habeat: sic in Ecclesia, quæ Dei ager & vinea est, res nunquam tam bene institui possunt, quin adhuc opus sit rigatione, sarritura, runcatione & alijs eius generis laboribus, quibus ea remoueantur, quæ fidei fructum impediunt. Semper enim fit, de quo in zizaniorum parabola nos Christus admonet, quòd nimirum dormientibus illis, quos Verbi sui semine Deus conserere dignatus est, communis ille humani generis hostis Satan bono semini vel infelix humanarum traditionum lolium, vel scelerum vrticas atq; sentes aspergit, quibus illud suffocetur. Exemplum huius mali memorabile in corinthijs habemus. Fuerant hi à Paulo Apostolo optimè instituti, vt quoad veram Christi cognitionem, rerum diuinarum scientiam & omnis generis χαρίσματα siue dona spiritualia, nullis Ecclesijs essent inferiores. Illo autem ab ipsis digresso intra paucos annos ita deprauati fuerunt, vt vix quicquam eorum integrum haberent, quod ad veram Ecclesiæ constitutionem pertinet. Et quod inter ista mala pessimum erat, tantum Pauli odium, aut saltem fastidium, conceperant, vt alios quidem illius puderet, alij verò omnia eius improbè calumniarentur. Quapropter cùm videret illos in viam reduci non posse, nisi suam apud eos authoritatem rursus obtineret, multa de seipso & suo in prouehenda omnium salute studio disserit. Fuit inter ea postremum, quòd apud ipsos gratis prædicarit Euangelium, & hoc ipsum in posterum quoq; facere velit: vt qui non pecunias, sed ipsos quærat, vt nimirum Christo lucrifacti æternùm seruentur: Se deniq; paratum esse testatur, vt se totum pro ipsis impendat, quàmuis hactenus expertus sit, se non ita vt par erat ab ipsis redamari. Sed restabant adhuc nōnulla, quæ æmuli eius calumniabantur, quæ nunc diluere incipit.

Primum, quòd dolo seu astu singulari vsus nihil ab eis petijsset, vt ita vel per suos nuntios deinceps plura emungeret, vel hac facilitate inescatos in nassam pertraheret, atque illis pro suo arbitrio abuteretur. Nam, vt supra audiuimus, Titum & duos alios fratres ad ipsos miserat, qui collectam facerent qua fratrum Syriæ & Iudææ egestati subueniretur: adhæc de nonnullis seuerius cum ipsis expostulauerat, quòd eum satis pro imperio fecisse existimabant. Id nunc diluit, & ita quidem, vt ipse per Concessionem sibi obijciat id, cuius ipsum maleuoli illi insimulabant. Sed esto (inquit) ego vos non grauaui: sed cùm sim calidus, dolo vos cœpi, &c. Ita enim solent impostores. Fingunt se zelo gloriæ Dei ardere, publicam omnium salutem sitire, mundo & carni mortuos esse, denique non solùm sanctimoniam Apostolicam, sed portentosam abstinentiam præ se ferunt, dum pro vetitis ea ducunt, quorum vsum Deus omnibus liberum esse voluit. Quis verò finis aut scopus ipsis propositus est? Num vt homines salui fiant? aut vt Dei gloria illustretur? Nequaquam: Sed vt simplices & incautos in sui admirationē rapiant, & tandem regno suo per hypocrisim stabilito, quiduis ab omnibus impetrare possint, & nemine prohibente pro suo nutu & libidine omnia faciant. Paulus doli suspicione se purgat.

Tales iam seculis aliquot fuerunt Romani Pontifices cum suis emissarijs & legatis à latere (vt ipsorum phrasi vtar) qui mirificis dolis non rude modò hominum vulgus, verumetiam Reges potentissimos in retia & casses suos adducere potuerunt. Initio enim Romam à barbaris intra paucos annos sæpius captam & ruinis deformatam, ideoq; ab Imperatoribus & eorum Exarchis relictam, sub religionis & Ecclesiæ prætextu sibi vendicarunt, vt illic regni fundamenta iacerent, quod vel veteris nominis maiestate commendaretur. Postea cum in Occidente Imperator nullus esset, Romæ autem imperium affectarent Longobardi, eoq; nomine Pontificibus graues atq; molesti essent, neq; vllum auxilium à Constantinopolitanis Imperatoribus, qui & varijs bellis atque motibus in Oriente distinebantur, & propter acceptas iniurias Pontificibus infensi erant, affulgeret, nouam bestiam ad veteris exemplum parturire cœperunt Pontifices, & primò quidem Pipinum Franciæ regem fecerunt, vt hoc beneficio inescatum sibi manciparent, & eo tutore atq; defensore contra Longobardos vterentur. Mox huius filium Carolum, qui propter res præclarè gestas Magni nomen accepit, Imperatorem Occidentis creauerunt, vt nimirum in propinquo haberent vindicem, qui ipsos aduersus quosuis tueretur. Itaq; dum isti se Reges & Imperatores factos putant, non viderunt, se Pontificum artibus circumuentos & horū mancipia factos esse. Carolus certè præter inanem Imperij titulum nihil accepit, suis autem impensis ad Pontificis nutū bella multa gessit, illum præterea donationibus amplissimis diuitem & potentem fecit, quas postea filius Ludouicus non modò confirmauit, verumetiam auxit, dum ipsam Romam cum tota sua iurisdictione, omnibusq; circa eam terris, ciuitatibus, portubus ac maritimis Hetruriæ locis adiecit. A quo tempore Romani Imperij titulo superbierunt Imperatores, Romam verò cum omnibus, quæ ex Imperio lacero & euerso reliqua erant, Pontifices possederunt. Nec melior fuit Germanorum sors, ad quos tandem titulus Imperij translatus, ipsos quoque Pontificum seruos fecit, & bellis infinitis, tam ciuilibus quàm exteris, implicuit. Quid cum maioribus nostris, viris fortissimis, actum sit, notius est, quàm vt multis commemorare oporteat. Hos enim Sixtus IIII. monasticis dolis instructus (nam Franciscanus prius fuerat) per suos emissarios magnificis promissis inescatos contra omnes Romanæ sedis inimicos armauit, & bellis obiecit continuis, in quibus per multos annos cum bellicosissimis totius Europæ populis fuit dimicandum. Quo autem præmio tot illorum labores, impensas & sanguinem largissimè profusum remuneratus est? Vexillo rubro & inani defensorum Ecclesiasticæ libertatis titulo. Addidit his diploma siue bullam, quam (vt de Draconis legibus quidam olim dicebant) sanguine scriptam non immeritò dixeris. In ea enim inter multa alia etiam hæc leguntur: Ea propter, quod huic sanctæ sedi ac vobis faustum & felix sit, læto & magno animo vexillum hoc, quod præfata sedes vobis donat, accipientes, contra eiusdem sedis inimicos, virtutem vestram ostendite. Ite animis lætis contra hostes Ecclesiæ, & illam ab oppressoribus Ecclesiasticæ libertatis ac facientibus contra illam, solita magnanimitate vestra defendite. Inferat præpotens exæratus vir vexillum hoc altissimi nomine inuocato, contra dictæ sedis inimicos, &c. Quis verò ista vel Monachi vel pastoris Ecclesiæ, & non potius Imperatoris iam classicum ca-

Rom. Pont. quo astu regnū suum pararint

Sixtus IIII. Papa.

nentis verba esse dixerit? Et poterant huius generis multa commemorari. Sed quid verbis opus est, quando res ipsa loquitur, istos homines, quando liberalißimi esse & suæ benedictionis thesauros gratis profundere videntur, nihil aliud quàm inanes titulos & bullas quauis aquatili bulla leuiores largiri, eo autem prætextu in populosißimas gentes, in ciuitates munitißimas, in principes potentißimos denique sibiipsis ius & imperium vendicare, vt omnium hominum fortunis, laboribus, imò sanguine etiam ad suam tyrannidem stabiliendam abutantur? Imitantur hos Monachi, dilectißimi ipsorum filij, qui dum obedientiam vouent & voluntariam paupertatem, hoc vnum agunt, vt sibi immunitatem parent, ne vlli vel politico vel ecclesiastico magistratui parêre cogantur, & vt ex alienis opibus securi in otio & delitijs viuant. Et tales tunc quoque fuisse aliquos, ex posteriori ad Timoth. patet, vbi illorum mentionem facit Apostolus, qui in familias subdolè irrepebant, & captiuas ducebant mulierculas, quarum conscientiæ iam ante nimium erant grauatæ. Quia ergo hic vetus impostorum mos est, Paulum quoque hoc nomine aduersarij suspectum facere conabantur.

Improbitas hostium Veritatis.

Debet igitur hîc obseruari eorum improbitas, qui Veritati contradicere semel in animum induxerunt. Nam quicunq; malitiosi sunt, ij suo pede quosuis alios metiri consueuerunt. Itaq; si eorum, quos oderunt, virtutes & præclara facta negare non possunt, ea calumnijs suis apud rerum imperitos suspecta, vel etiã exosa facere student. Sic olim Sacerdotes cum Prophetis egisse legimus. Non poterant illi negare multa in Israële & in Iuda contra Dei legem fieri. At eadem si Prophetæ accusabant, mox hos seditiosè istud facere calumniabantur, & læsæ maiestatis reos agebant, vt qui à Regibus institutos cultus contumeliosè proscinderent. Sic Amasias prophetam Amos apud Ierobeamum Regem deferebat, quòd ea diceret, quæ terra ipsa non posset ferre. Idem Ieremiæ accidit. Quæ hic accusabat scelera tam manifesta erant, vt ne pseudoprophetæ quidem & impij sacerdotes ea possent inficiari. Calumniam ergo ex eo isti struunt, quòd tempore importunißimo illa corripiendo Babylonijs, qui vrbem obsidebant, animũ faceret, populum verò & milites terreret: id quod cum proditionis suspicione erat coniunctum: quòd item contra locum sanctum non sine diuini nominis & cultus contumelia inueheretur. Quid autem de istis attinet dicere, quando æternus Dei Filius calumniatorum dentes effugere non potuit, qui miraculosa eius facta, quibus alij à morbis incurabilibus, alij ex diaboli tyrannide liberabantur, illicitis & nefarijs artibus fieri dicebant, imò illa apertè ad diabolum authorem referre audebant? Hoc ipsum Paulus cùm apud Corinthios tum alibi passus est. Et solet idem in prophanis etiam rebus fieri, vt multorum optimè de Republica meritorum exempla, quæ paßim in historijs extant, testantur. Est enim hoc impijs proprium, qui in eo patris sui Diaboli ingenium referunt, cui hoc nomen apud Græcos à calumnia impositum est. At non debent ista aliquem offendere, quasi noua sint & insolita: multò minus autem absterrere, vt in officio faciendo sit remißior. Nouit enim Deus, quo animo quisque agat, & idem suorum innocentiam atque famam suo tempore asserit. Veruntamen memores simus semper, quibus cum nobis res sit, nosque ad ista præparemus, simulque circumspectè & cautè omnia nostra instituamus, ne improbi & malitiosi homines facilè calumniandi occasionem possint inuenire.

Amos 7.

Iere. 26. 38.

Paulus legatos quoq; suos excusat.

Sed Paulum audiamus respondentem ijs, qui ipsum dolo vsum dicebant, cùm stipendiũ nullum à Corinthijs acciperet. Num (inquit) per quenquam eorũ quos misi ad vos, expilaui vos? In Græco ponitur verbum πλεονεκτῶ: quod propriè significat per auaritiam & immoderatam plus habendi cupiditatem alijs sua eripere. Id verò se fecisse, negat. Et interrogatione vtitur, vt proprio testimonio illos conuincat. Quasi diceret: Si quid huius feci quod mihi obijcitur, imò si quid huius vel cogitaui facere, age prodeat qui vult, & dicat apertè quid à quoquã per meos exegerim? aut quod nam huius meæ cupiditatis dederim indicium? Atqui scio neminem tam impudentẽ aut malitiosum esse, qui hoc ausit dicere. Quia verò ad illos Titum miserat cum quodam fratre (de quo Cap. 8. dictum est) quibus tertius accesserat nomine Ecclesiarum, vt Corinthi collectam facerent, de illis nominatim agit, dicens: Precatus sum Titum, & cum eo misi fratrem illum, de quo supra dixi: Numquid vos expilauit Titus? Sensus verborũ hic est: Fateor Titũ cum suis comitibus ad vos venisse ex meo rogatu. At isti non mihi pecuniã colligere debuerũt, sed pauperibus in Iudæa, quibus, subsidium

sidium mittere Ecclesiæ iampridem decreuerant. Nec etiam ab inuitis aliquid extorserunt, sed quæ pij spontè conferrent debuerunt colligere. Quid ergo hîc mihi poterit fraudi verti? Num quòd vos hortatus sum, ne in re non minus necessaria quàm honesta & sancta vestram beneficentiam cum alijs Ecclesijs coniungeretis? Vel quòd feruentius apud vos institi, vt opus semel inchoatum procederet? Atqui omne hoc ex officio feci, & sic mihi Apostoli mandarunt, vt pauperum probè memor essem. Imò velim vestri illi mihi respondeant, annon ego & Titus eodem spiritu incesserimus, & eadem secuti simus vestigia? Id est, an non eundem spiritum Christi, & proinde eundem quoq; animi affectum, eosdem mores eademq; studia in illis deprædenderitis, quæ prius in me vidistis? Quid ergo habent æmuli illi mei, quòd vel in me vel in collegis meis reprehendant? Hæc & alia huius generis Paulus vult Corinthijs obijcere, vt se contra Zoilorum calumnias tueatur: quo loco quædam nobis consideratu dignißima occurrunt. Galat. 2.

Primum, quòd ei nequaquam sufficere visum est, si ipse bona & integra fide ageret cum Ecclesijs, nisi idem collegæ aut conserui sui facerent, quorum ministerio vtebatur. Sciebat enim sibi iure imputari debere, si quid illi peccauissent. Debet ergo hinc generalis doctrina peti. Etenim qui homines ineptos, adhæc leues & mali exempli ordinant, vt Ecclesiarum ministri sint, ij omnium eorum, quæ per ipsos designantur, reatu seipsos grauant. Idem de illis iudicari debet, qui doctores falsos & superstitionum magistros Ecclesijs submittunt. Et hæc causa Paulum mouit, vt Timotheo quoque mandaret, ne alicui manus citò imponeret, & ita cum peccatis alienis communicaret. Idem sentiendum est de magistratibus. Quis obsecro nauigaturus clauum aut nauis gubernacula credat furioso aut ebrioso homini? Cur ergo ad Reipub. gubernacula admittantur, quos cæca libido in omne flagitium abripit, vt nihil pensi habeant? Quid ex his aliud quàm naufragium vniuersale sperari potest? Vidit hoc sapientißimus ille Iethro, qui Mosem generum monebat, vt iudices populo præficeret, viros facultatum, id est, instructos ijs tam animi quàm corporis facultatibus, quibus ad hanc prouinciam opus est: adhæc timentes Dei, veraces, & qui auaritiam odissent. Et hodie in bene constitutis Rebuspublicis receptum est, vt magistratuum electionem iusiurandum præcedat, quo fidem suam Reipub. obstringunt ij, penes quos est electionis ius atque potestas. Quod si isti fidem suam fallant, & homines vel indignos vel ineptos & improbos ad tantam functionem adhibeant, næ illi communem patriam parui faciunt, neque Dei vindicis manum effugient, qui ferè per illos ipsos de eis pœnam sumit, quos ipsi in dignitatem istam euexerunt. Pertinet præterea cura hæc ad magistratus quoque, qui dum publicos ministros creare volunt, quibus inferiorum munerum officia committantur, similiter videre debent, ne priuatis affectibus abrepti eos deligant, qui Reipub. dedecori sint, aut sua vel inscitia vel negligentia malum dent, cuius culpa ipsis imputari queat. Etenim quantum accedat principum & magistratuum existimationi ex ministris & officialibus bonis atque fidelibus, Solomonis exemplo docemur, cuius sapientiam Sabæ regina ex ministrorum eius habitu & moribus prædicauit.

In ordinandis ministris et magistratibus opus est.

1. Tim. 5.

Exod. 18.

Deinde obseruabis, quòd Paulus se cum suis illis legatis eodem spiritu incessisse testatur. Spiritus vocabulo omnem propriæ dignitatis aut meriti gloriationem excludit, vt totum hoc opus solius Dei virtuti & gratiæ transcribat, qui ipsos suo Spiritu illuminarit atq; gubernauerit, vt ista possent perficere. Etenim singulare donum diuinæ gratiæ fuit, quòd qui patrijs sedibus eiecti indignißimè tractabantur, egebant, esuriebant, nihil tamen ab illis exigerent, quibus omnis ipsorum labor deseruiebat. Quia verò idem fuit omnium istorum spiritus, ijdem quoq; illorum mores fuerunt, & eadem studia. Et Titus se eodem cum Paulo spiritu præditū esse testabatur, quando ipse etiam neminem expilabat sub suæ legationis aut ministerij prætextu. Idem Pauli & suorū spiritus.

Docet ergo locus hic, quæ propria nota sit, ex qua qui veri Apostolici sunt à personatis & falsis dignosci possunt. Ea nimirum, si eodem Spiritu ducantur, quo olim Apostolos ductos fuisse scimus. Id verò doctrina & moribus probent necesse est, quando satis constat spiritum illum neque otiosum esse, neque suiipsius dissimilem, qui à semetipso dissentiat. Vides ergo, quid de Apostolicis Romanensibus iudicari debeat, qui vt in doctrina ab Apostolis IESV CHRISTI δὶς διὰ πασῶν (quod prouerbio dicitur) dissentiunt: ita quoad mores & rabie & sanguinis stu- Nota Apostolicorum vera.

dio nihil dicamus, à quibus Apostoli totis animis abhorruerunt, quis nescit illos per suos legatos in omnium principum aulas penetrare, & hos vbique gentium non munera modò regalia accipere, verumetiam opulentißimas quasque Abbatias, Episcopatus & sacerdotia occupare? Quis item ignorat quàm vberem quæstum illis faciant indulgentiarum Papalium nundinatores, qui pro vili plumbo & tenui membrana aurum & argentum recipiunt? Aut quis bonus non detestatur Stationariorum (quos vocant) fraudes & imposturas, qui ementitas Diuorum reliquias ostentant, & non nisi accepto pretio spectandas & exosculandas exhibent? Denique quid omnes illi aliud quàm petunt, exigunt, extorquent, expilant & deglubunt: & vtinam hæc solùm facerent, & non insuper hæreditates alienas interciperent, populorum iura & ciuitatum priuilegia imminuerent, thorosq; alienos insatiabili sua libidine conspurcarent. Quis verò hæc Apostolici Spiritus opera esse dixerit? Aut quis non potius illos Simonis Magi successores esse videat: quem cum sua pecunia Petrus Apostolus execratus est?

Consensus ministrorum commendatur. *Commendatur præterea nobis hoc loco consensus ministrorum, quo nihil ad ædificationem Ecclesiæ vtilius, nihil ad huius conseruationem magis necessarium est: vt è contra nihil nocentius fuerit, quàm si eiusdem Ecclesiæ ministri & doctores in diuersas sententias scindantur, ritibus item & ijs quæ per se ἀδιάφορα, id est, media aut indifferentia sunt, inter se digladientur. Faciunt hoc ferè, qui ambitionis spiritu ducuntur, qui plerunque non aliam ob causam ab alijs dissentiunt, quàm ne quid ab alijs didicisse putentur. Est hoc nocentißimum hominum genus, & quantum mali dent ijdem Ecclesijs nostro tempore multis exemplis tristißimis didicimus. Sit autem consensionis regula Dei verbum, quod quicunque sequuntur, eos vnus idemque Christi spiritus regit, imò illos arctißimo vinculo constringit, vt in ipso vnum sint. Et hoc illud est, quod* *Ioan. 17.* *hic iam moriturus tam serijs atque ardenibus precibus à Patre flagitauit. Rogo (inquit) vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quòd tu me miseris. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: Ego in eis, & tu in me, vt sint perfecti in vnum, & vt cognoscat mundus, quòd tu me misisti, & dilexisti eos, sicut me dilexisti. Hæc vtinam diligentius expenderent hodie, qui propter res leuiculas & ritus inutiles, nec vlla verbi Dei authoritate confirmatos, odiosè eos damnant, qui vnum eundemque cum ipsis Christum profitentur, & vnum cum ipsis esse cupiunt. Quia verò Apostoli olim & ipsorum discipuli atque collegæ, quos Apostolicos antiquitus dixerunt, vnum eundemque spiritum secuti sunt, satis apparet, nihil pro apostolico hodie recipi debere, quod ab Apostolorum scriptis dissentit. Itaque procul relictis ijs, qui talia Ecclesijs obtrudunt, nos illorum vestigijs insistamus, quos Deus orbis totius doctores esse voluit, & in his loquentem audiamus Filium Dei, Dominum & Seruatorem nostrum,* IESVM CHRISTVM, *cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

HOMILIA LX.

Rursum putatis quòd nos vobis excusemus? In conspectu Dei, in Christo loquimur: omnia tamen hæc charissimi, pro vestri ædificatione. Nam metuo, ne quo modo, cùm venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis: ne quo modo sint lites, æmulationes, iræ, contentiones, obtrectationes, susurri, tumores, tumultuationes: Ne iterum vbi venero me deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui antea peccarunt, nec resipuerunt super impuritate & scortatione & proteruia, quam patrarunt.

Diuus Paulus suam authoritatem contra æmulos suos hucusque tanto studio & diligentia defendit, vt postremò eos quoque excusauerit, quos pro collecta Corinthi facienda miserat. De

int. De his illud potißimùm prædicauit, quòd vt ipse nemini molestus fuerit aliquid petendo, ita illi quoque neminem expilauerint, sed eodem secum spiritu incesserint. Quia autem eius aduersarij neque in ipso neque in collegis ipsius aliquod flagitium aut delictum accusare poterant, hoc ipsum calumniabantur, quòd tam constanter tamq́ sedulò suam existimationem defenderet. Ex eo enim alij colligebant, eum malè sibi conscium esse: alij verò ipsum nimis ambitiose de seipso subinde scribere clamabant, & proinde ex ipsius scriptis non multum vtilitatis percipi posse: Imò indignum esse dicebant, totam Ecclesiam rebus ad ipsius solius personam pertinentibus obtundi. Itaq; in præsenti istis quoq; respondet.

Rursum putatis quòd nos vobis excusemus? Præoccupatione vtitur, & ita vult dicere: Scio quid aliqui dicant, quibus volupe est vndique conquirere quod calumnientur. Sed sentiant & dicant illi quod lubet, ego tamen neque fingo aliquid, neque ambitiosius quàm IESV CHRISTI ministrum deceat ista scribo. Id verò grauißima asseueratione probat, dicens: In conspectu Dei, in Christo loquimur. Quæ verba duplicis iuramenti formam habent. Primò enim hoc perinde est ac si dixisset: Deum ipsum testor, qui omnia videt, omnia audit, in cuius conspectu omnes homines versantur, & qui cùm ipsißima sit veritas, eos qui mentiuntur & fallunt, inultos abire non sinit. Deinde in Christo se loqui dicit, vt qui non suam, sed Christi causam agat, & huius spiritu ducatur, qui fucatis commendationibus nequaquam opus habeat. Et simul scopum omnium, quæ dicit, vno verbo exprimit: Omnia tamen hæc, charißimi, pro vestri ædificatione. Charißimos dicit admodum patheticè, vt odij suspicionem declinet. Quasi diceret: Poteram quoad me, his omnibus super sedere, quando mihi in Dei conspectu mens sibi probè conscia sufficit. Sed aliud requirit mei ministerij conditio: quæ me in hoc incumbere iubet, vt vos ædificemini, & indies in melius proficiatis. Atqui sine veritatis doctrina ædificatio neq; perfici neque consistere potest. Illa enim medium illud ordinarium est, per quod homines Christo adducuntur, & in officio retinentur. Quia verò æmulorum calumniæ huc tendunt, vt doctrina mea in dubium veniat, & ideo meam existimationem extenuant, ego hîc meo officio deesse non possum, neque etiam debeo. Causas suæ excusationis exponit.

Debent autem omnes homines, cuiuscunque sint loci aut ordinis, sibijpsis applicare quod hîc dicit Apostolus: vt nimirum se in Dei conspectu omnia loqui & facere meminerint. Adest hic suæ Ecclesiæ, quæ ideo ipsius domus dicitur. Videt ergo & audit, quæcunque in illa dicuntur & fiunt. Quapropter nouit idem ille, quæ doctrina prædicetur, qua fide item ministri vtantur, & quis scopus ijsdem propositus sit. Sed & rationem ab illis exiget, & (vt apud Ezechielem habetur) ex manibus eorum requiret omnium illorum sanguinem, qui per ipsorum siue perfidiam siue negligentiam pereunt. Nunquam ergo impunè ferent, qui paleas suas (vt Deus per Ieremiam loquitur) ipsius verbo admiscent: qui item sub illius nomine priuatum honorem aut quæstum quærunt: qui vanis promißis lactant, & puluillos impijs atque pœnitere nescijs consuendo, ipsis exitij & perditionis authores sunt. Quibus rectè adnumeraueris eos, qui in clerum siue hæreditatem eius dominium sibi vendicant, & in pios tyrannidem duram exercent, dum dogmata indies noua cudunt, conscientias grauant, & pro suo arbitrio omnia constituunt. Odit enim mendacium & omnis generis imposturas: nec ferre potest, vt hominum serui fiant, quos ipse sanguinis sui pretio in filiorum Dei libertatem asseruit. Et huc pertinent, quæ in Euangelio de pœnis perfidorum ministrorum habentur. Vide Matth. 24. & 25. Ministri cogitent se coram Deo versari. Ierem. 23.

At quod de verbi administris dicitur, ad magistratus quoque pertinet. Etenim iudicium omne Dei est, qui illos etiam potestate armauit. Idem medius inter eos stat (vt in Psalmo dicitur) qui ad iudicandum consident. Videt ergo & audit voces siue sententias eorum, imò corda scrutatur, & quo animo vel in quem finem illas pronuntient, intelligit. Et qui nunc de alijs iudicandi potestatem habent, olim ad Christi tribunal sistentur, vt de omnibus suis dictis & factis rationem reddant. Semper ergo meminerint grauißimæ illius admonitionis, qua Iosaphat ad iudices vsus est. Dispicite quid agatis: non enim homini iudicatis, sed Domino, qui vobiscum est in causis, quas iudicatis: sit ergo timor Domini vobiscum, & cauti sitis atque satagite: quoniam nulla est peruersitas apud Dominum Deum nostrum, vt vel personas suspiciat, vel munera re- Magistratus & iudices. Psal. 82. 2. Par. 19.

cipiat. Primò dispicere illos iubet quid agant. Quasi diceret: Non ideo vobis omnia licere putabitis, quòd in gradu sublimiori estis constituti: sed potius quia lapsus ex alto periculosior est, diligenter videre vos decet, ne quid præter officium à vobis fiat. Deinde causam huius præcepti subijcit: Non enim homini iudicatis, sed Deo. Veniunt quidem ad vos homines, & suas causas vobis dijudicandas committunt: sed vos Dei nomine iudicatis, qui simul vobis præsens adest, neque eos ferre potest, qui aliquem sub ipsius nomine fallunt. Itaque sit vobiscum timor Domini, qui sapientiæ veræ principium atque caput est: Denique cauti estote & seduli, id est, non pigeat vos alicuius laboris, moræ, diligentiæ, quò minus (vt Moses olim monuit) tam paruū quàm magnum audiatis. Et rursus rationem aliam allegat ex Dei natura siue ingenio desumptam, apud quem neque persona hominis quicquam valeat, neque munera aliquid impetrent. Quibus verbis nocentissimas iudiciorum pestes perstringit. Hæc enim integra & sancta esse non possunt, quando iudices vel personas hominum respiciunt, vel muneribus sese corrumpi patiuntur. Hæc enim (vt Moses inquit) excæcant oculos sapientum, & causas iustorum peruertunt. Et quàm verè hoc dicatur, omnium gentium historiæ docent, & vtinam non fierent quotidie, quæ his possunt fidem facere. Ista (inquam) nunquam non sibijpsis occinant iudices, neque se iura & leges in sua potestate habere putent, quas pro suo arbitrio torqueant.

Deut. 1. Exod. 23. Deut. 16.

Similiter singuli priuatim hoc ipsum obseruent, vt nunquam illis excidat, nos omnes in Dei conspectu versari, & ad singulos pertinere quod Abrahamo in fœdere dixit Deus: Ambula coram me, & esto integer. Paulus certè hoc alibi seruis & heris applicat, sic scribens: Serui, auscultate ijs, qui Dmini sunt secundùm carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, vt Christo: non ad oculum seruientes, vt qui hominibus placere student, sed vt serui Christi, facientes ex animo quæ vult Deus: cum beneuolentia seruientes Domino, & non hominibus: vt qui illud sciatis, singulos quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Et vos Domini eadem facite erga illos, remittentes minas: scientes quòd & vester ipsorum Dominus in cœlis, nec personæ respectus est apud eum. Atqui ita inter homines comparatum est, vt alius alij seruire iubeatur, & vicissim alius in alium ius habeat pro sui ordinis aut conditionis ratione. Singuli ergo cogitent, se & in cœlis Dominum habere, qui omnia videt, & huic olim rationem nos reddere oportere de omnibus, quæ in hac vita facimus. Quàm verò felices essent homines, si vel vnum hoc sibi persuaderi paterentur?

Priuati quiq;. Gen. 17, Ephes. 6.

Sed vt ad Paulum redeamus, is finem quoque & scopum, quem sibijpsi in omnibus suis dictis & factis propositum habeat, exprimit, quando se ista omnia dicere ait pro ipsorum ædificatione. Pertinet hoc quoque ad omnes, qui in Ecclesiæ ministerio versantur. Est enim hæc (vt sæpe diximus) domus Dei. Fundamentum eius est IESVS CHRISTVS, *sicut ipse apud Matthæum docet, neque aliud poni posse, Apostolus in priori epist. cap. tertio monuit. Super hunc homines, ceu viui lapides ædificantur, dum per Euangelij prædicationem instituuntur in fide, qua ipsum vnicum salutis suæ authorem atque Mediatorem agnoscunt. Ad hunc ergo scopum ministri omnes collimare debent. Vt autem in ædificijs multa quotidie vel collabuntur, quæ instauratione opus habent, multa etiam correctionem aut mutationem requirunt, vt commodius inhabitari queant: ita in Ecclesijs etiam bene constitutis fieri, vel vnum hoc Corinthiacæ Ecclesiæ abunde docet, & hodie passim experimur. Est enim hominis animus non prauus modò, verumetiam nouitatis appetens, & ideo se facilè ex meliori statu in deteriorem, adeoque (vt de Galatis Paulus loquitur) à simplici & syncera salutis doctrina, quam nobis Apostoli tradiderunt, in aliud Euangelium transferri sinit. Hîc ergo Verbi administros sedulò aduigilare & nunquam non in opere esse conuenit, vt præsentibus vitijs medeantur, futuris verò prospiciant. Fuerunt in eo diligentes admodum Apostoli, qui ideo Ecclesias abs se institutas sæpe inuiserunt, aut de rebus agendis per literas admonuerint. Pudeat ergo hodie aliquos suæ ignauiæ, qua in Ecclesijs, quas à suis antecessoribus optimè constitutas acceperunt, omnia collabi & euerti sinunt. Iniquissimi autem & propriæ salutis inimici sunt, qui tantam sibi authoritatem vendicant, vt ministris in hac re suum officium facientibus sese opponere audeant, quasi illi res nihil ad se pertinentes agant. Quod verò de Ecclesia & huius ministris dicitur,*

Aedificatio Ecclesiæ ministris scopus sit. Matth. 16.

dicitur, non minus in Repub. debet obseruari, vbi similiter propter multorum licentiam non sufficit bonas leges condidisse, sed vt eædem sartæ tectæ maneant necesse est, & illorum proteruiæ occurratur, qui illas nouis indies artibus perrumpere conantur.

Porrò quia hæc Pauli diligentia atque sedulitas aliquibus superuacanea videri poterat, eius rationem reddit, & vt ita faciat, necessarium planè esse docet. Nam metuo (inquit) ne quo modo, cùm venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis, &c. Sensus verborum hic est: Quicquid facio, id metu & solicitudine paterna motus facio. Nam siue vos siue meipsum specto, periculũ sese offert minimè contemnendum, quod me solicitum esse cogit. Vt enim ad vos venire iam diu optaui, vt vestra consuetudine recreer: ita vehementer metuo, ne vos longè alios quàm velim inueniam: qui videlicet loco dilectionis & vnitatis in Christo inter vos æmulatione mutua ardeatis, ex qua iræ, lites et contentiones perpetuæ, adhæc obtrectationes, susurri, tumores, & tumultuationes nascantur, quibus ecclesiæ status labefactetur. Quòd si sic accidat, iam ego, qui ex vobis gaudium & consolationem percipere debebam, à Deo humiliabor, & toto animo deijciar, dum mei ministerij successum non tam felicem fuisse videbo, quàm ego putabam. Imò si inueniam aliquos nondum resipuisse, qui prius scortatione & omni genere impuritatis turpißimè peccarunt, et admoniti licet adhuc contumaciter in peccatis pergunt, ego lugere cogar, qui me vobiscum gauisurum esse sperabam. At hæc dicendo omnem seueritatis, qua hucusque fuit vsus, culpam in ipsos reijcit, qui sua contumaci proteruia ipsum cogant alium esse quàm velit. Perinde ergo hic facit Paulus, ac si pater aliquis peregre agens, familiæ, quam dissolutius viuere resciuit, scribat: Ego quidem charißimi, domum redire cupio, & vestri desiderio totus ardeo, nunc tamen non ita vobiscum agere possum, sicuti vellem: Ea enim de vobis narrari audio, quæ me vehementer solicitum reddunt, ne reuersus ad vos magis discrucier, adeò vt vestra illa petulantia & proteruia pudefactus, cogar alium me præbere quàm velitis, cùm vos quoque alij sitis, quàm ego vos esse velim.

Curam suã docet necessariã esse.

Possunt hæc & alia huius generis hodie multis dici, qui de nimio ministrorum Verbi rigore queruntur, & vellent doctores habere blandos, mites & suaues, qui nihil quàm Dei gratiam prædicent, & amicis diuini fauoris pollicitationibus omnes consolentur, & tantumnon cum impijs illis, quos Isaias corripit, Dei seruis dicunt: Ne contemplemini nobis plana, loquimini nobis blanda, contẽplemini illusiones, recedite à via, declinate à semita, facite quiescere à facie nostra Sanctum Israelis. Atqui diuinæ gratiæ prædicatio ibi locum habet, vbi peccatorũ agnitio est, vbi animorũ contritio, vbi studiũ reconciliationis cum Deo, vbi deniq; minister dicere potest, quod olim Paulus de Thessal. suis dicebat: Vos estis gloria nostra & gaudium. At si nostra tempora propius consideres, lætis istis gratiæ Dei & meriti IESV CHRISTI denuntiationibus minimè opus est, quando peccatorum sensu nemo tangitur, nemo iræ Dei metu contremiscit, nemo pœnis infelicem hunc mundum vndique vrgentibus mouetur, vt de Deo placando serio cogitet: sed potius omnis loci & ordinis homines effreni & indomita licentia in sceleribus pergunt. Contritis & fractis μαλάγματα siue dolorem mitigantia vnguenta adhibentur, emortua verò & stupentia membra durius tractari, & interdũ vri vel etiam resecari necesse est, ne alias quoq; corporis partes inficiant. Insunt autẽ his Pauli verbis nonnulla, quæ diligentius considerari merentur.

Excusatur rigor ministrorum verbi.

Isa.30.

1.Thess.2.

Primum, quòd post scriptam ad ipsos priorem epistolam adhuc tales fuerunt, neque à vitijs illis emendati sunt, quæ Apostolus tanta cum grauitate & seueritate corripuerat. Ergo ne Apostoli quidem semper potuerunt effectum dare quod volebant: quod ipsum de Prophetis quoque potest dici, qui interdum non sine acerbis lachrymis de populi contumacia & sua sorte conqueruntur. Ex quibus apparet, nullam diligentiam nimiam censeri posse, quæ in corripiendis & corrigendis hominum vitijs adhibetur. Semper enim hærent veteres peccati reliquiæ, & noua itidem vitia in moribus pullulant, dum indies nouis illecebris nos mundus hic cum suo principe inestare & irretire studet. Nunquam non ergo ministri in excubijs esse, & operi instare debent, ne qui ipsorum culpa pereant.

Nulla diligentia in vitijs corrigendis nimia est.

Interim admonet nos locus iste, non temere damnari debere ministros, in quorum ecclesijs non omnes ipsorum votis atque laboribus respondent. Vt enim boni parentes non omnia semper in

Propter Ecclesiæ vitia non temere damnandi ministri.

suis emendare possunt, & Reges quoq; optimi in suis multa præter animi voluntatem tolerant, quos nec commodè ferre, neq; tutò eijcere aut dimittere possunt: Ita ferè in Ecclesijs solet fieri, ijs præsertim, quæ populosiores sunt, & cum vicinis à fide alienis commercia habere coguntur, aut etiam sub principibus agunt, qui religionem veram oderunt. Illic enim si quis omnia ad viuum resecare conetur, Ecclesiam citius omnem turbauerit, quàm omnes in ordinem redegerit. Quid verò tunc aliud faciat minister, quàm vt lugeat, & occasionem expectet commodiorem, qua quod vult aliquando effectum dare possit? Nemo tamen ex his sibi suæ ignauiæ patrocinium quærat, vt se tunc quoq; putet excusatum fore apud Deum, si turpiter ad ea conniueat, quæ emendari poterant, si officium vellet facere.

Vitia Corinthiorum.
1. Ambitio & huius effecta.

Deinde præstat catalogum vitiorum excutere, quæ Paulum de Corinthijs solicitum fecerunt. Potest is in duas partes diduci. Prima continentur, quæ philautia & ambitio inter ipsos pepererat, & ex quibus sectæ fuerant enatæ, sicuti in priori epistola audiuimus. Ex hoc fonte æmulationes nascebantur, dum quisq; illum sibi defendendum proponebat, quem sibi magistrum delegerat. Id verò non sine animorum commotione fiebat, à qua indignatio & ira non potest abesse. Sequebantur ex ea apertæ contentiones & rixæ. Concurrebant cũ his obtrectationes, susurri & calumniæ. Inter ista verò alij contra alios inflabantur, quæ perpetua tumultuũ atq; turbarũ causa erat, quibus Ecclesia turbabatur. Sunt hæc nobis in eum finem consideranda, vt videamus ex leuibus initijs turbas graues oriri posse, quàm primũ carnis affectibus & æmulationi cecæ locus datur. Itaq; singuli hac procul relicta vnitati in CHRISTO IESV studeant, alius alium honore præueniat, de nemine tamen sublimius sentiat, quàm de homine sentiri debet. Vide 1. Corinth. 3. 4. Cap.

2. Impuritas cũ suis speciebus.
1. Thess. 4.

Altera pars ea habet, quæ cum sanctimonia pugnant, cui nos Christus consecrauit, & sine qua (vt alibi Paulus monet) nemo videbit Deũ. Perpetuò enim ratum manebit, quod in Lege toties inculcatur: Sancti estote, quoniam & ego Sanctus sum. Item: Hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestra. Pugnat cum hac Impuritas, quam hic vt genus primo loco ponit, sub qua species omnes complectitur, ex quibus duas modò nominat: Scortationem & Proteruiam. Ad Scortationem referri debent omnes libidines vagæ & illicitæ, quæ singulæ corpora nostra polluunt, quæ Christus vt Spiritus Sancti templa sint, sanguine suo consecrauit. Proteruia impudentem & lasciuam animi petulantiam significat, quæ sese in vestitu, gestibus, cantu, scurrilibus dictis alijsq; similibus animi inhonesti indicijs exerit. Erant autem omnia ista nimis vulgaria apud Corinth. adeò vt ipsorum vrbs propter libidines prouerbijs quoq; notaretur, vt alibi diximus. Merito igitur de his illos Paulus in præsenti admonet. Nos verò ista ideo scriptis mandata & in hodiernum vsq; diem conseruata esse cogitemus, vt omnes discant, vitia hæc à Christianis hominibus alienissima esse debere, nimiùm verò impudentes esse eos, qui illa excusare audent.

Quid Paulus de his statuerit?

Præterea obseruatu dignũ est, quid Paulus se de istis decreuisse aut statuisse dicat. Nũ minatur, quòd istos omnes excommunicare & diabolo tradere velit? Nũ vt Cœna Domini arceantur iubet? Nihil huius dicit. Atqui ea scelera hic nominantur, quæ quàm maximè excommunicatione mulctari debent, si eos audiamus, qui hodie causam istã agunt. At quis chirurgum probauerit, qui membrum malè affectum absque mora resecat? Etenim lentis remedijs opus est, priusquam ad extremum hoc veniatur. Et Paulus eo non nisi in ijs vsus est, qui vel secundùm Dei Leges capite plecti merebantur (vt alibi in hominis incesti exemplo vidimus) vel nulla alia ratione curari & in ordinem redigi poterant, vt infra in Capite proximo patebit. In præsenti hoc solùm dicit: Metuo, ne dum venero, deprimat aut humiliet me Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum, qui antea peccarunt, nec resipuerunt super impuritate & scortatione & proteruia, quam patrauerunt. Equidem excommunicare & Satanæ tradere possunt omnes, aut saltem se posse existimant, qui imperium sibi sumunt in alios: & præ alijs multum se posse putant hypocritæ, qui quosuis præ se fastidiunt, vt in Pharisæis est videre. Sed aliorum peccata lachrymis ex non ficta charitate manantibus deflere, deq; eorum salute seriò cogitare, hoc non nisi piorum & fidelium Christi ministrorum opus est. In eo igitur hodie etiam sint Ecclesiarum pastores, vt primò ex animo doleant, si quos peccare vident cum propria salutis periculo. Sic Saulem olim Samuel
1. Sam. 15. 16. lugebat, quod ipsum alios quoque Prophetas fecisse scimus. Deinde redargutionis, correptionis & exhorta-

& exhortationis remedia adhibeant. At hîc apparet nostri seculi infelicitas: quando plerique ad omnia conniuent, multi etiam risu & iocis ea prosequuntur, quæ acerbis lachrymis defleri merebantur: quod in stupris & vagis libidinibus passim solet fieri. Sed magno constabit aliquando infelici mundo hæc leuitas atque petulantia. Et iam nunc multi manum Domini sentire poterăt, nisi toti obstupuissent. At neminem moueat publici exempli authoritas: quin potius æternũ Dei Filium, IESVM CHRISTVM, *audiamus, quem nobis Pater pœnitentiæ simul & remissionis peccatorum Mediatorem dedit, vt in ipso peccatis mortui vitam viuamus nouam quæ fidei nostræ professioni respondeat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.*

CAPVT XIII.

HOMILIA LXI.

TErtia hac vice venio ad vos. In ore duorum aut trium testium consistet omne verbum. Prædixi, & secundò prædico vt præsens, & absens nunc scribo ijs, qui ante peccarunt, & reliquis omnibus, fore vt si denuo venero, non parcam: Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi: qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate, viuit tamen ex potentia Dei. Nam & nos infirmi sumus in eò, sed viuemus cum eo ex virtute Dei erga vos.

ETsi magnus esset apud Corinthios eorum numerus, qui de Paulo & eius doctrina honorificè sentiebant, & in ea tuenda erant constantes: non deerant tamen homines improbi & Veritatis osores, qui omnia eius calumniabantur, totiq; in hoc incumbebant, vt tam ipsum quàm eius doctrinam in contemptum adducerent. Hi inter alia eius rigorem accusabant, qua in epistolis contra contumaces & proteruos disciplinæ cõtemptores vtebatur, & hunc non debere à quoquam magni fieri dicebant, quando satis constaret, ipsum hominem esse vilem & nullius pretij, qui absens quidem minis grauissimis fulminaret, coràm verò nihil posset, imò ne auderet quidem alicui in faciem dicere quæ literis mandaret. His nuper grauiter respondere cœpit, deq; ipsorum pertinacia conquestus est, adhæc minatus quoque, quod ipsum si venerit ad eos, longè alium experturi sint quàm vellent. Id verò nunc diligentius explicat, & expostulatione vtitur graui, eò quod ipsorum contumaciam maiorem esse videret, quàm vt leuiori admonitione domari posset. Docet autẽ tota hæc actio, ministros quidem humanos & faciles esse debere, qui malos cum lenitate ferre possint, si quo modo emendentur: at eosdem ijs nequaquam cedere debere, qui aduersus Dei Verbum sese insolentius & pertinacius attollunt, simulq; multos alios suo exemplo offendunt. Debent huc referri Prophetarum exempla, quæ in Scriptura veteri habentur, & de quibus sæpe diximus. Nunc ad huius loci tractationem accedamus.

Principio docet dignos esse, qui durius tractetur, nec habere eos, quo sese excusent, quia abunde admoniti, adhuc tamen pergant in sua contumacia. Tertia hac vice (inquit) venio ad vos. Debet hoc de epistola hac intelligi, qua de omnibus, quæ ipsis dicenda erant, perinde egit, ac si coràm præsens adfuisset. Et hunc tertium suum ad ipsos aduentum dicit, quia priorem quoque epistolam scripserat, quæ secundi aduentus instar fuerat, cùm prius apud eos per sesquiannum docuisset. Nam quod aliqui Paulum secundò Corinthum venisse putant, constare non potest, si historiæ seriem propius consideremus. Quia ergo primùm apud eos (vt modò diximus) docuerat, quando eos ad fidem Christi conuertit, & Ecclesiam illic constituit nulla in re alijs inferiorem: deinde priorem ad eosdem epistolam miserat, qua quæ à suo discessu collapsa erant, diligenter instaurauit: & nunc hanc quoque submittat, cui (vt Cap. octauo dictum est) legatos cum suo tum Ecclesiarum nomine adiunxit, quos sciebat non segnius rem acturos esse, quàm si ipse coràm adesset: rectè se iam tertia vice ad ipsos venire dicit. Et quia admonitiones testimonia sunt diuinæ bonitatis nos in viam reuocantis, aduentus hosce suos testium loco fore ait, quibus in Dei conspectu conuincantur, ideoque his accommodat Legem, quæ in Mose habetur: In ore duorum

Corint. dignos esse, qui durius tractentur.

aut trium testium consistet omne verbum, id est, omnis controuersia siue forensis actio. Argumentum sic formari potest, vt sensus sit magis perspicuus: Inexcusabiles sunt, qui duobus aut tribus testibus idoneis conuinci possunt, quòd de aliqua re abunde sint præmoniti: At vos plus satis admonitos, neque aliquid erga vos prætermissum esse, quod vobis emendandis seruire poterat, hi tres mei aduentus testantur: Ergo nulla vobis excusatio reliqua est, & digni estis, qui posthac durius tractemini. Ad probationem siue confirmationem Minoris facit, quod subijcitur: Prædixi (nimirum in priori epistola, me si ita lubeat vobis pergere, cum virga & baculo venturum esse) & nunc secundò prædico vt præsens, dum absens corpore hæc scribo ijs, qui prius peccauerunt, & vnà reliquis omnibus, quòd si venire me amplius oporteat, nolim vobis parcere, sed virga illa vti, qua me Dominus armauit. Nam vt sæpe diximus, & multi ex Veteribus annotauerunt, corporalibus etiam pœnis coercere potuerunt Apostoli eos, qui sua contumacia id merebantur, vt in Ananiæ & Elymæ Magi exemplis est videre. D. Augustinus certè lib. tertio contra epist. Parmeniani Cap. secundo in hæc Pauli verba sic scribit: Quid aliud dixit hîc, Non parcam, nisi quod superius ait, Et lugeam multos: Vt luctus eius impetraret flagellum à Domino, quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterant ita corripi, vt ab eorum coniunctione se cæteri continerent? &c.

Admonitiones seruorum Dei quales putandæ.

At nos in præsenti obseruemus, quo loco haberi debeant admonitiones seruorum Dei, siue illi coràm, siue absentes per literas nos de rebus agendis admoneant. Nimirum, vt testimonia esse meminerimus, quibus Deus ipse suum erga nos studium atque fauorem testatur, quibus item nos inexcusabilis contumaciæ conuincat, si illas improbè aspernemur. Docet hoc Christus, quando Euangelium aliquibus in testimonium prædicari dicit, & Apostolos puluerem ex pedibus excutere iubet aduersus illos in testimonium, qui prædicationi ipsorum locum dare detrectant. Quòd si verò puluis ex ministrorum pedibus aut vestimentis excussus sufficit conuincendis Euangelicæ doctrinæ contemptoribus, quantò maius in hac causa pondus erit concionum, scriptorum, priuatarum admonitionum, laborum, peregrinationum, vigiliarum, tormentorum denique, quæ fideles Christi serui subeunt, dum æternæ salutis Verbum annuntiant, & ad illius hæreditatem omnes adducere satagunt? In his certè ipse Deus contemnitur, sicuti in eius querelis apparet, in quibus se nequicquam manè surrexisse & expansis manibus totum diem stetisse dicit, vt rebelles & contumaces ad se conuerteret. Idem Christi querimoniæ de colonis perfidis & tota Iudæorum gente docent. Itaque ista nobis applicemus, viri Germani, quibus ea quàm maximè seruiunt. Etenim ad nos quoque venit IESVS CHRISTVS, & cum Antichristianæ tenebræ omnium mentes occupauissent, nobis lætam atque salutiferam Verbi sui lucem attulit. Ab eo autem tempore non bis aut ter (vt Paulus in præsenti ait) sed millies nos inuisit, imò quotidie ad nos venit monens, hortans, vrgens, increpans, & vt verbis suis fidē faciat, interdū virgas & flagella adhibet. Nisi ergo ei fideles simus, quæ obsecro nobis excusatio erit, qui multis millibus testiū conuincimur?

Matth. 10. Luc. 9.

Publicè arguendi sunt, qui publicè peccant.

Obseruabis item hoc loco, quòd tam apertè aliquos perstringit Paulus, vel potius ceu digito notat, vt omnes potuerint intelligere, de quibus nam loqueretur. Quòd si, cur hoc fecerit, quæras, in promptu est ratio: Nimirum, quòd peccata eorum non occulta, sed publica & omnibus nota, imò cum publico scandalo coniuncta erant. Simili ergo modo cum omnibus agi debet in Ecclesia, qui istorum similes sunt. Ita enim Apostolus Timotheo suo præcipit: Eos qui peccant, coram omnibus argue, vt & reliqui timeant. Nam licet quorundam proteruia maior sit, quàm vt vinci aut emendari queat, de multis alijs spes est, quòd correptionibus istorum territi in seipsos descendant, & diligentiorem in posterum habeant vitæ suæ rationem. Quòd si ne hoc quidem fiat, non tamen irritus erit doctoris labor, qui hac ratione animam suam liberabit (vt olim Ezechieli dicebat Dominus) ne ex ipsius manibus exigatur eorum sanguis, qui sua contumacia sibijpsis exitium accersunt. Horum consideratio Prophetas olim excitauit, vt in effreni morum licentia non silendum sibi esse putarent, & ne à principibus quidem abstinerent, quos interdum nominatim perstrinxerunt, vt Isaiam in Sobna, Ieremiam in Iehoiakimo & alijs fecisse legimus. Nec aliam rationem prædicandi in Nouo Testamento teneri debere, Ioannis Baptistæ & Apostolorum exemplis docemur, vt iam nihil dicamus de CHRISTO IESV, cuius solius authoritas nobis debet

1. Tim. 5.

Isa. 22. Ierem. 22.

debet sufficere. Nemini ergo hoc nouum aut insolens videri debet, si idem hodie fiat. Quàm enim hoc necessarium sit, facilè videbunt, qui nostri seculi mores & studia propius inspiciunt, quando alij omni pudore procul abiecto licenter quiduis faciũt, alij circa cultus superstitiosos occupantur, & eosdem alijs etiam obtrudere student.

Sed & hoc non oscitanter prætereundum est, quòd etsi Paulus de ijs potißimùm loquatur, qui hactenus nulla vel admonitione vel correptione corrigi & in viam reduci potuerunt, simul tamen se reliquis etiam omnibus scribere testatur. Atqui iniquus censeri poterat, qui toti Ecclesiæ quasi litem mouere voluerit propter paucos aliquos, qui lasciuius proteruiebant. Sed necesse erat simul omnes pungi, vt qui hucusque securiores æquo fuerant in ferendis apertis scandalis, de officio suo diligentius cogitare inciperent. Adhæc periculum erat, ne contagione plures alij inficerentur, si securitas illa diutius duraret. Debent ergo Ecclesiarum ministri non eos modò corripere, qui apertum scandalum dederunt, verumetiam de illis soliciti esse, qui nondum peccarunt. Est enim vita hominis plena periculi, & paßim scandala obijciuntur, quando nunquam quiescit Satan, contra cuius insidias indefinenter excubare debent ij, quos Deus publicæ salutis custodes constituit. Admonemur præterea hoc loco, nullam iniuriam fieri Ecclesijs, si propter paucos, qui contumacius & licentiosius agunt, corripiantur. Nam etsi reliqui omnes integri ac sceleris puri sint, tamen repræhensionem meretur ignauia ista, qua manifestas Ecclesiæ labes ferunt, quibus alij infici possunt non sine publica Euangelicæ prædicationis & Christiani nominis contumelia. Etenim qui in his ferendis æquo indulgentiores sunt, ij simul aliorum sceleribus communicant. Et sicuti prodest consolationes vniuersales Ecclesijs proponi: ita correptiones quoq; vniuersales sint, vt singuli de suis vitijs, quæ adhuc latent, cogitandi occasionem habeant.

Totam Ecclesiam compellat propter contumaces aliquot.

Cæterùm ne præter rationem verbis durioribus vti videretur Paulus, causam huius tam seueræ comminationis subijcit, dicens: Quandoquidem experimentũ quæritis in me loquentis Christi: Id est, quoniam me Christi causam agere non creditis, sed propter indomitam contumaciam opus habetis singulari aliquo documento, quo experiamini illum cum meo ministerio esse coniunctum: Id verò illos quærere dicit, non quòd reuera tale quid cuperent fieri, sed quòd sua incredulitate & peruicacia Christi vindicem manum contra seipsos prouocarent. Rursus ergo admonemur, ministrorum Verbi & minarum, quas illi annunciant, cõtemptum in ipsum Christum redundare. Nam (vt alibi diximus) huius legati sunt, qui simul suo Spiritu & virtute in illis agit. Quod Moses obseruans, Deum ipsum ab illis tentari dicebat, qui eius mandatis audacius ogganniebat. Qui enim nos sumus? inquit. Non cõtra nos sunt querimoniæ vestræ, sed contra Dominum. Item: Cur mecum expostulatis? Cur tentatis Dominum? Et Isaiam Achaz Regi impio eiusq; improbis consiliarijs dixisse scimus: An parum est, quòd hominibus molestiam exhibetis, nisi & Deo meo molesti sitis? At parum mouent ista hodie nonnullos, quibus lusus & iocus est scurrilius sua in ministros dicteria iaculari: vt iam nihil dicatur de impijs illusoribus, qui (vt Petrus prædixit) postremum quoque Domini aduentum scurrili sua dicacitate in dubium vocare audent. Sed sentient omnes illi aliquando, quid sit cum Deo ludere. Ministros autem, si quando in tales incidunt, constantia decet & intrepida animi fortitudo, vt impios illos scurras & omnis admonitionis contemptores ad Christi tribunal citent, qui abs se instituto Euangelij sui ministerio nunquam deerit, quò minus hoc à contemptu vindicet.

Causam comminationis subijcit.

Exod. 16. 17.

Isa. 7.

2. Pet. 3.

At obijcere quis poterat, Paulum Christi nomine & authoritate falsò gloriari, & proinde eius comminationes nõ debere magni fieri. Ad id ergo Præoccupatione respondens, proprio exemplo eos confutat. Nam de Christo, cuius experimentum eos quærere dixerat, subijcit: Qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis. Quasi diceret: Ferri poterat, si Domini nostri IESV CHRISTI virtutem nunquam experti tam insolenter contra me, qui illius legatum ago, proteruiretis. Sed si verum fateri libeat, illum diuinam suam potentiam per meum ministerium erga vos abunde declarauisse, & adhuc declarare non negabitis. Ne dubitetis ergo, quin idem in posterum quoq; facturus sit. Loquitur autem de ijs, quæ hactenus inter illos Christi auspicijs & virtute facta fuerant. Hic enim Paulum ad Corinthios miserat, eundem inter omnis generis pericula seruarat, per eius item ministerium in ciuitate totius orbis corruptißima Ecclesiam constituerat

Proprio exemplo Corinth. terret.

donis varijs & præstantißimis ornatam. Hæc certè non humanæ industriæ opera, sed diuinæ virtutis documenta erant, quæ Paulum Christi seruum esse, & non priuatum negotium, sed Dei causam agere testabantur. Accedebat his exemplum in fornicatore incesto æditum, quem ex eius mandato & consensu ipsi Satanæ tradiderant, & ita viderant affligi, vt Paulo intercessore opus esset, ne totus desperatione absorberetur. Erat ergo hæc nimis crassa & inexcusabilis stupiditas, qua excæcati adhuc dubitabant, an Christi seruus esset, qui huius virtute armatus ipsos castigare & punire posset.

Nostri seculi stupiditas.

Vtinam verò non etiam hodie similis stupor multorum animos occupauisset: Vident omnes homines, quanta sit prædicationis Euangelicæ virtus, qua non modò superstitiones, quæ æternæ fore videbantur, sublatæ, & hominum mentes illuminatæ sunt, vt subitò relictis erroribus in Veritatis via ambulent: verumetiam Pontificum regnum debellatum est, quod antea seculis aliquot toti mundo intolerabile nullis regum aut Imperatorum armis euerti potuit. Adhuc tamen de Euangelij Veritate multi non modò dubitant, sed aduersus eam conspirant quoque, & suis viribus siue armis eandem opprimi posse sibiipsis persuadent. Potuit olim Gamaliel collegas suos mouere, ne quid temere contra nascentem fidei Christianæ doctrinam tentarent, quia spontè collapsura esset, si non alia quàm hominum authoritate niteretur. Cur ergo non agnoscunt infelices illi Euangelij doctrinam ex Deo esse, cùm tot iam seculis nullis Regum armis & consilijs opprimi potuerit? At quid de istis attinet dicere, quando idem stupor multos ex nostris inuasit, qui cùm Euangelij professione glorientur, & ex illo noua quotidie beneficia percipiant, tamen hoc sibi impune fore arbitrantur, si eadem ipsi faciant, quæ olim Romani Pontifices & horum coniurati factitarunt: si scilicet Ecclesiæ gubernacula quæstus priuati causa sibi vendicent, si Verbi administris superbè dominentur, iisdem dicendi & tacendi leges præscribant, opes Ecclesiarum & Cœnobiorum partim apertè diripiant, partim sub dispensatorum titulo iniquis & fraudulentis rationibus intercipiant, multisque alijs fame pereuntibus ipsi subitò diuites & potentes fiant, si denique effreni licentia in omne scelus ruendo omnes Verbi Dei admonitiones scurriliter rideant, & simul hostibus quoque deridendum propinent. Quis verò istos Corinthiorum, de quibus hîc agitur, similes esse negauerit? Annon ergo illi quoque experimentum Christi quærunt per seruos suos loquentis? At profectò illud magno suo malo inuenient, quando insanum hunc stuporem illis Deus dignis pœnis excutiet.

Acto. 5.

Scandalum remouet ex ipsius vili specie enascens.

Porro obstabat Pauli authoritati, quòd vilis & plerisque exosus egeret, & varijs diuersisq; casibus hinc inde iactaretur. Pudet enim ferè homines doctorum eiusmodi, & alios sibi dari vellent, qui huius seculi gloria illustres ab omnibus obseruarentur, adeò vt ex eis ad ipsos quoque honor & commodum aliquod rediret. Quapropter huic etiam scandalo manum admouet Apostolus, & eos nimiùm stultos, imò iniquos esse docet, qui ipsum hoc nomine minoris faciant, cùm nihil ei exprobrari vel obijci poßit, quàm quod ipsi cum æterno Dei Filio IESV CHRISTO sit commune. Sic enim dicit: Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate, viuit tamen ex potentia aut virtute Dei. Christum ex infirmitate crucifixum dicit, non quòd ipse obstare nequiuerit, quò minus id fieret, (sed vt Theodoretus exposuit) propter assumptam hominis naturam infirmam & mortalem, in qua mortuus est, quia mori voluit, vt humanum genus mortis suæ merito redimeret. Ideo priusquam moreretur, dicebat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Quò Paulus in præsenti respiciens, infirmitati, quam nostra causa ille assumpsit, potentiam Dei opponit, quæ in eius resurrectione sese exeruit, quando effractis mortis claustris seipsum in vitam restituit, & de hostibus suis tam carnalibus quàm spiritualibus triumphum egit, quo nullum Sol hic gloriosiorem & lætiorem spectauit. Id verò exemplum Paulus sibi & reliquis Apostolis applicat dicens: Nam & nos infirmi sumus in eo, sed viuemus cum eo ex virtute Dei erga vos. Quorum verborum sensus est: Quemadmodum Christus, quoad assumptam carnem mortalem, in terris hisce infirmus & omnibus casibus humanis obnoxius vixit, tandemq; mortem non minus infamem quàm acerbam & diram in ara Crucis subijt, idem verò in resurrectione se Deum verum & æternum, adhæc vitæ mortisque dominum esse declarauit, qui nunc in cœlis viuit & regnat: Ita nos Apostoli etiamsi plerisque infirmi, calamitosi, adeoque

Ioan. 10.

mortui

mortui & nulli videamur, attamen tales in Christo sumus, id est, propter Christum hæc omnia patimur, & proinde eius infirmitati & cruci communicamus, cuius serui sumus & legati, qui nos virtute plus quàm humana instruxit, qua & vos & omnes vestri similes, si opus sit, ita possumus coercere, vt omnibus pateat nos reuera viuere. Perinde ergo Paulus hoc loco loquitur, vt princeps aliquis, qui si peregre alijs negotijs occupatus se à suis scurriliter contemni & proscindi audiat, ad illos ferè in hanc sententiam literas dat: Videor vobis nunc peregrinus esse, & patrijs finibus expulsus exulare, & ideo tam licenter proteruitis. Sed sentite de me vt libet, attamē princeps vester sum, adhæc authoritate & viribus abunde instructus sum, vt & vos & alios hostes vlcisci possim, talemque me esse breui sentietis.

Docemur autem hoc loco, neminem propter abiectam & calamitosam huius seculi conditionem siue speciem contemni, sed potius vniuscuiusque personam, quam ei Deus pro suæ vocationis ratione imposuit, spectari debere. Admonet de eo Solomon, & huius admonitionis grauissimam rationem adducit, inquiens: Qui pauperem ridet, probro afficit factorem eius. Adhæc in CHRISTVM IESVM contemptus iste redundat, qui vt ipse talis propter nos factus est, ita suos sibi vult similes fieri. Cur enim potior sit serui quàm heri conditio? aut cur discipulus meliori sorte quàm præceptor eius vtatur? Quibus adde, quòd turpissimè falluntur, quicunque in sola hominis specie externa hærent: quod in Dauide & electionis eius historia Deus docuit. Cùm enim Samuel huius fratrem Eliabum in Regem destinatum putaret, eò quòd illum statura & corporis viribus præstantem cerneret, dixit illi Dominus: Ne respicias ad formam eius & ad proceritatem staturæ eius, quoniam reprobaui hunc: non enim quod videt homo, ego respicio: Homo enim videt quod oculis obuersatur, sed Dominus intuetur cor. Et sanè si plerosque ex Dei seruis inspicias, eos quoad externam magnificentiam, huius seculi filijs multò inferiores fuisse patebit. Obseruarent hæc vtinam homines ambitiosi, quos ferè aliorum pudet, qui ipsis minus possint conferri. At hi sunt, quos Deus suo fauore prosequitur, qui (vt Petrus scribit) superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Imò hi sunt, qui Domini & Seruatoris nostri IESV CHRISTI imaginem in terris hisce gestant, & quos ille pro suis agnoscet in magno illo die, quo veniet iudicaturus viuos & mortuos: quando sempiterna ignominia mulctabuntur tyranni & superbi orbis terrarum dominatores, qui & illum & eius seruos vel contempserunt, vel hostiliter persecuti sunt.

Nemo propter speciē externā contemnatur. *Prou. 17.* *Ioan. 13.* *1. Sam. 16.* *1. Pet. 5.*

Debet præterea nos confirmare huius loci consideratio, ne cui graue sit aut molestum cum Christo aut pro eius nomine contemni & reijci. Ita enim eius socij efficimur quoad crucem & afflictiones, qui nos ideo Spiritu suo dignatur, qui paracleti & aduocati partes fideliter in nobis agit: idem denique sui regni cohæredes faciet tandem, si cum ipso in tentationibus constanter perseueremus. Eius enim promissio est: Volo, vt vbi ego sum, etiam sit minister meus. Et ad omnes pios atque credentes pertinet, quod ille in vltima Cœna Apostolis dixit: Vos ij estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus regnum, &c. Et sanè est multa consideratione dignum exemplum, quod in illis proponitur: Fuerunt contemptissimi mortalium adeò vt Paulus eos toti mundo, Angelis item & hominibus spectaculum factos fuisse scribat. At ijdem in Christo vixerunt, imò fortes & validi fuerunt, adeò vt mundum & huius principem debellarint, & ea perfecerunt, quæ nullis Regum armis siue authoritate perfici potuissent. Et ijdem nunc in cœlis vitam verè beatam viuunt & regnant, in terris verò floret & ab omnibus pijs colitur eorum memoria. Idem de Martyribus reliquis dici potest, qui in ipsis tormentis se diuina virtute viuere & vincere inuicta & ipsis carnificibus terribili patientia sua declarauerunt. Cuius generis exempla multa hodie videmus, quando homines obscuri inuitis & multùm reluctantibus potentissimis Monarchis Christum prædicant, Ecclesias colligunt, & tandem moriendo vincunt atque triumphant. Ista singuli in priuatis calamitatibus atque periculis ad se transferant. Quid multis? Agnoscamus in his Domini & redemptoris nostri, IESV CHRISTI, potentiam, & huius fiducia confirmati constanter tueamur Veritatis & fidei causam, quam ille suo patrocinio nunquam destitui patietur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Nō pigeat pro Christo aliquid pati. *Ioan. 12.* *Luc. 22.* *1. Cor. 4.*

HOMILIA LXII.

Vos ipsos tentate annon sitis in fide, vosipsos probate: aut num non agnoscitis vosmetipsos, quòd videlicet IESVS CHRISTVS in vobis est? nisi reprobi estis. At spero fore vt cognoscatis nos non esse reprobos. Opto autem à Deo, ne quid mali faciatis: non vt nos probati comperiamur, sed vt quod honestum est faciatis, nos verò velut reprobi simus. Non enim possumus quicquam aduersus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus, vos autem validi fueritis.

QVoniam Diuus Paulus propter vilem & ignobilem suæ personæ speciem & varias calamitates, quibus iactabatur, multis apud Corinthios, homines opulentos & magnificentiæ assuetos, contemptui erat, & ex eo æmuli ipsius calumniandi occasionem arripiebant, ipse è contra suam authoritatem multis tuetur. Et nuper illos ad Dominum nostrum IESVM CHRISTVM *remisit, & huius exemplo de duobus illis admonuit, quæ in tota hac causa imprimis considerari merebantur. Primum est, quòd nihil patiatur, quàm quod ipsi cum Christo commune sit, ideoq; illos nimium iniquos esse, qui hoc nomine ipsum contemnant. Alterum, quòd sicuti Christus etsi ex infirmitate assumpta crucifixus sit, viuat tamen & regnet: ita se quoque, quàmuis propter Christum varie exerceatur, in eodem viuere & abunde instructum esse, vt contumacius sibi contradicentes coerceat. At quia nullis rationibus cedunt, qui Dei Verbum semel cœperunt contemnere, pergit modò, & ipsorum conscientias appellat, vt proprio testimonio conuicti tandem cogantur manus dare.*

Proprio testimonio Corinthios cōuincit.

Sic enim ait: Vosipsos tentate annon sitis in fide, vosipsos probate: aut num non agnoscitis vosmetipsos, quòd videlicet IESVS CHRISTVS *in vobis est? nisi reprobi estis. Quod perinde est ac si diceret: Nolo plura de me dicere: ad vestras conscientias & vestri cordis iudicium vos remitto. Descendite ergo in vosipsos, & animos vestros excutite, num videlicet fide sitis instructi. Nam si hoc feceritis, non puto tam stupidos fore, quin cogniturі sitis, Christum in vobis esse: nisi reuera reprobi sitis, id est, à fide simul & Christo alieni. At nunquam puto, vos à Christo alienos esse fatebimini. Quòd si verò fide donati estis, si Christum habetis in vobis manentem, dicite quæso, vnde hoc acceperitis, & per cuius ministerium? Nonne ego primus vobis Euangelium prædicaui? in fide institui? Christo adduxi? denique Ecclesiam inter vos constitui, in qua Christus habitat & efficaciter agit? Cur ergo me Christi seruum & germanum Apostolum esse quidam negant? cur illis infirmus & nulla Christi virtute instructus aut armatus esse dicor? Etenim huius manifesta & certa documenta in vobisipsis inuenitis, charismatum videlicet omnis generis abundantiam, veram Dei cognitionem & singularem rerum ad salutem necessariarum scientiam. Hæc si in vobisipsis non agnoscitis, ego vos non ex Christianorum & verè fidelium numero, sed reprobos & à Christo alienos esse dixero. Inest ergo his verbis mirifica vehementia, qua Corinthios ita stringit & vrget, vt vel ipsius ministerium probare, vel seipsos reprobos fateri cogantur. Ratio autem totius argumenti ex eo dependet, quòd Corinthiorum fides in Euangelio, quod ipse illis prædicauerat, erat fundata, cùm illam ex nullo alio didicissent. Nam vt fides electionis signum est, ita reprobi sint oportet, quicunque ea destituuntur.*

Fides & prædicatio relatiua sunt. Rom. 10. Ioan. 5.

Est autem obseruatu dignissima relatio illa, quæ est inter fidem & prædicationem. Etenim fidem ex prædicatione Verbi Dei in nobis nasci, Paulus in Epistola ad Roman. docet: nimirum ad illud Christi respiciens: Qui audit Verbum meum, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Quid enim credat is, qui nihil audit, aut cui nihil prædicatur? Id verò officij sui admonet homines Christianos, ne doctores suos temere contemnant, à quibus in fide instructi sunt. Nam id facere non possunt, nisi maior contumelia in ipsos redundet. Nam & proprio suo testimonio seipsos damnant (quod magnam leuitatem arguit) & se ex reproborum numero esse produnt, cum quibus Christo non possit conuenire. Potest enim illis idem dici, quod Paulus in præsenti Corinthijs

ebijs dicit: Num in fide & Christianus es? Vnde verò hoc habes? Ex Deo vtique. Cuius autem ministerio is erga te vsus est? Quis te baptizauit? quis in externam Ecclesiæ Christi societatem recepit? per quem in huius albū adscriptus es? quis te in fide instituit? quis vitæ æternæ mysteria tibi annuntiauit? Annon hæc omnia eius ministerio tibi obtigerunt, quem Deus tibi doctorem dedit? Neque hîc mihi vitia ministrorum obijcias. Nam homines nos esse, & iisdem cum alijs cùm animi cum corporis affectionibus obnoxios esse, ipsimet fatemur. At si illa tibi in tuo doctore tantopere displicent, vt propter ea illum contemptu aut odio dignum esse iudices, cur eadem in alijs non æquè odisti? cur iisdem, imò grauioribus laborantes, in pretio & honore habes? eos nimirum, qui non solùm quoad mores peccant, verumetiam Dei Verbum cauponantur; seductores sunt, canes muti sunt, sacrilegi deniq; sunt, dum & Christum sui meriti gloria, & eius Ecclesiam Verbi thesauro spoliant, quo nullus nobilior, nullus pretiosior, nullus salubrior habetur? At cùm istos feras, ames, colas, certè non te vitiorum, sed Verbi Dei & sanioris doctrinæ hostem esse probas. Nemo tamen ista abs me ideo dici putet, quòd aliquorum petulantiæ aut nequitiæ patrocinari velim, qui reuera odio digni sunt, quando nomen IESV CHRISTI & Euangelium eius improbè prophanant ijs moribus, quos nemo vel in milite, vel in nugatore aliquo ferat, qui denique histriones, mimos, aleatores & comessatores agunt, & ita viuunt, vt non immeritò dubites, num vel Deum aliquem esse, vel cælum & inferos esse seriò credant. Etenim Verbi administros decet, vt ea fide, diligentia, studio, probitate & honestate in suo munere versentur, vt auditorum conscientias appellare, & contemptores suos proprio testimonio conuincere possint. Hæc enim efficacissima est tuendæ authoritatis ratio, si ipse effectus ministerij ipsos officio suo probè functos esse docet.

Est præterea alius quoque huius loci vsus. Quia enim Paulus Corinthios ad propria fidei examen remittit, vt ita cognoscant, num fide vera Christum apprehenderint, non obscurè docet, posse homines de eo certos fieri. Quomodo enim fidem suam homo ignoret, cuius tam multa tamque præclara effecta sunt? certa nimirum in Deum fiducia, pax conscientiæ, Dei dilectio, obedientia fidelis, patientia, charitas denique, quæ totius vitæ & actionum regula est infallibilis? Quis item tam stupidus fuerit, vt non sentiat Christum intra se agentem, cuius virtutem omnes creaturæ agnoscunt, & mali quoq; dæmones exhorrescunt? Petrus certè cùm fide cognitionem coniungit, dicens: Nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus ille Filius Dei viuentis. Confutatur hîc impium & desperationis plenum dogma Scholasticorum, qui hominem de gratia Dei & propria salute certum fieri posse negant. Enimuerò Paulus Corinthios nimium stupidos esse ait, si non intelligant Christum in ipsis agere, imò reprobos dicit, nisi huius virtutem sentiant in semetipsis. At vbi Christus adest, illic certissimum quoque est gratiæ Dei pignus, illic liber ad Patrem accessus, illic præsentissima salus: de quibus nemo dubitare potest, nisi Dei Patris fidem in dubium vocare velit, qui cælitus de IESV CHRISTO pronuntiauit: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Procul ergo facessant tenebriones isti, qui homines de Dei gratia dubitare docent; vt ex miserabili conscientiarum carnificina quæstum vberiorem faciant.

Possunt homines de gratia Dei certi fieri.

Ioan. 6.

At quia dixerat Paulus, Corinthios facilè intellecturos esse num in ipsis sit Christus, siquidem non sint reprobi: poterat aliquis obijcere: Ergóne reprobi erimus, nisi tibi per omnia obtemperemus? Quid si tu sis reprobus? Ita enim solent homines præfracti, quales hodie multos est videre, qui cùm neque Deum neque propriam salutem curent, indignissimè tamen ferunt, si quis ipsos à Christo alienos & salutis expertes esse dicat. Præoccupat ergo obiectionem istam Apostolus, dicens: At sperò fore, vt cognoscatis nos non esse reprobos. Habent autem verba ista comminationis speciem. Quasi diceret: Ne quæso insolentius hanc meam admonitionem contemnite. Nam si positis aliquantisper affectibus vosipsos examinauritis, facilè videbitis me nulli officio apud vos defuisse. Quòd si verò vos nihil horum mouet, & omnino pergetis pro more vestro agere, spero breui fore, vt sentiatis me non esse à Christo alienum, quando huius virtutem vindicem pœnis non contemnendis erga vos declarabimus.

Minatur proteruis responsatoribus.

Quo loco admonemur, Verbi administris ita agendum esse, vt quàmuis aliqui non credant, multi etiam se illis contumaciter opponant, & (quod reprobi solent) in proprium exitium ruant;

Vt agendum sit ministris in sua functione.

ipsi tamen se fideles Christi & Ecclesiæ ministros esse probent, & improbi illi tandem tales ergà se fuisse suo malo experiantur. Id verò fiet, si neque socordes sint, neq; adulatores, qui puluillos (vt Propheta loquitur) consuant & supponant impijs, neq; etiam eorundem audaci proteruia se vinci patiantur, sed vtut res cadat, constanter Dei Verbum prædicent, moneant, increpent, hortentur, & in omnem occasionem intenti vitam quoque viuant, cuius exemplo doctrina eorum confirmetur. Ita olim Prophetas fecisse scimus, quos in præsenti Paulus quoque imitatur. Quòd si hoc suo studio nihil proficiant apud aliquos, non tamen operam suam luserunt: Nam ita fidem suam liberarunt apud Deum, & eandem pijs omnibus approbarunt, alteri verò illi se ex reproborum numero esse produnt, qui vt terra maledicta & arbores steriles nulla cultura sanari possint. Quapropter nihil dicunt, qui ideo sibi tacendum & ab opere cessandum esse arbitrantur, quòd apud plerosque nihil proficiant. At quod de ministris Ecclesiæ dicitur, hoc ad se quoq; transferant, qui ad Reipub. gubernacula sedent, ne ipsis imputari possit hominum improborum nequitia, qui ipsis multùm reluctantibus in exitium ruunt.

Ezech. 13.

Mitigat minas.

Porrò ne videretur rigidius cum Corinthijs agere Apostolus, idque non aliam ob causam, quàm vt suæ existimationi consuleret, dictum hoc aliquantum mitigat, dicens: Opto autem à Deo, ne quid mali faciatis, non vt nos probati comperiamur, sed vt quod honestum est faciatis, nos verò velut reprobi simus. Sensus horum verborum est, se adeò non solicitum esse de suo honore, vt contemptissimus mortalium omnium, adeoque reprobus haberi cupiat, modò ipsi nihil mali designent, cuius causa cogatur ipse sua potestate in illos seuerius vti. Et huius sui affectus testẽ adducit Deũ, quando se hoc ab illo optare aut precari dicit. Respicit autem ad illud, quòd sciebat æmulos ipsum mirificè ludibrio habituros esse, si post tam multas tamque graues comminationes nullum pœnæ grauioris exemplum sequeretur. Non poterat autem ipse vanitatis accusari, nisi simul alienus à Christo, & proinde reprobus diceretur. Sed hoc (inquit) ego non moror, imò Deum precor, vt ab omni malo abstinentes faciatis ea quæ vos decent, & ita destinatas vobis pœnas subterfugiatis.

Pauli pro Ecclesijs studiũ.

Rom. 10. & 9.

Est autem multa obseruatione dignum Pauli studium, qui non solùm docuit, monuit, corripuit, verumetiam assiduis precibus apud Deum in hoc incubuit, vt Ecclesiæ florerent, & singuli ea facerent, quæ Deo probantur. Nam quod hoc loco scribit, id ipsum pro Philippensibus, Colossensibus & multis alijs eum fecisse constat. Quid quòd pro Iudæis, hostibus iuratis preces fudit dies & noctes, proque iisdem anathema fieri voluit, vt ipsi seruarentur? Precum verò istarum haud dubiè causa hæc fuit, quòd sciret ministros neque plantando neque rigando aliquid posse, nisi Deus intrementum dederit. Quæ causa Prophetas quoque olim mouit. Imitentur hos quicunque in Verbi prædicatione Deo seruiunt. Ita enim minus superbient, simulq; accendentur, vt quod ipsis creditum est negotium ardentius agant. Debent autem hoc ad se quoque transferre qui in magistratu versantur: ne videlicet subditorum mulctis aut supplicijs cruentis delectentur, sed patrum instar hæc cum aperta & syncera doloris sui significatione exigant. Quid enim inhonestius, absurdius, crudelius, quàm ex ijs voluptatem capere, quæ per se mala sunt, & vt Deo improbantur, ita alijs exitium & infamiam pariunt?

Christiani hominis officia.

Psal. 34.
1. Thess. 5.

Quid verò precatur Paulus? Primùm, ne quid mali faciant: Deinde vt faciant quod honestum est, id est, quod homines Christianos decet. Conueniunt hæc cum alijs Scripturæ locis. Apud Isaiam certè clamat Dominus: Desinite malè facere, discite bene facere. Et in Psalmo scribitur: Recede à malo, & fac bonum. Hic ergo scopus sit hominis Christiani. Primus ad hunc gradus esto, abstinere à malo, imò ab omni etiam specie mali, vt alibi Paulus ait: Atqui malum reuera est, quicquid cum expressa Dei Opt. Max. voluntate pugnat. Falluntur ergo qui tale quid excusant exemplis, consuetudine, vetustate, aut quibuscunque alijs rationibus. Cur enim mundi exemplo sese defendant ij, quos Christus è mundo hoc selegit, vt eos sibi consecraret? At quia Deus nequaquam vult seruos habere otiosos, alterum accedat necesse est, vt singuli quod honestum est, quodque ipsos decet faciant. Atqui omnes Christiani nominis professores decet, vt sanctitati studeant, Deo in spiritu & Veritate seruiant, hunc vnum colant, & in dictis factisque suis omnibus glorificent. Item vt vitam viuant innocuam & charitati studeant erga omnes. Singulorum

lorum verò est, vt quisque pro suæ vocationis ratione omnibus, quæ ipsis debentur, officia præstet. Et huc illud Pauli pertinet: Reddite omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timor, timorem: cui honor, honorem. Quod vnum si diligentius obseruarent omnes, non tantam haberent calumniandi occasionem siue materiam hostes Euangelicæ doctrinæ, & felicius multò propagaretur regnum IESV CHRISTI, quod passim scandalis impeditur, quæ illi ipsi obijciunt, qui illius nomine præ alijs gloriantur. Rom.13.

Sed ad Paulum redeamus, qui quod dixit confirmat ratione ab officio seu ministerij sui fine desumpta, sic dicens: Non enim possumus quicquam aduersus veritatem, sed pro veritate, &c. Per veritatem procul dubio doctrinam Christi intelligit, & per consequens eos omnes, qui fidem suam atque mores secundùm huius præscriptum instituunt. Itaq; sensus est: Dixi me à Deo hoc flagitare, vt vos officium faciatis, licet ego tunc vanus & mendax dicar, qui vos hucusque inanibus minis perterrefacere voluerim. Nec id temerè dixi. Nam etsi Christus nos Apostolos magna & formidabili potestate armauerit, nihil tamen possumus contra veritatem, neque etiam contra eos, qui secundùm hanc ambulant: sed vt veritatem propugnemus atque proueh amus, potestas illa nobis data est. Quapropter si quod vos decet feceritis, non est quòd vobis à me timeatis. Nam si maximè vellem meæ existimationis ergô aliquid contra vos moliri, nihil tamen possem contra ingenuos veritatis cultores. At tàm procul abest à me vobis nocendi voluntas, vt potius gaudium & voluptatem ex eo singularem concipiam, si hac in parte me infirmiorem, vos autem validos esse videam, in CHRISTO IESV nimirum, quoad fidem, studium veritatis, pietatem, vitam deniq;, Christiana professione dignam. Apostolicæ potestatis vsus.

Proponitur hîc rursus in Pauli exemplo generalis regula, quam omnes Ecclesiarum pastores siue ministri sequantur: quæ est, vt non suæ existimationi vel gloriæ, sed publicæ omnium saluti atque ædificationi studeant. Licet quidem illis, imò necesse est, vt sui nominis existimationem tueantur, quatenus hoc Dei gloria & ministerij sui conditio requirit. Quod Paulum hucusq; fecisse vidimus, & quidem secundùm Christi exemplum, qui idem sæpius factitauit. At hîc diligenter caueri debet, ne quid insolentius fiat cum totius Ecclesiæ ignominia, aut scandalo infirmorum. Nam nisi existimationem suam minister publicæ saluti postponat, nihil vnquam faciet quod laudem mereatur. Quis enim nescit quàm multis & crebris iniurijs obnoxij sint boni pastores, quæ ipsos facilè vincent, nisi carnis affectus per fidei obedientiam subegerint? Tunc ergo precibus quàm maximè opus est. Quod enim Paulus in præsenti pro Corinthijs fecit, hoc ipsum pro Israëlitis suis Mosem & Prophetas non semel fecisse constat. Ministri studeant ædificationi.

Obseruabis præterea Verbi administros potestate quidem instructos esse, sed limitata aut certis finibus circumscripta, non autem libera siue absoluta, vt pro suo arbitrio omnia agant. Finis, qui illam totam includit, est Veritas Christi, ex qua vniuersa hominum salus dependet. Hunc transilire, aut quocunq; modo excedere nefas est. Confutantur ergo huius loci authoritate, quicunque sub ministerij prætextu omnibus negotium faciunt, qui Deo secundùm veritatis doctrinam seruire nolunt. Illi enim aut potestatem sibi vendicant, quam non acceperunt, aut accepta malè vtuntur. Quid verò aliud hodie faciunt Pontifices? Ad se transferunt Christi verba: Qui vos audit, me audit. Item: Tibi dabo claues regni cœlorũ: Si quis recipit quem ego misero, me recipit. Et illud Apostoli: Obedite præpositis vestris. At ijdem omnia faciunt contra veritatem. Nam huius doctrinam vtriusq; testamenti libris comprehensam, mendacij, imò hæreseos accusant: ab vnius Dei cultu atq; inuocatione homines abducunt: imagines adorare atq; venerari cogunt: Sacramenta venalia habent: traditionibus partim ineptis & superstitiosis, partim impijs Ecclesiam grauant: & insuper in pios Christi cultores ferro & igne crudelissimè grassantur. Habent ergo illi potestatem, sed non à Deo, neq; legitimam: & quia eadem vtuntur contra veritatem, iure tenebrarum potestas dicetur, cui nullam obedientiam deberi, alibi diximus. Oportet enim (vt Apostoli monuerunt) Deo magis obedire quàm hominibus. Acto.4.& 5. Fines ministerij, Veritas Christi. Luc.10. Matth.16. Ioan.13. Hebr.13.

Debent ista ad alios quoque hominum ordines transferri. Habent quidem potestatem non magnam modò, verumetiam sacrosanctam, ij qui in magistratu sunt constituti, quibus sua iura sicut iudicia & eorundem executionem Deus commisit. Sed huic etiam fines suos Deus præfixit, Omnis potestas certis finibus limitatur.

ne quid contra ius & aequum ausint facere, neue pro personarum respectu sententias varient. Tyranni enim fiunt, si iura & leges in suo arbitrio consistere putent, & (vt ille olim) dicant: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Possunt quidem isti leges torquere, multos praeter meritum mulctare & pro suo nutu cogere, sed & pij tunc quoque eos patienter ferre debent: attamen potestas illa non ordinaria aut legitima, & proinde ne durabilis quidem est. Idem de potestate parentum in liberos, herorum in seruos, maritorum in vxores dici potest: qui omnes nisi se intra suos fines contineant, hoc Pauli dicto notantur, & in potestatem tenebrarum degenerant. Agnoscant singuli paternam planè Dei bonitatem, qui quaecunque instituit, nostro bono & publicae omnium saluti seruire vult: oremus autem benignissimum illum Patrem misericordiarum, vt quos per Filium suum IESVM CHRISTVM ex potestate diaboli & inferorum asseruit, tueatur, vt ipsi vni seruiant: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

HOMILIA LXIII.

Hoc autem etiam optamus, vestram videlicet perfectionem. Propterea haec absens scribo, ne praesens seueritate vtar secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus ad aedificationem, & non ad destructionem.

Homines in viam reuocare difficile est.

VT homines propter naturae suae vitiositatem facilè in vitia labuntur: ita eosdem in viam reuocare admodum difficile est. Nam quemadmodum qui morbis grauioribus laborant, plerunque pharmaca salubria fastidiunt propter amaritudinem, quae illis coniuncta est: sic etiam Dei Verbũ, quae vnica animarum medicina est, auersari solent, qui vitijs assueuerunt, & corruptissimis suis desiderijs indulgent. Intolerabile enim & iniquum illis esse videtur, quicquid cupiditatibus ipsorum & studijs prauis repugnat. Exempla eius rei passim in Scripturis sacris occurrunt, & quotidie multa in nostri seculi hominibus licet videre. Laborarunt hoc vitio etiam Corinthij. Cùm enim Paulinae doctrinae immemores simul à Veritatis & fidei simplicitate atque morum sanctitate defecissent, imò licentiae iam assueuissent, correptiones illius impatientius ferebant: neque deerant, qui eum non solùm nimij rigoris, verumetiam tyrannidis accusarent, quodque ex aliorum incommodis siue infamia voluptatem caperet: quod olim Prophetis quoque exprobratum fuisse scimus. Ideo sub finem huius Epistolae multis hoc agit, vt intelligant, quo animo erga ipsos sit praeditus: non hostili nimirum, sed amico & paterno, qui sui nominis existimationem & proprium honorem saluti ipsorum longè postponat, & cupiat multis infirmior videri, modò ipsi in fide proficiant, & nouis quotidie Spiritus sancti viribus confirmentur. Id verò in praesenti amplius confirmat.

Perfectionem optat Corinthijs.

Sic enim dicit: Hoc autem etiam optamus, vestram videlicet perfectionem. Dixerat se ipsorum incolumitate gaudere, neque sibi graue videri, si sibi aliquid decedat ex sua existimatione, modò ipsi sint validi. Nunc plus quiddam addit. Non modò gaudemus (inquit) vestra salute & incolumitate, verumetiam assiduis votis atq; precibus hoc vobis à Deo impetrare satagimus, vt vobis ad plenam perfectionem peruenire liceat. In Graeco κατάρτισις habetur, quae vox propriè iustam & concinnam corporis atq; membrorum constitutionem significat, vel potius eorum quae loco mota aut lacerata sunt restitutionem. Probè autem haec Metaphora atque votum istud Corinthijs conueniebat. Nam qui in CHRISTO IESV vnum corpus esse debebant, varijs atq; diuersis modis erant distracti. Etenim doctores relicta Euangelicae doctrinae simplicitate circa inutiles & superuacaneas speculationes occupabantur, & in his ambitiosè nimis suam eruditionem siue ingenij acumen & eloquentiam ostentabant. Hinc sectae exortae fuerant, vt factiosis nominibus inter se scissi essent, qui vnum Christum vno ore & corde debebant profiteri. Multi eum idololatris colludentes eorundem sacris communicabant. Alij lites forenses sectabantur, & vilis pecuniae causa fratres suos ad prophanorum hominum tribunalia non sine fidei Christianae contumelia trahebant.

κατάρτισις.

Plerique

Plerique ad veterem morum licentiam relapsi vagis libidinibus indulgebant, adeò vt ne ab incestibus omnino essent immunes. Erat denique Ecclesiæ istius facies omnino distorta & corporis luxati instar, in quo nullum membrum suo loco est, aut suum facit officium. Rectè ergo illis instaurationem siue restitutionem optat Apostolus, ex qua poßint pro vera Christi Ecclesia agnosci.

Debet autem hic finis omnibus Ecclesiæ ministris propositus esse, vt nimirum totius Ecclesiæ simul atque singulorum membrorum eius integritatem atque perfectionem pro virili tueantur, aut collapsam instaurent. Vbi ante omnia est opus, vt omnes vnum sint in IESV CHRISTO, neque diuersis opinionibus & doctrinis scindantur. Nam nisi hoc obseruetur, iam ne Ecclesia quidem dici merebitur. Ea enim in Symbolo Catholica, id est, vniuersalis omnium sanctorum communio esse definitur. At quomodo vniuersalis Ecclesiæ membra esse, aut cum alijs sanctis communionem habere dicentur, qui inter se scißi diuersa dogmata profitentur, & factiones apertas fouent? Non temere ergo Christus iam mortem aditurus tam seriò precatus est, vt qui ipsius discipuli sunt, vnum sint in ipso, quemadmodum ipse in Patre, & Pater in illo est. Deinde vt charitatis quoque vinculo inter se connexi sint Christiani homines necesse est, & alij aliorum commodis atque incommodis seriò afficiantur, seq; mutuò iuuent, quemadmodum nostri corporis membra facere alibi audiuimus. His tertium accedat oportet, vt singuli pro suæ vocationis ratione officium faciant, & à Deo sibi creditam stationem constanter tueantur. Ministri ergo fideliter excubent pro publica salute, doceant, moneant, hortentur, arguant, increpent, consolentur, & simul doctrinam proprio exemplo confirment. Qui in magistratu sunt, Dei cultum prouehant atque tueantur, sanctè ius dicant, defendant bonos, puniant malos, honestatem & pacem publicam conseruare pro virili studeant. Reliqui verò cuiuscunque loci aut ordinis, parentes, coniuges, liberi, serui, opifices, ea diligenter & bona fide faciant, ad quæ destinati sunt, nec temere alij aliorum partes inuadant, quæ præcipua confusionis causa est. Ideo Apostoli frequenter in suis epistolis de omnium ordinum officijs disserunt, & quæ illi dederant præcepta, hodie omnes Ecclesiarum ministri apud suos indesinenter vrgere debent. Ita enim ministerium suum approbabunt Deo, qui labores eorum dignis præmijs remunerabitur.

Scopus quis debeat ministris propositus esse.

At si hæc ad nostri seculi mores atque studia transferas, horribilem omnium ordinum confusionem videbis. Nam qui populum sana & simplici Veritatis Euangelicæ doctrina ad pietatem veram instituere, Ecclesiam ædificare, concordiam mutuam fouere, pœnitentiam & publicam morum honestatem tradere & suo exemplo reliquis præire debebant: hi ferè ambitione & contendendi libidine abrepti circa disputationes non inutiles modò, verumetiam noxias occupantur, veteres hæreses postliminio reuocant, populum in partes distrahunt, ministerij sui collegas & conseruos ignominiosis conuitijs flagellant, in corripiendis autem publicis sceleribus canes muti sunt, ad illa conniuent, nisi quando de ipsorum existimatione agitur, adhæc exemplo proprio multos corrumpunt, vt de doctrinæ Veritate dubitare incipiant, denique sal sunt infatuatus, quem ne sterquilinio quidem dignum esse Christus testatur. At principes viri vel religionem nihil ad se pertinere putant, & proinde eam omnino negligunt, vel illam suo imperio subijciunt, & tam huic quàm eius administris dominantur, quasi in ipsorum arbitrio sit, huius formam constituere, sicuti olim Ieroboamus fecit, primus Rex Israelitarum. Quòd si ad priuatos homines transeas, paucißimi officium faciunt. Inter coniuges rixæ & contentiones sunt: parentes ex se natos vel securi negligunt, vel artibus malis instituunt, in hoc vnum intenti, vt opes corradant, & illis patrimonium relinquant, quod eis poßit sufficere: è contra liberi parentes contemnunt, & disciplinam omnem oderunt. Heri duro imperio seruos premunt, & plerique aliorum laboribus gratuitis abutuntur: hi verò vicißim non bona fide heris suis seruiunt. Taceo nunc factiones, quibus totus ferè orbis terrarum scinditur. Amos Propheta olim quasi ad spectaculum vocabat vicinas Israelitis gentes: Congregamini super montes Samariæ, & spectate tumultus magnos in medio eius. At quantò iustius hoc de ijs dici poterat hodie, qui Christiani haberi volunt, & tamen cæcis affectibus abrepti publicè & priuatim tumultuantur absque omni ordine, tam in ijs quæ ad religionem spectant, quàm in politicis & priuatis vniuscuiusq; negotijs? Et hæc quidem deplorare poßumus, eadem verò emendare nemo poterit, nisi bonus ille medicus, IESVS CHRISTVS, afflictißimo suo corpori manũ adhibeat:

Nostri seculi confusio.

Seueritatis suæ rationem reddit.

Cæterùm obijciebant aliqui Paulo: Si tam amicè & paternè erga nos affectus es, atque nostram incolumitatem tua existimatione pretiosiorem ducis, cur ergo tam duriter nos tractas? cur tam grauiter minaris? Hæc certè non amoris, sed odij: non hominis beneuoli, sed maleuoli & nostra infamia gaudentis: deniq; non amici, sed inimici indicia sunt. Ad ista per Præoccupationem respondet: Propterea hæc absens scribo, ne præsens seueritate vtar secùdum potestatem, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, & non ad destructionem. Ita loquendo ad æmulorum scommata alludit, qui ipsum in epistolis quidem graues & terribiles minas spirare dicebant, coràm verò nihil audere. Itaque verborum sensus est: Scio, quid de me aliqui spargant, & quàm maligno sensu scripta mea interpretentur. Sed ego velim, vos non tam quid scribam, quàm quo animo hæc scribam expendere. Etenim procul absens literis seuerioribus vos corripio, quia ita meremini. Quis enim bonus & Dei amans ad ea, quæ hactenus designauistis conniueat? aut quis pastor fidelis gregem suum à lupis dissipari patiatur, & vt otiosus spectator quasi nihil ad se pertinentem negligat? Tam verò procul abest, vt vobis malè esse cupiam, aut quod minis istis executionem dignam libeat subijcere, vt potius hæc ideo scribam, ne vbi aduenero, cogar aliquid durius de vobis statuere. Malo enim acerbitatem omnem in literis residere, vt cùm præsens fuero possim de vestra conuersione & emendatione vobiscum in Domino gaudere. At ne hoc etiam aliqui secus quàm dicebatur, acciperent, quasi cæco iræ affectu abreptus minaretur, rursus potestatem suam Apostolicam allegat, quam ipsi Deus dederit ad ædificationem, & non ad destructionem. Quasi diceret: Scitis vos ipsi, nos Apostolos à Domino non aliqua huius seculi potestate, neque gladijs aut lanceis, sed Spiritus sancti virtute armatos & à Christo ablegatos esse, vt vbique gentium ipsi Ecclesias colligamus, & easdem saniori Veritatis doctrina ædificemus atque sartas tectas seruemus. Non potero igitur deesse meo officio, vt eos feram, qui tam impudenti petulantia ea destruunt & euellunt, quæ abs me bene plantata & ædificata fuerunt. Itaque nisi ea tandem emendaueritis, quæ hactenus in vobis reprehendi, cogar omnino mea potestate vti. Id verò ne fiat, prius vos admonendos esse duxi, vt ipsi ea extirpetis, quæ apud vos contra Euangelij doctrinam irrepserunt. Disertè verò potestatem hanc sibi à Deo datam esse ait, vt legitimam ostendat, simulq; æmulos suos perstringat, qui etiam ipsi potestatem sibi in Ecclesia vendicabant, sed priuata temeritate, cùm illà à Christo, qui solus Ecclesiæ Dominus est, non accepissent.

Potestas ministrorum.

Continet locus iste generalem doctrinam, legitimos Verbi administros siue præcones à Domino potestate singulari & efficaci armatos esse. Ea est authoritas illa, quam habent vt legati Christi, cuius nomine hanc functionem obeunt, vt Cap. quinto supra audiuimus, eoque efficacior est authoritas illa, quòd coniunctam sibi habet Spiritus sancti virtutem, quæ Verbum Dei otiosum aut inefficax esse non sinit: sicuti apud Isaiam Deus testatur. Ridet quidem ista infelix mundus, eò quòd IESV CHRISTI ministros plerunque egenos, calamitosos & omni præsidio destitutos esse videt. Sed hoc nihil derogat ministerio ipsorum, & semper ratum erit illud Christi: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui in vobis est. Item: Qui vos audit, me audit. Itaq; sentient aliquando infelices illi, quem contempserint. Sunt hæc omnium seculorum exemplis confirmata, vt mirum sit adhuc aliquos inueniri tam stupidos & vecordes, qui de potestate illa dubitare ausint.

Isa. 55.

Potestatis Ecclesiasticæ vsus.

At simul denuò obseruari debet, potestatis huius vsum esse, non vt pro suo arbitrio quiduis faciant ministri, sed vt ædificent Ecclesiam Dei, non autem destruant. Ædificatur Ecclesia per Euangelij doctrinam, quæ homines, qui prius à Deo alieni erant, ad Christum adducit, vt super hunc, qui vnicum salutis fundamentum est, extructi, in domum spiritualem coalescant, quam suo Spiritu Deus inhabitet, sicuti alibi fusius est dictum. E contra destrui dicitur Ecclesia, quàm primùm homines vel apertè à Christo abducuntur, vel omni sublata disciplina in omne scelus ruunt, & proinde Christiani nominis professionem sua licentia prophanant atque polluunt. Quod ergo in præsenti Paulus dicit, potestatem sibi datam esse ad ædificationem, non autem ad destructionem, id de Ecclesia debet intelligi, in qua ministri præcipua cura esse debet, ne quid destruat eorum, quæ Deo probantur, & sine quibus Ecclesia non potest consistere. At idem destruere debet, quæcunque ædificio illius incommodant, aut fidei veræ atque cultui diuino officiunt: quia istorum destructio ædificationis

ædificationis pars quædam est vel potius præparatio, qua illi locus fit. Ideo Ieremiæ olim dicebatur: Ego constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & extirpes, vt perdas & dissipes, vt ædifices & plantes. Vt enim vetera & ruinosa ædificia destrui, terram item à sentibus, & noxijs herbis repurgari oportet, vt nouo ædificio & sementi locus detur: ita Ecclesiam inter homines nemo constituet, qui non prius superstitiones, nefarios cultus & morum licentiam sustulerit. In eo autem diligentia & seueritate omnino opus est, ne quid relinquatur, ex quo nouæ superstitiones pullulare, aut improbi nouam licentiæ occasionem arripere possint. Hodie minus procedit sanctissimum istud Ecclesiæ ædificium, quia architecti plerique dormiunt, & improborum petulantiam nemo coercet. Oremus ergo æternum Dei Filium, Dominum & Seruatorem nostrum, IESVM CHRISTVM, vt ipse operi suo manum admoueat, operarios fidos excitet, quorum industria regnum ipsius longè latequè propagetur, inque ipso plures quotidie salui fiant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Ierem. 1.

HOMILIA LXIIII.

Quod superest, fratres, gaudete, perficiamini, consolationem habete, idem sentite, in pace agite: Et Deus charitatis ac pacis erit vobiscum. Salutate alij alios sancto osculo. Salutant vos sancti omnes. Gratia Domini IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis, Amen.

TOta hac epistola Diuus Paulus Corinthios acriter corripuit propter aliquorum proteruiam, qui saniori doctrinæ Euangelij & pijs eius admonitionibus contumaciter resistebant. Ne verò hoc ex odij potius affectu quàm salutis ipsorum studio fecisse putaretur, multa subinde eaque non obscura sui erga eos amoris argumenta interposuit: & nunc epistolæ Epilogum ita temperat, vt omnem priorem acerbitatem mitiget. Constat enim is tribus partibus, quibus quæcunque de salutis æternæ negotio, deque ipsorum officio & felici Ecclesiæ constitutione prius dicta sunt, ipsis, non minus blandè & amicè, quàm grauiter in mentem reuocat. Et prima quidem pars amicam habet exhortationem, in qua quinque capitibus complectitur, quæcunque ipsis obseruatu & factu imprimis erant necessaria.

Primò eos gaudere iubet. At videri poterat hoc nequaquam in loco positum esse, cùm eos paulò ante tam acriter corripuerit, & nisi eius admonitionibus obtemperent, duriora sit comminatus. Nã vt D. Chrysostomus annotauit, poterant aliqui obijcere: Tristitia & mœrore nos affecisti, minis atrocibus terruisti, anxios & solicitos fecisti, Ecclesiam denique totam in luctum coniecisti acerbissimum, & nunc quasi re bene gesta nos iubes gaudere? Quid verò hoc aliud est, quàm nobiscum ludere? At Paulus altius quid spectat, Nimirum quòd correptiones, quæ per Euangelij doctrinam adhibentur, diuini fauoris & gratiæ argumentum sunt (quem enim diligit Dominus, castigat: & flagellat omnem Filium, quem recipit) & intra animum admissæ totum hominem cum Deo in gratiam reducunt, ex quo gaudium verum atque solidum nascitur, quod ne afflictionibus quidem, quas pij continuas sustinent, potest turbari. Nam vt alibi ait Apostolus: Gloriamur sub spe gloriæ Dei: neque id solùm, sed etiam gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem spem, quæ non pudefacit, eò quòd charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris, &c. Id verò solis Christianis proprium est, quos vera IESV CHRISTI cognitio cum fide coniuncta de Dei gratia & suæ salutis certitudine securos facit, quos Apostolus non hîc modò, sed multis etiam alijs in locis gaudere iubet. Etenim ad Philippen. scribens, cùm de ijs disseruisset, quæ ad confirmandam salutis fiduciam faciebant, & eos ipsis commendauisset, quos ad ipsos mittebat, ijsdem omnino verbis illos compellat: Quod superest fratres mei, gaudete in Domino. Rursus in eadem epistola: Gaudete in Domino semper, rursum (inquam) gaudete. Et idem Thessalonicensib scribit: Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Docent ista, patienter

Gaudete. Heb. 12. Rom. 5. Phil. 3. & 4. 1. Thes. 5

ferri debere admonitiones & correptiones, imò illis gaudere debere Christianos homines, cùm his Deus (vt modò diximus) suum erga nos fauorem testetur, & eædem nobis ad salutem adiumento sint. Nam vt amariora pharmaca noxios humores expellunt, sectiones item atque vstiones membris putridis & contabescentibus medentur: ita prudens atque seuera correptio eos in viam salutis reuocat, qui nisi illa adhiberetur, in sua licentia perirent. Qui verò illis exacerbantur, & contra fidos monitores contumaciter insurgunt, ij sibijpsis pessimè consulunt, vt in Achabi & similium exemplis est videre.

Perficiamini. Secundò, Perficiamini, inquit. In Græco legitur, καταρτίζεσθε, quod ad perfectionem illam refertur, quam supra κατάρτισιν dixit, Metaphora ab humani corporis cõstitutione desumpta. Vult ergo nunc, vt singuli operas suas ad Ecclesiæ instaurationem conferant, vt tandem sublatis è medio sectis & dissidijs omniq́ue confusione, vnũ sint in CHRISTO IESV, & huic in integritate fidei morumq́ue puritate seruiant. Arguit hoc eos, qui quòd vitam priuatam degunt, res Ecclesiæ, adeoque totam religionis causam nihil ad se pertinere arbitrantur: quod perinde est ac si manus salutem corporis nihil ad se pertinere diceret, quia ipsa non sit caput. Interim præceptum hoc singuli priuatim sibijpsis applicent. Nam ab omnibus, qui cultores sui esse volunt, perfectionem Deus requirit, & generale est mandatum, quod Abrahamo dictum fuit: Ambula coram me, & esto perfectus siue integer. Cui consentit quod in Lege toties inculcatur: Sancti estote, quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester. Et Christus in Euangelio ait: Estote perfecti, quemadmodum Pater

Matth. 5. vester, qui in cœlis, perfectus est. Quid, quòd idem seipsum in exemplum nobis proponit, ex quo vitæ totius simul & fidei nostræ regulã petamus? Rectè ergo perfectionẽ hanc Apostoli quoque passim ab hominibus Christianis exigunt. At quàm diu in hac carne mortali viuimus, ad perfectionis istius metam non possumus peruenire, & in multis indies deficimus. Semper ergo nos anniti

Phil. 3. oportet, vt relictis ijs quæ à tergo sunt, indesinenter proficiamus, vt alibi suo exemplo Paulus docet. Arguit ergo hoc præceptum ignauos atque desides, qui quasi ipsis nihil omnino restet agendum sibijpsis in suo otio placent. Sunt hi ferè similes iuuenis illius opulenti, qui apud Christum gloriabatur, quòd Legem totam à pueris obseruauisset, mox autem tristis abijt, quando illum Christus charitatis præcepto propius cœpit vrgere. Ita isti se quidem omnia præstitisse putant, at si in seipsos paulò altius descenderent, multò plura adhuc sibi deesse sentirent, quàm adhuc præstiterint.

Consolationem habete. Tertio loco ait Paulus: Consolationem habete. In Græco ponitur verbum παρακαλεῖσθε, quod tam de adhortatione quàm consolatione mutua potest intelligi, & vtrumque Corinthijs conueniebat, vel potius necessarium erat: vt nimirum se mutuò hortarentur ad faciendum officium, & alij alios mutuis consolationibus confirmarent. Et hodie adhuc vtrumque inter homines Christianos sedulò fieri debet. Etsi enim vias Domini semel ingressi simus, multa tamen nos remorantur, multa nos remissiores faciunt, multa ab opere Domini reuocant. Opus igitur nobis est stimulo, quẽ etsi Deus per Verbum suum nobis adhibeat, efficacissimæ tamen sunt quotidianæ eorum, qui nobi-

Exo. 23. scum versantur, admonitiones atque correptiones. Et has nobis in Lege commendat Dominus,

Deut. 22. quando vt proximi, imò inimici quoque, bouem errantem ad ipsum reducamus, & eiusdem asinum, si oneri imposito succubuerit, subleuemus præcipit. Similiter quia vita hæc laborum & periculorũ plena est, frequenti etiam consolatione opus habemus. Suggerit hanc quidem efficacissimè fidelis ille paracletus, Spiritus Sanctus, quem nobis Christus consolatorem & consultorem siue aduocatum destinauit: sed idem organis vtitur, Verbi ministris & multis alijs, qui hoc officium ex eius suggestione nobis præstant. Huic ergo singuli sese pro suæ vocationis ratione & dilectionis Christianæ officio sese accommodent. Ita enim opus illud misericordiæ facient, quod suis rationibus adscribet Dei Filius, quando in magno illo die electis suis dicet: Inualidus fui, & visitastis me: in custodia fui, & venistis ad me. At quæ nostri sæculi calamitas est, hodie in vtroque plurimùm peccatur. Nam multi quidem sunt, qui ad scelera per se plus satis procliues excitant, aut ad superstitiosos atque illicitos cultus rerum imperitos magnificis promissis exhortantur: imò inueniuntur passim qui quosuis improbè vrgent, & tantumnon cogunt, vt perpotent, belluentur, ludant, alijsq́ue huius sæculi studijs sese mancipent. At qui ad pietatem, temperantiam, sobrietatem, innocentiam & alias virtutes adhortentur, perpauci sunt. Quid, quòd qui rectà in præcipitium perditionis ruunt,

aut, à plerisque negliguntur, & sæpe ab ijs quoque, qui ex officio diuinitus sibi imposito debebant pro publica salute excubare? Quibus adde, quòd afflictos, peregrinos & egenos quoque pauci suis consolationibus & ope subleuant, plerique autem, dummodo ipsis bene sit, aliorum calamitates siccis oculis spectare possunt.

Quartum huius loci membrum est; Idem sentite, vel Vnanimes estote. Potest hoc primò de doctrina & fide intelligi, ne diuersis dogmatibus aut opinionibus scindantur: Deinde, vt quoad charitatem mutuam vna omnium mens sit, & mutuo concordiæ studio ardeant. Vtrumque in prioris epistolæ Cap. primo vna sententia comprehendit, sic dicens: Precor vos, fratres, per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati, aut concinnè perfecti, eadem mente & sententia. Et ad Philippenses hoc ipsum diligentius explicans, scribit: Sitis itidem affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes, & sententijs vni: nihil per contentionem fiat, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem putet. Ne sua quisque spectetis, sed quæ sunt aliorum, etc. Vide locũ Philip. secũdo Cap. Idem sentite.

Et huc facit, quòd hîc quintum adijcitur: In pace agite, vel pacem inter vos colite. Id verò propriè charitatem & beneuolentiam mutuam commendat. Sunt enim, qui quoad dogmata fidei & religionis idem sentiunt, at interea alias ob causas dissident, & sæpe propter res leuiculas tumultuantur. Iubet ergò vt fidei & religionis consensum externis quoque factis, & imprimis publicæ aut communis pacis studio testentur. Istis verò omnibus rationis & stimuli loco promissionem magnificam adijcit: Et Deus charitatis & pacis erit vobiscum. Ita verò dicitur Deus, quia vt ipse charitas est (teste Ioanne Apostolo) ita hominum charitate & pace gaudet, atque earundem author est. Quia enim homo natura φίλαυτος, id est, suiipsius amans est, fraternam dilectionem facilè negligimus, ex quo deinde apertæ dissensiones & dissidia nascuntur. At Deus suo Spiritu animos mutare & charitatis ignem in nobis accendere potest. Hunc qui admittunt, ij postea indies in vera pietate proficiunt, & Deo propitio vtuntur, qui dona sua in ipsis auget, & eosdem tuetur atque gubernat. Docet hoc eleganter Dauid, qui de fraterna piorum consensione & concordia loquens, inter alia ait: Dominus mandauit, vt illic sit benedictio & vita sempiterna. Ex quo contrarium colligi potest, eos nimirum, qui odijs, simultatibus, dissidijs, rixis & contentionibus vacant, diabolum sibi præsentem habere, qui iam inde ab initio homicida fuit, & hominum exitio gaudet. Pacem colite. Psal. 133.

Docet ego prima huius loci pars, quid de nostri sæculi moribus atque statu iudices. Mirantur multi calamitates continuas, quibus totus orbis terrarum affligitur, imprimis autem ij, qui Christianum nomen profitentur. Sed quid mirari ista opus est? Deus charitatis & pacis Deus est, neque alijs quàm pacis & charitatis cultoribus delectatur, & his solis sese propitium præbet. Notum est enim illud Christi, qui cùm charitatis præceptum suis vnicè commendaret, inter alia dixit: Qui tenet præcepta mea, & seruat ea, is ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & me ei conspicuum exhibebo. Et rursum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. At Christi dilectionem non alio euidentiori argumento possumus declarare, quàm cùm eius membra syncero amore complectimur. Quàm pauci verò hodie sunt, qui hoc præstent? Regnant vbique superstitiones, quæ eos etiam diuellunt, qui prius coniunctissimi erant. Accedit his auaritia, quæ omnes charitatis leges violat, & insuper fraudis, imposturæ, vsurarum, furtorum & omnis iniquitatis fœcundissima mater est: ex quibus odia & inimicitiæ passim pullulant. Alios ambitio in fratres armat, quæ inuidiam & æmulationem parit, qua fit, vt perditos velint eos, quos debebant amare. Et hæc quidem vulgò fiunt. Quòd si Ecclesiarum ministros inspicias, inter hos quoque rarum esse videbis charitatis & pacis studium. Nam multi horum ambitionis æstro & contendendi libidine accensi pro rebus non magni momenti altercantur, Ecclesias in partes distrahunt, & vt noui quidam Pontifices anathematismis & excommunicatione pugnant, alijque alios diris deuouent. Quis ergo Deum suo Spiritu talibus præsentem adesse dixerit? aut quis istos maligno spiritu agitari neget? At vbi iste dominatur, ibi nihil sanum, nihil lætum aut iucundum sperari potest. Itaque procul Nostri sæculi status. Ioan. 14.

relictis istis moribus, Apostolicæ huic admonitioni sese accommodent, qui Reipub. & Ecclesiæ hodie melius consultum esse volunt.

Salutationes. Sequitur secunda Epilogi pars, quæ salutationes habet, quas pro more Apostolus adscribit. Præcipuum in his est, quòd vt se mutuò salutent præcipit. Nam credibile est, propter sectas, simultates & dissidia multorum animos ita distractos fuisse, vt ne alloquio quidem mutuo alij alios dignarentur. Prudenter ergo & rectè iubet, vt positis simultatibus atque odijs, ad mutuam beneuolentiam sese excitent. Et quia Orientales populi (vt aliâs diximus) inter salutandum osculo vti solebant, quod charitatis symbolum erat, imò reuerentiæ quoque & obseruantiæ: mos iste ad Græcas quoque Ecclesias transijt, & ideo huius in præsenti Corinthios admonet. Sanctum verò osculum dicit, vt simulationem omnem excludat, quæ vt in omni alia re turpis, ita in amicitijs turpissima simul & nocentissima est. Deinde fratrum, qui secum erant, nomine illis salutem dicit, vt quemadmodum ipsos inter se conciliare studet, ita eos exteris quoque obstringat. Nec enim obstat loci distantia, quò minus se mutuum amare debeant, quos vnitas fidei coniunxit, vt in CHRISTO IESV corpus vnum sint. Perstringimus hæc breuiter, quia in prioris epistolæ fine diximus, quæ hîc dici poterant.

Benedictio Apostolica. Restat vltima Epilogi pars, quæ Epistolam concludit benedictione verè Apostolica, qua omnia compræhendit, quæ ad perfectam hominis salutem faciunt: Gratia Domini IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis, Amen. Per gratiam Christi omne id intelligit, quod hic nobis sua morte & obedientia meruit, adeoque totum nostræ redemptionis beneficium. Id verò omne gratiam dicit, quòd vt ipse nobis ex gratuita misericordia datus est: ita nos quoque, qui filij iræ eramus, cum Patre in gratiam reduxit, secundùm huius testimonium, quod cælitus delatum est: Hic est Filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Precatur ergo illis Paulus, ne vnquam excidant à Christo & gratia illa Dei, quam ille nobis acquisiuit. Deinde charitatem Dei subijcit, quæ prioris est consequens. Nam etiamsi Deus nos ab æterno dilexerit, & ideo Filium suum pro nobis tradiderit in mortem, nos tamen dilectionis istius fructum non sentimus, neque de ea certi esse possumus, donec Christum fide vera apprahendimus, quæ illum pro nobis datum esse, proque nobis satisfecisse sola intelligit. Etenim tunc demum cum Paulo possumus dicere: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrũ IESVM CHRISTVM. Item: Christus est, qui mortuus est: imò verò qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam intercedit siue postulat pro nobis. Quis nos separabit à Charitate Christi? &c. Enimuerò non potest Pater eos odisse aut abijcere, quos æterno ipsius decreto destinatus Mediator ei reconciliauit. Tertio communicationem Spiritus Sancti illis precatur. Est hæc societas illa atque coniunctio, qua fit, vt fideles omnes eodem Dei Spiritu animentur, eiusque donorum participes fiant. Hunc enim Christus iam in mortem abiturus pollicitus est, vt eis consultor atque aduocatus sit, quoad in carne hac mortali vixerint. Idem ille salutis nostræ arrhabo est, & ideo Spiritus υἱοθεσίας, id est, adoptionis dicitur: ad hæc omni donorum genere, quæ hanc vitam viuentibus necessaria sunt, fideles ornat & instruit: dirigit denique eosdem, vt & Veritatis cognitionem assequantur, & ad cælestis hæreditatis possessionem perueniant. Quid multis? quicquid in nobis boni est; hoc omne Spiritus illius opus est, cùm ipsi ne ad cogitandum quidem idonei simus.

Roma. 5. & 8.

Trinitatis mysterium. Est autem hîc dignissimum obseruatu, quòd cum circa finem prioris Epistolæ simpliciter dixisset: Gratia Domini nostri IESV CHRISTI sit vobiscum, hîc & Filij & Patris & Spiritus Sancti meminit. Causa plerisque ea esse videtur, quòd plerique Corinthiorum Trinitatis mysterium adhuc ignorarent. Ideo personas quidem tres disertè nominat, simul autem non obscurè vnam & eandem Dietatem hisce omnibus tribuit. Id ex eo apparet, quòd quæ alibi Patri tribuuntur, in præsenti Filio ascribit, & rursus Spiritui Sancto ea, quæ alibi Filio ascribi solent. Etenim Gratia plerunque ad Patrem refertur, & ab eo Apostoli illam credentibus precantur, vt in plerisque Epistolarum Inscriptionibus aut Salutationibus Apostolicis est videre. Similiter charitatem & dilectionem Christo ascribit in eo loco, quem paulò ante ex Epist. ad Romanos adduximus. Et in priori ad Corinth. primo Cap. communionis Filij Dei IESV CHRISTI meminit. Nam

vt Chrysostomus annotauit, τὰ τῆς τριάδος ἀδιαίρετα ἐστι, id est, quęcunque propria sunt Trinitati, ea inseparabilia sunt, & proinde personis simul omnibus communia, secundùm illud Christi: Omnia quęcunque habet Pater, mea sunt. Item: Et mea omnia tua sunt. Quod D. Athanasius olim rectè obseruauit, quando in fidei Confeßione hęc verba interposuit: Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus: Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus: Æternus Pater, ęternus Filius, ęternus Spiritus Sanctus. Item: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, &c. Debent ista diligenter obseruari propter eos, qui propter attributorum, quę personis singulis propria sunt, diuersitatem, vel tres Deos fabricant, vel Filium Patre, & Spiritum Sanctum vtroque minorem fingunt. At quia de his dicendi locus commodior alibi sese offert, ista nunc obiter dixisse sufficiat. Ioan. 16. et 17.

Nunc obseruemus, hoc commune Christianis omnibus votum esse debere, quod & pastores Ecclesijs suę fidei creditis, & alij alijs priuatim atque publicè precentur, vt gratia IESV CHRISTI, & dilectio Dei Patris, & Spiritus Sancti communio cum omnibus maneat. Ex his enim vniuersa salutis nostrę ratio dependet, quā omnibus huius sęculi bonis pręferunt, quicunque aliquem vitę futurę gustum perceperunt. Et cùm Paulus hęc tanta bona Corinthijs obtingere optarit, qui tam multis tamque indignis modis ipsum offenderant, quanto magis illa ijs precari debemus, quos nisi pro fratribus agnoscamus in Christo, nos neque Christiani neque filij Dei dici merebimur? Commune votum Christianorum.

Habetis Viri Christiani & fratres in Christo dilecti, quę in vtramque Diui Pauli ad Corinthios epistolam pro talenti, quod nobis Deus ex gratuita misericordia largitus est, ratione dedimus. Quę quàm probè nostris temporibus conueniant, alibi dictum est, & nemo non videt, qui horum statum atque mores propius inspexerit. Nos quod potuimus pro virili fecimus bona fide, neq; nobis alicuius doli aut dißimulatę Veritatis, multò minus adulteratę, sumus conscij. Faxit Deus Opt. Max. vt sicuti Apostoli cura atque industria apud illos olim non absque fructu euanuit: ita noster quoque labor aliquam Ecclesię morbis & vulneribus medicinam afferat, eoque nomine pijs gratus sit.

Tibi verò IESV CHRISTE, Fili Dei ęterne, redemptor & vindex generis humani vnice, gratias agimus, qui in hac postrema mundi senecta multis modis afflictißima, Ecclesias vbique gentium colligis: teque supplici animo & ardentibus votis rogamus, vt easdem inter ambitiosos contentionū fluctus, inter scandala item & vndique imminentia omnis generis pericula, tua dextera protegere & tueri, atque Spiritus tui consilio regere digneris: ne vel tua gratia, vel Patris dilectione, vel Spiritus Sancti communione indigni reperiamur: sed tibi Deo & redemptori nostro seruiamus in fidei puritate, vita innocentia & charitate non fucata, vsque in eum diem, quo tu miseros nos, in te autem vno felices & beatos, mortalis huius corporis vinculis solutos in regni tui cœlestis possessionem transferas, vt tecum viuamus atque gaudeamus: cui vnà cum Patre & Spiritu Sancto, Deo vno, & solo immortali & ęterno, debetur benedictio, honor, gloria & potestas in ęternū, Amen.

FINIS.